

AGB LRI
M D

Joelis
Medicina










3 · XX · h.

Proesse et Prodesse





et
Præesse FRANCISCI JOELIS Prodesse

Medic. Doct. & in Academiâ Gryphis-waldensi Professoris celeberrimi

OPERA MEDICA,

Ante complures annos utilitatis publicæ causâ in lucem edita,

Nunc

Reviſa, emendata, Indicibusque neceſſariis exornata.



AMSTELRÆDAMI,

Apud JOANNEM RAVESTEINIUM, Bibliopolam Civitatis & Illuſtris Scholæ Typographum Ordinarium.

cIↃ IↃ C LXIII.

Amplissimo, Spectatissimo, Clarissimoque

VIRO,

D. JOANNI ab HARTOGHVELT,

Medic. Doct. Experientissimo, Augustæ Reipubl. Amstelodamensium Senatori, & Scabino gravissimo,

S. P.

Quod præsens opus Medicum, omni tempore magni habitum, à Viro Celeberrimo, Dn. Francisco Joële, p. m. olim conscriptum, prælo meo subjicere, adeoque de novo publico exponere aggressus, non una mihi causa fuit; Primaria omnium, in rem literariam amor, & studia promovendi desiderium; sic enim multorum votis petitionibusque satisfieri posse confidebam, qui diu desiderato eo, in re Medicâ verè divino, opere, carere hactenus, dum exemplaria alia deficiunt, debuere. Curam itaque habui, quam fieri potuit maximam, ut non solum omnia quæ unquam typis excusa repeRiuntur, novâ hac editione continerentur, verum & ab infinitis, quibus priores scatebant, mendis purgata, correcta, emendata; ne quid de typorum elegantiâ, chartæ nitore, libri formâ, indicis perfectione, similibusque, addam, Quæ ut efficerem, quibus modis potuit, & per occupationes plurimas licuit, imò conditio operis permisit, auxiliares mihi porrexit manus Vir quidam Clarissimus, Medic. Doctor & Professor publicus. Opus hoc magno Tuo Nomini, Vir inclyte, ut inscriberem, varia haud ita suadere, quam jubere videbantur. Publicos tuos privatosque honores considerans, quid non æstimationis inde, ad id quod exhibemus redundaturum animadvertet? quale patrocinium reperiet? Tu Patriæ clarissimum lumen, Te ægroti suum solamen, & sani tutum præsidium appellitant: Tibi jam iterum sua jura commisit Themis. Virtutibus Tuis debetur, quod non solum Practicis Reipubl. hujus præcipuis annumereris, sed & publica onera, eaque gravissima, subire debeas. Accedit, ne plura nominem, beneficiorum plurimorum, in me meosque collatorum, debita recordatio, quibus cum paria referre me neutiquam posse sciam, quo saltem ingrati nomen, quantum in me, removerem, & aliquod exstaret decentis gratitudinis signum, hoc quicquid est munusculi literarii in sinum tuum deponere volui, imò debui, spe illa fretus, Te haud adeò donum quam donantis animum respicere. Finio, petens ut hunc meum pertenuem laborem æqui bonique consulere, meque favoris Tui alis protegere pergas, qui maneo

Amplitud. Tuæ

Devotissimus cultor & Cognatus

Amstelæd. 15 Martii,
Anni 1663.

J. à Ravesteyn.



LECTOR BENEVOLE.

De Authore, non est quod multa proponam: Quis & qualis fuerit, sequens Professorum Rostochiensium censura, ipsaque scripta, quantum satis est, declarant; gratiæ debentur Clarißimis Viris Dno. Matthæo Backmeistero, Phil. & Med. Doct. ac Reipubl. Lunæburgensis Physico, & Dno. Francisco Ioëli, authoris nepoti, Aulæ Wolgastanæ Medico, & Universitatis Gryphiswaldensis Professori ordinario, quod nobis eorum, quæ alias in obscuro permansissent, participes facere voluerint. Ita decet virum probum, etiam rem litterariam pro viribus promovere. Editionis nostræ causas dedicatio exhibet; ostendit eadem in quibus hæc à præcedentibus differat. Unicum hoc monere necessarium valde, in praxi summoperè observandum, in formulis Remediorum, nescio cujus incuria, loco Characteris ordinarii Drachma ʒ poni signum tale 3, & loco ejus qui est semis S aut ß, poni 5. Reliqua ipse facile emendabis. VALE.



Decanus

IN

ACADEMIA ROSTOCHIANA.



Uemadmodum omnes publico bono nati ſumus; ita non immeritò laudandi, qui omnes ſuos conatus, ſtudia & conſilia ad utilitatem publicam referunt: undè perpetuam ſibi nominis gloriam, etiam poſt fata ſua ſibi acquiſivit M. Vipſanius Agrippa, qui, Dione ſcribente, omnia ſua opera publicæ utilitati potius deſtinare, quam privatis commodis ſervire voluerit. Huc etiam reſpiciens vir doctiſſimus Dn. Matthæus Bacmeiſterus Phil. & Med. Doctor, Practicus apud nos per aliquot annos egregius, jam verò ampliſſimæ. Reip. Lunæburgenſis Phyſicus ordinarius, amicus noſter ſingularis, opus Medicum Theoricum & Practicum, præſtantiſſimi ac experientiſſimi Medici & Practici Franciſci Joëlis, quondam illuſtris Academiæ Gryphswaldenſis Profeſſoris eximii, à multis hactenus deſcriptum, & pro ſingulari theſauro habitum, à pluribus verò magno cum deſiderio expetitum, atque ab infinitis mendis, quæ multiplici deſcriptione irrepſerant, repurgatum, publici juris facere, & in communem Medicinæ ſtudioſorum utilitatem typis mandare voluit. Adornaverat quidem operis hujus editionem jam antè vir clariſſ. & excell. Dn. Franciſcus Joël, itidem Med. D. & Illuſtriſſimi ac Celſiſſimi Principis ac Dn. Dn. Philippi Julii Stetini ac Pomeraniæ Ducis &c. Archiater digniſſimus, authoris filius; ſed is immatura morte Anno 1601 abreptus, quod ſibi de paternis ſcriptis publicè communicandis, propoſuerat, effectui dare non potuit. Videbantur itaque cum iſto viro, ſcripta hæc tam diu à multis expectata fermè intercidiſſe, niſi peculiaris ſtudia Medica promovendi ardor & amor præfatum D. Bacmeiſterum permoviſſet, ut opus hoc, in quo author, potiſſimum ad horum locorum Septentrionalium, in quibus annis plus minus 40. praxin Medicam ſumma fide & induſtria exercuit, homines & corpora reſpexit, ab interitu vindicaret, præſertim dum aliquem ex Joëliana familia adhuc ſupereſſe ignoret. Facto autem typographicorum operum initio, prodiit Franciſcus Joël tertius, auctoris nepos, Medicinæ ſtudioſus induſtrius, elegantibusque moribus præditus adoleſcens, qui ut editionem non improbavit; ita ſuo etiam loco liberaliter communicando alia etiam avi ſui paterni ſcripta, ut opus hoc quam perfectiſſimè lucem aſpiceret, conatus hoſce juvare voluit, & editionis hujus labores cum D. Bacmeiſtero partitus eſt. Quantus autem vir fuerit Franciſcus Joël ſenior in praxi, teſtantur aliquot Illuſtr. Pomeraniæ Principes, Barones, nobiles, cives & inferioris etiam conditionis, non tantum in Pomerania, ſed etiam in vicinis regionibus homines penè infiniti, qui feliciter ejus opera uſi, ex pluribus graviſſimis & ſæpè deſperatis affectibus convaluerunt! ut magno ſuo merito Pomeranorum Podalyrius à celeberrimo olim Poëta & Academiæ noſtræ Profeſſore Nathane Chytræo in Epitaphio, quod memoriæ ipſius dedicare voluit, ſit appellatus. Quemadmodum vero in converſatione cum aliis fuit candidus, ſincerus & apertus; ita quicquid longiſſimi temporis decurſu, in frequentiſſima praxi obſervarat, libentiſſimè & liberaliter admodum diſcipulis ſuis communicavit, neque ullum medicamentum tam ſecretum &

abſcon-

abſconditum habuit, quod quenquam eorum, qui id ab ipſo petiit, celaret. Neque etiam laudem peculiarem in eo quæſivit, ut peregrinis & exoticis aliisque periculoſis medicamentis, antea non ſatis expertis uteretur, ſed domi naſcentia ut plurimum uſurpavit, idque feliciſſimo ſucceſſu. Exiſtimavit enim minus ſubeſſe periculi, ſi ea quæ domi naſcuntur, in uſum medicum aſſumantur potius, quam ſi ſub ſpecie ſecretioris pharmaci, talia ſæpè ægris propinentur, quibus per morbos hominum non leve fiat periculum. Uſque adeo autem accuratam omnium hiſce in locis provenientium ſimplicium notitiam habuit, ut ferè nullum eorum ipſum lateret, cujus etiam certum experimentum non haberet, Dioſcoridem imitatus, qui non ex aliorum narratione ſcripſiſſe ſe hiſtoriam ſuam plantarum, aſſerit, ſed omnia ſuis vidiſſe locis, manibus tetigiſſe, vireſque eorum diligentiſſimè inveſtigaſſe. Dolendum profectò eſt, multos hodiè reperiri, qui Medici titulo ſuperbiunt, & vix vulgatiſſimas norunt plantas, quamvis eas quotidie calcent pedibus. Longe aliter in ſimplicium cognitione verſatus fuit hujus operis author, quod omnibus qui in ejus lectionem inciderint, & in Medicina vel mediocriter verſati ſint, ſatis proculdubio perſpectum & cognitum eſſe poterit. Gratias igitur ingentes merito Joëli habendas cenſemus, quod & multa remedia utilia inveſtigare; inventa communicare, & eorum genuinum & legitimum uſum Medicinæ ſtudioſis candidè demonſtrare voluerit. Neque minores gratiæ debentur D. Bacmeiſtero, quod celeberrimi viri ſcripta à blattis & tineis vindicare, bonis ingeniis ad cognitionem & tractationem artis Medicæ adjumento eſſe, & horum editione plurimorum ſaluti conſulere ſtuduerit. Agnoſcent Medicinæ ſtudioſi hunc juvandi & promovendi litterarium conatum grata mente & animo, neque dubitabunt, quin Bacmeiſterus noſter, quod jam in alienis ſcriptis edendis præſtitit, qua eſt inſigni eruditione & peritia artis Medicæ præditus, id paulo poſt in propriis non minus utilibus ſit præſtiturus. Roſtochii, 3. April. Anni 1616.



COMPENDII ARTIS MEDICÆ FRANCISCI JOELIS LIBER PRIMUS,

Continens introductionem in ſubſequentia, & doctrinam Phyſiologicam.

SECTIO I.

DE MEDICINA IN GENERE.

I. Quo ordine & via diſcenda eſt Ars Medica?

Modus addiſcendi artem Medicam.

ETHODO. *Sicut enim omnes reliquæ artes & ſcientiæ methodo ſunt inventæ & propagatæ, ita Ars Medica methodo certa commodiſſimè diſcitur. Duæ enim ſunt res quæ lucem & facilitatem cum in docendis tum in diſcendis artibus adferunt, Methodus & Sermonis perſpicuitas.*

2. Quid eſt Methodus?

Methodus eſt artificioſa & brevis ad diſcendum via, Veteribus ὁδὸς καθόλου μία ἁπαντῶν κοινητῶν κατὰ μέρος, *id eſt, plana & compendiaria Via, quæ nos in artibus ad cognitionem omnium particularium, omneſque Scopos ad quos pervenire deſideramus, deducit.* Galenus lib. 1. cap. 4. Methodi Medendi, *rationem & Viam ordinatam vocat, qua unaquæque Ars tradi & diſci debeat, exordio à certo initio ſumpto, & inde ad ſecundum, tertium & quartum, & deinceps ad reliqua omnia procedendo, donec Univerſæ artis theoremata, & quicquid inter duos limites inter initium & finem artis continetur, inventa & explicata fuerint.*

3. Methodus in artibus quot habet Species?

Methodus triplex.

Galenus lib. 1. Artis Medicinalis *tres numerat ſpecies,* Ἀναλυτικὴν, *id eſt, Reſolutivam:* Συνθετικὴν, *compoſitivam; &* Ὁριστικὴν, *definitivam.*

4. Quid eſt Methodus Ἀναλυτική;

Reſolutiva.

Ἀναλυτικὴ, *ſeu Via reſolutiva eſt ordinatus progreſſus à fine verſus principium, vel, ut Galenus loquitur, quæ à notione finis verſus principium ordinatè progreditur, omnes artis partes reſolvendo, majores in minores, donec ad minutiſſimas partes progreſſum eſt. Hac Methodo utitur* Galenus in docenda arte Medica, & Ariſtoteles in ſuis Ethicis ad Nicomachum, & Juſtinianus in ſuis Inſtitutionibus. Galenus enim in lib. de conſtit. artis Medicæ *incipit doctrinam à ſanitate quæ eſt finis Medicinæ, Sanitatem tandem reſolvit in Actiones, Actiones rurſum in Potentias, Potentias defluere dicit ex Spiritibus, Spiritus oriri ex Temperamentis, Temperamenta ſita eſſe docet in Membris, Membra reſolvit in Humores, Humores in Elementa, quæ amplius reſolvi non poſſunt. Hæc Methodus aptior eſt ad inveniendas, quam ad diſcendas artes.*

5. Quid eſt Methodus Συνθετική;

Compoſitiva.

Eſt ordinarius proceſſus, initium ſumens ab Artis elementis & progrediens uſque ad finem, ſubinde partes minutiores componendo. Hæc Methodus aptiſſima eſt, & in ſcholis uſitatiſſima. Ex partibus enim totum componit,

ex causis investigat Effectus, ex simplicibus composita elicit, ex prioribus posteriora nectit: Hac Methodo tradit Priscianus Grammaticam, Quintilianus Rhetoricam, & Avicenna artem Medicam, qui primum in constructione humanæ naturæ consideravit minutissimas partes, id est, Elementa, ex quorum convenienti resolutione exultat Temperamentum, ex temperamentis oriuntur humores, ex humoribus generantur partes, in partibus continentur Spiritus, Spiritus obtinent Potentias, Potentiæ excitant partes corporis ad certas actiones, quæ inculpatæ dicuntur Sanitas, Sanitas autem sui præservationem aut restaurationem desiderat.

6. Quid est Methodus Ὁριστική,

Definitiva. Ὁριστικὴ *sive* Διαιρετική, *divisoria via est, quæ primum artis alicujus aut rei cujuspiam generalem definitionem quibusdam veluti capitibus omnes artis vel rei partes continentem proponit, quas partes singulas tandem ordine rursum dividit & subdividit & per definitionem explicat, nec à tali definitione & divisione prius desistit, donec omnia ad rem propositam spectantia declaravit. Hæc Methodus aptissima est ad artes in compendium redigendas & memoriæ mandandas, Iurisconsultis usitatissima in agendis causis. Ea usus est* Cicero in officiis, Arist. in Physicis Auscultationibus, & Galenus in arte Medicinali, *ubi primum definit Medicinam esse scientiam salubrium, morbosorum seu insalubrium, ac neutrorum, & deinde omnes partes subdividit & declarat.*

7. Medicina quid est?

Medicinæ definitio. *Medicina est ars usu atque ratione constituta, corporis humani bonam Valetudinem conservandi, amissamque recuperandi. Non abhorret ab hac Medicinæ definitione ea, quam* Hippocrates in libello de flatibus *tradit, inquiens, Medicina est adjectio & subtractio, adjectio quidem deficientium, subtractio vero eorum, quæ in corporibus hominum redundant. Hanc definitionem valde prædicat* Galenus lib. 11. c. 12. Methodi Medendi. *Extructa enim est ex celeberrimo axiomate, similia similibus servantur, contraria contrariis curantur.*

8. Quis est finis Scopusque Medicinæ?

Finis & Scopus in hoc tantum differunt: Finis est terminus in quo acquiescit actio, Scopus autem est terminus in quem dirigitur actio. Est itaque finis Sanitas humani corporis. Omnia siquidem præcepta omnesque actiones Medici & omnia salubrium remediorum genera in hunc finem divinitus nobis sunt monstrata & attributa; ut Sanitas humani corporis aut conservetur aut recuperetur amissa. Hæ enim sunt summæ artis differentiæ, ὑγιεινὴ, *id est Sanitatis conservatrix, &* θεραπευτικὴ, *id est sanitatis amissæ instauratrix.* Finis.

9. Quod est subjectum Artis Medicæ?

Corpus humanum sanabile, seu potius tota natura humana: Semper autem in artibus subjectum copulatur cum fine, ideo additur, corpus sanabile. Est enim subjectum cui inhærere possunt: Cum autem Sanitas & ægritudines humano corpori accidere possint, proprium Medicinæ subjectum corpus humanum existit, quatenus est sanabile. Subjectum.

10. Quot sunt partes Medicinæ?

Galenus lib. 1. de tuenda sanitate c. 1. *differentiam sumens ab officio Medici, in duas partes maximas dividit Medicinam, quarum alteram Sanitatis tuendæ, alteram morbi profligandi facultatem appellat.* Idem in lib. ad Trasybulum c. ultimo, *ita inquit Hippocrates & omnes qui hoc tempore florent Medici, artis Medicæ duas maximas partes cognoverunt, curatricem scilicet & Sanitatis tutelarem. Verum* in libello qui Medicus inscribitur c. 6. *à materia circa quam Ars Medica versatur, universam Medicinam in quinque partes distribuit, quibus singulis Græci propria indiderunt nomina, quæ & Latini propter vocabulorum inopiam retinere coguntur, quarum prima dicitur,* φυσιολογική, *naturam & constitutionem hominis inquirit & de rebus naturalibus, ex quibus corpus humanum constat, disputat. Secunda nominatur* ὑγιεινὴ, *quæ naturam humanam & congenitam sanitatem tueri ac conservare docet, ac de iis rebus differit, quas res non naturales vocant, Galenus verò causas naturæ conservatrices & immutatrices nominat. Tertia appellatur* Αἰτιολογικὴ *sive* παθολογία, *quæ*

Partes finales. Partes materiales. Φυσιολογική. Ὑγιεινή. Παθολογία.

quæ causas & differentias morborum & symptomatum investigat. Sunt autem causæ morbificæ, morbi & symptomata res contra naturam, quia è diametro pugnant cum natura humana. Σημειωτική. *Quarta* σημειωτικὴ *dicitur, quæ ex certis signis artificiosa quadam conjectura, præteritum, præsentem & futurum corporis nostri statum cognoscere ac prædicere potest.* Θεραπευτική. *Quinta* θεραπευτικὴ, *quasi dicas Medicatrix, nominatur, quæ rationem curandorum morborum & symptomatum præscribit, & quia omnis curatio per tria perficitur instrumenta, trifariam hæc ipsa dividitur,* Partes instrumentales. *in* χειρουργικὴν, *id est manualem curationem, in* διαιτητικὴν, *id est in curationem per victus rationem, & in* φαρμακευτικὴν, *id est, medicamentorum administrationem.*

11. Circa corpus sive humanam naturam quæ res sunt consideratu necessariæ?

Materia circa quas Medicus versatur. *Vniversa materia Medica, quibus Medici, tanquam mediis, cum in conservatione, tum in instauratione sanitatis utuntur, in classes sunt distributa, ad quas quasi locos communes quicquid ad artem spectat, referri debet, quæ Medico studiosè sunt observanda, in Res Naturales, non Naturales & Res contra Naturam vocatas. Res Naturales, sunt ex quibus humana natura est extructa & compacta, quæ* φυσιολογικῇ *prima parte artis Medicæ explicantur. Res non Naturales, quas Galenus causas naturæ conservatrices & alteratrices vocat, quæ quidem in compositionem humanæ naturæ non ingrediuntur, attamen sine earum apta usurpatione natura conservari nequit: hæ in* ὑγιεινῇ *secunda parte Artis enumerantur. Res contra naturam quæ è diametro pugnant cum humana natura, eamque destruunt & opprimunt, quarum noticia ex tertia Medicinæ parte* παθολογίᾳ *petenda est. Sunt autem in universum hæ res quasi objecta Medicorum XVI. ut sequens ostendit Tabella.*

Tabella materiæ Medicæ, sive rerum circa hominis naturam versantium.

Res circa humanam Naturam considerandæ sunt XVI. quarum aliæ dicuntur

- *Res Naturales,*
  - *Elementa,*
  - *Temperamenta,*
  - *Humores,*
  - *Partes corporis,*
  - *Spiritus,*
  - *Potentiæ,*
  - *Actiones.*
- *Res non naturales,*
  - *Aër ambiens,*
  - *Cibus & potus,*
  - *Somnus & vigilia,*
  - *Motus & Requies,*
  - *Excretio & Retentio.*
- *Res contra naturam,*
  - *Animi* παθήματα,
  - *Causæ morbificæ,*
  - *Morbi,*
  - *Symptomata.*

12. Quid vocant Medici naturam?

Naturæ varia significata. *Naturæ vocabulum varia obtinet significata; Nonnunquam enim significat ipsam Temperiem, ut Natura ætatis est calida & sicca: quandoque significat* ὁρμὴν *impetum, & propensionem animi, ut Ajax est natura iracundus: aliquando significat peculiarem constitutionem sive* ἰδιοσυγκρασίαν *id est proprietatem, ut quidam naturâ abhorrent ab usu vini: nonnunquam significat calorem innatum*

natum seu virtutem naturalem, ut natura e-patis est generare sanguinem. Sed generalissimè significat universam substantiam ex mixtura elementorum productam, attestante id Galeno lib. 3. cap. 8. de temperamentis, *ubi inquit, Naturam cum dico universam substantiam ac temperiem, quæ ex primis elementis conflatur calido, frigido, humido & sicco, significo.*

SECTIO II.
De ELEMENTIS.


1. Quid est Elementum?

Elementum, *juxta Autorem* definitionum Medicarum *cap. 2. est, ex quo primo & simplicissimo omnia corpora facta sunt, & in quod simplicissimum rursum omnia resolvuntur: vel secundum* Galenum lib. 8. de Hippocratis & Platonis placitis, *est minima pars ejus rei cujus est Elementum.*

2. Quot sunt Elementorum genera apud Medicos?

Elementa triplicia.

Galenus lib. 1. cap. 4. de Elementis, *tria enumerat Elementorum genera, Elementa mundi, sive omnium rerum communia: Elementa animantium sanguine praditorum: & Elementa corporis nostri propria, quæ in sequenti Tabella comprehenduntur.*



Elementa secundaria.

Posteriora duo Elementorum genera & secundaria & sensu perceptibilia dici possunt, quia ex primis & communibus mundi Elementis suam habent essentiam. Porrò quatuor humores, Sanguis, Pituita, Flava & Atra bilis, ideo Medicis Elementa animantium sanguine præditorum vocantur, quia hi humores in semine parentum potentia insunt, & ex his quasi ex elementis omnes partes in utero conservantur. Similares verò partes, ossa, cartilagines &c. eam ob causam Elementa corporis nostri vocant, quia omnia reliqua membra organica ex his sunt composita, & si resolvantur dissecando, in easdem resolvuntur.

3. Elementa quid differunt à principiis?

Differentia triplex inter elementa & principia.

Trifariam differunt Elementa à principiis, I. Principia, videlicet Materia & Forma, incorporea sunt, quæ singula per se minimè consistunt, concursione autem sua, corpora simplicia seu elementa constituunt. Est enim materia prima omnium elementorum subjectum, cui si accedat forma, id est summa caliditas, ignem; si summa humiditas, aërem; si summa

ma frigiditas, aquam; si autem summa siccitas, terram constituunt. Elementa autem sunt corpora simplicissima, quatuor summis qualitatibus imbuta. Nihil enim calidius igne, nil humidius aëre, nil frigidius aqua, nil siccius terra. II. *Differunt, quia materia est ingenerabilis & incorruptibilis. Elementa verò generantur, alterantur & corrumpuntur.* III. *Materia non est ejusdem generis cum eo cujus est materia, sed elementa sunt partes ejusdemque generis cum eo cujus sunt Elementa.*

4. Cur Medici non à principiis, quemadmodum Physici, suam ordiuntur doctrinam?

Medici sunt artifices sensitivi, & circa sensibilia tantum versantur. Ideò exiles de principiis disputationes, utpote cujus nulla sit utilitas, nec ad conservationem, nec ad instaurationem sanitatis, negligunt, & ab Elementis quæ in humano corpore sensibiliter percipiuntur, suam auspicantur doctrinam. Id quod Galenus lib. 5. de Hippocratis & Platonis placitis *disertè testatur, inquiens: Hippocrates ne elementa quidem nominavit, sed tantum ex eorum concursu & confusione corpora oriri asserit, nilque ultra hæc, cum nulla id postularet necessitas, sibi progrediendum putavit, quippe qui activam solùm, speculativam minimè tractaret. Satis esse igitur judicavit ad sanitatis conservationem, morborumque medelam, si cognoscamus ex calidi, frigidi, humidi & sicci temperatura sanitatem effici, ex horum contrà intemperie morbos animalibus accidere. Avicenna* prima Fen. lib. 1. *Vtrum, inquit, sint vel non sint principia, non interest Medico, sed debet in hac parte credere Physicæ sapientiæ.*

Principiorum cognitio Medico inutilis.

5. Possuntne sensu deprehendi Elementa in corpore humano?

Elementa quatenus sunt pura & simplicissima corpora, sensu dijudicari non possunt, nec talia in corporibus mixtis reperiuntur, sed quatenus sunt inter se confusa & mixta, ex eorum qualitatibus sensu tactus facilè deprehenduntur. Caliditas enim & levitas ignem: humiditas & penetrabilitas aërem, frigiditas & maditas aquam, siccitas & gravitas terram in corporibus inesse arguit. Sincera tamen esse uspiam Elementa, ex quibus hæc impura sive mixta profluxerunt, minimè negandum est.

Elementa in mixtis esse tactu cognoscimus.

6. Quæ qualitates sunt singulis Elementis propriæ?

Indidit Deus in prima creatione singulorum Elementorum substantiis binas qualitates, propriam & excellentem unam, quæ speciem corpori Elementari largitur, & communem ac remissam alteram, per quam quodlibet Elementum facilè transmutatur in vicinum. Igni inest extrema caliditas, & remissior siccitas: in aëre inest summa humiditas & remissa caliditas: aquæ inhæret excellentissima frigiditas & remissior humiditas: terra verò est siccissima, sed remissè frigida. Igni & aëri communis est caliditas: aëri & aquæ humiditas; aquæ & terræ frigiditas; terræ & igni siccitas. Per eas communes qualitates facilis fit unius Elementi in alterius vicini naturam transmutatio, quæ causa est generationis & corruptionis. Difficilè verò conjunguntur & transmutantur Elementa quæ ambabus qualitatibus inter se pugnant; ut ignis & aqua pugnant inter se caliditate & frigiditate, siccitate & humiditate, aër & terra humiditate & siccitate & frigiditate.

Elementorum qualitates propriæ.

Nexus elementorum.

7. Elementa quomodo constituunt corpus humanum?

Mixtione. Ex convenienti enim quatuor Elementorum commixtione, ut alia omnia, ita etiam corpus humanum constituitur, & per resolutionem in eadem resolvitur. Est autem mixtio diversorum Elementorum, seu rerum missibilium per alterationem & confusionem in unum corpus concretio. Fit autem mixtio quando Elementa alterata & contemperata & ad mediocritatem ac certam proportionem mutua actione & passione qualitatum reducta sunt, & ex eis pro ratione mixtionis unum aliquod singulare corpus, quod nec ignis, nec aëris, nec aquæ nec terræ formam refert, producitur. Oportet autem Elementa miscibilia qualitatibus paribus quodammodo concurrere & inter se certa mixtione pugnare.

Mixtio quid.

8. In mixtione Elementorum & productione corporis humani, ſubſtantiæne Elementorum an qualitates tantum totis totæ miſcentur; & utrum manent ſubſtantiæ Elementorum in corpore humano?

Elementa quomodo in miſtis.

Variant ſententiæ Autorum in hac quæſtione; ſed doctiſſimi quiq; Medici, inter quos eſt Fernelius & Montanus, *ſubſtantias quidem Elementorum in minutiſſimas partes quas in farinam per alterationem diſtrahi, & inter ſe continua appoſitione connecti, ſed totas totis miſceri minimè poſſe ajunt, qualitates verò eorum totas totis conſummatiſſimè permiſceri & per totius compoſiti molem æqualiter diſtendi afferunt. Manent itaque in corporibus Elementorum ſubſtantiæ, ſed in minutiſſimas partes & quaſi in farinam contractæ, & rurſus ſibi invicem appoſitæ & unitæ ac quaſi interceptæ mutata qualitatum pugnantia, ita ut priſtinas ſuas vires exerere minimè queant. In corporibus enim noſtris nec ignis urit, nec aqua refrigerat, ſed ſola potentia in mixtis remanet.*

9. Quam utilitatem præſtat Medico doctrina de Elementis?

Vtilitas Elementorum.

Vt inde cognoſcat quæ ſint principia corporis humani, & ad legitimam ac convenientem Elementorum in corpore temperaturam, conſequi ſanitatem, ex eorum verò vitioſa & depravata mixtione morbos accidere.

SECTIO III.

De TEMPERAMENTO.

Secunda res Naturalis ſive quæ ad conſtitutionem humanæ naturæ requiritur, eſt Temperamentum, quod ſoboles, & propago eſt mixtorum inter ſe Elementorum.

1. Quid eſt Temperamentum.

Temperamentum quid.

Κρᾶσις, *Temperies ſeu Temperamentum ſive complexio eſt conveniens quatuor Elementorum, ſeu calidi, humidi, frigidi & ſicci commixtio: Sive potius eſt harmonia quatuor primarum qualitatum ex convenienti Elementorum mixtione orta.*

2. Ex quatuor Elementorum commixtione in corporibus quot oriuntur Temperamentorum ſpecies?

Temperamenti prima differentia.

Ex elementorum aptâ analogâ commixtione novem in univerſum oriuntur temperamentorum differentiæ, unum temperatum, & octo diſtemperata, ut ſequens tabella oſtendit.

Tabella I. Temperamentorum.

Ex mixtione 4. elementorum, 9. reſultant temperamentorum ſpecies,
- *Vnum Temperatum, quod eſt temperatum ad pondus, ſeu ſecundum æquam menſuram qualitatum ad juſtitiam ſeu naturæ corporum convenientiam.*
- *Octo Diſtemperata, quorum*
  - *4. ſunt ſimplicia,*
    - *Calidum,*
    - *Frigidum,*
    - *Humidum,*
    - *Siccum.*
  - *4. ſunt compoſita,*
    - *Calidum & humidum,*
    - *Calidum & ſiccum,*
    - *Frigidum & humidum,*
    - *Frigidum & ſiccum.*

Tabella II. Temperamentorum.

Corpora hominum { *Calida, Humida, Frigida, Sicca,* } *duobus modis dicuntur,*
- I. *Abſolutè, id eſt ad nullum corpus collata, ſed per ſe conſiderata.*
- II. *Per collationem ad alia corpora ejuſdem vel alterius generis ac ſpeciei.*

3. Humanum corpus quot modis dicitur temperatum?

Temperatum ad pondus.

Corpus temperatum, Græcis εὔκρατον καὶ σύμμετρον, *duplici ratione dicitur, temperatum*

tum ad pondus, & temperatum ad justitiam. Temperata ad pondus dicuntur corpora, in quibus prorsus æqualis est omnium quatuor qualitatum mensura, nec alia qualitas excellit aliam. Sed tale corporis Temperamentum cogitatione potius imaginari potest, quam quod revera existat, momentaneum est tantum teste Galeno lib. 1. de Temperament.

Temperatum ad justitiam.

Temperata ad justitiam sive ad naturæ convenientiam dicuntur corpora in quibus non est præcisè æqualis qualitatum mensura, sed talis est proportio in mistione, qualis singularum rerum corporibus convenit, non obstante, si alia qualitas aliam excedat, modo talis sit harmonia earum, ut naturæ corporum convenientes edere queat actiones. Et ita homo temperatus dicitur, si sanitate illæsa fruatur & partes singulæ corporis suas operationes inculpatè perficiant. Sic serpens animal frigidissimum, si inculpatè serpat, temperatus est ad justitiam, quia exuberans ejus frigiditas naturæ serpentis convenit. Etsi itaque omnium hominum corpora ab æquali pondere Temperamenti recesserunt, alia magis, alia minus, & alia in caliditate, alia in frigiditate, humiditate, siccitate, excellant, tamen donec salubria sunt & inculpatas edunt actiones, temperata ad justitiam sunt & dicuntur. Illa tamen magis sunt temperata, & magis salubria, quæ propinquius accedunt ad Temperamentum æqualitatis.

4. Quot sunt Temperamenta distemperata, & quot modis dicuntur corpora distemperata?

Temperamenta distemperata 8.

Octo sunt temperamenta corporum quæ distemperata dicuntur, quatuor simplicia, calidum, frigidum, humidum & siccum: & quatuor composita, calidum & humidum, calidum & siccum, frigidum & humidum, frigidum & siccum: ex quarum qualitatum distemperantia, omnia corpora omnium hominum temperamenti sui denominationem habent, ut alia calida, alia frigida, alia humida, alia sicca, dicantur; Bifariam autem talia dicuntur corpora, absolutè, id est, per se considerata, & per collationem cum aliis corporibus ejusque generis & speciei, ut corpora masculorum calidiora sunt corporibus fœminarum.

5. Corporisne universi, aut partium tantum Temperamenta Medico sunt cognoscenda?

Primum totius corporis ἰδιοσυγκρασία, *id est propria & congenita temperies, deinde & principalium ac similarium partium Temperamenta Medico futuro sunt probè cognoscenda, qui velit artificiosè sanitatem similibus conservare, & morbos contrariis fugare, & singulis partibus convenientia pharmaca applicare, congenitam verò singularum partium Seriem sequens proponit Tabella.*

Similarium partium temperamenta.

Tabella III. Temperamentorum.

Cutis partium corporis temperatissima ad illam, alia sunt comparatè
- *Calida,*
  - *Cor,*
  - *Caro,*
  - *Epar,*
  - *Lien,*
  - *Renes,*
  - *Adeps,*
  - *Pinguedo.*
- *Frigida,*
  - *Cerebrum,*
  - *Spinæ medulla,*
  - *Membrana,*
  - *Nervi,*
  - *Venæ,*
  - *Arteriæ,*
  - *Ligamenta,*
  - *Cartilago,*
  - *Ossa.*
- *Humida,*
  - *Cor,*
  - *Caro,*
  - *Epar,*
  - *Lien,*
  - *Renes,*
  - *Pulmo,*
  - *Cerebrum,*
  - *Spinæ medulla,*
  - *Testes,*
  - *Pinguedo.*
- *Sicca,*
  - *Nervi,*
  - *Venæ,*
  - *Membrana,*
  - *Tendines,*
  - *Ligamenta,*
  - *Cartilago,*
  - *Ossa.*

Orga-

Organicarum partium temperamenta.

Organicarum compositarumque partium temperamenta, ex similarium, è quibus sunt constructæ & commoderatæ, temperamento æstimanda erunt: Vt ventriculus & intestina sunt temperamento frigida & sicca, quia magna ex parte constant ex membranis & nervis. Musculorum temperamentum est calidum & humidum, quia constant ex carne & venis: Aures & nares sunt temperamento frigidæ & siccæ, quia constant magna ex parte ex cartilagine & membranis.

6. Ex quibus indiciis Temperamentum totius corporis est cognoscendum?

Triplex indicium temperamenti corporis.

Primum ex cutis constitutione; ἔυκρατον enim, id est optimè temperatum corpus cutem habere debet medio modo constitutam, quæ neque sit densa, neque rara, neque dura, neque mollis; nec hirsuta nec prorsus glabra, & quæ apta est ad externas injurias tolerandas. Secundò ex inculpata actione; Temperatum enim corpus aptissimum est ad omnia munia & officia peragenda. Tertiò ex moribus, Temperata siquidem corpora moribus sunt quoque temperatissimis & amabilibus. Quæ verò corpora à puncto temperati temperamenti, vel in caliditate, vel frigiditate, humiditate vel siccitate longius recesserunt, id vel ex tactu volæ manus deprehendere licet, vel ex habitu corporis: ἔυσαρκα enim sive carnosa corpora calida sunt, obesa & pinguia frigida, gracilia & tenuia calida & sicca: Vel ex motu & actionibus; Celeritas enim in motu calidam, tarditas & segnities frigidam corporis intemperiem ostendit, humiditas hebetat actiones, caliditas verò acuit: Vel ex humoris in corpore exuberantia; Sanguinea enim corpora calida sunt & humida; pituitosa, frigida & humida; biliosa, calida & sicca; melancholica, frigida & sicca. A colore autem corporis, redundantia potius humoris in corpore quam ipsum temperamentum ostenditur.

Vide Galeni artem Medicinalem.

7. Ex quibus indiciis principalium partium temperies est judicanda?

Signa temperamenti partium principum.

Principalium partium, cerebri, cordis, epatis, ventriculi, adeoque omnium organorum εὐκρασία seu bona temperies ex propriis functionibus dignoscitur. Qui enim bene ratiocinatur ac judicat & omnes sensus habet inculpatos, is cerebri bonam habet temperiem. Sic bona concoctio & transmutatio alimenti in chylum, ventriculi; & chyli proba conversio in sanguinem, epatis demonstrat convenientem temperiem: ita & de aliis organis ex inculpata actione est judicandum.

8. Poteſtne congenita Temperies corporum immutari?

Etsi Temperamenta corporum subinde à variis causis à sua commoderatione decedant & immutentur, tamen insitæ cujusque temperamenti reliquiæ semper manent in corporibus; & ex quavis levi occasione ad eam rursus redire corpora possunt. Hinc est quod Hippocrates secundo Aphoris. 25. dicit, *per morbos minus periclitari eos quorum naturæ id est. Temperamento morbus convenit, quam quibus non convenit.*

9. Quibus potiſſimum ex cauſis immutantur Temperamenta corporum congenita?

Quæ temperamentum reddunt calidius & frigidius.

A nativo temperamento recedunt & immutantur sæpe corpora variis ex causis tum internis tum externis, in quibus sunt, victus ratio, animi perturbatio, aëris ambientis constitutio, genus vitæ seu exercitium, regionum diversitas, anni partium constitutio & ætas. Nam à pleniore cibo & vini assidua potione, ab excandescentia, ab æstu ambientis aëris, à laborioso vitæ genere, calidiora evadunt corpora etiamsi sint frigidiora, & ex contrariis causis refrigerantur calidiora; quæ tamen temperamenti mutatio facilè rursum redit ad congenitam temperiem.

Temperamenti mutatio durabilior.

Verùm quæ ex constitutione partium anni, ex regionum natura, & ex humoris cujuspiam in corpore redundantia oritur, temperamenti mutatio, durabilior est. Omnium autem stabilissima & permanens fit Temperamenti mutatio, quæ per ætatum differentias in corpora irrepit, adeo ut ea nulla arte nullaque industria rursus in priorem statum congeniti temperamenti reduci queat.

10. Quomodo mutantur Temperamenta corporum per partes Anni?

Anni tempora ut

Quatuor sunt anni partes temperamentis inter se differentes, Ver, Galeno temperatum,

immutent corporis temperiem.

aliis calidum & humidum, Æstas calida & sicca, Autumnus frigidus & siccus sed inæqualiter, Hyems frigida & sicca. Corpora itaque in vere sunt temperata: in Æstate vero exteriores corporis partes sunt calidæ, internæ vero frigidæ: in Autumno sunt intemperatoria ad frigiditatemque magis declinantia: in Hyeme contrario modo habent quam in æstate. Externæ enim partes frigent, internæ vero sunt calidæ.

11. Quomodo mutantur corporum Temperamenta per Regionum varietatem?

Hominum temperamenta pro locorum varietate immutantur.

Temperamenta corporum mutantur & per varietatem regionum, idque potissimum ratione constitutionis aëris. In regionibus Temperatis, veluti sunt Asia, Græcia & Italia, corpora sunt magis temperata, & ideo, teste Hippocrate, omnia nascuntur majora & pulchriora & hominum mores sunt mitiores & ingenia ad studia literarum aptiora. In frigidis autem regionibus quales sunt Gallia, Germania & loca Septentrionalia, hominum corpora sunt frigidiora, mollia, alba, & glabra, quorum exteriora facile frigent, interiora vero intensè calent. Hinc homines ibi sunt moribus ferociores & animosiores. In calidis vero regionibus quales sunt India, Aphrica, Æthyopia, corpora sunt calidiora & torridiora, parva, gracilia, aspera, nigra, & crispa, Hippocrates in lib. de Aëre loc. & aq.

12. Quomodo mutantur Temperamenta corporum ex redundantia humoris cujuspiam?

Corpora in quibus redundat sanguis, calida sunt & humida; in quibus bilis flava, calida & sicca; in quibus pituita, frigida & humida; in quibus melancholicus humor, frigida & sicca.

13. Per ætates quomodo mutantur corporum Temperamenta?

Ætatis mutatio temperamentum immutat.

Ætas, id est vitæ curriculum usque ad extremum Spiritum per suas partes manifestè humani corporis constitutionem per se suoque motu mutat, & nec impediri, nec prior constitutio vel temperies corpori ulla arte restitui potest. Sunt autem hominum corpora à primo ortu humidissima & moderatè calida, quæ humiditas in corporibus usque ad ultimam senectam sensim decrescit, eique siccitas major atque major succedit. Calor vero primogenitus usque ad consistentem ætatem crescit & augetur & ab ἀκμῇ rursum ad vitæ terminum paulatim decrescit, cui succedit augeturque frigiditas. Et ita in Exordio vitæ corpora sunt humidissima & calida, in decrepita vero ætate fiunt siccissima & frigida, donec mors irrepat. Sunt autem ætatum differentiæ sive partes, quæ singulæ diversos gradus temperamenti corporibus inducunt, si rectè perpendantur vel ex Galeni sententia numero 9.

Ætatum differentiæ.

I. Infantia, Græcis νηπιότης τῶν νεογένων, quæ durat à primo ortu usque ad quartum annum, in qua corpora sunt humidissima & moderatè calida. II. Est pueritia, Græcis ἡλικία παίδων, quæ durat ad decimum quartum usque annum, in qua corpora sunt paulo calidiora & paululum humidiora quam in Infantia. III. Est Pubertas, Græcis ἥβη. Hæc durat ab anno decimo quarto ad decimum octavum usque annum, constituta corpora in ea ætate sunt minus humida, sed calidiora quam in præcedentibus ætatibus. IV. Est Adolescentia μειρακίων, quæ protrahitur ab anno decimo octavo usque ad vigesimum quintum: in eâ corpora sunt calidiora, sed minus humida quam erant in Pubertate. V. Est Iuventa, Græcis ἀκμαζόντων, unde & ἀκμὴ, id est florens & vigens ætas, quæ ab anno vigesimo quinto incipit & durat ad annum trigesimum quintum: in ea calidiora sunt & minus humida corpora quam in præcedentibus. VI. Est constans, subsistens & media ætas, Græcis καθεστηκεία, quæ durat à 35. anno, usque ad 50. corpora in ea sunt in humiditate & siccitate temperata, sed caliditas paulo excellit frigiditatem, in fine hujus ætatis vires decrescere incipiunt. VII. Est ætas ingravescens, Græcis ὠμογερόντων, quæ protenditur ab anno 50. usque ad 60. in ea constituta corpora moderatè frigida sunt & sicca. VIII. Est senecta, Græcis γερόντων seu πρεσβυτῶν, quæ incipit à 60. & durat ad 70. usque annum: corpora in eo constituta jam sensibiliter frigida sunt & sicca. IX. Et postrema ætas, Decrepita durat à 70. anno usque ad

Vide Gal. l. 2. de Temperam.

finem

finem vitæ, in eo constituta corpora sunt frigidissima & siccissima.

14. Temperamenta Corporum habentne aliquam vim in regendis moribus?

Mores sequi corporis temperamentum.

Galenus disertè docet lib. cui Titulum fecit, Quod animi mores sequantur corporis Temperiem, & bonos & vitiosos mores oriri ex corporis Temperie, *ita enim inquit, Quemadmodum ex cibo & potu & quotidianis exercitationibus bonam corporis conciliamus temperiem, sic etiam ex bona temperie ad virtutem animi comparandam plurimum emolumenti acquirimus. Nam & Plato humiditatem cerebri amentiæ siccitatemque prudentiæ causam esse dicit. Et paulo post: Ex vitioso corporis habitu ægrotare animam luce clarius in Melancholica insania & furoribus apparet.*

SECTIO IV.
De HUMORIBUS.


Natura humana ex tribus constat.

Humores in corpore humano sunt tertia res quæ ad constitutionem humanæ naturæ requiruntur, quos Hippocrates contenta vocat. Totam enim naturam humanam ex tribus constare ait, ex continentibus, contentis, & motum sive impetum facientibus. Per continentia intelligit solidas corporis partes, per contenta humores, & per motum sive impetum facientia Spiritus & animam, lib: 6. c. 8. *Epidemiorum, t.*19.

1. Quid sunt Humores?

Quicquid in corpore humano liquidum profluensque continetur, id omne ὑγρὸν, latinis humor nominatur. Differunt autem inter se humores corporis in genere & specie, ut tabella subjuncta ostendit.

TABULA HUMORUM CORPORIS HUMANI.



haben-

habentur genera: sunt enim vel

II. *Alimentarii, qui ex alimentis intra corpus assumptis generantur: & sunt aut*

- *Naturales in venis confusi, & sanguinis nomine continentur: ut*
  - *Sanguis, Pituita, Flava bilis, Atra bilis.*
  - *Ex naturalibus humoribus antequam fiat instrumentum, fiunt secundarii humores,*
    - *Sine nomine, seu oleaginosus, Roridus, Gluten, Cambion.*
- *Praeternaturales & morbifici: ut*
  - *Sanguis*: *Putrescens, Serosus, Pituitosus, Biliosus* — *in venis.*
  - *Pituita*: *Acida, Salsa* — *in venis,* *Cruda in cerebro,* *Vitrea, Gypsea* — *in Articulis.*
  - *Bilis flava*: *Adusta, Pallida, Vitellina* — *in Epate,* *Porracea, Æruginosa, Cœrulea* — *in ventriculo,*
  - *Bilis atra*: *Sanguinis, Flavæ bilis, Atræ bilis* — *per adustionem in ortu.*

III. *Excrementitii, qui ex alimentariis secernuntur, & sunt aut*

- *Vtiles,*
  - *Bilis flava in propriâ vesicâ, Bilis atra in liene, Saliva in tonsillis & faucibus, Lac in mammis.*
- *Inutiles,*
  - *Sudor, Vrina, Mucus narium, Sanguis menstruus,*
  - *Pituitosa excrementa, collecta in*: *Cerebro. Ventriculo, Intestinis.*

2. Quot sunt humorum Genera in corpore humano?

Tria Humorum genera continentur in corpore humano, humores Elementares, Alimentarii & excrementitii.

3. Quid sunt Humores Elementares? Humorum differentiæ.

Humores Elementares sunt purissimæ partes

tes seminis ex elaboratissimo alimentariorum humore orti & in semen commutati: continentur enim in semine parentum una cum spiritu & calido innato quatuor humores, Sanguis, Pituita, Flava & Atra bilis, quatuor Elementis natura respondentes ex quibus tanquam ex elementis omnes corporis partes à natura in utero conformantur. Ex aërea enim seminis portione generantur partes Sanguineæ, ut Caro, Cor, Epar, Pulmo, Lien, Renes; ex aquea parte conformantur partes pituitosæ, cerebrum, spinalis medulla, nervi, venæ, Arteriæ, membranæ; ex terrestri autem seminis parte generantur partes corporis melancholicæ, ossa, cartilagines, ligamenta & tendines; verum ex ignea seu biliosa parte seminis nullum membrum producitur, sed ejus usus est, ut tenui humiditate ejus, post partium conformationem, omnes particulæ illitæ poliantur & abstergantur.

4. Quid est humor congenitus sive humidum Radicale?

Humidum radicale.

Humidum primigenium seu Radicale Galenus ὑγρὸν σύμφυτον καὶ κατὰ φύσιν *vocat, & nihil aliud est quam purissimæ post partium corporis in utero informationem, humorum Elementarium reliquiæ per totas substantias omnium partium instar purissimi olei diffusæ ac dispersæ, quæ subjectum & pabulum caloris & spiritus innati. Calor autem & spiritus innatus & humidum radicale ab invicem sine interitu animantis separari nunquam possunt. Hujus humidi diminutio est causa senii, consumptio autem causa mortis. Rigatur & fovetur humidum radicale humorum secundariorum reliquiis, ut audiemus.*

Tabella Humorum Alimentariorum & secundariorum.

In venis mixti habentur,	*Sanguis,*
	Pituita,
	Atra bilis,
	Flava bilis.
Extra venas prolapsi fiunt secundarii humores,	*Oleagineus,*
	Roridus,
	Glutinosus,
	Cambion.
Mutantur in partium substantias per	*Appositionem,*
	Agglutinationem,
	Assimilationem.

5. Quid sunt Humores Alimentarii?

Alimentarii humores sunt, qui ex assumptis intra corpus alimentis à calore nativo generantur, & simul mixti in venis sub nomine sanguinis eoque visu non nisi sanguis deprehendatur, continentur. Non est enim sincerus sanguis in corpore, sed constat ex quatuor humoribus, substantia, Temperamento & usu differentibus, sanguine, pituita, bile flava, & bile atra. In hac massa & confusione humorum maxima pars sanguis est. Sanguine minor pituita, pituitâ minor atra bilis, omnium minima flava bilis, nutritioni ineptissima. Ex his Humoribus extra venas in partium substantias elapsis, fiunt secundarii humores, oleagineus, roridus, glutinosus, & Cambion, qui triplici ordine per appositionem, agglutinationem & assimilationem transeunt in substantiam partium corporis. Proportio humorum in sanguinea massa.

9. Quid sunt humores Secundarii?

Humores secundarii ipsissimi alimentarii humores exactissimè à nativo calore concocti & ex orificiis venarum prolapsi, partibusque nutriendis appositi, qui, quia antequam in partium substantiam convertantur, quater mutant suam formam, à sanguinis forma: Avicenna, quatuor peculiaria nomina uni & eidem substantiæ indidit, & humorem sine nomine, Ros, Gluten, & Cambion appellavit. Purissimis reliquiis secundariorum humorum post nutritionem rigatur ac fovetur humidum Radicale, & ex iisdem generatur semen in vasis spermaticis. Secundarii humores 4.

7. Quæ est natura, temperamentum & usus humorum alimentariorum, & quos suo incremento efficiunt mores?

Αἷμα, Sanguis est purior pars sanguineæ massæ in venis contentæ, temperamento moderatè calidus & humidus, aëreæ naturæ, colore rubeus, sapore dulcis, usus ejus est partes sanguineas nutrire, & vitali spiritui materiam præbere. In quibus corporibus sanguis excellit, Humorum usus & effectus.

excellit, in iis efficit mores moderatos ridibundos, & reddit homines ingenio simplices & candidos, corpore autem venustos & floridos. Sanguinei simplices.

Φλέγμα, Pituita nihil est aliud quam crudior pars sanguinis quæ apta est ut in sanguinem convertatur, temperamento frigida & humida, aquæ naturam præ se ferens, colore alba, sapore insipida: usus pituitæ est ut nutriat pituitosas partes, & sit materia sanguinis puri, quæ si excellat in venis, efficit homines segnes, somnolentos, obesos & cito canescentes, ingenia reddit tarda & hebeta, cutem corporis albam. Phlegmatici segnes.

Χολὴ ξανθὴ, bilis flava tenuissima & calidissima pars sanguineæ massæ, temperamento est calida & sicca, igni respondens, colore flava, sapore amara, usus ejus est ut sanguineam massam calidiorem retineat & à putrefactione arceat. (Non enim nutrit bilis.) Quæ si copia sua naturalem mensuram in venis excedat, homines efficit cito excandescentes, quorum tamen ira statim mitescit & evanescit, ingenia sagacia ad artes inveniendas apta reddit, corpora verò macilenta & hirsuta efficit. Biliosi sagaces.

Μέλαινα χολὴ sive μέλας χυλὸς, atra bilis sive succus melancholicus, est crassior sanguineæ massæ pars, temperamento frigida & sicca terræ naturæ respondens, colore subnigra, sapore acida. Usus ejus est terrestres corporis partes nutrire & sanguinem & spiritus stabiliores reddere, quæ si moderatè excellat in venis est causa sapientiæ & constantiæ, sed reddit homines rigidiores, subtristes & semper alta meditantes, corpus afficit subnigro colore. Melancholici sapientes.

8. Qui sunt Humores Præternaturales & vitiosi in corpore humano?

Vitiosi & præternaturales adeoque morbifici humores, fiunt omnes alimentarii humores, & in venis & in aliis corporis meatibus; si vel naturalem suam qualitatem, id est temperiem amittant, & calidiores, frigidiores, fluidiores, liquidiores, densioresque justo evadant, putridique efficiantur, vel ubi quantitate ultra justam naturæque suæ convenientem proportionem augentur vel omnes simul, vel singuli per se, quorum si unicus excedat naturalem quantitatem & mensuram, corpus efficit κακοχυμικὸν, id est mali succi: si omnes simul increscant, corpus reddit πληθωρικὸν, id est humoribus redundans. Præternaturalium humorum differentias & in quibus generentur locis, sequens tabella proponit. Humores morbifici. κακοχυμία. πληθώρα.

Tabula Humorum vitiosorum.

Humores præternaturales:

- *Sanguis*: *Putrescens*, *Serosus*, *Pituitosus*, *Biliosus*, *Melancholicus* — *in venis.*
- *Pituita*:
  - *Acida*, *Salsa* — *in venis.*
  - *Cruda in cerebro.*
  - *Vitrea*, *Gypsea* — *in articulis & intestinis.*
- *Flava bilis*:
  - *Pallida*, *Vitellina*, *Adusta* — *in Epate.*
  - *Porracea*, *Æruginosa*, *Cærulea* — *in ventriculo.*
- *Atra bilis*: *Sanguinis*, *Flavæ bilis*, *Atræ bilis* — *in venis per adustionem.*

Qui ſunt excrementitii Humores?

Humores excrementitii. *Excrementitii humores ſunt, qui ab humoribus alimentariis in purificatione eorum, veluti ſuperfluitates in peculiaria receptacula ſegregantur, ac deinde virtute expulſiva partium ex corpore excutiuntur, quorum differentias ſequens tabella ob oculos ponit.*

Tabella Humorum excrementitiorum.

Humores Excrementitii ſunt aut
- *Vtiles,*
  - *Bilis flava in viſcula fellis,*
  - *Atra bilis in ſplene,*
  - *Saliva circa tonſillas,*
  - *Lac in mammis.*
- *Inutiles,*
  - *Sudor,*
  - *Vrina,*
  - *Pituitoſum excrementum in*
    - *cerebro,*
    - *ventriculo,*
    - *inteſtinis.*
  - *Sanguis Menſtruus.*

SECTIO V.

DE PARTIBUS CORPORIS HUMANI.

Quarta res naturam humanam conſtituens, ſunt partes humani corporis, quæ ut paulo ante dictum eſt, in conformatione noſtri ex humoribus Elementariis, quæ in parentum ſemine potentia continentur, in utero generantur ac ſuccreſcunt, & ſua connexione integrum corpus conſtituunt.

1. Pars humani corporis quid eſt?

Pars quid *Μέρ⊕, pars, membrum, locus, organum, ſynonyma ſunt: Eſt autem pars humani corporis, corpus toti cohærens communique vita conjunctum ad totius corporis uſum & ad aliquam actionem perficiendam comparatum. Proinde nec ſanguis nec humores reliqui in venis, nec ſpiritus vitales in arteriis, nec adeps, nec pili, nec ungues propriè partes dici poſſunt, Fernelio autore.*

Vide Scal. exerc. 280 d. 2. qui ſpiritus Partes eſſe vult.

2. Corpus humanum quotupliciter dividitur in ſuas partes?

Vniverſum corpus tripliciter in ſuas partes dividitur. Primum dividitur in partes ſimilares ſeu ſimplices, & diſſimilares ſeu compoſitas ſive organicas. Secundo dividitur in partes principales, & partes principalibus ſubſervientes. Tertio dividitur in tres magnas cavitates ſeu capacitates & Artus ſive extremitates.

Partium primæ differentiæ.

3. Quæ ſunt partes ſimilares & quæ diſſimilares?


Partes ſimilares. *Partes ſimilares ſive ſimplices, Græcis ὁμοιομερεῖς, quas Galenus ſenſibilia corporis Elementa vocat, ſunt quæ in ſimiles ſibi partes ſemper dividuntur, id eſt, quarum ſingulæ ſi in partes diſſecentur, quælibet particula eandem habet ſubſtantiam, naturam, & appellationem cum ſuo toto. Dicuntur & primæ partes, quia hæ in corporis conformatione primum ex ſemine producuntur, & tandem ex earum compactione omnes aliæ diſſimilares partes generantur. Sunt autem partes ſimilares in univerſum numero decem, Venæ, Arteriæ, Nervi, Ligamenta, Tendines, Membranæ, Cartilagines, Oſſa, Caro, Cutis.* Diſſimilares. *Diſſimilares ſive compoſitæ partes, Græcis ἑτερογενεῖς καὶ ὀργανικὰ μέρεα, id eſt diverſi generis & inſtrumentales partes ſunt omnes reliquæ corporis partes quæ ex ſimilaribus enumeratis ſunt compoſitæ, quæ non poſſunt diſſecari in ſimiles ſibi ipſis partes, neque retinent naturam ac nomen totius cum diſſecantur, ut manus, pedes, facies &c. quæ ſi dividantur, earum partes non ſunt nec dicuntur manus, pedes, facies &c.*

4. Quæ ſunt partes principales, & quæ eiſdem miniſtrantes?


Partium inſtrumentalium quatuor ſunt princi-

Principales. *principales, ut Cerebrum, Cor, Epar & Testes, quibus aliæ quatuor quasi administræ subserviunt, Nervi, Arteriæ, venæ & vasa spermatica.* Cerebrum. *Cerebrum est principium & sedes Animæ ratiocinatricis spiritus animalis & potentiarum, Intellectivæ, Locomotivæ & Sensitivæ, cui nervi ex eodẽ orti subserviunt. Per nervos enim ex cerebro deferuntur Spiritus Animales ac vis movendi & sentiendi in omnes corporis particulas.* Cor. *Cor est principium ac fons vitæ & spirituum vitalium sedes, quod per arterias quæ ex corde originem ducunt tanquam administrans, omnes corporis particulas calefacit, fovet, vivificat, & spiritu vitali perfundit.* Epar. *Epar est principium & domicilium spirituum naturalium & potentiæ vegetativæ, officina sanguinis, ex quo producuntur venæ in omnes corporis partes distributæ, per quas Epar sanguinem tanquam per canales ad irrigandas & nutriendas omnes corporis partes distribuit.* Testes. *Testes sunt præcipua organa generationis, ideo jure inter partes principales numerantur; in his enim elaboratur & conficitur semen, sine quo nequit fieri speciei propagatio. His subserviunt vasa spermatica, quæ nihil aliud sunt quam venæ & Arteriæ simul conjunctæ & ad utrumque testiculum protensæ, quæ oriuntur ex majusculis ramis venæ cavæ & arteriæ magnæ renibus implantatæ, & quasi ministræ deferunt elaboratissimum & Spiritu refertum sanguinem ad testes, qui est materia seminis.*

1. Tabella partium corporis humani divisionis primæ.



2. Tabella partium secundæ divisionis.



3. Ta-

3. Tabella partium tertiæ diviſionis.

Corpus humanum dividitur in quatuor ſummas & maximas partes, reliquas omnes in ſe complectentes,
- *Caput,*
- *Thoracem,*
- *Ventrem,*
- *Artus.*

4. Tabella ſubdiviſionis quatuor maximarum partium humani corporis.

- *Capitis partes*
  - *Exteriores,*
    - *Caput, Vertex, Sinciput, Occiput, Tempora, Frons, Facies, Genæ, Oculi, Palpebræ, Cilia, Supercilia, Naſus, Aures, Labia, Os, Mentum.*
  - *Interiores,*
    - *Pericranion, Calva, Suturæ, Meninges, Cerebrum, Cerebellum, Ventriculi cerebri, Plexus retiformis, Venæ choroides, Nervi & proceſſus cenſoriorum, Palatum, Fauces, Lingua, Columella, Tonſillæ, Maxilla, Dentes, Gingivæ.*
- *Thoracis partes*
  - *Exteriores,*
    - *Cervix, Thorax, Dorſum, Spina dorſi, Vertebræ, Os ſacrum, Lumbi, Iuguli, Scapulæ, Sternon, Malum granatum, Coſtæ.*
  - *Interiores,*
    - *Larynx, Gula, Aſpera arteria, Pulmo, Pericardion, Cor, Arteria, Mediaſtinum, Diaphragma, Pleura.*
- *Ventris partes*
  - *Exteriores,*
    - *Abdomen, Venter, Vmbilicus, Ilia, Inguina, Pubes, Teſtes, Pudendum.*

Ventris partes { Interiores, { *Peritonæum, Omentum, Intestina, Ventriculus, Mesenterium, Panecreas, Iecur, Cystis fellis, Splen, Renes, Vreteres, Vesica, Vterus, Cotyledones, Vasa seminaria.*

Artuū partes, { Manuum, { *Manus, Humerus, Brachium, Cubitus, Vlna, Brachiale, Summa manus, Digiti, Vngues.*

Pedum, { *Pes magnus, Coxa, Nates, Femur, Genu, Poples, Patella, Sura, Crus, Tibia, Malleoli, Talus, Pes minor, Calcaneum, Planta pedis, Digiti.*

Observanda in singulis partibus.

5. In consideratione partium quæ sunt observanda?

In partium corporis humani tam Exteriorum quam Interiorum contemplatione observabunt Tyrones singularum partium substantiam, quantitatem, figuram, situm, connexionem, numerum, temperamentum & usum.

6. Da brevem explicationem similarium partium.

Venæ.

Φλέϐες, *venæ sunt corpora rotunda & instar canalis cava substantiam suam ex unica fibrosa tunica habentia. Venarum in corpore quatuor sunt genera origine & officio differentia: Vena cava, vena porta, vena arteriosa, & vena umbilici. Vena cava ex confluxu venarum capillarium, quibus substantia Epatis est referta, ex convexa parte Epatis oritur, & instar trunci arboris exsurgit, & prodiens ex Epate primum duos insignes ramos, ad singulos renes unum, qui venæ emulgentes dicuntur, extendit, ex quibus vasa seminaria dicta oriuntur.*

Vena cava.

Deinde reliqua pars trunci venæ cavæ septum transversum perforans ad cor ascendit, in ejusque dextrum thalamum ramum magnum & conspicuum infigit, ac tandem sursum ad jugulos repens iterum in duos ramos scinditur, quorum alter recurvatur per spinam dorsi usque ad plantam pedis deorsum repit, in omnesque partes dorsi & interiores & exteriores innumerabiles surculos distribuit: Alter vero ramus circa jugulum rursum in plures propagines divisus partim in caput, partim in brachia, partim in pectus & in pectore contenta viscera surculos suos mittit; harum officium & utilitas est sanguinem ex Epate ad omnes partes sibi cohærentes vehere.

Vena porta.

Secundum venarum genus est vena porta, quæ similis est trunco radicum arboris; hæc ex concava parte Epatis ex confluxu venarum capillarium prodit ac deorsum tendens ramos omnibus visceribus infra diaphragma contentis, veluti sunt ventriculus, omentum, intestina, Lien &c. communicat. Earum officium est sanguinem in partes subjectas vehere: verum surculi venæ portæ qui in μεσεντέριον & intestina sunt distributi & implantati, & qui venæ Mesaraicæ dicuntur, præterquam quod sanguinem vehunt, id quoque est earum officium ut χύλον, materiam sanguinis

Mesaraicæ.

guinis ex ventriculo & intestinis ad Epar deferant.

Vena arteriosa. *Tertium genus est vena Arteriosa, quæ nullam habet cognationem cum reliquis venis, sed ex dextro cordis thalamo orta suos ramos in solius pulmonis substantiam distribuit, illique alimentum, elaboratissimum in corpore sanguinem, subministrat; differt à reliquis venis, quia præter aliarum venarum naturam constat duabus tunicis.*

Vena umbilicalis. *Quartum venarum genus est vena umbilici, quæ planè est accidentalis ex alieno corpore in nostrum defixa. Hæc siquidem ex venis uteri materni orta, per umbilicum fœtus in corpus ejus intrat, & in Epar fœtus inseritur, per quam toto gestationis tempore fœtus sanguine materno nutritur, cujus in infantibus natis nullus amplius est usus, ideo in progressu temporis in corpore emarcescit & in nerveum ligamentum degenerat.*

ARTERIÆ.

Ἀρτηρίαι sunt canales venis similes, teretes & concavi, quarum substantia constat ex duabus fibrosis tunicis, quarum exterior crassitie est similis venarum tunicis, sed interior quintuplo est crassior. Tribus autem canalium generibus tribuitur Arteriæ appellatio, Arteria magna, quæ & levis dicitur Arteria, Arteria venosa, & Arteria Aspera, quæ inter se & substantia origine & officio differunt plurimum.

Aorta. *Arteria magna Græcis Aorta, est tanquam truncus arteriarum, quæ ex sinistro cordis ventriculo oritur, & ramos suos venarum ramis quasi conjuges jungit, & per omnes corporis partes distribuit. Harum usus & officium est, spiritum vitalem vitæ flammulam unà cum tenuissimo sanguine ex corde in omnes corporis partes vehere ac diffundere; hæ vivente homine semper ad cordis motum pulsant.*

Arteria venosa. *Arteria venosa ex concursu ramorum Arteriæ asperæ in Pulmone oritur, & in cordis sinistrum thalamum figitur; quæ præter naturam aliarum arteriarum ex una constat tunica: ejus officium est, aërem à pulmone per asperam arteriam attractum & præparatum tanquam pabulum spiritus vitalis subministrare, quo & æstus cordis mitigatur.*

Aspera arteria. *Aspera Arteria, τραχεῖα ἀρτηρία ex membranis & cartilagineis orbibus & semiorbibus constat, & fistulæ figuram refert: ejus caput λάρυγξ, id est, guttur nominatur, quæ initium sumit à faucibus & per anteriorem cervicis partem in pulmonem descendens ramos duriusculos per substantiam pulmonis distribuit. Ejus usus est, & aërem per respirationem attractum pulmoni afferre, & vocis organum esse.*

NERVI.

Νεῦροι sunt instar venarum & arteriarum oblonga, alba & mucosa corpora, quæ duabus tenuissimis membranis ex meningibus ortis sunt vestita. Nervorum duplex est differentia, sunt enim aut molles aut duri, & in universum 37. paria in infinitos ramos dissecta numerantur, quorum 7. paria quæ mollia sunt ex cerebro, 30. autem paria duriora ex spinali medulla ortum ducunt. Primum par eorum qui ex cerebro oriuntur, omnium sunt mollissimi & soli cavi esse deprehenduntur, qui in oculos diriguntur, & hinc Nervi ὀπτικοὶ nominantur. Secundum par ramos suos in oculorum musculos spargit. Tertium par gingivis, dentium radicibus, labris & naribus suos ramos communicat. Quartum par per palati tunicam dispergitur. Quintum par in foramina aurium fertur, & in tenuissimam tunicam extenditur, quæ est organum auditus. Sextum par suos ramos in ventriculum, in cor, in pulmonem & thoracis musculos distribuit. Septimum par in linguæ musculos divisum est. Reliquorum 30. parium ex foraminibus vertebrarum ortorum rami in omnes proximas sibi partes sparguntur. Omnium nervorum usus & officium est motum & sensum singulis partibus impartiri, id quod Galenus lib. 5. c. 8. de usu partium *his verbis testatur*; Tres scopi naturæ in nervorum distributione fuerunt; Primus quidem ut instrumentis sensoriis sensum imperteret; Alter ut motoriis motum; Tertius ut omnibus partibus quæ sibi dolorem inferunt, sensum suppeditaret.

7. Paria nervorum cerebri. Hisce neoterici octavum par addunt, quod inseritur in processus mammillares, & odoratorii nervi dicuntur. 30. Paria spinæ dorsi.

Nervorum triplex usus.

7. Quot

7. Quot modis inter se differunt Venæ, Arteriæ & Nervi?

Et Venæ & Arteriæ & Nervi canales sunt toti naturæ humanæ ministrantes, & communi appellatione Vasa nominantur. Differunt tamen inter se trifariam, originè, usu & substantia: Origine; Venæ enim ex Epate, arteriæ ex corde, nervi ex cerebro & spinali medulla oriuntur: Officio & usu; venæ vehunt sanguinem & spiritum naturalem, arteriæ spiritum vitalem cum tennissima parte sanguinis, nervi vehunt spiritum animalem: Substantia; venæ constant ex unicâ fibrosâ tunicâ, arteriæ ex duabus, nervorum autem mucosa est substantia, duabus tunicis inclusa. Venas Germani vocant Bluthadern/ *Arterias* Pulßadern/ *Nervos* Sehnadern.

Quando Nervi vel tendines in aliquo articulo corporis præcisi sunt, tum membrum vel articulus amittit motum, quia nervi & tendines non consolidantur.

TENDONES.

Τενόντες, Galenus ἀπονευρωσεῖς & chordas vocat; constant ex tenuibus nervorum & ligamentorum fibris, & nihil aliud sunt quam caudæ nervosæ musculorum, quibus musculi ossibus & cartilaginibus alligantur. Omnis enim musculus juxta suam originem excipit in se nervos & ligamenta, quæ deinde per carnosam musculorum substantiam in infinitas fibras dividuntur, & hæ circa fidem musculi rursum confluunt, & in unam quasi caudam coalescunt, quæ tendo sive cauda musculi nominatur, eo quod eorum officium est musculos tendere & contrahere, ad quam extensionem moventur articuli ossium, per hoc enim colligati sunt musculi articulationibus ossium.

LIGAMENTA.

Ligamenta seu vincula σύνδεσμοι sunt corpora tendonibus paulò duriora; flexibilia tamen ex cartilaginibus inter coarticulationes ossium sitis exorta: Usus eorum est articulos ossium inter se firmiter connectere, ne in vehementioribus motibus ossa ab invicem dimoveantur ac luxentur.

Ligamenta pleraque non sentiunt, exceptis illis quæ nervos acceperunt, ut quæ penè constituunt, linguam & & penem firmant.

MEMBRANÆ.

Membranæ ὑμένες, vel tunicæ, χιτῶνες, sive σκεπάσματα, tegumenta, sunt nervosæ partes, tenues ac latæ, quæ extendi & contrahi possunt. Membranæ plerumque cognominationem habent à partibus quas vestiunt, ut meninges sunt membranæ cerebrum tegentes, pericranion membrana calvam tegens, periostion membrana ossa ambiens &c. Membranarum omnium officium est tegere, vestire, continere, & ab aliis partibus suo interventu separare partes. Nulla enim est pars in toto corpore, quæ non sit aliqua membrana vestita, fulta, alligata & comprehensa.

CARTILAGINES.

Cartilagines χόνδροι sunt quasi imperfecta & non satis indurata ossa. Ossium extremitates & coarticulationes cartilagine sunt obducta & oblinitæ; quæ ideo lenes & lubricæ sunt, ut ossa in motibus ab attritu immunes sint.

OSSA.

Ossa, ὀστέα, sunt partes corporis ex terrestriori parte seminis in utero generatæ, omnium partium quas cutis tegit siccissimæ & durissimæ. Ossa omnia membranis venosis sunt obducta quæ περιόστια dicuntur, & per eas nutriuntur ossa. Universum corpus, Vesalio teste, constat 307. ossibus. Utilitas ossium est, fulcire & gestare totum corpus. Quod enim in tentorio præstant pali, id præstant in animalium corporibus ossa. Galenus libro 1. capite 2. de administratione anatomica.

Clariss. Pavius 253. ossa in universo corpore observavit.

CARO.

Caro, σάρξ, est pars corporis similaris substantia mollis & rubicunda, quæ ex sanguine extra venas prolapso & fibris nervorum adhærescente & condensato generantur. Etsi autem maxima pars corporis nostri caro sit, tamen nulla simplex caro in corpore deprehenditur, sed semper intertexta est fibris, & ideò non caro, sed musculus potius nominatur. Tres autem sunt species carnis in corpore, caro musculosa quæ omnibus musculis inest; Membranosa quæ membranis est adnata, veluti sunt carnes diaphragmatis, ventriculi, matricis &c. caro viscerum, veluti sunt pulmonis; Cordis, Epatis, Splenis, Renum, quæ Medicis non caro sed παρεγχύματα, id est, affusiones dicuntur. Usus & officium carnis est cum fibris

In gingivis & glandulis caro simplex reperitur. Caro triplex.

Parenchymata singula, peculiares sunt partes si-

milares; nontamen communes, sed uni parti propriæ. Musculi abdominis sunt 2. frontis unus, duo lacerti, oculorum 7. Maxillæ 4. labiorum 4. qui 8. motus efficiunt. Musculorum tanta est multitudo ut difficile admodum sit eos numerare, Gal. l. 1. c. de motu musculorum.

fibris musculum constituere & cava corporis paria opplere.

MUSCULI.

Musculi, μύες, *sunt partes corporis organicæ ex carne simplici & fibris nervorum ramulisque venarum & arteriarum compositæ, & membranis tenuissimis obductæ. Omnis musculus tres habet partes, caput, ventrem, & caudam. Caput est principium musculi ubi nervi & ligamenta ei inseruntur. Venter est crassior ejus pars, ubi nervi & ligamenta tenuissima fila sunt divisa; cauda est finis musculorum, ubi nervorum & ligamentorum fibræ confluunt & coalescunt & in tendinem desinunt. Figura musculorum similis est aut muribus aut lacertis aut planis illis piscibus quos passeres vocant. Usus est partes corporis pro voluntatis imperio movere. Nullus enim motus voluntarius sine ope musculorum perficitur.*

FIBRÆ.

Fibræ, ἶνες, *villi & stamina, sunt fila quædam nervosa, non tantum musculis sed omnibus partibus ex semine congenita quæ naturalium actionum, attractionis, retentionis & expulsionis sunt organa. Tria enim sunt fibrarum genera, rectæ, transversæ & obliquæ. Rectæ serviunt attractioni, Transversæ expulsioni, obliquæ retentioni.*

CUTIS.

Cutis, δέρμα, *est totius corporis nativum tegumentum. Quantum ad cutis substantiam attinet*, Galeno lib. 1. c. ultimo, de Temperam. teste, *nihil est aliud quam nervus sanguine præditus. Cutis in prima corporis conformatione ex semine concrescit, & primo quod continuum est, sed paulò post ab infinitis extremitatibus Venarum, arteriarum & nervorum, quæ in cutem desinunt perforata redditur, quæ cæca & minus visibilia foramina cutis Græcis πόροι nominantur, per quos natura pilos producit, sudorem excernit, & totum corpus perspirabile reddit. Cutis enim corporis crassities equorum aut boum tergoribus similis est, Vesalio teste.*

8. Da brevem explicationem partium capitis.

CAPUT.

Partes capitis.

Varro caput dici tradit, quod sensus & motus ex eo initium capiant. Est enim caput domicilium animæ ratiocinatricis, & fons sensuum ac motus voluntarii. Ideò Plato in Timeo *caput esse dicit membrum divinissimum omniumque reliquorum membrorum principem, cui totum corpus connexum Dii subesse & parere jusserunt, ejusque figuram ad rotunditatem cæli finxerunt. Figura capitis naturalis est Sphæræ oblongæ utrinque leniter compressæ similis, à qua quæ discedit ut acuminata quam φοξὸν vocant, & quibus vel eminentia antica, vel eminentia postica deest, aut quæ undiquaque rotunda est, præternaturalis habetur, & distortam significat naturam.*

VERTEX.

Vertex, κορυφὴ, *est suprema pars & centrum capitis, circa verticem; namque plerumque in gyrum contorquentur pili.*

SYNCIPUT.

Synciput, βρέγμα, *est antica pars capitis, supra frontem ad Verticem usque Synciput: in infantibus plerunque usque ad septennium membraneum est, quod processu temporis in os convertitur.*

OCCIPUT.

Occiput, ἰνίον, *est postica capitis pars, fronti è regione posita.*

TEMPORA.

Tempora κρόταφοι *sunt partes capitis utrinque inter oculos & aures: per tempora irrepunt in cerebrum plurimæ venæ & arteriæ quæ καρώτιδες, id est Soporiferæ dicuntur. Hinc est quod icti aut percussi per tempora facilimè extinguantur obstructis meatibus spirituum: per tempora applicantur pharmaca somnifera.*

Vulnera temporum cur periculosa.

FRONS.

Frons, μέτωπον, *est pars superior faciei ab oculis usque ad productionem pilorum.*

FACIES.

Facies, πρόσωπον, *est tota pars anterior capitis à syncipite usque ad collum porrecta, cujus partes sunt frons, supercilia, palpebræ, oculi, genæ, nasus, bucca, maxillæ, labia & mentum.*

GENÆ.

Genæ sive Malæ, μῆλα, *sunt rotundiores*

res & eminentiores partes faciei, sub oculis inter aures & nasum, quæ in pudore plerumque rubore suffunduntur.

OCULI.

Oculi, ὄμματα, seu ὀφθαλμοὶ, sunt Visionis organa, qui veluti speculatores altissimum locum sub fronte obtinent. Plato oculos duces esse ait, ut divina propius agnoscamus. Constant oculi, juxta Vesalium, ex septem tunicis & tribus humoribus; Tunica oculi. *Tunicarum nomina sunt Ἐπιπεφυκεῖα, id est, adnata: κερατοειδὴς, id est, cornea: ῥαγοειδὴς, id est uvea: Ἀραχνοειδὴς, id est aranea, quæ tunicæ anteriorem oculorum partem constituunt, quibus ab intro opponuntur Σκληροτοειδὴς id est dura; Χοροειδὴς id est secundinæ similis, & Ἀμφιβληστροειδὴς, id est retiformis. Humorum verò in oculis existentium nomenclaturæ sunt, Ὑδατοειδὴς, id est aqueus, qui inter corneam & uveam tunicas continetur;* Humores. *Ὑαλοειδὴς, id est vitreus, in cujus centro continetur splendidissimus humor; Κρυσταλλοειδὴς id est Crystallinus, propriissimum Visus instrumentum. His oculorum partibus una aut pluribus vitiatis corrumpitur visio.*

Tabella partium ocularium.

Oculi sunt organa Visus & constant ex
- *Tunicis 7. quarum partes*
  - *Exteriores nominantur*
    - Ἐπιπεφυκύα, *id est Adnata,*
    - Κερατοειδὴς, *id est cornea,*
    - Ῥαγοειδὴς, *id est Vvea,*
    - Ἀραχνοειδὴς, *id est Aranea.*
  - *Interiores sunt*
    - Σκληροτοειδὴς, *Dura,*
    - Χοροειδὴς, *secundinæ similis,*
    - Ἀμφιβληστροειδὴς, *Reticularis.*
- *Humoribus tribus, quorum nomina sunt,*
  - Ὑδατοειδὴς, *id est Aqueus, albumini ovorum similis,*
  - Ὑαλοειδὴς, *Vitreus, vitro fuso subalbo similis,*
  - Κρυσταλλοειδὴς, *Crystallinus, instar Crystalli pellucidus.*

PALPEBRÆ.

Palpebræ, βλέφαρα, sunt tegumenta Visus; sunt autem cutes musculosi claudentes oculos, quibus fixa sunt cilia. Usus earum est in somnis oculos claudere.

CILIA.

Cilia, βλεφαρίδες, sunt pili in extremitatibus palpebrarum fixi. Eorum usus est in prospiciendo dirigere per rectam lineam radios visivos.

SUPERCILIA.

Supercilia, ὄφρυες, sunt pili supra oculorum cavitatem frontem terminantes.

NASUS.

Nasi usus est ut inserviat formationi vocis respirationi, olfactui, & expurgationi cerebri.

Nasus, ῥὶς sive ῥὶν, est propugnaculum organorum olfactus, ejus foramina μυκτῆρες, id est nares nominantur.

AURES.

Aures, ὦτα, sunt propugnacula instrumentorum auditus in temporibus sitæ, quorum sinuosa foramina per temporum ossa πόροι ἀκουστικοὶ, id est meatus auditorii nominantur.

LABIA.

Labia, χείλεα, labra sunt opercula oris ex permobilibus mirabilibusque musculis constituta.

OS.

Os, στόμα, est rima & tota cavitas inter labra & maxillas, linguam inter se continens universale organon locutionis.

MENTUM.

Mentum, γένειον, est extuberans & rotunda pars maxillæ inferioris, sub inferiori labro sita.

Partes capitis interiores.

Inter partes interiores capitis quæ visu deprehendi non possunt, numerantur;

ΠΕΡΙΚΡΑΝΙΟΝ.

Περικράνιον est membrana calvam extrinsecus undique tegens, quæ ex crassa meninge per suturas producitur.

CALVA.

Calva, κράνιον, est receptaculum & ossium tegumentum totius cerebri: Vniversa calva ex 8. ossib. per suturas inter se junctas extructa est.

SUTURÆ.

Suturæ, ῥαφαὶ, sunt commissuræ seu consuitiones ossium capitis, ubi ossa instar duarum serrarum inter se coëunt. Quinque autem in clavis nudatis conspiciuntur Suturæ, per Suturas enascitur membrana, περικράνιον dicta; per suturas irrepunt venarum & arteriarum surculi intra Calvam, per easdem exhalant fulginosi Vapores intra κράνιον collecti.

MENINGES.

Meninges sunt duæ membranæ exterior & interior, sive crassa & tenuis, totum cerebrum ambientes & intersepientes. Crassa seu exterior meninx à recentioribus dura mater nominatur, quæ fibris quibusdam suturis clavæ infixis firmiusculè clavæ est alligata. Interior autem sive tenuis meninx, quæ pia mater nominatur, cerebrum immediate ambit, idque stabilit & contegit, Venasque & arterias cerebrum foventes & nutrientes excipit, & sese in omnes cerebri partes insinuat, & cavitates cerebri sublinit ac vestit.

CEREBRUM.

Cerebrum, ἐγκέφαλος, est quasi medulla capitis, domicilium animæ ratiocinatricis, fons potentiarum sensitivæ & locomotivæ: Constat cerebrum substantia aërea, alba & coaguli aut spumæ instar. Dividitur & intersecatur cerebrum per tenuem meningem in anteriorem partem, quæ propriè cerebrum, & posteriorem, quæ cerebellum nominatur.

CEREBELLUM.

Cerebellum, παρεγκέφαλος, est posterior pars cerebri sita in occipitio à cerebro interventu meningum divisa, quod durius & decuplo minus est cerebro: Ex cerebello per foramen occipitis quasi rivus defluit spinalis medulla. Cavitates seu ventriculi cerebri quatuor conspiciuntur in substantia cerebri, membranis à meninge ortis undique subliniti, quorum duo in anteriori parte cerebri circa frontem oblongi sunt & instar novæ lunæ incurvati: Inter hos extenditur & tertia cavitas, per rectitudinem à fronte in occiput instar oblongi calami, qui protenditur usque in cerebelli cavitatem. Quartus in ipso cerebello circa occiput, qui instar ovi rotundus est. Hæ quatuor cavitates cerebri vivente homine semper pleni sunt spiritibus animalibus, tenuissimis flammulis similibus, quorum beneficio intelligimus, sentimus ac movemur. In duobus anterioribus Ventriculis cerebri fit imaginatio seu sensus communis, id est formarum à sensibus exterioribus oblatarum perceptio. In medio sive tertio Ventriculo fit ratiocinatio, id est rerum perceptarum & dijudicatarum retentio.

Ventriculi cerebri 4.

Spiritus animalis usus.

PLEXUS RETIFORMIS.

Plexus retiformis recentioribus rete mirabile, est artificiosa instar retis piscatorum ex quamplurimis arteriarum surculis textura. Per collum enim arteriæ plurimæ in articulum cerebri protenduntur, quæ circa basin cerebri in infinitos ramos dividuntur, & inter se rursum complicantur, in quibus quasi in labyrintho spiritus vitales ex corde per arterias in cerebrum delati elaborantur, ut aptior fiat materia spirituum animalium.

Venæ καρώτιδες id est Soporiferæ, sunt surculi venarum jugularium, quæ per tempora in cerebrum protenduntur.

Processus sensuum organa communia omnium sensuum sunt nervi ex cerebro orti, quorum qui ad oculos protenduntur soli conspicuam habent cavitatem, & nervi optici nominantur; qui verò ad aures diriguntur, ii ante foramina aurium in pelliculam expanduntur, sicuti ii, qui ad linguam descendunt & nervi gustatiles nominantur, per substantiam linguæ in pelliculam dilatantur, sed odoratus instrumenta revera nervi non sunt, sed sunt duo peculiares processus mollissimi, medullæ similes, ex ventriculis cerebri orti & usque ad nares protensi.

Nervi sensorii. Observarunt tamen anatomici etiam nervos mollissimos à spinalis medullæ initio ad processus odoratorios protensos.

PALA-

PALATUM.

Palatum, ὑπερῴον, Galenus οὐρανίσκον id est partium cœlum vocat. Est autem Palatum totius oris superior cavitas, quæ incipit à dentibus superioris maxillæ & instar arcus incurvatum desinit ad radices linguæ. Palati utilitas est sapores non secus ac lingua percipere, una enim & eadem tunica sunt obducta, & vocem sonoram reddere: foramen est in palato, per quod purgatur cerebrum. FAUCES φάρυγξ, est illud spacium oris circa radicem linguæ, ubi gula & aspera arteria initium sumunt & in thoracem inde descendunt.

Fauces.

LINGUA.

Lingua γλῶττα est caro rara & fistulosa ex novem musculis constans, duabus vestita membranis, cujus radix faucibus ligamentis est connexa. Lingua, ut palatum, est saporis perceptrix, vocis explanatæ & distinctæ effectrix, & voluntatis nuncia.

COLUMELLA.

Columella vel columna γαργαρέων gurgulio perperam uvula vocatur, est particula carnosa, oblonga & fungosa à summo palato propendens. Solis hominibus & quarundam avium modulantium generibus gurgulio inest. Ejus usus est ut sit plectrum vocis & organon modulationis.

TONSILLÆ.

Tonsillæ Αντιάδες recentioribus glandulæ & amygdalæ sunt duæ carunculæ spongiosæ circa faucium angustias utrinque sitæ, quarum usus est salivam in se recipere eaque linguam madefacere.

MAXILLÆ.

Maxillæ γνάθοι seu σιαγόνες sunt duo ossa mandibulæ, superior & inferior, quibus dentes sunt infixi.

DENTES.

Dentes ὀδόντες sunt osseæ substantiæ sed multis modis differunt à reliquis ossibus; Primò quia soli dentes inter omnia ossa sunt sensu præditi; Secundò soli dentes inter ossa nudi conspiciuntur; Tertiò omnia ossa nobiscum nascuntur, dentes verò septimo mense post nativitatem nasci incipiunt; Quartò dentibus elapsis alii subnascuntur, quod reliquis ossibus non contingit. Sunt autem hominibus dentes numero 32. singulis maxillis 16. pulchro ordine instar choreæ collocati.

In singulis maxillis sunt 4. incisores, 2. canini, 8. molares, & 2. serotini.

GINGIVA.

Gingiva, οὖλον, est caro venosa ac nervosa circa dentes super maxillas adnata, cui dentes tanquam vallo pali infixi sunt: Gingivæ usus est ut dentes confirmet in suis præsepiolis & ossa maxillarum tegat ac vestiat, & edentulis sit loco dentium.

9. Da brevem explicationem partium Thoracis.

Thorax.

Thorax, θώραξ, Galen. 6. cap. 1. de usu partium, *est quod à jugulo ad diaphragma pertingit, qui costis utrinque & thoracis vertebris circumscribitur: in summa quicquid inter fauces & diaphragma comprehenditur id omne in thorace esse dicitur. Usus & utilitas thoracis est, ut sit septum prævalidum tutelæ gratia, cordi & pulmoni circumdatum.*

COLLUM.

Collum, τράχηλος, est pars quæ inter pectus & caput interjecta est.

CERVIX.

Cervix, αὐχήν, est pars posterior colli quæ constat ex 7. vertebris.

DORSUM.

Dorsum, νῶτον, vel μετάφρενον, est posterior pars thoracis pectori apposita, constans ex 12. vertebris.

SPINA DORSI.

Spina dorsi, ῥάχις, est series & integra compositio vertebrarum à capite usque ad nates, in ea quasi in canali spinalis medulla continetur, hinc & ἱερὰ σύριγξ id est sacra fistula nominatur. Tota spina ex 24. vertebris constat, & dividitur in quatuor regiones, Cervicem, Thoracem, Lumbos & Os sacrum.

VERTEBRÆ.

Vertebræ σπόνδυλοι, sunt 24. ossa spinæ dorsi rotunda & intus cava, processus quosdam habentia, & inter se interventu cartilaginum & membranarum coarticulata. Lumborum infima vertebra est omnium maxima, reliq; quanto magis ab ea ascendendo discedunt, tanto fiunt minores, sed earũ foramina contrario modo se habent. Superioris enim Vertebræ cervicis foramen amplissimum est, reliquarum postea descendendo magis magisque constringuntur.

LUM

LUMBI.

Lumbi, ὀσφύες pars sunt spinæ dorsi è regione ventris inferioris, ex quinque constans validissimis vertebris.

OS SACRUM.

Os sacrum, ἱερὸν ὀστέον, est pars spinæ dorsi infima ex 6. latis ossibus inter se connexis constans, quod est velut fundamentum spinæ dorsi.

Huic annexum est os coccygis ex 4. fungosis ossiculis constans, caudæ in modum.

JUGULI.

Juguli κλεῖδες id est claves, sunt duo ossicula rotunda & cava, suprema inter ossa pectoris, quæ transversaliter inter supremas costas & scapulas quasi fulcra sunt posita, quæ digito facilè contrectari possunt.

SCAPULÆ.

Clavitulæ.

Scapulæ, ὠμοπλάται, sunt duo lata ossa, utrinque posteriori thoracis parti incumbentia & vertebris ac costis interventu musculorum copulata.

PECTUS.

Pectus, στῆθος, est anterior pars thoracis à jugulis usque ad diaphragma demissa.

OS PECTORIS.

Os pectoris, στέρνον quod unicum esse contrectanti videtur, tamen non unum est, sed ex 7. constat ossibus, cujus superior pars circa jugulos furcula nominatur, inferior autem pars ξυφοειδὴς, id est ensiformis dicitur. Cavitas autem circa ξυφοειδὴν ubi ventriculi orificium est situm, Malum granatum vocatur.

MAMMÆ.

Mammæ, τιτθοὶ seu θμαστοὶ ubera seu mammillæ duæ sunt in pectore, instar semi globi extuberantes, quarum substantia est rara & spongiosa, quæ officinæ sunt lactis & instrumenta fœtuum nutritioni servientia.

PAPILLÆ.

Papilla, θήλη, est tuberculum mammarum, tenerum & molle & substantia persimilis labris infantium.

COSTÆ.

Costæ, πλευραὶ sunt 24. ossa oblonga & incurva ex 12. vertebris thoracis in utroque latere 12. orta, & transversim in thorace ad στέρνον sive os pectoris per interstitia porrectæ, quarum 7. superiores cum osse pectoris in utroque latere coarticulantur, & costæ γνήσιαι id est, perfectæ & legitimæ nominantur, reliquæ verò 5. inferiores in utroque latere ad pectoris os non pertingunt, sed in Thoracis lateribus desinentes suarum cartilaginum finibus connectuntur, quæ quia & breviores & molliores sunt, costæ νόθαι, id est, spuriæ & mendosæ nominantur.

LARINX.

Guttur λάρυγξ est initium & caput asperæ arteriæ faucibus adnexum estque principalissimum vocis organum. Constat guttur ex tribus magnis cartilaginib. quarum maxima scuti figuram refert quæ in collo protuberat ita ut tactu deprehendi queat, quæ nobis deglutientibus sursum fertur, hæc alias duas cartilagines intra suam cavitatem complectitur quarum uno annulo sigillatorio, altera rostro cantari fusorii similis est, in cujus medio rima fistularum rimæ similis conspicitur, per quam fit modulatio & soni vocisque variatio. Tota λάρυγξ operculo cartilagineo clauditur, quod ἐπιγλωττὶς nominatur, hæc dum respiramus aut loquimur, sursum erigitur, & aperitur λάρυγξ, dum verò edimus aut bibimus, incumbit & claudit Laryngem ne aliquid ex cibo aut potu illabatur in asperam arteriam & inferat suffocationem.

Pomum Adami vulgus vocitat.

ASPERA ARTERIA.

Τραχεῖα ἀρτηρία est fistula, cujus caput λάρυγξ est quæ à faucibus per anteriorem colli partem ad pulmonem protenditur in eoque in multos ramos dividitur, similitudinem referens arbori inversæ, quæ ante ingressum in pulmonem constat ex circulis cartilagineis, quorum quarta pars est resecta qui inter se membranis cohærent & vestiuntur, rami verò ejus in pulmone ex integris circulis cartilagineis sed longè minoribus sunt exstructi. Usus & utilitas asperæ arteriæ est ut sit via aëris per respirationem attracti.

GULA.

Gula, οἰσοφάγος, est fistula cibalis seu via quam per cibus & potus ex ore in ventriculum defertur. Gula aut aspera arteria à faucibus incipit, & sub aspera arteria vel in posteriori colli parte & vertebris thoracis, quibus membranis est alligata, recta deorsum fertur & diaphragma perforans in ventriculum implantatur, substantia ejus constat ex duabus membra-

branei nervosisque tunicis instar fistulæ teretibus & cavis.

PULMO.

Pulmo, πνεύμων, est principale respirationis organum. Pulmonis substantia est caro peculiaris, aërea, rara, mollis, levis & spongiosa, ad hauriendum concipiendumque aërem aptissima: ejus substantia plurimis ramis asperæ arteriæ, surculis venæ arteriosæ arteriæque venosæ intertexta est, & ejus tota superficies tenuissima membrana est obducta ac vestita, quæ si perrumpatur, φθίσιν inducit: totam ferè thoracis anteriorem partem complet pulmo: figura ejus est ungulæ bubulæ similis. Dividitur autem in dextram & sinistram partem interventu membranæ thoracem intersepientis.

PERICARDION.

Capsula cordis, περικάρδιον, est quasi cista membranea crassa & dura, in qua Cor tanquam in suo domicilio liberum, & nusquam eam attingens, sed undique æqualiter ab ea distans, pendet: hujus membranæ basis quatuor foraminibus est pervia per quæ vasa cordis, ramus videlicet venæ cavæ, arteria magna, vena arteriosa & arteria venosa transeunt, quibus vasis hæc capsula validissimè adnata est. Præterea hæc ipsa tunica parte sua posteriori mediastino membranæ adhæret, anteriori vero tunicæ costas succingente. Mucrone autem suo διαφράγματι alligata est, in hujus capsulæ fundo tenuissima continetur aqua cordis irrigationi serviens.

COR.

Cor, καρδία, est fons vitæ, sedes spirituum vitalium calorisque nativi, & domicilium omnium affectuum. Cordis substantia carnea est, à musculorum carne, & duritie & colore & fibrarum genere longe dissimilima. Figura ejus pyramidalis est & nuci pineæ similis; situm est cor sub στέρνῳ sive esse pectoris, cujus basis seu caput ad quintam costam concedit, mucro vero infra lævam pupillam continetur. In cordis consideratione diligenti observatione animadverti debent duo thalami sive sinus Cordis & vasa sive canales in Cor ipsum defixa. Cordis thalami sunt duæ Ventriculi cordis. *amplæ cavitates ad latera cordis sitæ, dextra & sinistra. Dextra similis est crescenti Lunæ, sinistra vero pyramidalem habet figuram, cujus basis in basin cordis incidit & in conum desinit: utraque cavitas tenui membrana est sublinita; in dextro thalamo elaboratur & purificatur sanguis arteriarum qui est vehiculum & subjectum spirituum vitalium, ex cujus sanguinis portione nutritur pulmo, in sinistro thalamo generantur spiritus vitales, qui tanquam rivuli in totum corpus per arterias defluunt. Vasa sive canales cordis quatuor sunt,* Vasa cordis. *quorum duo ex cordis thalamis enascuntur, duo vero alii in eosdem implantantur, Arteria magna, vena Arterialis, ramus venæ cavæ, & arteria venosa. Arteria magna ex sinistro cordis thalamo exoritur, & ramos suos in totum corpus distribuit. Vena arterialis ex dextro cordis sinu pronascitur & in pulmones implantatur; ramus venæ cavæ in dextrum sinum cordis inseritur; Arteria venosa ex pulmone oritur & in sinistrum cordis ventriculum figitur.*

ARTERIA MAGNA SEU AORTA.

Arteria magna, Ἀόρτη, est truncus omnium arteriarum, de qua supra in explicatione partium similarium dictum est.

SEPIMENTUM THORACIS.

Sepimentum Thoracis aliis Mediastini διαφράττοντες, sunt duæ membranæ à spina dorsi ortæ, & versus pectoris os protensæ, duæ thoracem secundum longitudinem à jugulis usque ad diaphragma, & secundum latitudinem à vertebris dorsi usque ad pectoris os subdividunt, quæ circa dorsum conjunctæ sunt, sed tandem paulatim ab invicem dehiscunt & quasi tres cavitates sive cameras in thorace constituunt, intra quarum media situm est Cor, & in aliis duabus naturalibus pendent pulmones. Mediastinum.

MEMBRANA COSTAS SUCCINGENS.

Membrana, costas succingens, Græce πλευρὰ & ὑπεζωκώς, est membrana tenuis à vertebrarum ligamentis orta, plurimis surculis venarum & arteriarum conspersa, quâ omnes costæ & universa cavitas thoracis, ac superior facies septi transversi est sublinita & munita.

SEPTUM TRANSVERSUM.

Diaphragma.

Septum transversum, διάφραγμα, Plinio præcordium, est musculosa & valde crassa tunica dividens thoracem ab infimo ventre, quæ in anteriore corporis parte adnata est termino ossis pectoris per latera costis mendosis circa dorsum vertebris lumborum.

Tria hæc tunica habet foramina, per unum transit vena cava ab epate ad cor protensa, per alterum transit gula à faucibus ad orificium ventriculi descendens, per tertium transit arteria magna una cum vena sine pari. Diaphragma servit respirationi, & excrementorum adjuvat expulsionem, & excludit halitus à membris vitalibus ex membris nutritionis elevatos.

DE PARTIBUS INFIMI VENTRIS.

10. Da brevem explicationem partium infimi ventris.

Abdomen, ἐπιγάστριον, est totius ventris exterior pars quæ manibus contrectari potest, constans ex cute, adipe, octo musculis & peritonæa membrana.

VENTER.

Venter, γαστὴρ, est tota anterior pars inter diaphragma & pubem sita: Aristoteles lib. I. de historia animalium; venter, inquit, infra pectus est, parte priore, cujus centrum umbilicus est.

UMBILICUS.

Vmbilicus, ὀμφαλός, est radix ventris & totius hominis. Est autem umbilicus terminus & vestigium vasorum uteri post partum abscissorum, per quæ nutritur fœtus in utero.

ILIA.

Ilia λαγόνες, sunt partes ventris laterales utrinque costis carentes.

INGUINA.

Inguina βουβῶνες sunt partes glandulosæ utrinque inter femora & radices pudendi quibus in locis tumores præternaturales, quos de **Hagedrose** *& bubones pestilentiales vocant, suboriri ut plurimum solent.*

PUBES.

Pubes, ἐπίσιον, est locus super pudendum situs, pilis vestitus.

TESTES.

Testes, ὄρχεις, qui à numero binario & δίδυμοι nominantur, sunt partes principales inter partes generationi servientes, sitæ inter inguina, rotundæ & propendulæ.

VIRGA.

Virga, καυλὸς, colis, penis, mentula, cauda, pudendum, est membrum virile, organum generationis.

GLANS.

Glans, βάλανος, est extrema pars virgæ cuticula obtecta quæ præputium nominatur.

PERITONÆUM.

Peritonæum, Græcis περιτόναιος χιτὼν id est peritonæi tunica, Avicennæ siphac dictum, est membranea amplissima crumena in ventris inferioris capacitate contenta, ex simplicissima tenui, firma tamen membrana constans, & figuram ovi anserini referens, omnia viscera inferioris ventris intra se concludens, & ne loco moveantur continens. Hæc pera circa inguina duobus foraminibus est pervia, quæ transitum præbent vasis seminariis ad testes procedentia. Hæc membrana sæpe rumpitur præsertim in infantibus circa inguina, quam affectionem Græci κήλην id est ramicem & rapturam vocant, **den Rill und Bruch** *nostrates.*

OMENTUM.

Omentum, ἐπίπλοον, Arabibus scyrbus, nobis **das Schmer** / *est duplicata tunica, multa adipe intertexta, cui ventriculus & intestina innatant, eorumque nativum calorem conservant ac fovent.*

VENTRICULUS.

Ventriculus est culina totius corporis & officina χυλώσεως, id est cibi ac potus assumpti, in succum cremori ptisanæ similem conversionis. Situs est ventriculus in corporis fere medio, cui à dextro latere incumbit Epar, à sinistro Lien, supernè tegitur diaphragmate, inferna ejus pars innatat omento, anteriorem ejus partem tegunt musculi abdominis, posteriorem verò musculi lumborum, & ita ventriculus undique quasi levi igne calidis partibus circumsepitur ac fovetur. Figura ventriculi rotunda est, sed propter duorum canalium gulæ & pylori in ejus orificia insertionem

oblonga est ea rotunditas, & in sinistro latere multo amplior & magis prominulus cernitur: deinde versus dextrum vergens in angustum cogitur graciliorque redditur. Duo habet orificia, quorum superius στόμαχος, id est orificium ventriculi dicitur, quod situm est sub malo granato sive Cartilagine ensiformi ubi inseritur gula: per hoc excipit cibum ac potum. Alterum vero orificium in dextro ventriculi apice locatum Græcis πύλωρος, Latinis janitor dictum. Hoc cibi ac potus alterati & in chylum conversi intestina transmittendi causa est fabricatum; huic connatum est duodenum intestinum.

Orificia.

Stomachus.

Pylorus.

Vtilitates ventriculi sunt χύλωσις id est cibi ac potus in succum conversio, item cibi ac potus desiderium. Substantia ventriculi tribus fibrarum generibus est intertexta, rectarum beneficio attrahit, obliquarum retinet, transversarum expellit.

INTESTINA.

Intestina, ἔντερα, vel intestinum, unicum enim est corpus, sed à varietate figuræ in diversas species distinguitur, est canalis teres & oblongus ex pyloro sive infimo ventriculi orificio enatus, multiplicibusque spiris ad anum usque protensus. Ejus à varietate formæ, quasi plura essent intestina, sex enumerantur à Medicis: tria videlicet gracilia, totidemque crassiora. Intestina gracilia sunt δωδεκαδάκτυλον, id est duodenum, νῆστις, id est jejunum, & εἴλεον, id est tenue: Crassiora τυφλὸν, id est cæcum, κῶλον, id est crassum, ἀπευθυσμένον, id est rectum. Duodenum intestinum longitudine 12. digitos æquat, & est prima pars intestini nullis orbibus implicata, exoritur è pyloro. Circa finem hujus intestini meatus flavam bilem deferens inseritur intestinis. Iejunum est secunda pars intestini, ubi primum in gyros incipiunt circumvolvi intestina. Ex hoc primum rapiunt chylum venæ Mesaraicæ & in Epar deferunt, & ideo semper vacuum esse conspicitur. Tenue tertia pars intestini quæ pluribus quam reliquæ partes, spiris, mesenterio implicata & circumvoluta est, hoc umbilicum attingit. Cæcum est quarta pars intestini & est quasi extuberantia quædam inter tenue & κῶλον intestina, in animantibus sacco & ventriculo similis est. Colon sive crassum intestinum est quinta pars intestini, quod situm est sub jecoris cavitate & bilis vesiculam attingit. Rectum intestinum & ultima & infima pars intestini, quod usque ad anum porrigitur, nullis circumvolutum orbibus.

Duodenum.

Iejunum.

Ileum.

Cæcum.

Colon.

Rectum.

MESENTERIUM.

Mesenterium, μεσεντέριον, quasi dicas medium fulcrum intestinorum, est membrana duplicata, multa pinguedine & glandulis referta, quod ex vertebris lumborum unà cum peritonæo originem ducit. Ejus utilitas est, ut intestina inter se colliget & contineat, & venas mesaraicas fulciat.

ΠΑΓΚΡΕΑΣ.

Πάγκρεας & καλλίκρεας, id est pulcra caro, est glandulosum corpus vertebris lumborum adnatum, quod centrum est totius mesenterii.

Focus hic sæpè latitat febrium.

JECUR.

Iecur, ἧπαρ, est membrum principale & organum sanguificationis, ac omnium venarum radix, fons spiritus naturalis: Substantia ejus similis est sanguini concreto, referta exilibus instar pili venulis, & tenuissima membranula vestita. Figuram habet falcatæ lunæ similem, extrinsecus gibbum est, intrinsecus vero concavum. Suum Iecur in dextro hypochondrio sub diaphragmate, & cava sua parte incumbit ventriculo. Ejus usus est ut convertat chylum attractum in sanguinem, ut separet virtute sua specifica purum sanguinem ab excrementitiis humoribus, ut sit radix omnium venarum, utque sit fons spiritus vitalis.

VESICULA BILIS.

Vesicula bilis, κύστις χοληδόχος, id est capsula fellis, est receptaculum bilis flavæ, quæ nihil est aliud quam ignea sanguinis pars; substantia hujus vesiculæ est membrana simplex, robusta tamen, quæ situm habet in cava parte Epatis, qua Epar dextrum ventriculi latus complectitur. Figuram habet oblongo pyro similem. Vsus & utilitas vesiculæ bilis est in sanguinis purificatione ferventiorem & amariorem partem sanguinis, quam bilem flavam vocant, in se recipere & ubi

vesicula repleta est, rursum intestina exonerare.

LIEN.

Lien, σπλὴν, est receptaculum melancholici humoris, qui est feculentior terrestriorque pars sanguineæ massæ, ex chylo in epate confectæ. Substantia splenis spongiosa & laxa subnigraque, est caro ex feculento sanguine concreta: situm habet lien in sinistro hypochondrio è regione epatis, qui, ut epar, sua cava parte sinistrum ventriculi latus amplectitur. Figuram habet splen oblongam & propemodum speciem linguæ bubulæ referens: usus & utilitas Lienis est in purificatione sanguineæ massæ melancholicam & feculentiorem sanguinis partem assugere, & ventriculi calorem fovere.

Non tamen adeo oblongam in homine habet figuram ut in brutis, sed crassior & brevior est.

RENES.

Renes, νεφροὶ, sunt 2. receptacula aquosioris partis sanguineæ massæ quæ in epate ex chymo segregata est, per venas emulgentes ad renes delata. Substantia Renum est caro dura & compacta, qualis est & cordis substantia. Renes Aristoteles lib. 3. c. 17. de historia animalium, *inter omnia viscera maximè pinguescere dicit, quo commodius attractam aquosiorem sanguinis partem retinere & concoquere queant. Figura Renum est oblongiuscula, omnique ex parte æqualiter crassa, extrinsecus gibba, interna vero sua parte, quæ venam cavam respiciunt contorta & incurvata, in quam incurvationem excipiunt venas emulgentes. Habent renes intra se satis amplam cavitatem tenui membrana interseptam, per quam urina percolatur, & in ureteres destillat; in hac cavitate plerunque concrescere solent calculi renum. Siti sunt renes utrinque circa lumborum vertebras, sed dexter semper elatiorem occupat locum quam sinister. Usus Renum est aquosiorem partem sanguinis per venas emulgentes in se trahere, ejusque benigniorem partem in suam substantiam convertere, puram verò aquam & ab omni sanguine separatam, per suæ cavitatis membranam & per ureteres pellere. Sunt autem venæ emulgentes duo insignes rami venæ cavæ, quæ statim in exortu venæ cavæ ex epate sub diaphragmate exoriuntur & utrinque ad renes propensæ, ejusdem incurvationibus inseruntur. Ureteres vero sive venæ urinatoriæ, quas Celsus venas albas vocat, eò quod non ut reliquæ venæ sanguinem sed aquam vehant, sunt duo canales venosi ex cavernis renum orti, qui circa incurvationem eorum, ubi venæ emulgentes implantantur prodeuntes deorsum protensi utrinque vesicæ lateribus infiguntur; per hos canales confluit urina ex renibus in vesicam.*

Renes cur facile pinguescant.

Venæ emulgentes habent adjunctas arterias

Emulgentes ex trunco aortæ.

Ureteres.

VESICA.

Vesica urinatoria, κύστις, est aqueæ superfluitatis in renibus à sanguine separatæ quam urinam vocant, receptaculum. Substantia vesicæ, Fallopio teste, ex tribus constructa est membranis, duabus propriis, & una à peritonæo orta. Sita est visica inter os pectinis & rectum intestinum, cujus cervix in pudendum immittitur. Utilitas vesicæ est ut sit receptaculum urinæ.

Fæminis sita est inter uterum & rectum intestinum.

UTERUS.

Uterus, μήτρα Matrix, sive ὑστέρα, est tamquam nostræ propagationis hortulus: substantia constat simplici tunicâ, sed crassâ satis & carnosâ. Figuram habet rotundam instar vesicæ, & sita est inter vesicam & rectum intestinum, intra capacitatem coxendicis. Utilitas ejus est semen concipere, conceptum retinere, retentum in fœtum conformare, & justo tempore in lucem edere.

COTYLEDONES.

Acetabula κοτυληδόνες sunt orificia venarum & arteriarum in capacitatem uteri desinentium, quæ singulis mensibus dilatantur & aperiuntur in magnitudinem lentis, ut per ea menstruus mulierum sanguis ex toto corpore in uterum defluat, & inde foras excernatur.

In gravidis vasa umbilicalia fœtus in hæc acetabula desinunt ut inde fœtus nutrimentum hauriat.

VASA SEMINARIA.

Vasa seminaria, ἀγγεῖα σπερματικά, sunt duo canales, dexter & sinister, quorum uterque constat ex una grandi vena & arteria simul complicatis & colligatis; & dexter quidem oritur ex caudice venæ cavæ & arteriæ magnæ, sinister vero oritur ex vena sinistra emulgente, & ex subjecta huic venæ arteria; hæc duo vasa à suo ortu deorsum ad pubis ossa descendunt, ibidemque peritonæum perforantes

tes

tes in interiorem tunicam testiculorum, dextrum in dextram, sinistrum in sinistram implantantur. Eorum utilitas est ut Sanguinem purissimum & elaboratissimum & simul Spiritum vitalem materiam seminis attrahant, alterent, & ad testes deferant.

Artus. II. Da brevem explicationem Artuum.

Artus sunt quasi nodi ex trunco eminentes: ita manus & pedes propriè artus nominantur, quia ex corporis trunco enatæ sunt.

HUMERUS.

Humerus, ὦμος, est superior pars totius manus inter scapulas & brachium unico constans osse magno, cujus caput superius scapulæ inseritur.

BRACHIUM.

Brachium, βραχίον, Galenus brachium & humerum idem esse docet, sed Celsus pro cubito usurpat, inquiens, Brachium ex duobus constat ossibus radio & cubito. Cels. l. 8. c. 1.

CUBITUS.

Cubitus, πῆχυς, quandoque pro toto brachio sumitur, quandoque vero pro majori Osse brachii, quod & ulna nominatur. Dicitur autem cubitus à cubando quod eo innitimur cubantes.

ULNA.

Vlna, παραπήχιον, est minus os cubiti, quod & radius dicitur.

BRACHIALE.

Brachiale, καρπὸς, Arabibus brasseta, est junctura sive articulus quo extrema manus cubito coarticulatur.

MANUS.

Manus, χεὶρ. Galenus lib. 3. c. 2. de administratione Anatomica, *cum sine appendice, inquit, manus dicimus, totum membrum à scapula usq; ad apices digitorum intelligimus. Cum adjectione autem ut ἀκρόχειρ summa vel extrema manus eam manus partem significat, quæ à carpo usque ad digitos expansa est. Sunt autem manus instrumenta apprehensionis & tactus.*

VOLA.

Vola, θέναρ vel κοῖλον τῆς χειρὸς, est interna cavitas summæ manus, multis monticulis & variis lineamentis interfecta. Sed vocabulum θέναρ chiromanticis pro monte pollicis usurpatur.

DIGITI.

Digiti, δάκτυλοι, singularum manuum quinque sunt digiti inter se inæquales, quorum medius reliquis longior est. Omnes constant ex ternis ossibus. Digitorum nomina sunt, Pollex ἀντίχειρ, Index λιχανὸς, Medius μέσος, Annularis παράμεσος, Minimus μικρὸς, qui & auricularis.

COXÆ.

Coxa, ἰσχία, & coxendix, sunt ossa grandia natium, utrinque ossi sacro subjecta, in quæ femorum capita inarticulantur: horum ossium superior pars dicitur os ilium; media, ubi femoris caput inarticulatur, dicitur os coxendicis; infima pars ἐπίσχιον, id est, pubis seu pectinis os nominatur.

NATES.

Nates, γλουτοὶ, lumbis subjacent, quibus totum corpus inter sedendum innititur. Constant nates ex capite femoris validissimis musculis obducto. Horum rotundæ & extuberantes partes clunes nominantur, **die Lenden.**

PES.

Pes sive Crus, σκέλος, est totum membrum à coxendicis osse usque ad extrema digitorum pedis.

FEMUR.

Femur, μηρὸς, est superior pars magni pedis, unico constans osse, cujus Os est omnium ossium totius humani corporis maximum.

GENU.

Genu, γόνυ, est junctura sive coarticulatio femoris cum ossibus tibiæ, cujus juncturæ anterior pars genu, posterior autem poples nominatur.

PATELLA.

Patella, μύλη, id est mola, est os rotundum instar disci, articulationi tibiæ & femoris præpositum: usus ejus est ne femur in flexu tibiæ in anteriora luxetur.

CRUS.

Crus, σκέλος, Galenus pro toto magno pede, femore videlicet & tibia usurpat.

TIBIA.

Tibia, κνήμη, est universa pars quæ inter genu & talum posita est, constans duobus ossibus oblongis, quorum anterius totius membri nomine κνήμη, id est os tibiæ & radius nominatur, exterius autem & gracilius περόνη, id est fibula nuncupatur.

MALLEOLI.

Malleoli, σφυρά, sunt infirmæ partes sive extuberantes partes processus ossis tibiæ & fibulæ qui foris gibbi, intus cavi cernuntur.

TALUS.

Talus, ἀστράγαλος, Latinis os balistæ, sunt ossa nucis balistæ formam referentia, inter tibiam & calcem posita.

PES.

Pes, πῦς, absolutè minorem pedem significat. Est autem parvus pes quicquid maleolis subjacet.

CALCANEUM.

Calcaneum, πτέρνα, est os inter ossa minoris pedis maximum, ima ejus pars proxima est terræ qua fit incessus, postica ejus pars rotunda est.

PLANTA PEDIS.

Planta pedis, πεδίον, sunt quinque ossa quinque digitorum ossibus præposita.

SECTIO VI.

De

SPIRITIBUS.

Quinta res naturalis quæ ad constitutionem humanæ naturæ requiritur, est spiritus, qui nunquam in corpore est solitarius, & perpetuo cohæret cum humido primogenio & calido innato.

1. Quid est Spiritus?

Spiritus est aërea substantia, calida & humida, seminibus omnium rerum, tam animantium quam stirpium divinitus indita, quæ in formatione corporum unà cum humido primogenio & calido innato per totam corporis substantiam est sparsa & diffusa.

2. Suntne unius aut diversarum substantiarum, spiritus, calidum innatum & humidum primogenium?

Hæc tria diversæ sunt substantiæ, tamen in corporibus ita inter se sunt confusa & mixta, ut non, nisi cogitatione ab invicem separari possint. Et horum quidem trium simul ope & beneficio omnia viventia tam animata quam stirpes formantur, vegetantur, vivunt, sentiunt, moventur & conservantur: & durant hæc tria in corporibus per totam vitam, inter quæ humidum primogenium subjecti, calidum innatum causæ efficientis, spiritus autem instrumenti rationem obtinet. Spiritus, calidum innatum Humidum primogenium, quomodo inter se cohæreant.

3. Humidum primogenium quid est?

Humidum primogenium sive Radicale est substantia aërea, pinguis, instar purissimi olei primum è semine deducta & omnibus membris insita. Galenus vocat σύμφυτον ὑγρον. in hoc humido tanquam in subjecto consistit calor innatus & spiritus.

4. Quid est innatus Calor?

Calidum innatum Galenus ἔμφυτον θερμὸν vocat; est autem Calor innatus qualitas cælestis, suavis & temperata, non urens ut Elementaris caliditas, cujus caloris beneficio foventur & vivunt omnia. Obtinet hic Calor rationem efficientis causæ. Excitat enim spiritum ut vehat potentias ad membra; eaque excitet ad actiones.

5. Quomodo se habet spiritus in humido Radicali?

Spiritum naturalem Galenus φυσικὸν πνεῦμα nominat, qui à Calore cælesti nativo in humido primogenio extitatur, & ut diximus rationem instrumenti obtinet. Hic spiritus naturalis in seminibus est causa formatrix, post conformationem partium alteratur in principalioribus membris, epate, corde & cerebro, & ut diversas edit actiones, ita diversa sortitur nomina.

6. Quot sunt species Spirituum in corpore humano?

Tres sunt spiritus tribus potentiis animæ servientes, Naturalis, Vitalis & Animalis.

Tabella Spirituum Corporis humani.

Spiritus in corpore humano sunt tres,	*Naturalis, Vitalis, Animalis:*	*quorum fontes sunt*	*Epar, Cor, Cerebrum:*	*Vehunt in partes, potentias*	*Naturales, Vitales, Animales.*

7. Spiritus Naturalis quid est?

Spiritus Naturalis quid.

Spiritus Naturalis, πνεῦμα φυσικὸν, est cælestis quidam halitus à calore nativo in humido radicali excitatus, quo naturales potentiæ in formatione & generatione partium gubernantur, ac tandem hic spiritus in omnibus corporis partibus dispersus fovetur, conservatur & nutritur vapore sanguinis in epate genito, qui vapor etiam communi appellatione spiritus naturalis nominatur, & unà cum sanguine per venas ad omnes partes nutriendas defertur, ac in substantiam prædicti spiritus Naturalis tanquam materia propria convertitur.

Ejus nutrimentum.

Hinc quidam spiritum naturalem tenuem sanguinis vaporem definiunt: sed revera vapor sanguinis non est spiritus naturalis, sed ejus tantum comes & materia. Itaque spiritus naturalis omnium primus, & materia quædam reliquorum spirituum: Spiritus naturalis gubernat potentias Animæ Generatricem, Formatricem, Auctricem, Nutritivam, Attractivam, Retentivam, Alterativam & Expulsivam.

Vsus.

8. Cur Philippus in Libello de anima negat esse spiritum naturalem in corporibus viventium?

An sit spiritus naturalis.

Deceptus est Philippus quorundam Medicorum recentium autoritate, Manardi & Fuchsii, qui negabant spiritum naturalem corporibus viventium inesse, ducti hisce falsis rationibus.

Imo Gal. l. 5. de simpl. med. fac. c. 9. expresse asseruit esse innatum spiritum omnium naturalium actionum opificem.

I. *Quia nulla sit cavitas in epate, ubi generari possit spiritus.*

II. *Quia nulli sunt peculiares canales vehendo spiritui naturali destinati.*

III. *Quia spiritus in suo loco semper pulsat, sed in venis nullus sentitur pulsus.*

IV. *Quia Galenus nusquam asserit esse spiritum naturalem. Sed revera nihil magis pugnat cum principiis Philosophiæ, quam dicere in viventium corporibus non esse spiritum naturalem, cujus solius beneficio, Theophrasto teste, non animantia tantum sed & stirpes vegetantur, crescunt, virent & conservantur, quin & impossibile est sanguinem crassum & grave corpus sursum ad cor & cerebrum elevari sine propulsione spiritus naturalis.*

9. Quid est spiritus vitalis?

Spiritus vitalis est aërea substantia instar flammæ calida in cordis thalamis primum ex spiritu naturali genita, & hinc per arterias ad omnes corporis partes diffusa. Spiritus vitalis.

10. Quomodo generatur spiritus vitalis?

In prima formatione sicut reliquæ omnes corporis partes, ita & cor, his tribus est imbutum, Humido radicali, calore Nativo, & spiritu Naturali, simul confusis. Calor itaque nativus in humido radicali in cordis substantia existente, excitat spiritum Naturalem, qui collectus in thalamos cordis specifica virtute cordis præparatur & in flammeam substantiam convertitur, quæ spiritus vitalis dicitur. Augetur ac fovetur vitalis in viventibus vapore sanguinis in dextro ventriculo cordis præparato tanquam proprio suo alimento. Ejus autem fervor & æstus subinde mitigatur & refrigeratur aëre per respirationem & per transpirationem attracto. Defertur hic spiritus vitalis ex sinistro cordis ventriculo per arterias in omnes corporis partes, quas vivificat, fovet ac calefacit; in corde autem subinde excitat varia παθήματα sive affectuum genera. Vitalis spiritus nutrimentum.

11. Quid est spiritus animalis?

Spiritus Animalis est aër instar lucis splendidissimus & ætheræ substantiæ in cavitatibus cerebri contentus, qui in hominibus divinam habet originem. Hic enim est ille spiritus de quo Gen. c. 2. scribitur: Inspiravit in nares ejus spiraculum vitæ: huic spiritui miscet se Spiritus Sanctus, & gubernat mentes & actio- Spiritus animalis origo divina.

& actiones piorum; eſtque principaliſſimum Organum præſtantiſſimarum in vita actionum intellectus, voluntatis, ſenſus & motus, & gubernator omnium virtutum. Conſervatur ſpiritus Animalis ac nutritur ſpiritu vitali, qui ex ſiniſtro cordis thalamo per arterias in cerebri ventriculum defertur, virtuteque cerebri purificatur, & in lucidiſſimam ſubſtantiam radiis ſolaribus ſimilem convertitur, & Animali, quaſi nutrimentum fomentumque commiſcetur. Spiritus Animalis ex cerebri cavitatibus per nervos in omnes corporis partes, quæ ſenſu ac motu indigent, defertur, ventilatur, purificatur & refocillatur hic ſpiritus aëre per nares attracto.

SECTIO VII.

De

POTENTIIS ANIMÆ HUMANÆ.

Potentiæ Animæ ſunt ſexta res quæ ad perfectionem humanæ naturæ requiruntur.

1. Quid ſunt potentiæ Animæ?

Δυνάμεις, Potentiæ, vires, Facultates & virtutes Synonyma ſunt. Sunt autem Potentiæ Animæ qualitates quædam effectrices omnium humanarum actionum. Etſi enim Anima hominis prima & principalis cauſa ſit actionum, tamen ſine potentiis non agit Anima. In hoc autem differunt potentiæ ab ipſa Animæ ſubſtantia, quod potentiæ augmentum & decrementum ſuſcipiunt & ceſſare poſſunt, Animæ vero ſubſtantia neque augetur neque diminuitur & per æternitatem durat. Cum itaque unica Anima complures edat actiones, variis ad eas utitur potentiis.

Scal. l. 1. de plant. Anima ſimplex ſubſtantia, multiplex poteſtate.

2. Quot ſunt genera Potentiarum animæ hominis?

Plato in Timæo & omnes Medici potentiarum differentias à ſedibus ſive fontibus quibus ipſæ deliteſcunt, ſumentes, tria potentiarum genera conſtituunt, Naturalem, Vitalem & Animalem. Ariſtoteles vero qui Animæ ſubſtantiam totam per totum corpus diffuſam eſſe docet, neglectis ſedibus Animæ, ab actionum generibus differentiam ſumit, & quinque potentiarum genera ſtatuit, vegetativam, appetitivam, ſenſitivam, locomotivam, & intellectivam: non tamen propterea Medici & Ariſtotoles inter ſe diſſentiunt, quia Galenus ſub Animali potentia ſenſitivam, locomotivam & intellectivam complectitur, ut ſequens oſtendet tabella.

Vnde deſumantur differentiæ potentiarum.

Omnes potentiæ Animæ ſedem habent aut in	*Epate,*	*Quas Plato vocat*	*ἐπιθυμητικὴν,*	*Medici vocant*	*Naturalem,*	*Ariſtoteles nominat*	*Vegetativ.*
							Appetitiv.
	Corde,		*θυμοειδῆ,*		*Vitalem,*		*Senſitiv.*
							Locomotiv.
	Cerebro:		*λογιστικήν.*		*Animalem:*		*Intellectiv.*

3. Naturalis potentia quid eſt?

Naturalis potentia, quæ in conformatione humanæ naturæ prima eſt, reliquas omnes præcedit, eſt vis quædam & qualitas omnium viventium ſeminibus primum divinitus implantata. In homine vero poſt ejus conformationem in Epate quaſi preprio domicilio conſtituta. Ejus potentiæ ope ac beneficio omnia viventia ex ſemine conformantur, nutriuntur, augmentantur, & ſpeciem ſibi ſimilem producunt: ac quia hæc naturalis potentia tres inſignes ad naturæ conſervationem neceſſarias producit actiones, ideo eam Ariſtoteles in tres præcipuas ſubdividit potentias, videlicet in Generatricem, Auctricem, & Nutricem, quæ ſingulæ per vitæ noſtræ periodum certo temporis ſpatio tantum durant. Dum enim fœtus in utero geritur, omnes hæ tres ſuas exerunt actiones, magis tamen dominatur Generatrix ſive Formatrix, deinde edito in lucem partu Generatrix quieſcit, agentibus Nutrice & Actrice. Poſt ἀκμὴν vero, quæ eſt annus 25. ceſſat Auctrix, Nutrix vero uſque ad finem vitæ durat: hujus naturalis potentiæ fons & ſedes eſt Epar.

Naturalis potentiæ opera. Subdiviſio potentiæ naturalis.

4. Suntne

4. Suntne aliæ potentiæ Naturales præter has in corpore humano?

Potentiæ naturales ministrantes reliquis.

Præter Generativam, Nutritivam & Augmentativam potentias Naturales, quæ in Epate sedem habent, indidit Deus omnium partium fibris, quatuor potentias naturales tribus jam dictis subservientes, Attractivam, Retentivam, Alterativam, & Expulsivam, quæ propriè naturales potentiæ dicuntur, eò quod nec Generativa, nec Nutritiva, nec Augmentativa citra earum quatuor auxilium actiones suas exerere possunt, ut sequens ostendet tabella.

Tabella potentiarum Naturalium.

Potentiæ naturales, quarum fons est Epar, sunt	*Generativa, Nutritiva, Augmentativa:*	*Quibus subserviunt 4. naturales potentiæ,*	*Attractiva, Retentiva, Alterativa, Expulsiva:*
Quæ sitæ sunt in partium	*Fibris rectis, Fibris obliquis, Calido innato, Fibris transversis.*		

5. Generativa Potentia quæ est?

Est vis naturalis seminibus omnium viventium à Deo insita, qua qualibet possunt similem sibi speciem generare.

6. Nutritiva potentia quæ est?

Nutritiva potentia est vis naturalis, qua omnia viventia alimenta assumpta in suam substantiam convertere possunt.

7. Augmentativa potentia quæ est?

Est vis naturalis qua omnes solidæ partes per omnes dimensiones extenduntur.

8. Attractiva potentia quæ est?

Est vis omnium partium fibris rectis naturaliter insita, qua singula membra in nutritione sibi similia & familiaria ex cibo & potu assumpto attrahunt.

9. Retentiva potentia quæ est?

Est vis naturæ insita omnium partium fibris obliquis, qua attractum ex alimento succum in se tantisper continent, donec perfecta ejus fiat alteratio.

10. Alterativa potentia quæ est?

Concoctrix facultas.

Alterativa sive concoctrix facultas est vis sita in calore innato, quo singula membra sunt imbuta, qua alimenta attracta & retenta concoquuntur, novam formam recipiunt & in corporis nostri substantiam convertuntur.

11. Expulsiva potentia quæ est?

Est vis singularum partium fibris transversis naturaliter insita, qua partes omnia noxia & supervacanea, naturamque molestantia à se expellunt & excernunt.

12. Quæ est secunda Animæ potentia?

Vitalis potentia.


Vitalis, quam Plato θυμοειδὴν, Galenus irascentem sive affectuum generatricem vocat, quæ est vis quædam cordis, qua vivificus calor spiritusque vitalis ex corde per arterias in universum corpus transfunditur, eoque fovetur ac vivificatur & ejus agitatione omnes affectus & perturbationes concitantur. Est autem vitalis potentia reliquarum potentiarum omnium conservatrix ubi ea intercipiatur veluti fit in syncope, statim & reliquæ cessant in suis actionibus.

13. Quæ est tertia Animæ potentia, & quot sunt ejus species?

Animalis potentia.

Animalis Potentia Platoni λογιστικὴ & Aristoteli Intellectiva dicitur, & in cerebro locum obtinet. Est autem potentia Animalis, vis quædam in cerebro sedem habens, quâ homo ratiocinatur, sentit ac movetur, quæ ex cerebro per nervos, unà cum spiritu Animali in totum corpus & omnes ejus partes sensu ac motu indigent, diffunditur. Galenus itaque tres animalis facultatis species constituit: Intellectivam, Sensitivam & Locomotivam.

Tabella Animalis Potentiæ.


Animalis potentia in cerebro tripartita est,
- *Discernens, qua homo*
  - *Imaginatur,*
  - *Ratiocinatur,*
  - *Comminiscitur.*
- *Sentiens, qua est aut*
  - *Interna, qua rerum formas in abstracto comprehendit & discernit.*
  - *Externa, qua rerum qualitates*
    - *Videt,*
    - *Audit,*
    - *Olfacit,*
    - *Gustat,*
    - *Tangit.*
- *Locomotiva, qua homo se movet, nervos & musculos contrahendo & relaxando.*

SECTIO VIII.

De ACTIONIBUS HUMANIS.

Septima res in natura humana existens sunt Actiones, quæ si sint inculpatæ, sanitatis; si vitiosæ, morbi sunt indices.


1. Quid est Actio?

Actio sive functio, *Græcis* ἐνέργεια, *est motus activus sive efficiens ab una trium prædictarum potentiarum productus. Id vero quod actionem consequitur,* ἔργον, *id est opus nominatur, ut à potentia vegetativa oritur actio, quæ nutritio dicitur, & relinquit opus videlicet sanguinem, & sanguinis assimulationem substantiis partium.*

2. Humanarum actionum quot sunt genera?

Quemadmodum tria sunt & spirituum & Potentiarum in corpore nostro genera, ita omnes actiones humanæ ad tria genera, tresque illas potentias tanquam causas efficientes referuntur; suntque actiones omnes aut naturales, aut vitales, aut animales, veluti sequens ob oculos ponit tabella.

Tabella actionum humanarum.


Actiones humanæ triplicis sunt differentiæ,
- *Naturales,*
  - *Generatio,*
  - *Formatio,*
  - *Nutritio,*
  - *Augmentatio:* — *quibus subserviunt*
    - *Attractio,*
    - *Retentio,*
    - *Alteratio,*
    - *Expulsio.*
- *Vitales motus cordis*
  - *Pulsus qui constat ex*
    - διαστολῆ,
    - συστολῆ.
  - *Affectus animi*
    - *Lætitia,*
    - *Ira,*
    - *Tristitia, &c.*
- *Animales*
  - *Interna,*
    - *Sensus communis,*
    - *Imaginatio,*
    - *Ratiocinatio,*
    - *Memoria.*
  - *Externa,*
    - *Visus,*
    - *Auditus,*
    - *Gustus,*
    - *Olfactus,*
    - *Tactus.*

3. Quæ

3. Quæ sunt Actiones Naturales?

Actiones naturales sunt quæ ex potentiis naturalibus producuntur, veluti sunt Generatio, partium conformatio, nutritio, augmentatio, sanguificatio, assimilatio, quibus subserviunt naturales propriè actiones dictæ, attractio, retentio, concoctio, alteratio & expulsio, quibus & cibi potusque naturalis appetentia, quam famem sitimque appellamus, addi potest.

4. Quæ sunt Actiones vitales?

Sunt quæ ex corde per potentiam Animæ vitalem sive irascentem proferuntur, veluti sunt motus cordis qui duplices sunt, pulsus nimirum & affectus. Pulsus cordis constat ex duplici motu, διαστολῇ una id est dilatatione, & συστολῇ id est constrictione cordis, quo motu & arteriæ omnes pulsantur. Affectus animi. *Affectus sive Animi perturbationes sunt motus cordis turbulenti ab objectis bonis aut malis orti, in quibus cor non tam agit, quam patitur: hinc Græcis Affectus πάθημα nominantur. Affectuum species sunt Lætitia, Tristitia, Spes, Confidentia, Desperatio, Metus, Amor, Odium, Misericordia, Invidentia, Verecundia, Pudor, Humanitas, Morositas, Modestia, &c.*

5. Quæ sunt Actiones Animales?

Actiones Animales sunt quæ à Potentia Animali in cerebro existente excitantur, quæ triplicis sunt differentiæ. Aliæ enim sunt Inorganicæ & fiunt in cavitatibus cerebri, quæ solis hominibus sunt propriæ, veluti sunt sensus communis sive Receptio qualitatum sensibilium in abstracto, Imaginatio, Ratiocinatio seu Dijudicatio & Memoria, his annumerari possunt somnus & vigilia, quæ passiones potius, quam actiones cerebri dici debent. Aliæ sunt organicæ, hominibus communes cum brutis, quæ extra cerebrum per nervos & propria instrumenta perficiuntur, veluti sunt actiones sensuum exteriorum, visus, auditus, odoratus, gustus & tactus. Aliæ fiunt in omnibus corporis partibus, quemadmodum sunt actiones motus voluntarii, ut ambulatio, apprehensio, & partium extensio ac contractio.


6. Fiuntne alii motus locales in corpore, qui à voluntate non gubernantur?

Motus corporis morbosi & depravati. *Fiunt, sed quia à morbificis & violentis oriuntur causis, non inter actiones Animales, sed Passiones potius numerantur: tales sunt tremor, horror, oscitatio, pandiculatio, jectigatio, singultus, tussis, vomitus, cordis palpitatio, &c. Quid autem sint singulæ actiones & quomodo quibusque organis & in quem finem in vita perficiantur, ex libro de anima & ex doctissimi Fernelii Medicina sunt addiscenda.*

COMPENDII ARTIS MEDICÆ FRANCISCI JOELIS LIBER SECUNDUS,

De ſex rebus non naturalibus.

1. Quæ eſt ſecunda Medicinæ pars, & quænam res in ea tractantur?



SECUNDAM *Medicinæ partem Græci vocant ὑγιεινὴν, id eſt ſanitatis naturæque ex jam enumeratis rebus exſtructæ conſervandæ rationem. Docet enim hæc Medicinæ pars de iis rebus ſive objectis artis, citra quarum quotidianum uſum natura humana ſubſiſtere minimè poteſt, & quarum moderata & convenienti uſurpatione ſanitas & longævitas conſervatur, & natura in meliorem conſtitutionem convertitur: è contra earum abuſu & illegitima applicatione in morbos & exitium præcipitatur. Hinc Galenus eas res cauſas conſervatrices & alteratrices, Recentiores autem* res non naturales, eò quod non ſint partes eſſentiales humanæ naturæ, *veluti ſunt ſeptem res prædictæ, nominant.*

Sunt autem Res non naturales numero ſex, Aër, cibus & potus, ſomnus & vigilia, Exercitium & Quies, Retentio & Excretio, Animi affectiones.

SECTIO I.

DE AERE.

Octava res quæ circa humanam naturam conſideranda venit, & quæ prima numeratur inter Res non Naturales ſive cauſas conſervantes & alterantes naturam, eſt Aëris corpus noſtrum ambientis conſtitutio.

1. Cur Aëre nobis ad conſervationem naturæ eſt opus?

Aëris noſtrum corpus ambientis tanta eſt neceſſitas omnibus animantibus ad vitæ ſuæ conſervationem, ut ſine eo, momento quidem vivere nequeant. Nulla enim ratione evitare poſſumus, ſed etiam invitis nobis hauriendus eſt aër. Permagna igitur habenda eſt ratio aëris, docente Galeno, qualisnam ſit aëris corpus noſtrum ambientis conſtitutio, ſubſtantia & qualitas, ſine quo nec curari morbi, nec tueri ſanitas poteſt. Aëris neceſſitas.

2. Quot modis attrahitur Aër ambiens in corpus noſtrum?

Duplici ratione haurimus aërem ambientem intra noſtrum corpus, per os naresque, & per poros cutis. Per os & nares haurimus inſpirando, per poros vero perſpirando. Per os qui attrahitur Aër, primum per aſperam Arteriam in pulmones ducitur, & in ſiniſtrum cordis thalamum: qui verò per nares hauritur, is partim in cerebrum, partim ad fauces defertur: qui vero per poros cutis attrahitur, is per Arterias totius corporis permeat. Inſpiratio. Perſpiratio.

3. Quot & quæ utilitates ſunt Aëris intra corpus noſtrum hauſti?

Duæ ſunt præcipuæ utilitates hauſti aëris, videlicet vitæ conſervatio, & naturæ alteratio. Vitæ conſervatio per aërem attractum fit tali ratione; ſpiritus vitalis in corde & arteriis, & ſpiritus Animalis in cerebro, hauſto per reſpirationem & per ſpirationem aëre, nutritur & fruitur & ſimul purgatur atque purifi- Vtilitates aëris attracti.

purificatur. Cum maxima enim parte hausti aëris, fuliginosi & æstuantes halitus, tanquam excrementa spirituum per exspirationem & pororum cutis dilatationem exhalantur & evehuntur, & minima tantum pars, eaque purissima cedit in nutrimentum spirituum. Excluso itaque aëre & cohibita respiratione suffocantur animantia, & cohibita spiratione putrescunt humores in corporibus.

4. Alteratio naturæ quot modis & quomodo fit per aërem ambientem?

Duplici ratione alterare potest corpora nostra Aër ambiens, Essentia videlicet & qualitate. In alteratione primum omnium spiritus in corporibus ab Aëre hausto immutantur, quorum alterationem statim comitatur & Animi & corporis & Temperamenti adeoque totius naturæ immutatio. Essentia itaque Aëris temperata, serena & pura reddit puros & agiles spiritus. Hinc est quod homines cœlo sereno sunt hilares, agiliores & ad actiones omnes peragendas habiliores; & è contra in turbida & nebulosa aëris constitutione subtristiores & languidiores sunt. Ita quoque pestilens, crassus, fætidus & corruptus aër sua substantia statim inficit spiritum vitalem, & extinguit in nobis flammam vitæ. Simili ratione Aër excessu suæ qualitatis alterat corpora nostra. Calidus enim calefacit, frigidus refrigerat, humidus humectat, & siccus arefacit & squalidiora reddit. Quin & mores & ingenia hominum aër ambiens fingit & alterat. Quod enim Asiatici molles sunt, effœminati & imbelles, & Europæi & septentrionalium locorum incolæ fortes & bellicosi, id constitutioni Aëris tribuit Hippocrates, & ob hanc causam necessaria est tyronibus Medicinæ cognitio Astronomiæ & Geometriæ, ex quibus discunt aëris & ventorum naturam. Aër enim alteratur pro diversitate regionum, partium anni, & pro ortu ac occasu syderum.

Qualis aër, talis spiritus & temperamentum.

Mores aëris naturam sequuntur.

Hipp. l. de aëre loc. & aq.

5. Qualis constitutio aëris cuilibet corpori ad naturæ suæ conservationem convenit?

Quantum ad Essentiam attinet, purus & amœnus aër omnibus corporibus convenit: & vice versa crassus, fætidus & pestilens omnibus hominibus est perniciosus. Sed quantum ad qualitatem aëris attinet, temperatus aër temperatis solum corporibus convenit, secus verò habentibus contrariatur, ut calidis frigidus, frigidis calidus, siccis humidus, humidis siccus: in quibus & salubrius & diutius vivere possunt, & sequenti tabella conspiciuntur.

Tabella constitutionis Aëris.

Aëris corpus nostrum ambientis observare oportet
- *Essentiam, an sit*
  - *Purus, Amœnus:* } *est saluberrimus.*
  - *Pestilens, Crassus, Nebulosus, Fætidus:* } *est perniciosus.*
- *Qualitatẽ, an sit*
  - *Temperatus qui temperatis convenit.*
  - *Calidus, Frigidus, Humidus, Siccus,* } *convenit* } *Frigidis, Calidis, Siccis, Humidis* } *corporibus.*

SECTIO II.

DE CIBO ET POTU SIVE ALIMENTIS.

Nonum objectum circa quod ars Medica versatur, sive secunda Res non naturalis est nutrimentum sive cibus & potus intra corpus assumptus. Dicitur autem cibus quicquid in sicciori, potus vero quicquid in humidiori substantia intra corpus assumitur.

Cibus & potus quid.

1. Cibus & potus assumptus quid præstat in corpore nostro?

Cibi utilitas.

Cibus potusque intra nostrum corpus ingestus, triplicem producit in natura effectum. Primum conservat corporis integritatem & corroborat corpus nutriendo, teste Lucretio, qui inquit; propterea capitur cibus, ut suffulciat artus, cum enim tota corporis moles perpetuo fluori sive absumtioni per caloris nativi actionem sit subjecta, natura minimè subsistere posset, nec robur corporis tueri, nisi subinde cibi potusque assumtione id quod defluxit per nutritionem restauraretur. Secundo Cibus & potus assumptus alterat corpora nostra, id est, immutat temperiem corporum. Calida enim alimenta calefaciunt, frigida refrigerant, sicca desiccant, & humida humectant nostra corpora. Tertio cibus & potus immutat formatque mores & ingenia. Corporis enim temperiem sequuntur hominum mores, Galeno & Platone in Timæo testibus. Qualis enim est cibus assumptus, talis erit & sanguis nutriens, qualis sanguis tales sunt & spiritus, & quales spiritus talia sunt & ingenia.

Gal. l. 1. de san. tuend. Bona victus ratio mores quoque bonos reddit.

2. Quomodo fit nutritio?

Nutritio est alimenti assumpti in corporis nostri substantiam conversio & assimilatio. Verum fames nutritionem semper præcedit. Est autem fames appetentia cibi, sicut sitis est appetentia potus, vel ut Galenus definit; Fames est sensus suctionis venarum. Membra enim omnia ad restitutionem eorum quæ in eis sunt absumpta, sugunt sanguinem ex venis in sese contentis, quæ rursus sugunt sanguinem ex venis majoribus proximis; ille iterum ex vena cava, vena cava exhausta trahit sanguinem ex Epate, Epar trahit χύλον ex venis Mesaraicis, venæ Mesaraicæ ex intestinis, intestina ex ventriculo per pylorum, ventriculus autem ex attractione corrugatur, moventur nervi ex cerebro in ventriculum dispersi, qui dolorem sive appetentiam cibi & potus, quæ fames sitisque nominatur, excitat & cogit hominem ad quærendum & assumendum alimentum. Nutritio itaque tali modo & ordine fit. Alimenti assumpti primum in ore fit quædam præparatio & comminutio, quod tamen gula excipit & ventriculo defert. Ventriculus autem assumptum alimentum arctissimè complectitur, & innato suo calore concoquit & specifica virtute transmutat in succum cremori ptisanæ similem, quem Græci χύλον vocant, succo exactè concocto aperitur πύλωρος, id est inferius orificium ventriculi & in intestina profunditur, ex quibus benigniorem hujus succi partem fugunt venæ Mesaraicæ, quarum orificia inserta sunt intestinis, crassior autem & terrestrior hujus succi pars dejicitur per alvum. Porro suavior pars chyli per venas Mesaraicas attracta defertur in Epar, ibidemque secundo concoquitur, & specifica Epatis virtute convertitur in massam sanguineam, quæ massa exactè concocta purificatur & ab Elementaribus superfluitatibus segregatur. Quicquid enim igneæ superfluitatis massæ sanguineæ inest, vesicula bilis excipit & fugit, terrestriorem feculentioremque ejus partem rapit ad se lien, aquosiorem verò Renes, purior autem sanguis cogitur in venam cavam, unde per venarum ramos in universum corpus & omnes partes nutriendas defertur & distribuitur; qui ubi è venarum orificiis in substantiam partium instar roris elabitur, primum fit appositio, secundo agglutinatio & tertio assimilatio, quæ finis est nutritionis.

Fames quid. Quomodo appetitus excitetur.

Modus concoctionis ventriculi.

Sanguificatio in epate.

Assimilatio in solidis partibus.

3. Alimenta & Medicamenta intra corpus assumpta quomodo inter se differunt?

Alimentorum differentia.

Omnia quæ intra corpus assumuntur aut sunt alimenta aut medicamenta, quæ in hoc tamen inter se differre ait Galenus l. 4. cap. 2. de simplicium facultatibus; *Quod alimenta alterentur in corpore & transeant in partis nutriendæ substantiam: Medicamen-*

ta vero alterant corpus. Porro alimentorum alia sunt absolutè alimenta, quæ semper alterantur & in substantiam corporis convertuntur, veluti sunt panis, caro, cerevisia, lac & similia. Alia sunt alimenta medicamentosa, quæ partim alterantur in corpore, partim alterant ipsum corpus, ut lactuca, pruna, Vinum &c. Simili ratione Medicamentorum alia sunt absolutè Medicamenta, quæ semper alterant corpora nostra, talia sunt omnia pharmaca fortiter purgantia & deleteria; alia sunt Medicamenta alentia, ut sunt mel, vinum &c.

4. Circa delectum alimentorum quæ sunt observanda?

Observanda in usu alimentorum. *Sanitatis studiosis octo sunt consideranda, circa cibi potusque electionem, veluti sunt:* I. *Substantia.* II. *Quantitas.* III. *Qualitas.* IV. *Consuetudo utentis.* V. *Suavitas.* VI. *Mundicies.* VII. *Ordo ingerendi.* VIII. *Tempus conveniens.*

Substantia alimentorum. I. *Substantia alimentorum diligenter est consideranda, quæ alimenta sunt tenuia, quæ crassa, quæ εὔχυμα, quæve κακόχυμα; id est ex quibus aut purus aut pravus generetur sanguis. Ex boni enim succi cibis optimus producitur sanguis & replet corpus κακοχυμίᾳ. Debet itaque cibus & potus eligi qui substantiæ sit mediocris, & boni succi. Crassiorum enim alimentorum usu obstructiones viscerum generantur.*

Quantitas. II. *Quantitas sive mensura ingerendorum, quæ tanta esse debet ut vires reficiat non opprimat. Ubi enim plus alimenti ingeritur quam natura exigit, & conficere potest, morbos facit teste Hippocrate 2.* Aphoris. 17. *Memoria itaque tenenda est saluberrima Hippocratis sententia 6. Epidemiorum Sectione* IV. Ἄσκησις ὑγιεινὴ ἀκορίη τροφῆς ἀοκνίη πόνων, *id est, studium sanitatis est non satiari cibis & impigrum esse ad labores.*

Qualitas Vide Gal. consilium hac de re, l. 6. de san. c. 3. ubi distinguit, quibusdam similem aliis contrarium rectum præscribens. III. *Qualitas, qualis videlicet cibus potusque cujuslibet corporis naturæ conveniat. Temperatis enim naturis temperata alimenta, frigidis vero calida, calidis frigida, humidis sicca, siccis humida magis idonea sunt.*

Consuetudo. IV. *Consuetudo, consueta enim etsi paulò deteriora sunt insuetis salubrioribus sunt præferenda, teste* Hipp. I. Aphoris. 17. & Galen. l. 5. c. 8. *de tuenda sanitate disertè docet, consuetudinem etiam pravam in assumendis alimentis non temere esse mutandam, nisi urgente aliquo periculo.*

Suavitas. V. *Suavitas. Nam quæ cum voluptate assumuntur, melius & citius in ventriculo concoquuntur. Rectè itaque suadet* Hippoc. 6. Aphoris. 38. *inquiens; Parum deterior cibus & potus, suavior tamen, melioribus sed minus suavibus est anteferendus.*

Mundicies. VI. *Mundicies, ne videlicet quis sine delectu alimenta sordida situ obducta & ab iis quæ foris incidere possunt non abluta alimenta ingerat, unde tandem prurigine, scabie, & venenosis qualitatibus afficitur corpus.*

Ordo. VII. *Ordo ingerendi, ut nimirum cibi molles & concoctu faciles præmittantur cibis durioribus & concoctu difficilioribus.*

Tempus. VIII. *Tempus id est hora prandii & cœnæ: est autem oportunissimum assumendi cibi & potus, ubi appetentia cibi, id est fames adest, & quando ante assumpta alimenta exactè sunt digesta & alvus ab excrementis est exoneratus.*

Ante cibum exercitium. *Plurimum autem facit ad tuendam valetudinem, si corpus moderatè exerceatur ante assumptionem cibi, juxta Aphorismum Hippoc. Labores cibos præcedant.*

5. Communia familiariaque alimenta quæ sunt & unde sumenda?

Omnia alimenta naturæ humanæ convenientia sumuntur aut è terra nascentibus, veluti sunt radices, olera, frumenta, legumina; aut sumuntur ex arboribus, ut sunt fructuum genera; aut ex animantibus vel pedestribus vel volucribus, vel aquatilibus, qualia sunt Lac, butyrum, caro & ova, quorum usitatoria sequens tabella complectitur.

Tabella


Tabella Alimentorum usitatiorum.



- *Alimenta aut sunt*
  - *Ex terra nascentia,*
    - *Radices,*
      - *Rapa,*
      - *Cepa,*
      - *Pastinaca,*
      - *Napi,*
      - *Cerota,*
      - *Petroselinum.*
    - *Olera,*
      - *Olus,*
      - *Lactuca,*
      - *Spinachia,*
      - *Cerefolium,* Kervel.
      - *Brassica,*
      - *Beta.*
    - *Frumenta,*
      - *Triticum,*
      - *Siligo,*
      - *Hordeum,*
      - *Oryza,*
      - *Avena.*
    - *Legumina,*
      - *Pisa,*
      - *Faba,*
      - *Milium,*
      - *Lentes,*
      - *Ciceres.*
  - *Fructus arborum, ut*
    - *Mala,*
    - *Pyra,*
    - *Persica mala,*
    - *Ficus,*
    - *Pruna,*
    - *Cerasa,*
    - *Iuglandes,*
    - *Avellana* / *Amygdala* / *Castanea* } *nuces,*
    - *Vva,*
    - *Oliva.*

- *Alimenta sumuntur ex animalibus aut*
  - *Pedestribus*
    - *Domesticis,*
    - *Feris:*
  - *Volucribus*
    - *Domesticis,*
    - *Feris:*
  - } *Ex quibus sumuntur*
    - *Lac,*
    - *Butyrum,*
    - *Caseus,*
    - *Serum,*
    - *Ova,*
    - *Caro.*
  - *Aquaticis seu piscibus degentibus aut in*
    - *Fluviis,*
    - *Mari,*
    - *Lacubus.*

Carnes



Radices esculentæ.

6. Quæ sunt temperamenta & facultates Alimentorum ex Radicibus sumptorum.

Rapum, γογγύλη, **grosse Rüben** / *calidum est & humidum in primo gradu, saginat & crassum gignit sanguinem, & flatus generat.* Diosc. lib. 2. cap. 104.

Napus, βουνιάς, **Steckrüben** / *calidus est in primo, parum nutrit, flatus generat & Venerem excitat.* Diosc. lib. 5. cap. 105.

Cepa, κρόμμυον, **Zypollen** / *calida est & humida, valde mordax, parum nutrit, melancholicum generat sanguinem, flatus gignit, visum debilitat, tumultuosum somnum parit.* Diosc. l. 2. c. 145.

Porrum, πράσον, *est ex ceparum genere & easdem habet facultates.*

PETROSELINUM, σέλινον, *est apium hortense calidum & siccum, parum nutrit, tenuem gignit sanguinem, urinam & menstrua movet, flatus discutit.*

CAROTA vel siser, σίσαρον, **gelbe Rüben oder Mohrrüben** / *calidum est moderatè, probè nutrit, ventriculum corrobo-*

roborat, & bonum generat sanguinem. Diosc. lib. 2. c. 107.

PASTINACA, calida est & humida, crassum generat sanguinem, probe nutrit, Venerem excitat, urinam & menses promovet, semen ejus ventres mulierum ex flatu tumentes tollit. Diosc. lib. 3. c. 53.

7. Quæ sunt Temperamenta & facultates Olerum quæ in alimentum veniunt?

Olera. *Olus est generis vocabulum & significat omnia alimenta quæ sumuntur ex herbaceis generibus.*

BRASSICA, κράμβη, Kohll/ *duorum est generum, Crispa seu foliata, & brassica capitata,* Kabbuß oder weißkohll/ omnia *autem* brassicarum genera calida sunt & moderatè sicca, *parum nutriunt, crassum & melancholicum gignunt sanguinem; oculis obsunt.* Diosc. l. 2. c. 113.

LACTVCA, θρίδαξ Lactucke/ *frigida est & humida, parum nutrit, sitim arcet & somnum conciliat.* Diosc. l. 2. c. 129.

BETA, τεῦτλον, Beethe/ calida est & humida, *parum nutrit, crassum gignit sanguinem, stomachum mordicat, & alvum ad excretionem proritat.* Diosc. l. 2. c. 116.

SPINACVLA, σπινάχια, est olus & species atriplicis sativæ, frigida & humida, parum nutrit, ventrem lenit. Diosc. lib. 2. c. 112.

CEREFOLIVM, γιγγίδιον, utilissima est stomacho, moderatè calida & sicca, temperatum gignit sanguinem. Diosc. lib. 2. cap. 121.

Frumenti genera. 8. Quæ sunt Temperamenta & facultates Frumentorum quibus vescimur?

TRITICVM, πυρὸς, Weitze/ *calida est & humida moderatè. Panis ex tritico confectus plenissimè nutrit, optimum temperatumque gignit sanguinem.* Diosc. lib. 2. c. 83.

SILIGO, ὄλυρα, Roggen/ *calida est & humida. Panis siligineus minus nutrit quam triticeus, bonum gignit sanguinem.* Diosc. l. 2. c. 84. *Dicitur etiam hoc genus frumenti, secale.*

HORDEVM, κριθὴ, frigidum & siccum est. Ex hordeo varia genera tum esculentorum tum potulentorum parantur. Panis autem ex hordeo parum nutrit & pravum sanguinem gignit, sed zythum quod cerevisiam vocant ex hordeo coctum probè nutrit bonumque gignit sanguinem. Cerevisia. *Hordeum à cortice superiori mundatum quod ptisana & nobis* Gerstegrupen *nominatur, probe nutrit bonumque gignit sanguinem; quæ ptisana, si crassiusculè confringatur, χόνδρον, nobis* Gerstgrütze *nominatur, quod & ipsum optimè nutrit & bonum gignit sanguinem.* Ptisana. *Aqua autem hordei non excorticati sed usque ad creputuram cocti, item cremor ptisanæ ex confracta ptisana coctus, quod nobis* gerstwelgen/ *refrigerat, sitim sedat, humectat & asperitates lenit, ideo febricitantibus commodissimè exhibetur.* Diosc. l. 2. c. 79. Decoctum Hordei.

AVENA, βρῶμος, Haber/ *calida & sicca est moderatè. Fit ex avena tosta & excorticata crassiusculeque trita χόνδρον* Habergrütze/ *ex quo conficitur pulmentum & cremor qui optimè nutrit, bonum gignit sanguinem & asperitates non secus ac cremor ptisanæ lenit.* Diosc. l. 2. c. 87.

ORYZA, ὄρυζα, Riß/ *calida & sicca est in primo gradu, mediocriter alit, & bonum gignit sanguinem, sed alvum constringit nisi corrigatur saccaro.* Diosc. l. 2. c. 88.

Panis genera. *Ex Frumentis varia conficiuntur panis genera, veluti sunt similaceus* Weißbrodt/ *siligineus* Roggenbrodt/ *panis bis coctus vel nauticus* Zwebacken/ *Panis hordeaceus* Gerstenbrodt/ *Panis furfuraceus* Hundebrodt/ *Panis elotus* Weggen *item* Kringeln: *Panis autem à pascendo nomen habet, Nonio teste. Alii autem à πᾶν, id est omne, quod omnia obsonia sine pane sint insipida.*

Legumina esculenta. 9. Quæ sunt Temperamenta & facultates leguminum quæ in alimento usurpantur?

PISVM, πίσον, Erbsen/ *frigidum est & siccum, bonum gignit sanguinem, sed parum nutrit, & flatus generat, calculumque movet.* Galen. lib. 1. cap. 27. de Aliment. facult.

FABA, κύαμος, Bonen/ *frigida est & sic-*

& sicca, crassum gignit sanguinem, mediocriter nutrit, inflationes plurimas excitat. *Faba decocta cum corticibus, earum jusculum prodest dysentericis. Farina ejus cutis sordes detegit.* Diosc. lib. 2. cap. 98.

Fagopyrum quoque Bock-weite in frequenti est usu, melius alit, quam milium, minus tamen tritico.

MILIUM & PANICUM, Græcis κέγχρος, Hirse/ *frigidum est & siccum, parum nutrit, nec sanguinem bonum generat, ventris fluxum sistit.* Diosc. l. 2. c. 97.

Lens, φακὸς, Linsen / *sicci sunt & frigidi lentes & crassum ac melancholicum sanguinem generant, alvum adstringunt, oculorum aciem obtundunt, & tumultuosa somnia inducunt.* Diosc. lib. 2. c. 100.

CICER, ἐρέβινθος, Kichern / *calidum est & siccum. Cicera copiosè nutriunt, bonum gignunt sanguinem, lac & semen plurimum augent, menses movent & calculos Renum comminuunt.* Diosc. l. 2. c. 97.

Fructus arborei.

10. Quæ sunt Temperamenta & Facultates fructuum usitatorum.

Mala, μῆλα, Eppel. *Malorum infinita ferè sunt genera, sed Galenus à saporibus sumens differentias ad tria tantum genera refert; Dulcia, Acida & Austera. Omnium autem ferè mala frigida sunt & humida, sed acida dulcibus sunt frigidiora, parum nutriunt & crudum generant sanguinem, putrefactionique obnoxium.* Diosc. l. 2. c. 131.

PIRA, ἄπια, Birn. *Vt malorum ita & pirorum multa sunt genera, temperamento humida & frigida, sed stomacho grata sunt propter astringendi facultatem, parum nutriunt. Assa & cocta meliorem gignunt sanguinem quam cruda. Pira ante cibum sumpta alvum constringunt, sed post cibum laxant.* Diosc. l. 2. c. 132.

PERSICA MALA, περσικὰ μῆλα, *humida sunt & frigida, citissimè in ventriculo corrumpuntur & putrescunt, nil nutriunt, pravum generant sanguinem, & solis æstuantibus stomachis prosunt, semper itaque ante alios cibos sumenda. Nuclei ejus urinam movent & calculos confringunt.* Diosc. lib. 1. c. 131.

FICI, σῦκα, *calidi sunt & humidi, bene nutriunt, crassum generant sanguinem, arenulas ex renibus purgant, alvumque solvunt.* Diosc. l. 1. c. 137.

PRUNA, κοκκύμηλα, Pflaumen. *Omnia prunorum genera frigida sunt & humida, alvum solvunt, & cruda quidem pituitosum generant sanguinem, sed in furno siccata medicamentosum præbent alimentum. Alvum enim leniunt, præsertim dulcia, & interim nutriunt corpus, præsertim Hungarica & Bohemica, quæ* Schwetschen & Ungersche Pflaumen *nominantur.* Diosc. l. 3. c. 137.

CERASA, κεράσια. *Cerasorum varia sunt genera, sed præcipua sunt parva & dulcia, majora & acida, quæ frigida sunt & humida, ventriculoque æstuanti convenientissima, dulcia alvum laxant & pituitosum sanguinem gignunt.* Diosc. l. 1. c. 129.

IUGLANDES, κάρυα βασιλικά, *nuces regiæ*, Wallnüsse. *Calidæ sunt & siccæ & colericum gignunt sanguinem, difficulter concoquuntur, pectus obstruunt, nocent stomacho, tussim excitant & capitis dolorem inferunt, nisi sint recentes & cum sale edantur.* Diosc. l. 1. c. 141.

Vnica nux prodest, nocet altera, tertia mors est.

AVELLANÆ, κάρυα ποντικά, *calidæ sunt & siccæ, bene nutriunt & obesa reddunt corpora & sanguinem colericum generant.* Diosc. l. 1. c. 142.

AMYGDALÆ. Duo sunt amygdalarum genera, dulces & amaræ, ambo calida & sicca. Dulces optimè nutriunt & laudabilem gignunt sanguinem. Amaræ arcent ebrietatem & crassos pituitososque humores expectorant. Diosc. l. 1. c. 139.

Valdè adstringunt alvum amygdalæ.

CASTANEA, κάστανα, *frigida est & sicca, crassum gignit sanguinem, optime nutrit, alvum sistit, flatum gignit & Venerem concitat.* Diosc. l. 1. c. 123.

UVÆ, σταφυλαὶ, *temperatæ sunt, optimè nutriunt; bonum gignunt sanguinem, sed alvum turbant.* Diosc. lib. 5. c. 3.

OLIVA, ἐλαία, *fructus est oleæ arboris, ex quibus exprimitur oleum. Olivæ immaturæ sale condiuntur, quæ frigidæ sunt & siccæ, parum nutriunt, ventriculum corroborant, & appetentiam excitant.* Diosc. l. 1. cap. 120.

11. Quæ res ex animalibus sumuntur in alimenta hominum, & quæ sunt singularum temperamenta & vires?

Ex volucribus ova, ex quadrupedibus lac, butyrum, caseus, & ex omni genere animalium caro in cibum veniunt hominibus, quarum temperamenta & vires hæ sunt. Ova. *O-vum,* ὠόν. *Ovorum usitatiorum præstantissima sunt ova Gallinarum recentia, postea anserina, his pejora censentur anatina. Ova porro inter alia alimenta temperatissima sunt. Habent autem ova duas in se partes, albumen quod frigidius est, & vitellum quod paulo calidius existit.* Optimum nutrimentum. *Ex ovis recentibus purissimus generatur sanguis, & copiosissimum præbent nutrimentum, sed pro ratione cocturæ alia aliis salubriora sunt, Ova enim sorbilia uberrimè nutriunt, post illa ova tremula,* weiche Eyer. *Dura verò, sive in duriciem cocta difficulter concoquuntur, parum nutriunt, crassum generant sanguinem & alvum supprimunt.* Frixa insalubria. *Omnium autem insaluberrima sunt ova in sartagine frixa,* Eyerfladen. *Ova sorbilia,* die nur halb gahr sind/ *præterquam quod probe nutriunt, gutturis pectorisque asperitates leniunt, tussi, pleuritidi, hecticis, sanguinem spuentibus conferunt, vocis raucedinem & anhelitus compressionem auferunt.* Diosc. l. 2. c. 43. Galenus l. 3. de Facult. Alimentorum.

LAC, γάλα, *est purissima pars sanguinis, mammillarum temperamento in substantiam albam conversa. Lac ex tribus substantiis constat, videlicet butyrosa, caseosa, & serosa, quæ per longam concussionem lactis ab invicem separata, varium consequuntur temperamentum.* Lacticinia esculenta. *In alimentum autem in hisce borealibus regionibus veniunt lac caprinum, vaccinum & ovinum. Lac caprinum temperamento est frigidum & siccum. Vaccinum paulo humidius & calidius est, ovillum autem infimum in bonitate habet locum. Item lac dulce calidius est, acidum autem magis refrigerat & humectat. Lac autem coctum optimum est alimentum. Probè enim nutrit & bonum generat sanguinem, sed non omnibus corporibus convenit. In frigido enim ventriculo citò acescit & acidos ructus edit. In calido autem corrumpitur, & halitus nidorosos excitat. Non est itaque utile caput dolentibus, febricitantibus & calculosis omnibusque pituitosis lac præbere.* Hipp. aph. 64. l. 5. *Convenit autem ætate consistentibus, sensibus natura calidis, Phthisicis, & macie laborantibus.*

BUTYRUM, βούτυρον, *est pinguor & magis aërea substantia à lacte separata, quod temperamento calidum est & humidum, plurimum nutrit, bonum generat sanguinem, pectoris & pulmonis asperitates lenit.* Butyrum. Diosc. l. 2. c. 66.

CASEUS, τυρός, *est terrestrior pars lactis à sero expressa. Caseus recens & salis expers frigidus est & humidus & minus noxium præbet alimentum. Vetustior autem calidus & siccus evadit, parum nutrit & pessimum generat viscosumque sanguinem, Iecur obstruit & in renibus calculum gignit, quanquam consuetudine, cui aliquid donandum suadet Hippocrates, receptum est, ut in omnium ferè mensis pro concludendo stomacho caseis utamur.* Diosc. l. 2. c. 65.

12. Quæ sunt Temperamenta & facultates carnium quibus in cibis vescimur?

CARO, σὰρξ *vel* κρέας. *Carnes Animalium copiosius & salubrius alimentum præbent quam quodvis aliud edulium, verum pro diversitate & natura Animalium diversi sunt Temperamenti, & alia aliis, facilius difficiliusque concoquuntur, & aliæ magis aliæ minus nutriunt, aliæ item crassiorem, aliæ tenuiorem puriorem que gignunt sanguinem.* Carnium differentiæ. *In universum autem in carnibus observandum venit juniorum & crescentium animalium carnes præstantiores esse quam vetustiorum; Valde enim novellorum excrementosæ sunt & vetulorum duriores & sicciores concoctuque difficiliores.* Gal. lib. 3. c. 1. de aliment. facult.

VITULUS, μόσχος. *Caro vitulina temperata est, nonnihil tamen ad caliditatem & siccitatem vergens facile concoquitur, optimè nutrit, & optimum generat sanguinem.* Galen. l. 3. cap. 1. de alimentorum facult.

BOS, βοῦς. *Caro bovina calida est & sicca.* Bovina caro. Galen. 3. c. 1. de aliment. facult. *carnem*

nem bovinam prorsus damnat, crassique succi esse ait. At usus & experientia quotidiana docet carnem bovinam juvenci, moderata pinguedine intertextam benè nutrire, & optimum generare sanguinem & ejus jusculum ad virium restaurationem utiliter exhiberi.

Caro suilla. *SVS, PORCVS, χοῖρος. Caro suilla à Galeno loco præcitato mirificè commendatur. Inquit enim omnium ciborum Suum caro potentissimè nutrit, idque propter similitudinem cum humana carne, & ait optimum generare sanguinem.* Levit. c. 11. *At Deus esum suillæ vetat, sanitati populi Israëlitici consulens. Vescuntur enim sues alimentis impurissimis, & soli inter animalia lepra corripiuntur. Caro suilla temperamento calida est & humida & lentum ac crassum gignit sanguinem, difficulter concoquitur, sed optime nutrit, saturatque citissime: quæ de recentibus carnibus sunt intelligenda.* En causam scorbuti apud septentrionales. *Caro autem suilla salita,* gesaltzen / *& per annum fumo siccata, quales sunt apud nos succidæ,* Sijdenspeck/ *& pernæ,* die Schincken / *magis sunt calidæ & siccæ & melius nutriunt, sed melancholicum gignunt sanguinem.*

VERVEX, κριὸς ἐκτετμημένος, id est, Aries castratus ein Hammel. *Caro vervecina calida & humida, probe nutrit, & bonum gignit sanguinem. In omni enim genere Animalium carnes castratorum sunt præstantiores non castratis.* Gal. lib. 3. cap. 1. de aliment. facultat.

Ovis, οἶς vel πρόβατον. Caro ovina ex ove vetustiore calida est & humida & valde excrementosa. Parum nutrit & viscidum gignit sanguinem: sed bidens laudatur à Galeno loco præcitato.

Caro agnina insalubris. *AGNVS, ἀγνὸς, quasi dicas purus & castus. Agni lactantis caro humidissima & valde mucosa est, ideo vituperatur à Galeno, sed agni semestris caro optimè nutrit, bonum gignit sanguinem, ideo & in sacris literis laudatur.*

Carnes ferinæ. *LEPVS, λαγωὸς. Caro leporina calida est & sicca, ægrè concoquitur, parum nutrit & melancholicum generat sanguinem; assata dysenteriacis prodest.* Diosc. lib. 2. cap. 18.

CERVVS, ἔλαφος. Caro cervina frigida est & sicca, difficulter concoquitur, parum nutrit, crassum & melancholicum gignit sanguinem. Galen. lib. 3. cap. 1. de aliment. facult.

CAPREOLVS, δορξ. Capreolina caro temperata est, parum ad siccitatem accedens, facilè concoquitur, benè nutrit, sed melancholicum efficit sanguinem.

APER, κάπρος, porcus sylvestris. Caro aprina calida est & humida, facilè concoquitur, bene nutrit, & inculpatum gignit sanguinem.

13. Carnes volucrum quibus Temperamentis sunt præditæ & quas habent facultates? Carnes volucrum domesticarum.

Gallina, ἀλεκτορὶς. Caro gallinarum temperata est, facile concoquitur, benè nutrit & optimum gignit sanguinem. Gal. lib. 3. cap. 18. de aliment. facult.

CAPO, ἀλεκτρυὼν ἄνορχις, id est Gallus castratus. Caro caponum temperatissima est, facilimeque concoquitur, & optimum generat sanguinem, adeo ut nulla sit caro, quam caponum caro bonitate non superet. Caro caponum optima. *Ex carne caponum aqua destillata vires mirificè reficit delapsas, & restaurat.* Gal. loco præcitato.

ANSER, χὴν. Caro anserina calida est & humida, difficilis concoctionis, crassum generans sanguinem, benè nutriens. Anseres multis nominibus utiles sunt hominibus, pluma, carne, adipe, & stercore. Gal. lib. 3. cap. 19. de aliment. facult.

ANAS, νῆττα. Caro Anatis juxta Avicennam est calidior omnium avium domesticarum, & difficulter concoquitur, excrementosum & melancholicum gignit sanguinem parumque nutrit. Galen. loco præcitat.

Carnes volucrum sylvestrium. *COLVMBVS vel COLVMBA, περιστερά. Caro columbina calida est & humida, moderatè nutrit, sanguinem gignit cholericum, ideo febricitantibus non convenit. Columbæ in turribus degentes domesticis salubriores sunt.* Gal. de attenuante vict. cap. 6.

PERDIX, πέρδιξ. Caro perdicum generosa est & temperatissima, facile concoquitur & sanguinem exquisitè temperatum generat, copiosè nutrit, Veneremque stimulat.

Galen. de cibis boni & mali ſucci, cap. 6.

CYGNUS, κύκνος, *Olor, avis anſeri cognata; caro ejus frigida eſt & ſicca, ac difficilis concoctionis, excrementoſum generat ſanguinem & parum nutrit.*

GRUS, γέρανος. *Caro gruum frigida eſt & ſicca, difficulter concoquitur, melancholicum generat ſanguinem, parum nutrit. Lege* Plin. lib. 10. cap. 27.

PALUMBES, φάττα, *Sylveſtris columba. Caro palumbina frigida eſt & ſicca, difficulter concoquitur, excrementitium gignit ſanguinem, parum nutrit.* Galenus de attenuante victu, cap. 7.

TURTUR, τρυγών. *Caro turturum calida eſt & ſicca, facilè concoquitur, bonum gignit ſanguinem, beneque nutrit.* Galen. de Attenuante victu, cap. 7.

TURDUS, κίχλη, Ein Kramßvogel. *Caro Turdi calida eſt & ſicca, optimum gignit ſanguinem & benè nutrit. Hinc Martialis:*

Inter aves Turdus, ſi quis me judice certet;
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Avicularum carnes ſalubres.

Reliquarum parvarum avicularum carnes quando ſunt pinguiores eo meliores, & montanæ ac ſilveſtres iis quæ in planicie aut ad aquas degunt, præferuntur, quæ omnes ad caliditatem & ſiccitatem vergunt, optimeque nutriunt.

14. Quæ ſunt Temperamenta & Facultates alimentorum ex piſcibus ſumptorum?

Quinam piſces ſalubriores.

PISCES ſunt animalia quæ in aquis degunt, natant ac nutriuntur. In univerſum autem fluviales piſces marinis & in ſtagnis, lacubuſque degentibus, ſalubriores ſunt, ſemper ſquamatici glabris, ſaxatiles limoſiori loco degentibus, durioris carnis mollioribus, aſſati elixis, recentes ſale conditis fumoque duratis ſunt præferendi. Piſcium porro omnia genera temperamento frigida ſunt & humida, pro natura nimirum elementi in quo degunt, frigidumque ac humidum & lentum gignunt ſanguinem. Piſcium itaque eſus ſolis bilioſis & calidioribus naturis utilis eſt: Pituitoſis autem plurimum obeſt. De piſcium generibus lege Galen. lib. 2. de alim. fac. cap. 23.

Salubriores & ſapore præſtantiores piſces in hiſce terris ſunt, lupus ſive lucius ein Hecht / *Perca* ein Bars / *perca aculeata ſive maculoſa* ein Kuhlbars / *Funduli* Grundeling / *Gobius* Schmerling / *Truta* Faren / *Salmo* Lachs / *Sturio* Stör.

Piſces inſalubres.

Minus ſalubres cenſentur, Carpio Karpe / *Ciprinus vel praſſinus* Braſſem / *Albutinum* Bleye / *Haringa* Herinck / *Caraſius* Karns / *Plocinus* Ploze / *Rubeculus* Rodoge / *Balæna* Wels / *Capito* Dorsch / *Saperda* Karutze. *His annumerari poſſunt, Paſſer* Schullen / Flundern / Butten / *ſignificat enim omnes piſces planos, Salpa* Rodtſcher / *Aſellus* Bergerfiſch / *item* Stockfiſch. *Omnium autem inſaluberrimi ſunt Anguilla* Aell / *Congrus* Kompanckten oder kleyn Aell / *Tinca* Schlye / *Phoca* Sehlhund / *Cancer* Krebeß / *Paguri vel Carabi* Krabben: *Enumerati piſces partim recentes, partim ſale conditi, partim fumo aëreque durati in alimentum veniunt.*

15. Alimentorum facultates & temperamenta quibus modis immutantur?

Præparatio alimentorum multum eorum facultates immutat.

Omnium alimentorum facultates & temperamenta duplici ratione immutantur, præparatione & conditura; præparatione omnia aſſa elixis redduntur ſicciora, omnia ſalſa & fumo durata recentibus redduntur calidiora & ſicciora. Conditura autem omnia genera eſculentorum, naturam & qualitatem rerum, quibus condiuntur, in ſe recipiunt.

16. Quibus rebus potiſſimum condiuntur obſonia noſtratia?

Sale, Pipere, Croco, Mace, Cynamomo, Cariophilis, Zinzibere, Melle, Aceto.

17. Condimentorum recitatorum quales ſunt Facultates?

Condimenta uſitatiora.

Sal, ἅλς. *Optimum condimentum eſt ſal, inquit Plautus. Sale enim nullum eſt condimenti genus precioſius, ſine ſale ſiquidem omnia eſculenta ſunt inſipida. Sal commune ex ſalſis aquis coquitur. Ejus uſus eſt non tantum ut obſonia ſapidiora reddat, verum etiam ut carnes piſceſque à corruptione præſervet. Sal calefacit & exſiccat impensè, humiditates omnes ſuperfluas & excrementicias con-*

consumit, & corporum substantiam contrahit. Diosc. lib. 5. c. 85.

PIPER, πίπερ. *Grana piperis ad nos ex India adferuntur, ubi in frutice plantæ ribes vocatæ simili racematim provenit. Calefacit piper & exsiccat validissimè, crudos humores ventriculi concoquit, & rigores febriles haustum prohibet.* Diosc. lib. 2. cap. 153.

CROCUS, κρόκος. *Nascitur crocus in plerisque Germaniæ locis in Austria maximè & Thuringia, qui ex fungosa radice circa hybernum solstitium folia oblonga instar angustioris graminis cum liliis cæruleis protrudit, in quibus crocus pendet, qui temperamento calidus est & siccus. Usus moderatus croci mirificè cor corroborat, & spiritus agiles efficit, coloremque venustum reddit, ventriculo, epati, pectori, pulmonique prodest.* Diosc. lib. 1. cap. 25.

MACIS, μάκερ, Mußcatenblumen. *Sunt enim Maces nucis Muscatæ odoratissima involucra, calefaciunt & exsiccant, ventriculum & corroborant, & appetentiam excitant. De Mace prorsus nihil scripserunt Græci.*

CINNAMOMUM, κιννάμωμον, Kanneel / *odoratissima & jucundi saporis cortex arboris Felicis Arabiæ, calefacit & exsiccat plurimum, cor, ventriculum & cerebrum corroborat, spiritusque vitales reficit.* Diosc. lib. 1. cap. 12.

CARYOPHILLON, καρυόφυλλον, *sunt fructus arboris Indicæ præstantissimi & odoratissimi, temperamento calidi & sicci, cor & ventriculum corroborant. Caryophillorum una drachma*, ein Quentin / *in vino rubeo decocta & illud vinum haustum statim vomitum sistit.* Serapio cap. 239.

ZINZIBER, Ζίγγιβερ, *radix est acris calida & sicca, ex Arabia adfertur, refrigerationi ventriculi utilissima est.* Diosc. lib. 2. cap. 154.

SACCHARUM, σάκχαρ, *est succus instar mellis crassus & dulcis, in calamis arundinum, sui generis, in Arabia & India genitus, ubi calami certo anni tempore colliguntur, confringuntur, & succus ex eis exprimitur, & igne concoquitur, instarque salis induratur, unde & sal Indicum nominatur. Saccarum temperamento calidum est & humidum, multique usus tum structuris medicamentorum tum in alimentorum conditutis.* Diosc. lib. 2. cap. 75.

MEL, μέλι. *Mel est succus dulcissimus ab apibus ex rore & succis florum haustus ac comportatus in alveolis, maceratus & alteratus. Mel Atticum præstantissimum est, pro quo nos in ejus penuria Livonico utimur. Calidum est & siccum & citissime in bilem flavam convertitur, unde ejus usus pituitosis duntaxat est utilis, biliosis vero noxius.* Diosc. lib. 2. cap. 75.

ACETUM, ὄξος, *est vinum fatuum aut cerevisia fatua vel alterata. Acetum etsi contrarias habet qualitates, refrigerat enim simul & calefacit*, autore Galeno lib. 1. *de simplicibus Medicamentis, tamen experientia testatur magis refrigerare acetum quam calefacere, & refrigerat quidem sua proprietate, sed paulo post calefacit ratione acrimoniæ, desiccat autem validissimè, incidit ac penetrat. Acetum excitat appetentiam, corroborat ventriculum, extinguit cholericum calorem, & haustum venena potentissimè pellit, odoratu sistit sternutationum molestias, obest autem frigidis ventriculis & naturis Melancholicis.* Diosc. lib. 5. c. 17.

18. Quid est Potus, & quæ sunt usitatiora potuum genera, quasve habent singula facultates?

Potus, Hippocrati ὄχημα τροφῆς, *id est vehiculum cibi dicitur, per potum siquidem fit distributio alimenti per totum corpus, & potus non secus ac edulia corpora nostra nutriunt & alterant. Sunt autem in hisce septentrionalibus oris quatuor usitatissima potionum genera, vinum, cerevisia, Hydromeli, Aqua.* Potus genera usitata.

VINUM, οἶνος. *Vinum omne calefacit ac humectat, sed aliud magis, aliud minus, optimè nutrit & laudatissimum generat sanguinem, generosos excitat spiritus, acuit ingenium, lætificat Cor, refocillat ac restaurat omnes vires, & tollit animi mœrores. Commendantur autem vina potissimum à Colore, Sapore, Odore & natali solo. Colore alia sunt* Vinorum differentiæ.

alba

alba quæ minus nutriunt & urinam movent: Fulva quæ concoctionem juvant & optimè nutriunt; alia rubra quæ plenissimè nutriunt, sed quia ex terrestriori constant substantia, minus calefaciunt. Sapore alia sunt dulcia, quæ plenissimè nutriunt, & prosunt pectori, sed facilè obstruunt Iecur; alia austera quæ ventriculo sunt grata, sed parum nutriunt; alia inter hæc media, optima censentur. Odore, quanto enim vina sunt suavioris & Aromatici odoris, tanto sunt præstantiora & magis corroborant. Natali solo; Omnium saluberrima & naturæ hominum convenientissima vina sunt vina Rhenana, ut quæ omnibus hominibus & ætatibus moderatè tuto exhiberi queant, etiam ipsis natis recens infantibus, præsertim hisce septentrionalibus locis. *Quod autem Plato in 2. de legibus vetat pueris usque ad duodevigesimum annum, ne vino utantur, ibi Plato respexit vini Græcanici & corporum ejus regionis temperiem; vina enim Græca, Cretica, Italica, Gallica & Vngarica calidiora sunt quam ut tuto eis quis quotidie pro alimento sine dilutione uti queat. Rhenana autem moderatè sunt calida & humida, & quia vita nostra in calido & humido consistit, ea vina ad vitæ conservationem sunt commodissima. Et rectè dicit Plato Deum largitum esse hominibus vinum quasi auxiliare pharmacum adversus senectutis austeritatem, ut ejus moderato usu rejuvenescere queamus, & omnis mœstitiæ nos oblivio capiat. Immoderatum autem ejus usum idem Plato cum omni ætati turpem ac pestiferum, tum verò adolescentiæ turpissimum & maximè perniciosum esse testatur. Variè enim afficit animos hominum*, autore Aristotele sectione 20. problematum; *Alios enim reddit loquaces præter morem, alios taciturnos, alios misericordes, alios audaces & temerarios, alios timidos, alios iracundos; proinde rectè apud Athenæum vinum Speculum ingenii esse dicitur. De vino lege* Platonem lib. 2. & 3. c. 4. Meth. med.

Vini Rhenani encomium.

Plato cur vino interdixerit pueris.

Vinum ingenii speculum.

In conviviis usitatè quæri solet, utrum potio à vini haustu vel cerevisia sit auspicanda? *Ad quæstionem non potest simpliciter responderi, semper primum considerande est natura & temperies bibentis: Qui enim calidum Epar & Ventriculum æstuantem habent, iis præstat prælibare cerevisiam; quibus verò ventriculus & epar frigidum est, iis magis convenit à vino inchoare potionem.*

Cerevisiæ, an vini potus præcedere debeat.

CEREVISIA, Ζῦθος, est potus saluberrimus & quasi factitium vinum ex aqua, frumento maceratione & tostione præparato, & lupuli floribus coctus; Cerevisia vel Ζῦθῳ pro potu utitur Germania, Bohemia, Polonia, Dania, Suecia, Livonia, & Gallia. Et Iohannes Manardus doctissimus Italus in suis Epistolis Medicinalibus corpora hominum septentrionalium ex cerevisiæ potu saluberrima, robustissima & pulcherrima reddi prædicat. Cerevisiarum aliæ calefaciunt impensè & humectant, probeque nutriunt & bonum generant sanguinem. Et tales sunt cerevisiæ locorum maritimorum, quarum præstantissimæ sunt Dantiscana, **Prüssinck**/ *Hamburgensis, Rostochiana, Gryphisvualdiana, & Pasvualcensis; aliæ minus calefaciunt & quasi refrigerare videntur, sed magis humectant si moderatè bibantur, tales sunt Brunsvvicensis*, **Mumme**/ *Zervestana quæ inter hasce est optima, Embecensis, Friburgensis & Torgensis. Inter has mediæ esse videntur Bahrdensis & Tribbescensis quæ plenissimè nutriunt sed pectori nocent.*

Cerevisiæ quænam optimæ.

MEDO, Hydromeli, aqua mulsa, &c. Est potus ex melle & aqua confectus, calefacit & siccat, parum nutrit & biliosum generat sanguinem, adeoq; facillime in bilem convertitur, frigidis corporibus utilis est potus, sed biliosis periculosus. Præstantissimum hydromeli conficitur in Lituania, Polonia, & in oppido Voitlandiæ, Egra **Eger.** Diosc. lib. 15. cap. 13.

AQVA, ὕδωρ, est potus vetustissimus, quam aliqui putant dici quasi sine qua homines esse nequeant. Tantus enim aquæ est usus in hac vita, ut nec homines, nec alia animantia ea carere queant. Ideo non abs re canit Pindarus in Olympia, Od. 1. Ἄριστον μὲν ὕδωρ ὁ δὲ χρυσὸς. Aquæ autem potabilis temperies est frigida & humida, quæ per se non nutrit, sed nutrimentum temperat & defert. Optima autem aqua tum ad cibos elixandos, tum

Aqua an nutriat? Galen. comm. 3.

in Hipp. t. 17. negat: paulo post tamen affirmat.

tum ad sitim sedandam est eligenda, quæ nimirum nullo alieno colore, odore & sapore est imbuta, sed est pura, limpida, levis & quæ cito calefit & vicissim cito refrigeratur. Dioscorid. lib. 5. cap. 18.

SECTIO III.

DE SOMNO ET VIGILIA.

Somnus & vigilia opposita actiones facultatis Animalis, inter causas naturam nostram alterantes & conservantes tertium locum obtinent, & sunt decimum objectum circa qua Ars Medica occupata est: Animalis enim facultas, id est potentia intellectiva, sensitiva & locomotiva, quiete & intermissione à suis actionibus indigent. Quod enim caret alterna requie durabile non est. Talis autem quies ex somno ei contingit.

1. Quid est somnus, & quæ sunt ejus causæ, quive affectus?

Somni natura.

Somnus est actionum Animalium, id est Ratiocinationis, sensuum & motus voluntarii ac cerebri defatigati quies, qua actiones in somno intermittuntur, interim autem naturales Actiones & vitales, veluti sunt concoctio, alimentorum alteratio, sanguificatio, Nutritio, Respiratio, pulsusque cordis longè sunt validiores quam in vigilia, eò quod calor nativus in somno ab externis actionibus ad interiora viscera colligatur & perfectius agat.

Causa somni.

Causa instrumentalis somni est ipsum cerebrum; Efficiens est calor nativus viscerum, suaviores ac tenuiores vapores ex alimento ad cerebrum evehens; Materialis est vapor humidus, mitis & suavis, cerebrum instar roris madefaciens; Formalis est ipsa dormitio sive cessatio animi à Ratiocinando, Sentiendo & liberè movendo; Finalis causa est salus & conservatio Naturæ. Effectus sive commoda somni;

Moderati somni commoda.

si moderatus est somnus, corpus humectat, nutrit, pinguefacit, calorem nativum intendit, cibos humoresque concoquit, dolores lenit, lassitudines tollit, intenta laxat, indurata emollit, animi perturbationes sedat, rationem vitiatam emendat, defluxiones sistit, tenues humores incrassat, & omnium partium vires restaurat, easdem ad suas actiones agiles & vegetas reddit;

Immoderati incommoda.

Et contra, immoderatus somnus multa secum adfert incommoda, segnitiem, capitis gravitatem, sensuum omnium hebetudinem, caloris nativi diminutionem, colorisque fæditatem.

2. Quomodo fit somnus?

Somnus fit cum ab assumpto alimento suavior & benignior vapor à calore nativo *per venas & alios meatus ad cerebrum sursum elevatur, isque cerebrum instar roris madefacit & nervorum initia plenissimè obstruit, cursumque spirituum animalium ex ventriculis cerebri ad sensoria & organa motus voluntarii intercipit & cohibet, actionesque eorum intercludit.*

3. In somno quæ sunt observanda?

Duplici modo consideratur somnus: Uno in salubriter degentibus, altero modo in ægrotantibus. Circa hominum salubriter degentium somnum quinque sunt observanda: circa ægrotantium verò quatuor, ut sequens ostendit tabella.

Circa somnum sanorum observantur:
- *Mensura sive quantitas,*
- *Tempus,*
- *Forma decubitus,*
- *Locus,*
- *Somnia.*

Circa ægrotantium, &c.:
- *Qualitas,*
- *Forma decubitus,*
- *Insomnia,*
- *Accidentia à somno.*

Mensura somni in sanis.

MENSURA sive quantitas somni temperanter viventibus satis erit spacium septem aut octo horarum; qui autem exactam victus rationem servare nequeunt, iis tantisper est dormiendum, donec perfecta alimentorum fiat concoctio, id quod ex ventris contractione & urinæ colore deprehenditur. Urina siquidem mane projecta, si aquæ instar alba existat, cruditatis est signum; at si instar auri fulva sit, perfectam esse jam concoctionem indicat, sicuti ruffa initium assationis ostendit, ita & ructus acidus à somno cruditatis est indicium.

Tempus somni.

TEMPUS somno convenientissimum est nocturnum tribus ad minimum à cœna horis:

Nox enim sua natura mortales ad somnum invitat, tum quia tranquilla, tum quod obscura, frigida & humida sit. Diurnus autem somnus omnibus ferè hominibus est perniciosus, exceptis iis, quibus vel natura, vel intempestivis vigiliis ac lucubrationibus siccissimum redditum est cerebrum, quibus diurnus somnus humectat & in temperiem redigit cerebri siccitatem. In genere autem memoria tenenda est sententia Hipp. in Coac. præs. t. 497. Interdiu vigilare, noctu verò dormire oportet.

Somnus diurnus quibus conveniat.

FORMA DECUBITUS in somno salubris est in alterutro latere, sed præstat somnum auspicari à dextro latere, quo cibus in fundum ventriculi commodius subsideat, ac paulo post se in sinistrum latus vertere, ut calore Epatis ventriculo incumbentis juvetur ventriculi concoctio. Supinus autem decubitus semper est pernitiosus. Non enim caret metu suffocationis, incubi, & apoplexiæ.

LOCUS ubi dormitur sit obscurus & à radiis tum Solaribus tum Lunaribus immunis. Nihil enim pestilentius est quam dormire sub radiis Lunæ, unde sæpe homines in Epilepsiam incidisse observatum est. *Cavendus quoque est locus præter naturam aut calidus aut frigidus.*

Gal. lib. 1. de dieb. crit. c. 2. Luna, ait, somno sopitis sub ejus lumine diutius immoratis pallorem & capitis gravitatem conciliat.

INSOMNIA naturalia studiosè semper sunt observanda. Sunt autem insomnia imagines quædam vel simulacra in cerebro dum quiescimus obversantes, quemadmodum Claudianus in præfat. Panegyr. Honorii:

> Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno,
> Tempore nocturno reddit amica quies.

Quanquam enim somnus prorsus nullis turbatus somniis est suavissimus & saluberrimus, tamen sæpe etiam objiciuntur sanis somnia, vel eorum quæ vigilantes gesserunt, vel ex redundantia humorum in corporibus. Biliosi enim ignes, incendia, rixas, pugnas: Pituitosi aquas, imbres, nives, balnea, natationes & navigationes: Melancholici fumos, tenebras, ruinas: Sanguinei choreas, comessationes: Putridis humoribus redundantes, sterquilinia & fœtorem: Spiritu naturali abundantes, volitationes, saltationes & cursitationes somniant.

Insomnia denotant temperamentum.

4. Circa somnum ægrotantium quæ sunt consideranda?

Circa ægrotantium somnum quatuor sunt diligenter observanda, Qualitas, Decubitus forma, Insomnia, Accidentia à Somno.

QUALITAS. Quanto Somnus ægrotantium est placidior & suavior, tanto major est spes convalescentiæ; ac quanto turbulentior somnus ægrotantium est extra calorem febrilem, tanto est periculosior. Periculosus quoque est somnus, si æger præter consuetudinem stertit, aut ore hiat, aut oculis nictitet, aut semiapertis oculis dormiat.

Aph. 2. lib. 2. Hippoc.

DECUBITUS FORMA ægrotorum decumbentium, si sit in alterutro latere, est salutare signum, supinus autem artubusque omnibus expansis decumbere, virium debilitatem ostendit, & ægroti vigilantes si per alterutrum latus decumbant, aut supini jaceant contractis tamen pedibus & elevatis genubus, salubre signum est.

INSOMNIA ægrotorum, ut paulo ante de Sanorum somniis diximus, humoris in corpore redundantis speciem & naturam declarant.

ACCIDENTIA à somno diligenter sunt consideranda. Si enim æger à somno expergefactus, levius aut saltem non deterius se habere sentiat, salutare est signum & convalescentiæ. At si à Somno æger deterius habeat, in certissimo vitæ discrimine versatur, teste Hippocrate l. 2. Aph. 1. *qui ita inquit:* In quo morbo somnus laborem adfert, lethale est; si vero juvat, lethale non est.

5. Vigiliæ quid, quæ earum causæ, quæve commoda & incommoda?

Vigiliæ.

Vigiliæ sunt extensi motus facultatis Animalis in cerebro existentis, ejusdemque liberæ actiones in ratiocinando, sentiendo, & motu locali, quæ in somno quasi vinculo erant constrictæ ac ligatæ.

Causa vigiliarum est siccitas cerebri: quanquam per accidens etiam halitus impensè calidi & acres, cerebri temperiem turbantes, vigilias inferant.

Vigilantibus calor internus debilior est, quia

quia ad externas partes est diffusus. Veluti autem somnus perpetuo humectat, ita vigiliæ semper sicciora reddunt corpora. Vtilitates & commoda moderatarum vigiliarum sunt:

Vtilitates vigiliarum moderatarum.

I. *Superflua in corpore per halitum digerere.*
II. *Alvi excrementa ad egestionem propellere.*
III. *Appetentiam provocare.*
IV. *Languorem minuere & robur corpori & animo adferre.*

Immoderatarum autem vigiliarum noxæ & incommoda sunt:

Incommoda immoderatarum vigiliarum.

I. *Turbare concoctionem.*
II. *Cruditates in visceribus augere.*
III. *Cerebri temperiem labefactare.*
IV. *Totum corpus exiccare, gracile & aridum reddere.*
V. *Pallorem faciei & tremorem omnibus partibus inferre & universum sanguinem biliosiorem reddere. Tenenda est itaque mediocritas in somno & vigiliis, nam ut sapienter* Hippoc. *monet,* l. 2. Aphor. 3. *Somnus atque vigilia, utraque modum excesserit, malum, id est, naturæ pernitiosum.*

SECTIO IV.

De

MOTU ET QUIETE.

Vndecimum objectum artis Medicæ est motus sive exercitium & quies corporis, quod quartum locum obtinet inter causas conservatrices & alteratrices humanæ naturæ.

1. Exercitatio quid est?

Sæpe hæc vocabula Exercitatio, *Motus & Labor apud Medicos confunduntur: Sed propriè nec labor omnis, nec quivis corporis motus exercitatio dici potest, sed tantum paulò vehementior motus & agitatio corporis, in qua alteratur anhelitus sive respiratio. Plurimum autem moderata corporis exercitatio & Animi extensio conducit ad tuendam sanitatem; & è contra ocium & quies diuturna vehementer labefactat naturam. Id quod luculenter testatur* Plato in Theæteto, *inquiens, corporis habitus quiete & ocio corrumpitur, exercitiis & motibus magna parte conservatur. Itidem Animæ habitus, institutione & meditatione doctrinas consequitur, servatur, evaditque melior; ocio autem neque discit quicquam, & si quæ didicerit, obliviscitur.*

Exercitationis utilitas.

2. Exercitiorum differentiæ & usitatiores species quæ sunt, & quibus corporibus quæ magis conveniunt?

Exercitiorum corporis quatuor sunt præcipuæ differentiæ, quarum usitatiores species in sequenti comprehenduntur tabella.

Exercitia corporis sunt aut
- *Levia,*
  - *Navigatio,*
  - *Vectio,*
  - *Deambulatio.*
- *Mediocria,*
  - *Declamatio,*
  - *Frictio,*
  - *Equitatio,*
  - *Venatio.*
- *Valida,*
  - *Saltatio,*
  - *Luctatio,*
  - *Palestra,*
  - *Parvæ pilæ usus,*
  - *Cursus,*
  - *Disci aut lapidis projectio.*
- *Laboriosa,*
  - *Fossio,*
  - *Trituratio,*
  - *Ligni dissectio,*
  - *Demessio.*

3. Quæ sunt commoda & utilitates moderati Exercitii?

Exercitia moderata in genere tres insignes utilitates ad tuendam sanitatem necessarias corporibus nostris præstant.

Moderat exercitii commoda.

I. *Moderata exercitia totum corpus validum & articulos robustiores efficiunt, obstructiones viscerum reserant, humores corporis à putrefactione reservant; & in summa, moderata corporis agitatio & corpus & animum alit & tuetur, ocium vero utrumque torpore corrumpit.*

II. *Nativum calorem excitant & ad actiones suas validiorem reddunt: unde post exercita-*

citationem corporis alimenta melius concoquuntur, crassiores humores extenuantur, digeruntur, & tota nutritio commodius perficitur.

III. *Spiritus omnes in corpore vegetiores & subtiliores ab exercitio evadunt, qui tamen omnia organa habiliora & promptiora ad proprias actiones efficiunt; per eosdem pori cutis aperiuntur, & excrementitiæ superfluitates serosæ, halituosæ & fuliginosæ ultimæ concoctionis è corpore discutiuntur, difflantur, & omnes putrefactiones arcentur.*

Exercitia quænam singulis conveniant.

Porro in specie levia exercitia omnia, veluti sunt Navigatio, Vectio, & Deambulatio languidis, senibus & à morbis convalescentibus & valdè calidis naturis commodiora sunt. Calida enim corpora à vehementioribus motibus magis inflammantur. Mediocria exercitia, ut Equitatio, Venatio, vociferatio, omnibus æquè prosunt, qui inter debiles & robustos medium obtinent. Et quidem Equitatio stomachum & intestina corroborat, spinam dorsi & femora firmat, sed thorace laborantibus obest.

VENATIO equestrium est exercitium qua & animus oblectatur & corpus sufficienter agitatur. Venationis Encomium extat apud Xenophontem.

DECLAMATIO organa vocis, pulmones, thoracis musculos corroborat, & arterias purgat.

Frictionis utilitas.

FRICTIO olim utilissimum exercitii genus, hodie in tuenda sanitate per desuetudinem exolevit, & in balneis tantum sudorificis retinetur, & in quibusdan morbis, ut capitis obstructionibus ac crassis excrementis, ea utimur. Et tamen experientia testatur, frictionem vel totius vel partium aliquarum plurimum prodesse sanitati: Sunt autem frictionum genera: DURA, quæ solidas corporis partes collidit, MOLLIS laxat, Multa extenuat, Mediocris augmentat, Aspera ad superficiem humores ejicit, Tenuis retinet.

VALIDA exercitia robustis & adolescentibus ἀκμῇ constitutis utilia sunt, inter quæ saltatio crura & Articulos pedum firmat, & excretionem prorítat, sed thoracis affectibus est noxia.

LUCTATIO validum spiritum efficit, musculos & nervos robustos efficit, & sensus exacuit.

PALÆSTRA, seu umbratile armorum exercitium omnes corporis partes æqualiter agitat, nervos & musculos corroborat.

PARVÆ pilæ excussio, quod genus exercitii Galenus mirificè commendat, easdem ferè facultates habet quas palæstra.

CURSUS corpus quidem calefacit, sed inæqualiter stomacho prodest, at habitum corporis extenuat, ideo vituperatur à Galeno.

DISCI aut lapidis projectio, Brachiorum, spinæ dorsi, & thoracis articulos confirmat.

Cur operarii sedentariam vitam agentibus sint saniores.

Laboriosa & Rustica exercitatio robustis & ad eos labores assuetis tantum conveniunt, veluti sunt rustici, nautæ, bajuli, operarii, fossores, qui merito sanitatem suam laboribus acceptam referunt. Quicquid enim in eorum corporibus crudioris succi est collectum, id per sudorem excernunt, & tam est in ipsis calor nativus efficax, ut etiam ex cibo malo optimum elaboret sanguinem. Et hinc laboriosi, etiamsi duris alimentis & concoctu difficilibus alantur, salubriores tamen sunt, quam ociosi exquisitissimis alimentis enutriti.

4. Circa exercitia & corporis & Animi quæ sunt observanda?

In agitatione seu exercitio corporis duo potissimum sunt observanda, Tempus conveniens & Mensura seu Terminus.

Tempus exercitii conveniens.

Tempus exercitationi convenientissimum est una aut altera hora ante prandium & cœnam, Hippocrate Edid. quarto teste, *qui inquit;* Labores, id est exercitia cibos antecedant. *Et* Celsus lib. 1. c. 2. *Exercitatio semper cibos antecedere debet, post satietatem nihil agendum, idque post excrementorum alvi & vesicæ evacuationem. Tum enim motus corporis calorem nativum excitat, & crudioris alimenti reliquias in totum concoquit, & appetentiam acuit.*

A cibo moveri valde noxium.

Statim autem post cibum corpus exercere, iis qui non sunt ad labores assuefacti, veluti sunt literarum studiosi & in officiis civilibus, magistratuque constituti maximè est perniciosum. Alimentum enim adhuc crudum aut semicoctum à calore

calore concitato per venas in viscera propelli- tur, ibidemque obstructiones generat, quas putrefactio, putrefactionem rursus febres & alii morbi comitantur.

Terminus exercitii. *Mensura exercitii debet esse moderata, juxta praeceptum Hippocratis*, qui 5. Aphor. 6. *inquit: labor, cibus, potio, Somnus omnia mediocria. Immoderata enim exercitia & corporis agitationes vires prosternunt, corpus languidum reddunt, & calorem nativum extinguunt, & appetentiam debilitant. Cessandum itaque est ab exercitio statim, ubi aut lassitudo sentitur, aut sudor prorumpere incipit, aut caloris nativi venustas immutatur. Simili ratione modus mensuraque & tempus conveniens servandum est in Animi exercitiis. Intempestiva enim studia & nocturnae lucubrationes, mirum in modum frangunt valetudinem, & omnem generosum corporis succum exhauriunt, concoctionem impediunt & calorem vividum extinguunt.*

Lucubrationes noxiae. *Cavendae itaque sunt nocturnae lucubrationes & literarum studia statim à prandio & coena inchoata. Oportunissimum autem studiorum tempus est Aurora, quae* Musarum *amica dicitur, & horae antemeridianae omnes, & ex pomeridianis tres, quatuorve quae coenam praecedunt.*

5. Quies quid, & quae moderatae quietis utilitates, ac immoderatae incommoda?

Quietis necessitas. *Quies est exercitii intermissio seu à laboribus vacatio, quae ad conservationem valetudinis pernecessaria est, quae si modum excedat, otium, torpor, & desidia nominatur, pestis pernitiosa vitae. Quietis autem moderatae utilitates Ovidius hisce versiculis eruditè complexus est:*

Quod caret alterna requie durabile non est,
Haec reparet vires, fessaque membra levat.

Cui adstipulatur Hippoc. 2. Aphor. 48. *& in* lib. 2. de natura humana sect. 4. *inquiens; Qui morbi ex immoderatis motionibus & laboribus fiunt, quiete curantur, & quos otium morbos creavit, iis exercitium remedium est. Laboribus itaque, exercitiis & studiis fatigatis & iis qui sunt natura calidi & sicci, omnibusque cibo ac potu distentis, quiescendum est: ocii verò & desidiae incommoda idem Poëta ita describit:*

Cernis ut ignavum corrumpant ocia corpus,
Ut capiant vitium ni moveantur aquae.

Et Galenus ocium ac desidiam in lib. 2. de caussis morborum, *multorum frigidorum morborum caussam esse dicit. Refrigerat enim ocium, & cruditatem parit, multisque vitiosis humoribus corpus complet.*


Sectio V.

DE EXCRETIONE ET RETENTIONE, VEL DE PLENITUDINE SEU REBUS IN NATURA REDUNDANTIBUS, EARUNDEMQUE EVACUANDI RATIONE.

Plenitudo quae in corpore ex rerum naturalium abundantia accidit, & perpetuo, nisi evacuetur, naturam laedit, est duodecimum objectum, circa quod Medicina est occupata, & inter res non naturales sive causas naturae alteratrices quintum obtinet locum. Sunt autem repletio & evacuatio opposita actiones, quarum altera alterius vitia tollit, teste Hippocr. 2. Aphoris. 22. *qui inquit: Quicunque morbi ex repletione fiunt, hos curat evacuatio; & quicunque ex evacuatione, repletio.*

1. Plenitudo quid est, & quot ejus differentiae, & quae sunt materiae plenitudinis?

Plenitudo seu redundantia in corpore, quam Graeci πλεονεξίαν vocant, est ubi aut vasa universi corporis, vel capacitates organorum, vel ipsae partium substantiae, aut excellenti aliqua qualitate aut humoribus, sive naturalibus, sive vitiosis aut excrementitiis superfluitatibus ultra mensuram naturalem replentur, & corpus, aut universum, aut partes quasdam sensibiliter molestant. Plenitudinis autem differentias, species & materiam sequens complectitur Tabella. Plethora unde. Plethorae differentiae.



2. Corpora repleta quibus nominibus appellantur?

Corpora repleta Græcis aut πληθωρικὰ, id Repleta, aut κακοχύμικα id est, vitioso sanguine redundantia nominantur.

Corpora plethorica. *Πληθωρικὰ, id est plena dicuntur, quando corpus universum ultra naturalem mensuram sanguinea massa quatuor humoribus simul in venis mixtis redundat, & venæ ita turgent, ut periculum sit ne rumpantur.*

Cacochymica. *Κακοχύμικα dicuntur quando ex his quatuor humoribus in venis contentis unicus duntaxat supra naturalem mensuram aut exuberat aut corruptus est, veluti est in Ictericia bilis flava, in scorbuto morbo melancholicus humor, in hydrope aquosus sanguis.*

3. Quot modis accidit corporibus plenitudo?

Redundantia seu plenitudo corporis duobus modis fit, & dicitur aut plenitudo ad vasa, aut plenitudo ad virtutem sive vires.

Plethora ad vasa. *Plenitudo ad vasa est quando materia plenitudinis adeo exuberat in vasis vel capacitatibus corporis, ut in venis, arteriis, Ventriculo, ut earum capacitatum vasorumque tunicas distendat, & turgidas reddat, ut nihil amplius in se recipere queant, sine earum ruptione.*

Plethora ad vires. *Plenitudo ad vires sine respectu potentiarum naturalium est, quando materia plenitudinis non quidem sua copia vasa & capacitates distendit, sed cum plus inest aut ea vitiosa qualitate est imbuta, ut eam natura nec concoquere, nec alterare, nec in corporis substantiam convertere queat. Omnis autem repletio sive sit universalis, sive particularis, sive πληθώρα, sive κακοχυμία, sive qualitatis sive humorum, nisi maturè evacuetur & alteretur, semper morbos generat.*

4. Evacuatio quid, & quæ ejus differentiæ, quæve species?

Evacuatio quid. *Evacuatio est plenitudinis molestantis è corpore remoto; vel est eorum quæ præter naturam in corpore continentur, expulsio, sive ea sint halituosi spiritus, sive humores, sive excrementa corpus gravantia. Omnis enim superfluitatum retentio periculosa est. Vacuationis porro differentias & species sequens complectitur tabella.*

Tabella

Tabella Evacuationum genera & species comprehendens.

Evacuationum differentiæ quinque sunt,

- *Spontanea, est cum citra ullam medicationem quippiam corpore effunditur, quæ fit, aut*
  - *A natura robusta expellente noxia, & est salutaris.*
  - *A natura imbecilla nequientis regere materiam vitiosam.*
- *Artificiosa, quæ externi præsidii ope suscitatur, quæ est aut*
  - *Ordinata & utilis, noxia tantum expellens,*
  - *Illegitima, utilia expellens:*
  - *Vtraque pendet à peritia & imperitia Medici.*
- *Vniversalis, quæ communiter ab universo corpore plenitudinis materiam detrahit, veluti sunt*
  - *Venæ sectio,*
  - *Purgatio,*
  - *Cucurbitulæ,* Köpfe/
  - *Balnea sudorifica.*
- *Particularis, quæ partem duntaxat aliquam evacuat, veluti sunt*
  - *Sputi per palatum destillatio;*
  - *Muci per nares emunctio, cerebrum;*
  - *Tussis & exscreatio, thoracem & pulmones;*
  - *Sanguinis & puris mixtio, renes & vesicam;*
  - *Balanus aut clyster, intestina.*
- *Mixta, quæ primùm partem duntaxat, deinde si diutius persistit, per consecutionem universum corpus evacuat, ut*
  - *Purgatio seu alvi subductio, primum intestina, deinde totum corpus evacuat;*
  - *Vomitio, primum ventriculum deinde totum corpus;*
  - *Sanguinis è naribus eruptio, primò caput, deinde & reliquas partes;*
  - *Sanguinis menstrui profluvium, primum uterum, deinde totum corpus evacuat.*

5. Venæ sectio quomodo evacuat, & quis ejus usus?

Phlebotomiæ. *Venæ sectio est universalis evacuatio. Detrahit enim & diminuit sanguineam massam in venis contentam per consecutionem ex universo corpore, cujus præcipua utilitas est in πληθώρα, id est plenitudine ad vasa, & omnibus affectionibus ex sanguine ortis, veluti sunt febris continua, Synochus, phrenetis, ophthalmia, parotis, angina, pleuritis, peripneumonia, inflammationes epatis, splenis, renum, uteri, pudendorum, inguinum, alarum, brachiorum, crurum, articulorum, adeoque omnium tum exteriorum tum interiorum partium calidi tumores, quos Græci φλεγμονὰς vocant; item in sputo sanguinis, & sanguinis vomitione; & in tumoribus quos carbunculos & furunculos vocant.*

In quibus morbis venæ sectio locum habet.

6. Quot sunt fines mittendi sanguinis?

Tres sunt præcipuæ causæ mittendi sanguinis, Evacuatio, Revulsio & Derivatio.

Evacuatio est redundantis massæ sanguineæ in universo corpore diminutio & detractio.

Revulsio, Græcis ἀντίσπασις, est sanguinis ex laborante parte in oppositam attractio. Talis autem revulsio perpetuo debet fieri κατ' ἴξιν vel κατ' εὐθύ, id est, è directo, sive è vena ejusdem lateris in quo sita est pars affecta, ut in inflammatione epatis ex dextri lateris; in lienis, ex lateris sinistri vena sanguis est revellendus, Revulsio.

vellendus, vel ad superiores vel inferiores partes.

Derivatio, παροχέτευσις, est sanguinis è laborante parte in vicinam tractio.

7. Quæ venæ in singulis partium affectionibus, & quibus in morbis sunt secandæ?

Quando venam secandam invenire non potes, tum secato vicinam conspectam, quam sectam comprime, & elicies sanguinem ex aliis venis occultatis.

Usitatissimæ venæ quæ hac tempestate inciduntur, sunt venæ
- *Interna,*
- *Externa,*
- *Media,*
- *Saphena,*
- *Frontis,*
- *Linguæ.*

Interna quando secanda. *Interna seu basilica quæ & jecoraria in dextro cubito, & lienaria in sinistro nominatur, secanda est ubi partes, quæ infra cervicem continentur, aut inflammatione, plenitudine, aut aliis vitiis sunt affectæ.*

Cephalica. *Externa Vena, quæ & humeralis & cephalica dicitur, incidenda est in affectionibus partium quæ supra collum continentur, ut sunt caput, facies, oculi, aures, nares, &c.*

Mediana. *Media, quæ & communis, nigra & mediana appellatur, aperienda est, ubi non satis certò constat, quæ pars potissimum affecta est. Cum itaque hæc vena communicet Epaticæ & Cephalicæ, ex omnibus partibus supra umbilicum constitutis æqualiter evacuat.*

Saphena seu Vena poplitis aut malleolorum incidenda est, ubi partes infra umbilicum sitæ, veluti sunt Renes, Uterus, infra malleolos, infra pedem, è regione pro schiatica & arthritide secetur, Vesica, &c. vel plenitudine vel inflammatione sunt affectæ, **binnen Fusses / ausserhalb Fusses.**

Frontis vena. *Vena frontis incidenda est, in plenitudine externa (intra cutem & cranium) capitis & faciei, & in posteriori parte capitis affecta, ut monet* Hip. 5. Aph. 68. *inquiens: Dolenti parte capitis posteriore in fronte recta vena incisa prodest.*

Ranulæ. *Venæ linguæ sunt duæ conspicuæ ac lividæ Venæ sub lingua, quæ in linguæ, palati, columellæ, tonsillarum, inflammationibus, tumoribus sunt secandæ.*

Tabella incidendarum venarum usum continens.

Venæ secandæ in affectionibus
- *Universalibus,*
  - *Πληθώρᾳ, Habitu corporis bilioso, Febri synocho, Febri ardente, Tertiana;* — *Iecoraria dextra.*
  - *Habitu corporis melancholico, Febri quartana;* — *Iecoraria sinistra vel lienaria.*
- *Particularibus,*
  - *Capitis, Faciei, Dentium, Aurium;* — *Vena cephalica.*
  - *Cordis, Pulmonis;* — *Iecoraria sinistra.*
  - *Pectoris, Thoracis, Laterum, Diaphragmatis;* — *Iecoraria partis dolentis.*
  - *Iecinoris, Iecoraria dextra;*
  - *Lienis, Iecoraria sinistra.*

Uteri

Vteri, mensium & hæmorrhoidum fluxionem cohibet Iecoraria secta, suppressam autem fluxionem proritat saphena aperta.
Vesicæ, pudendi, Inguinum, si absit virus pestilens, primum jecoraria, deinde malleoli vena est incidenda.

Porro jecoraria vena ramos suos dirigit inter minimum & annularem digitum, quæ in cubito secta uberius evacuat, tardius autem levius inter digitos. Cephalica ramos suos porrigit inter pollicem & indicem, quæ in cubito secta largius & citius, circa pollicem vero imbecillius & tardius evacuat. Saphena in poplite secta copiosius, circa malleolos segnius attrahit.

Salvatella. Externæ hæ venæ magis in revulsione aperiuntur.

8. Circa venæ sectionem quæ sunt observanda?

In venæ sectione observanda.

In venæ sectione sedulò sunt observanda, primò virium robur. Natura enim robustis audacter & copiosè, ubi necessitas efflagitat, sanguis detrahi potest. At in ægrotantium corporibus circa venæ sectionem exquisita fieri debet collatio inter morbum & vires, & constantibus adhuc viribus largius est sanguis auferendus, minus validis, parcius: viribus vero prostratis aut nihil est detrahendum, aut exiguum, idque per reiterationem.

Cels. lib. 1. c. 10. Firmus puer, robustus senex, & prægnans valida tutò venæ sectione uti possunt. Sicque vires magis quam anni respiciendi. Observandum tamen aliud esse tempus electionis, aliud necessitatis.

II. Ætas est perpendenda. Decrepitis post 70. *annum, & pueris ante pubertatem, juxta Galenum* l. 13. Meth. med. *nisi summa urgeat necessitas, ut pestilens febris, πλευρῖτις, & angina, non est temere vena secanda. Quanquam Rhases seni decrepito in pleuritide, & Avenzoar filio trimo in peste utiliter se venam secasse affirmet.*

III. Anni tempus. In Vere abundat sanguis in corporibus, Ver itaque convenientissima pars anni est detrahendi sanguinis, Hippocr. 6. Aphor. 46. *teste, qui inquit; Quibus sanguinem mittere confert, iis Vere detrahere oportet. Post Ver, convenientior est autumnus, hyems minus apta autumno, omnium ineptissima venæ sectioni est æstas. In morbis verò partes anni non semper observari possunt, sed ubi necessitas efflagitat, statim in principio constantibus adhuc viribus vena est incidenda.*

IV. Diei hora. Dies quidem secandæ venæ idoneus est, in quo Sol lumine est serenus & tenuis; hora vero aptissima est matutina, à Solis exortu tertia vel quarta; tum enim sanguis in corporibus à Sole suscitatur & extenuatur. In morbis vero sanguis est mittendus in die intermissionis, vel quando morbus mitescit. In paroxysmis enim & exacerbationibus morborum periculosa est venæ sectio.

Vbi tamen materia turget, non est differenda venæ sectio.

V. Corporis præparatio, cavendum est enim in sectione venæ, ne aut alvus sit adstricta, vel ventriculus semicoctis cibis refertus. Primum itaque alvus & vesica sunt exoneranda, aut ope naturæ, aut clysteribus balanisque subjectis. Et si vitiosis humoribus obsessa sunt viscera, aut primariæ venæ, proderit eos convenienti medicamento prius expurgare.

VI. Mensura seu quantitas sanguinis detrahendi: Cujus ratio sumenda est ex collatione virium & morbi, ut paulo ante dictum est. Sumitur præterea ratio mensuræ à coloris sanguinis immutatione, ut cum sanguis niger in rubicundum, aut crassus in subtilem, aut aquosus in spissum mutatur, statim supprimenda est vena. At coloris mutatio in sanguine non semper expectari potest. Sæpe enim in imbecillioribus naturis, si vel vires deficiant, vel oculi suffundantur, vel accedat oscitatio, aut nausea, aut pallor in facie, protinus à missione sanguinis est desistendum.

Terminus venæ sectionis.

VII. Lunæ qualitas & constitutio in certis Zodiaci signis. Etenim

Luna vetus veteres, juvenes nova Luna requirit.

Lunæ motus considerandus.

Et Astrologi in sanis corporibus vetant secare venam in ipsa conjunctione in signo membrum respiciente.

VIII. Sanguine emisso quid faciendum sit. A sanguinis missione ab omni vehementiori corporis motu & perturbationibus animi abstinendum est, & sedendo aut supinè decumbendo quiescendum, atq; una aut duabus horis post emissionem sanguinis alimentum boni suc-

Crapula & satietas noxia à venæ sectione.

ci & facilis concoctionis est assumendum, nec eo die usque ad saturitatem edendum. Post sumptum autem cibum una aut altera hora, si modo urgeat natura, obdormiscere nihil vetat, si vero somnus non ultro irrepat, satius est vel Musica, vel suavioribus colloquiis totum diei tempus fallere.

9. Quæ evacuationum genera vim habent venæ sectionis?

Inter particularium Evacuationum genera quæ supra in tabella evacuationum sunt enumerata,

Venæ sectionis vim habent
- *Sanguinis eruptio spontanea è*
  - *Naribus,*
  - *Hæmorrhoidibus,*
  - *Menstruis.*
- *Scarificatio*
- *Hirudines*

Sanguinis è naribus effluxio caput evacuat: Sanguis ex venis hæmorrhoidibus profluens, lienem evacuat & podicem, & à quartana febre tutos reddit: Menstruus sanguis profluens ex utero evacuat. Scarificatio. *Scarificatio cum cucurbitulis,* (schrepffen) *ex partibus quibus applicantur cucurbitulæ, & sanguinem & flatulentos spiritus evacuat & ad superficiem cutis attrahit,* Hirudines. *Hirudines qui oblongi sunt & nigri lumbrici, in cœnosis aquis degentes, parti affectæ appositi morsu suo trifidum vulnus infligunt, sanguinem potentissimè exugunt, saturati spontè procidunt. Vtilissimè applicantur in suppressis hæmorrhoidibus, & iis partium potissimum vitiis quæ in summa sunt cute, ut scabie, impetigine* (Flechten/) *rubore narium, tuberculisque faciei.*

Porro spontanea sanguinis eruptio, sive id fiat è naribus, sive ex utero, sive ex venis hæmorrhoidibus, si lentè parcéque emanat, nihil affert juvamenti, sed tantum ostendit artificiosam evacuationem per venæ sectionem esse moliendam. Si vero affatim copioséque effluat, morbum plerumque finit & partem affectam demulcet. Quando venæ sectioni nullus est locus. *Cavendum autem est, ne venæ sectio adhibeatur in cruciatibus ventriculi, in lienteria, in dolore colico, in scirro lienis, in cholera, & hydrope, neque morbis ullis ex κακοχυμίᾳ partium ortis.*

Purgatio. *Purgatio est humorum vitiosorum excrementitiorum superfluitatum, quæ vel vitiosa sua qualitate aut pondere corpus corporisque partes gravant, evacuatio. Sicut enim venæ sectio in πληθώρᾳ id est plenitudine; ita purgatio in κακοχυμίᾳ est accommodatissima curandi ratio. Et per venæ quidem sectionem omnes simul humores in sanguinea massa commixti tam sinceri quam vitiosi detrahuntur. Per purgationem vero artificiosam, soli vitiosi humores evacuantur, relictis in corpore utilibus. Differentias purgationis sequens tabella complectitur.*

Tabella differentias purgationum complectens.

Purgatio est aut
- *Spontanea, quæ à natura fit & sua sponte corpus à noxiis humoribus purgat, de qua Hippocrates* lib. 1. Aphorism. 2. In perturbationibus ventris & vomitionibus spontè factis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert & leviter ferunt, sin minus, contrà.
- *Artificiosa, quæ arte & medicamentorum purgantium ope fit, quæ φαρμακία, id est medicatio nominatur, quæ est aut*
  - *Vniversalis, quæ ex universo corpore humorem vitiosum evacuat.*
  - *Particularis, quæ ex una aliqua parte corporis, ut cerebro, pectore, intestinis &c. vitiosum & molestantem humorem expurgat.*

10. Circa vitiosorum humorum expurgationem quæ sunt observanda? Observanda in purgantium usu.

Circa purgationes humorum vitiosorum, IX. sunt potissimum observanda.

Corporis constitutio. *I. Status & constitutio temperiesque corporis. Corporibus enim integra sanitate fruentibus*

tibus non est temerè purgans pharmacum exhibendum, juxta dictum Hippoc. 2. Aphor. 36. *ubi inquit:* Sana corpora per medicamenta purgata celeriter exsolvuntur. *Et* 4. Aphor. 16. Quæ corpora benè se habent, hæc purgare periculosum est. *Praterea ex siccis corporibus pauca, ex humidis multa detrahi possunt. Item corpora densa & obstructionibus obnoxia difficilius, mollia & laxa facilius purgantur; robusta laboribus assuefacta ociosis & mollioribus validioribus egent pharmacis.*

Humoris consistentia.

II. Humorum molestantium species & natura. Serosi enim humores & flava bilis facilè, pituita & melancholia pigre diffluunt. Similiter sicca & retorrida aut lenta & glutinosa excrementa difficilius purgantur, & validioribus egent remediis.

Remediorum convenientia.

III. Apta remediorum genera, quæ quos specifica virtute subtrahant humores, quorum alia sunt simplicia, ut Rhabarbarum, Agaricus, & sena folia; alia composita, ut electuarium lenitivum, de succo rosarum, & diaphanicon. Alia praterea purgantia pharmaca sunt benigna, alia vehementiora. Quæ autem hac tempestate usitatoria sint remediorum purgantium genera, & quæ in officinis extent omnia, & quos singula purgent humores, item quæ singula quantitate & quali forma sint exhibenda, infra in principio Therapeutices, id est curandorum morborum ratione in brevissimis tabellis proponemus & enumerabimus.

Loci affecti distantia.

IV. Pars seu locus unde vitiosus humor sit expurgandus. Expedita enim facilisque purgatio fit è ventriculo & intestinis, tardior è venis Mesaraicis, è Iecore & Liene difficilior est, è venis autem majoribus & partibus longe à ventriculo dissitis, omnium difficilima. Inde autem medicamenta validiora sunt exhibenda, aut quantitas eorum augenda.

An semel vel coties purgandum.

V. Mensura evacuandi humoris. Cujus ratio sumitur à virium robore & copia humoris vitiosi. Si enim vires constant & humor vitiosus paucus est κακοχυμία, simul & semel est expellendus. Reliquia enim recidivos plerunque faciunt morbos. Imbecillioribus autem viribus non tantum multa sed & pauca κακοχυμίας pars est expurganda.

Quando purgandum.

VI. Tempus anni, dies & diei hora. Convenientissima purgationi pars anni est Ver, deinde Autumnus, teste Hippocrate, 6. Aph. 47. *ubi inquit:* Quibus medicamentum purgans confert, hos verno tempore purgari convenit. *Æstivæ autem purgationes, nisi summa urgeat necessitas omnino cavendæ sunt. Id quod idem Hippocrates* l. 4. Aphor. 5. *innuere videtur, inquiens:* sub cane & ante canem difficiles sunt purgationes. *Dies autem purgationis aptus est austrinus humidus; Aquilone enim flante non tam feliciter cedit purgatio. Hora convenientissima est matutina, qua ventriculus à cibis est vacuus. In ægritudinibus vero quibus nec tempus protrahi, nec dies deligi potest, eligendum tamen est tale tempus, quo signa conjectæ materiæ vitiosæ in urinis & aliis excrementis apparent, monente Hippocrate* lib. 1. Aphor. 22. concocta, inquit, medicari oportet, non cruda. *At si ægritudo est maligna & periculosa, veluti sunt πλευρῖτις & angina, humor vitiosus est aut venenatus, aut in aliquod generosum irruat membrum, & virium prostratio, expurgandus est humor venenosus, & tamen si fieri potest, non ipsa morbi exacerbatione, sed in die mitigati morbi & horâ quâ nonnihil vires recollectæ videntur: In febribus tribus aut quatuor horis ante accessionem felicissimè exhiberi possunt purgantia pharmaca.*

Austrina constitutio aquilonati præferenda.

Tempore intermissionis vel remissionis purgandum.

Quando in febribus intermittentibus.

VII. Ætas. Pueri enim, prægnantes & decrepiti non temerè sunt purgandi. At si necessitas efflagitet, eis benigniora remedia, qualia sunt cassiæ fistularis pulpa, & rhabarbari macerati liquor, manna, &c. sunt exhibenda.

Quibus imbecilliores purgandi.

VIII. Præparatio corporis & humorum. Ante purgationem corpus præparatur, seu prius fluidum redditur, vel sumpto jusculo prunorum coctorum, vel aliis emollientibus alimentis, ne videlicet meatus & viæ per quas fit expurgatio, sint obstructæ. Humores vitiosi sunt lenti, crassi & tenaces, ad expurgationem sunt inepti, & præparationem postulant. Nam tenues humores non egent præparatione. Crassi itaque ante purgationem sunt inci-

Emollientia & præparantia præmittenda.

incidendi & extenuandi liquore decoctarum herbarum ac radicum, quales sunt hyssopus, Marrhubium, radix petroselini, &c. aut syrupis convenientibus, quorum catalogum & utendi rationem infra docebimus.

Ab assumpto pharmaco quid agendum.

IX. Quid tempore purgationis & post purgationem sit agendum. Primò purgans medicamentum, si potionis formam habet, calidum est hauriendum, non frigidum aut tepidum. Secundo quibus à sumpto pharmaco nausea & vomendi cupiditas oboritur, panis tostus & aceto conspersus ad odorandum est offerendus. Tertio post sumptionem pharmaci una hora in lecto sine somno est quiescendum. Quarto ubi operatio medicamenti incipit, tum surgendum & leniter obambulandum. Quinto à sumpto medicamento, eousque à cibo & potu est abstinendum, donec universa operatio est peracta, id quod plerumque sex horarum spatio conficitur.

In quibusdam tamen naturis jusculum aliquod calidum assumendum, ad juvandam purgationem.

11. Quæ Evacuationum species vim habent purgationis?

Quinque evacuationum genera vim habent purgationis particularis, quæ tamen per accidens etiam universum corpus evacuant, Vomitio, Clyster, Glandis subjectio, urinæ expulsio, & sudoris eruptio.

12. Vomitio quid, & quæ corpora ad evomendum apta aut inepta, quasve adfert vomitio utilitates & noxas?

Vomitus.

Vomitio est rejectio facta impetu ventriculi; seu est evacuatio eorum quæ in ventriculo continentur noxia per superiora. Et est quidem vomitio motus evidentissimus naturæ in ventriculo; quo ventriculus violenter conatur expellere, vel cibos corruptos venenososque aut vitiosos humores, quales sunt pituitosa colluvies ventriculi tunicis adhærens, aut prassina bilis (die grüne Galle) *in ventriculo ex cibis mali succi generata, aut immoderatum potum aut lumbricos in eum reptantes.*

Quæ vomitione rejiciantur.

Proclives & apti ad vomitum.

Corpora alia facillime & salubriter, alia difficillimè & periculosè evomere possunt. Qui enim læto sunt pectore & crassâ cervice, ventriculumque habent frigidiorem, aut quibus ex cerebro pituita per gulam destillat, aut bilis flava ex vesica in ventriculum defluit, ii sunt ad vomitionem aptissimi, & si moderatè & singulis anni quadrantibus eâ utuntur, saluberrima est eis purgatio. Illuviem enim omnem ventriculi exonerat, & humores omnes vitiosos ex visceribus ventriculo adjacentibus & præcordiis facillimè evacuat, & per consequutionem & caput, & reliquas longinquas partes pondere levat, & plurimorum morborum, veluti prostratæ appetentiæ, nauseæ, crebrarum vomitionum, febrium, Ictericiæ, hemicraniæ, epilepsiæ &c. fomitem expellit.

Nonnullis conducit quotidie vel singulis septimanis vomere. Vomitus utilitas.

Difficillimè & cum violentia adeoque cum salubritatis mensura vomunt ii, quibus angustum est pectus & cervix gracilis. Omnium autem pernitiosissima est vomitio tabidis, asthmaticis & præcordiorum inflammatione laborantibus. Iis siquidem ex vomitione metuenda est aut suffocatio, aut vasorum ruptio & cruenta expuitio. Omnis enim difficilis & laboriosa vomitio præcordia & adjacentia viscera valida concussione convellit & debilitat. Cum verò vomitio symptoma sit, qua ratione vomitionis materia sit præparanda & ventriculus ad vomitum concitandus, & immoderata vomitio compescenda, infra in morborum curandorum ratione dicemus.

Inepti ad vomitum. Quibus vomitus pernitiosus.

13. Clyster quid, & quibus ex membris evacuet, quæve ejus sunt commoda?

Clyster quid.

Clyster est liquor ex herbis decoctis expressus & cum oleo, subducentibusque medicamentis & momento salis, aut pro ratione morbi aliis rebus convenientibus commixtus, & per syringa in rectum intestinum tepens vacuo ventriculo infusus.

Clysteris usus quando conveniens. Clysterum differentiæ.

Clyster saluberrimè adhibetur: Primò in omnibus intestinorum præsertim crassiorum vitiis. Quot enim sunt intestinorum vitia, tot sunt & Clysterum genera. Alii enim dolorem leniunt, ut in colico morbo; alii humores acres mitigant & eluunt, ut in dysenteria; alii ulcera detergunt & consolidant, ut in abrasione intestinorum; alii flatus discutiunt; alii crassam pituitam extenuant; alii feces duras emolliunt; alii vitiosos humores ex venis mesaraicis, Epate, liene & renibus eliciunt & expurgant; alii Vapores ex ventriculo ad cerebrum sursum repentes detrahunt. Quare per consecutionem Clysteris beneficio

omnia

omnia superiora viscera & præcordia pressa levantur.

14. Quid est Glans?

Suppositoria.

Glans, quem in officinis suppositorium vocant, est ex melle ad duriciem cocto, sale & pulvere colocinthydos in massulam teretem oblongam digiti longitudine, crassitie vero calami arundinacei, conformatum medicamentum, quod per anum recto intestino, apiendæ obstructionis & fecum induratarum proliciendi gratia, inditur.

15. Urina quid, & per urinæ propulsionem unde fit evacuatio?

Vrina est excrementum aquosum vel serum sanguinis. Vrinæ autem projectio seu excretio meritò inter evacuationum genera refertur. Sæpe enim natura per urinam noxios humores excernit, & ope medica per exhibitionem diureticorum medicamentorum vitiosi humores ex variis partibus purgari possunt, præsertim ubi redundantia humorum circa renes, circa vesicam, aut circa gibbam partem Epatis obstructionem facit. Hæ enim partes per nullos meatus commodius quam per urinæ vias evacuari possunt. Id quod Galenus lib. 7. cap. ultimo *Methodi medendi luculenter testatur, inquiens; sicut jecoris cavum per alvum purgatur, ita gibba ejus pars per ea quæ urinas movent. Porro urinam promoventia medicamenta, quæ infra enumerabimus, nunquam sunt exhibenda renibus aut Vesica inflammatione aut ulceribus laborante.*

Quæ partes per urinam commode evacuari possint.

Quando à diureticis abstinendum.

16. Sudor quid & unde evacuat?

Sudor est serosum excrementum sanguinis in venis minoribus per universum corpus contentum, qui quandoque à natura valida per poros cutis è venis minoribus propellitur & spontè erumpit, nonnunquam & arte medicinæque ope elicitur. Naturalis sudoris profusio fit à calore nativo, qualis contingit in febribus, qui febriles sudores salubres sunt, si aut in diebus decretoriis (quando decrescunt febres) calidæ erumpant, aut febrem totam auferant, aut si è toto corpore emanant & morbum mitigant. Sed pessimi sunt si frigidi & qui circa caput faciem & cervicem tantum & non per totum corpus proruunt. Fit autem per sudorem universalis evacuatio tali ordine, ut primo serum sanguinis erumpat ex habitu corporis seu venis subcutaneis: deinde ex venis & arteriis majoribus: & postremò ex visceribus ipsis. Artificiosa sudoris provocatio fit per motum vehementiorem seu exercitium, per aëris æstum, per laconica balnea, & per medicamenta diaphoretica sive sudorifica.

Sudores Critici.

Sudor frigidus & symptomaticus malus.

Sudor quibus prolicia-tur.

Sudor medicamentis tunc potissimum eliciendus est, quando viscera interna aut humoribus aut halitibus venenosis sunt obsessa, veluti contingit in febribus pestilentialibus.

Sudor quando provocandus.

17. Suntne his plura evacuationum genera?

Sunt quidem, sed quæ partim insensibiliter humores vitiosos expurgant, ut insensilis evaporatio, inedia, balneum; partim per accidens evacuant, ut exercitium, fames &c. Sed nisi modum excedant in alteranda natura, non tanti sunt momenti ut hic recenseri debeant. Sunt etiam habenda inter evacuationum particularium genera, tussis, quâ pulmo & thorax à suis excrementis levatur, item narium emunctio & per palatum exscreatio, quibus cerebri excrementa evacuantur: sed quæ hæc sint & symptomata, in curandorum morborum ratione dicitur.

Evacuationes reliquæ.

SECTIO VI.

De

AFFECTIBUS SIVE PERTURBATIONIBUS ANIMI.

Animi inordinati motus, qui in alteranda natura humana magnam habent violentiam, sextum obtinent locum inter causas naturam alterantes, & sunt tredecimum objectum circa quod ars Medica occupata est.

1. Affectus sive perturbationes Animi quid sunt, quomodo generantur, & quæ sunt eorum causæ?

Affectus sive perturbationes, passiones seu accidentia animi, Græcis παθήματα τῆς ψυχῆς, *sunt turbidi concitatique motus cordis: vel, ut Gregorius Nyssenus definit, sunt impetus animæ appetitivæ & sentientis, aut ex* con-

Affectuum natura.

contactu objectorum, aut ex imaginatione boni vel mali objecti orti. Appetitivæ enim potentiæ objectum est aut bonum aut malum sensibile, sive id revera, sive opinione tantum sit tale, & objecti boni primus effectus est delectatio, mali vero objecti dolor, ad quos duos effectus omnes animi affectiones refert Plato in Timæo. Quomodo excitentur affectus. *Generantur autem in Animo affectus sive passiones, quando imagines objectorum per sensoria in sensum communem deferuntur, aut quando in sensu communi fit cogitatio de objectis absentibus: quæ imaginatio primum movet spiritus Animales, moti Spiritus per nervos vibrant in corde spiritus vitales, qui rursum cordis substantiam aut dilatant, ut in lætitia; aut constringunt & dolore afficiunt, ut in tristitia.*

Causæ affectuum. *Causæ itaque affectionum animi sunt, Materialis quidem, rerum objectarum imagines: Efficiens est cogitatio de imagine objecti: Formalis est motus & constitutio cordis præternaturalis: Finalis est fuga vel apprehensio objecti: Instrumentales sunt sensoria, nervi & cor; συναίτιαι, sunt humores & temperies corporis.*

2. Quot sunt primariæ species affectuum Animi, quive earum effectus?

Præcipui affectus. *Sex à Medicis numerantur præcipuæ species perturbationum sive affectuum Animi, Timor, Tristitia, Ira, Lætitia, Agonia & Verecundia; ad has reliquæ omnes referri possunt, veluti sunt Spes, Misericordia, Odium, Invidentia, Zelus, ἐπιχαιρεκακία.* Affectus omnes noxii. *Et omnes quidem animi perturbationes si modum excedant, naturam humanam mirum in modum offendunt & debilitant.* Gaudium moderatum solum sanitati conducit. *Etiamsi quoque moderatæ sint, nullus tamen fere earum omnium est usus, præter gaudii.*

Timor. *Timor est motus cordis quo cor constringitur, ortus à cogitatione objecti mali futuri; effectus Timoris* Galen. l. 2. c. 1. de symptomatum causis, teste, *quod timor intro ad cor tum spiritum tum sanguinem, unà cum refrigeratione externarum partium deducit.* Cognati affectus. *Species Timoris sunt, terror, tremor, pavor, verecundia, erubescentia: quæ ratione remissionis & extensionis tantum differunt.* Audacia. *Contrarius Timori affectus est audacia, quæ ex objecti boni consequendi opinione, aut mali superantis spe oritur, & ut in Timore cor constringitur, ita in Audacia dilatatur & turget. Timor pudorem, Audacia Impudentiam parit.*

Tristitia, Mœror, & mœstitia gradibus remissis & extensis inter se tantum differunt. Tristitia. *Est autem Tristitia motus cordis quo cor constringitur & paulatim flaccessit, & ex iisdem causis oritur cum Timore, & eosdem habent uterque effectus, in hoc tamen differunt quod in Timore semel & confertim fit sanguinis & spirituum recursus ad cor, cum refrigeratione externarum partium; In tristitia autem id paulatim contingit.* Effectus tristitiæ. *Tristitia corpus gracile reddit & exsiccat, juxta illud,* spiritus tristis ossa exsiccat. *Plures ex tristitia & animi mœrore extinctos fuisse testatur* Plinius l. 7. c. 26.

Ira. *Ira, excandescentia & furor gradibus tantum differunt. Est autem Ira motus cordis qui oritur ab objecto malo cor offendente. Et sane nihil aliud est ira quam fervor Caloris, spiritus & sanguinis in thalamis cordis existentis, qui excitat appetentiam ultionis. In tali enim motu & fervore cordis ex vesiculâ bilis attrahitur vapor biliosus, sanguineque & spiritibus in corde contentis admiscetur, qui simul ebullientes, ex corde ad faciem oculos & cerebrum effunduntur, ibidemque spiritum Animalem inficiunt, quo & ratio turbatur & turbulenti motus partium corporis excitantur.* Tandem etiam mors ex hisce morbis sequitur. *Ex iracundia etsi nemo mortuus sit,* teste Galeno lib. 2. c. 5. *de symptomatum causis: tamen plurimos in Epilepsiam, Ampoplexiam & alios mortiferos morbos, & in furorem egit ac conjecit, & famæ existimationisque jacturam multis attulit. Danda itaque opera est ut iram concoquere ac frangere discamus.*

Gaudium. *Gaudium, Lætitia & Exultatio gradibus inter se differunt. Est autem gaudium motus cordis contrarius ei qui in tristitia contingit, & oritur ex objecto bono, & amatæ præsentis rei imaginatione, ut cum id quod amamus & prius appetebat animus, jam adest & arripi potest: hujusmodi rei præsentis fruitio Gaudium dicitur. In Lætitia sive Gaudio cor turget*

get & dilatatur, caloremque & spiritum vitalem ad exteriora profundit. Hinc non paucos præ nimia lætitia corde spoliato calore & spiritu mortuos esse legimus, quorum exempla recitat Plinius l. 2. c. 5. 2. Valerius Maximus l. 9. c. 12. & Aulus Gellius lib. 3. cap. 15. *Gaudii moderati utilitates sunt, quod eo exhilaratur Cor, & nativus calor in omnibus partibus excitatur, sanguisque in corpore extenuatur & purificatur.*

Gaudio nimio nonnulli extincti subito.

Agonia est mixtus motus cordis, constans ex timore & Ira, quo Animus angitur & excruciatur, sibi ipsi irascens, & futurum malum metuens. Est autem affectus animi periculosissimus qui nisi superetur auxilio Spiritus Sancti & consolatione verbi divini, ejus finis desperatio est.

Agonia.

Verecundia & pudor gradibus differunt, & est mixtus cordis motus constans ex Timore & moderata ira. In verecundia autem fit reciprocus motus sanguinis. Primum enim calor internus & sanguis ad interiora fugit, sed statim à spiritu vitali rursum ad exteriora repellitur. Contrarius autem motus quoque sanguinis fit in verecundia & Timore. In verecundia enim (Aristotele in problemat. teste) *sanguis ad exteriora diffunditur & cutis rubescit. In timore autem ab exterioribus intro pellitur, cutisque pallescit. Oritur autem verecundia sive pudor* Galeno lib. 2. c. 5. de symptomatum causis teste, *derepente homini nihil mali speranti. Verecundiæ contrarius affectus est Impudentia.*

Verecundia.

Spes est mixtus motus cordis ex amore & gaudio compositus. Ac constat immoderata dilatione cordis quæ contingit ex objecti boni futuri acquirendi imaginatione. Spes autem perpetuo comes est bonæ conscientiæ, teste Platone in l. de Rep. *Et Pindarus inquit: Quicunque justè sanctéque vitam exigit, dulcis eum spes comitatur, cor nutriens. Item Nazianzenus: Nihil nos magis exhilarare consuevit, quam spes & conscientia bona.*

Spes. Bona conscientia.

Amor est motus & dilatatio cordis, qua cor turget, fervore spirituum & sanguinis in corde contenti, quo motu cor objectum alienum expetit sibique adjungi cupit. Plato in l. de Amore, *Nullam voluptatem amore potentiorem esse dicit. Amoris autem gradus plures sunt, alius enim est honestus, alius turpis, alius moderatus, alius vehemens, alius remissus.*

Amor. Concupiscentia.

Odium est filia iræ, neque differt ab ira nisi temporis duratione. Ira enim breviori tempore concoquitur, odium autem durat diutius. Et ira Melancholicorum plerumque terminatur in odium. Ira vero biliosorum instar flammæ cito deflagrat & evanescit, nec in odium terminatur.

Odium. Melancholici ad odium proclives. Biliosorum ira brevis.

Misericordia est mixtus motus cordis constans ex tristitia & dolore, quo cor moderatè constringitur, quæ oritur ex aliena calamitate, quasi ex proprio objecto malo. Misericordia est proprius affectus Dei, Angelorum & Filiorum Dei.

Misericordia.

Invidentia est mixtus motus cordis ex dolore & tristitia constans. Oritur hæc ex alieno felici successu. Invidiæ quoque ut iræ comes est odium.

Invidia.

Zelus est motus mixtus cordis constans ex amore & ira seu sollicitudine, ut cum quis ita amat ut sit sollicitus, & metuat ne alius aliquis amatæ rei usu fruatur, vel qui nullum fert in amore rivalem, qui Zelotes dicitur: ἐπιχαιρεκακία est motus cordis & affectio prorsus vitiosa & diabolica, cum videlicet quis lætatur calamitatibus & afflictionibus proximi.

Zelus.

2. Quomodo gubernandi sunt affectus?

Affectus sunt omnium tum virtutum tum vitiorum causæ, & ita naturæ hominum insiti, ut ex ea nullo modo evelli queant. Moderatè autem, & eos juxta normam rationis gubernare, ne suos cancellos excedant, solius Sancti Spiritus auxilio & verbo Dei possumus, juxta illud Gen. 4. sub te erit appetitus tuus. *Quomodo autem sint gubernandi, in eo præcepta omnia Decalogi, tota Philosophia Moralis, & universa Iuridica facultas occupata est. Plura de Affectibus eorumque gubernatione extant apud Ciceronem* lib. 3. c. 4. *Tusculanarum quæstionum, & apud Lactantium in Divina institutione* lib. 7. c. 14. usque ad 20. *& Erasmum de Milite Christiano.*

Quomodo affectus sint moderandi.

COM-

COMPENDII ARTIS MEDICÆ FRANCISCI JOELIS LIBER TERTIUS,

De rebus præternaturalibus, Causis morbificis, morbis & symptomatis.

SECTIO I.

DE MORBORUM CAUSIS.

I. Quæ est artis Medicæ tertia pars, & quibus de rebus tractat?

*Ertiæ pars artis Medicæ quam Græci αἰτιολογικὴν seu παθολογικὴν vocant, est quæ tradit earum rerum cognitionem, quæ cum humana natura & salubritate cum animi tum corporis è diametro pugnant, eamque destruunt & labefactant, & cum quibus natura & ministro naturæ Medica, subinde præliandum est: quæ res Medicis præternaturales & cum natura pugnantes dicuntur, Galeno διάθεσις, id est affectus præter naturam, & πάθος atque πάθημα id est passio dicitur. Sunt autem numero tres: I. Causæ morbificæ. II. Morbi. III. Symptomata. In hac itaque tertia Medicinæ parte causarum genera, morborum symptomatumque naturas & differentias breviter explicabimus.*

Res præternaturales 3.

2. Causa morbifica sive efficiens causa morborum quid est, & quæ sunt causarum morbificarum genera?

Causa morbifica quid.

Causæ morbificæ sunt decimum quartum objectum circa quod Ars Medica est occupata. Est autem causa morbifica, quæ suapte natura ei, qui fit morbo aliquam suæ generationis partem confert, sive quæ quocunque modo aliquid ad morbi constitutionem confert, morbumque excitat. Cum autem sine causarum cognitione, morbi ipsi nec præcaveri nec curari possint, in omni morborum genere diligenti observatione investigandæ sunt morborum causæ efficientes quæ semper antecedunt morbum. Porro causarum morbificarum genera in hac comprehenduntur tabella.

Tabella causarum morbificarum.

Causarum morbificarum 4. sunt genera,	*Προκαταρκτικὴ, externa,*
	Προηγουμένη, interna,
	Continens,
	Sine qua non.

Genera causæ morbificæ.

Harum causarum morbos excitantium postremæ duæ, continens & sine qua non, ad priora duo genera referri possunt.

Προκαταρκτικὴ id est externa causa, Celso evidens seu manifesta, aliis primitiva dicitur, & est quæ extrinsecus naturam offendit, vel quæ corpori in corporeque contentis extrinsecus vim infert. Hæ autem evidentes sive externæ causæ excitant in corpore causas προηγουμένας ad morborum procreationem, ut in asthmate flatus australis est προκαταρκτικὴ sive evidens causa, quæ excitat causam προηγουμένην, videlicet copiam excrementorum in cerebro, ut defluat per arterias in pul- mones

Evidens & externa causa qualis.

mones eorumque obstruat meatus & morbum, videlicet difficilem respirationem generat.

Externarum causarum differentiæ.

Ad προκαταρκτικὰς sive primitivas causas referuntur rerum externarum abusus & immoderata earum qualitas & quantitas, quarum omnium aliæ vitari non possunt & necessario naturam offendunt, aliæ autem fortuitæ sunt & vitari possunt.

Causæ externæ quæ
- *Vitari non possunt, sunt*
  - *Aëris constitutio,*
  - *Cibus & potus,*
  - *Somnus & vigilia,*
  - *Labor & Quies,*
  - *Excretio & Retentio,*
  - *Animi παθήματα.*
- *Vitari possunt, sunt*
  - *Gladii ictus,*
  - *Bestiarum Morsus,*
  - *Fumus,*
  - *Gravis odor,*
  - *Lapsus ex alto,*
  - *Pharmaca venenosa,*
  - *Æstuarii caliditas, & similes fortuiti casus.*

Interna antecedens.

Προηγουμένη, Interna causa morbifica, quam Celsus abditam, alii Medici antecedentem vocant, est quæ in corpore consistit, & morbos aut mediatè aut immediatè gignit, auget & conservat, ut in pleuritide, προκαταρκτικὴ sive evidens & primitiva causa est cibus & potus immoderatus, προηγουμένη sive antecedens est copia sanguinis defluentis ad intercostales membranas, ibidemque tumorem præternaturalem generantis.

Differentia causæ antecedentis.

Duplex autem est causa Antecedens, mediata aut immediata, ut in pleuritide sanguinis collectio circa costas est causa mediata πλευρίτιδος. Immediata autem sive continens causa est putrefactio ejusdem. Ad causas προηγουμένας referuntur spiritus, sanguis, humores, excrementa, omniaque in corpore vitiosa contenta, & vel qualitate vel quantitate peccantia. Item partium instrumentalium situs, figura, numerus & connexio vitiosa & præternaturalis: Item meatuum obstructio, laxitas, asperitas, & lævitas.

Conjuncta causa.

Continens sive conjuncta causa est quidem causa & species προηγουμένης, quæ in corpore sita morbo proximè adhærescit & connexa est ac immediate morbum efficit, ut diximus; in pleuritide προκαταρκτικὴ est immoderatus cibus & potus, προηγουμένη mediata est sanguinis collectio circa costas.

Continens.

Continens causa sive immediatè antecedens morbum, est putrefactus sanguis, adhæret morbo & dolorem ac febrim immediatè excitat.

Sine qua non.

Causa sine qua non, ὧν οὐκ ἄνευ, est quæ vi sua & per se non efficit morbum, sed tamen ab efficiente causa separari nequit, & est quasi συναίτιον, id est adjuvans sive concausa, ut in morbo articulari causa προκαταρκτικὴ est aëris frigida constitutio, προηγουμένη est defluens ex cerebro humor ad articulos, continens est ejusdem humoris vitiosa qualitas: causa sine qua non est imbecillitas articulorum non valens vincere affluentem humorem. Ad causas sine qua non referuntur Locus, Tempus, Instrumentum.

Auctor continentem hic pro conjuncta accipit, absque ullo discrimine.

Ordo causarum.

Porro hæ causæ omnes morbificæ continuatione quadam & serie inter se connexæ sunt, & prima quidem est semper προκαταρκτικὴ, postrema vero continens, mediæ sunt antecedentes mediatè. Minimè autem omnis morbus necessariò ex his simul omnibus causis oritur, sed alias ex duabus, alias ex una tantum.

SECTIO II.
DE MORBIS.

Secunda res contra naturam vel è diametro pugnans cum natura, sunt ipsi morbi, &

 nume-

numerantur inter objecta artis Medicæ decimo quarto loco.

1. Quid est morbus, & quæ consideranda circa morbi definitionem?

Morbi definitio examinatur.

Morbus est διάθεσις *sive affectus contra naturam, à quo primum & per se vitiatur actio, autore Galeno* de differentiis symptomatum cap. 1. *In hac definitione quinque sunt præcipuè consideranda.*

Διάθεσις.

I. Διάθεσις *hoc loco Galeno significat idem quod* ἕξις, *id est dispositio sive affectus corporis aut partium ejus habitualis, stabilis & perseverans; hinc bona corporis* διάθεσις *sanitas, mala vero morbus dicitur.*

II. *Omnis morbus est* διάθεσις *sive affectus contra naturam, quia primum & per se vim naturæ infert & lædit actiones. Differunt autem res in corpore contra naturam & res præter naturam, ut morbus & symptomata sunt res contra naturam quia lædunt actiones, res præter naturam non lædunt actiones etiamsi sunt molestæ. Tales sunt squalor corpori inustus à sole, fœdus corporis color in Icteritia, asperitas cutis &c.*

Differentia inter res contra & præter naturam.

III. *Per morbum semper aut vitiatur aut læditur, aut prorsus tollitur actio partium, quibus morbus insidet.*

Cujus partis actio lædatur à morbo. Subjectum morbi.

IV. *Omnis affectus sive* διάθεσις *hæret & consistit aut in partium substantiis, quæ constant ex solis partibus spiritibus & calido innato inter se confusis: aut in contentis, veluti sunt spiritus flatulenti, sanguis, humores & excrementa; aut in actionibus.*

Differentia inter morbum & causam morbificam.

V. *Sola autem* διάθεσις *sive affectus vitiosus, qui in partibus corporis similaribus aut organicis consistit, verè & propriè morbus dicitur, quia is tantum primum & per se actiones lædit. Is vero affectus sive vitiosa* διάθεσις *quæ in contentis, id est spiritibus, sanguine, humoribus & excrementis reperitur, morbus propriè non est, quia non primum nec per se actionem lædit, sed interventu suo afficit partes, & est tantum causa morbifica. Ad causarum itaque genera talis affectus referri debet, ut humores in venis putrescentes per se non lædunt actiones nisi sua contagione partes inficiant. Affectus autem sive vitiosa* διάθεσις *in actionibus, velut quæ læsam actionem comitantur, non morbi sed symptomata sunt.*

2. Quot modis morbo afficiuntur partes corporis?

Duobus modis partes corporis afficiuntur, & læduntur earum actiones. Per se primum, quæ affectio Græcis ἰδιοπάθεια, *id est propria affectio, &* πρωτοπάθεια *nominatur, quæ parti insidet partisque actiones lædit, & non ex alterius partis morbi communicatione oritur.*

Læsio actionum quæ fit per se.

Secundo partes afficiuntur per consensum, quæ affectio Græcis συμπάθεια *dicitur, quæ affectio non per se inest parti, sed alterius partis vitio ei impertitur; ut cum caput vitiatur ex vaporibus è ventriculo sursum elevatis, & mens aut sensus hebetantur aut vitiantur; vel cum ex obstructione spinæ dorsi fit crurum resolutio, & sensus motusque amissio. Et talis affectio dicitur &* δευτεροπάθεια.

Per consensum.

3. Quot & quæ sunt summa primaque morborum genera.

Morbus omnis in aliqua corporis parte consistit. Pars autem omnis prima divisione est aut similaris aut organica, unde constat omnes in universum morbos hærere aut in partibus similaribus, aut organicis, aut simul in utrisque.

Tria itaque erunt prima morborum genera, denominationem à partium generibus sortita, ut sequens ostendet tabella.

Morborum differentiæ.

Tabella

Tabella morborum summa genera complectens.

Morbus omnis est aut

- *Similaris, qui partibus similaribus accidit ex præternaturali intemperie*
  - *Simplici,*
    - *Calida,*
    - *Frigida,*
    - *Humida,*
    - *Sicca.*
  - *Composita,*
    - *Calida & sicca,*
    - *Calida & humida,*
    - *Frigida & sicca,*
    - *Frigida & humida.*
  - *Utraque est aut*
    - *Sola, aut nuda qualitas actionē lædens.*
    - *Adjuncta vitioso humori, actionem lædens & substantiam partium corrumpens.*
- *Instrumentalis, qui oritur in partibus instrumentariis, qui est quadruplex, generatur enim aut ex vitiosa*
  - *Conformatione, ut convexitas capitis:*
  - *Magnitudine, ut lingua brevis:*
  - *Numero, ut sex digiti:*
  - *Situ, ut artuum luxatio.*
- *Communis, quo & similares & organicæ partes læduntur, qui continui sive unionis solutio dicitur, & per se quidem est morbus instrumentalis, per accidens autem similaris, & nominatur in*
  - *Osse, fractura:*
  - *Nervis, punctura:*
  - *Venis, sectio:*
  - *Membranis, ruptura:*
  - *Carne, vulnus, &c.*

4. Qui sunt morbi similares?

Morbi similares.

Similares morbi, Græcis νοσώδεις δυσκρασίαι, id est morbosæ intemperies, sunt qui in similaribus partibus consistunt, cum videlicet aut in ossibus aut cartilaginibus, aut ligamentis, aut tendonibus, aut membranis, aut nervis, aut arteriis, aut venis, aut carne, aut cute præternaturalis & excellens, aut caliditas, aut frigiditas, aut humiditas, aut siccitas; aut juxta earum combinationem, caliditas & siccitas simul, caliditas & humiditas, frigiditas & siccitas, frigiditas & humiditas, insidet, & actiones lædit, & hæ quidem qualitates nonnunquam sunt nudæ & solitariæ. Quandoque autem adjunctæ sunt humoribus vitiosis, venenatis & contagiosis, & tum non modo actiones lædunt, sed & substantias similarium partium corrumpunt, & morbum communem, unionis solutionem videlicet eis inferunt.

Morbi totius substantiæ.

5. Qui sunt morbi instrumentales?

Morbi organici.

Instrumentales morbi sunt qui in ipsis partibus organicis consistunt, nec aliud sunt quam malæ constitutiones partium. Ut enim ædificium rectè exstructum dicimus, cum omnes partes ejus pulchro ordine, æquali magnitudine, convenienti situ, sunt inter se connexæ: ita ubi pars aliqua in corpore instrumentalis vel vitiosam habet conformationem sive figuram, aut in convenientem magnitudinem numerumque, aut pravam dispositionem ac situm, quicquid tale acciderit partibus organicis, id morbus est, & lædit earum actionem. Sunt itaque quatuor genera morborum instrumentalium.

Primum genus est quod accidit in figura seu conformatione partis, veluti sunt vitiosa capitis figura, acuminata vel penitus rotunda, pupillæ oculi dilatatio, varitas crurum, id est quibus extra vel intrò contorta sunt crura, item meatus alicujus laxitas, astrictio & obstructio. Conformationis.

Secundum genus est indecens magnitudo aut parvitas, cum videlicet aliqua pars organica supra convenientis naturæ modum increvit aut subsistit, ut lingua tanta moles quæ ore comprehendi nequeat, aut eadem justo brevior sit. Magnitudinis.

Tertium morbi instrumentarii genus accidit in Numeri.

dit in numero partium, quando nimirum partes aut pauciores aut plures sunt, quam natura exigit, ut sex digiti in manu, aut ubi digitus aut manus cuipiam est amputata, aut monoculus.

Situs. *Quartum genus morbi, accidit partibus instrumentariis in situ seu positione, connexioneque. Tales sunt articulorum luxatio.*

6. Qui sunt morbi & similaribus & instrumentariis partibus communes?

Solutio continui in similaribus. *Continui sive unionis solutio, omnibus, cum similaribus, tum organicis partibus communis est morbus, qui quidem morbus in similaribus partibus varias habet denominationes. In osse enim κάταγμα, fractura, & ejusdem erosio τερηδὼν, id est caries; in carne ἕλκος, id est ulcus, τραῦμα, id est vulnus; in membranis ῥῆγμα, id est ruptura; in nervis νύξις, id est punctura & θλάσις, id est contusio; in venis ἕδρα, id est incisio dicitur.*

In organicis. *Vnionis autem solutio quæ fit in instrumentariis partibus, non habet peculiare vocabulum, sed communiter omnis solutio unitatis διάσπασμα, id est divulsio nominatur.*

7. Suntne plures morborum differentiæ?

Sumuntur & aliæ morborum differentiæ à toto & partibus corporis, veluti sunt, alii universales, qui sese per universas corporis partes extendunt, ut sunt febres; alii particulares, qui in unica tantum particula consistunt, capitis & oculorum affectus, de quibus paulo post. Reliquæ autem differentiæ ferè omnes ab accidentibus morborum sumuntur, quorum præcipuæ in sequenti tabella comprehenduntur.

Morbi universales & particulares.

Differentiæ morborum.

Morborum alii sunt
- *Simplices,*
- *Compositi,*
- *Acuti,*
- *Breves,*
- *Longi,*
- *Communes,*
- *Vulgares,*
- *Populares seu patrii.*
- *Maligni,*
- *Lethales,*
- *Vehementes,*
- *Legitimi,*
- *Spurii,*
- *Erratici,*
- *Recidivi.*

Simplices Morbi sunt, qui ex unica & eadem causa in una eademque corporis parte suboriuntur, ut ventriculi intemperies aliqua simplex vel renum obstructio. Morbi simplices.

Compositi sunt qui cum alio morbo vel pluribus etiam aliis in uno corpore conjunguntur, ut calculus & inflammatio renum. Compositi & mixti.

Acuti sunt qui intra 14. dies vel ad mortem vel ad sanitatem terminantur propter vehementiam: talis est Pleuritis. Acuti.

Peracuti sunt qui ultra quartum diem non extenduntur, ut Angina, Apoplexia. Peracuti.

Breves sunt qui cito terminantur. Breves autem sunt omnes acuti & peracuti morbi. Et omnes breves morbi oriuntur ut plurimum à calidis humoribus, sanguine & bile. Breves: Interdum enim etiam ex crassis humoribus obstruentibus, ut apoplexia, catarrhus suffocativus.

Longi seu χρονικοὶ vel diuturni morbi sunt qui ultra 45. diem extenduntur; velut febris quartana. Et longi quidem morbi omnes à crassis humoribus, pituita videlicet & atra bile ortum ducunt. Chronici. Nisi imbecillitas visceris cujusdam fit ex præcedente morbo acuto & calido.

Communes morbi sunt, qui multos homines eodem tempore in iisdem locis corripiunt. Communium autem morborum alii sunt vulgares & pestilentes, Græcis ἐπίδημοι, velut est pestilens contagio. Alii sunt patrii seu populares, Græcis ἔνδημοι, qui semper in quibusdam regionibus sunt familiares, veluti in hisce maritimis locis est scorbutus morbus; alii sparsi, Græcis σποραδικοὶ, qui eodem tempore eadem corporis loca in ejusdem temperiei corporibus apprehendunt. Epidemii. Sporadici. Genere diversi hi morbi, & separatim singulos corripiunt.

Maligni, Græcis κακοήθεις, qui gravia inferunt symptomata, & se contumaciter curari patiuntur. Maligni.

Lethales sunt qui semper interficiunt, ut plerunque sunt peracuti morbi.

Vehementes seu graves sunt qui vehementer naturam affligunt & vires vehementer prosternunt & periculosè afficiunt. Graves.

Legitimi sunt qui & veri & synceri dicuntur, Legitimi.

tur, qui ex ſimplici humore ortum ducunt & facile dijudicantur, ut tertiana legitima, quæ ex mera bile generatur, aut pleuritis conſiſtens, quæ ex confluxu ſanguinis oritur.

Nothi. *Spurii ſeu morbi legitimis contrarii ſunt, qui videlicet non ex ſimplici aut unico humore, ſed ex plurium commiſtione generantur, vel non perſeverant ad terminum ſuæ naturæ convenientem, velut eſt πλευρίτης, quæ etſi ut legitima πλευρίτης latus punctura afficit, cito tamen poſt remediorum applicationem evaneſcit.*

Ordinati morbi ſunt qui ſtatis certiſque temporibus invadunt, ut tertiana & quartana.

Erratici qui incerto tempore & per incertas periodos corripiunt, veluti ſunt febres erraticæ.

Recidivi. *Recidivi ſive recurrentes morbi ſunt qui aliquantiſper remittunt & moderatiores fiunt, rurſum poſtea exacuuntur, hos Hippocrates ἀποστροφώδεα νοσήματα vocat.*

8. Qui ſunt Morbi univerſales, & qui particulares?

Univerſales morbi imprimis ſunt febres, quæ univerſales ideo dicuntur, quia totum corpus occupant & calore præternaturali afficiunt. Particulares autem morbi ſunt, qui in quibuſdam partibus hærent & earum functiones lædunt, quorum nomenclaturas poſt ſymptomatum tractationem enumerabimus.

SECTIO III.
DE FEBRIBUS.

1. Febris quid eſt, & quæ ſunt febrium genera & differentiæ?

Febris natura. *Febris, πυρετός, eſt calor præter naturam, qui in corde initium ſumens per arterias & venas in univerſum corpus diffunditur, ejuſdemque actiones lædit, calorem nativum qui autor eſt omnium actionum & ſalutis, corrumpit. Rigor enim & horror qui febrim antecedit, revera non eſt, nec dici poteſt febris (nulla enim febris eſt frigida) donec præternaturalis calor in corde accendatur & in totum corpus diffundatur.*

Febrium tria ſunt genera, { *Simplex, Putrida, Peſtilens.* } Febrium differentiæ.

Simplex febris eſt nativi caloris paulatim in igneum converſio: talis eſt ἐφήμερος in ſpiritibus, σύνοχος in ſanguine, & ἑκτικός in ſolidis partibus.

Putrida eſt cujus calor ex colluvie putridorum humorum emerſit: talis eſt continua putrida, & intermittentes.

Peſtilens eſt quam venenata & pernitioſa expiratio intulit. Harum differentiæ in ſequentibus tabellis proponuntur. Conſiſtit autem omnis febris tanquam in propria materia & ſubjecto, aut in ſpiritibus, aut humoribus, aut ſolidis partibus. Febris materia.

Subjecta febrium ſunt tria, { *Spiritus, Humores, Solidæ partes.* }

Qualis febris in ſpiritibus accenditur?

Ephemeræ cauſæ. *In ſpiritibus vitalibus ſimplex febris accenditur, quæ ἐφήμερος id eſt diaria, quia unico duntaxat die durat, dicitur. Oritur hæc plerumque à προκαταρκτικαῖς cauſis, videlicet à ſolis fervore, laboribus vehementioribus, potu vini meracioris &c. Et hominem repente apprehendit ſine antecedente rigore, ſine cibi faſtidio, & ſine oſcitatione, quæ reliquas febres antecedunt.*

Tabella febrium in humoribus hærentium.

Humores accenduntur aut
- *Intra venas,*
  - *Sine putredine, in totâ maßâ sanguineâ, & generatur Σύνοχος, id est continens non putrida.*
  - *Putrescentes, ut si putrescat tota massa sanguinea, fit σύνοχος putrida. Bilis flava si putrescat, generatur καῦσος seu tertiana continua: Si pituita, generatur quotidiana continua: Si atra bilis, fit quartana continua.*
- *Extra venas in aliqua corporis capacitate putrescentes, suntque vel*
  - *Bilis flava,*
  - *Pituita,*
  - *Atra bilis:*
  - *Quæ generat*
    - *Tertianam intermittentem,*
    - *Quotidianam intermittentem:*
    - *Quartanam intermittentẽ.*

Febres ex mistis humoribus.

Si bili flavæ putrescenti admixta sit pituita, generatur tertiana spuria; si admixta sit pituita dulcis, generatur quotidiana intermittens; si vero commistionem habeat pituitæ vitreæ, generatur Epiala.

Tabella febrium in partium substantiis hærentium.

Calor accensus in solidis substantiis partium generat, vel
- *Hecticam,*
- *Marasmum.*

Da brevem explicationem Febrium.

Ephemera.

Ἐφήμερα, Latinis Diaria, est febris simplex in spiritu vitali consistens à causa aliqua externa, Solis ardore, vehementiori commotione corporis, vini meracioris potatione, & similibus orta, quæ & citò sudore madoreque exhalatur, & uno ut plurimum die durat.

Synochus simplex.

Σύνοχος simplex sine putredine est febris quæ in sanguine effervescit & suo vapore cor & totum corpus excalefacit. Hæc una accessione continua & sine intermissione naturam fatigat donec dissipetur. Oritur hæc ex causis externis veluti & diaria, potissimum autem ex sanguinis redundantia & pororum cutis obstructione & nimia constipatione. In hac febre facies vehementer rubet.

Synochus putrida.

Est alia species συνόχου quæ putrida dicitur, estque febris continua ex putrescente in venis sanguinea massa orta. Hæc similiter unica accessione invadit & durat donec terminetur. In hac febri sanguis è venis detractus fœtidus & putridus apparet & non concrescit.

Causus.

Καῦσος, Tertiana ardens est febris continua, & oritur ubi flava bilis sola in massa sanguinea exuberat & putrescit.

Continuæ aliæ putridæ.

Quotidiana continua generatur ubi sanguinea massa in venis nimium est pituitosa, & ipsa pituita putrescit.

Quartana continua generatur ubi humor melancholicus in venis seu in massa sanguinea redundat & putrescit. Et hæ quidem species febrium omnes sunt continuæ, & in humoribus intra venas putrescentibus consistunt. Intermittentes. *Intermittentes autem febres, id est quæ certas, pluresque accessiones & remissiones habent, in hisce locis sunt magis familiares.* Focus intermittentium. *Oriuntur autem & hæ ex iisdem putridis humoribus, sed non iisdem locis cum febribus continuis, sed ex iis humoribus putridis, qui in partium cavitatibus & sensilibus substantiis sunt collecti & dispersi.*

Tertiana.

Tertiana itaque intermittens generatur ex putrescente & excrementicia flava bile extra venas collecta, qualis est bilis flava in vesicula sua vel bilis vitellina aut porracea in ventriculo congesta. Hæc febris unum diem intermittit & tertio rursum redit. Quod si verò bili

rò bili flavæ putrescenti extra venas admixta sit pituita, tertianam spuriam gignit.

Quotidiana.

Quotidiana intermittens fit quando pituita vel mucus extra venas, qualis in ventriculo, intestinis, & circa præcordia & diaphragma plurimum colligitur, putrescit. Hæc singulis diebus semel recurrit & intermittit.

Epiala.

Epiala febris est species quotidianæ, quæ ex pituita vitrea putrescente generatur. Hac febre laborantes per universum corpus simul & eodem tempore & rigent & æstuant vehementer.

Quartana.

Quartana intermittens ex atra bile excrementitia & extra venas effusa, qualis est quæ in liene colligitur putrescente suboritur, quæ duos integros dies intermittit, & quarto die rursum redit.

Maligna.

Pestilens febris est ex febrium putridarum genere, quæ ut plurimum ex venenati aëris inspiratione exoritur, & humores in corpore inficit ac putrescere facit, & tota sua substantia adversatur spiritibus vitalibus.

Lipyria.

Sunt præter hæc & alia febrium genera, ut λειπυρία, quæ ex visceris alicujus interni inflammatione oritur, in quâ intus in visceribus vehemens calor & in externis partibus vehemens sentitur frigus.

Sudorifera.

Τυφώδης id est humida, est febris in quâ corpus perpetuo sudore exsolvitur, & tamen febris à sudore nihil remittitur.

Differentia febrium intermittentium à modo invasionis.

Omnium febrium intermittentium & accessiones & remissiones, aut sunt typicæ, id est ordinatæ, in quibus accessio & intermissio, statis ac certis accidunt vicibus; aut sunt Erraticæ in quibus nullus servatur ordo aut temporis certitudo accessionis & remissionis.

Febres quæ in solidis partibus consistunt, sunt Hectica & Marasmus.

Hectica. Atrophia etiam **Die dürre** dicitur quod macilentum reddat corpus.

Hectica id est habitum corrumpens febris, aut est in universo corpore quæ propriè Marasmus dicitur, in qua cor primum, deinde universum corpus calore flagrat & absumitur; aut est particularis, quæ primum alicujus partis substantiæ insidet, ut Ventriculi, Iecoris, Lienis aut pulmonis, ac primum quidem ejus partis substantiam incendit & absumit, deinde & per totum corpus humidum radicale depascitur & Hectica dicitur, **Die Schwindsucht.** *Est namq; febrium intermittentium materia & sedes humor excrementitius putrescens, tertianæ quidem, bilis flava, quæ in fellis vesicula colligitur. Hinc fit, quod in tertiana semper afficiatur Epar. Epati enim appensa est vesicula bilis; quartanæ bilis atra à liene attracta: Vnde quartana laborantes, semper molestias & dolores sentiunt in liene, sub sinistro hypochondrio. Quotidianæ mucosa pituita, quæ vel in ventriculo, vel circa diaphragma & partibus ventriculo adhærentibus collecta est. Hinc fit, quod quotidiana laborantes potissimum ventriculi imbecillitate & præcordiorum doloribus infestentur.*

Intermittentium sedes in aliquo viscere. Gal. l. 1. art. curat. cap. 5.

3. Quæ sunt causæ frigoris, rigoris, horroris & æstus in febribus intermittentibus?

Symptomatum febrilium causæ.

Frigus, rigor & horror, extensione tantum & remissione differunt. Frigore enim summa corporis infrigescunt: rigore vero totum corpus contremiscit, adeoque vehementer concutitur, ut vix cohiberi queat; horrore vero leniter tantum idipsum concutitur. Omnium horum accidentium eadem similisque est causa, nempe frigidi aut calidi, aëris, vaporis materiæque pungentis vehemens incursio & motus in corporis sentientes partes, quales sunt membranæ & nervi præcordiorum, epatis, & lienis. Putris enim humor in quovis loco corporis existens quandiu conquiescit, corpus nec horrore, nec rigore, nec frigore, aut calore exagitat, donec fermenti instar, turgescens è loco suo erumpat, & vehementi suo impetu vicinas partes feriat ac pungat, tunc tandem horrorem, rigorem & frigiditatem excitat, sicut & aëris frigidioris aut aquæ exterius occursus eadem accidentia in corpore excitare solet. Vbi itaque putrescens humor paucus est, & acrimonia levis, motusque lentus, tunc solam frigiditatem in corpore excitat: Si vero copiosior & acrior extiterit, & concitatius, vehementiusque erumpat, statim tetrum ac crassum vaporem in omne corpus effundit & horrorem rigoremque parit, ac postea ubi putridus hic vapor ipsum cor occupavit, una cum spiritibus vitalibus incenditur, & instar flammæ per arterias in totum corpus diffunditur, qui calor febrilis dicitur, & eo usque

Causæ rigoris motus humorum putrescentium.

Causa caloris & æstus febrilis.

usque flagrat hic vapor, donec extenuatus impellente natura dissolvatur.

4. Quæ est causa circuituum febrilium?

Humores cur certis ac statis temporibus moveantur. & accessiones febriles excitent.

Cur putrescens pituita quotidie, bilis flava tertio, melancholia quarto quoque die erumpat, impetum faciat, & paroxismos febriles generet, variè disputatur, variæque adferuntur hujus rei rationes, inter quas ea maximè probatur, quod nimirum natura tum demum partes vitiosis humoribus obsessas, ad expulsionem molestantium humorum stimulet, quando humores vitiosi & sua copia & putrida ac acri sua qualitate partes gravant ac molestant. Tanta autem copia pituitæ quotidie colligi potest, bilis autem flava non nisi tertio, & melancholia quarto die eam acquirit mensuram, & in eam excrescit copiam, ut naturam gravet, nec eorum fermentatio & putridæ qualitatis eruptio ante hos terminos perfici possunt, ut naturam ad expulsionem stimulent, ideo nec ante id tempus circuitum efficiunt: Sed de his exactius & ex professo in libro nostro de Febribus, sect. 1. ubi tractatur illa Quæstio: Quæ sint Causæ quod Paroxismi febrium intermittentium alii quotidie, alii tertio, alii quarto die recurrant.

SECTIO IV.
DE SYMPTOMATIS.

Tertia res pugnans cum natura humana est symptoma, quod ultimum & 16. locum inter objecta artis Medicæ obtinet. Vt autem causæ morbificæ perpetuo antecedunt morbos, ita symptomata perpetuo eos comitantur, & sensibus nostris sunt conspicua. Omne enim symptoma simul signum est alicujus morbi.

Symptomata sunt simul signa.

1. Quid est symptoma, & quomodo differt à morbo?

Symptomatis natura.

Omnis defectus & actionum noxa in corpore, quæ nec causa est nec morbus ad symptomata referri debet. Est itaque symptoma, quod à verbo συμπίπτω, id est, simul cado, vel simul coincido derivatur, affectus præter naturam, qui cum morbo coincidit, morbumque veluti umbra corpus necessario sequitur; ut morbum pulmonis & asperæ arteriæ semper sequitur tussis, & sternutatio cerebri morbos comitatur. Differt autem symptoma à causis morbificis & morbo, eo quod omnis morbus actionem primum & per se lædit, causa vero morbifica per accidens; sed symptoma est affectus præter naturam ex morbo profectus.

Ejus differentia à reliquis rebus præternaturalibus.

Secundo quod morbus semper in parte aliqua corporis consistit, causa vero in contentis, id est in spiritibus, humoribus aut excrementis: Symptoma vero in utrisque contingit, & simul in actionibus. Ex eodem autem morbo sæpe plura oriuntur symptomata, ut ex frigida ventriculi intemperie, quæ morbus est, oritur symptoma, videlicet cruditas. Ex eadem oritur & aliud, nimirum lienteria & crudorum humorum in totum corpus distributio. Et ita ex symptomatibus fiunt morbi, & symptomata fiunt causæ morborum.

Ex uno morbo plura symptomata.

Symptoma unius potest esse causa alterius morbi.

2. Quot & quæ sunt symptomatum genera?

Symptomatum genera summa.

Tria sunt summa symptomatum genera: alia enim sunt actionũ noxa, alia sunt corporis simplices affectus, alia excrementorum vitia.

Triplex actionum læsio.

Symptomata quatenus sunt actionum noxæ, sunt cum actiones vel animales, ut Ratiocinatio, Dijudicatio, Memoria, aut sensus & motus voluntarius, vel actiones naturales, veluti sunt appetentia, attractio, retentio, alteratio, expulsio, concoctio, distributio, &c. hebetantur aut depravantur, aut prorsus amittuntur per morbum.

Qualitates sensiles seu affectus corporis.

Symptomata corporis simplicis affectus, sunt vitia, quæ in corpore & partibus corporis & morbo aliquo contingunt, quæ sensibus nostris sunt subjecta, ut color fœdus cutis in ictericia, odor fœtidus oris, tinnitus aurium, stridor dentium, oris amaror, scabricies squalorque cutis, in summa omnis qualitas sensibilis præternaturalis in corpore existens.

Excreta & retenta præter naturam.

Symptomata excrementiciorum humorum sunt, quæ ex vitiosis contentis, veluti sunt excrementa & humores vitiosi proveniunt, quorum alia tota substantia sua sunt vitiosa, ut calculus, arena, lumbrici; aut vitiosa sunt qualitate, veluti color & odor fœdus; aut vitiosa quantitate, velut est sudor immodicè profluviens. Porro omnium morborum ac symptomatum Nomenclaturas & Latinas & Græcas in sequentibus tabellis enumerabimus.

3. Qui-

3. Quibus Nomenclaturis insigniuntur morbi ac symptomata?

Morborum nomina unde desumta. *Vetustas morbis nomina indidit, partim à parte cui morbus insidet, ut pleuritis, nephritis, peripneumonia &c. Partim à materia efficiente, ut melancholia, cholera, calculus, &c. Partim à vehementi symptomate, ut apoplexia, Epilepsia, Paralysis, &c. Partim ab externarum rerum similitudine, ut Elephas, Cancer, polypus, &c. Et quidem has Nomenclaturas & recens ætas retinuit, quas breviter in hisce tabellis commemorabimus.*

1. Morbi & symptomata capitis, quæ accidunt

- Meningibus:
  - Κεφαλαλγία, *Arab. Soda, dolor recens capitis.*
  - κεφαλαία, *dolor capitis inveteratus.*
  - ἡμικρανία, *Dolor mediam partem capitis infestans.*
- Cerebri substantiæ, qui rationem perturbant:
  - φρένισις, *inflammatio cerebri furiosa.*
  - *Melancholia, mentis alienatio cum mœsticia.*
  - μανία, *furor vel insania furiosa.*
  - μνήμης ἀπόληψις, *memoriæ abolitio.*
  - κάρος, *sopor.*
  - λήθαργος, *veternus.*
- Cavitatibus cerebri:
  - σκότωμα, *vertigo*, ὑπόχυμα.
  - ἐπιληψία, *morbus sacer.*
  - ἀποπληξία, *attonitus morbus.*
  - παράλυσις, *membrorum resolutio.*
  - σπασμὸς, *convulsio.*
  - τρόμος, *tremor.*
  - ἐφιάλτης, *incubus.*
- Cuti & subcutaneis partibus:
  - *Catharri destillatio.*
  - ἀλωπεκία, *capillorum defluvium.*
  - φαλάκρωμα, *calvities.*
  - πιτυρίασις, *porrigo.*
  - Φθειρίασις, *pediculatio.*
  - ἄχωρες, *ulcera capitis saniosa.*
  - τραῦμα, *vulnus capitis.*

2. Morbi & symptomata oculorum:

- ἀμαύρωσις, *caligo seu visûs obscuritas.*
- ὀφθαλμία, *lippitudo.*
- πτερύγιον, *unguis oculi,* der Star.
- ὑπόπιον, *sugillatio vel macula oculorum.*
- ὑπόχυσις, *suffusio, cataracta.*
- ἐπιφορὰ, *lachrymæ spontaneæ.*
- ἕλκος ὀφθαλμοῦ, *ulcus oculorum.*
- λεύκωμα, *albugo sive cicatrix oculorum.*
- Φλύκταιναι, *pustulæ oculorum.*
- νυκτάλωψ, *nocturna cæcitudo.*
- πρόπτωσις, *procidentia oculi.*
- ψωροφθαλμία, *scabies palpebrarum.*
- χαλαζὴ, *grando seu hordeolum.*

3. Morbi & symptomata aurium:

- ὠταλγία, *aurium dolor.*
- δυσηκοΐα, *difficultas auditûs.*
- κώφωσις, *Surditas.*
- Τελσμὸς ἢ βόμβος, *tinnitus seu strepitus aurium.*
- πυοῤῥεῖν τὰ ὦτα, *purulentia aurium.*
- *Vermiculi, aut alia accidentia in aures.*
- Παρωτὶς, *tumor inflammatus circa aures.*

4. Morbi & symptomata narium:

- βλάβη ὀσφρήσεως, *olfactûs diminutio.*
- δυσωδία τῆς ῥινὸς, *fætor narium.*
- αἱμοῤῥαγία, *sanguinis è naribus eruptio.*
- Κόρυζα, *gravedo.*
- ὄζαινα, *ulcus in naribus.*
- πολύπους, *tumor & excrescentia carnea in naribus.*

5. Symptomata faciei:

- ἴονθος, *pustulæ faciei,* die Finnen.
- *Rubor & decoloratio faciei.*
- φακὸς, *lentigo,* sprützlig.

6. Symptomata labiorum:

- σπασμὸς κυνικὸς, *distentio seu contorsio oris.*
- *Fissura labiorum.*

7. Symptomata ac morbi dentium ac gingivarum:

- ὀδονταλγία, *dentium dolor.*
- αἱμωδία, *stupor dentium.*
- *Nigrities dentium.*
- *Vacillatio dentium.*
- *Erosio dentium.*
- ἐπουλίς, παρουλίς· ἐλατωλωδαρά, *gingivarum excrescentia.*
- πάρουλις, *gingivarum inflammatio seu tumor.*

8. Oris & in ore contentarum par-

- *Fætor oris.*
- ἄφθαι, *ulcuscula per oris superficiem & linguam exorta,* die Schwämmen.
- βάτραχος, *ranulæ, tumor sub lingua puerorum.*
- παράλυσις, *linguæ tumor & scabricies linguæ.*
- *Gustus depravatio.*

tium morbi & symptomata:

- *ἀντιάδες, tonsillarum exulceratio.*
- *κίονος, seu γαργαρεῶνος χάλασις, columellæ seu uvulæ laxitas & elongatio.*
- *κυνάγχη, Angina, tumor in faucibus viam respirationis cibi potusque præcludens.*

9. Thoracis morbi:

- *πλευρῖτις, lateralis dolor.*
- *ἐμπύημα, puris in capacitate thoracis collectio.*

10. Asperæ arteriæ morbi:

- *βράγχος, raucedo vocis.*
- *βήξ, tussis.*

11. Pulmonis morbi:

- *περιπνευμονία, pulmonis inflammatio.*
- *ἔμφραξις πνεύμονος, obstructio pulmonis.*
- *ἆσθμα, anhelitus difficultas.*
- *ὀρθόπνοια, difficilis & non nisi recta cervice respiratio.*
- *ἀπόστημα πνεύμονος, vomica pulmonis.*
- *φθίσις, tabes, pulmonis exulceratio.*
- *αἱμόπτυσις, cruenta excretio.*

12. Cordis morbi:

- *Συγκοπὴ animi deliquium.*
- *παλμὸς καρδίας, cordis palpitatio.*
- *Tumor cordis.*
- *Intemperies cordis calida vel frigida.*

13. Mammarum morbi & symptomata:

- *σπαργανώσις, tumor & inflammatio mammarum.*
- *Lactis redundantia.*
- *θρόμβωσις, lactis in grumos concrescentia.*
- *Lactis defectus.*

14. Gulæ morbi:

- *Intemperies calida aut frigida.*
- *Tumor œsophagi.*

In affectione gulæ dolor semper in spina dorsi sentitur.

15. Morbi & symptomata orificii ventriculi:

- *Καρδιαλγία, oris ventriculi affectio.*
- *ἔγκαυσις τοῦ στομάχου, ardor stomachi,* **die Sode.**
- *ὀξυρεγμία, acida eructatio ventriculi.*
- *ἀνορεξία, cibi fastidium, sive appetentiæ prostratio.*
- *κυνώδης ὄρεξις, canina appetentia.*
- *βούλιμος, vehemens fames.*
- *κίττα, pica, appetentia à natura abhorrentis alimenti.*

16. Morbi & symptomata ventriculi:

- *ἀπεψία, cruditas ventriculi.*
- *ναυτία, nausea.*
- *ἐμετὸς, vomitus.*
- *αἱματηρὸς ἐμετὸς, cruenta evomitio.*
- *λυγμὸς, singultus.*
- *φλεγμονὴ τῆς κοιλίας, inflammatio ventriculi.*
- *πνευμάτωσις γαστέρος, sufflatio ventriculi.*
- *δίψος σφοδρὸν, immodica seu vehemens sitis.*
- *χολέρα, bilis supra infraque eruptio.*

17. Morbi & symptomata intestinorum:

- *λειεντερία, intestinorum levitas.*
- *διάῤῥοια, alvi profluvium.*
- *δυσεντερία, cruenta alvi dejectio cum torminibus.*
- *τηνεσμὸς, tenesmus assidua, inanis tamen excernendi cupiditas.*
- *κωλικὴ, coli intestini dolor.*
- *εἰλεὸς, volvulus, ilei intestini cruciatus.*
- *ἕλμινθες, lumbrici intestinorum.*

18. Morbi & symptomata ani:

- *ῥαγάδες, fissura podicis.*
- *κονδύλωμα, ficus, tumor durus in ano.*
- *αἱμοῤῥοΐς, fluor sanguinis ex venis apertis in ano.*

19. Epatis morbi & symptomata:

- *ἥπατος ἀτονία, intemperies & imbecillitas jecinoris & quæ oriuntur* — *cacochymia, cachexia.*
- *διαφθορὰ οὐσίας ἥπατος, corruptio substantiæ epatis.*
- *ἔμφραξις ἥπατος, obstructio epatis.*
- *φλεγμονὴ ἥπατος, inflammatio epatis.*
- *σκίῤῥος ἥπατος, durus tumor epatis.*
- *ἕλκος ἥπατος, exulceratio epatis.*
- *ἴκτερος, ictericia, morbus regius.*
- *ὕδρωψ, aqua intercus.*
- *ἀτροφία, nutritionis frustratio.*

20. Lienis morbi & symptomata:

- *ἀτονία τοῦ σπληνός, imbecillitas lienis.*
- *ἴκτερος μέλανας, ictericia nigra, cujus species est scorbutus, Melancholia hypochondriaca, reliqui morbi & symptomata, veluti sunt καχεξία, ὕδρωψ.*
- *κακοχυμία, φλεγμονὴ, communia sunt cum epatis vitiis.*

21. Re-

21. Renum morbi & symptomata:
- νεφρῖτις, renum dolor.
- φλεγμονὴ τῶ νεφρῶν, inflammatio renum.
- ἔμφραξις τῶ νεφρῶν, obstructio renum.
- ψαμμώδης νεφρῶν, arenula renum.
- λιθίασις τῶ νεφρῶν, calculus renum.
- διαβήτης, est quando renes statim assumptum potum expellunt, quem morbum sitis vehemens comitatur.
- αἱμοῤῥαγία τῶ νεφρῶν, exulceratio renum.
- δυσουρία, urinæ difficilis projectio.
- ἰσχουρία, urinæ suppressio.
- στραγγουρία, urinæ stillicidium cum dolore.
- οὔρησις ἀπροαίρετος, urinæ incontinentia.
- πυώδης οὔρησις, mictio purulenta.

22. Morbi & symptomata virgæ:
- λιθίασις τῆς κύστεως, calculus vesicæ.
- φλεγμονὴ τῆς κύστεως, inflammatio vesicæ.
- ἕλκωσις τῆς κύστεως, exulceratio vesicæ.
- γονόῤῥοια, seminis involuntarium profluvium.
- πριαπισμὸς, tentigo vel pudendi extentio.
- σατυρίασις, pudendi cum tensione palpitatio.
- καυλοῦ ἕλκος, virgæ internæ exulceratio.
- ἀδυναμία ἀφροδισιασμοῦ, Veneris impotentia.

23. Morbi & symptomata scroti & inguinum:
- βουβὼν, tumor adenarum, circa inguina, Pestilentz schwel.
- κήλη, ramex vel hernia, wenn einer gebrochen ist/ cujus tres sunt species.
  - βουβωνοκήλη, tumor inguinum.
  - ἐντεροκήλη, ubi intestina in scrotum delabuntur.
  - ἐπιπλοκήλη, omenti ramex.
  - σαρκοκήλη, durus & carnosus tumor testium.
  - ὑδροκήλη, aquosa hernia.
  - ἐξόμφαλος, prominentia umbilici.

24. Morbi & symptomata uteri:
- φλεγμονὴ τῆς μήτρας, uteri inflammatio.
- ἕλκωσις ὑστερικὴ, exulceratio uteri.
- σκίῤῥος τῆς μήτρας, durus tumor uteri.
- μύλη, mola,
- ἔμβριον ἄκαιρον, inutilis conceptus, ein Mohnkind.
- ὕδρωψ ὑστερικὴ, hydrops uteri.
- ῥαγάδες τῆς μήτρας, scissura labiorum matricis.
- πνῖξ ὑστερικὴ, suffocatio matricis.
- ἄμετρος κένωσις μετὰ μηνῶν, immoderata mensium purgatio.
- ἐπίσχεσις μετὰ μηνῶν, suppressio mensium.
- ῥοῦς γυναικεῖος, fluxus muliebris.
- πρόπτωσις τῆς μήτρας, procidentia uteri, sterilitas.
- δυστοκία, difficilis partus.
- ἔκλειψις τοῦ χωρίου, secundina relicta.
- Abortus.

25. Morbi & symptomata articulorum:
- ἀρθρῖτις, morbus articularis.
- χειράγρα, manuum articulos infestans dolor.
- ποδάγρα, pedum articulos obsidens dolor.
- ἰσχιὰς, dolor circa coxendicem & nates.

26. Cutis
- *Tumoribus, quorum quatuor summa genera sunt, ex quatuor humorum vitiis orta;*
  - φλεγμονὴ, inflammatus & fervens tumor à sanguine, Bludtschwer.
  - ἐρυσίπελας, ignis sacer, das heylige dinck.
  - οἴδημα, aquosus vel flatulentus tumor.
  - σκίῤῥος, durus & contumax tumor. Ad hac 4. tumorum genera & sequentia referri possunt, ut

afficitur aut

Tuperculis sive pustulis, uti sunt
- ἄνθραξ, *carbunculus.*
- φύγεθλον, *tumor inflammatus adenarum in quocunque loco.*
- ἕρπης, *herpes,*
- καρκίνωμα, *cancer, tumor durus ac rubicundus.*
- μυρμηκία, *verruca,* die Wratten.
- χοιράδος, *struma, glandulæ indurata.*
- ἐξανθήματα, *morbilli, vel variolæ,* Masseln und Kinderpocken.
- ἀπόστημα, *abscessus, est ubi tumor aliquis in saniem est conversus.*
- γάγγραινα ἢ σφάκελος, *partis mortificatio à tumore.*

Vlceribus. Ad ulcera referuntur
- ἕλκος, *ulcus in genere.*
- ψῶρα, *scabies.*
- ἐλεφαντίασις, *lepra,* Ausatz.
- λειχὴν, *impetigo,* Flechtsehr.
- σύριγξ, *Fistula.*
- φαγέδαινα, *ulcus excedens, lupus.*
- φλύκταιναι, *pustulæ similes ab aqua ferventi excitatæ.*
- *Morbus vel scabies Gallica,* die Frantzosen.

Vulneribus, quæ dicuntur
- *In cute & carne, vulnus.*
- *In osse, fractura.*
- *In membranis, ruptura.*

Vulnus quid. Τραῦμα, *vulnus, solutio est continui, quæ in cute vel mollioribus partibus accidit, violenterque infertur. Vulnus enim omne aut cæsim infertur, aut punctione, aut plaga, aut contusione, aut morsu, aut ustione. Vulnus autem aut solutio continui in durioribus partibus, ut in osse fractura, in membranis ruptura nominatur.*

4. Quæ sunt propria symptomata Febrium?

Febris nulla, incomitata aliis vitiis apparet; semper enim febres symptomata secum adferunt, non secus laborantibus molesta, quam ipsa febris: sunt autem febrium symptomata:

18. *Symptomata febrium;*
- *Sitis vehemens,*
- *Linguæ ariditas & scabrities,*
- *Deglutiendi difficultas,*
- *Gustus depravatus,*
- *Cibi fastidium,*
- *Nausea,*
- *Vomitio,*
- *Alvi profluvium,*
- *Æstus immodicus,*
- *Corporis jactatio,*
- *Singultus.*
- *Capitis gravis dolor,*
- *Vigiliæ,*
- *Delirium,*
- *Rigor vehemens,*
- *Sudor exuperans,*
- *Animi deliquium,*
- Συγκοπή.

COMPENDII ARTIS MEDICÆ FRANCISCI JOELIS LIBER QUARTUS.


De Signis Morborum & Affectuum præternaturalium tam diagnosticis quam prognosticis.

SECTIO I.

DE SIGNIS IN GENERE.

1. Quæ est quarta pars artis Medicæ, & quibus de rebus docet?

Summa totius doctrinæ σημειωτικῆς.



Quarta Medicinæ pars, Græcis σημειωτικὴ, id est signorum contemplatrix nominatur. Docet enim ea qua ratione ex certis & sensibus manifestis signis & salubris & morbosæ corporis constitutio, omnes denique morbi & causæ internæ morbificæ latentesque item morborum species, qualitates & quantitates, quæ denique pars corporis potissimum sit affecta, percipi ac dignosci debeant. Verum in hoc compendio Artis, omissis signis salubribus, ut quæ & idiotis ipsis nota sunt, ea tantum tradituri sumus, ex quibus in genere causæ morbificæ & morbi latentes, locaque morborum percipi ac dignosci queant. Omnis enim morbus internus & causa morbifica προηγουμένη ex signis sensibus nostris objectis dignoscitur. Omnis autem causa προκαταρκτικὴ sive externa, simul & signum est & causa. Ita omnia symptomata perpetuo signa sunt simul & symptomata suorum morborum.

De illis videatur Galen. in arte Medicinali.

2. Quid est signum medicum & quotuplex?

Signi natura & differentiæ.

Σημεῖα παθογνωμικὰ, id est signa insalubria seu morbos indicantia, sunt notæ in corpore humano apparentes, & sensibus nostris objecta, quæ nos ad latentium in corpore causarum & morborum notitiam ducunt, & partes sive loca affecta monstrant, quæ semper aut sunt morbis propria & perpetuo connexa, velut sunt symptomata & causæ προκαταρκτικαὶ, aut sunt communia & accidentalia signa. Sunt autem signorum insalubrium genera duplicia, διαγνωστικὰ, i. e. Demonstrativa, quibus præsens indicatur corporis constitutio, & προγνωστικὰ id est præsagientia, quibus futuri morbi prævidentur ac prædicuntur.

3. Quid potissimum servandum est in signis morbificis?

Signa quid denotent.

Tria potissimum ex signis παθογνωμικοῖς sunt petenda Medico, causa morbifica προηγουμένη, morbi species, & pars, seu locus affectus in corpore.

4. Unde & quibus ex rebus sunt sumenda signa παθογνωμικά;

Signorum fontes.

Variis ex rebus & accidentibus corporis signa petuntur morborum à Medicis, quæ vel affectum locum, vel causas morbificas, vel morbi speciem nobis ob oculos ponunt, veluti sunt omnes excrementorum species, ut mucus, sputum, sanguinis è naribus effluxio, sudor, vomitio, alvi dejectio; aut sumuntur ex actione læsa, aut ex coloris specie ac

situ. Sed cum nos singulorum morborum causarumque morbificarum & partis affectæ propria signa in θεραπευτικῇ, id est, curandi ratione appositúri sumus, hoc loco generalissima tantum morborum signa, quæ ex motu & pulsatione arteriarum, & ex contemplatione urinæ, item quæ ex alvi excrementis & cruoris è venis detracti qualitate sumuntur, brevissimè commemorabimus.

De quibus signis hic potissimum agere velit.

SECTIO II. DE PULSIBUS CORDIS ET ARTERIARUM, EORUMQUE CAUSIS, DIFFERENTIIS ET SIGNIFICATIONIBUS.

Veluti Sol inter Sydera est nobilissimum corpus, quod suo calore vivifico per radios & motus salutares omnia inferiora fovet, vivificat & conservat: ita cor in homine μικροκόσμῳ est nobilissima pars corporis, quæ suo innato calore & motu vitali per Arterias universum corpus fovet, vivificat & conservat, omnesque omnium partium actiones dispensat & gubernat. Ut autem antea diximus, tribus generibus motuum afficitur cor, uno proprio, pulsu videlicet, de quo hic sermo erit: & duobus præternaturalibus, affectibus & palpitatione.

Cordis motus diversi.

1. Quid est pulsus, & quæ ejus utilitas?

Pulsus natura & usus.

Σφυγμὸς, *pulsus est motus proprius cordis primum, secundo arteriarum, constans ex διαστολῇ, id est dilatatione seu elevatione, & συστολῇ, id est contractione, comprehensione seu submissione, & his utrisque interveniente quiete, qui excitatur & gubernatur ab ἐνεργείᾳ seu specifica virtute cordis, ad nativi caloris contemplationem spirituumque generationem & fuliginosorum vaporum expulsionem ordinatus.*

2. Da brevem explicationem definitionis pulsus.

In hac definitione pulsus motus *est genus, quod autem additur*, proprius cordis, constans ex dilatatione & contractione, *est differentia. Sunt enim & alii motus in corde, ut motus naturales, videlicet attractio alimenti, retentio, alteratio & assimilatio, qui communes sunt & aliis partibus, sed motus qui constat ex διαστολῇ & συστολῇ, cordi & arteriis tantum est proprius, sola enim virtute cordis substantiæ innata peragitur. Quod autem in definitione additur* cordis primum, secundo arteriarum, *ostendit pulsum cordi & arteriis non simili ratione inesse, quemadmodum nec lux Soli & ejus radiis simili ratione inest. Pulsus enim excitatur vivifica cordis facultate, sed arteriis non est insitus, verum defluit in earum tunicas ex corde. Complectitur tandem hæc definitio pulsus & causas præcipuas, & primum quidem formalem, ubi dicitur,* constans ex διαστολῇ & συστολῇ, *& his utrisque interveniente quiete. Est enim aut διαστολὴ, id est dilatatio forma motus qua cor & arteriæ sese quoquoversum diffundunt ac dilatant, & tenuissimum ambientem aërem per poros hauriunt; συστολὴ vero, id est contractio est forma motus, qua cor & Arteriæ in seipsas undique considunt & submittuntur, quo fuliginosos spiritus expellant. Hi duo motus cordis cum inter se sint prorsus contrarii, quietem intercedere necesse est, quæ gemina est, una superna quæ διαστολὴν, altera inferna, quæ συστολὴν terminat. Quies itaque non secus ac ipsa motus partes diligenter est in pulsu consideranda. Complectitur hæc definitio & causam efficientem, ubi dicitur;* Qui excitatur & gubernatur ab ἐνεργείᾳ, i. e. insita virtute cordis, *quam vitalem facultatem vocamus. Adduntur & instrumentales causæ, quæ sunt* cor ipsum & Arteriæ *ex corde originem ducentes.*

Causa naturalis pulsus.

Quomodo pulsus arteriis insit.

διαστολὴ qualis motus.

συστολή.

Quies intermedia.

Adduntur postremo & duæ causæ finales, in quibus usus, utilitas & necessitas pulsus comprehenditur. Prima causa finalis est necessitas διαστολῆς seu dilatationis arteriarum. Per eam enim tenuissimus frigidusque ambiens aër attrahitur, quo cordis & spirituum vitalium æstus temperatur, ventilatur ac refrigeratur, & cujus portio purissima fit pabulum

Utilitas pulsus.

lum spiritus vitalis & animalis. Secunda finalis causa est συστολὴ, id est compressio Arteriarum, qua fuliginosi & excrementicii spiritus ac vapores per poros cutis discutiuntur & expelluntur. Eædem autem sunt utilitates & causæ finales respirationis, ut suo diximus loco.

3. Quâ in parte corporis, & quomodo explorandus est arteriarum pulsus?

Vbi pulsus arteriarum manifestior. Quomodo pulsus in carpo explorandus. *Pluribus in corporis partibus arteriæ pulsare sentiuntur, sed evidentissimè omnium in temporibus capitis, in carpo manus, & in tarso sive pectine paulo infra digitos pedis. Sed in his honestissimè & magis commodè exploratur pulsus constitutio, in carpo, spacio duorum aut trium digitorum latitudine infra pollicis radicem, nisi fortè ea arteria alicui sit præcisa, in qua arteriam contrectare volumus, debet habere naturalem situm: ita ut pollex sursum, minimus digitus deorsum spectet, sitque ab omni compressione libera, non elevata, non demissa neque nimium extensa: quin nec digiti ejus manus sint aut in pugnum contracti, nec in palmam extensi, sed moderatè contracti: Applicandæ autem sunt carpo trium aut quatuor tantum digitorum extremæ pulpæ ex objecto unguium sitæ, quæ quantum fieri potest, debent esse molles & temperatissimæ. (Pulpæ vocantur extremæ carnosæ partes digitorum.)*

Triplex exploratio pulsuum. *Triplex est autem omnis digitorum applicatio, suspensa, comprimens & moderata. Suspensa dicitur quando superficie tenus arteriis imponuntur, nihil eas comprimentes. Ea applicatione utimur in arteriis eminentibus, quales sunt in macilentorum corporibus.*

Comprimens applicatio dicitur ubi digitis arteriæ profundius deprimuntur, qua utimur in mollioribus & in profundo delitescentibus arteriis pulsuque debiliore. Moderata vel media inter illas est qua deprimitur quidem Arteria digitis, sed moderatè & non ita profundè ut in comprimente. Vtimur illa in arteriis temperatis & pulsibus moderatis.

Sanorum pulsus cognoscendi. *Vt autem quis facilè pulsuum differentias dignoscere, & feliciter ex iis morbos dijudicare valeat; primum exercere se debet in cognoscendo pulsu moderato, æquali & εὐρύθμῳ, qualis deprehenditur in corporibus temperatis & exquisita sanitate præditis. Et talis quidem pulsus debet esse regula & quasi lapis lydius omnium reliquorum pulsuum. Collati enim ad moderatum pulsum facilimè dignoscuntur, quantum à mediocritate & naturali constitutione recesserint, & utrum aucti & diminuti sint.*

Pulsuum communitates & proprietates. *Secundo exercere se plurimum debet in communitatibus pulsuum, idque tam in salubribus quam in ægrotantibus corporibus. Voco autem communitates pulsuum, ea pulsuum genera quæ communia sunt pluribus individuis ejusdem sexus, ejusdem ætatis, ejusdem temperamenti, ejusdemque habitus, & qui iisdem laborant morbis. Alium enim pulsum habent viri, alium mulieres, alium denique juvenes, alium ac proprium, qui sunt temperamento calidi, frigidi, humidi & sicci, item alius est gracilibus, alius obesis pulsus, alius denique febricitantibus, alius apoplecticis, &c.*

4. Unde & quibus ex rebus sumuntur differentiæ, & quæ sunt communiores pulsuum species?

Præcisis obscurioribus & nostris sensibus abstrusis pulsuum differentiis, ac infinitis ferè eorum speciebus, veluti sunt pulsus plenus, vacuus, tenuis, crassus, gravis, levis, calidus, frigidus, &c. quæ tactu minimè sentiri possunt, de quibus Galenus prolixissimè disputat, ea tantum genera & species proponemus; quæ sunt cognitu utilia & tactu perceptibilia, quorum primum genus est eorum, quorum differentia sumitur ex virtutis vitalis constitutione: Secundum ex arteriarum qualitate: Tertium à tempore seu mensura διαστολῆς sive dilatationis: Quartum quantitate διαστολῆς: Quintum à tempore seu mensura συστολῆς sive intervalli inter duos ictus διαστολῆς. Sextum à ῥυθμῷ sive à proportione æquali aut inæquali inter διαστολὴν & συστολὴν, quorum species in sequenti Tabella ostenduntur. Vnde pulsuum præcipuæ differentiæ desumantur.

Tabella

Tabella communiores pulsuum differentias & species complectens.

Pulsuum differentiæ sumuntur
- *A virtutis vitalis constitutione, ut*
  - *Vehemens,*
  - *Languidus,*
  - *Moderatus.*
- *Ab Arteriarum qualitate, ut*
  - *Durus,*
  - *Mollis,*
  - *Moderatus.*
- *A tempore* διαστολῆς, *ut*
  - *Celer,*
  - *Tardus,*
  - *Moderatus.*
- *A quantitate* διαστολῆς, *ut*
  - *Magnus,*
  - *Parvus,*
  - *Mediocris.*
- *A tempore* συστολῆς, *ut*
  - *Creber,*
  - *Rarus,*
  - *Moderatus.*
- *A* ῥυθμοῦ *seu proportione* διαστολῆς *&* συστολῆς, *quæ est aut*
  - *Æqualis &* εὔρυθμος, *Consonus,*
  - *Inæqualis, cujus species sunt*
    - *Deficiens,*
    - *Intercidens,*
    - *Myurus,*
    - *Caprizans,*
    - *Dicrotus, i. e. bis feriens,*
    - *Vndosus,*
    - *Vermiculans,*
    - *Serratus,*
    - *Tremens.*

Quales sunt recitatæ pulsuum species, & quæ singulorum causæ?

Causæ pulsuum. *Generales omnium pulsuum causæ tres sunt. Efficiens quidem est vitalis facultatis cordi insita robur & constitutio: instrumentales sunt Cor & arteriæ: finalis autem sive impulsiva est ipsa necessitas attrahendi aëris frigidi & expellendi fuliginosos vapores.*

A vitalis facultatis constitutione oriuntur pulsus Validus, Languidus & Moderatus.

Validi. *Validus seu vehemens pulsus dicitur qui tangentis manus valde sensibiliter pulsat ac ferit. Ejus causa est robur virtutis vitalis & copia spirituum vitalium.*

Languidi. *Languidus seu debilis pulsus est, qui debile & imbecilliter digitos tangentis ferit. Ejus causa est vitalis facultatis imbecillitas spirituumque vitalium diminutio.*

Moderati. *Moderatus est qui inter validum & languidum mediam proportionem obtinet, qui à mediocri vitalis facultatis & moderata copia spirituum vitalium originem habet.*

Ab arteriæ qualitate oriuntur pulsus Durus, Mollis, Moderatus.

Durus pulsus dicitur quando arteria pulsans justo durior ac siccior instar rigidi corii digitis esse deprehenditur.

Causæ duri pulsus. *Duri pulsus causæ sunt aut nimia siccitas, aut vehemens frigiditas, aut tensio, aut convulsio arteriarum.*

Mollis. *Mollis pulsus dicitur, in quo arteriarum tunica mollis & lenis instar carnis mollioris esse*

esse sentitur. Causa mollis pulsus est humiditas arteriarum, quæ oritur à vitæ delicatioris genere, frequentibus balneis & somno immodico, & ab humidioribus morbis, veluti sunt hydrops & pituitosæ defluxiones.

Moderatus. *Moderatus est qui inter durum & mollem medio modo sese habet, causam temperatam in siccitate & humiditate.*

A mensura temporis διαστολῆς *sive elevationis Arteriarum oriuntur pulsus Celer, Tardus & Moderatus.*

Celer pulsus est in quo διαστολὴ *seu dilatatio Arteriæ brevi ac modico tempore perficitur.* Pulsus celerioris causæ. *Causæ ejus sunt, æstus spirituum vitalium & cordis refrigerationem ventilationemque exposcens.* Spiritus in corde unde incalescant. *Incalescunt autem spiritus in corde, aut à calida intemperie, aut ab aëris calida constitutione, à balneis vaporariis, aut à vino, aut à vehementi exercitio, aut ab ira, aut ab humorum putredine, velut in pedibus.*

Tardus. *Tardus pulsus est, in quo arteria longiori tempore dilatationem suam absolvit. Causa tardi pulsus est cordis, spirituumq; vitalium refrigeratio & facultatis vitalis imbecillitas, item duricies arteriæ. Refrigerantur autem spiritus vitales, aut ab intemperie frigida, aut à morbis ex frigidis qualitatibus & humoribus ortis.*

Moderatus est qui nec ultra naturæ convenientem modum celerior aut tardior existit, à temperie spirituum vitalium & caloris nativi efficitur.

A quantitate διαστολῆς *oriuntur pulsus Magnus, Parvus & Mediocris.*

Magnus pulsus dicitur, ubi arteria in omnes dimensiones in longum, latum & profundum, motu suo se expandit. Causæ pulsus magni. *Fit magnus pulsus aut à virtutis vivificæ robore, aut à redundantia caloris nativi & fervore spirituum vitalium. Incalescit autem spiritus in corde variis ex causis tum externis, tum internis, ut diximus in celeris pulsus explicatione.*

Parvus pulsus contrarius magno, dicitur qui adeo est diminutus, ut nec in longitudinem nec latitudinem, nec profunditatem arteria se extendere sentiatur. Parvi. *Ejus causæ sunt virtutis vitalis imbecillitas, caloris nativi extinctio, & spirituum vitalium dissipatio. Ex iisdem causis oriri diximus languidum & tardum pulsum.*

Mediocris pulsus inter magnum & parvum est, qui ex moderatione causarum magni ac parvi pulsus producitur.

A mensura temporis συστολῆς *seu submissionis arteriæ oriuntur pulsus Creber, Rarus & Mediocris.*

Creber sive frequens pulsus est, ubi breve temporis intervallum inter duos ictus sive elevationes arteriarum intercidit, vel quando breve tempus conceditur contractioni arteriæ. Causæ pulsus frequentis. *Causæ crebri pulsus sunt eædem quæ diximus esse celeris & magni pulsus, videlicet æstus cordis, & vitalium spirituum, refrigerationem postulantium, & vitalis facultatis robur.*

Rarus pulsus est in quo diutius durat tempus contractionis arteriæ quam dilatationis. Causa rari pulsus est refrigeratio, sicut & tardi. Rari.

Moderatus est qui æqualem servat proportionem inter crebritatem & raritatem.

A ῥυθμοῦ oriuntur duo pulsuum genera Εὔρυθμος & Ἄρρυθμος.


Vocabulum ῥυθμὸς, *quod concinnitatem seu consonantiam significat, à Medicis usurpatur pro dijudicatione pulsuum, & translatum est à Musicis concentibus. Est itaque* ῥυθμὸς *apud Medicos, temporum quæ in pulsu sunt ad invicem proportio seu convenientia, & æqualitas temporis* διαστολῆς *& temporis* συστολῆς. *Quilibet enim motus, teste Aristotele, fit in tempore, quanquam Galenus* ῥυθμὸν *ad motus qualitatem, id est celeritatem & tarditatem potius conferat quam ad tempus: Sed in idem coincidunt. Et celeritas enim & tarditas pulsus tempore metiuntur. Ubi itaque rythmus duorum temporum* διαστολῆς *&* συστολῆς *pari & æquali proportione constant, pulsus* εὔρυθμος *dicitur, qui in sanis corporibus semper esse deprehenditur.* Causæ pulsus Eurythmi. *Causæ Eurythmorum pulsuum sunt facultatis vitalis concinnitas, cordis temperies & caloris nativi moderatio, & mediocris arteriarum constitutio, adeoque totius corporis salus & temperies.*

L Eury-

Eurythmos.



Ἔκρυθμος sive κακόρυθμος est inconcinnitas & inæqualitas temporum dilatationis & submissionis arteriæ in pulsu, ut videre est in his Musicis notulis.



Causæ pulsus inæqualis.

Causa ἐκρύθμου sive inæqualitatis pulsus est aut virtus vitalis districta; aut intemperies aliqua cordis, aut contentorum in Arteriis vitiosa qualitas, veluti sunt sanguinis crassities principium arteriarum obstruens, aut spiritus fuliginosus, aut arteria compressione similibusque causis læsa. Inæqualium præcipuæ species sunt Intercidens, deficiens, μύουρος, caprisans, δίκροτος, undosus, vermiculans, formicans, serratus, vibrans & tremens.

Deficientis.

Deficiens pulsus inter inæquales primo loco numeratur, & est cum duorum aut plurium ictibus prætermissis iterum agitari incipit arteria, cujus causa est oppressio virtutis vitalis.

Intercidentis.

Intercidens finitima est deficienti. Estque cum συστολή, seu quies in pulsu longissimè durat, in cujus durationis medio aliquando ictus supervacaneus intercidit. Fit quoque à vitalis facultatis resolutione, & est periculosus pulsus.

Myuri.

Μύουρος, q. d. cauda muris, est cujus pulsus magnitudini continuè aliquid detrahitur in ictu, sicut fit in cauda soricis, quæ clunibus usq; ad apicem sensim gracilescit: ita hic pulsus sensim imminuitur donec ad quietem recidat, ac tamen rursum priorem ordinem ac magnitudinem repetit. Myuri causa est virtutis vitalis sensim dissipatio. Contingit talis pulsus ut plurimum in tabescentibus.

In quibus pulsus myurus.

Caprisans pulsus dicitur qui post dilatationis ictum, antequam in systolem desinat, celeriorem priori alterum conficit ictum, instar capreæ, quæ inter saliendum antequam se in terram demittat, secundum saltum priori celeriorem molitur: duplicatus ictus in uno pulsu dici potest. Oritur ut plurimum ex calore putrescentium febrium, & fuliginosorum vaporum copia.

Caprisantis causæ.

Δίκροτος id est bis pulsans, ἀπὸ τοῦ δὶς κρούειν, quod Græcis bis pulsare significat, est quando arteria bis dilatatur, antequam semel contrahatur, non secus ac malleolus ab incude resiliens. Oritur ab inæquali temperie cordis & arteriarum, à spiritibusque fumosis in eis contentis.

Duplicati.

Vndosus pulsus est ubi arteria non universa simul dilatatur, sed primum ejus pars prima versus pollicem, secundo secunda, mox tertia & quarta motu manente continuo, instar fluctuantis aquæ, ubi fluxus se per fluctum excipit. Oritur ex redundantia humiditatis in arteriis, à viribus vitalibus gravatis & arteriarum mollitie.

Vndosi.

Vermiculans pulsus similis & verminum reptationi sive progressui. Oritur autem ubi vitalis facultas ita est gravata, ut arterias dilatare vix queat. Est itaque signum dissipatorum spirituum vitalium; vermiculans pulsus non nisi diminuta magnitudine differt ab undoso.

Vermiculantis.

Formicans est quando arteria vix elevari sentitur, sed instar formicæ tantum moveri. Hic pulsus est omnium languidissimus, minimus & creberrimus. Ejus causa est extrema dissolutio spirituum vitalium, mortem præcedens.

Formicantis.

Hæ tres pulsuum species, undosus, vermiculans & formicans ex iisdem causis proveniunt, & non nisi extensione & remissione motus differunt, & inter moriendum ut plurimum

Morien-

tium pulsus qualis. *rimum undosus pulsus mutatur in vermiculantē, & vermiculans transit in formicantem.*

Serrans sive serratus pulsus est ubi pars arteriæ sub uno digito dilatari, sub alio verò secundo & tertio minime dilatari percipitur, nimirum propter duritiem & tensionem arteriæ. Oritur enim ex duritie ac tensione adauctoque calore. Serratus pulsus semper comes est, ubi nervosa aliqua pars inflammatione afficitur. Serrati pulsus causæ.

Vibrans pulsus dicitur in quo aliæ partes arteriæ sursum, aliæ deorsum instar jaculi eodem tempore celerrimè feruntur. Cujus causæ sunt, durities arteriæ, robur vitalis facultatis, & fumosi caloris copia. Vibrantis.


Tremens vel palpitans pulsus est, in quo arteria ad cordis palpitationem & tremorem tremit ac palpitat, quanquam sæpè usu veniat, ut pulsante corde arteriæ non palpitent, & trementibus arteriis cor nihil tale sentiat. An palpitatio cordis in arteriis percipiatur.

Causa trementis pulsus est vapor crassus & venenosus, in cordis thalamis aut ejus capsula collectus, aut in ipsis arteriis sanguini admixtus. Tremens pulsus cum cordis palpitatione in periculosis ægritudinibus citam mortem minatur. Postrema ac finis pulsuum est ἀσφυξία, id est, pulsus abolitio, quæ ipsa mors est. Trementis pulsus causæ.

6. Quibus ex causis alteratur Arteriarum pulsus?

Variæ sunt causæ, quibus naturalis & propria pulsuum constitutio cum in sanis, tum in morbosis corporibus immutari consuevit, quarum præcipuas sequens complectitur Tabella. Causa pulsum immutans.

Tabella causas immutationis pulsuum complectens.



Sunt & aliæ causæ quæ per accidens immutant pulsum, veluti sunt saturitas, largior vini potio, qualitates temporum anni, exercitium, balnea, vehemens evacuatio, Venus, somnus, &c. quæ nos consulto prætermimus. Quæ pulsum immutent per accidens.

Pulsus varietas ratione ætatis.

Puerorum pulsus magnus est, celer & creber, juvenum magnus & vehemens; senum parvus, tardus, rarus & debilis.

Ratione Sexus.

Pulsus virorum sunt majores & vehementiores quam Fœminarum. Causa sunt, quia viri sunt calidiores & sicciores fœminis.

Ratione intemperiei.

Temperati moderatum & εὔρυθμον habent pulsum. Calidiores autem magnum, celerem & crebrum. Frigida autem corpora contrarium, parvum, tardum & rarum; sicca vehementem & durum; humida parvum, frequentem & undosum. Naturalis intemperatorum corporum pulsus.

Ratione habituum corporis.

Gracilia corpora habent pulsus magnos, vehementes & raros ac duros. Sine enim impedimento distenditur arteria. Obesa autem & pinguia quæ semper sunt frigidiora, habent pulsum parvum, languidum & mollem.

Ratione perturbationum Animi.

Ira facit pulsum magnum, celerem & vehemen-

hementem, lætitia efficit pulsum moderatum ad magnitudinem & raritatem declinantem. Tristitiæ pulsus est parvus, rarus & languidus. Pavoris est celer & inæqualis.

Amoris pulsus.

Amor efficit inæquales & inordinatos pulsus, id est, jam parvos, jam magnos, nunc rursum crebros, nunc tardos, nunc vehementes, nunc languidos. Constat enim Amor ex contrariis affectibus, tristitia & gaudio atque sollicitudine; hinc Ovid.

Res est solliciti plena timoris Amor.

Facilè itaque occultæ flammæ amoris ex pulsu deprehenduntur, si quis pulsum contingat, & adamatam amicam homini vel monstret vel mentionem ejus faciat.

Facinorosi per pulsum cognoscendi.

Ita & facinoris alicujus autores ex mutatione pulsus cognoscere licebit, si ex insperato subjecti hominis arteriæ contrectentur, facinorisque mentio fiat. Si enim sibi conscius est, pulsus in naturali & priori constitutione statim mutatur, & inæqualis & inordinatus redditur.

Ratione Morborum & symptomatum.

Quemadmodum infinitæ fuerunt causarum morbificarum, morborum & symptomatum species, ita & pulsuum magna est multitudo; periculosiorum autem morborum pulsus recensebimus, ad quos reliqui omnes collati sine magno labore dignosci & deprehendi possunt.

7. Quales sunt periculosiorum morborum Pulsus?

Dolor vehemens qualem faciat pulsum.

Dolor vehemens in principio facit magnum, vehementem & celerem pulsum, in processu vero parvum, languidum & celerem, at si diutius duret & vires prosternat, efficit parvum, tardum, languidum, & postremo in formicantem desinit.

Inflammationis pulsus.

Φλεγμονὴ sive inflammatio seu inflammatus tumor, efficit pulsum vehementem, magnum & crebrum, ac deinde serrantem ac vibrantem: Econtra omnis refrigeratio inducit pulsum parvum, languidum & tardum.

Pleuritidis.

Πλευρίτιδος pulsus est durus, celer & serratus.

Empyematis.

Ἐμπυήματος, id est suppurationis pulsus est inæqualis, tardus, rarus & languidus.

Marasmi.

Marasmi id est ariditatis ex frigida causa, parvus, rarus, languidus: Ex caliditate verò parvus, celer, languidus.

Φθίσεως, parvus, creber, languidus & hecticus, id est, in eadem forma perseverans.

Peripneumoniæ.

Περιπνευμονίας, magnus, celer, creber & sæpe intermittens.

Morborum capitis.

Lethargicorum magnus, tardus ac rarus.

Phrenitidis, parvus, creber, celer & tremens.

Spasmi sive convulsionis, vibrans & durus.

Paralyseos, parvus, tardus & languidus.

Epilepsiæ, parvus, tardus, languidus.

In apoplexia tamen aliquando magnus est pulsus, ubi plethoricum est corpus.

Apoplexiæ, parvus, tardus, languidus.

Anginæ, durus, celer, & serrans.

Orthopneæ, languidus, creber, & deficiens.

In suffocatis ab utero plane interdum ad sensum intermittit.

Vteri suffocationis, parvus, tardus & rarus, quandoque & ἀσφυξία adest.

Hydropis.

Hydropicorum pulsus, præsertim ejus speciei, quæ Anasarca vocatur, mollis & undosus: Ascites autem est parvus, creber & durus.

Luis Venereæ.

Morbi Gallici pulsus est parvus, tardus & languidus.

Reliquorum morborum & symptomatum pulsus pro causarum varietate ex collatione eorum qui jam sunt recitati facilè dignosci possunt.

8. Partium principalium ac præcipuarum affectarum quales sunt pulsus?

Quando demum in morbis pulsus immutetur.

Hic primum est observandum, pulsum totius corporis non immutari ex parte affecta priusquam cordi communicetur læsæ partis affectio. Cor autem cum sit principalissimum organum pulsus, ejus affectio omnium primum ex pulsu deprehenditur.

Cordis primariò affecti pulsus.

Cordis itaque substantia inæquali intemperie affecta, efficit pulsum inæqualem, δίκροτον. Sed plus justo cor refrigeratum efficit pulsum parvum, rarum & languidum: similiter si contentus in corde spiritus aut sanguis refrigeratus sit, edit pulsum parvum, rarum & tardum.

Cordis autem substantia plus justò recalefacta, pulsum efficit parvum, crebrum, celerem & languidum. Spiritus vero vitalis aut sanguis in corde contentus æstuans, effi-

Febrium pulsus.

cit magnos, celeres & crebros pulsus. Cor siccum edit duros, & magnos pulsus: Humidum vero molles & trementes. Cum autem febres sint affectiones cordis, omnis febris putrida in paroxysmo pulsum reddit magnum, celerem & crebrum.

Pulmonis affecti.

Pulmo recalefactus efficit pulsum magnum, celerem & crebrum, refrigeratus vero producit parvum, tardum ac rarum, exiccatus duros, humectatus autem molles.

Pleuræ. Epatis.

Tunica costas succingens affecta perpetuo densos facit & duros pulsus. Epar Phlegmone laborans magnos & duros efficit pulsus, similiter & in Scyrrho epatis & lienis pulsus sunt duri & convulsivi.

Ventriculi.

Stomachi tumor magnos & duros edit pulsus.

Vteri.

Vterus intumescens magnos & molles efficit pulsus.

Cerebri.

Cerebri calida intemperies magnos & crebros edit pulsus, frigida parvos & raros, humida molles ac tardos, sicca duros & crebros.

Reliquarum partium affectarum pulsus ex præcedentibus æstimare licet.

9. Quæ sunt pulsuum generales significationes?

Pulsus significationes in sanis & ægris.

Magnus pulsus robur vitalis facultatis significat in sanis corporibus, & caloris nativi ac spirituum vitalium copiam.

In ægrotis autem ostendit ignei & præternaturalis caloris redundantiam.

Parvus pulsus in sanis facultatis vitalis imbecillitatem, caloris & spirituum vitalium inopiam, & corporis crassitiem demonstrat. In morbis autem ægritudinem ex frigiditate ortam, præsertim si adsit simul raritas & tarditas.

Celer pulsus in sanis caloris nativi redundantiam, facultatis vitalis robur, & spirituum tenuitatem; in ægrotis vero morbum ex causa calida ortum ostendit. Celer pulsus plerunque adjunctus est magno pulsui.

Tardus pulsus plurimum comes est parvo, & significat in sanis imbecillitatem virtutis vitalis spirituumque vitalium & caloris nativi diminutionem. In morbis si tardus pulsus simul sit & languidus, virium prostrationem & morbos frigidos ostendit.

Creber pulsus in corporibus sanis caloris nativi redundantiam: in ægrotis vero morbos calidos & redundantiam fuliginosorum vaporum commonstrat.

Rarus, contrarius crebro, in sanis frigidam corporis intemperiem, in ægrotis morbos ex frigida causa ortos ostendit. Raro pulsui si simul adsint parvitas & tarditas, est pernitiosus. Significat enim ingentem cordis refrigerationem & caloris nativi dissipationem. Talis plerumque deprehenditur esse morientium pulsus.

Vehemens pulsus in benè valentibus robur vitalis facultatis significat, & in ægrotis spem sanitatis pollicetur.

Languidus debilitatem & resolutionem virium demonstrat, & perpetuo est suspectus.

Mollis pulsus in sanis corporibus humorum redundantiam & arteriarum humectationem, in ægritudinibus vero ostendit morbum ex humiditate ortum. Molles pulsus in hydrope sunt & œdemate viscerum &c.

Durus pulsus in sanis duritiem arteriarum, ex laboribus aut gracilitate corporis, in ægrotis vero morbos siccos significat; quæ siccitas semper est comes aut congelationis aut intemperiei calidæ: fit & durus pulsus in humoribus calidis.

Ex enumeratorum pulsuum generibus in morbis periculosiores significationes habent, primum languidus, deinde tardus, post hunc rarus, & postremo durus, id est qui ex inflammatione est ortus. Pulsus periculosiores.

10. Quæ sunt significationes inæqualium secundum Rythmos?

Ἔυρυθμος pulsus ex caloris nativi temperie, ἔκρυθμος vero ex ignei & fumosi caloris redundantia excitatur, & perpetuo morbum significat.

In Rythmo autem pulsuum, celer systole sive contractio, & tarda diastole, id est distensio, significat caloris nativi diminutionem, sed ignei augmentum & fumosorum vaporum copiam; è contra tarda contractio & celer distensio nativi caloris copiam, & ignei vaporumque fuliginosorum paucitatem decla- Rythmus pulsuum quid significet.

clarat, & regulariter celer distensio robur caloris nativi, & celer contractio redundantiam ignei caloris & fuliginosorum vaporum ex humorum putredine ortum commonstrat; tarda distensio naturalis caloris perfrigerationem, tarda vero contractio ignei & fuliginosi caloris frigiditatem significat & diminutionem.

Inæqualis pulsus significationes. *Omnis pulsus ἄῤῥυθμος & inæqualis morbum significat, aut ex obstructione Arteriarum, aut ex vitiosa aliqua qualitate contentorum in Arteriis spiritus & sanguinis, aut virtutis vitalis gravitatem & molestiam.*

Ex inæqualibus pulsibus μύουρος, id est diminutus & sensim ingravescens pulsus, virtutis vitalis sensibilem diminutionem & labescentiam significat. Talis est in hecticis & tabescentibus.

Intermittentis. *Intermittens pulsus majorem adhuc quam μύουρος, & deficiens majorem quam intermittens virtutis vitalis prostrationem significat. Intermittens pulsus si duorum pulsuum tempora intermittendo transeat, est exitiale signum, præsentem enim mortem denunciat.*

Deficiens pulsus & ipse est exitialis. Vires enim vitales à morbo superatas arguit.

Intercidentis. *Intercurrens sive intercidens copiam humorum vitiosorum aut vaporum fuliginosorum in Arteriis vel cordis cavitatibus ostendit, quos natura expellere conatur; ubi nondum sunt vires lapsæ, salutare est signum.*

Caprisantis. *Caprisans fuliginosos vapores redundare, eosque naturam dissipare ostendit, cæteris paribus caprisans pulsus est salutare signum.*

Dicroti. *Δίκροτος, id est, bis pulsans cordis inæqualis temperiem & fuliginosorum putridorumque vaporum conferientium copiam monstrat.*

Vndosi. *Vndosus pulsus nimia humiditate gravare virtutem vitalem significat; si undosus pulsus alteretur post sudorem, salutis spem promittit; si vero mutetur in vermiculantem, est signum pernitiosum.*

Vermiculans quid denotet. *Vermiculans pulsus virtutum vitalium prostrationem & dissipationem spirituum declarat. Hic pulsus præter altas causas, vehementes cujuscunque generis evacuationes, ut alvi profluvium, aut sanguinis è naribus eruptionem plerumque comitatur.*

Formicans periculosior est vermiculante & omnibus pulsuum inæqualium generibus. Extremam enim virtutis dissipationem ostendit, & certissimus est significator mortis, nisi accidat in deliquio animi ex repentinis causis, quod emendari potest. Formicans.

Serrans pulsus in laboriosis ægritudinibus est signum pernitiosum. Inflammationes enim & tumores viscerum ostendit. Serrans.

Vibrans pulsus in sanis corporibus non est adeo pernitiosus, sed tamen ægritudines futuras ostendit. In magnis autem inflammationibus & tenacioribus obstructionibus naturam cum morbo dubio Marte decertare significat. Vibrans.

Tremens pulsus futuræ syncopes est nuncius, & si perseveret, mortis certissimus index, morte imminente cor paulatim viribus vitalibus destituitur & primum conus cordis, deinde media ejus pars, ac tandem basis cordis à motu conquiescit solis articulis sese distendentibus, quarum ultima distensio est interitus vitæ. Tremens. Quomodo cordis motus paulatim deficiat.

Terminus pulsuum omnium ἀσφυξία quæ ipsa mors est.

SECTIO III.

De SIGNIFICATIONIBUS URINARUM.

Omnia ferè ægritudinum genera oriuntur in corporibus aut ex aliqua intemperie aut ex corruptela humorum. Intemperies autem omnis aut vitiosa qualitas hæret, & quasi in proprio subjecto insidet, aut in spiritibus, aut in solidis partibus.

Morbi itaque qui ex corruptela humorum originem habent, ex urinarum constitutione exactius cognoscuntur. Quinam morbi ex urina cognoscantur.

2. Pulsuum an urinarum significationes de morbis sunt certiores?

Vt generalior & universalior, ita longè certior est urinarum quam pulsuum significatio. Pulsus enim Arteriarum de cordis intemperie & vitalium spirituum constitutione tantum indicium præbet, & insuper pulsus Vrinarum significationes certiores esse pulsuum.

in

in uno genere morbi sæpissimè & levibus occasionibus immutatur; at urina cum de toto corpore immediatè à sanguine decedat, de omnibus totius corporis, & omnium partium sanguine præditarum morbis illustria exhibet indicia. Quascunque enim partes corporis urina attingit, (attingit autem omnes eas quæ venas habent & sanguine nutriuntur) earum omnium affectiones, intemperiem & vitiosas constitutiones unà cum humoris in sanguinea massa redundantis qualitate luculentissimè ostendit, neque ut pulsus, in eodem morbo mutatur, nisi cum nutritione morbi; unde constat significationes urinarum certiores & universaliores esse quam pulsuum.

2. Ex urinæ constitutione possuntne omnium partium affectiones æqualiter dignosci?

Quarum affectionum urina indicium præbeat.

Omnium quidem partium venosarum affectiones ex urinæ constitutione dignosci possunt, verum non æquè manifestè, sed aliarum partium exactius, aliarum obscurius. Omninò enim manifesta & certissima indicia in urina deprehenduntur concoctionis & cruditatis in ventriculo, Epate, in venis majoribus; item manifestum quoque indicium præbet urina, quis humorum in sanguinea massa redundet; postea ostendit luculentissimè affectiones Epatis, Lienis, Renum & vesicæ, & partium venosarum omnium: sed obscurius ostendit morbos cerebri, cordis, pulmonis, artuum & extremarum partium: nimirum, quia excrementa earum partium non per venas, cum seroso sanguine ad renes deferuntur, sed per alias vias, veluti per nares respirando, per asperam arteriam tussiendo, per palatum excreando, per poros cutis evaporando ac persudando propelluntur.

Quæ partes per renes non expurgentur.

Febres pestilentiales ex urina non dijudicantur.

In febribus materiam febris urina manifestè ostendit, sed qualitas febris ex pulsu dignoscenda est. Verum in febribus pestilentialibus fallacissimum est indicium ex urina sumptum. Ut plurimum enim in peste inculpata apparet & sanæ similis urina, eò quod materia pestis non in sanguine, cujus excrementum est urina, sed in spiritu vitali consistit.

3. Quid est Urina?

Urinæ origo & usus.

Οὖρος *sive* οὔροσις ἐστι περίττωμα ἢ διαχώρημα ὑγρὸν, *id est, urina est excrementum sive superfluitas excrementitia humida vel aquosa, ex potu & humiditate alimentorum in secunda concoctione nata, alterata & segregata, ut sit* ὄχημα τροφῆς, *id est vehiculum alimenti sive sanguinis defecati, & serviat* ἀναδόσει, *id est distributioni sanguinis per totum corpus, quæ tandem virtute renum per venas emulgentes attrahitur & per ureteres in vesicam percolata pro voluntatis arbitrio excernitur.*

Variæ definitiones urinæ.

Fernelius *brevius ita definit, Urina est serum vehiculumque sanguinis, renum vi secretum.*

Adhuc succinctius Galenus lib. 3. *Epidem. Urina est serum humorum in venis contentorum. Hisce definitionibus non discrepat ea quam* Isaac *quidem, qui dicit urinam esse colamentum sanguinis, & cæterorum humorum naturalibus actionibus concoctum & & seperatione natum.*

4. Quæ sunt causæ urinæ, & quomodo generatur?

In priori definitione genus est excrementum humidum seu humor excrementitius, de quo supra in doctrina de humoribus dictum est.

Materia urinæ.

Causa Materialis Urinæ est potus & alimentorum humiditas.

Efficiens causa est calor nativus Epatis, qui in secunda concoctione secernit aquosam superfluitatem.

Instrumentales causæ sunt Epar, Renes & Venæ.

Formalis est aquositas sanguinis.

Finalis vero est ut sit vehiculum sanguinis, serviatque distributioni per universum corpus & penetrationi ejus per angustias venarum.

Modus generationis urinæ.

Hinc apparet urinam esse excrementum

Generatur autem Urina hoc modo; In nutritione secunda Concoctio in Epate, quæ αἱμάτωσις *id est sanguificatio dicitur, ubi alimentum in sanguineam massam convertitur primum, deinde purificatur, & aquea quidem sanguinis pars bifariam dividitur; serosior enim & crassior ad Renes attrahitur, tenuior autem & aquosior purificato sanguini commiscetur & unà cum sanguine in totum corpus*

& tertiæ concoctionis.

corpus distribuitur; & fit sanguinis propter tenuitatem quasi vehiculum, quæ ubi perfuncta est suo officio, per sudorem excernitur, aut novo effluente alimento per compressionem rursum in venam cavam repellitur, ac inde per venas emulgentes à renibus attrahitur, ex quibus rursum per ureteres in vesicam sensim destillat, à cujus aut copia aut acrimonia si vesica molestetur, per colem à natura expellitur, non tamen sine voluntatis arbitrio.

Quare urina præbeat universale indicium affectionum morbosarum. Tria indicat urina.

Non enim è jecinore tantum per renes urina defluit, sed ex omnibus venis totius corporis; & hinc est quod urina universale indicium præbeat, primo concoctionis & cruditatis, idque scitu pernecessarium est; quia proba concoctio alimenti seu sanguinis est fundamentum sanitatis, sicut è contra cruditas est metropolis infinitorum morborum. Ostendit præterea urina quis humorum in massa sanguinea excellat aut redundet. Tertio monstrat quoque omnium partium quas urina attingit (attingit autem omnes, quæ sanguine nutriuntur) qualitates & affectiones; Quod autem ex omnibus venis urina in vesicam derivetur, sensu deprehendi potest, si quis per biduum parum aut nihil biberit. Verum est itaque distichon Ægidii:

Ut de lacte serum se lympidus eliquat humor;
Sic liquor urinæ de massa sanguinis exit.

5. In excipiendo & colligendo Lotio, ex quo judicium ferre volumus, quæ sunt observanda?

Regulæ in excipiendo lotio observandæ.

Octo Regulæ sive conditiones circa urinæ collectionem, ex qua morbi, causæque & earum differentiæ prædici debent, sunt observandæ.

I. *Tota urina simul est excipienda, & quidem à somno, ubi perfecta est alimenti concoctio, quod matutino tempore fieri consuevit.*

II. *Prospiciendum est sedulo, ut matula, in quam urina excipitur, sit munda & tersa, ex vitro albo & pellucido conflata, figuram vesicæ oblongam & rotundam referens.*

III. *Matula in qua est excepta urina, studiosè est cooperienda, & in tepido loco collocanda, ad quem nec aëris frigiditas, nec ventorum flatus, nec radii solares pertingere queant.*

IV. *Quo commodius in urina contenta sive natantia ab invicem separari & fæculentiora subsidere queant, per unam aut alteram horam non est commovenda, nec ultra sex horas urinæ contemplatio est differenda.*

V. *Si urina intra præscriptum tempus vel ab insita qualitate, vel ab externa aliqua occasione conturbetur, corrumpaturque; matula cum urina in aquam moderatè calidam est imponenda, eo usque donec propriam formam & constitutionem recipiat.*

VI. *Inspicienda est urina in loco claro & perspicuo, qui nec obscuritate nec nimio splendore visum decipiat.*

VII. *Cavendum est ne urina excipiatur, aut post vini meracioris ingurgitationem, aut post esum croci, aut post assumptionem pharmacorum, inprimis rhabarbari vel cassiæ. Mutant enim hæc & alterant, tum colorem, tum substantiam urinæ, & fallax reddunt judicium.*

VIII. *Medicus urinam contemplaturus ex oppositâ parte matulæ opponat palmam manus per spatium latitudinis palmæ, ut aëris radii lucidi in umbra manus colligantur, & in matula, tanquam in speculo collecti exactius contenta in urinis ostendant.*


Urina ad judicandum excepta in quot regiones est dividenda?

Vrinæ tres regiones.

Quemadmodum universum corpus humanum supra in tertia divisione partium, in tres magnas capacitates est divisum, in caput, thoracem & infimum ventrem: ita tota urina in matula contenta, in tres regiones, tribus illis corporis capacitatibus respondentes, videlicet in superficiem, quæ sumpto vocabulo ex meteorologicis νεφέλη, id est nubes appellatur, ex cujus constitutione affectationes cerebri deprehenduntur: In mediam regionem, quæ ἐναιώρημα, i. e. sublime seu suspensum nominatur, cujus constitutio ut plurimum partium in thorace contentarum vitia commonstrat. In fundum sive infimam regionem, ὑπόστασις, id est subsidentia sive sedimen-

νεφέλη, nubecula. ἐναιώρημα, suspensum. ὑπόστασις, sedimentum.

mentum vocatur, ex cujus consistentia & forma, morbi partium nutritioni servientium in infimo ventre contentarum ostenduntur. Hæ tres urinæ regiones in sequenti pictura proponuntur.



νεφέλη,
ἐναιώρημα,
ὑπόστασις.

7. In urina excepta sive collecta quæ qualitates sunt considerandæ?

In contemplatione urinæ quinque qualitates sive adnexa seu perpetua accidentia studiosè sunt consideranda, quæ in sequenti tabella proponuntur.

Tabella urinarum qualitates & perpetuo adhærentia complectens.

In urina consideranda veniunt
- Χύμωσις liquor an sit: *Moderatus, Tenuis, Crassus, Turbidus, Perspicuus, Clarus, Obscurus.*
- *Color,* *Rubeus, Aureus, Albus, Niger:* *aut ex his intermedius.*
- *Odor,* *Carens odore, Suavis, Moderatus, Fœtidus.*
- *Quantitas,* *Moderata, Multa, Pauca.*
- *Contenta sive liquor admixta, veluti sunt* *Corona, Spuma, Bullæ, Granulæ, Pinguedo, Atomi, Pili, Squamulæ, Furfures, Filamenta, Semen, Sanguis, Pus, Carunculæ, θρόμβος, Cinis, Arenulæ, Vermes.*

De horum omnium causis, differentiis & significationibus sigillatim ordine pro compendii ratione fideliter docebimus.

8. Χύμωσις urinæ quid, quæ ejus differentiæ, causæ & significationes generales?

Χύμωσις seu substantia urinæ est totus liquor seu aquea materia in matula contenta, in qua tanquam in subjecto hærent & conspiciuntur reliquæ urinæ qualitates & accidentia, videlicet color, odor, quantitas, contenta seu innatantia. In χυμώσει sive substantia urinæ spectandæ inprimis sunt secundæ qualitates, ex quibus quinque sumuntur liquoris differentiæ, ita ut urina dicatur aut tenuis, aut crassa, aut perspicua, aut turbida, aut inter has mediocris & moderata. Primo itaque intuitu prudenti judicio discernenda est, utrum urinæ liquor sit tenuis, crassus, perspicuus, turbidus aut moderatus, quarum qualitatum causæ & significationes hæ sunt. Consistentis urinæ. Quid in urina primum considerandum.

9. Tenuium urinarum significationes & causæ quæ?

Tenuis urina perpetuo hisce coloribus est imbuta, albo, spiceo, aureo, croceo & rubro. In reliquis enim coloribus urina nunquam apparet tenuis. Tenuis fit urina vel à caloris nativi inopia, aut ab obstructione meatuum, & perpetuo cruditatis est indicium. Omnis enim tenuis urina cruda est, & omnis cruda tenuis. Gradus autem cruditatis à præsenti colore dignoscere licet. Vrina enim Tenuem quid reddat urinam. Quid denotet urina tenuis.

Cruditatis indicium. *nim tenuis & instar aquæ lympidæ alba, extremam significat cruditatem; paulo minorem spicea; & adhuc minorem cruditatem, si tenuis urina aureo & subrubro colore sit tincta.* Ingurgitationis. *Aquea, tenuisque conspicitur urina, inter helluandum & potandum projecta. Tenuis fit urina & ex viscerum videlicet Epatis, Lienis, Renum & ureterum obstructionibus,* Obstructionis viscerum. *quæ nihil crassi præterlabi sinunt. Quæ autem harum partium obstructa sit, à loci affecti dolore dignoscitur. Si enim dolor sentitur sub dextra hypochondrio Epar, si sub sinistro Lien, si circa vertebras lumbi Renes esse obstructos significat.* Contabescentiæ. *Qui diuturno morbo exhausti sunt, aut qui fascinati tabescunt, eorum urina perpetuo tenuis conspicitur cum spiceo aut aureo colore.* Vrina tenuis quæ mox conturbatur. *Vrina tenuis & paulò post in matula turbata, significat aut turbatam concoctionem prostratique caloris nativi inopiam, aut flatuosos spiritus in Renibus contentos, qui cum urina projecti eam agitando conturbant, veluti fieri cernimus in musto fervescere incipiente; aut (quod etiam in sanorum urinis contingit) turbatur urina tenuis ab externo frigore calorem nativum in urina extinguente, ut nequeat fieri separatio contentorum, quod in loco tepido nunquam contingit.*

10. Crassarum urinarum significationes & causæ quæ?

Crassa urina. *Crassa urina tenui opponitur. Dicitur enim crassa, quæ corpulenta & densa est; sive ea sit perspicua, veluti sunt vina & cerevisia crassa; sive sint obscura, veluti oleum & pinguedo liquida.*

Differentia inter crassum & turbidum. *Sæpe autem confunduntur à Medicis crassi & turbidi vocabula, quæ sic in hoc discernuntur, quod crassa urina undique sibi similis est, & quandoque subobscura, veluti oleum & albumen ovi: Turbida semper est obscura. Ita ejus contenta sive innatantia visu discerni nequeunt, sed confusa sunt per totam liquoris substantiam, ut paulo post de turbidis urinis declarabimus. Crassa urina omnibus coloribus imbuitur, tum qui ad albedinem, tum qui ad nigredinem tendunt.* Crassitiei urinæ causæ. *Crassa redditur urina ex crudorum humorum in venis & meatibus contentorum copia, aut crassescit propter laxitatem meatuum, & imbecillitatem retentivæ facultatis in visceribus, aut ubi calor nativus non sufficit, ut copiam crudorum humorum concoquat.* Crassa urina qualem denotet cruditatem. *Crassa namque urina perpetuo cruditatem significat, non quidem ut tenuis ex imbecillitate caloris ortam, sed ex redundantia crudorum humorum gravante calorem nativum generatam. Quis autem humorum in corpore redundet, ex colore crassitiei adjuncto dignosci potest. Crassa enim & alba pituitæ, crassa & nigra atræ bilis, crassa & flava simul pituitæ & bilis flavæ, crassa & rubea sanguinis adusti, crassa & viridis venenosorum humorum, crassa & fœtida putrescentium humorum redundantiam significat.* Oleaginosa. *Crassa vero & instar olei lenta, quæ oleaginosa nominatur, aut hecticam, pthisimque aut hydropem significat. Reliqua quæ ad declarationem crassæ urinæ pertinent, in explicatione turbidæ urinæ commemorabuntur.*

11. Perspicuæ splendentisque urinæ significationes & causæ quæ?

Perspicuam & claram urinam vocamus, cujus substantiam visus nostri acies facilè penetrat. Perspicua urina plerumque sub iis coloribus, albo, aureo & rubro conspicitur. Causæ urinam perspicuam reddentes, & ex ea significationes, per adjunctum colorem deprehenduntur. Perspicua & instar aquæ alba. *Perspicua enim & instar aquæ alba urina, oritur aut in calculo, aut ex obstructione meatuum urinæ, aut ex prostratione caloris nativi, & ea quidem aut cruditatem ostendit, aut in acutis febribus delirium. Totam enim bilem quæ tingere debeat urinam ad cerebrum delatam esse ostendit.* Perspicua & rubea. *Perspicua urina & rubea ex igneo & præternaturali calore oritur, & febrim sanguineam demonstrat.* Clara & aurea saluberrima. *Clara autem & perspicua cum aureo colore, & nativi coloris ubertate & benignitate generatur, estque omnium saluberrima. Significat enim exactam & integram concoctionem humorumque omnium mediocritatem & bonitatem. In tali urina semper remanet vis caloris nativi, quæ in matula ὑπόστασις discernitur.*

12. Tur-

12. Turbidarum urinarum causæ & significationes quæ?

Turbida. *Turbida seu obscura & confusa urina dicitur, per cujus medium visus noster non penetrat, & cognata est crassæ urinæ. Ex iisdem enim causis ferè oriuntur & easdem ferè habent significationes.*

Vnde urina reddatur turbida. *Turbatur autem urina aut à violentia externi frigoris, quæ in aqua tepida collocata in pristinam redit formam: aut ab exulceratione renum, ureterum & cervicis vesicæ: aut à laxitate meatuum urinæ, nequeuntis retinere humores crudos: aut à copia crudorum humorum irruente in renes.*

1. A frigore externo. *Vrina quæ à frigore externo turbatur, est densa & obscura, quæ lentore albo matulam inficit, quæ etsi aquæ caliditate restaurari queat, tamen ut plurimum est fallacis significationis.*

2. Ex puris commistione. *Vrina vero quæ ex puris commixtione turbida facta est, in ea multa cernuntur corpuscula, sordes, sanies & pus, quæ quiete paulo post in fundo matulæ subsident cum hypostasi crassa. Reliqua autem urina quodammodo clarior redditur, veluti contingit in vinis & cerevisiis fæculentioribus. Talis urina per calorem aquæ pristinam formam non recipit. Perpetuo itaque hujusmodi urina significat renum aut vesicæ exulcerationem, quod & dolor earum partium testabitur, cui plerumque & fœtor accedit.*

3. Ex crudorum humorum permixtione. *Vrina à crudorum humorum in venis aut visceribus contentorum redundantium permixtione conturbata, nec ipsa calore aquæ resolvitur, & significat innati caloris à crudis humoribus oppressionem, quo minus eos conficere queat, etiamsi maximè adnitatur, unde & diuturnitas morbi & contumaciæ deprehenditur. Quis autem humorum in corpore redundet, ostendit color turbiditati adjunctus.*

4. Similis equinæ. *Vrina turbida si simul sit lenta & crassa, qualis est vaccina aut equina, capitis dolorem demonstrat, teste Hippocrate, qui inquit; Quibus urina turbida, qualis jumentorum, iis capitis dolor vel adest, vel aderit.*

5. In diebus criticis salutaris. *Turbida urina in febrium diebus criticis facta, aut in tumoribus abscessibusque viscerum, in morbis lienis aut epatis, morbi solutionem & spem sanitatis pollicetur. Apertionem enim meatuum & copiosam eruptionem humoris peccantis monstrat.*

6. Fœtida. *Turbida urina & per totum confusa ac fœtida, humorum in venis contentorum putrefactionem ac confusionem monstrat, & semper est maligna.*

Porro urina turbida aut mingitur turbida & crassa permanet turbida: aut projicitur turbida, & post quietem subsidet, ejusque liquor inclarescit. Quæ itaque turbida mingitur & permanet turbida, copiam humorum opprimentium calorem nativum, ut dictum est, ostendit: quæ autem turbida projicitur & postea subsidet, flatulentos & adulterinos spiritus, quorum reliquiæ profluxerunt cum urina, quæ crudos humores agitant, demonstrat. Alias quæ turbida mingitur, & tandem subsidet, ostendit conatum & robur nativi caloris, qui & concoctionem & separationem humorum crudorum, sed imperfectam est aggressus, & morbum brevi solutum iri ostendit. Turbida permanens quid denotet. Turbida mox subsidens.

13. Moderata seu Mediocris urinæ substantia qualis, quæ ejus causæ & significationes?

Moderata urina subaurea saluberrima. *Mediocris dicitur urinæ substantia; quæ neque est præter modum tenuis ut aqua, neque crassa ut oleum, nec turbida ut mustum, nec splendida & rutilans ut flamma, sed vini Rhenani veteris consistentiam repræsentat. Moderata autem urinæ substantia sub his tribus tantum coloribus conspicitur, subaureo, aureo & citrino. Talis substantia urinæ producitur ex nativi caloris robore & copia, & humorum in corpore justa proportione, & significat exquisitas concoctiones, tum ventriculi, tum jecinoris, & venarum, humorum benignitatem, & totius corporis salubritatem.*

DE COLORIBUS URINÆ.

14. Circa colores urinarum quæ ſunt obſervanda?

Circa colores urinarum tria ſunt conſideranda, { *Cauſæ, Differentiæ, Significationes.*

Quæ & quot ſunt cauſæ colorum, & quas ſingulæ producunt colorum differentias, quæve generales eorum ſignificationes?

Color in urinis eſt viſibilis qualitas & perpetuum accidens; Vt enim nulla corporea ſubſtantia, ita nulla urina ſine colore conſpici poteſt. Fernelius duas tantum effectrices colorum cauſas in urinis conſtituit, calorem ſcilicet corporis, humorum affluentium permixtionem: ſed nos clarioris doctrinæ gratia, eaſdem cauſas in ſeptem ordines reſolvemus. 7. Cauſæ diverſorum in urinis colorum. *Sunt itaque cauſæ colorum in urinis:* I. *Nativi caloris moderata temperies.* II. *Nativi caloris per gradus remiſſio, & ad frigidam intemperiem declinatio.* III. *Caloris Nativi extinctio per frigidam intemperiem.* IV. *Nativi Caloris extenſio & per gradus in igneum commutatio.* V. *Caloris nativi per aduſtionem abſumptio.* VI. *Humoris alieni cum urina permixtio.* VII. *Meatuum obſtructio.*

I. Calor nativus corporis & viſcerum temperatus, qualis eſt in corporibus ſanis, urinam tingit colore aut Citrii mali aut aurei. Calor autem declinans ad temperiem frigidam, vel deficiens plures habet gradus; ſicuti & auctus extenſusque & ad igneum declinans, ſecundum quos gradus variis urinam inficit coloribus. 1. Caloris gradus urinæ colorem mutant. *Simili ratione & humores cum urina effluentes ſuo colore urinam cingunt.* 2. Humores permixti. *Obſtructio autem meatuum privat urinas ſuis coloribus, & aquæ tantum colorem relinquit, veluti fit in liquoribus ex rebus coloratis chymica arte deſtillatis.* 3. Viarum obſtructio. *Colorum autem qui in urinis ſpectantur communiores differentiæ & ſpecies ſunt viginti, ad quas omnes reliqui referri poſſunt.* Colorum differentia. *Inter eos vero unus eſt medius & ſupremus ſaluberrimusque, Aureus videlicet; & duo extremi, Albus & Niger. Reliqui omnes quotquot ſunt intermedii nominantur. Quæ autem cauſarum prædictarum, quos efficiant & generent in urina colores, & quæ ſingulorum ſint generales ſignificationes, ſequens tabella complectitur.*

Tabella

Tabella Colorum in urinis,

Causas, differentias & significationes comprehendens.

CAUSÆ.			DIFFERENTIÆ.			
Colores urinarum proveniunt vel ex	*Caloris nativi*	*Moderatâ temperie,*	*Citrinus,*	*Similis*	*Citreis malis,*	a
			Subaureus,		*Auro Rhenano,*	a
			Aureus,		*Auro Vngarico;*	a
		Refrigeratione per gradus,	*Flavus,*		*Ovi luteo deluto;*	b
			Spiceus,		*Spicis maturescentibus;*	c
			Charopus,		*Pilis Leporinis;*	d
			Glaucus,		*Cornu pellucido;*	e
			Lacteus,		*Lacti seroso;*	f
			Aqueus,		*Aquæ puræ;*	g
		Extinctione per frigiditatem,	*Venetus,*		*Vvis nigris,*	h
			Lividus,		*Plumbo depicta macula,*	h
		Intentione per gradus,	*Croceus,*		*Croci floribus recentibus;*	i
			Flammeus,		*Candenti ferro;*	k
			Rubeus,		*Vino rubeo;*	l
			Rosaceus,		*Rosis purpureis;*	m
			Purpureus,		*Epati bovino;*	n
			Passeus,		*Cerasis subnigris;*	o
		Extinctione per adustionem,	*Oleaceus,*		*Olivarum fructibus;*	p
			Viridis,		*Ærugini aut gramini;*	q
			Niger,		*Carboni extincto;*	r
	Admistione humorum,		*Sanguinis serosi,*	*Vnde tingitur colore*	*Rubeo perspicuo;*	ſ
			Cruoris,		*Rubeo turbido;*	ſ
			Sanguinis menstrui,		*Passeo crasso;*	ſ
			Pituitæ,		*Albo crasso;*	ſ
			Bilis flavæ,		*Flavo perspicuo;*	ſ
			Bilis atræ,		*Nigro crasso;*	ſ
			Saniei sive puris,		*Flavo crasso;*	ſ
			Seminis,		*Glauco;*	ſ
	Obstructione meatuum, unde redditur vel		*Aquea,*	*Similis*	*Aquæ puræ;*	t
			Lactea,		*Serosi lactis;*	t

Si-

Reliquum hujus Tabulæ, quod ex adversum huic parti respondere debebat, vide paginâ subsequenti.

SIGNIFICATIONES.

gnificat
- a *Caloris nativi temperiem perfectam & corporis salubritatem.*
- b *Concoctionem perturbatam & pituitæ copiam.*
- c *Concoctionis debilitatem à frigidâ intemperie.*
- d *Dominium muceosæ pituitæ.*
- e *Cruditatem insignem à refrigeratione.*
- f *Aut obstructionem aut pituitam.*
- g *Extremam cruditatem.*
- h *Caloris nativi extinctionem à frigidâ intemperie.*
- i *Bilis effusionem, quandoque Icteritiam.*
- k *Epatis inflammationem & febrim.*
- l *Sanguinis ebullitionem & febrim.*
- m *Rubræ bilis cum sanguine ebullitionem.*
- n *Epatis inflammationem & rubræ bilis effusionem.*
- o *Epatis obstructionem, fervorem & Icteriam.*
- p *Humorum confusionem & totius corporis colliquationem & mortem.*
- q *Caloris nativi adustionem & mortificationem.*
- r *Vitalium spirituum extinctionem & mortem.*
- ſ *Eorum humorum, quorum colorem referunt, copiam & effusionem: & tum urina vel turbida simul est, vel copiosum habet sedimentum.*
- t { *Calculum*; aut *Pituitam auctiorem.* }

15. Quænam ſunt obſervationes de urina nigra, crocea, purpurea & paſſea ſingulares?

Nigra quando lethalis. *Nigra urina, quam præcessit viridis, extinctionem caloris nativi per adustionem; quam vero præcessit livida vel veneta, per extremam refrigerationem significat, & semper est lethalis.*

Nigra interdum salubris. *Vrina nigra in morbis melancholicis lienis obstructionibus & tumoribus, quartanaque febri, si post alios colores inopinatè erumpat, & præsertim post crisin, salutem pollicetur; tum enim apertas esse obstructiones, & naturam noxios humores expellere, & brevi morbum solvi significat.*

Vrina crocea vel rosea quid. *In Vrina Crocea, Purpurea aut passa si linteolus tinctus inficiatur colore croceo, Icteriam; rosaceo, sanguinis ebullitionem; si sanguineo, Epatis corruptionem significat.*

DE ODORIBUS.

16. Circa urinæ odores quæ ſunt ſpectanda, & quid ex iis prædicendum?

Ex odoribus urinarum, qui sæpe, etiam nobis invitis nares feriunt, non contemnenda de morbis eorumque causis indicia sumi possunt. In odoribus itaque urinarum, veluti de coloribus diximus, tria sunt spectanda; I. Differentiæ. II. Causæ. III. Significationes.

Differentiæ Odorum in urinis quatuor sunt: Omnis enim urina aut est inodora, id est, caret odore, aut moderatè olet, aut suaviter redolet, aut est fœtida. Differentiæ odorum in urina.

Vrina odore carens oritur ex frigiditate, & significat insignem refrigerationem Epatis & Renum, & concoctionis frustrationem, unde semper urina inodora alba est colore & & subobscura. Inodora.

Moderatè olens urina, id est, quæ nec suaviter spirat, nec tetrum odorem præ se fert, & co-

& colore est aurea, corporis exactam salubritatem monstrat.

Suavis odoris urina quid significet.

Suavis urinæ odor non fit nisi à commestione aromatum rerumque odoratarum, quales sunt gariophylli, radix angelicæ, moscus, terrebinthina, &c.

Verum neque ex iis rebus contingit fragrans urina nisi in sanis corporibus: qui enim corpora habent fœtidis humoribus repleta, ii etiam res odoratas assumentes emingunt tamen urinam fœtidam.

Fœtida in sanis.

Fœtida redditur urina in sanis quidem corporibus ex rerum fœtidarum commestione, veluti sunt Allium, Castroreum Bebergeil / *Asa fœtida.*

Fœtida in ægris putredinem humorum arguit. Corruptionem viscerum. Vlcus in meatibus.

In corporibus autem morbosis fœtida urina aut ostendit copiam putridorum humorum, & tum urina est rubra, crassa & turbida, qualis est in febribus putridis: aut significat corruptionem alicujus interni visceris, ut Epatis, Lienis & Renum, & tum urina est tenuis cum crassa ὑποστάσει aut ostendit ulcus in renibus aut pudendo, & tum simul crassa & alba est urina cum purulento sedimento.

Interdum naturæ victoriam.

Fœtida urina in die critica id est pugnæ naturæ & morbi, si copiosè projiciatur, naturæ victoriam adversus morbum ostendit & statim ægro succedit levamen.

DE QUANTITATIBUS URINÆ.

17. Circa mensuram seu quantitatem urinæ quæ sunt observanda, & quid ex iis prædicendum?

Diligenter animadvertendum est in emissa urina, utrum ejus quantitas sit Mediocris, Multa, aut Pauca, & quæ sint earum quantitatum causæ & significationes. Vrina quantitate seu mensura Mediocris dicitur, quæ proportione respondet iis quæ ebibita sunt. Regulare enim est, ut qui multum biberint, & humidioribus usi fuerint alimentis, multam; qui pauco potu & siccis alimentis vescuntur, paucam emingant urinam.

Mediocris urina salubris.

Moderata itaque urina in quantitate, cæteris paribus, salubritatem corporis ostendit.

Multa & copiosa quid denotet.

Multa autem & pauca urina, nisi ex prædictis causis proveniant, semper sunt præternaturale signum, & corporis constitutionem insalubrem monstrat. Multa itaque urina in sanis corporibus mingitur, aut ob largiorem potionem maximè vini tenuioris, aut ob pharmacorum diureticorum assumptionem. In adversa vero valetudine multa urina projicitur aut propter nimiam caliditatem renum & meatuum laxitatem, veluti fit in Δ[ιαβήτῃ] morbo, id est assidua & copiosa urinæ profusione: aut propter totius corporis insignem humectationem, quemadmodum fit in hydrope: aut propter alvi siccitatem, ita testante Hippocrate 4. Aphoris 38. *qui inquit*, Mictio noctu copiosè facta exiguam alvi dejectionem significat.

Paucæ urinæ causa.

PAVCA urina insalubriter degentibus redditur, propter abstinentiam potus, siccorum alimentorum usum, aut propter vehementem corporis exercitationem, quæ corporis humiditates exiccare solet.

Vnde pauca urina in ægris.

In morbis autem pauca prodit urina post largam sudoris profusionem, aut æstum totius corporis febrilem absumentem humiditates in corpore, aut propter alvi fluorem, ut in Lienteria, aut ob meatuum urinæ obstructionem, veluti fit in calculo.

DE CONTENTIS URINÆ.

18. Contenta seu liquori urinæ admixtæ materiæ quid & quæ circa ea sunt considerande, quotve eorum species?

Contenta, Græcis πελφισαμθρα dicuntur omnes materiæ, quæ liquori urinæ commiscentur, sive hæ in superficie urinæ fluitent, sive in media regione innatent, sive fundo matulæ subsideant.

Quænam in urinæ contentis sint consideranda.

In contentis urinarum consideranda veniunt materia, species, causæ, & significationes.

Contentorum urinæ locus partem affectam denotat.

Contenta omnia in superficie urinæ fluitantia ut plurimum ex cerebro defluunt: Quæ in medio ejus innatant ex partibus in thorace contentis; quæ vero fundo matulæ insident ex membris nutritioni servientibus & sub diaphragmate contentis procedunt. Contentorum porro præcipuæ species in hac tabella comprehenduntur.

Tabella

Tabella contentorum urinæ.

Contenta urinæ sunt in
- *Superficie,*
  - *Coronæ seu circuli,*
  - *Nubecula,*
  - *Spuma,*
  - *Bullæ,*
  - *Telæ Araneorum.*
- *Media regione,*
  - *Granulæ,*
  - *Atomi,*
  - *Squamulæ,*
  - *Sperma,*
  - *Ramenta seu Filamenta,*
  - *Pili,*
  - *Carunculæ,*
  - *Sanguis purus,*
  - *Vermiculi.*
- *Fundo,*
  - Θρόμβοι,
  - *Furfures,*
  - *Arenulæ,*
  - *Mucus,*
  - *Pus,*
  - *Cinis,*
  - *Hypostasis.*

In hisce contentis omnibus seu materiis urinæ permixtis, considerandæ veniunt Color, substantia, & significationes, quorum omnium causas & significationes in subsequentibus Tabulis proponemus.

Tabella Judiciorum ex copulatione substantiæ colorum & contentorum urinæ desumptorum.

19. Quale judicium præbet urina aurea?

Aurea salubris. *AVREA, subaurea, Citrina, substantia mediocri, cum hypostasi alba, saluberrima est, inculpatas omnes concoctiones significat. Quantum autem aliqua urina ab hac declinabit ad alterutrum extremum colorem, Albedinem per frigidam intemperiem, vel Rubedinem Nigredinemque per igneum calorem, tantum ab inculpata temperie & salubritate discessisse corporis constitutionem ostendit.*

20. Urinæ pallidæ sive spiceæ quid significant?

PALLIDA seu spicea est quæ ab aureo in primo gradu recessit, quæ inchoatam, nondum tamen perfectam concoctionem monstrat.

Pallidarum urinarum variæ significationes.

Pallida
- *Et nonnihil turbida, ventriculi aliquam frigiditatem, & facultatis concoctricis imbecillitatem notat.*
- *Tenuis & perpauca, pituitæ serosæ copiam in venis esse commonstrat.*
- *Valde spumosa & ad lividitatem vergens, flatus, rugitus & alvi tormina ac fluxionem innuit.*
- *Crassa, cum corona purpurea, Epatis tumorem & obstructionem, ac per consensum capitis dolorem indicat.*
- *Crassa instar olei cum cinerea hypostasi phtisin & præsentem mortem minatur.*

21. Albæ urinæ quid portendunt?

Vrina alba *Albarum urinarum in genere plurimæ sunt differen-*

perspicua periculosior est crassa.

differentiæ, quarum aliæ magis, aliæ minus, aliæ obscurius, aliæ clarius sunt albæ, omnes tamen recesserunt in secundo gradu ab Aurea, & quanto magis intensus est albus urinæ color, & quæ perspicuæ & claræ sunt, crassis sunt magis pernitiosæ. Omnium autem albarum urinarum causa efficiens est frigida intemperies cum pituitosi humoris redundantia, & perpetuo significat morbos ex frigiditate ortos, veluti sunt Arthritis, Colica, catarrhus, Epilepsia, Apoplexia, ventriculi imbecillitas, vermes intestinorum &c.

Species albarum urinarum.

Albarum verò urinarum præcipuæ species sunt, Caropa, Glauca, Aquea & Lactea.

Albarum urinarum variæ significationes.

Alba
- *Tenuis cum alba & crassiore hypostasi, articulorum morbos ex crassa pituita ostendit.*
- *In febri quartana quam præcessit urina aliûs coloris, febrim brevi solutam iri ostendit.*
- *Ad lividum colorem declinans, carens hypostasi, caloris nativi extinctionem, & citam mortem prædicit.*
- *Cum nigris resolutionibus instar crassarum arenarum in fundo, matricis obstructionem, & mensium cohibitionem docet.*
- *Tenuis cum granulis seu bullis in superficie natantibus capitis destillationem, & articulorum dolores portendit.*
- *Tenuis multa & perspicua pulmonis exulcerationem ex destillatione salsæ pituitæ monstrat.*
- *Tenuis cum corona livida, aut viridi ventriculorum, cerebri obstructionem & inde apoplexiam monstrat.*
- *Crassa & viscida lenta, pituitæ crassæ; lentorumque humorum copiam in corpore monstrat.*
- *Crassa & purulenta ad lividitatem tendens, abscessum sive apostematis ruptionem in urinatoriis vasis ostendit.*
- *Et instar olei pinguis, præsentis mortis est nuncia.*
- *Crassa, fœtida, in febribus putridos humores redundare & delirium inde natum commonstrat.*

Glauca, id est cornu pellucido similis, pituitæ mucosæ redundantiam, & cruditatem ostendit. Glauca.

Caropa pilis Leporinis vel cineri similis, putridæ & cerosæ pituitæ copiam, Epatis obstructionem & inde hydropem commonstrat. Caropa.

22. Lactea urina quas habet significationes?

Lacteæ significationes variæ.

Lactea
- *Vrina sero lactis similis dicitur, quæ in tertio gradu discessit ab aureo colore per refrigerationem.*
- *Crassa redundantiam crassæ pituitæ in venis ostendit.*
- *Tenuis in acutis febribus, aut citam mortem, aut febris in phtisin commutationem minatur.*
- *Crassa pauca obstructionem meatuum urinæ ex mucosa pituita significat.*
- *Tenuis in puerulis calculum vel nephriticos dolores significat.*

23. Aquea urina quas habet significationes?

Aqueæ significationes. Aquea in pueris urina mortiferum signum censetur; Gal. com. 1. in l. Hip. de humor. Hippoc. aph. 7. 2. l. 4.

Aquea
- *Vrina aquæ puræ sive cristallo similis, nisi ex nimia ingurgitatione excernatur, extremam cruditatem & vehementem viscerum nutritioni servientium refrigerationem monstrat.*
- *Tenuis cum dolore hypochondriorum, aut Iecoris, aut Lienis obstructionem, refrigerationemque & inde hydropem significat.*
- *Tenuis cum dolore Lumborum, renum obstructionem & calculum notat.*
- *Tenuis in febribus phrenitidem deliriumque declarat.*
- *Tenuis in hydrope, sanguificationis frustrationem propter nativi caloris extinctionem monstrat.*
- *Tenuis in Icteritia, commutationem Icteritiæ in hydropem demonstrat.*

24. Rubeæ urinæ quas habent significationes?

Rubearum significationes.

Quemadmodum urina aurea per certos gradus ad extremam albedinem recedit per frigidam intemperiem, aut admixtionem frigidorum humorum, ita eadem per certos gradus ab aureo colore ad rubedinem, & ex ea ad nigredinem secedit, ex ignei caloris intensione aut æstuantium humorum commixtione. Vt autem albarum urinarum, ita & rubearum usque ad nigredinem plures sunt differentiæ, veluti sunt Flava, Crocea, Flammea, Rubea, Purpurea, Rosacea, & Passea, quas sequuntur Veneta, Livida, & Nigra.

Calor intensus quibus coloribus tingat urinas.

Rubearum urinarum usque ad extremum colorem multæ sunt differentiæ, quarum aliæ in secundo gradu, aliæ in tertio discesserunt ab aurea per igneum calorem.

Rubea:
- *Vt flamma & tenuis quæ & ignea & flammea dicitur, ardentem febrem Epatisque inflammationem monstrat.*
- *Flammea, crassa cum corona livida & granulis innatantibus, bubonem circa inguina & capitis dolorem ostendit.*
- *Flammea cum nigra hypostasi & dolore hypochondrii sinistri, splenis abscessum monstrat.*
- *Vino rubro similis, plethoram & sanguinis ebullitionem notat.*
- *Diluto sanguini similis in fundo non subsidens retentricis facultatis imbecillitatem in renibus ostendit.*
- *Diluto sanguini similis quæ paulo post in fundo matulæ grumescit, renum exulcerationem indicat.*
- *Instar boli armeni & perspicua, Iecoris inflammationem & ardentem febrim commonstrat.*
- *Epatis colorem referens, crassa & obscura, inflammationem & corruptelam Epatis ostendit.*
- *Quæ mediocris est substantiæ cum alba hypostasi, febris morbique solutionem pollicetur.*
- *Instar lixivii perspicua, in hydrope mortem præsentem minatur.*
- *In superficie alba, capitis cruciatus & mentis alienationem ostendit.*
- *Crassa, fœtida, cum hypostasi nigra, putrefactionem sanguineæ massæ & mortem præsentem minatur.*
- *Crassa, in acutis febribus, Capitis & Iecinoris dolores ostendit.*
- *Tenuis & spumosa περιπνευμονίαν monstrat.*
- *Rosæ purpureæ colorem referens, Epatis apostema notat.*
- *Purpurea, crassa quæ commota spumam croceam edit, Icteritiæ est index.*

25. Flavæ & croceæ urinæ quas habent significationes?

Flavarum significat.

Flavam urinam vocamus, quæ ovorum luteis dilutis est similis; Croceam vero quæ floribus croci vel liquori copiosa croco imbuto assimilatur, qui colores in primo gradu per igneum calorem discesserunt ab aureo.

Flava etiam redditur urina inedia, teste Gal. l. 14. meth. med. c. 1.

Flava:
- *Vrina rubra bilis confusionem in massa sanguinea notat.*
- *Crassa & turbida, humorum ebullitionem & appetentiæ prohibitionem commonstrat.*
- *Tenuis & subobscura morsum præcordiorum & in mulieribus συγκοπήν notat.*
- *Cum crassa hypostasi & superficie tenui cum bullis, thoracis vitia & pulmonis obstructiones indicat.*

Crocearum significationes.

Crocea:
- *Tenuis & perspicua, calidam Epatis intemperiem & obstructionem notat.*
- *Crassa, bilis vitellinæ in Epar regurgitationem & Icteritiam ostendit.*
- *Cum spuma ejusdem coloris, semper Icteritiæ & flatulentorum spirituum circa præcordia index.*

26. Passearum urinarum significationes quæ?

Passeæ causæ.

Passea urina subnigris sive passulis similis, discessit ab aureo colore per extremam caliditatem in tertio gradu.

Pas-

Significationes.

Passa:
- *Quæ antea erat rubra, exassationem & in adustam bilem conversionem significat.*
- *Quæ agitata producit flavam spumam, Epatis inflammationem & Ictericiam notat.*

27. Livida, Veneta & Nigra urina quas habet significationes?

Lividæ urinæ causæ.

Livida urina quæ plumbi aut plagæ violentæ vestigii colorem refert, & veneta, quæ colorem habet uvarum nigrarum, & Nigra, quæ Carboni extincto est persimilis, intensione inter se differunt, & in quarto gradu discesserunt, ab Aureo per adustionem ignei caloris, quæ in specie significationes habent.

Significationes variæ.

Livida:
- *Vrina quandoque ruinam ex alto, vel acceptas plagas circa lumbos significat, quandoque extinctionem nativi caloris, & adustionem humidi radicalis ostendit.*
- *Cum tumore ventris, hydropem & ex ea præsentem mortem minatur.*
- *Cum granulis in medio urinæ natantibus, vomicam sive tumorem in thorace, & respirationis difficultatem monstrat.*
- *Cum carunculis innatantibus, articulares morbos & diuturnam podagram indicat.*
- *In mulierum urinis cum nigris resolutionibus, mensium obstructionem notat.*
- *In phrenitide & cordis palpitatione præsentis mortis est nuncia.*
- *Cum dextri hypochondrii dolore, Epatis, & sinistri Lienis tumorem & morbificationem monstrat.*
- *Cum furfurea hypostasi, Renum aut vesicæ exulcerationem ostendit.*

Veneta:
- *Sicut & livida facit, caloris nativi extinctionem & humidi vitalis in cinerem conversionem significat.*
- *Tenuis, Lienis obstructionem & redundantiam atræ bilis monstrat.*
- *Crassa, caloris vitalis absumptionem & bilis atræ commixtionem portendit.*

Nigrarum differentiæ.

NIGRA VRINA sicut & alba vel aquea, est extremi coloris & discessit à colore Aureo in quarto gradu. Ejus autem, ut & albæ plures sunt differentiæ; Aliæ enim colorem cornu nigri, aliæ fuliginis, aliæ atramenti, aliæ carbonis restincti colorem præ se ferunt.

3. Causæ nigrarum urinarum.

Causa nigrarum urinarum veluti & carbonum, est ignea & adurens caliditas, aut extrema refrigeratio partium nutritioni servientium, aut humoris atri, veluti sunt humor Melancholicus & menstruus sanguis adustus, permixtio; quæ causæ his notis discernuntur:

Signa diversarum causarum nigredinis.

Si urina effecta sit nigra ex adurente calore, nigredinem præcessit aut rubens aut viridis color, & semper est mortalis; si ab extrema partium refrigeratione facta sit nigra, tum præssit aut lividus aut venetus color, quæ & ipsa perpetuo est perniciosa.

Quænam urina nigra sit salubris.

Si vero ex permixtione atrorum humorum nigra est effecta, tum nigredo paulo post in fundum residet, & superficies urinæ fusca redditur, quæ non modo non est perniciosa, sed etiam salutaris, ut in sequentibus ostendemus.

De nigrarum urinarum generationibus & significationibus hi versiculi Ægidii sunt observandi:

Nigrorem urinæ faciens incommoda febris
Quartanam solvit: mortem portendit, & urit.
Si niger ad fundum residens se deprimat humor,
Matrix purgatur multi sentina cruoris:
In febre fert mortem quæ nigra est paucula
Vesicæ vitio Renum profususque remotæ.

Vrina cum nigricante spuma, pulmonis inflammationem & respirationis difficultatem ob fuliginosos vapores ostendit.

Vrina nigra:
1. *In febribus si sudor per caput & collum erumpit, præsentis mortis est indicium.*
2. *Crassa, fœtida cum purulenta ὑποστάσει, abscessum seu ruptum apostema in renibus ostendit.*
3. *Cum spuma crocea, Icteritiæ nigræ, id est scorbuti est index.*

4. In

4. *In ægritudinibus, quibus æger ex insperato esurit, cibumque appetit, est signum mortale.*

28. Viridis urina quas habet significationes?

Viridis & oleagineus urinæ colores, sunt compositi ex albo, croceo, & rubeo. Non itaque possunt ad duos extremos colores veluti reliqui intermedii remissione & extensione referri: eorum tamen causæ effectrices sicut & reliquorum, sunt aut exurens calor, aut extrema frigiditas, aut permixtio bilis prassinæ æruginosæq;, aut venenum assumptum; omnis autem urina viridis est perniciosa.

Viridis urinæ causæ.

Vrina viridis

- *Prassinæ aut æruginosæ bilis ex ventriculo in Epar attractæ copiam ostendit.*
- *Quam rubea præcessit, confusionem & ebullitionem pituitæ & flavæ bilis ab igneo calore & mortem portendit.*
- *Corpore intumescente cum anxietate & dolore ventriculi, hausti veneni est indicium.*
- *In mulierculis & puerulis παράλυσιν ac spasmum propter extinctionem caloris nativi notat.*
- *In febribus, vitalem calorem ab igneo esse extinctum & mortem imminere docet.*
- *In phrenitide, semper mortis est prænuntia.*
- *Cum sulphurea hypostasi, virulentum ulcus renum aut vesicæ monstrat.*

29. Oleaginearum urinarum significationes quæ?

Oleaginea vel oleacea urina, quantum ad colorem, paulo remissior est viridi, nonnihil ex viridi ad album tendens, veluti sunt fructus olivarum conditi, Oliven.

Oleagineæ urinæ significationes.

Quantum vero ad substantiam, crassa, lenta & pinguis est, veluti Olea, quæ & ipsa ut plurimum pernitiosa censetur.

Cum colore tum substantia urina oleaginea aut pinguedinis totius corporis aut circa renes existentis colliquationem & phtisin ostendit. In acutis febribus quarto die à morbi initio apparens, septimo die moriturum ægrum nunciat.

Cui ramenti simile, aut carnium loturæ quid admixtum est, aut phtisin, aut colicum dolorem significat.

Tabulæ judicandorum morborum ex contentis urinæ, sive rebus in urina fluitantibus.

Contenta urinarum varia.

Contenta urinæ, ut supra monuimus, dicuntur omnes materiæ & corpuscula quæ liquori urinæ permixta conspiciuntur: sive ea in superficie innatent, sive in media regione fluitent, sive ad fundum matulæ subsideant. Et talia quidem sunt Corona, nubeculæ, spuma, tela Araneorum, puncta oleacea, pinguedo, bullæ, granulæ, atomi, filamenta, squamulæ, pili, σπέρμα, Carunculæ, vermiculi, sanguis concretus arenulæ, cinis, pulvis crassiusculus, furfures, pus, ὑπόστασις, &c. in quibus potissimum consideranda veniunt, Materia, Color, causæ & significationes.

30. Significationes Coronarum in urinis quæ?

Corona est circulus in superficie urinæ per interiorem ambitum matulæ visus, quæ in salubri urina nunquam conspicitur sed in morbis, præsertim capitis, ut plurimum cernitur, colorem & substantiam diversam habens à totius urinæ liquore. Corona autem duas habet generales significationes, primum siquidem ostendit, quis humorum in sanguinea massa redundet, secundo quæ sit cerebri constitutio, & quali sanguine sit refertum. Nam

Coronæ in urinis duplex significatio.

Coro-

- *Alba & tenuis, sanguinem seroso humore commixtum, & inde catarrhum ostendit.*
- *Alba & crassa pituitoso sanguine venas esse refertas, capitisque dolores ex obstructione à pituita notat.*
- *Crocea, tenuis, biliosum sanguinem in venis contineri & capitis acerbissimos dolores ex biliosa evaporatione innuit.*
- *Rubra vel flammea, sanguinis inflammationem & vehementes dolores*

lores

na | *lores capitis in antica parte ostendit.*
Purpurea crassa, occiput cruciari ex adustione sanguinis monstrat.
Livida, atra bile refertum cerebrum, & ex hac vel amentiam vel apoplexiam metuendam monet.
Veneta, sive plumbea & cærulea, extremam cerebri refrigerationem & apoplexiam minatur.
Nigra, cerebrum atra bile infarctum, & inde apoplexiam, & citam mortem pronunciat.
Viridis, phrenitida ex vaporibus æruginosæ bilis & mortem præsentem portendit.
Trepidans post lentam commotionem urinæ Epilepsiæ est indicium.

31. Nubecularũ urinæ significationes quæ?

Nubeculæ quid denotent. *Nubeculæ seu nubes sunt umbræ quædam subobscuræ, quæ superficiei urinæ quasi incumbere instar nebularum visuntur, quarum causa est fumosa evaporatio ab æstuantibus partibus, epate videlicet aut pulmone, ad cerebrum elevata. Nubeculæ itaque perpetuo aut epatis inflammationem, aut peripneumoniam, ac anhelitus respirationisque difficultatem significant.*

32. Spuma in urinis quas habet significationes?

Spumæ in urinis significationes variæ. *Spuma est aërea vel flatuosa pars in humoribus viscosis & tenacibus contenta, quæ aut per ebullitionem, aut vehementem agitationem humorum excitatur, & in superficiem urinæ aggregatur. Fit autem ebullitio ab igneo calore, agitatio autem à flatuosis spiritibus. Humoris autem agitati tenuitas & crassities ex spuma ita dignoscitur; spuma cito resoluta & evanescens humoris agitati tenuitatem, diu vero perseverans tenacitatem ostendit.*

Hic tamen observandum, ne quem seducat urina spumosa propter

Spuma | *Multa citra commotionem urinæ innatans & perseverans, flatus plurimos in corpore vagari, ventriculumque & intestina distendi, & inde tormina, colicumque dolorem excitari docet.*
Inter mejendum prolapsa, renes & vesicam flatibus esse repletam arguit.
Alba pituitæ agitationem & à flatibus concussionem monstrat.
Citrina flavam bilem ebullire à calore Epatis & obstructionem splenis & melancholici humoris agitationem, Ictericiamq; nigram demonstrat.
Viridis prassinam bilem in epar defluxisse, illudque inflammatum esse arguit.
Livida pulmonis obstructionem & inflammationem & difficultatem respirationis significat.
Exiguarum bullarum per totam coronam urinæ disposita, cephalalgiam, id est, dolorem totius capitis; at si per medietatem Coronæ tantum, hemicraniam commonstrat.

agitationem ex itinere, dum in matula agitatur inter cundum peregre allata. Hac ratione namque & urina maxime salubris spumosa reddi potest.

33. Tela aranearum, superficiei urinæ obducta, quas habet significationes?

Sæpe tenuissima membranula telæ aranearum similis, superficiem urinæ obtegit, idque varii & viridis coloris, quæ cænosum & putrefactum sanguinem, adeoq; morbum Gallicum, capitisque dolores significat. Tela aranearum quid denotet.

34. Pinguedo urinæ innatans quas affectiones indicat?

Pinguedo instar telæ aranearum in superficie urinæ innatans, renum & pinguedinis circa renes absumptionem, & colliquationem monstrat. Pinguedo. Hipp. l. 2. Prog. 1. 6.

35. Significationes bullarum in urina quæ?

Bullæ. *Bullæ, sicuti de spuma diximus, à flatibus seu spiritibus intra capacitatem viscerum occlusis & viscidos humores ibidem concutientibus oriuntur. Bullæ itaque in urina viscidorum humorum meatus obstruentium & flatulentorum spirituum copiam significant. Verum bullæ tantum hæ significativæ sunt, quæ post refrigeratam urinam permanent, non autem quæ ex violenta commotione urinæ oriuntur.* Non omnes bullas esse significativas.

Bullæ {
Magnæ in superficie urinæ perseverantes flatus in ventriculo & intestinis & inde vomitum, rugitum & ventris tormina denunciant.
Parvæ & exiguæ per totam coronam urinæ dispositæ capitis dolorem ex flatibus, per mediam autem coronam hemicranium ostendunt, & mitiorem quidem esse dolorem, si bullæ fuerint albæ, acriorem vero si fuerint flavæ.
Versus centrum superficiei urinæ fluitantes, capitis dolores jam remitti ac solvi ostendunt.
Granis exiguis similes per coronam dispositæ, & si agitur urina, rursum ad coronam recedant, destillationem ex capite ad pulmonem vel in articulos delabentem significant.
In urinis in quibus pili infarcti esse cernantur, renum inflammationem & obstructionem notant.
In urina tenui & alba carentes hypostasi, renum à crassis humoribus obstructionem notant.

36. Granulorum in urina natantium significationes quæ?

Granulorum variæ significationes.

Granula sive grana sunt exiguæ bullæ, seminibus papaveris, aut si majora sint, sinapi similes, quæ ut plurimum in Corona sive circulo urinæ conspiciuntur, & semper cerebri destillationem capitisque affectionem significant.

Grana {
In mulierum urinis in media regione vel paulo infra superficiem submersa, gravidas eas ostendunt.
Infra mediam regionem & circa fundum innatantia, articulares morbos, & podagram ex destillatione pituitæ ad subjectas partes commonstrant.
Livida in infima regione urinæ, Lienis obstructionem ex pituitæ destillatione significant.
Majuscula in fundo matulæ ab invicem pendentia & cohærentia in mulieribus mensium suppressionem notant.

37. Atomi sive pulvisculi in liquore urinæ fluitantes quas habent significationes?

Atomi, id est, insecabilia corpuscula, similes sunt in jubare solis volitantibus, qui in hoc differunt à granulis, quod granulæ sunt exiguæ bullæ instar granorum, quæ per superficiem ac potissimum in Corona innatant: atomi vero solidioris substantiæ sunt, & per omnes regiones urinæ feruntur. Differentia inter grana & atomos. Atomi.

Atomi {
A cruda & pituitosa materia proveniunt, & generaliter articulares morbos demonstrant.
In fundo matulæ natantes podagram ex gipsea pituita significant.
In media regione urinæ pulmonis & musculorum thoracis obstructionem & respirationis difficultatem ostendunt.
In suprema regione urinæ fluitantes, cerebri obstructionem à frigida pituita & capitis dolores innuunt.
In urinis sanarum muliercularum post urinæ commotionem apparentes, & qui per quietem subsidunt & ὑπόστασιν lanæ tenuissimæ efficiunt, eas gravidas esse certò ostendunt.

Hoc ut plurimum verum est, attamen Ioh. Nævii judicium hic attendendum, qui admodum fallax indicium esse existimat, ex urina præsentem prægnationem agnoscere. Scholz. in consf. Med.

28. Filamenta in liquore urinæ fluitantia quæ significant?

Filamenta sunt particulis filorum concerptorum similia corpuscula, & alba quidem, quæ & ipsa post commotionem urinæ in vitro conspiciuntur. Filamenta ut plurimum ex membris generationi servientibus, vasis spermaticis & matrice profluunt, & ex seminis materia originem trahunt. Significant itaque seminis redundantiam & meatuum, vasorumque spermaticorum dilatationem, & ut plurimum post concubitum, & in mulieribus post albicantium mensium fluxū proveniunt. Filamenta quid denotent.

Filamenta cum dolore lumborum γονόῤῥοιαν, id est seminis profluvium significant.

39. Squa-

39. Squamæ in urina natantes quid mali portendunt?

Squamæ. *Squamæ, Græcis πεταλώδεις, piscium squamulis albicantibus aut fragmentis ovorum testis similes conspiciuntur, quæ cum febri apparentes solidarum partium ab igneo calore resolutionem, & inde tabem & hecticam febrim significant.*

Squamæ sine febri siccam scabiem plerumque portendunt.

40. Pili in urina quas habent significationes?

Pili quid significent. *Pili sive capillis similia filamenta, ubi in urinis apparent, perpetuo renum intemperiem calidam & siccam ostendunt, id quod & experientia universalis & Hippocratis dictum* 4. Aph. 76. *testatur, inquiens;* Quibus in urinis crassa existente veluti pili unà exeunt, iis à renibus excernuntur. *Generantur autem* Pilorum generatio in urina. *pili ex humoribus crassis, qui proveniunt ex alimentis concoctu difficilibus, veluti sunt caseus, pisa &c. ad renes diffluentibus, ubi à calore renum primum in fuliginem convertuntur, & per meatuum urinæ angustiam pilorum formam recipiunt. Itaque pilorum & calculi eadem est materia & causa efficiens, nisi quod renum calor in calculo extensior est.*

41. Carunculæ in urina quas habent significationes?

Carunculæ. Hipp. aph. 76. l. 6. *Carunculæ vel exigua frustula carnis in urina natantia, perpetuo renum exulcerationem ostendunt, teste* Galeno libr. 6. cap. 3. *de locis affectis.*

42. Vermiculi cum urina projecti quas habent causas?

Vermiculi in urina generantur. *Etsi rarius, nonnunquam tamen vermiculi cum lotio excernuntur, quandoque instar lumbricorum oblongiusculi, quandoque formicis, aliquando etiam iis qui in aqua cœlesti volitare conspiciuntur, similes, qui ex putrefactione humorum in cavitatibus calidioribus partium urinatoriarum collectorum generantur, veluti sunt plicæ vesicæ, aut in ulceribus sordidis cervicis vesicæ. Non enim est absurdum, quemadmodum lumbricos in intestinis, & ascarides in musculis ani, sic & vermiculos in meatibus urinæ generari.*

Sanguis in urina quid portendit?

Sanguis si recens per colem profluat, urinam suo semper tingit colore, & urinæ totus commiscetur. Si vero concretus projiciatur, tingit quidem urinam, sed ejus substantia in fundum matulæ subsidet. Vrina sanguinolenta & purulenta.

Sanguis
- *Sincerus urinæ permixtus cum dolore dextri hypochondrii, venam in Epate ruptam; cum dolore lumborum, renum exulcerationem; cum dolore pectinis sive hipogastrii, musculorum cervicis vesicæ exulcerationem esse testatur.*
- *Purulentus semper aut renum aut vesicæ exulcerationem ostendit, teste* Hippocrate 4. Aph. 81.
- *In fundo matulæ in grumos concretus, crassus & niger in mulieribus mensium fluorem indicat.*

43. Arenulæ in urinis quas habent significationes?

Arenulæ generantur & excernuntur, urinæque commiscentur, aut ex renibus, aut ex vesica. Arenæ renum ut plurimum aut rubeæ sunt, aut flavæ, vesicæ verò albescunt. Ex arenularum collectione & invicem adhæsione calculi generantur. Proveniunt autem arenulæ, aut propagatione hæreditariâ à parentibus calculosis, aut producuntur ab usu ciborum crassi & glutinosi succi. Ex glutinosis enim cibis glutinosus oritur sanguis, qui ad renes defluens per igneum calorem renum, instar laterum in fornace coquitur & indurescit. De Arenularum generali significatione extat Aphorismus Hippocratis l. 4. Aphor. 49. *inquiens:* Quibus in urina arenæ subsident, iis vel renes vel vesica calculo laborat. Arenulæ unde generentur.

Arenulæ
- *Rubeæ & duriusculæ cum dolore lumborum, calculum renum ostendunt.* Arenulæ subsidentes.
- *Albæ & duræ cum dolore pectinis, dysuriam & calculum vesicæ notant.*
- *Rubeæ & molles, parietibus matulæ adhærentes, etsi simillimæ arenis videantur, revera tamen non sunt arenæ,* Arenulæ parietibus adhærentes.

arenæ, sed assatæ partes sanguinis ex epatis inflammatione. Itaque aut præternaturalem epatis calorem, aut urentem febrem significant.

44. Cinis sive Cineritiæ resolutiones in fundo urinæ quas habent significationes?

Cineritium urinæ sedimentum.

Cinis sive Cineritiæ resolutiones sunt materia Cineri persimilis in fundo matulæ collecta, quæ ut plurimum originem ducit ex adusto melancholico humore, & melancholicas affectiones, veluti sunt hæmorrhoidum suppressiones, condylomata sive ficus ani, splenis obstructionem, &c. significant.

Cinis
- *In fundo urinæ, melancholici adusti humoris redundantiam in venis significat.*
- *In urina cum dolore sinistri hypochondrii, obstructionem ac tumorem lienis notat.*
- *Cum dolore partium podicis, aut ficum in ano, aut hæmorrhoidum suppressionem ostendit.*
- *In mulierum urinis ut plurimum mensium retentionem indicat.*
- *Nigricans & fuligine permixtus in mulieribus mensium eruptionem, fluoremque docet.*

45. Pulvis Crassus malè molito tritico similis, vel furfures quas habent significationes?

Furfuraceum sedimentum.

Pulvis crassus malè molito tritico similis, quem Græci κρίμνωδη, & furfures, qui Græcis πίτυρα, simul & exiguæ squamulæ, de quibus paulo ante dictum est, ex iisdem caussis generantur & cum urina profluunt, videlicet ex igneo calore, aut in universo corpore solidas partes depascente, aut solum renum vesicæque substantiam adurente; & quidem squamæ ex universi corporis consumptione, furfures autem & farinæ crassæ similis materia ex renibus & vesica excernuntur, ac furfures quidem rubei coloris renum, albi vero vesicæ exassationem ostendunt, & perpetuò tales materiæ cum ardore urinæ excernuntur, & febres comitantur.

46. Semen, pituitosa materia, & pus in urina quomodo ab invicem discernenda, & quales singula habent significationes?

Hæc tria urinæ contenta, semen, chymus sive pituitosa materia & Pus, ut substantia ita & colore inter se finitima sunt, quæ tamen tali ratione discerni possunt.

Seminis indicia.

Semen quia spirituosum est & leve, in fundo matulæ non subsidet, sed semper innatat, & si agitetur urina in matula, seminis materia in filamenta resolvitur. Pituita vero seu χυμὸς subsidet quidem in fundum, & caret omni fœtore: pus autem semper fœtet & residet in fundum, sed concussum resolvitur in minutas partes per totam urinam, id quod chymus minimè facit, sed compactus cohæret agitatus.

Pituitæ.

Σπέρμα sive semen urinæ innatans, aut γονόῤῥοιαν, aut concubitum antecedentem significat.

Pituitosi sedimenti.

Pituitosa materia, sive χυμὸς, instar muci crassioris, & sine fœtore in fundum subsidens, concutiatur licet projecta, vesicæ calculum & urinatoriæ viæ obstructionem demonstrat.

Pituita sine dolore profluentis urinæ, abscessum ex renibus ostendit.

Pituita innatans urinæ quid denotet.

Pituita in superiore regione urinæ natans, ex catharrho pulmonis obstructiones & tussim, respirationisque difficultatem indicat.

Pituitosi humores in media regione natantes, ventriculi & intestinorum dolores ex pituitosis humoribus innuunt.

Purulenta materia.

Pus sive saniosa materia in matulæ fundo apparens, quæ ex parte corporis profluat, ex dolore loci affecti dignoscitur.

Pus enim cum dolore pectinis cervicis vesicæ in viris & in fæminis matricis exulcerationem notat.

Pus sanguine mixtum in urinis cum dolore dextri hypochondrii abscessum epatis significat.

Pus quando salutariter cum urina excernatur.

Pus in περιπνευμονία & pleuritide abscessum seu apostematis in thorace contenti rupturam arguit & spem salutis pollicetur. Pus enim per venas ex thorace purgatur.

47. Ὑπο-

47. Ὑποστάσεων Urinarum significationes quæ?

Sedimentum quodnam propriè dicatur. Vnde proveniat in sanis.

Ὑπόστασις, Latinis sedimentum, generali significatione omne id significat quod in fundum matulæ subsidet. Verum propriè & specialiter in sanorum urinis dicitur id, quod ex reliquiis alimenti in venâ, & recrementis humorum cum urina excernitur, & à fundo matulæ ut plurimum albescens elevatur. Quod autem ab alimento hypostasis proveniat, argumento est, quia qui multum edunt & benè concoquunt, quales sunt pueri & ocio dediti, in eorum urina copiosa cernitur hypostasis; sed in ægrotantium urinis ex redundantis humoris morbumque facientis excrementis cum urina profluit, quæ humorum excrementa, non tantum hypostasin, sed totam urinam sua qualitate & copia imbuunt ac tingunt, sedimentumque urinæ aut album, aut flavum, aut rubens, aut nigrum reddunt, & tales quidem colores semper redundantis, peccantisque humoris cruditatem ostendunt, qui ubi concocti sunt, ejus ὑπόστασις perpetuo alba evadit & laudabilis. Constat itaque, ὑπόστασιν in urinis ægrotantium semper prædominantis morbumque efficientis humoris speciem, ejusdemque cruditatem & concoctionem ostendere.

Vnde in ægris. Sedimentum cruditatem denotat. Generalis indicatio sedimenti.

Sedimentum saluberrimum.

Ὑπόστασις saluberrima est alba, levis & æqualis, & continua, fundo matulæ non prorsus incumbens, sed pyramidaliter à fundo sursum elevata, & talis quidem hypostasis caloris nativi copiam, corporis æqualem temperiem, alimenti perfectam concoctionem, & exquisitam sanitatem ostendit.

Vrina carens hypostasi quid portendat.

Hypostasi carens urina caloris nativi imbecillitatem, cruditatem, meatuum urinæ obstructionem ostendit; & talis quidem urina in morbis perpetuo est mala. In sanis autem corporibus ex multa ingurgitatione talis redditur.

Hypostasis:

- *Crassa, humorum in venis crassitiem & cruditatem portendit.*
- *Tenuis, caloris nativi inopiam & concoctricis facultatis imbecillitatem arguit.*
- *Divulsa & non cohærens, flatus in corpore, impeditamque concoctionem docet.* — Divulsa hypostasis.
- *Alba & lenta incumbens matulæ, pituitæ in venis redundantiam monstrat.* — Alba.
- *Flava, crocea, sive citrina, bilem flavam in massa sanguinea exuberare nunciat.* — Flava.
- *Rubea & purpurea epatis inflammationem, in massa sanguinis exæstuationem ac corruptionem innuit.* — Rubea.
- *Nigra, veneta & livida pernitiosa est. Extinctionem enim caloris nativi, sanguinis corruptionem aut atræ adustæque melancholiæ exuberantiam arguit: Sed in mulieribus menses præternaturaliter fluentes significat.* — Nigra.
- *Orobea, id est in qua apparent materiæ legumini, quod vitium dicitur, similes, in febribus totius corporis absumptionem: circa febrem verò renum colliquationem monstrat.*
- *Furfurea sine febre, vesicæ exulcerationem, cum febre vero carnosarum partium absumptionem marcoremque ostendit.* — Furfuracea hypostasis.
- *Squamea cum febre, hecticam & solidarum partium, quales sunt venarum, arteriarum & ossis substantiæ absumptionem indicat.* — Squamea.
- *Fragmenta testis ovium similia habens, ossium à calore igneo abrasionem & hecticam notat.*
- *Diversæ substantiæ & coloris, humorum pravorum varii generis in venis confusionem significat.* — Diversi coloris.

48. Urinarum differentiæ ad rectum judicium unde sunt sumendæ, & quomodo discernendæ?

Differentiæ urinarum ratione ætatis & temperamenti

Ni Medicus differentias urinarum probè cognitas habuerit, facillimè in judicando aberrare, & ab impostoribus decipi potest. Imprimis itaque & accuratè tenere debet Medicus, utrum urina oblata sit hominis aut bruti, viri aut mulieris, fœminæ impregnatæ aut non

ægri diligenter obſervandæ.

non imprægnatæ, infantis, juvenis aut ſenis, hominis temperamento calidi, frigidi, humidi aut ſicci, quæ urinarum differentiæ hac ratione ex ſuis qualitatibus diſcerni, dijudicarique poſſunt.

Hominis urina quomodo à brutorum diſcernenda.

HOMINIS urina quanto oculis propinquior eſt, tanto craſſior; & quanto remotior, tanto tenuior apparet, quod in brutis minime contingit.

Vrina jumentorum.

IVMENTORVM urina pro pabuli ratione varias ſortitur conſtitutiones, ſed tamen omnes ſunt hominis urinæ craſſiores, turbidiores & impurioris hypoſtaſis: ex his ovium & porcorum urina non multum diſſimilis eſt hominis urinæ; & ovium urina hypoſtaſin habet amurcæ ſimilem, ſuilla autem fœtet magis quam hominis. Aſinorum urina & vaccarum & equarum, butyro liquefacto, vel oleo liquido flavi coloris ſimilitudinem refert cum craſſa hypoſtaſi. Impoſtores ſæpe ex navibus confractis aquam diu contentam & ferè corruptam Medico inſpiciendam pro urina offerunt, quæ ex colore & odore ab urina facile diſcernitur; picem enim redolet, & à pice ſubnigra apparet.

Ovilla. Suilla. Aſinina. Vaccina. Equina. Ex ſentina navium aqua ut ab urina diſcernenda.

Virorum.

VIRORVM urina ſemper colore extenſior ad aureum, & ſubſtantia tenuior ac purior & hypoſtaſi levior conſpicitur quam mulierum.

Mulierum.

Mulierum urina, etiamſi ipſa ſit ſalubri conſtitutione corporis, deficit tamen ab urina viri, ſubſtantia ſiquidem paulo craſſior & turbidior, nec ita pellucida eſt, quia magis mulieres quam viri excrementitiis humoribus redundant, colore pallidior, hypoſtaſi copioſior & albidior conſpicitur.

Prægnantium primis menſibus.

Mulierum prægnantium urina à primo menſe uſque ad ſextum geſtationis colore eſt ſubaurea, & ſubſtantia ſubturbida, cui innatant atomi, ſive pulviſculi tenui farinæ ſimiles, qui quieſcente urina, non in fundum matulæ reſident, ſed conglomerati paulo infra mediam urinæ regionem ὑπόστασιν conſtituunt, lanæ tenuiſſimè carptæ ſimilem, quæ urina commota reſolvuntur, & inſtar exiguorum granulorum aut atomorum ſurſum deorſumque in urina feruntur. Circa ſeptimum menſem mutatur coloris bonitas, & ſimilis redditur aquæ in qua pedes vitulini recenter mactati ſunt incocti. Appropinquante vero partu rubicundior & turbidior evadit urina. Verum hæc ſigna urinæ etſi imprægnationem ut plurimum oſtendunt, tamen & in ſuppreſſione menſium, & in mola matricis fallunt.

Poſtremis menſibus.

Circa tempus partus.

Signa alia imprægnationis.

Ne itaque Medicus aberret in judicanda imprægnatione, neceſſe eſt, ut diligenter inveſtiget, utrum menſes ſint retenti, mulierque ſalubriter degat, utrum laboret per intervalla faſtidio ciborum, & quandoque habeat inuſitatam appentiam, item ſi ſentiat in cruribus languedinem, item ſi ex potu hydromellis cubitum iens ſentiat tormina ventris, quæ omnia ſunt imprægnationis certiſſima teſtimonia, quæ non prægnantibus minimè accidunt.

Vrinæ mutatio juxta ætates.

PER ÆTATES mutatur urina & colore & ſubſtantia. Nam quantum procedit ætas ad ἀκμὴν ſive virilem ætatem, tantum intenditur urinæ color ab albo ad aureum, & diminuitur hypoſtaſis; & quantum procedit ætas ab ἀκμῆς uſque ad ſenectam, tantum remittitur ab aureo colore & procedit ad albedinem.

Infantium.

Infantium urina ſeri lactis albedinem refert propter humiditatis copiam & caloris nativi obtuſionem.

Puerorum.

Puerorum urina ſubaurea eſt, turbida cum copioſa hypoſtaſi.

Iuvenum.

Iuvenum & ætate florentium urina fulva eſt, inſtar puriſſimi auri, hypoſtaſi levi, alba & æquabili: Viget enim in eis calor nativus plurimum.

Senum.

Senum urina tenuis & alba eſt, cum pauca hypoſtaſi propter nativi caloris imbecillitatem.

Vrinæ mutatio juxta temperamenta & humores.

Mutatur urina & ſecundum temperamenta ſeu qualitates excellentes in corpore, ſicuti & ſecundum humoris redundantis in corpore naturam. Corporis itaque immoderata humiditas & pituitæ redundantia calorem nativum obtundit, & urinam efficit tenuem & crudam. Caliditas & bilis redundantia urinam reddit tenuem & colore imbuit croceo: Siccitas urinam extenuat, colorem inducit fulgentem & aureum. Melancholia

lia quæ frigida est & sicca, urinam facit tenuem & albam, quæ si urinæ commisceatur, fusco aut nigro eam colore tingit.

49. Impostorum dolus in judicanda urina quibus rationibus est eludendus?

Quomodo impostorum dolus animadvertendus. *Cum & color & substantia urinæ levissimis ex causis immutetur, ac inde Medicus in judicanda urina absentium maximè ægrotorum aberrare queat, & vulgus falsò putet Medicum quasi Ariolum ex solius urinæ inspectione omnia posse augurari: quin & sæpè perfidi homines, ut in Medicos liberius invehere, eosque proscindere, & apud imperitos risui exponere possint, pro hominis urina offerunt vel jumentorum, vel aliud genus liquoris, ut incautum Medicum decipiant. Quare cum tibi oblata fuerit urina absentis ægroti, & ipsa urina sit corrupta & immutata, ita ut obscurissima indicia inde sumere possis, aut quando nuncii perversitas tibi sit suspecta, ne temere ex ea quicquam pronunciabis, nisi prius per quæst.unculas nuncio propositas, de ægroti statu & morbi natura aliquid certi consecutus fueris. Propones itaque nuncio subsequentes quæstiunculas.*

Inquirenda ante judicium ex urina. I. *Vtrum urina sit viri aut mulieris, qui si nescire se dixerit, merito suspectum eum habebis, & perges in sciscitando.*

II. *Vtrum æger lecto decumbat aut adhuc obambulet, & utrum velit uti remediis; qui si responderit, non petere pharmaca, sed saltem velle se noscere morbi genus & causas, tum multo magis tibi suspectus erit, & consultum est, eum cum urina ad alium Medicum ablegare, ac prætendere tibi non satis ocii superesse, ut considerandæ urinæ operam des, &c. Præstat enim exiguo preciolo carere, quam hujusmodi hominibus gratificari & ludibrio se exponere.*

De tempore morbi. III. *Quo tempore primum decubuerit, vel quamdiu laboraverit morbo. In cujus quæstionis responsione ex serie orationis diligenter animadvertendus est articulus vel masculini vel fœminini generis quo utitur nuncius; inde enim & quod urina sit hominis & utrum sit masculi vel fœminæ deprehendes.*

IV. *Vtrum inculpatè dormiat æger. Si enim dormire posse neget ægrum, tuto pronunciare potes, caput ex vaporibus acrioribus, quibus est refertum, dolere ægrum.* De somno.

V. *Vtrum tussiat vehementius & frequentius. Tum enim pulmonem affici obstruique, pectusque aliquo morbo laborare.* De tussi.

VI. *Vtrum æger edere ac bibere inculpatè queat; qui si neget, tuto prædicere potes, ventriculum esse debilitatum, & totius morbi fontem.* De appetitu.

VII. *Vtrum siti vehementius prematur, multumque bibat; qui si siti premi ægrotum ait, hinc epar & ventriculum inflammatum esse pronunciabis.* De siti.

VIII. *Vtrum sentiat dolores aut punctiones in alterutro latere. Si enim in dextro hypochondrio doleat, epar; si in sinistro, lienem esse obstructum & affectum, certo prædicere potes.* De dolore.

IX. *Vtrum tumeat vel toto corpore vel pedes. Quod si affirmet eum toto corpore intumuisse, epar læsum esse ac refrigeratum, ac metuendum esse hydropem; si vero pedes tantum tumeant, & ægra sit mulier, quæ nondum attigit annum quadragesimum, matrice eam laborare & menses esse suppressos dicito.* De tumore.

X. *Vtrum sudet frequenter; quod si annuat, dicito morbum futurum diuturnum; totum enim corpus infarctum esse copiosis humoribus.* De sudore.

XI. *Vtrum vomat crebro. Si enim assumpta statim evomat, flava bile infectum esse ventriculum dicito. Si vero pituitosam materiam, ventriculum pituita oppletum esse pronunciabis.* De vomitu.

XII. *Vtrum satis virium adhuc habeat æger, utrumve suo marte è lecto surgere & inambulare queat. Viribus enim adhuc mediocriter constantibus, tutius & pharmaca evacuantia, & venæ sectionem suadere ei potes. Prostratis autem viribus præstat à curatione prorsus abstinere.* De viribus.

Ad hasce quæstiones ubi ordine responderit nuncius, eum post horam ad te redire jubebis, antequam ex urina quicquam pronuncies, & interim urinam diligenter juxta traditas

regulas considerabis, & cum oratione nuncii ac responsionibus conferes & ita facile deprehendes, & de genere morbi & de loco affecto, certumque judicium sine reprehensione pronuntiare poteris.

SECTIO IV.

De SIGNIFICATIONIBUS EXCREMENTORUM ALVI.

1. Excrementa alvi quid, & quæ eorum differentiæ?

Alvi excrementum est terrestris superfluitas ciborum potuumque assumptorum, in prima concoctione à chylo in intestinum segregata, & per anum à natura expulsa.

Excrementorum alvi duæ sunt differentiæ: Alia enim sunt naturalia, & salubritatem corporis ostendentia; alia præternaturalia & affectiones partium significantia.

Excrementa alvi naturalia. *Naturalia excrementa sunt cum substantia neque sunt nimium liquida neque duriuscula aut sicca, & quæ consistentiam mellis referunt, suntque continua sive cohærentia & æqualia, id est per omnes suas partes uniformia, colore moderate flava, odore non vehementer fœtida, & quæ consueto ac convenienti tempore, id est matutino post peractam concoctionem, sine difficultate sunt excreta; & talia quidem secundum naturam se habent, & inculpatam concoctionem, bonam victus rationem, & corporis salubritatem significant:* Præternaturalium excrementa. *omnia alvi excrementa ab hisce conditionibus descendentia, præternaturalia & vitiosa habentur, & affectionem aliquam significant. Etsi autem ut aliæ superfluitates omnes corporis, ita & excrementum alvi earum potissimum partium in quibus continentur & hærent, affectiones commonstrent, veluti ea quæ evomuntur ventriculi, urina renum & vesicæ, mucus narium cerebri, per tussim ejecta pulmonis, & alvi excrementa ventriculi & intestinorum: tamen, quia ventriculus & intestina cum adjacentibus partibus magnam habent connexionem, communesque meatus, (connectuntur enim cerebro per nervos & membranas, epati & lieni per venas mesaraicas, &c. ex quibus humores in intestina perferuntur, & ex earum affectione excrementa alvi immutantur,) non erit absurdum ex excrementis alvi partium connexarum affectiones dignoscere.* Quarum partium affectiones dignoscantur ex excrementis alvi.

2. Quæ sunt consideranda in excrementis alvi?

Consideranda in excrementis. *In contemplatione excrementorum alvi septem proprietates sunt consideranda.*

I. *Substantia, utrum excrementum sit durum vel molle, siccum vel liquidum.*

II. *Consistentia, utrum cohæreat vel sit divulsum, & utrum sit uniforme, vel unitarum partium.*

III. *Quantitas, utrum sit pauca vel multa.*

IV. *Color, utrum sit album, nigrum, rubeum, viride aut lividum.*

V. *Odor, utrum insolito fœtidum.*

VI. *Temporis excretionis intervallum, utrum frequenter aut rarò excernatur.*

VII. *Contenta utrum ei sint commixta sanies, sanguis, spuma, ramentum, pinguedo, vermes, &c.*

3. Consistentia excrementorum alvi quas habet significationes?

Consistentia excrementorum diversa quid denotet. *Consistentia excrementorum alia est moderata, alia liquida, alia dura sive sicca, vel cohærens, alia dispersa ac divulsa.*

Mediocris & moderata consistentia convenienti tempore excreta, naturalis est & salubritatem significat.

Liquidum & spumosum. *Liquidum excrementum cum pituitosa materia mixtum, & spumosum; aut defluxum pituitæ ex cerebro, aut ventriculi intestinorumque refrigerationem & appetentiæ prostrationem ostendit.*

Chylosum. *Liquidum instar chyli vel pultis avenaceæ, aut obstructionem venarum mesaraicarum attractricisque facultatis in eis imbecillitatem & epatis refrigerationem significat, & talis quidem morbus cœliaca nominatur.*

Crudum. *Liquidum cum crudis & non alteratis alimentis dejectum concoctricis virtutis abolitionem & ventriculi extremam refrigerationem*

tionem arguit, qui morbus λειεντερία, id est, intestinorum levitas appellatur.

Sincerum vel coloratum. *Liquidum humoris alicujus sinceri colorem referens, ut pituitæ album, flavæ bilis flavum, melancholicæ nigrum excrementum sine vehementi dolore, διάρροιαν, id est alvi profluvium pituitosum, biliosum, melancholicum significat, & provenit ex redundantia ejusdem humoris & imbecillitate retentricis virtutis in intestinis.*

Oleosum & fœtidum. *Liquidum lentum & pingue quasi oleo aut adipe perfusum ac fœtidum corporis totius aut viscerum colliquationem, & inde aut febrim hecticam, phtisin, aut pestilentem febrem ostendit.*

Cruenutm & purulentum. *Liquidum ac cruentum cum torminibus ventris portendit dysenteriam. In quo morbo primum mucus & adeps intestinorum egeritur, deinde ramenta, id est tunicæ interioris intestinorum abrasæ partes, tertio caro sive substantia intestinorum cum cruore: est etiam purulenta simul materia quæ excernitur in dysenteria, & ex acribus & erodentibus humoribus in intestina defluentibus generatur.*

Excrementum cruentum. *Cruentum excrementum sine dysenteria & tormentis sæpe ex apertis hæmorrhoidibus profluit, & tum sanguis non toti excremento mixtus est, sed per superficiem ejus tantum conspersus.*

Subcruentum. *Liquidum instar diluti sanguinis, vel quod simile est aquæ in qua lotæ sunt carnes recentes, jecoris imbecillitatem arguit.*

Grumosum sanguineum. *Grumus sanguinis cum excremento excedens sine dolore, sanguinem ex hæmorrhoidibus in rectum intestinum defluxisse, ibidemque coagulatum esse significat.*

Divulsum ac fœtidum. *Liquidum divulsum ac varium cum fœtore insolito, humorum putrefactorum & confusorum adfluxum in intestina notat.*

Liquidum ac aquosum. *Aquosum ac liquidum excrementum, ventriculi & epatis corruptionem, & concoctricis virtutis extinctionem notat, & ut plurimum est mortale.*

Viride. *Liquidum viride aut æruginosum, copiam æruginosæ vel prassinæ bilis in ventriculo ex corruptis cibis generatam ostendit.*

Duri excrementi causæ. *Durum excrementum & siccum fit, aut propter alimentorum siccitatem, ut fabarum, castaneorum, bis cocti* Zwibackt: *aut propter vehementem corporis agitationem, humiditatem in corpore consumentem, aut propter urinæ crebram & copiosam profusionem, aut propter calorem igneum totius corporis, ut in ardentibus febribus, aut propter obstructionem intestinorum, expulsivæque virtutis imbecillitatem.*

Subdurum excrementum post liquidum est bonum & salutare signum. Partium enim nutritivarum robur ostendit.

4. Colores excrementorum alvi quas habent significationes?

Naturalis excrementorum color flavus est sive citrinus. Tingitur enim à flava bile ex vesicula in intestina refluente. Omnes reliqui colores pravi sunt indicii.

Excrementum multa flava bile tinctum, redundantiam bilis flavæ, & caliditatem epatis significat. Flavum.

Croceum excrementum seu vitellinum, rubræ bilis redundantiam & epatis fervorem ostendit. Croceum.

Flammeum, igneam epatis caliditatem & mortem præsentem ostendit. Flammeum.

Æruginosum bilis prassinæ copiam in ventriculo generatam ostendit. Æruginosum.

Viridis excrementi color in pueris extinctionem nativi caloris, tam in ventriculo quam in epate ostendit, & tale quidem excrementum ex frigiditate ortum minimè fœtet, neque cum dolore dejicitur. Fit tamen aliquando & viride à vehementi adustione bilis vitellinæ, quod & multum fœtet, & cum urente ac multum pungente dolore excernitur, & semper est mortale signum. Viridis.

Nigra, æruginosa, virida & livida excrementa in morbis diuturnis perpetuo sunt & livida, & fœtida & mortalia. Nigra.

Nigrum in ardentibus febribus adustionem humorum notat, & est signum perniciosum.

Nigrum quando cum dolore & punctione adurente excernitur, melancholici humoris adusti defluxum ad intestina, & ut plurimum mortem minatur.

Nigrum ad terram projectum si fermentet aut Nigrum mortale.

aut ebulliat, & instar aceti terram erodat, atræ bilis adustionem & præsentem mortem significat.

Nigrum feci vini simile, epatis corruptionem & hepaticum fluxum ostendit.

Nigrum excrementum quando salubre.

Nigrum sine molestia, vel in die critico, vel in principio morbi dejectum, quod sequitur morbi levatio, & rursus mutatur in flavum colorem, morbi melancholici solutionem ac salutem pollicetur.

Nigra egestio in lienis doloribus, apostematis vel obstructionis apertionem indicat, estque salutare signum.

Terreum.

Terreum excrementum lienis resolutionem & fluorem ad intestina denunciat.

Album.

Album & lentum pituitæ copiam & ventriculi refrigerationem monstrat.

Album & crassum meatus ex vesicula bilis in intestina protensi, obstructionem & bilis flavæ interceptionem & per consequens icteritiam significat.

Purulentum.

Album purulentum & fœtidum tumoris interni ruptionem, & abscessum commonstrat. Locũ autem apostemate obsessum dolor indicat.

5. Contentorum sive renum commistarum excrementis quæ sunt significationes?

Contenta vel commixta excrementorum dicuntur omnia quæ præter substantiam excrementi ei sunt admixta, veluti sunt sanguis, spuma, pinguedo, ramenta, lumbrici.

Sanguis purus excretus per alvum.

Sanguis purus & multus repentè egestus cum dolore aut gravitate dextri hypochondrii, vel venam cavam obstructam esse, vel venulam in substantia epatis ruptam arguit.

Sanguis paucus excremento mixtus cum dolore hypogastrii, ulcus intestini alicujus monstrat.

Cruenta excrementa quid præter hæc significent, diximus in quæstione de significationibus consistentiæ excrementi.

Spumosum alvi excrementum.

Spumosum excrementum & album defluxionem à cerebro & agitationem pituitæ in eo, & ut plurimum vertiginem significat.

Spumosum excrementum cum aliis coloribus, ebullitionem commotionemque humorum à vehementi calore & flatibus intra intestina contentis, & inde colicum morbum aut ilion significat.

Furfuribus & lupini corticibus similis materia in excrementis conspecta, mortale est signum.

Furfuraceum mortale. Pinguedo excrementorum lethale signum.

Pinguedo vel adeps per superficiem excrementi, aut in superficie aquæ calidæ in quam dejectum est excrementum colliquationem & absumptionem, aut totius corporis, ut in hectica; aut pinguedinis circa mesenterium & in ipsis intestinis colliquationem significat. Est pingue excrementum in febribus ardentibus perpetuo mortale signum.

Ramenta in excrementis liquidis & acribus interioris tunicæ intestinorum abrasionem portendit.

Lumbrici in excrementis intestina cœnosa & putrida colluvie referta esse arguunt.

SECTIO V.

DE SIGNIFICATIONIBUS CRUORIS E VENA SECTA DETRACTI.

Venæ sectio evacuatio universalis.

Venæ sectio, ut supra diximus, est universalis evacuatio, tum quod per consecutionem ex universo corpore, tum quod omnes simul humores tam bonos quam vitiosos evacuet ac diminuet. Sanguis autem in venis ex quinque humoribus ut plurimum constare animadvertitur, sincero scilicet sanguine, bile flava, bile atra, pituita & serosa humiditate: singuli in cruore à vena detracto manifeste conspiciuntur. Etsi enim sanguis dum effluit & adhuc calore est imbutus, simplex & unicus humor apparet, tamen ubi defrixit & congelatus est, hæ quinque partes ab invicem segregantur, & singulæ in suas regiones secedunt, ut bilis quidem flava fit sanguinis concreti superficies, melancholicus humor in fundum subsidet. Sanguis autem rubeus, & pituita pallidior medium cruoris locum obtinet, & serum his omnibus supernatat.

Partes sanguinis 5.

Vt sanguis excipiendus.

Vt autem varietas & vitium sanguinis commodius dignosci queat, sanguis in venæ sectione non vulgato more in unam pelvim, sed ad minimum in tres pelviculas stanneas aut vitreatas tersas ac mundas excipiendus est, in primo videlicet, medio & ultimo profluxionis tempore. Primum enim sanguis exibit è venæ sectione ex venis proximis, & signi-

Quarum partium

indicium ex sanguine desumendum. *gnificat de partium incisarum tantum, & in eis contenti sanguinis constitutione. Qui autem in medio fluxu excipitur, sanguinis qualitatem in venis majoribus contenti ostendit. Qui vero ultimo loco excipitur, Viscerum, Epatis nimirum & Lienis crasin & constitutionem indicat.*

1. In cruore è vena secta profuso quæ sunt consideranda?

Consideranda in cruore. *In cruore jam concreto consideranda veniunt, substantia, color, odor, sapor & admixta sive contenta.*

2. Substantia cruoris quas habet significationes?

Substantia cruoris è salubribus corporibus detracti, ubi concreverit, debet esse moderata, non crassa aut tenuis, non torrida siccave aut diluta, sed moderatè concreta, non divulsa, nec nimio sero perfusa, sed moderate tantum conspersa, colore rubea, nullo tetro odore imbuta, & sapore dulcis.

Sanguis retorridus quid significet. *Sanguis in superficie siccus & retorridus nulloq; prorsus humore perfusus, siccam corporis temperiem à præternaturali calore ostendit.*

Crassus & lentus. *Sanguis crassus, lentus ac tenax, pituita crassa ac viscida corpus refertum indicat, unde obstructiones metuendæ, quas comitatur putrefactio & febris.*

Non concrescens. *Tenuis vel dilutus sanguis qui non concrescit, corpus corruptis humoribus repletum & omnes fibras in sanguine esse corruptas & direptas.*

Sanguis qui non facile finditur, crassus est & tenax, & pituitæ lentæ copiam monstrat.

Sanguis è contra qui facile finditur, tenuis est & plus justo aquosus.

Sanguis qui fissionem non patitur, sed statim ubi attingitur totus in partes discerpitur, putrescere omnes humores in venis ostendit.

Colores sanguinis varii. 3. Colores cruoris quas habent significationes?

Floridus. *Rubicundus & per superficiem æqualiter floridus color durescentis sanguinis boni & saluberrimi est index.*

Citrinus. *Citrinus color bilis flavæ exuberantiam in sanguinea massa notat.*

Albus. *Ad albedinem vergens color, pituitæ naturalis redundantiam ostendit.*

Lacteus lethalis. *Lacteus color sanguini admixtus nativi caloris extinctionem ostendit, & mortem præsentem minatur.*

Niger. *Niger, lividus aut plumbeus color atram bilem exuperare in corpore notat & putrefactionem.*

Variegatus. *Varii coloris cruor variorum humorum confusionem in sanguinea massa ostendit, & si contactu cruor resolvatur in partes exiguas, extremam putredinem humorum in venis declarat.*

Infima pars sanguinis ut plurimum nigra est. Fex enim & terrestris pars sanguinis subsidet, & quanto copiosior, eò feculentior est sanguis: eadem fex sanguinis variis coloribus, rubeo, lacteo, livido, nigro est imbuta, & easdem habet significationes cum prædictis coloribus.

4. Odor sanguinis quas habet significationes?

Sanguis naturalis inodorus. *Sanguis in venis inodorus est, nisi forte à fragrantibus assumptis, vehementer olentibus pharmacis, quales sunt moscus,* Bisem *& asa fœtida, aut continuus esus allii, suo odore sanguinem imbuant.*

Fœtidus malus. *Ubi præter hæc sanguis fœtet, & gravius olet, putredinis deploratæque corruptionis humorum in venis est indicium.*

5. Sapor sanguinis quas habet significationes?

Etsi sanguis haud degustari soleat, tamen si cui in os fortè inciderit, aut aliquem juvet sponte periculum facere, qualis sit sanguinis sapor, & ex sapore redundantiam humoris prædicere is noverit,

Dulcem saporem ostendere salubrem & naturalem sanguinem.

Amarus sanguis flavæ bilis redundantiam arguit.

Acidus aut stipticus, melancholici humoris dominatum monstrat.

Insipidus pituitam exsuperare arguit.

Salsus, pituitæ salsæ cum sanguine mixtionem docet.

6. Admixta seu contenta in cruore quas habent significationes?

Admixta sanguini. *Admixta sanguini sunt serum, aqua citrina, spuma, bullæ, grana arenosa, pinguedo, pellicula telis aranearum simili tecta.*

Serum albicans. *Serum* (Waddicke) *vel aqua albicans,*

con-

concreto sanguini innatans, vel epatis imbecillitatem & refrigerationem, ut in hydrope, vel renum attractricis facultatis debilitatem, obstructionemque, aut in calculo, aut multam potus ingurgitationem significat.

Citrina aqua. *Aqua citrina cruori innatans, bilis flavæ ex sanguineæ massa non sufficientem segregationem ab epate & præternaturalem epatis constitutionem arguit.*

Spuma. *Spuma cruori concreto adhærens, aut fervorem incendiumque, aut agitationem vehementem à flatulentis spiritibus in venis inclusis eum humorem cujus colorem refert, commonstrat, aut rubra spuma sanguinis, citrina bilis flavæ, alba pituitæ, livida & subnigra melancholiæ.*

Bullæ magnæ. *Bullæ magnæ per superficiem cruoris, adulterinos spiritus in venis inclusos arguunt.*

Granulæ. *Granulæ aut arenæ si in fundo pelvium in cruore deprehendantur, lepram & elephantiasin, aut morbum Gallicum notant.*

Pinguedo. *Pinguedo aut adiposa materia per summam partem cruoris diffusa, quæ obducta est pellicula aranearum telis simili, in obesis corporibus nihil insoliti, in macilentis autem adipis colliquationem & marcorem totius corporis innuit.*

7. Observatio cruoris quas habet utilitates?

Vtilitas inspectionis sanguinis. Hoc in morbis pestilentialibus malum est indicium, indicatnamque in spiritibus esse malignitatem. *Diligens observatio cruoris è vena missi magnam habet utilitatem in morbis curandis ab humoribus ortis. Inde enim facile dignosci potest, utrum corpus sit plethoricum aut cacochymicum. Nam si omnibus pelviculis æquè rubicundus & inculpatus cernitur sanguis, plethoram significat & uberiorem exigit venæ sectionem. Si vero vitiosus est sanguis, κακοχυμίαν ostendit, & prædominans vitiosus humor ex colore sanguinis dignoscitur, qui expurgari propriis pharmacis postulat.*

SECTIO VI.

DE SIGNIFICATIONIBUS SUDORIS.

Sudor quid. *Quemadmodum urina est serosior superfluitas sanguineæ massæ in epate generatæ à renibus attracta: ita sudor est aquosior portio sanguinis in venis contenti & ad extremitates venarum in cutem desinentium propulsa, quam natura in morbis per cutis spiracula excernere consuevit, ex cujus constitutione & modo profluxionis non contemnenda judicia sumi possunt de natura & terminatione morborum.*

1. Sudores quibus facilè aut difficilè erumpunt, & quibus morbis sunt proprii?

Quibuscunque epar aut lien calidus est & humidus, sive salubriter degant sive ægrotent, iis ex quavis causa sudores facile defluunt. Quinam facilè sudare possint. *E contra quibus epar aut lien vel emarcuit aut scyrrho obduruit, aut vehementer est obstructus, veluti fit in hydrope, icteritia, & καχεξία, iis sudor difficile aut arte elici aut natura propelli potest.* Quinam difficulter sudent. *Plurimis autem morbis adeoque omnibus febribus maximè ardentibus, sunt sudores proprii ac familiares, ac in febribus quidem aut solutionem aut commutationem febris significant.*

2. In sudoribus quæ sunt consideranda, & quot sunt sudorum differentiæ?

In sudore consideranda. *In sudore consideranda veniunt Tempus, quo videlicet tempore morbi profluat. Modus, quomodo erumpat, an criticè vel symptomaticè. Qualitas, ex qualitate enim sudoris humores vitiosi dignoscuntur. Explorandum itaque est utrum sudor sit calidus vel frigidus, mitis vel acer, tenuis vel crassus, fœtidus aut suavis.*

Differentiæ sudoris. *Sunt autem duæ sudorum differentiæ à modo desumptæ, alius enim est criticus, alius symptomaticus.*

Criticus sudor quando dicatur. *Criticus sudor est qui in κρίσει naturæ propulsione, expultricisque facultatis robore propellitur, qui naturalis & salutaris est. Vt plurimum enim morbi levamen aut solutionem secum adfert: is qualitate calidus est, & incipit à capite, deinde à reliquis etiam partibus sensim & copiosè emanat. Talis sudor fit in fine paroxysmorum febrilium & in criticis diebus.*

Symptomaticus sudor. *Symptomaticus sudor omnis præternaturalis est & insalubris. Est autem symptomaticus qui alio quovis tempore ac modo quam in κρίσει procidit, ut cum in morbi initio aut*

ante

ante κρίσιν, aut ante signum concoctionis, aut in una sola aliqua corporis parte sponte profluit. Talis enim & naturæ debilitatem & humoris peccantis exuberantiam & morbi diuturnitatem minitatur.

3. Qui sudores sunt boni & salubres, & qui è contra mali & insalubres?

Sudoris salutaris indices.

Sudores boni ac salutares in morbis sunt: I. *Qui in die critico profluunt.* II. *Post signa concoctionis.* III. *Post alvi evacuationes.* IV. *Non frigidi nec ardentes.* V. *Non crassi aut tenues nimis.* VI. *Non intercepti, id est, modo apparentes modo evanescentes.* VII. *Ex toto corpore æqualiter profluentes.* VIII. *Non insolitè fœtidi.* IX. *Morbi levamen & febris solutionem adferentes.*

4. Sudores mali ac insalubres qui?

Sudoris insalubris notæ.

Videatur Hippocr. in prognost. lib. 1. cap. 11.

I. *Omnes extra κρίσιν emanantes, ut in initio morbi sudores mali sunt.* II. *Nondum peracta concoctione prodeuntes.* III. *Frigidi sunt pessimi; animi enim deliquium adferunt.* IV. *Qui circa caput, faciem & cervicem tantum erumpunt; hi enim in acutis febribus mortis sunt indices; in morbis vero mitioribus morbi longitudinem arguunt.* V. *Fœtidi sunt mali; humorum enim putredinem & corruptionem in venis ostendunt.*

SECTIO VII.

DE SIGNIS ASTROLOGICIS IN ARTE MEDICA SCITU NECESSARIIS.

1. Ad morborum naturam & eventus cognoscendos, prodestne Medico observatio signorum Astrologicorum?

Humores augeri & diminui juxta Lunæ motum & mutationem.

Cum universalis experientia luculenter testetur, juxta Lunæ incrementum & decrementum, non tantum in corporibus animantium, sed & in stirpibus & arboribus augeri & diminui humores, & juxta qualitatem signorum in quibus progreditur Luna, juxtaque naturam planetarum Lunam irradiantium; humores quoque alterari, nemo inficias ire potest, Astrologicas observationes non prorsus scrupulosas in morborum naturis & eventibus dignoscendis non modo utiles, sed & necessarias esse.

2. Quo tempore morbi signa cælestia sunt consideranda, & quot sunt morborum tempora?

Tempora morborum observanda.

Morborum tempora sive ætates sunt partes morbi, quæ successionis vicissitudine mutantur, augentur, ac diminuuntur, quorum curatione observatio Medico in morborum agendi modum indicat, id quod Hippocrates 2. Aphor. 29. *innuit, ubi inquit:* Cum morbi incipiunt, si quid movendum videtur, move. Cum vero consistunt morbi ac vigent, quiescere melius est.

4. Morbi tempora.

Morborum autem tempora quatuor constituuntur à Medicis, principium, augmentum seu incrementum, ἀκμὴ id est status sive vigor, & declinatio.

Principium.

Principium est morbi prima invasio, in qua primum læduntur actiones: Quod in morbis longis usque ad signa concoctionis extenditur.

Augmentum.

Augmentum est in quo magis magisque læduntur actiones & severiora redduntur symptomata.

Vigor.

Vigor, status, ἀκμὴ, est in quo ad extremam debilitatem redacta est natura, & quasi cum morte decertare videtur.

Declinatio.

In declinatione nemo ordinariè moritur.

Declinatio est quando morbus remitti & natura robustior fieri conspicitur, signaque concoctionis manifesta apparent. Nemo autem in declinatione, nisi vel errore Medici, vel prava victus ratione mortuus est. Finis declinationis, morbi solutio nominatur. Fit autem morbi declinatio ut plurimum post criticam aliquam evacuationem. Et hæc quidem sunt tempora universalia morborum; verum morbi periodici, id est, per circuitus redeuntes, veluti sunt febres omnes intermittentes, epilepsia, & quicunque certos recurrentes habent paroxysmos, id est, accessiones sive exacerbationes: Tales quoque morbi præter illa universalia tempora, sua habent & particularia tempora, in quæ singuli paroxysmi dividuntur, cum externæ partes refrigerari

Morbi periodici qui.

Morborum periodicorum tempora particularia.

rari incipiunt, adest oscitatio & horror: augmentum est ubi frigus remittit, & calor febrilis accenditur. Status seu vigor est ubi flagrans æstus totum corpus occupavit: declinatio est quando calor remitti sentitur. Verum paroxysmi vocabulum sæpe ab autoribus pro tota duratione febris ab invasione usque ad remissionem caloris usurpatur, ut apud Hippocratem, qui inquit: In paroxismis à cibo abstinere oportet. *Quanquam lethales morbi & peracuti, veluti sunt pestis & apoplexia, talia tempora non consequuntur, quantum ad sensum, sed statim in principio interimunt. In mitioribus autem morbis quoque ope medica impediri hæc tempora possunt, vel ad pauciora redigi, ita ut neque augmentum neque statum consequantur.*

Hipp. lib. 1. aph. 11.

Medicus aliquando abbreviare morbi tempora potest.

Signa porro cum παθογνωμονικὰ supra recitata, tum Astrologica subsequentia duobus potissimum temporibus morbi sunt diligenter observanda, in morbi nimirum principio & in vigore sive statu, & omnium maximè in diebus criticis. Crisis autem ut plurimum in vigore fit, ac tum certis signis dijudicatio fit, utrum moriatur æger vel sanitatem recuperet.

Quando signa in morbis attendenda.

3. Quid est κρίσις, & quæ sunt signa futuræ κρίσεως, & quæ criticæ evacuationes ea signa comitantur?

Crisis quid.

Κρίσις, judicium, est vehemens & subitus motus morbi contra naturam, & naturæ contra morbum, ita ut subita fiat morbi mutatio vel ad sanitatem vel ad mortem.

Quomodo contingat.

Est itaque κρίσις pugna & duellum inter naturam & morbum in qua Medicus ex certis signis judicare & prædicere potest, utrum natura morbum vel morbus naturam superet. In omni κρίσει fit turbatio totius corporis, quam subsequuntur excretiones sive naturales evacuationes, quas si comitetur morbi mitigatio, naturam vicisse indicio erit.

Signa futuræ κρίσεως in morbis & ea consequentes evacuationes in hisce Tabellis comprehenduntur.

Signa mox subsecutura crisis.

Signa critica sunt,
- *Respirationis difficultas,*
- *Perturbatio rationis,*
- *Caligo & alieni coloris in oculis observatio,*
- *Oculorum rubor,*
- *Genarum insolita rubedo,*
- *Lacrymæ spontaneæ,*
- *Dolor calidus & pulsans capitis,*
- *Dolor cervicis,*
- *Anxietas & inquietudo,*
- *Labri inferioris tremor,*
- *Somnus profundus,*
- *Vehemens sitis.*

Species evacuationum criticarum.

Evacuationes criticæ fiunt aut per
- *Sudorem largum,*
- *Alvi copiosam dejectionem,*
- *Vomitum insignem,*
- *Sanguinis fluorem è naribus,*
- *Urinæ copiosam emissionem,*
- *Mensium perruptionem,*
- *Hæmorrhoidum apertionem,*
- *Tumorem seu abscessum,*
- *Cutis efflorescentiam,*
- *Scabiem siccam.*

4. Quibus in morbis tales contingunt criticæ evacuationes, & quæ earum salubres & perniciosæ?

Quando crisis exspectanda.

Non in omnibus morbis fit crisis, sed in iis duntaxat qui ex vitiosis generati sunt humoribus, & in frigidis ac borealibus regionibus rarissimè exspectantur criticæ exactè evacuationes. Ubi autem in aliquo morbo contingunt, juxta humorum varietatem & loci affecti naturam, variantur & ipsæ evacuationes, ut qui sanguine copioso referti sunt, iis in morbis critica evacuatio contingit, aut per sanguinis è naribus profluvium aut per phlegmonas, aut per cutis efflorescentiam, & ex iis ut plurimum antecedunt signa, dolor capitis, oculorum, genarumque rubor, color rubeus aut splendidus oculis obversans.

Diversitas crisis unde contingat.

Plethoricorum crisis qualis esse soleat.

Qui flavæ bilis copia molestantur in morbis, illis critica evacuatio contingit, aut per biliosas alvi dejectiones, aut per biliosum vomitum, aut per cutis totius pruritum scabiemque siccam.

Biliosorum crisis.

Qui

tom j Pag 115



Ll 2

P2

Pituitosorum crisis. *Qui pituitæ vitiosæ exuberantia laborant, eos evacuat natura in κοιλίαν, aut per vomitum pituitosum, aut per tumorem pedum, aut per œdemata.*

Melancholicorum crisis. *Qui vitiosa atra bile infestantur, iis in κοιλίαν fit evacuatio, aut per nigras alvi dejectiones, aut per hæmorrhoides, aut per tumores lividos ac nigros.*

Serosorum crisis. *Qui offenduntur serosa humorum superfluitate, iis in critico die copiosus sudor profluit.*

Qualis contingat crisis in partium quorundam affectibus. *Iuxta partis affectæ quoque naturam ex capite per sanguinis è naribus eruptionem, ex ventriculo per vomitum, ex epate & splene per alvi dejectionem & urinam, ex renibus & vesica per solam urinam, ex utero per eruptionem mensium semper fit critica evacuatio.*

Duo in omni crisi observanda. *Porro in omni Crisi, criticaque evacuatione duo sunt potissimum consideratione digna: 1. Vires ægrotantis, quæ per pulsus Arteriarum: 2. Concoctionis signa, quæ ex urina & excrementorum alvi constitutione dignoscuntur.* Quando bona crisis speranda. *Viribus enim constantibus & signis concoctionis apparentibus, si critica evacuatio in morbo contingat, fiatque per vias convenientes pro natura partis affectæ, certissima spes sanitatis promittitur.* Quæ crisis sit perniciosa. *Econtra perniciosæ & lethales sunt Criticæ evacuationes, quæ fiunt viribus lapsis & prostratis, signis cruditatis apparentibus non per naturales vias prodeuntibus, & post quas nulla fit morbi mitigatio,* Facies. Hippocratica lib. 1. sing. c. 11. *fiatque cum difficili respiratione, rationis perturbatione, & naso acuto, oculisque concavis, genisque collapsis existentibus, quæ ferè omnia signa sunt præsentis mortis.*

5. Qui dies morborum habentur Critici, & quæ est causa cur aliis diebus magis minusque commoveantur humores.

Dies critici quinam. *Hippocrates & Galenus satis scrupulosè morbi dies in tres septimanas dividunt, & primæ septimanæ attribuunt 7. dies, secundam septimanam numerare incipiunt ab octavo die & numerant usque ad 14. sed tertiam septimanam non per successionem, ut priores duas à 15. die numerant, sed à fine secundæ septimanæ, videlicet die 14. numerant usque ad 20. & ita finalem diem cujuslibet septimanæ pro critico die constituunt. Sunt autem finales dies trium septimanarum 7. 14. & 20. & ita deinceps. Verum nullas addunt demonstrationes, & experientia testatur, sæpe non hisce diebus, sed 8. 15. & 21. criticas fieri evacuationes: longe autem certior est supputatio Ptolomæi, qui & certas rationes addit & cum experientia congruit.* Ptolomæi sententia de diebus criticis. *Causas autem dierum criticorum Ptolomæus refert ad motum Lunæ. Cum enim Luna sua insita virtute in corporibus animantis gubernet ac moderetur; Sol vero suo calore spiritus vitales regat, in conjunctione & oppositione quadratoque aspectu horum duorum corporum variæ fiunt mutationes & conturbationes humorum in corporibus nostris.* ☌☍ & □ ☉ & ☾ variè mutant corpora. *Itaque in initio morbi primum ex Diario vel Ephemeridibus inspiciendus est & locus Lunæ in quo nimirum signo progrediatur & signum huic oppositum, in quo perpetuo fit crisis. Opposita vero signa ex hoc versiculo cognosci possunt. Ar: Li: Tau: Scor: Ge: Sa: Can: Ca: Le: A: Vir: Pis: Signa enim opposita sunt critica.*

Causæ dierum criticorum Astrologicorum. *Opposita autem signa attingit Luna suo motu circa 20. aut 21. diem. Similiter Luna ubi tria signa confecit, id est 90. gradus Zodiaci à signo in quo ægrotare cœpit, id quod septimo die vel octavo contingit, fit iterum crisis, quia ex quadrato irradiatur à Sole. Si autem morbus extendatur ab opposito signo rursum ad quadrantem, iterum crisis est exspectanda. Summa primum quadratum Zodiaci conficit Luna septimo vel octavo die, secundum quadratum attingit 20. aut 21. die: Hæc autem omnia in sequenti Schemate uno intuitu facile deprehendi possunt.*

Hic inserendum Schema.

Vsus præcedentis Tabulæ. *In præsenti Schemate duæ continentur Tabulæ, inferior stabilis, & superior mobilis. In inferiori tabula habentur 4. circuli, quorum primus & extremus ex intervallis nigris & albis constans, gradus signorum continet. Secundus circulus numerum graduum cujuslibet signi complectitur. Tertius*

Characteres signorum Zodiaci habet, quartus qualitates signorum indicat. Superior & mobilis Tabula quæ pinnam habet eminentem, & hæc ipsa quatuor circulos complectitur, quorum exterior & primus ex albis & nigris intervallis constans dies mensis, secundus numerum dierum, tertius officia vel affectus dierum, & quartus ac Medicus aspectus & dierum & signorum ob oculos ponit. In principio itaque morbi inquirendus est in usitatis diariis locus Lunæ, & pinnula superioris Tabulæ ad hunc gradum signi, in quo est Luna revolvenda, ac tandem pinnula seu index membranea ex centro superioris Tabulæ protensa, eousque dirigenda, donec ad quadratum aut oppositum signum Luna pervenerit, ubi & dies & hora & minuta crisis se ultro offerunt.

6. Quid de morborum qualitate & eventu præsagiendum ex Lunæ in singulis signis Zodiaci constitutione & Planetarum irradiatione in principio morbi?

Vt juxta Lunæ motum humores moveantur.

Vniversalis experientia edocuit juxta qualitates signorum Zodiaci, in quibus Luna in principio ægritudinis movebatur, morbos ex humoribus potissimum ortos iisdem qualitatibus cum signis imbutos esse, & juxta oppositiones, conjunctiones, quadraturas, maximas morborum fieri mutationes, præsertim si Lunam Planetæ feliciter aut infortunatè fuerint intuiti. Quid autem ex motu Lunæ in singulis signis Zodiaci & naturis planetarum malignorum Lunam aspicientium sit vaticinandum, id sequens tabula docebit.

Tabula de eventibus morborum, juxta Lunæ motum in 12. signis Zodiaci.

☽ in ♈ cum ☍ vel □ ☉ vel ☌ quales significet morbos.

Si quis ægrotare cœperit, Luna existente in Ariete, & aspiciente Solem vel Martem ex opposito vel quadrante aspectu, aut si fuerit Luna iisdem conjuncta, morbus erit in capite ex præternaturali calore ortus cum febre ardenti & præcordiorum inflammatione, siti vehementi, & mentis alienatione; ac nisi per venæ sectionem & alia convenientia pharmaca auferatur causa morbi, morietur æger, ubi Luna ad quadratum aut oppositum signum pervenerit.

☽ in ♈ cum ☌ ☍. vel □ ♄.

At si Luna Saturno sit juncta vel Saturnus eam opposito vel quadrato aspectu intueatur, morbi causa erit, aut refrigeratio cerebri, aut crassorum, frigidorumque humorum in capite collectio, quam comitatur capitis gravitas, catarrhus, tusses, lentæ febres, & intempestivi sudores: moritur æger nisi à benignis Planetis in opposito & quadrato signo Luna fuerit septa.

☽ in ♉ cum ☍ vel □ ♂.

Quicunque inciderit in morbum, Luna Taurum peragrante, ut plurimum partes in colo contentæ hinc afficiuntur, & si in initio morbi Lunæ conjunctus, vel eam aspiciat quadrato aut opposito aspectu Mars, morbi causa erit redundantia & ebullitio sanguinis, ex qua concitatur continua febris, constipatio corporis & continuæ vigiliæ; cui nisi tempestivè medica ope occurratur, aut in quadrato opposito signo Lunam benigni Planetæ feliciter intueantur, moritur æger ante oppositionem aut novam conjunctionem Lunæ cum Sole.

☽ in ♉ cum ☌ ☍ vel □ ♄.

Si vero Luna in Tauro existente Saturnus sit conjunctus vel eam ex opposito quadratoque respiciat, morbi origo erit ex crapula & cruditate, cruditatem sequitur putrefactio, putrefactionem febris cum dolore hypochondriorum & articulorum, & si in quadrato vel opposito signo Mars Lunam intueatur, moritur æger. Sed si tum irradiata fuerit à benignis Planetis, æger periclitatus servabitur, tamen præsertim ubi accesserit Medici fortunati industria & fides.

☽ in ♊ cum ☌ ☍ vel □ ♂.

Luna in Geminis initio morbi existente, si ei sit conjunctus vel eam opposito aut quadrato aspectu feriat Mars, morbi causa erit bilis rubræ effusio, quam comitatur febris tertiana, sitis vehemens & vigiliæ; & si Luna non fuerit irradiata à benignis Planetis cum pervenerit ad quadratum locum aut oppositum, ejus loco in quo fuit initio morbi, moritur æger. Saturno vero conjuncta si fuerit Luna, vel ex opposito aut quadratura eam aspiciat, universum corpus dolebit, & continuis vigiliis instabitur, splenisque dolores & tumores sentiet, & morbus erit diuturnus; ac nisi medicamentis succurratur, aut Luna in opposito loco fortuna-

☽ cum ☌ ☍ vel □ ♄.

tunatis planetis conjungatur, occidit æger intra 30. dies.

☽ in ♋ cum ☌ ☍ vel □ ♂.

Si quis inciderit in ægritudinem Luna in Cancro progrediente, eique adjunctus sit Mars, vel eam ex opposito aut quadrante aspiciat, morbum ex ebullitione exassationeque sanguinis & bilis flavæ effusione ortum esse ostendit, quam & febris & crebri vomitus subsequuntur, & nisi in sequenti quadratura aut oppositione, Luna à benignis Planetis illustretur, & certis præsidiis medicis morbi causa removeatur, ægrum succumbere necesse est; ubi autem Luna in Cancro existens à Saturno iisdem aspectibus irradiata fuerit, morbi causa erit vehemens refrigeratio vel ab aëris vel balnei intemperie, quam comitatur catarrhus ad thoracem defluens, & tussis dolorque ventriculi, qui morbus non caret periculo, si priusquam Luna attingat oppositum signum, à benignis Planetis circumsepta non fuerit.

☽ in ♋ cum aspectu ♄.

☽ in ♌ cum aspectu ♂.

Si quando Luna in morbi principio Leonis signum obtineat, & Martem sibi habeat aut adjunctum, vel ex opposito aut quadrato eam irradiata fuerit, morbi origo erit ab inflammatione sanguinis, & æger molestabitur continua & periculosa febre, fastidio ciborum & fluxione alvi, & si Sol simul jungatur Lunæ aut ei opponatur, cor & epar exardescunt & capitis cruciatus excitant, & si in sequenti oppositione aut quadrato à benignis Planetis Luna destituatur, ægrotus interibit.

☽ in ♌ cum ☌ vel ☍ ☉.

Cum ☌ vel ☍ ♄.

Si vero Saturnus Lunæ in Leone sit junctus, aut eam adversis radiis feriat, æger lienis obstructione & intemperie calida laborabit, cui & febris quartana succedit. Eventus autem morbi ex natura Planetarum, qui Lunam feliciter aut infeliciter irradiant, ubi pervenerit ad quadratum aut oppositum signum, dignosci & dijudicari potest.

☽ in ♍ cum conspectu ♂.

Si quispiam decumbat vel ægrotare incipiat dum Luna est in Virgine, & Mars ei conjunctus, vel eam aspectu opposito aut quadrato intueatur, tum æger alvi fluore, dysenteria & intestinorum exulceratione laborabit, & postratam habebit appetentiam; in opposito signo si Lunam aspexerint malitiosi Planetæ, periclitabitur ejus vita; benignis autem planetis eam intuentibus, periclitatus tandem servabitur. Vbi vero in eodem signo Saturnus infaustus radiis Lunam feriat, morbi causa erit cruditas ventriculi, quam tormina sequentur intestinorum. De eventu vero morbi ex natura Planetarum in sequenti oppositione Lunam intuentium judicium est ferendum.

☽ in ♍ cum aspectu ♄.

☽ in ♎ cum aspectu ♂.

Luna ubi in principio ægritudinis in Libræ signo fuerit constituta, & Mars ei aut copuletur, aut ex opposito quadratoque signo eam intueatur, morbus ex πλήθορα & ebullitione sanguinis ortum habebit, & intensa ac continua febri molestabitur. Adsunt & vigiliæ, & nisi sanguinis detractione & medicamentorum convenienti applicatione tollatur ægritudinis causa, moritur æger, ubi Luna pervenerit aut ad quadraturam aut ad oppositum signum. Saturno vero Lunæ conjuncto, aut eam hostiliter aspiciente, morbi causa ex helluatione, & nimia vini calidorumque potatione morbus fuit exortus, quam subsequuntur dolores capitis, oculorum rubedo, destillationes cerebri in pulmonem, & vehementes tusses; sed convalescet æger nisi erret in victus ratione, aut in opposito signo Mars Lunam hostiliter feriat.

☽ in ♎ cum aspectu ♄.

☽ in ♏ aspectu ☉ vel ♂.

Quicunque inciderit in morbum Luna in Scorpio progrediente, si prædictis aspectibus Lunam Mars aut Sol irradiet, morbi causa erit inflammatio putridorum humorum, seu febris putrida à vesicæ obstructione aut calculo. Evadet autem æger, nisi simul infausto intuitu Saturnus suum virus in Lunam infundat, ubi Luna ad quadratum vel oppositum signum pervenerit. Verum si Saturnus Lunæ sit conjunctus, aut tetris radiis eam feriat, morbus erit aut bubo inguinum, aut inflammatio, aut exulceratio obscœnarum partium, aut hæmorrhoidum apertio, quæ affectiones ut plurimum contingunt ex putrefactione humorum, aut ex veneni haustu. Eventus morbi ex sequentis oppositionis constitutione & planetarum natura dijudicandus erit.

☽ in ♏ cum aspectu ♄.

☽ in ♐ cum aspectu ♂.

Luna in principio morbi currente in Sagittario, si Mars conjunctus ei sit aut quadrato oppositoque aspectu eam intueatur, morbus erit ex calida intemperie aëris, aut balnei, aut ex crapula, cui accedit dolor capitis totiusque corporis, & vomitu fluxuque ventris æger infestabitur.

☽ in ♐ cum aspectu ♄.

Saturnus verò si fuerit Lunæ conjunctus aut oppositus, morbus originem ducit ex acribus & tenuibus cerebri destillationibus, & secum affert febres, in quibus externa quidem frigent, interna vero ardent & articulorum dolores.

☽ in ♑ cum aspectu ♂.

Vbi Luna in initio morbi Capricornum occupaverit, & ei conjunctus sit Mars, vel eam ex opposito aut quadrato aspexerit, æger ventriculi cruditate & bilis prassinæ vomitione laborabit, cui accedit & ardens febris, in quadratura aut oppositione fit mutatio morbi, juxta naturam Planetarum, qui tum aspiciunt Lunam.

☽ in ♑ cum aspectu ♄.

At si Saturnus in eodem signo Lunæ sit conjunctus aut hostiliter eam feriat, morbus ortum habet ex frigida intemperie, quam consequitur tenuium humorum destillatio ad thoracis partes & inde tusses nocturnæ. Morbus erit diuturnus, convalescet tamen æger, si modo benigni Planetæ in opposito signo eam aspexerint.

☽ in ♏ cum aspectu ♂

In initio ægritudinis si Luna in Aquario sit collocata & eam Mars radiis suis infeliciter feriat, æger laborabit aut icteritia, aut scorbuto, tibiarumque calidis humoribus, si Lunam benigni planetæ aspexerint, ubi ea ad oppositum signum progressa est liberaliter æger.

☽ in ♏ cum aspectu ♄.

Saturnus vero Lunæ eodem signo conjunctus, aut oppositus in initio morbi, tunc causa morbi erit melancholici humoris redundantia, aut lassitudo & defatigatio. Convalescet autem æger antequam Luna oppositum signum attingat.

☽ in ♓ cum aspectu ♂.

Luna si fuerit in piscibus in principio morbi, & eam infeliciter intueatur Mars, morbus originem ducit ex ebullitione sanguinis & bilis flavæ, cujus primitiva causa erit helluatio & crapula. Flagrabit æger, vigiliisque infestabitur atque siti, & moritur æger ubi Luna oppositum attingit signum, nisi à benignis Planetis circumsepta fuerit.

☽ in ♓ ☌ vel ☍ ♄.

Saturnus autem in piscibus Lunæ vel adjunctus, vel in opposito signo collocatus, ostendit morbum esse ex frigida intemperie natum, qui cum capitis dolore & ventriculi imbecillitate est conjunctus, & nisi Lunam aspiciant benigni Planetæ, antequam in oppositum signum pervenerit, succumbet ægrotus.

7. Unde sumuntur præcipua signa salutis & mortis in gravioribus morbis?

Comparatio inter naturam & morbum.

Morbi graviores sunt similes ponderibus seu oneribus molestissimis. Natura autem humana portatori seu bajulo onerum est similis. Metæ ad quas ferendum est onus, sunt vel dies critici, vel oppositionis, conjunctionisque Solis cum Luna à principio morbi. In signis itaque salutis & morbis investigandis primum metæ sunt inspiciendæ.

Deinde morbi magnitudo & robur virium considerandum est, quorum collatione facile Medicus & de salute & de morte ægroti aliquid certi vaticinari potest. Si enim vires ægrotantis tantæ sint, ut onus & violentiam sustinere queant, ad dicta tempora convalescet æger; ubi vires lapsæ sunt aut impares ferendæ sevitiæ morbi, mori ægrotum necesse est. Succumbit enim sub pondere antequam ad metam perveniat.

Signa eventus morbi unde desumantur.

Sumuntur autem signa cum salutis tum mortis, I. *A substantia morbi. Cum enim morborum alii sint tuti, alii lethales morbi, tuti & placidiores brevi superantur, vel à natura vel ab arte, & evadit æger: Lethales autem morbi quales sunt fortis apoplexia, semper sunt exitiales.* II. *A causis morbi: Qui morbi à levioribus causis oriuntur, quales sunt qui ex humorum redundantia vel plethora ortum ducunt, & hi vincuntur vel natura vel arte: Qui verò à lethalibus causis generati sunt, veluti ex veneno vel venenosis humoribus, exitiosi sunt.*

Morbi certarum partium lethales.

III. *A loco affecto. Pernitiosi morbi sunt hærentes in partibus principalioribus, ut in corde, cerebro, diaphragmate, vesica & pulmone. Earum enim partium vulnera, exulcerationes & tumores duri, semper sunt lethales. In aliis autem minus principalioribus partibus omnia sunt tutiora.*

IV. *Ab*

Nigræ excretiones periculosæ ut plurimum, non tamen semper: Nam interdum melancholicus humor salutariter excernitur.

IV. *Ab excrementis è corpore in vigore seu ἀκμῇ morbi. Nam, ut diximus, urina aut nigra aut livida, & nigra alvi excretiones, in ἀκμῇ vel crisi semper sunt perniciosa.*

V. *A similibus casibus. Similes enim morbi ut plurimum consimiles nascuntur exitus.*

Lethalia indicia ex dispositione corporis & gestibus.

VI. *A gestu seu forma decubitus. Gestus enim in vehementia morbi similes gestuum sanorum salutem permittunt. Multum vero dissimiles mortem ut plurimum denunciant. Item supinus decubitus manibus & pedibus distentis vel proclivis delapso versus pedes corpore, lethalia sunt signa. Denudare pedes, manus dispergere, hiante ore dormire, muscas frustra venare, festucas colligere, pilos de veste incassum evellere, aut stipulas de pariete, omnia hæc signa sunt exitiosa. His annumerat Avicenna, faciem mortuorum faciei similem, temporum collapsionem, oculorum profunditatem, palpebrarum contorsionem, nasi acumen, frigiditatem extremarum partium, viriditatem aut lividitatem unguinum, lachrymarum involuntariam profusionem, & respirationem per nares frigidam. Item dentium præter consuetudinem stridoremque omnia inter lethalia numerat signa.*

Hippocratica facies Medicis dicitur. Videatur Hippoc. in prognosticis.


COMPENDII ARTIS MEDICÆ FRANCISCI JOELIS LIBER QUINTUS ET ULTIMUS,

De generali methodo medendi, & remediis usitatioribus.

SECTIO I. DE CURATIONE MORBORUM IN GENERE.

1. Quæ est quinta Artis Medicæ pars?

Θεραπευτική, finalis Medicinæ pars.



Vinta & postrema artis Medicæ pars, quam Græci θεραπευτικὴν, id est Medicatricem vocant, ea est quæ medendi optimam & legitimam rationem, id est morborum ac symptomatum, causarumque mortificarum per convenientia remedia sublationem & sanitatis labefactatæ restaurationem præscribit, ac docet, quæ præclarissima artis pars, finis est totius artis, propter hanc enim solum expeditur ars Medica.

2. Curatio seu Medicatio quid est?

Θεραπεία, Curatio seu Medicatio est recta atque conveniens remediorum in profligandis morbis usurpatio. Eorum autem recta Remedio-

usur-

rum rectus usus in tribus consistit.

usurpatio est, cum recta ratione, idonea quantitate & legitimo modo corpori adhibentur.

3. Qualia debent esse morborum remedia?

Principale fundamentum curationis.

Paracelsi opinio refellitur, quod similia similibus curentur.

Remedia omnia ea dicuntur quæcunque morbum sive affectum corporis præternaturalem depellunt. Morbus autem omnis contrariis profligandus est. Contraria enim sunt Morborum remedia. Nugatur igitur Philippus Bombastus, qui se Theophrastum Paracelsum appellat, & ut totius Philosophiæ principia, ita & hoc certissimum ἀξίωμα Medicum evertere conatur, & non contrariis contraria sed similia similibus curari contendit. Rata enim & constans est Medicationis Lex, Morbos omnes contrariis curari. Quod enim quidam morbi aliquando per sibi similia curentur, & febres ardentes per calidam radicem Rhabarbari, aut succum Scammonii, id contingit non propter similitudinem febris & Rhabarbari, sed per contrarias actiones, auferendo causam febris: est itaque Rhabarbarum febris causæ contrarium, & curat causam morbi per se, morbum autem ipsum per accidens. Sic lassitudo curatur pro exercitium, quia causa lassitudinis, quæ est humor per musculos diffusus, per exercitium discutitur.

Non semper tamen in hac sua opinione constans est, sed interdum in Hippocratis sententiam descendit.

Quomodo similia similium sint remedia.

4. Quæ qualitates Morborum & Medicamentorum sunt ad invicem contrariæ?

Contraria vel contrarietas in arte Medica, non tantum de qualitatibus, sed & quantitate & actionibus dicuntur.

Præcipuæ autem contrarietates morborum & remediorum in sequenti Tabella comprehenduntur.

Tabella contrariorum morbis Remediorum.

Morbis & causis morbificis	*Contraria remedia sunt*
Frigidis,	*Calefacientia:*
Calidis,	*Refrigerantia:*
Humidis,	*Exiccantia:*
Siccis,	*Humectantia:*
Crassitiei,	*Extenuantia:*
Tenuitatis,	*Incrassantia:*
Duriciei,	*Emollientia:*
Molliciei,	*Indurantia:*
Lenitatis,	*Exasperantia:*
Coarctationis,	*Dilatantia:*
Occlusionis,	*Aperientia:*
Plenitudinis,	*Evacuantia:*
Vacuitatis,	*Replentia:*
Humorum exagitationis,	*Sedantia:*
Humorum defluxionis,	*Inhibentia:*
Humorum lentoris,	*Incidentia:*
Humorum acrimoniæ,	*Lenientia:*
Humorum putredinis,	*Alexipharmaca.*

5. Quotuplex est morborum Curatio?

Curatio triplex per chirurgiam, diætam & medicamenta.

Medicorum celeberrimi quique θεραπευτικὴν seu curatricem Medicinam sumptis differentiis à materia Medica, quâ in curandis morbis utuntur, in tres partes sive in tres curandi species diviserunt, χειρουργικὴν quæ manuali operatione foris remedia applicat; διαιτητικὴν quæ victus ratione morbo contraria medetur; & in φαρμακευτικὴν quæ contraria morbo medicamenta & intus & foris adhibet.

Omnium autem harum curationum exempla in processu curationis, suis in locis ostendemus.

6. Quæ Medicatio est laudatissima?

Ea curatio salutaris, & laudatissima est,

quæ

quæ citò, tutò & jucundè perficitur. Oportet itaque Medicum citò curare quantum fieri potest. Longa enim dilatio & molesta est & periculosa ægrotanti. Debet & tutò curare, ut juvet, aut saltem non noceat & periculosa excitet symptomata. Iucunde autem is curat, qui non excarnificat, sed blandè, benignè, & mitissimè ægrotantem tractat. Id præstare est insigne Dei donum in Medico.

Citò. Tutò. Iucundè.

7. Quarum rerum noticia instructus esse debet Medicus ad curationem morborum accedens?

Sex sunt Medico morbos feliciter curaturo scitu necessaria.

Quæ Medico prænoscenda ante curationem.

I. *Noticia ponderum ac mensurarum medicinalium & characterum quibus ea in Medicorum libris depinguntur.*

II. *Noticia remediorum usitatorum, quibus cum ad concoquendos vitiosos, tum ad expurgandos utimur, & quæ cujuslibet remedii sit δῶσις sive exhibendi quantitas.*

III. *Noticia remediorum cum simplicium tum compositorum, quæ principalioribus corporis partibus tota sua substantia medentur.*

Quæ de re videatur Gal. l. 11. meth. c. 19.

IV. *Viæ ac meatus corporis, per quos ex partibus principalioribus vitiosi humores commodè per medicamenta evacuandi sunt.*

V. *Noticia formæ remediorum compositorum in qua medicamenta usurpari solent in curatione morborum.*

VI. *Generalissima axiomata & regulæ in omni curatione observandæ.*

Sectio II.

DE MEDICAMENTORUM PONDERIBUS ET MENSURIS.

1. Quæ & quot sunt pondera ac mensuræ medicinales, & quibus characteribus notulisque in Medicorum libris adnotantur?

De ponderibus & mensuris veterum vide Heurnii Method. ad praxin in initio.

Veteribus Medicis longè plures fuerunt ponderum ac mensurarum species & notulæ, quibus brevitatis causa in suis scriptis utebantur. Hoc autem seculo 14. tantum notulis & literis brevitatis causa utimur, quibus & pondera & mensuræ, & abbreviationes omnes significantur, quæ in sequenti Tabella comprehenduntur.

Tabella characteres & nomenclaturas ponderum & abbreviationum Medicinalium complectens.

1. *Gr.*		Significant	*Granum:*
2. ℈.			*Scrupulum:*
3. ʒ.			*Drachmam:*
4. ℥.			*Vnciam:*
5. *Qr.*			*Quadrantem:*
6. ℔.			*Libram:*
7. *M.*			*Manipulum:*
8. *P.*			*Pugillum:*
9. *s.*			*Semissem:*
10. *n.*			*Numerum:*
11. ℞.			*Recipe:*
12. *an.*			*Ana:*
13. *q. s.*			*Quantitatem sufficientem:*
14. *p. æ.*			*Partes seu portiones æquales.*

2. Quæ sunt significationes harum notularum, & quantum quodlibet pondus Medicinale pendet?

Gr. granum, λέπτον, ein Gran/ *est pondus Medicinale omnium minimum, & quanquam grano hordei in officinis æstimetur, tamen propriè granum numerarium, quo utuntur aurifabri, significat* Ein Eß.

℈. *Scrupulus*, γράμμα, der dritte theil von einem Quintlein/ *est tertia pars drachmæ, & est pondus continens in se 24. granorum numerariorum quantitatem vel mensuram.*

ʒ. *Drachma*, δραχμὴ, ein Quintlein *est octava pars unciæ, & pendet tres scrupulos.*

℥. *Vncia*, οὐγγία, ein Untze oder zwey Lodt/ *& est duodecima pars medicinalis, & continet in se 8. drachmas.*

℔. *Libra sive pondo*, λίτρα, ein Pfundt: *Libra quidem Medicinalis ex 12. mercatorum vero ex 16. unciis constat: & hoc tempore in phar-*

pharmacopoliis in conficiendis medicamentis & mensurandis liquoribus libra medicinali, id est 12. unciis pro libra utuntur. In dividendis verò rebus aridis & aromatibus 16. uncias pro ℔ *sumunt, quæ duplicatæ 32. semiuncias, quæ mercatoribus* **ein Lodt** *dicitur, pendent.*

Qr. Quadrans, τετραρτημόριον, **ein Viertel/** *est quarta pars libræ, quæ constat in pondere medicinali ex tribus, in mercatorum ex 4. unciis.*

M. Manipulus, χειροπληθὴς, **ein Handvoll.** *Herbæ & flores non pondere sed manipulo seu fasciculo mensurantur: & est tanta mensura, quantum manu complecti possumus.*

P. Pugillus, δράξ, *est quantum quatuor summis digitis comprehendere possumus.*

S. Semi vel media pars. Hæc notula omnibus ponderibus vel per se, vel cum aliis numeris adjici potest, & medietatem ejus ponderis, cui additur significat, ut exempli gratia ℈ *s,* ʒ I *s, id est, scrupulus dimidius, dragma una semis.*

℞. *Recipe. In scedulis medicatoriis, quas Receptas vocant, semper est principalis litera, & significat Recipe, accipe, sume, videlicet rerum subsequentium.*

Reperitur etiam hæc vox apud Euangelist. Matt. c. 20. v. 9. ibique singulos significat.

An. Ana est vox Arabica, cujus notula semper post duorum aut plurium medicamentorum enumerationem ante characteres seu notulas ponderum inscribitur. Significat autem ana æquales omnium præscriptarum rerum partes, & tantam portionem, quantam subsequens ponderis numerus indicat.

Q. s. Quantitatem sufficientem. Hæ duæ literæ reperiuntur interdum in scedis medicatoriis & libris Medicorum, ubi certum pondus aut mensura non exprimitur, sed pharmacopæi arbitrio permittitur, convenientem mensuram, quantam artificiosa conjectura satis esse judicaverit, accipiendi.

P. æ. Partes æquales cujusque supra scripti sumendas indicat. Hæc omnia exemplis illustriora fiunt.

1. Potio crassos humores extenuans & concoquens, obstructosque meatus aperiens. — Potio digestiva.

℞. Rad. *Fœniculi,*
Petroselini,
Apii an. ʒ II.
Asari.
Sem. *Sileris montani,*
Pastinacæ,
Anisi an. ʒ II.
Herb. *Srodii,*
Cardui benedicti,
Centaurei minoris an. M. s.
Conf. *Boraginis,*
Buglossæ an. ℥ *s.*
Vvarum passarum Qr. s.

Concidenda concidantur, & contundenda contundantur, & decoquantur in aqua pura q. s. ad tertias, colentur, colaturæ admisceantur,
Syruporum *de Calamintha,*
de Eupatorio,
Oxymellis simplicis an. ℥ III.
Fiat potio.

2. Haustus bilem & Pituitam purgans. — Haustus purgans.

℞. *Fol. Senes Alex.* ʒ II.
Rhabar. ʒ I.
Cinam.
Spicæ Indicæ an. ℈ *s.*
Contusa macerentur in aqua Cichorei ℥ III. *per noctem.*
Mane ebulliant leni ebullitione, & expressa colentur, ac colato jusculo admisceantur,
Elect: Lenitivi,
Diacatholici an. ʒ I.
Fiat haustus; exhibeatur tepidus in aurora 6. horis ante prandium.

3. Pulvis ad corroborandum ventriculum, **Magen Pulver.** — Pulvis corroborans.

℞. *Cinamoni,*
Zinziberis,
Galangæ an. ℥ II *s.*
Margaritarum præparatorum,
Coralliorum rubeorum præparatorum ℈ IIII.
Saccari albi ℥ IIII.
Pulverisata misceantur, fiat tragea.

4. Hau-

Haustus sudorificus.

4. Haustus sudorificus, venenatos halitus è corpore discutiens.

℞. *Theriacæ Andromachi,*
Mithridatii optimi an. ʒ s.
Pul. *Zedoariæ,*
Angelicæ,
Scordii an ℈ s.
Aquæ *Scordii ℥ III.*
Aceti rosacei ʒ I.
Misceantur, fiat haustus.

Pillulæ capitales.

5. Pillulæ capitis excrementa purgantes.

℞. *Mas. pil. Aurearum,*
Cochiarum,
Aggregativarum ℈ I.
Trochiscorum de Agarico ℈ s. cum aqua Majoranæ.
Formentur pillulæ numero quindecim, deglutiantur in aurora.

Vnguentum refrigerans.

6. Unguentum ad inflammationem & punctiones Epatis.

℞. *Oleorum Rosacei,*
Cytoniorum,
Mastichis,
Nymphea an. ʒ II.
Ceræ albæ q. s.
Fiat linimentum, quod eluatur cum aceto rosaceo, deinde admisceantur pul. Mastichis ℈ I.
Camphoræ gr. II.

SECTIO III.

De

USITATIORIBUS REMEDIORUM FORMULIS AD CONCOQUENDOS ET EVACUANDOS HUMORES MORBIFICOS.

1. Quæ sunt usitatiora remediorum genera ad concoquendos, præparandos, & evacuandos vitiosos humores accommodata, & quæ est cujuslibet δόσις;

Singulis quatuor vitiosis humoribus peculiaria remedia sunt inventa, cum ad extenuandos & præparandos, tum ad evacuandos, quæ non tantum sua qualitate, sed & specificis virtutibus humores vitiosos concoquere & evacuare possunt, quorum catalogus & exhibendi mensura in sequentibus tabellis comprehenduntur.

Tabella remediorum sanguinem vitiosum emendantium.

Sanguinem purificant
- *Fumaria,* fimstern/
- *Lupuli asparagi,* junger Hopfe/
- *Radices cicoreæ,* Hindtlobegwurtzel/
- *Fructus Thamarindi,*
- *Pruna Vngarica,*
- *Manna,*
- *Pulpa cassiæ, cocta in sero lactis caprini, cujus δόσις est ℥ I s.*

Potio sanguinem purificans.

Sanguinem purificantia.

℞. *Fumariæ viridis M. I.*
Rad. Cicoreæ ℥ I.
Contusa coquantur in q. s. seri lactis caprini, exhibeantur mane ac vesperi ℥ V.

Venæ sectio verno tempore convenit.

Sanguis in corpore verno tempore redundat, qui si quantitate peccet, nunquam per medicamenta, sed per venæ sectionem detrahendus est. Mala vero ejus qualitas præscriptis remediis commodè corrigi potest.

Tabula Medicamentorum bilem flavam præparantium & evacuantium.

Bilem temperantia.

Flavæ bilis fervorem mitigant,
- *Syr. Violarum,*
- *Syr. Rosarum,*
- *Syr. de Cicorea,*
- *Syr. de Endivia,*
- *Syr. Acetositatis citrii,*
- *Syr. Granatorum,*
- *Syr. de Omphacius.*

Δῶσις syruporum pro una vice est ℥ II. cum duplici mensura aquæ aut decoctionis
- *Hordei,*
- *Endiviæ,*
- *Cicoreæ,*
- *Lactucæ,*
- *Boraginis,*
- *Buglossæ,*
- *Acetosæ,*
- *Nympheæ.*

Haustus fervorem bilis mitigans.

℞. *Syr. violarum,*
Acetositatis citrii an. ℥ I.
Aq. Cichoreæ,
Endiviæ an. ℥ II.
Misceantur, fiat haustus.

Usus potionum præparantium.

Exhibentur syrupi cum aquis stillatitiis aut præscriptarum herbarum decoctis, simul commixtis, ita ut dupla sit aquarum mensura ad syrupos, per tres aut quatuor dies mane ac vesperi, donec color urinæ immutetur: semper autem tales potiones tepidas exhiberi convenit.

Cholagoga usitatiora.

Flavam bilem evacuant
- *Pulpa cassiæ,*
- *Rhabarbarum,*
- *Hiera simplex,*
- *Diaprunum solutivum,*
- *Elect. de succo rosarum,*
- *Elect. Lenitivum,*
- *Pil. aggregativæ,*
- *Pil. de Rhabarbaro.*

Quarum valida δῶσις est,
- ℥ Is.
- ʒ II.
- ℥ I.
- ʒ VII.
- ʒ VI.
- ℥ I.
- ʒ I.
- ʒ I.

Hæc pharmaca bilem evacuantia ut plurimum in triplici forma exhibentur, haustus, boli, & pillularum, semperque exhibenda sunt diluculo sex ante prandium horis.

Haustus.

Haustus biliosos humores evacuans.

℞. *Hyeræ simplicis* ℥ I.
Elect. lenitivi ℥ s.
Aq. cichoreæ ʒ IV.
Misceantur, fiat haustus.

Bolus.

Bolus bilem evacuans.

℞. *Cassiæ recenter extractæ* ℥ I.
Pul. Rhabarbari ℥ Is.
Misceantur, fiat bolus.

Pillulæ.

Pillulæ bilem flavam educentes.

℞. *Massæ pil. aggregativar.*
de hyera simplici,
de Rhabarbaro an. ℈ I.
Diagridii gr. III.
Cum aqua absinthii formentur pillulæ, numero quindecim.

Tabella medicamentorum pituitam concoquentium & evacuantium.

Pituitam præparantia.

Pituitam concoquunt & extenuant
- *Mel Rosarum,*
- *Oxymel simplex,*
- *Syr. de calamentho,*
- *Syr. de stæcade,*
- *Syr. de Menta,*
- *Syr. de Radicibus,*
- *Syr. de Absinthio:*

Quorum δῶσις est ℥ II. *cum aquis stillatitiis aut decocto*
- *Fæniculi,*
- *Hyssopi,*
- *Betonicæ,*
- *Salviæ,*
- *Rutæ,*
- *Absinthii,*
- *Origani,*
- *Mentæ,*
- *Cardui benedicti,*
- *Scordii.*

In

Vsus digerentium in phlegmaticis. Signa concoctionis.

In concoquendis & extenuandis humoribus pituitosis eousque exhibentur Syrupi tepidi diluculo & hora una ante Cœnam, donec in urina signum concoctionis apparuerit: signum vero concoctionis perfectæ est aureus urinæ color, & hypostasis alba: imperfectæ autem suppallida & turbida urina. Δόσις *Syruporum pro uno haustu est ℥ II. cum duplici mensura aquarum aut decocti.*

Haustus pituitam coquens.

℞. *Oxymelli simpl.*
Mellis Rosarum,
Syr. è calamintha an. ℥ II.
Aquarum Hyssopi,
Fœniculi,
Calaminthæ an. ℥ IV.
Misceantur, fiat potio, de qua exhauriantur ℥ VI. *pro una vice.*

Pituitam evacuant — *Quorum valida* δόσις *est*

Folia sena,	ʒ VI.
Agaritus,	ʒ II.
Turbith,	ʒ I.
Diaturbith,	℈ IV.
Diaphœnicon,	℥ I.
Diacarthamum,	℥ I.
Elect. Indicum,	ʒ VII.
Benedict. laxativa,	ʒ VII.
Pill. aurea,	ʒ I.
Pill. de Agarico,	℈ IV.
Trochisci de Aga,	ʒ I s.
Trochi Albandali:	℈ s.

Pituitam evacuantia pharmaca ut plurimum sub triplici forma exhibentur, potionis, boli & pillularum, idque perpetuo in aurora, sex ad minimum horis ante prandium.

Haustus pituitam purgans.

HAUSTUS pituitam evacuans.

℞. *Diaphœniconis* ʒ V.
Diaturbith ʒ. ß.
Electuarii Indici Majoris ʒ I I.
Aq. Hyssopi,
Betonicæ an. ℥ I I.
Misceantur, fiat haustus.

ALIUS HAUSTUS ex infusione paratus, pituitam evacuans.

℞. *Folia senæ* ʒ I I.
Agarici Trochiscati ʒ I.
Aq. Absinthii,
Menthæ an. ℥ I I I.
Mane ebulliant leniter, & expressa colentur, colatoque jusculo admisceantur;
Diaphœniconis,
Elect. Ind. Majoris an. ʒ I s.
Fiat haustus.

Bolus.

BOLUS pituitam expellens.

℞. *Diacarthami* ʒ I I I.
Diaphœniconis ʒ I I.
Pul. *Turbith* ʒ s.
Zinziberis,
Mastiches,
Anisi an. ʒ s.
Misceantur, fiat bolus, & conspergatur saccaro albissimo.

Pillulæ.

PILLULÆ pituitam detrahentes.

℞. *Mas. pil. Aurearum,*
de Agarico an. ℈ I.
Trochiscorum albandali ʒ s.
Cum melle rosaceo conformentur pillulæ numero quindecim, conspergantur pul. cinamomi, & deglutiantur in aurora.

Melancholiam præparantia.

Tabella medicamentorum atram bilem coquentium & evacuantium.

Atram bilem concoquentia, { *Syr. de Thymo, Syr. de Epithymo, Syr. de Fumo terræ, Syr. de Boragine, Syr. de Buglossa, Oximel scylliticum, Syr. de stæcade, Syr. de Lupulis:* } *Quorum δόσις est* ℥ II. *cum aquis aut decocto* { *Fumariæ, Melissæ, Scolopendriæ, Boraginis, Buglossæ, Cetrach, Cuscutæ, Origani, Hyssopi.* }

Et hi syrupi mane & ante cœnam ante evacuationem tam diu sunt exhibendi, donec signum concoctionis in urina apparuerit, quod ut plurimum quarto aut sexto die contingit.

HAUSTUS melancholicum humorem concoquens & ad evacuationem præparans.

℞. *Syr. de Epithymo,*
de Fumo terræ,
de Lupulo an. ℥ I I.
Aq. Boraginis,
Origani an. ℥ I V.

Misceantur, fiat potio, cujus exhibeantur pro uno haustu ℥ V I. *Tales potiones aliquoties reiterandæ sunt propter lentorem & contumaciam melancholici humoris.* Præparantia melancholica sæpius reiteranda.

Melanagoga.

Melancholicum humorem evacuant, { *Veratrum nigrum, Folia senæ, Polypodii radix, Epithymi, Diaserna, Elect. Hamech. Pil. de fumo terræ, Pil. de lapide Lasuli:* } *Quorum valida δόσις est,* { ℈ I I. ʒ V I. ℥ S. ʒ V I. ʒ V I. ℥ S. ʒ I. ʒ I. }

Atram bilem evacuantia remedia ut plurimum sub triplici forma administrari solent, haustus, pulveris & pillularum.

Haustus melanagogus.

HAUSTUS melancholicos humores evacuans.

℞. *Elect. Hamech.* ʒ I I I.
Diacatolici ℥ *s.*
Diasenæ ʒ I.
Aq. Fumariæ,
Boraginis,
Hyssopi,
Scolopendriæ an. ℥ I. *aut loco aquarum decocti earum herbarum* ℥ I V.
Misceantur, fiat bolus.

Pulvis Melanagogus.

PULVIS Melancholiam expurgans.

℞. *Pul. Foliorum senæ præparatæ* ʒ I.
Rad. Elebori nigri præparati,
Cinamomi ℈ *s.*

Commisceantur, fiat pulvus subtilissimus, & exhibeatur in haustu seri lactis aut jusculo carnis pinguioris.

Pillulæ.

PILLULÆ Melancholiam detrahentes.

℞. *Mas. pil. è fumo terræ,*
è lapide Lazuli an. ℈ I.
pulveris Elebori nigri ℈ *s cum syrupo de fumo terræ.*

Formentur pillulæ numero quindecim, deglutiantur integræ cum aliquo liquore.

Medicamenta melancholicos humores præparantia & evacuantia crebrius sunt repetenda, Melancholicus enim humor non facilè extenuatur, abstergitur, aut una vice evacuatur propter crassitiem & lentorem. Est enim liquidæ pici persimilis, quæ non facilè ablui, abstergi ve potest.

2. SUNT-

2. SUNTNE præter hæc & alia medicamenta præparantia & evacuantia vitiosos humores?

Variae evacuantium remediorum genera.

Præscripta quidem medicamenta sunt usitatissima quæ per alvum vitiosos humores evacuant, sed præter hæc plurima sunt medicamentorum genera, sub diversis formis præparata, quæ ex diversis partibus, & per diversas vias evacuant, veluti sunt decocta, glandes, clysteres, gargarismata, potiones vomitum elicientes, errhina sudorem propellentia. Sunt item & aliæ formæ, de quibus paulo post dicemus. Et omnium paradigmata in processu curationis docebimus.

3. Δόσις sive mensura purgantium medicamentorum debetne ea semper exhiberi quæ in tabellis est proposita?

Etsi est cuilibet medicamento purganti sua definita mensura seu quantitas valida expressa, quam Græci δόσιν vocant, minimè tamen promiscue omnibus corporibus ea est offerenda, nam ut Galenus 3. Methodi medendi *scribit*, nihil artem Medicam æquè conjecturalem efficit in agendo, quam cujusque remedii quantitas. *Ideo non nisi conjectura quadam vera δόσις exhibendi consequi potest, & ea nec dici, nec scribi, nec percipi potest, eodem Galeno de curandis per venæ sectionem teste.*

Quantitas remediorum purgantium non potest exactè determinari.

Conjecturare itaque oportet, Primum quantitatem exhibendi remedii ex humorum evacuandorum natura. Biliosis enim & serosis humoribus evacuandis minor δόσις, pituitæ autem & melancholiæ major est exhibenda. *Secundo ex corporum purgandorum constitutione. Corpora enim robusta, firma atque densa, non nisi valida δόσει purgantur. Et è contra quibus ex consuetudine liquida est alvus, non tanta indigent medicamenti quantitate. Semper itaque interrogandi sunt ægroti qualem habeant constitutionem alvi. Tertio ex virium robore. Integris enim adhuc viribus majorem δόσιν ægri facilius ferunt: qui autem viribus sunt destituti, à purgantibus pharmacis facile resolvuntur. Quarto ex ætate & sexu. Pueri enim & senes & fœminæ tantam purgantis pharmaci quantitatem ferre non possunt, quantam viri; hique juniores ac ætate consistentes. His rectè atque prudenter consideratis, facilimum est artificiosa conjectura vel augere vel minuere δόσιν purgantium remediorum.*

Ex quibus liceat colligere veram dosin medicam purgantium.

SECTIO IV.

DE MEDICAMENTIS SINGULIS PARTIBUS FAMILIARIBUS.

1. Vitiosi humores peculiaribus partibus inhærentes, debentne omnes per alvum evacuari?

Non: Quælibet enim pars principalis peculiarem à natura nacta est canalem, per quam sua excrementa dejicit. In evacuandis itaque partium vitiosis humoribus debet Medicus naturam sequi, & per proximos canales evacuare. Purganda itaque sunt excrementa cerebri, aut per nares ἐῤῥίνοις seu nasalibus, aut per palatum gargarismis & Apophlegmatismis, aut per alvum pillulis, potionibusque: Pectoris & pulmonis per asperam arteriam, bechicis medicamentis, tussiendo & exscreando: Iecinoris quæ in gibba vel superiori parte hærent, item renum & vesicæ, per meatus urinæ diureticis, id est urinam moventibus medicamentis: Quæ autem in cava epatis parte continentur, ea per alvum commodius detrahuntur: Lienis per alvum: Ventriculi ea quæ in orificio ejus hærent per vomitum vomitoriis pharmacis, quæ vero in fundum subsiderunt, per alvum commodius subducuntur: Intestinorum per alvum purgantibus remediis aut Clysteriis: Subcutanei humores evacuandi sunt per poros remediis sudorificis.

Quo natura vergit, eo ducere oportet.

Via & meatus per quos singulæ partes evacuandæ.

2. Quæ sunt usitatiora remediorum genera singulis principibus partibus accommodata?

Remedia omnia agunt in corporibus nostris, excitata à calore nativo viscerum, aut suis qualitatibus, aut occultis ac specificis virtutibus, quibus etiam cum partibus corporis nostri aut humoribus συμπάθειαν habent. Quæ autem medicamenta usitatiora simplicia ex quibus tandem in variis formis composita exstruun-

Medicamentorum sympathia cum certis corporis partibus.

exstruuntur, sua specifica proprietate, singulis partibus conducunt, sequentes Tabellæ ostendent.

Tabella usitatorum remediorum capiti seu cerebro accommodatorum.

Cephalica.

Cerebro medentur,
- *Calida,*
  - *Salvia,*
  - *Betonica,*
  - *Majorana,*
  - *Rosmarinus,*
  - *Stæchas,*
  - *Ruta,*
  - *Pæonia,*
  - *Serpillum,*
  - *Lavendula,*
  - *Cubebæ,*
  - *Carvi semen,*
  - *Styrax calamintha,*
  - *Succinum,*
  - *Thus,*
  - *Myrrha.*
- *Frigida,*
  - *Rosa,*
  - *Viola,*
  - *Nymphæa,*
  - *Lactuca,*
  - *Solanum,*
  - *Hyoschiamos,*
  - *Papaver,*
  - *Sempervivum,*
  - *Mandragora.*

Tabella remediorum simplicium pulmoni opitulantium.

Pectoralia.

Pulmoni prosunt,
- *Calida,*
  - *Hyssopus,*
  - *Prassium,*
  - *Origanum,*
  - *Calamintha,*
  - *Abrotanum,*
  - *Scordion,*
  - *Anisi semen,*
  - *Vrticæ semen,*
  - *Carthami semen,*
  - *Polypodii radix,*
  - *Iridis Illyricæ radix,*
  - *Helenii radix,*
  - *Angelicæ radix,*
  - *Arum,*
  - *Squilla,*
  - *Aristolocia utraque,*
  - *Gentiana,*
  - *Pimpinella,*
  - *Symphitum,*
  - *Pulmo vulpis.*
- *Frigida,*
  - *Violarum flores,*
  - *Papaveris albi semen,*
  - *Iujubæ fructus,*
  - *Sebesten fructus,*
  - *Ficus,*
  - *Cremor hordei,*
  - *Lac amygdalinum,*
  - *Capillus Veneris,*
  - *Glycyrrhiza,*
  - *Gummi Arabicum,*
  - *Tragacantum,*
  - *Tussilago,*
  - *Pinearum nuclei,*
  - *Pistaciæ,*
  - *Vuæ passæ,*
  - *Saccarum candidum.*

Tabella remediorum simplicium cordi familiarium.

Cardiaca.

Cor corroborantia,
- *Calida,*
  - *Μέλις σοφύλλον,*
  - *Doronici radix,*
  - *Zeduariæ radix,*
  - *Dictamni radix,*
  - *Tormentillæ radix,*
  - *Carduus benedictus,*
  - *Scabiosa,*
  - *Ocymi semen,*
  - *Xiloaloës,*
  - *Cortices citrii,*
  - *Cariophylli,*
  - *Corcus,*
  - *Amomum,*
  - *Moscus,*
  - *Ambra.*
- *Frigida,*
  - *Aurum,*
  - *Margaritæ,*
  - *Smaragdus,*
  - *Sigillata terra,*
  - *Bolus Armenus,*
  - *Camphora,*

Succus

- *Succus mali citrii,*
- *Succus granatorum,*
- *Semen acetosæ,*
- *Borago,*
- *Buglossa.*

Tabella remediorum ventriculo accommodatorum.

Stomachica.

Ventriculo conveniunt,
- *Calida,*
  - *Menta,*
  - *Betonica,*
  - *Absynthium,*
  - *Sisimbrium,*
  - *Coriandri semen,*
  - *Corcus,*
  - *Galanga,*
  - *Maces,*
  - *Nuces muscatæ,*
  - *Zinziber,*
  - *Cariophylli,*
  - *Cinamomum,*
  - *Lignum aloës,*
  - *Spica Indica,*
  - *Mastix,*
  - *Succinii,* **Bernstein.**
- *Frigida,* (Cardiaca)
  - *Rosæ,*
  - *Myrthi baccæ,*
  - *Cydonia,*
  - *Olivæ fructus,*
  - *Coralli rubei,*
  - *Pyra moscatellina.*

Tabella medicamentorum jecori medentium.

Hepatica.

Iecori medentur,
- *Calida,*
  - *Eupatorium,*
  - *Fumaria,*
  - *Lupulus,*
  - *Asparagus,*
  - *Apium,*
  - *Petroselinum,*
  - *Fœniculus,*
  - *Absynthium,*
  - *Chamædris,*
  - *Carduus Benedictus,*
  - *Scordion,*
  - *Centaureum minus,*
  - *Veronica,*
  - *Schænantus.*
- *Frigida,*
  - *Rosa,*
  - *Graminis radix,*
  - *Cicorea,*
  - *Endivia,*
  - *Taraxicon,*
  - *Flores epatici,*
  - *Capillus Veneris,*
  - *Cucurbitæ semen,*
  - *Cucumeris semen,*
  - *Melonum semen,*
  - *Citrulli semen,* (Hæc quatuor semina dicuntur semina frigida majora.)
  - *Lactuca,*
  - *Plantago,*
  - *Acetosa,*
  - *Corallium,*
  - *Ebur,*
  - *Spodium,*
  - *Sandali 3. species.*

Tabella Medicamentorum lieni auxiliantium.

Splenetica.

Lieni auxiliantur,
- *Calida,*
  - *Lupulus,*
  - *Cassuta,*
  - *Cetrach,*
  - *Raphanus,*
  - *Apii radix,*
  - *Capparum radix,*
  - *Agni casti semen,*
  - *Chamædris,*
  - *Squilla,*
  - *Aristolochia rotunda,*
  - *Asarum,*
  - *Ruta,*
  - *Lacca.*
- *Frigida,*
  - *Violæ purpureæ,*
  - *Buglosson,*
  - *Scolopendrion,*
  - *Tamarisci cortex,*
  - *Cappari fructus.*

Tabella medicamentorum Renum ac vesicæ affectiones juvantium.

Renibus
- *Calida,*
  - *Petroselini semen & radix,*
  - *Fœniculi semen,*
  - *Daucus creticus,*
  - *Asari radix,*

ac vesica prosunt,

Sefelion, Phu sive Valeriana, Asparagus, Genistæ semen, Vrticæ semen, Raphani semen & radix, Allium, Ligustici semen, Baccæ Iuniperi, Pimpinella, Baccæ lauri, Petonica, Capillus Veneris, Amygdalæ amaræ, Cicer, Chamæmelon, Therebintina, Oleum vitrioli, Glycirrhiza, Eryngion, Rurscus, Sabina, Altheæ semen, Milium Solis.

Frigida, *4. Semina frigida majora, Hordeum, Graminis radix, Parietariæ semen, Lapilli cancrorum, Lapis Iudaicus, Alcekengi, Portulacæ semen, Acetosæ semen.*

Tabella Medicamentorum uteri vitiis accommodatorum.

Vtero — *Calida menses provo-* *Chamæmelium, Betonica, Parthenion, Pæoniæ radix, Sampsuchus, Origanum, Melissophyllum, Prassium, Scordium, Artemisia,*

conferunt, — *cando,* *Pulegium, Ruta, Calamintha, Sabina, Valerianæ radix, Asari radix, Rubeæ radix, Dauci cretici radix, Seselii semen, Aristolochia utraque, Gentiana, Myrrha, Castoreum, Sagapenum, Baccæ lauri, Costi radix.*

Frigida menses cohibendo, *Nymphea radix, Balaustia, Rhus culinaria, Cornu cervi ustum, Portulacæ semen, Plantaginis semen, Bis torta, Corallium, Succinum,* Weißbernstein.

Tabella remediorum vitiis articulorum succurrentium.

Articulorum vitia — *Calida,* *Helenii radix, Iridis radix, Chamæpytis, Herba paralysis, Calamintha, Centaureum minus, Hermodactylus, Lac vaccinum, Stercus vaccinum, Oesipus, Thus, Vrticæ semen, Nasturtii semen, Opopanax, Bdellium, Ammoniacum, Sagapenum, Euphorbium, Castoreum.*

emen-

emendant, | *Frigida dolorem mitigando,* { *Rosarum aqua, Plantaginis aqua, Solatri aqua, Acetum, Psillii semen, Cotonii semen, Althea semen, Hioschyami folia, Cicuta folia, Semper viva, Camphora, Ovi candidum.*

SECTIO V.

DE SIMPLICIBUS MEDICAMENTIS IN OMNIBUS OFFICINIS USITATIS.

Tabella generalis nomenclaturas omnium simplicium usitatorum, quæ in Officinis prostant comprehendens.

Simplicium Medicamentorum alia sumuntur ex stirpibus, veluti sunt folia, flores, fructus, radices, succi, resina, gummata, cortices, ligna: Alia ab animantibus, veluti sunt Sanguis, adeps, pinguedo, lac, coagulum, excrementa, pili, cornua: Alia ex terra visceribus, ut sunt metalla, lapides, gemma, terra species: Alia ex mari & aquis, ut sunt salia, spuma, &c.

HERBÆ USITATÆ.

Abrotanum,
Absynthium,
Acetosa,
Althea,
Agrimonia,
Apium,
Atriplex,
Artemisia,
Asplenion,
Betonica,
Beta,
Brancha ursina,
Borago,
Buglosson,
Calamintha,
Carduus Benedictus,
Cassuta,
Chamædris,
Chamæpitis,
Cicorium,
Chelidonium,
Carduus Maria,
Ebulus,
Eupatorium,
Endivia,
Euphragia,
Fæniculus,
Fumaria,
Folia sena,
Lauri folia,
Lactuca,
Lupulus,
Malva,
Marrhubium,
Majorana,
Melilotum,
Melissa,
Menta,
Mentastrum,
Mercurialis,
Nepeta,
Ocymon,
Origanum,
Parietaria,
Perfoliata,
Plantago,
Pulegium,
Portulaca,
Rosmarinus,
Ruta,
Sabina,
Squinnantum,
Sanicula,
Saturcia,
Scabiosa,
Scolopendria,
Scordion,
Serpillum,
Sisymbrium,
Semper vivum,
Solatrum,
Stoechas,
Tussilago,
Verbascus,
Verbena,
Violaria.

FLORES USITATI.

Flores Anethi,
Anthos,
Balaustrium, mali punici flos,
Buglossa,
Boraginus,
Chamemeli,
Croci,
Epithymi,
Genista,
Lavendula,
Liliorum alborum,
Lilii convallii,
Meliloti,
Nymphea,
Prunella,
Rosarum,
Rambuci,
Verbasci,
Violarum.

SEMINA USITATIORA.

Sem. Ameos,
Amomi,
Acetosa,
Anethi,
Anisi,
Apii,
Aquilegii,
Asparagi,
Alcakengi,
Basiliconis,
Caruc,
Carthami,
Ciceris,
Citrii,
Citrulli,
Coriandri,
Cotoniorum,
Cucurbita,
Cucumeris,
Cymini,
Dauci,
Eruca,
Fæniculi,
Fœnu Græci,
Fabarum,
Hordei,
Hyoschiami,
Lactuca,
Lentium,

Ligustici,
Linguæ avis, id est fraxini,
Lini,
Malvæ,
Majoranæ,
Melonum,
Nasturtii,
Nigellæ,
Orobi,
Pæoniæ,
Papaveris albi,
Petroselini,
Pastinacæ,
Plantaginis,
Portulacæ,
Raphani,
Sumach,
Rusci,
Rutæ,
Santonici,
Saxifragiæ,
Seselii,
Staphisagriæ,
Milii solis,
Vrticæ.

FRUCTUS USITATI.

Amygdalæ dulces,
Amygdalæ amaræ,
Anacardi,
Baccæ Iuniperi,
Baccæ Lauri,
Berberis,
Caricæ, id est siccæ ficus,
Capparis,
Cubebæ,
Carpobalsamum,
Caryophillon,
Cassia fistularis,
Cydonia,
Dactyli,
Colocynthis,
Gallæ,
Iujubæ,
Glandes,
Malum punicum,
Mirobalani, quorum quinque sunt genera,
Flavi,
Kebuli,
Emblici,
Bellirici & Indi,
Myrtilli,
Sebesten,
Nuces Cupressi,
Nux Indica,
Nux moscata,
Nux vomica,
Nuces pineæ,
Olivæ,
Tamarindi,
Pistachiæ,
Pruna,
Vvæ passæ.

RADICES USITATÆ.

Acori,
Agarici,
Altheæ,
Angelicæ,
Apij,
Aristolochiæ utriusq;
Asari,
Asparagi,
Asphodeli,
Been,
Bis tortæ,
Bryoniæ,
Borraginis,
Capparis,
Cardopatii,
Cichorei,
Costi,
Cyclaminis,
Cappari,
Dictammi,
Doronici,
Ebuli,
Elenii,
Eringii,
Hellebori utriusque,
Esulæ,
Endiviæ,
Filicis,
Fæniculi,
Galangæ,
Chariophillatæ,
Gentianæ,
Glycyrrizæ,
Hermodactyli,
Iridis Illiricæ,
Lapathi,
Laserpitii,
Liliorum,
Mandragoræ,
Nympheæ,
Philipendulæ,
Pæoniæ,
Pentaphylli,
Petroselini,
Peucedani,
Polypodii,
Polygonati,
Pimpinellæ,
Pyretri,
Phupontici,
Rhapontici,
Rhabarbari,
Raphani,
Rubeæ,
Rusci,
Satyrii,
Scyllæ,
Scrophulariæ,
Symphiti,
Turbith,
Tormentillæ,
Zinziberis,
Zeduariæ.

SUCCI USITATIORES.

Succus, χύλος, est liquor ex stirpibus recentibus contusis expressus, qui si lentorem habuerit, non succus, sed mucago seu mucilago nominatur. Suocorum alii liquidi, alii indurati conservantur. Liquidi sunt succus

Citrii mali,
Cytoniorum,
Granatorum,
Endiviæ,
Mel,
Oleum,
Omphatium,
Rosaceus,
Violaceus,
Vinum, & aquæ omnes stillatitiæ.

Succi indurati habentur:

Acatia,
Aloë,
Asa fœtida,
Cera,
Scamonia,
Euphorbium,
Glycirrhize,
Hypocistis,
Ladanum,
Licium,
Opium,
Saccarum,
Sanguis Draconis.

GUMMATA USITATIORA.

Ad succorum induratorum genera referri possunt & gummata, qualia sunt,

Asa fœtida,
Ammoniacum,

Bdel-

Bdellium,
Benzoi,
Colophonia,
Euphorbium,
Galbanum,
Gummi Arabicum,
Gummi hederæ,
Myrrha,
Mastix,
Opoponax,
Olibanum,
Sagapenum,
Terebintina,
Sarcocolla,
Styrax calamintha,
Sandaraca,
Succinum,
Camphora.

CORTICES USITATIORES.

Cortex Arantiarum,
Granatorum,
Mandragoræ,
Tamarisci,
Mediana sambuci,
Cinamomum,
Cassia aromatica.

LIGNA USITATIORA.

Lignum Aloës,
Lignum Guajaci,
Lignum sandali, cujus tres sunt species, album, rubrum, & flavum,
Xylobalsamum,
Viscus quercinus, Eichen Mistel.

SIMPLICIA USITATA QUÆ EX ANIMALIBUS SUMUNTUR.

Cancer,
Cancrorum lapilli,
Cranium hominis suspensi,
Castoreum,
Coagulum leporis,
Cornu cervinum,
Cornu unicornis,
Ebur,
Fel tauri,
Fel leporis,
Genitale cervi & tauri,
Iecur lupi,
Mumia,
Os è corde cervi,
Os sepiæ,
Pinguedo anatina,
Anserina,
Canis,
Gallinacea,
Humana,
Vrsina,
Vulpina,
Sevum cervinum,
Caprinum,
Hircinum,
Medulla cervina,
Vitulina,
Pulmo vulpis,
Scincus,
Sanguis hirci,
Serum lactis,
Vipera,
Zibetum,
Moschus,
Cantharides, Golt-Worme.

METALLICA REMEDIA USITATIORA.

Aurum,
Argentum,
Auripigmentum,
Ærugo,
Æsustum,
Æris squama,
Alumen,
Cadmia,
Calcanthum,
Chalcithis,
Calx,
Cerussa,
Chrysocolla,
Cinabaris,
Ferrum,
Gypsium,
Lytargyron,
Minium,
Nitrum,
Plumbum,
Pompholix,
Thutia,
Spodium,
Stibium sive Antimonium,
Sulphur,
Lapis Armenus,
Lapis Lasuli,
Lapis Hemathites,
Lapis Magnes,
Pumex,
Bolus Armenus,
Lemnia terra.

GEMMÆ USITATIORES.

Rubinus,
Granatus,
Hyacinthus,
Saphyrus,
Smaragdus.

Remedia usitatiora ex mari sumuntur,

Asphaltus,
Succinum, Bernstein.
Sperma ceti,
Margarita,
Corallium,
Spongia,
Sal, cujus tres sunt species, Factitius, Marinus & Gemmeus.

SECTIO VI.

De

COMPOSITIS MEDICAMENTIS IN OFFICINIS USITATIS.

1. Possuntne omnes morbi simplicibus remediis curari?

Non omnes morbi simplicibus remediis curari possunt: Vt enim morborum, ita & medicamentorum duplex genus statuitur, simplex unum, compositum alterum: & simplices quidem morbi simplicibus, vel uno pluribusque ejusdem facultatis remediis curantur; compositi vero composita requirunt pharmaca.

2. Composita medicamenta quibus in formis exhibenda, & quæ sunt formarum genera?

Compositorum remediorum genera alia intra corpus assumuntur, alia extra corpus forisque applicantur. Formarum autem quas composita medicamenta recipiunt, varia sunt genera, & magni refert, qua forma quodvis medicamentum administretur. Alios enim aliæ formæ delectant: & aliæ formæ ad partes affectas, aliæ ad morborum naturas accommodatiores sunt: & in aliis formis alia medicamenta sunt magis minusque efficaciora. Vsitatiores autem remediorum hoc tempore formæ, quæ in officinis extant, & quæ à Medicis præscribuntur, in sequenti Tabella comprehenduntur.

Causæ variarum compositionum medicamentorum.

Formæ remediorum compositorum
- *Intra corpus sumendorum,*
  - *Pulveres mixti seu species,*
  - *Rotulæ,*
  - *Electuaria,*
  - *Pillulæ,*
  - *Trochisci,*
  - *Decocta,*
  - *Syrupi,*
  - *Loch,*
  - *Conservæ,*
  - *Tragemata,*
  - *Collyria,*
  - *Errhina,*
  - *Gargarismata,*
  - *Clysteria,*
  - *Pessi,*
  - *Glandes.*
- *Extra corpus applicandorum,*
  - *Epithemata,*
  - *Olea,*
  - *Linimenta,*
  - *Vnguenta,*
  - *Cataplasmata,*
  - *Emplasmata,*
  - *Cerota,*
  - *Sacculi.*

Horum remediorum omnium conficiendorum rationem partim ex libris Medicatoriis, quos in officinis Dispensatoria vocant, partim ex curandorum morborum methodo addiscere possumus.

3. Pulveres compositi sive species usitatiores quæ sunt?

Species hodie Medicis vocantur omnes pulveres compositi & inter se commixti. Extant autem in myropoliis sp. Aromatici rosati, sp. Diacymini, sp. Diacalaminthes, sp. Diatrion piperion, sp. Diagalangæ, sp. Diambræ, sp. Electuarii de geminis, sp. Diamargariti frigidi, sp. Dianoschi dulcis, sp. Lætitiæ Galeni, sp. Diarhodon abbatis, sp. Diapenidii, sp. Diacurcumæ, sp. Dialaccæ, sp. Pliris Arcoticon, sp. Lithontribon, sp. Diamaron, sp. pro Epithemate cordis, sp. pro epithemate Epatis, Pulvis ad præcipitatos, pulvis lumbricorum, pulvis contra pestem.

Species in officina usitatæ.

4. Rotularum seu tabellarum quæ sunt genera?

Rotulæ seu tabellæ conficiuntur ex speciebus seu pulveribus mixtis & saccaro in aliquo liquore resoluto, & rursus ad liquoris absumptionem cocto & tot Rotularum genera, quot & specierum: Et Medici hoc modo distinguunt à speciebus, quod addant vocabulum Rotulæ, ut

Rotularum compositio.

℞. Aromatici rosati in rotulis.

Vbi vero pulveribus uti volunt, præscribunt,

℞. sp. Aromatici rosati.

5. Quæ Electuaria usitata prostant in Myropoliis?

Electuaria dicuntur omnia medicamenta composita, quæ habent formam crassioris mellis. Conficiuntur autem ex variis speciebus ac pulveribus melle defecato, aut saccaro liquefacto mixtis. Electuariorum autem alia sunt ἀντίδοτα, quæ veneno adversantur: alia narcotica sive opiata, quæ somnum conciliant & dolores mitigant: alia laxativa, quæ humores vitiosos è corpore pellunt: alia quæ robur corpori inferunt, quæ electuaria confortativa dicuntur.

Electuariorum differentia.

Antidota sive Electuaria veneno adversantia usitatiora sunt:

Theriaca Andromachi,
Theriaca Diatessaron,

Mi-

Mithridatii Antidotum,
Aurea Alexandrina,
Elect. Liberantis,
Elect. de baccis lauri,
Diacastoreum.

Narcotica sive Opiata somni feraque usitatiora sunt:

Philontum majus,
Requiens Nicolai,
Triphera magna.

Electuaria Laxativa usitatiora sunt:

Diacatholicon,
Confectio hamech,
Elect. de succo rosarum,
Elect. Indum majus,
Benedicta laxativa,
Diacarthamum,
Diaturbith,
Diaprunum simplex,
Diasena,
Electuarium,
Hiera picra Galeni.

Electuaria confortantia usitatiora sunt:

Diasatyrion,
Acorus conditus sive diacorum,
Diacytonitum & omnes fructus & radices condita, & conservarum genera.

6. Quæ pillulæ usitatiores prostant in Myropoliis?

Pillulæ. *Pillula sive catapotia conficiuntur ex pulveribus simplicium rerum, qui interventu Aloës & alicujus liquoris contundendo formantur in massam duriusculam, ex qua tandem, ubi usus postulat, certum pondus reformatur in exiguos globulos, ad deglutiendum idoneos, qui pillula dicuntur. Vtimur autem pillulis, ut electuariis laxativis, ut plurimum ad evacuandos humores vitiosos. Sunt autem pillula usitatiores:*

Pillula
Alephangina,
Assajereth,
De agarico,
Aurea,
Aggregativa,
Arabica,
Masthichina,
Cochia,
Fœtida,
De fumo terra,
Sine quibus,
Stomachica,
Lucis majores,
De Rhabarbaro,
De Eupatorio,
De Hermodactylis,
De lapide Lasuli,
Arthritica.

7. Qui sunt Trochisci usitatiores?

Trochisci sive pastilli veluti pillularum massa ex pulveribus cum aliquo liquore contusis, conficiuntur & exsiccantur, quibus si forma additur rotunda & compressa instar exiguarum rotularum, nec eis ut pillulis Aloë admiscetur: Earum usus per se est rarissimus, sed ut plurimum aliis compositis remediis admiscentur. Sunt vero usitatiores Trochisci:

Trochis. Trochisci usitatiores.
De Absynthio,
De Rhabarbaro,
De Gallia Moschata,
Alipta Moschata,
De spodio,
De Myrrha,
De carabe,
De terra sigillata,
Diarhodon,
De violis,
De Eupatorio,
De Berberis,
De capparibus,
Alhandal,
De Alcakengi,
De Agarico,
Bechici nigri & albi.

8. Quæ decocta habentur in Myropoliis?

Decocta dicuntur liquores in quibus aliqua simplicia, veluti radices, herba, flores, semina, & fructus aut aromata sunt artificialiter incocta, sed prostant nulla in Myropoliis decocta, propterea quod facile corrumpantur. Sed Medicus ubi necessitas urget, ex tempore prascribit. Communissima autem decocta sunt decoctum commune. Decocta.

Deco-

Decoctum florum ac fructuum.

Aqua hordei,
Cremor ptisanæ,
Hydromeli.

9. Qui sunt Syrupi usitatiores?

Syrupi Arabibus, Græcis σεράπια, formam habent liquidioris mellis. Conficiuntur autem ex decoctis aut succis expressis & defecatis, ac melle vel saccaro. Eis utimur ad præparandos vitiosos humores ante purgationem. Raro autem solos merosque Syrupos exhibemus, sed dilutos cum aliquo liquore. Sunt autem usitatiores syrupi qui in officinis extant:

Mel rosarum,	*de prassio,*
Oxymel simplex,	*de papavere,*
Oximel scylliticum,	*de Menta,*
S. acetosus simplex,	*de Absynthio,*
Syr. Rosarum,	*de calamintha,*
Violarum,	*de fumo terræ,*
è pomis,	*de eupatorio,*
de granatis,	*de Epithymo,*
è citreis acidis,	*de lupulo,*
de agrestis,	*de cicoreo,*
de succo acetosæ,	*de 5. Radicibus,*
de scolopendrio,	*de Arthemisia,*
de stæchade,	*Bysanthinus,*
de Iujubis,	*de Endivia,*
de capillis Veneris,	*de Nymphea,*
de hyssopo,	*de Cydoneis.*

10. Qui Loch sive lambilia Electuaria sunt usitatiora?

Loch, Græcis ἐκλέγματα sunt medicamenta quæ lingendo assumuntur, liquiditate ab Electuariis differunt. Formam enim liquidi mellis paulo crassiorem quam syrupi habent. Conficiuntur vero ex decoctis saccaro & pulveribus: sunt vero usitatoria ἐκλέγματα

Loch sanum & expertum,	*è Scilla,*
è pulmone Vulpis,	*Diacodion,*
è pino,	*Diamoron,*
è papavere,	*Loch nucum seu diacarion.*

11. Conservæ usitatiores quæ?

Conservæ. *Conservæ sive flores conditæ, formam habent electuariorũ, & constant ex concisis minutissime recentibus floribus, & saccaro simul commixtis; sunt autem usitatiores conservæ:*

Conservæ Rosarum,	*Melissæ,*
Violarum,	*Nymphea.*
Boraginis,	*Et cujusvis herbæ in usum medicum receptæ.*
Buglossæ,	
Roris marini,	
Salviæ,	

Ad conservarum ordinem referuntur & fructus radicesque saccaro condita, veluti sunt Zinziber conditum, Enula condita, calamus aromaticus conditus, pyra muscatellina condita, juglandes conditæ, cidonia condita, nuces moscatæ conditæ, cortices & flores arantiorum conditi, rad. pimpenellæ conditæ. Condita.

12. Tragemata usitatiora quæ?

Tragemata sunt pulveres ex aromatibus vel speciebus & saccaro commixti ad corroboranda viscera principaliora cerebri, cordis, ventriculi & epatis compositi: non prostant parati præterquam Tragea Imperatoris ex cinamomo, Zinzibere & saccaro albissimo parata: ubi autem usus postulat, Medicus pro arbitrio ea ordinat ac præscribit. Tragemata.

13. Collyria usitatiora quæ sunt?

Collyria Latinis dicuntur medicamenta ocularia, quæ videlicet oculis induntur, quorum formæ tres sunt; Alia enim sunt liquida, quæ ex liquoribus sive succis & simplicium rerum pulvisculis tenuissimis constant. Alia sunt arida ex solis pulveribus unius aut plurium. Alia instar unguenti ex pulveribus, oleis aut succo aliquo conficiuntur. Materia aridorum collyriorum ut plurimum Metallica sive mineralia sunt. Collyriorum differentia.

Raro in Myropoliis parata habentur collyria excepto unguento ex pompholyge, sed pro ocularium affectionum varietate, ut res expostulat, variè præscribuntur à Medicis, quorum paradigmata in curatione oculariorum morborum proponemus.

14. Errhina usitatiora quæ sunt?

Errhina dicuntur medicamenta, quæ naribus inseruntur; quæ & ipsa aut arida sunt, ut pulveres & radices; aut liquida ut succi & decocta. Eorum usus est ad affectionem meatuum ex cerebro ad nares prodeuntium ad excitandam sternutationem & purgandum cerebrum per nares. Errhina ut pluri- Errhinorum usus.

mum

mum ex radice Gentianæ Betæ, ex Majorana ejusque succo aut decocto, & betæ succo, pulveribus quorundam simplicium, quarum paradigmata suis in locis ostendemus.

15. Gargarismata usitatiora quæ sunt?

Gagarismi. *Ut Errhinis per nares, ita Gargarismatis per palatum detrahuntur vitiosi humores ex cerebro. Utimur eis & in exulcerationibus faucium. Conficiuntur autem Gargarismata ex decoctis aut aquis stillaticiis, aut succis herbarum, quibus admiscentur mel rosarum aut Diamoron aut Loch nucum pro varietate affectionum faucium; non prostant in Officinis, sed à Medicis pro varietate morbi ex tempore præscribuntur.*

16. Clysteria quæ sunt usitatiora?

Clysterum usus. *Κλυστὴρ seu Ἔνημα, Latinis lavamen seu injectum significat, sed hujus temporis Medici & in Latina & in Germanica lingua retinent appellationem Græcam & Clyster nominant. Utimur autem clysteribus in abluendis & abstergendis sordibus ac flatibus potissimum qui in intestinis continentur, quanquam per consecutionem & ex longinquioribus partibus attrahant vitiosos humores. Componuntur clysteria ex decoctis herbarum aut jusculo carnium aut lacte, cui purgans aliquod medicamentum olea & modicum salis est admixtum. Non extant parata, sed ut necessitas postulat à Medico præscribuntur.*

17. Pessi quid, & qui sunt usitatiores?

Pessi. *Pessi sunt Medicamenta quæ uteris mulierum induntur instar glandis. Conficiuntur autem pessi ex aridis pulveribus, fomentis & liquoribus simul mixtis, & ad justam duritiem redactis, ac in pollicis figuram conformatis, qui sindone involuti oblongo filo adpenduntur: ac ubi necessitas urget, osculo matricis induntur. Utimur eis ut plurimum aut ad provocationem aut retensionem mensium: aut ad emolliendos matricis tumores; aliaque ejusdem vitia.*

18. Glandes usitatiores quæ sunt?

Glandes, Græcis βάλανοι, vulgus & officina suppositoria vocat; & sunt medicamenta quæ podici aut ano inseruntur. Conficiuntur suppositoria ex melle ad justam duriciem cocto, cui, antequam indurescat mel, admiscentur pulvis colocynthidos aut Hieræ simplicis & salis momentum & confunduntur in massulam digiti longitudinem & calami majusculi crassitiem æquantem. Utimur his in infantibus & aliis ægrotantibus, ubi feces in intestino vehementius induruerint, & excerni nequeant, & semper extant venales in Miropoliis. Suppositoria.

9. Epithemata quæ sunt usitatiora?

Epithemata medicamenta sunt liquida, aut ex stillaticiis aquis, aut ex siccis, aliisque liquoribus & speciebus simul mixtis composita sunt, quæ aut panno aut duplicatis linteolis excepta, affectis corporis partibus, fronti videlicet, temporibus, cordi, Epati, carpo, pedibusque imponuntur & alligantur. Nulla autem prostant, sed ex tempore præparantur. Epithemata.

20. Quæ olea prostant usitatoria?

Olea chirurgiæ parti artis Medicæ dedicata sunt. Extra enim corpus manibus illiniuntur. Oleorum porro alia ex floribus & herbis, radicibusque in oleo olivarum maceratis, incoctisque parantur: alia ex fructibus, seminibus, aliisque materiis vi ignis eliciuntur. Sunt autem usitatiora quæ in Myropoliis habentur olea: Olea communia. Olea stillaticia.

Ol. Absinthii,
Anethinum,
Camæmelinum,
Rosarum,
Violarum,
Ricinum,
Liliorum alborum,
Irinum,
Sampsuchinum,
Nymphææ,
Cytoniorum,

Myrthinum,	*Amygdalarum dulcium,*
Mente,	*Amyg. amararum,*
Rutaceum,	*Ex baccis Iuniperi,*
Nardinum,	*Terebinthinæ,*
Mastichium,	*Tartari,*
Hypericonis,	*Vitrioli,*
Ex cappare,	*Anisi,*
Ex Euphorbio,	*Cinamomi,*
Ex piperibus,	*E nucibus Muscatis,*
Vulpinum,	*Petroleum,*
Lumbricorum,	*Spicæ,*
De castoreo,	*Carvi,*
Scorpionum,	*Cymini &c.*
Laurinum,	

21. Quæ linimenta quæve unguenta prostant usitatiora?

Linimenta. *Linimenta & unguenta sola duritie ac mollitie inter se differunt, utraque enim componuntur ex oleis, cera aut resinis & pulveribus. Vnguenta paulo crassiora sunt. Plus enim ceræ recipiunt, Linimenta vero molliora. Linimenta nulla habentur in officinis parata, sed ex tempore conficiuntur. Vnguenta autem usitatiora sunt:*

Vnguenta usitatiora.

Vnguentum Arrogon,	*Diapompholygos,*
Agrippæ,	*Pectorale,*
Marciatum,	*ad Scabiem,*
de Althea,	*Apostolorum,*
Populeum,	*Refrigerans Galeni,*
Aureum,	*Pediculorum,*
Ægyptiacum,	*Rubeum potabile.*
de Cerussa,	

22. Quæ cataplasmata usitata prostant?

Cataplasmata. *Cataplasmata dicuntur quæ ex herbis, floribus, seminibus, farinis, aliarumque rerum pulveribus simul commixtis cum liquoribus & oleis ad pultis formam sunt cocta, quæ instar Emplastri per pannum aut duplicatos linteolos extensa affecto loco applicantur. Nulla cataplasmata extant, sed ex tempore parantur.*

23. Quæ Emplastra & cerota habentur in Myropoliis?

Emplastra. *Emplastrorum ac cerotorum materia est oleum, cera, gummata, & pulveres mineralium metallorum, aliarumque rerum, quibus utimur in tumoribus, inflammationibus, vulneribusque partium; sunt autem usitatiora:*

Emplast. Diachylon,	*De baccis lauri,*
de Mililoto,	*De crusta panis,*
Oxycroceum,	*De lapide calaminari,*
Gratia Dei,	*Album coctum,*
Apostolicum,	*Viride.*
Contra rupturam,	

Cerota. *Cerota plus quam Emplastra ceræ recipiunt, usitatiora sunt:*

Cerot. Refrigerans Galeni,
Stomachicum,
Sandalinum.

24. Sacculi qui usitatiores?

Sacculi. *Nulli sacculi prostant in Myropoliis parati, sed ex arbitrio Medici ex tempore parantur. Vtimur autem sacculis in capitis doloribus, in cordis affectionibus, in ventris tumoribus ac doloribus, in sphyncterum prolapsu. Conficiuntur autem sacculi ex herbis, floribus, radicibus, seminibus inter se mixtis, & minutim concisis, atque in sacculum linteum consutis.*

SECTIO VII.

Et Ultima,

DE UNIVERSALIBUS REGULIS IN CURATIONE OBSERVANDIS.

1. In curandis morbis quæ axiomata & regulæ generales sunt observandæ?

Regulæ ferè omnes, quæ in Medicationibus morborum observandæ sunt, habentur in Aphorismis Hippocratis, qui dignissimi sunt, à tyronibus Medicinæ ad unguem ediscantur; Verum præter eas sequentia axiomata semper ob oculos sunt habenda:

Fundamentum totius curationis. I. *Contraria semper contrariis sunt curanda, & similia similibus conservanda, &, ut Galen. inquit* lib. 13. meth. med. cap. 6. *Omnis intemperantia semper contraria requirit.*

II. *Qua-*

II. *Quæcunque sunt in corpore humano præter naturam, debent removeri; quæ vero secundum naturam, conservari:* Galen. lib. 8. Meth. cap. 9.

III. *Natura est curatrix morborum, Medicus vero est minister naturæ:* Com. 5. in 6. Epid. t. 1.

IV. *Affectiones & dispositiones magnæ, magnas causas habent.*

Ordo curationis.

V. *Causæ prius quam morbi semper debent præcidi ac removeri.*

VI. *Morbi semper prius sunt curandi quam symptomata, nisi talia sint symptomata, quæ vires prosternant: Tum enim curationem ad se convertunt.*

VII. *Viribus imbecillis, lenis lentaque curatio est necessaria: extremis autem morbis extrema remedia sunt adhibenda.*

VII. *Bona constitutio partium, bonarum, mala malarum est actionum causa, atque illa sanitas, hæc morbus dicitur.*

Revulsio.

IX. *Supervacanea quæ à valentioribus partibus expelluntur, semper ad partes imbecilliores procumbunt:* Galenus com. aph. 33. l. 4.

X. *Dolor & particulæ inflammatæ calor, fluxionis sunt causæ. Quare tum purgandum est totum corpus, etiamsi careat vitiosis humoribus:* Galen. lib. 13. cap. 5. meth. medend.

Non esse recedendum à bono, licet in eo tardaverit juvamentum vult Avicenna.

XI. *Medicamenta primum oblata, si paulum conferant, tametsi tardius curent, ea sunt usurpanda, nec temerè protinus ad aliud transeundum: quæ autem noxia sunt statim removenda:* aph. 52.

In digerentium usu observanda.

XII. *Digerentia medicamenta, ubi redundantia humorum in toto corpore subest, si partibus affectis applicantur, implent potius quam vacuant. Iis itaque non nisi purgato corpore, aut parte illa, quæ excrementum ad locum affectum transmittit, utendum est:* Gal. lib. 13. cap. ult. meth. medend.

Roborantia non negligenda.

XIII. *Principibus partibus laborantibus nullum adferendum est remedium, quod immodicè vel refrigeret, vel calefaciat, vel aliqua aliena qualitate sit imbutum, & semper ei aliquid est admiscendum, quod corroborandi facultatem habet.*

Capitis remedia ubi applicanda.

XIV. *Quoties vim medicamenti alicujus ad cerebrum exactè descendere velis, ad coronalem suturam in syncipite id applicabis. Tenuissimum enim & rarissimum eo in loco est cranium. Omnes itaque infusiones ad hanc maximè partem applicantur:* Gal. lib. 13. cap. 12. meth. med.

In medicam. hepatices & spleneti-ces observanda.

XV. *Iecinori inflammatione laboranti, non debet imponi aut epithema aut fomentum aut cataplasma actu frigidum:* Gal. lib. 13. c. 12. meth. med.

XVI. *Iecinori & lieni inflammatis, quæ foris applicantur remedia ea multæ facultatis, id est, astringentia simul & laxantia esse debent;* Gal. lib. 13. cap. Meth. medend.

Lienis quoque pars suo modo purganda.

XVII. *Gibba epatis per renes diureticis remediis expurgari debet, cava vero ejus pars per inferiorem ventrem. At lien nunquam per renes, sed per intestina evacuatur;* Galen. lib. 13. cap. 6. meth. med.

Oesophago ubi applicanda remedia.

XVIII. *Gula quæ propriè stomachus vocatur, & spinæ cervici adjacet, ac per collum & pectus in ventriculum deorsum protenditur, externa remedia veluti sunt cataplasmata & emplastra super spinam cervicis imponi debent, & non parti anteriori, quemadmodum etiam ubi orificium ventriculi est inflammatum:* Gal. lib. 13. cap. 26. meth. med.

Focus febrium.

XIX. *In quotidiana febri semper afficitur orificium ventriculi, in tertiana jecur, & in quartana lien, & ut plurimum ex eorum viscerum affectione generantur febres;* Gal. lib. 1. cap. 5. de Art. curat. ad Glauc.

Quæ venæ in singulis partibus aperiendæ.

XX. *De venæ sectione in phlegmone oris & palati, item jecinoris, pectoris & pulmonis atque cordis semper interna cubiti vena est secanda: in angina autem primum interna cubiti, deinde hæ quæ sub lingua habentur. Qui vero circa occiput laborant, primo cubiti, deinde frontis est incidenda: Renibus vero, pudendo, vesica & utero affectis eam incidimus, quæ est sub directo loci affecti.*

XXI. *In jecinoris inflammatione dextræ manus, in lienis sinistræ vena cubiti est aperienda:* Galenus libr. 13. capit. 11. Methodi medend.

Fluxiones ut sistendæ.

XXII. *Fluxionis motum semper ad contrarium trahere oportet. Partibus itaque superioribus inflammatis, per inferiora sanguis est educendus, & contra inferioribus inflammatis, per superiora: Galenus* lib. 2. capit. 2. de arte curativa ad Glauconem.

Cucurbitulæ ut recte adhibendæ.

XXIII. *De Cucurbitulis. Cucurbitulæ autem evocant aut eximunt, eruuntque aut provocant, aut avertunt: Ad mammas affixæ sanguinem ex utero fluentem repellunt: præcordiis applicatæ sanguinis fluxum è naribus erumpentem cohibent: evocant autem & proliciunt menses pubi & inguini affixæ, occipiti applicatæ oculorum fluxiones avertunt, vacuari tamen prius corpora quibus applicantur oportet, aliàs enim replent partem, cui applicantur, pravis humoribus: Galenus* libr. 13. cap. 18. meth. med.

Purgantia humoribus accommodanda.

XXIV. *De purgatione humorum. Flavæ quidem bilis evacuatio est facilis, pituitæ vero seu nigræ bilis difficilior: quo magis purgantis medicamenti ope indigent; Galen.* lib. 12. cap. 17. meth. med.

Et tantum de Medicinæ generalibus, sequentur mox σὺν Θεῷ particulares morborum curationes.

Compendii artis Medicæ

FRANCISCI JOELIS

FINIS.



FRAN-

FRANCISCI JOELIS

OPERUM MEDICORUM

TOMUS SECUNDUS,

In quo

LIB. I. ET II.

De

MORBIS ET AFFECTIBUS CAPITIS, CEREBRI, ORGANORUM SENSUUM, FAUCIUM ET COLLI.

1. *Quæ sunt præcipuæ capitis affectiones?*

De sensoriorum affectibus agit auctor lib. 2.

FFECTUS morbique capitis quadruplicis sunt differentiæ. Alii enim in Meningibus seu membranis cerebrum ambientibus; alii in ipsa substantia cerebri, alii in cavitatibus meatibusque cerebri; alii in tegumentis & cutaneis partibus capitis oboriuntur, qui omnes in subsequenti tabella ordine comprehenduntur.

Tabella morborum & affectuum capitis.

Affectus capitis interni.

Morbi & affectus capitis alii sunt

- In Meningibus, ut
  - Cephalalgia,
  - Cephalæa,
  - Hemicrania.
- In substantia cerebri, ut & ratiocinationem lædunt,
  - Phrenitis,
  - Melancholica insania,
  - Mania,
  - Memoriæ læsio,
  - Soporosi affectus.
- In cavitatibus cerebri & sensum ac motum lædunt, ut
  - Vertigo,
  - Epilepsia,
  - Apoplexia,
  - Paralysis,
  - Convulsio der Krampff /
  - Tremor,
  - Incubus,
  - Catarrhus.
- In tegumentis & partibus cutaneis capitis, ut
  - Alopecia,
  - Ophiasis,
  - Capillorum defluvium,
  - Phthiriasis,
  - Acores,
  - Vulnus Cranei.

Affectus pilorum & cutis.

SECTIO I.
DE DOLORIBUS CAPITIS.

1. *Cephalalgia & Cephalæa qui morbi sunt, & quæ earum affectionum causæ?*


Κεφαλαλγία & κεφαλαία sunt generalia dolorum capitis vocabula, quæ inter se non differunt, nisi doloris vehementia & durationis tempore. Cephalalgia enim, quæ Arabibus Soda dicitur, est dolor capitis non inveteratus nec adeò vehemens, sed Cephalæa est vehemens diuturnus & ægrè cedens capitis dolor, *Galen. lib.* 3. *cap.* 9. *de locis affectis teste.* *Differentia doloris capitis.*

CAUSÆ doloris capitis complures sunt, quarum προηγουμέναι id est internæ causæ sunt, aut simplex aliqua qualitas calida, frigida, sicca &c. aut qualitas humori alicui, ut sanguini, bili flavæ, bili atræ, aut pituitæ juncta; aut flatuosi spiritus, qui in venis & arteriis intra caput contentis occlusi sunt; aut vapores fuliginosi, & acres ex ventriculo, epate, liene, utero & aliis visceribus elevati, membranas cerebri obsidentes ac distendentes: προκαταρκτικαὶ verò causæ sunt, aut aëris ambientis vehemens caliditas, radii solares caput ferientes, frigiditas, crapula, & ictus. De causis dolorum capitis legatur *Galen. lib.* 1. *cap.* 1. de *compositione medicamentorum secundum loca.* Harum causarum singulæ per propria agnoscuntur signa, & singula peculiarem desiderant medicationem, ut in sequentibus ostendemus. *Causæ doloris capitis internæ.* *Causæ externæ.*

2. *In doloribus capitis qui aphorismi sunt observandi?*

Hi potissimum aphorismi in capitis doloribus observandi sunt.

I. Quibus febricitantibus Urinæ sunt perturbatæ, quales sunt jumentorum, iis dolor capitis vel adest vel aderit, *Hip.* 4. *Aph.* 70.

II. Quicunque circa distinctionem, indiscriminatimque doloris capitis auxilia adhibent, majus sæpe detrimentum quam emolumentum adferunt, *Galen. lib.* 2. *cap.* 1. *de Med. comp. secundum loca.* *Remedia in dolore capitis cautè & cum prudentia adhibenda.*

III. Caput dolenti & circumdolenti pus vel aqua vel sanguis per nares, aut os, aut aures effluens, morbum solvit, *Hip.* 6. *Aph.* 10.

IV. Posteriora capitis dolenti frontis vena incisa remedio est, *Hip.* 5. *Aph.* 68.

V. Quicunque sani dolore capitis repentè capiuntur, & statim muti fiunt ac stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris eos apprehenderit, *Hip.* 6. *Aphor.* 51.

VI. Lac dare caput dolentibus malum, *Hip.* 5. *Aphor.* 64.

VII. Si dolor capitis cum gravitate adest, humorum multitudinem ostendit; si cum mordicatione, humoris acredinem; si cum pulsu, inflammationem; si cum tensione spirituum flatulentorum copiam; si rursum tensio fiat cum pulsu, menyngum inflammationem: si verò tensio fiat cum gravitate, humorum flatuumque copiam intra menynges contentam significat. Quæ signa omnia & causas & curandi modum indicat *Galen. lib.* 1. *cap. ultimo ad Glauconem.* *Signa diversarum causarum doloris capitis.*

2. *Cephalalgia sive dolor capitis ex nuda caliditate quibus ex causis oboritur, per quæ signa dignoscitur, & quibus remediis curatur?*

Raro dolores capitis ex sola ac nuda intemperie citra præsentiam alicujus humoris fiunt; & quando fiunt non diu perdurant: Frequenter autem ubi est vel plethora vel κακοχυμία. *Dolor capitis ex intemperie calida.*

Causæ προκαταρκτικαὶ doloris capitis ex sola *Causæ.*

ſola calida intemperie orti ſunt, ſolis radii calorque caput feriens: aut aër ambiens æſtuans, impenſeque arte calefactus ut in hypocauſtis, aut odor rerum calidarum, ut aromatum. *Hipp. aph. 28. lib. 5. ſuffitus aromatum capitis gravitatem facit.*

Signa. Signa calidæ intemperiei ſunt; Dolor capitis eſt vehemens, caput ad tactum manus calidum ſentitur, Æger rerum frigidarum applicatione gaudet.

Curatio. Curatur hic morbus duobus inſtrumentis, victus ratione, & medicamentorum refrigerantium impoſitione. *Diæta.* Victus ratio huic dolori convenit primum, ut utatur æger cibis refrigerantibus & boni ſucci, veluti ſunt carnes pullorum, piſces ſquamati cum aceto conditi, item ova ſorbilia, ptiſana, lactuca, & bibat aquam hordei. Secundò verſetur ac dormiat in loco frigidiuſculo. Tertio, utatur ſomno longiori. Quarto caveat ne alvus conſtringatur, & ubi conſtipata eſt, utatur eſu prunorum Ungaricorum, cum quibus coctæ ſunt foliorum ſenæ ʒ II.

Medicamenta refrigerantia. Medicamenta ſequentia illi conveniunt: Electuarium refrigerans.

℞. Conſervæ Roſarum ℥ II.
Manus Chriſti ſimp. ℥ s.
Pul. Margaritarum præparatarum ʒ I. cum q. ſ. Syr. Violarum. Fiat electuarium, de quo ſumat æger mane ac veſperi quantitatem mediæ nucis juglandis.

Potio alterans ac refrigerans.

℞. Syr. Acetoſitatis citri,
Aquæ { Violarum an. ℥ I.
Endiviæ,
Cicoreæ an. ℥ IIII. }

Miſceantur fiat potio, cujus una pars media mane, altera veſperi tepida exhauriatur.

Topica remedia foris applicanda.

Epithema refrigerans. *Epithema alterans.*

℞. Aq. Roſarum ℥ IIII.
Aceti roſarum ℥ s.
Olei roſarum ℥ II.

Albumina ovorum n. 2. conquaſſata ſimul miſceantur & duplicatis linteolis excepta ſyncipiti juxta coronalem ſuturam & temporibus applicentur.

Unguentum. *Vnguentem alterans.*

℞. Olei Roſarum ℥ I.
Muſcilag. Seminum pſilii,
Et cotoniorum cum q. ſ. aquæ roſaceæ factæ ℥ I. ceræ albæ parum, liquefacta ſimul ad ignem, miſceantur, fiat unguentum quo inungantur tempora & ſynciput.

Sacculus capitalis. *Sacculus alterans capiti imponendus.*

℞. Florum roſarum,
Violarum,
Nympheæ an. M. II.
Verbenacæ,
Malvæ,
Chamæmeli an. M. I.
Pulv. Sandali rubei ʒ II.
Camphoræ ℈ I. Concidantur craſſiuſculè, & in oblongum linteum ſacculum inſtar faſciæ conſuantur & interſuantur, quod poſtea irroretur cum aqua & aceto roſaceo, capitique & temporibus circumligetur. Utile quoque eſt, pedes fovere ac abluere in aqua calida in qua incoctæ ſunt ſequentes herbæ. *Lotio pedum.*

℞. Fol. Salicis,
Malvæ an. M. II.
Flor. Chamæmeli,
Melliori an. M. I.
Capit. papaveris n. X. Coquantur in aqua q. ſ. per horam dimidiam.

Dolor capitis ex frigiditate.

3. *Cephalalgia ex nuda intemperie frigida quas habet cauſas, quibus dignoſcitur ſignis, & quibus remediis eſt curanda?*

Cauſa. Cauſa doloris capitis ex nuda intemperie frigida orti ſunt, aut intenſa aëris frigiditas caput nudum ambientis: aut perfuſio capitis cum frigidiore aliquo liquore.

Signa. Signa diagnoſtica doloris capitis ex frigiditate ſunt, facies decolor & ſubalba, & ad tactum capitis nulla ſentitur caliditas; inſuper frigidorum admotione offenduntur.

Curatio. Dolor capitis ex frigiditate nuda ortus duobus curatur inſtrumentis, victus ratione & medicamentorum uſurpatione.

Diæta. Victus ratio ei accommoda eſt, ut verſetur in aëre vel loco calidiuſculo, ac vitet frigidum aërem: à lactis, piſorum, carnis ſuillæ

ſuillæ ac piſcium eſu abſtineat, veſcatur autem ovis recentibus ex iiſque paratis juſculis, Eſculenta ejus condiantur aromatibus, cinamomo, croco, Zinzibere ac pipere. Bibat vinum generoſum ſed moderatè: utatur & moderato corporis exercitio, ac fugiat longum ſomnum.

Medicamenta. Medicamenta in tali dolore conveniunt ſubſequentia.

Pulvis maſticatorius. ℞. Diamoſchi dulcis ℥ II. in rotulis, ex quibus duas mane jejunus & veſperi devoret, in ore ſubſequentem pulverem obſtructis naribus mane ac veſperi commaſticabit.

℞. Cinamomi,
Cariophyllorum an. ʒ s.
Cubebarum ʒ I.
Macis ℈ I.
Carvi ℥ s.

Foliorum Majoranæ ℈ II. concidantur ſimul craſſiuſculè & commiſceantur, de quo pro una vice maſticet æger quantum tribus digitis comprehendere poteſt, ex quo ubi ſapor omnis evanuit, rurſum expuat.

Topica remedia foris capiti applicanda.

LINIMENTUM.

Linimentum cerebrum calefaciens. ℞. Olei trini,
Rutæ an. ℥ s.

Ceræ parum, liquefiant ac poſtea eluantur cum aqua Lavendulæ aut vino ardente, quibus effuſis, admiſceantur
Pul. Majoranæ,
Betonicæ,
Carvi an. ℈ I. fiat Linimentum, quo bis per diem inungantur tempora, nares, & ſutura coronalis in ſyncipite.

SACCULUS.

Sacculus capitalis. ℞. Majoranæ,
Serpilli,
Betonicæ,
Mentæ an. M. I.
Flor. Lavendulæ,
Spicæ celticæ an. M. s.
Cariophyllorum ʒ II.

Seminis carvi ℥ s. concidantur & in oblongum ſacculum conſuantur & interſuantur, fiat ſacculus capitalis, qui aqua Lavendulæ madefactus & per ferventes lateres calefactus, aut in vino Rhenano calido madefactus, rurſumque manibus expreſſus capiti faſciis circumligetur. Manibus geſtet faſciculum aut florum Lavendulæ aut Majoranæ, aut florum Cariophyllorum, aut pomum Ambræ in Myropoliis vocatum, quod ex aromatibus eſt confectum, & ex his frequenter odorem naribus attrahat. *Odoramenta.* Iturus cubitum foveat lavetque pedes in aqua calida, cui incoctæ ſunt Salvia, ruta, abſynthium, Serpillum, Melilotum, chamæmelum an. q. ſ. *Lotio pedum.*

4. *Cephalalgia ſive dolor Capitis ex ſola ſiccitate quas habet cauſas, quæ ſigna, & quibus remediis curandus?*

Siccitas paſſiva eſt magis quam activa qualitas & perpetuò oboritur aut ex caliditate aut frigiditate & per ſe nullum efficit dolorem, *Galeno lib.* I. *cap.* 5. *de cauſis ſymptom. teſte.* *Dolor capitis ex ſiccitate.*

Cauſæ itaque proximæ ſiccitatis effectrices ſunt aut caliditas aut frigiditas: Remotæ verò cauſæ quæ cerebrum exſiccant, ſunt aër ſiccus & ſqualidus, continua & laborioſa exercitia, crebra Venus, vigiliæ continuæ, & animi mœror. *Cauſæ.*

Signa arefacti cerebri ſunt oculi concavi, nares aridæ, nihilque humiditatis ex eis profluens, & continuæ vigiliæ. *Signa.*

Curatio exſiccati cerebri perficitur victus ratione & pharmacis. *Curatio.*

Victus ratio huic convenit humida: verſetur itaque æger in aëre aut natura aut arte humefacto. Veſcatur cibis humidis & boni ſucci, veluti ſunt ova ſorbilia, pulli gallinacei &c. Vinum bibat tenue aut cereviſiam tenuem, ſomno utatur quam poteſt largiſſimo, ſit ocioſus, vitet Venerem, & omnes vehementes corporis motus, utatur & lavacris ſive balneis aquarum tepidarum. *Diæta.*

Remedia topica cerebrum humectantia.

LINIMENTUM.

Linimentum cerebrum humectans. ℞. Olei violarum,
Nympheæ,

Roſa-

Rosarum an. ʒ s.
Pinguedinis Gallinæ,
Butyri salis experti an. ʒ 1.
Aceti rosacei guttulas 4. Misceantur, fiat linimentum, quo inungat tempora & syncipur, indat naribus guttulas aliquot olei rosarum. Commodissimè uti potest & lotione pedum aquæ tepidæ in qua incocta sunt Malva, violaria & chamæmelum.

Observandum in hac curatione. Nota tamen curationem siccitatis cerebri variandam esse pro ratione caliditatis ut frigiditatis, cui siccitas est adjuncta, quarum qualitatum curationem paulò ante tradidimus.

5. *Cephalalgia sive capitis dolor ex nuda humiditate quas habet causas, quæ signa, & qua ratione curandus?*

Dolor capitis ex humiditate. Humiditas similiter ut siccitas est passiva qualitas, & nuda per se nullum excitat dolorem, sed adjuncta caliditati vel frigiditati sæpe dolorem infert. Hoc loco humiditas non est intelligenda de redundantia vitiosorum humorum in cerebro, de quibus paulò post dicemus, sed de ea, quæ ab externis causis in cerebro excitatur. *Causa.* Humidius autem cerebrum redditur, aut ab aëre humido, aut ab humectantium alimentorum ac medicamentorum usu, aut ex assidua lotione capitis cum aqua calida.

Signa. Signa humiditatis cerebri sunt, nares humidæ & profluens mucus ex naribus, oculi eminentes ac humidi, continua somnolentia. *Humiditas cerebri sola potius stupiditatem quam dolorem inducit.* Sed, ut dixi, humida constitutio cerebri, quatenus est nuda qualitas nullum excitat dolorem, sed tantummodo gravitatem capitis; si verò humiditas conjuncta est vel caliditati, vel frigiditati, tum ad curationem earum qualitatum recurrendum est. Ubi verò vitiosis humoribus, sanguine, pituita, flava aut atra bile refertum est cerebrum, & inde excitetur dolor, ejus curandi rationes in sequentibus docebimus.

6. *Cephalalgia ex Sanguinis redundantia in venis capitis, quas habet causas, quæ signa, & quibus remediis curanda?*

Qui plethoricum habent corpus, id est qui venas habent refertas sanguine inculpato, sive qui natura sunt sanguinei, iis & venulas in cerebro ac capite repletas esse necesse est, & inde sæpe propter intensionem venarum, capitis gravitate & doloribus infestantur. *Dolor capitis ex sanguinis copia.*

Causæ verò exuberantiæ sanguinis in venis sunt, otium ac quies, & alimentorum boni succi uberior usus, & neglectus venæ sectionis, ac aliarum tempestivarum evacuationum. *Causa.*

Signa doloris capitis ex sanguinis redundantia sunt, tota facies rubicunda, venarum in pedibus ac manibus & in fronte tumor & sensibilis eminentia, urina crassa & rubea, & dolor cum pravitate capitis. *Signa.*

Curatur hic dolor tribus potissimum instrumentis, vel affectione, victus ratione, & convenientibus pharmacis. Ante venæ sectionem perpetuo in hujusmodi doloribus subducenda est alvus, quod sequenti clystere commodè fieri potest.

Enema alvum leniter subducens.
℞. Fol. Malvæ,
Athææ,
Violariæ,
Mercurialis an. M. 1.
Prunorum Ungaricorum n. 10. Decoquantur in aquæ q. s. ad tertias, colati juris hujus decocti ♃ ℔ 1. cui admisce,
Cassiæ recenter extractæ,
Elect. lenitivi an. ℥ vi.
Sacchari cand resoluti ℥ 1.
Olei violacei ℥ 111.
Salis communis ʒ 1.

Fiat Clyster & infundatur per syringa in rectum intestinum. Tribus horis post Clystera incidatur vena communis, quæ Mediana dicitur. *Vena sectio optimum in hoc casu remedium.*

Victus ratio hujusmodi præscribenda est ægro. *Diæta.* Versetur in aëre frigido & sicco, esculenta ejus potius sint assata, quam elixa, cum quibus addat esum lactucæ, & frequenter utatur ptisana, prunis Ungaricis & similibus. Vitet autem ova sorbilia & pullorum gallinaceorum carnes, bibat aquam hordei, à vino prorsus abstineat. Tandem tertio die post venæ sectionem, utatur sequenti bolo ad subducendam alvum. *Bolus alvum subducens.*

℞ Pulpæ caſſiæ recenter evulſæ ʒ x.
Conſpergatur pulvere Cinamomi ℈ I. & ſaccari albi q. ſ. Aſſumat una hora ante prandium, ſequenti verò die rurſum vena cubiti exterior, quam Cephalicam ſive capitis venam nominant, aperiatur. Quod ſi autem ætas aut virium imbecillitas venæ ſectionem impedit, cucurbiculæ cervici affigendæ erunt.

Vena ſectio reiterata.

Cucurbicula.

Topica remedia huic dolori convenientiſſima ſunt;

LINIMENTUM.

℞. Olei Chamæmelini,
Anetini,
Nympheæ,
Roſarum an. ʒ II.
Ceræ parum. Fiat linimentum, quo inungatur ſynciput, tempora & nares: aut utatur ſequenti Epithemate.

Epithema refrigerans.

℞. Succi Lactucæ,
Succi Fol. ſalicis an. ℥ II.
Aq. Roſarum ℥ VI.
Aceti Roſarum ℥ I. Miſceantur, & cum duplicato linteolo excepta futuræ coronali & temporibus applicentur.

7. *Cephalalgia bilioſa quibus ex cauſis excitatur, quibusque ex ſignis deprehenditur, & quibus remediis eſt curanda?*

Dolor capitis ex bile.

Oritur frequenter acris & vehemens capitis dolor ex redundantia bilioſi humoris, ſive is per totum corpus ſit diffuſus, ſive in venulis cerebri collectus, ſive etiam ex inferioribus viſceribus bilioſus vapor ad cerebrum delatus. Familiaris eſt hic dolor iis qui temperamento calidi ſunt & ſicci.

Cauſa.

Cauſæ autem ex quibus bilioſus humor & procreatur & augetur ſunt, ira, ſolicitudo, vigiliæ, labores, inediæ, vini meracioris frequens potatio, & ciborum acrium ac calidorum comeſtio.

Signa.

Signa bilioſæ Cephalalgiæ ſunt pallor faciei, amaritudo oris, linguæ & foraminum narium ſiccitas. Talis dolor capitis ut plurimum eſt ſymptoma tertianarum febrium.

Curatio.

Curatur hic dolor tribus inſtrumentis, venæ ſectione, victus ratione, & medicamentorum uſurpatione.

Si æger eſt juvenis & viribus adhuc conſtat, vena ei incidatur humeraria interna quam hepaticam vocant, vel mediana ejuſdem lateris, ſed parcior paulò ſanguis detrahendus eſt quam in cephalalgia ſanguinea.

Vena ſectio cum cautela adhibenda.

Victus ratio debet eſſe cauſis doloris contraria, refrigerans nimirum & humectans. Verſetur itaque ægrotus in aëre moderatè frigido & humido, qui ſi talis naturalis haberi non poteſt, arte talis eſt efficiendus, cubiculi nimirum pavimentum frigida aqua conſpergendo, aut folia ſalicis, junci, aut graminum per ſolum cubiculi ſternendo, & radios ſolares è cubiculo excludendo. Utatur æger quantum fieri poteſt ſomno longiſſimo, cibis veſcatur boni ſucci ac refrigerantibus & humectantibus, quales ſunt caro pullorum Gallinaceorum cum aceto aut omphaciis cocta, item lactuca & acetoſa, & ex piſcibus melanuri & lucii ac gobii, bibat aquam hordei, in qua pauxillum cinamomi eſt incoctum, à vino & cereviſiis fortioribus penitus abſtineat, balneum aquæ dulcis omnibus bilioſis naturis conveniẽtiſſimum eſt, modo abſit febris.

Diæta.

Somnus tamen longus in febribus bilioſis caput replet vaporibus: Ideo in febribus hoc remedium non adeò eſt tutum.

Medicamentis ſubſequentibus tali utatur ordine: Primo fervor & acris evaporatio bilioſi humoris mitigetur ſequenti potione.

Potio alterans ſanguinem.

℞. Syr. Granatorum,
Acetoſitatis citrii,
Violarum,
Nympheæ an. ℥ I.
Aq. Cicoreæ ℔ ſ.
Endiviæ,
Acetoſæ an. ℥ IIII. Commiſceantur ac fiat potio, quæ jejuno ventriculo per quatuor vices ebibatur. Deinde purgetur flava bilis uno ex ſubſequentibus pharmacis.

Potio bilem purgans.

Hauſtus cholagogus.

℞. Rhabarbari electi ʒ II.
Fol. Senæ ʒ I.
Cinamomi optimi ℈ I. Contuſa macerentur ſimul in aquis Cicoreæ & Endiviæ an. ℥ III. per ſpacium unius noctis, deinde colentur, colatoque juſculo admiſceantur,
Elect. Roſati Meſuæ ʒ I.
Pulpæ Caſſiæ ℥ ſ.

Fiat

Fiat haustus. Exhibeatur tepida ſex horis ante prandium, vel purgetur ſequenti bolo.

Bolus. ℞. Pulpæ Caſſiæ recenter extractæ,
Elect. lenitivi an. ℥ s.
Diagridii gr. v.
Cinamomi,
Aniſi an. ℥ s. Miſceantur, fiat bolus, qui conſpergatur ſaccaro, & devorandus ægroto offeratur ſex horis ante prandium: vel caput biliofis humoribus purgetur ſequentibus pillulis.

Pillula. ℞. Pil. aurearum, aggregativarum an. ℥ s. Reformentur pillulæ cum melle Roſaceo N. 27. & exhibeantur circa medium noctis.

Si verò biliofi vapores & acres humores à ſubjectis partibus eleventur, & cerebrum inficiant, ſequenti clyſtere commodiſſimè detrahi & evacuari poſſunt.

Clyſter revellens à capite & ſimul alterans. ℞. Malvæ,
Althææ,
Violariæ,
Mercurialis,
Cicoreæ an. M. I.
Hordei integri ʒ I.
Sem. Endiviæ,
Scariolæ,
Lactucæ,
Portulacæ an. ʒ III. Conciſa & contuſa coquantur in q. ſ. aquæ ad tertias & percolentur, colati juris ℞. ℥ xv. quibus admiſce,
Pulpæ caſſiæ ℥ I.
El. Hieræ ſimpl. ℥ s.
Ol. Violarum ℥ III.
Salis communis ʒ I. Miſceantur, fiat enema, quod recto inteſtino infundatur & retineat æger intra ſe per dimidiam horam vel paulò amplius.

Topica remedia poſt biliofi humoris evacuationem ſequentia ſunt applicanda.

LINIMENTUM.

Linimentum refrigerans. ℞. Ol. Violarum,
Nympheæ an. ʒ. II.
Aceti Roſacei parum. Miſceantur, quo inungantur tempora & coronalis ſutura.

Epithema.

EPITHEMA.

℞. Aq. Roſarum ℥ v.
Albuminum ovorum n. II.
Succi Roſarum ℥ s.
Aceti Roſacei ℥ s. Miſceantur ac conquaſſentur, fiat Epithema ac faſciis duplicatis exceptum temporibus ac Syncipiti imponatur.

Naribus frequenter admoveatur Spongiola in aqua roſacea, in qua parum camphoræ eſt reſolutum, madefacta, cujus odore refrigeratur cerebrum. Lavet pedes ac manus lavacro paulò ante in capitis dolore ex ſiccitate orto, deſcripto. *Odorem tamen camphoræ non omnes ferunt, ideo naturæ cujuſque proprietas attendenda.*

Si vigiliis ſupra modum infeſtetur æger, inungantur ei tempora, & narium foramina ſequenti linimento.

Linimentum ſomnium concilians. ℞. Unguenti populini ʒ II.
Opii in pauxillo aceti roſacei reſoluti gr. v. Miſceantur, fiat Linimentum.

8. *Cephalalgia pituitoſa quibus ex cauſis excitatur, quæ ejus ſigna, & quibus remediis curanda?*

Cum cerebrum pituitoſis excrementis redundat, aut venulæ per menynges ſparſæ pituitoſo ſanguine obſtruuntur, varios in corpore excitant morbos, ut in catarrhi curatione oſtendemus: Potiſſimum autem dolorem efficit, & gravitatem capitis. *Dolor capitis ex pituita.*

Cauſæ augentes pituitam in cerebro ſunt aër ambiens frigidus & humidus, frequens uſus ciborum ſanguinem frigidum & humidum procreantium, quales ſunt lac, caſeus, piſces, caro ſuilla recens. Item ocium & ſomnus meridianus. *Cauſa.*

Signa hujus doloris ſunt, capitis gravitas cum dolore, ſomnolentia, pigritia, omnium ſenſuum inertia, & pituitoſæ defluxiones per nares & palatum. *Signa.*

Curatur hic dolor duobus inſtrumentis, victus ratione, & medicamentorum uſurpatione. *Curatio.*

Victus ratio debet eſſe calefaciens & exſiccans. Verſetur igitur æger in aëre calido & ſicco, qui, ſi temporis ratione talis natura eſſe non poteſt, arte talis eſt efficiendus, *Diæta.*

ut igne luculento & ſuffumigationibus aromatum & rerum calidarum, veluti ſunt flores Lavendulæ, baccæ Juniperi, Cariophyllum, Cinamomum, Succinum, thus, ſtyrax calamitha & benzoi &c. vel ſequentis pulveris odoratiſſimi in candentes carbones injecti fumigio.

Pulvis pro fumigio ad cerebrum exſiccandum.

℞. Benzoi,
Styracis calamithæ an. ʒ II.
Cariophyllorum ʒ III.
Granorum Juniperi ℥ s.
Florum Lavendulæ ʒ II. Contundantur craſſiuſculè, fiat pulvis ad ſuffitum.

In cibo vitet piſces, lac, ſuillam carnem, & omnia lentum ac craſſum ſanguinem generantia: aſſata præferat elixis, elixa vero ſemper condiantur aromatibus calefacientibus & ſiccantibus, veluti ſunt Piper, Zinziber, Cinamomum, Maces, Crocus, &c.

Potus.

Potus ſit vinum generoſum Rhenanum aut aromatibus conditum, quod claretum vocant aut hydromeli. Utatur quantum fieri poteſt validiori exercitio ac corporis motione, pluſque ſemper vigilet, nec ſomno ſit deditus.

Somnus enim humectat.

In Medicamentis exhibendis hujuſmodi ſervetur ordo: Primum omnium excrementa pituitoſa è toto corpore detrahantur ſequenti clyſtere.

Clyſter pituitam evacuans.

℞. Malvæ,
Altheæ,
Chamæmeli,
Mercurialis,
Betonicæ,
Serpilli,
Majoranæ,
Centaurii minoris an. M. s.
Fol. Senæ Alexandrinæ ℥ s. Concidantur ac concoquantur in q. ſ. aquæ ad tertias, colentur.

℞. Colati juris ℥ xv. quibus admiſce
Hieræ ſimplicis ℥ s.
Diaphæniconis ℥ s.
Mellis Roſacei ℥ I.
Ol. Rutacei,
Chamæmelini an. ℥ I. s.
Salis communis ʒ I. Miſceantur, fiat enema, jejuno infundatur in rectum inteſtinum, ac retineat intra ſe per dimidiam horam aut paulò amplius.

Deinde concoquantur & extenuentur pituitoſi humores ſequenti potione.

Potio concoquens & alterans pituitam.

℞. Rad. Fæniculi,
Petroſelini,
Apii,
Peoniæ an. ℥ s.
Sem. Aniſi,
Fæniculi,
Sileris montani,
Carvi an. ʒ II.
Herb. Majoranæ,
Betonicæ,
Salviæ,
Scordii,
Cardui Benedicti,
Serpilli an. M. s.
Fl. Stæchados Arabicæ,
Rorismarini an. ʒ I.
Cinamomi,
Maceris,
Zingiberis an. ʒ s. Herbæ & flores concidantur, reliquæ vero contundantur craſſiuſculè, & ſimul commixta cantharo ſtanneo imponantur & ſuperfundantur aq. ℔ IIII. ein halb Stübchen. Et tandem junctura canthari ſeu operculum fermento conglutinetur, & in lebetem aqua plenum collocetur, ac per duas horas continuè coquatur, ac tandem poſtquam refrixit, coletur, colato juri admiſceantur,

Syr. de Hyſſopo,
de Stæchade,
Oxymellis ſimplicis an. ℥ III. Fiat potio, de qua æger & diluculo & una hora ante cœnam quotidie ebibat calefactæ ℥ v. utaturque ea tantiſper donec in urina concoctionis ſignum appareat. Vel loco hujus decocti utatur ſequentibus ſyrupis.

℞. Oxymellis ſquilitici ℥ I.
Syr. de Stæchade ℥ s.
Aq. Majoranæ,
Betonicæ,
Apii an. ℥ I. Miſceantur, fiat hauſtus. Sumat hunc hauſtum diluculo, & una ante cœnam hora, & toties reiteret, donec concoctionis nota in urina conſpiciatur. Poſt ſufficien-

sufficientem pituitosi humoris concoctionem evacuetur detrahaturque uno ex sequentibus remediis.

Bolus pituitam egregiè evacuans.

Bolus Phlegmagogus.

℞. Agarici Trociscati ℈ IIII.
Diaphæniconis ʒ VI.
Diatholici ʒ II Misceantur, fiat bolus, qui conspergatur pulvere saccari albi & devoretur 6. horis ante prandium. Cùm autem pituitosi humores ut plurimum tenaciores sint, quàm quod una vice in universum evacuari possint, necesse est bis terve caput purgare, id quod sequentibus pillulis commodè fieri potest.

Pillulæ capitales.

Pillulæ pituitam cerebri mirificè detrahentes.

♃ Mass. pill. cochiarum,
Aurearum,
Alephanginarum an. ℈ I.
Agarici Trociscati ℈ II.
Trociscor. Alhandali gr. V.
Mastiches,
Cinamomi,
Anisi an. gr. VI. Cum Aqua Majoranæ conformentur pillulæ ex singulis ʒ n. XVII. ex quibus jejunus sumat ʒ I. & utatur eis singulis mensibus.

Qui magis delectantur potabili pharmaco, iis sequens potio commodè offertur.

Haustus phlegmagogus.

Potio vel infusio pituitam evacuans.

♃ Agarici Trociscati ʒ II.
Zinziberis,
Anisi,
Cinamomi an. ℈ I. Contusa infundantur ac per noctem macerentur in aq. Majoranæ ℥ IIII. manè levissimè ebulliant, ac fortiter exprimantur ac colentur, colato jusculo admisceantur Diaphæniconis ʒ III. fiat haustus, qui ebibatur tepidus sex horis ante prandium. Probe purgato corpore, sequentia Topica remedia commodissimè adhiberi possunt.

Gargarismus.

Gargarismus reliquias pituitæ ex cerebro potenter proliciens.

℞. Rad. Pyrethri ℥ s.
Sem. Erucæ ʒ VI. Contusa coquantur in aquæ & aceti an. ℥ X. simul mixtis ad medias, colentur, colato jusculo admisceantur mellis rosati ℥ III. fiat gargarismus, quo tepido jejunus utatur æger, ubi primò per semihoram caput calidis linteolis pleniter confricuit. Per nares attrahitur pituita commodissimè, si rad. Gentianæ instar calami arundinacei aptata foraminibus narium indatur, aut si succus radicis betæ rubeæ per nares sursum attrahatur, vel si excitetur sternutatio, id quod sequenti pulvisculo per nares attracto confici potest. *Errhina.*

Sternutamentum.

℞. Pul. Hellebori albi ʒ s.
Piperis nigri ℈ s.
Majoranæ ℈ I. Misceantur, fiat pulvisculus.

Corroborantia.

His omnibus peractis corroborandum est cerebrum sequentibus medicamentis; sumat æger singulis septimanis semel ℈ I. Theriacæ Andromachi cum generoso vino solutam. Reliquis diebus utatur mane ac vesperi duabus rotulis aut Diamoschi, aut Diambræ, aut assumat hujus Elect. quantit. semijuglandis.

ELECTUARIUM.

Electuarium ad corroborandum cerebrum pituita repletum.

℞. Confer. Rorismarini ℥ III.
Specierum diambræ,
Diamoschi an. ʒ I. cum aq. Juniperi & Syr. de Betonica q. s. Fiat Electuarium.

9. *Cephalalgia sive Capitis dolor Melancholicus unde excitatur, quibus indiciis agnoscitur, & qua ratione curatur?*

Dolor capitis ex melancholici humoris copia.

Dolor capitis ex Melancholia, de quo hoc loco nobis sermo est, differt à Melancholia sive melancholica insania, de qua paulò post dicemus.

Causa.

Causa autem Melancholici doloris in capite excitatur per συμπάθειαν sive consensum ex melancholici humoris vaporibus, qui vel in liene vel matrice vel fundo ventriculi coacervatus est. Cùm enim melancholicus humor valde sit flatuosus, sæpe dolorem in capite excitat sine Ratiocinationis turbatione.

Signa.

Signa doloris melancholici petenda sunt ex constitutione corporis & ex moribus animi.

nimi. Qui enim natura ſunt Melancholici, ex levi occaſione capitis dolore melancholico infeſtantur. Conſtitutio corporis Melancholica eſt gracilis, hirſuta & colore ſubnigra. Moribus autem Melancholici plerumque ſunt moroſi, ſubtriſtes, ſed conſtantes & continuis meditationibus profundisque cogitationibus dediti, *teſte Galeno in libello de Natura humana.*

Curatio.

Curandus eſt hic dolor ſanguinis detractione, Victus ratione, & Melancholici humoris per convenientia medicamenta concoctione & evacuatione. Primum itaque in hujuſmodi doloribus fæculentæ ſordes ex alvo & venis meſaraicis ſequenti clyſtere ſunt evacuandæ.

Enema melancholiam educens.

℞. Malvæ,
Althææ,
Violariæ,
Mercurialis,
Majoranæ,
Betonicæ,
Serpilli an. M. s.
Fol. Senæ ℥ s.
Rad. Polypodii,
Hellebori nigri an. ʒ II. Conciſa & contuſa coquantur ſimul in q. s. juris carnis bovillæ non ſalitæ, ad tertias **biß der dritte theil ingeſotten iſt.**

℞. Hujus juris colati libram unam & ſemis, quibus admiſce
Caſſiæ noviter extractæ ℥ I.
Diacatholici ℥ VI.
Mellis roſati ℥ I. & s.
Olei chamæmalini ℥ III.
Salis communis ʒ I. Miſceantur, fiat enema, quod duabus horis ante prandium recto inteſtino infundatur. Deinde ſi æger eſt juvenis, & vires conſtent, vena ei ſecetur humeraria ſeu baſylica, inter digitos annularem & minimum ejuſdem lateris, in quo æger plus moleſtiarum ſentit.

Vena ſectio.

Diæta.

Victus ratio in melancholico capitis dolore talis eſto. Verſetur æger in aëre calido & humido, cibis utatur moderatè calidis & humidis, quales ſunt ova ſorbilia, carnes Gallinarum & piſces ſaxatiles, vinum moderatè bibat album & tenue: balnea aquarum dulcium in hoc dolore convenientiſſima ſunt, in quo concoquenda ſunt Betonica, Serpillum, Chamæmelum, & Majorana; ſomnus quoque largior ei ſalutaris eſt; Porrò mulieribus quarum uterus melancholico humore eſt refertus, iis non vena humeraria ſed ſaphena, aut vena interna ſub malleolis eſt ſecanda. Poſt venæ ſectionem humor melancholicus ſequenti potione eſt concoquendus.

Balneum aqua dulcis Melancholicis confert.

In fœminis quæ vena ſecanda.

Potio ad digerendam & educendam Melancholiam.

♃. Cort. rad. Capparis,
rad. Apii,
Feniculi,
Petroſelini,
Polypodii an. ℥ s.
Helebori nigri ʒ II. Contuſa macerentur per noctem in aceto, altero die addantur ſequentes herbæ:

♃. Meliſſæ,
Majoranæ,
Bugloſſæ an. M. I.
Lupuli,
Adianti an. M. s.
Flor. Stæchados Arabicæ,
Violarum,
Thymian. M. s.
Fol. Senæ ℥ s. Concidantur & una cum prædictis radicibus conjiciantur in cantharum, quibus adfundantur aquæ ℔ s. oblinitoque fermento canthari operculo collocentur in lebetem aqua ferventi plenam, ac ſimul coquantur per tres horas, deinde colentur, colato juri addatur libra s. ſaccari albi, ac rurſum leniter ebulliant, & albuminibus ovorum duorum clarificentur. Ex hac potione bibat æger per octiduum diluculo & una ante cœnam hora, ac ſingulis vicibus exhauriat ℥ IIII. ſemper tepidè. Poſt ſufficientem concoctionem & extenuationem melancholicorum excrementorum evacuentur ſequenti hauſtu.

Hauſtus melanagogus.

℞. Diacatholici ℥ VI.
Confectionis hamech ʒ II.
Syr. Violacei,
Pulpæ caſſiæ recentis an. ℥ s.
Aq. Fumariæ ℥ IIII. Miſceantur, fiat hauſtus, & tepidus exhibeatur ſex horis ante prandium. Tertio die poſt evacuationem utatur

Sudorifera. utatur ægrotus ſequenti hauſtu ſudorifico.

℞. Theriacæ Andromachi ʒ I.
Mitridatii ʒ s. Diſſolvantur cum hauſtu vini generoſi, & tepida diluculo exhibeantur, quo cum ſudet æger per horæ ſpacium. Poſt hæc corroboretur cerebrum ſequenti Electuario.

Corroborantia.
℞. Conſervæ anthos,
Meliſſæ,
Salviæ,
Fumariæ an. ℥ s.
Specier. lætificantis Rhaſis,
Diambræ an. ʒ I. cum Syr. de granatis q. ſ. Fiat Electuarium, de quo aſſumat æger jejunus quantitatem mediæ nucis juglandis. Præter hæc commodè uti poterit æger capitis leniori frictione cum calidis linteolis, pulvere maſticatorio, gargariſmate, inunctione & capitis lotione, quæ omnia ſupra in Cephalalgia pituitoſa ſunt deſcripta.

10. *Cephalalgia ex Flatulentis ſpiritibus, quibus ex cauſis oboritur, per quæ ſigna dignoſcitur, & quibus inſtrumentis curatur?*

Dolor capitis ex flatibus. Oritur nonnunquam capitis intenſiſſimus dolor ex flatibus craſſisque ſpiritibus, vel intra vel extra calvam ſub pericraneo coacervatis & concluſis.

Signa. Signa hujus Cephalalgiæ ſunt, dolor pulſatilis & tumor capitis, præſertim ubi flatus inter calvam & pericraneum incluſus eſt.

Curatio. Diæta. Curatur hic dolor victus ratione & pharmacorum convenienti uſu. In victus ratione vitet æger diligentiſſimè omnia flatus craſſosque vapores generantia, veluti ſunt cepæ, nuces, piſa, & alia leguminum genera. Alimenta autem ejus ſemper condiantur iis rebus, quæ flatus diſcutiunt, veluti ſunt cyminum Pfeffer Kôm/carui, Gar Kôm/ cardomomum, majorana, &c.

Enema flatus educens. Inter pharmaca flatus ex capite ſubtrahentia eſt ſequens Clyſter.

℞. Malvæ,
Althææ,
Betonicæ,
Centaurii minoris,
Majoranæ,
Serpilli,
Flo. Anethi,
Chamæmelini an. M. s.
Sem. Carui,
Cymini an. ℥ s.
Furfuris ſiliginei M. I. Conciſa coquantur ſimul in q. ſ. aquæ ad tertias, poſtea colentur, colati juris accipe ℥ XVI. in quo diſſolve, *In tenello tamen corpore ſufficit liquoris lb.*
Elect. Indi majoris,
Benedictæ laxativæ an. ℥ s.
Hieræ ſimpl. ℥ I.
Olei chamæmelini,
Anethini an. ℥ I. & s.
Salis communis ʒ I. Miſceantur, & duabus ante prandium horis jejuno applicentur. Deinde utatur æger ſingulis diebus mane ac veſperi rebus flatus diſcutientibus, potiſſimum ubi nullus adeſt febrilis calor. Sunt autem flatus diſcutientia:

SIMPLICIA. *Carminativa ſeu flatus diſcutientia.*

Pul. Cymini præparati,
Baccarum lauri,
Carui,
Fæniculi,
Aniſi,
Anethi.

COMPOSITA.

Theriaca Andromachi,
Elect. de baccis lauri,
Ror. Diacymini,
Diacalaminthæ,
Diagalangæ.

Topica remedia huic dolori conveniunt, ſi dolori adjuncta eſt caliditas capitis.

Epithema.
℞. Olei roſacei ℥ s.
Aq. roſaceæ,
Aceti roſati an. ℥ II. Miſceantur, & linteolis excepta temporibus & coronali ſuturæ applicentur. Si verò non adeſt notabilis capitis calor, inungatur caput ſequentibus oleis.

℞. Olei Chamæmelini,
Anethini &
Ruthacei an. ʒ II.
Aq. Juniperi ʒ I. Miſceantur & inungantur.

Experimentum singulare. gantur tempora ac ſynciput. Experientia comprobatum eſt, dolorem tumoremque capitis ex flatulentis ſpiritibus ortum, ſtatim diſcuſſum per inunctionem confricationemque temporum & ſuturæ coronalis cum allio contuſo & aceto vini aut urina infantis commixto. Mirificè conducit & ſequens ſacculus capiti tepidus applicatus.

℞. Rutæ,
Majoranæ,
Serpilli,
Betonicæ an. M. I. & s.
Baccarum lauri,
Cymini præparati,
Carui an. ℥ I.
Amygdalarum amararum ℥ s.

Conciſa & contuſa conſuantur in ſacculum oblongum, & in q. ſ. aquæ & aceti ebulliant, & expreſſus ſacculus à liquore tepidus applicetur ſyncipiti & temporibus.

II. *Cephalalgia ſeu dolor capitis ex evaporante ventriculo ortus, quas habet cauſas, quibus ſignis deprehenditur, & quomodo curatur?*

Dolor capitis ex ventriculo. Caput cum ſit quaſi operculum totius corporis, non tantum per ἰδιοπάθειαν, id eſt, primariam ac propriam affectionem, ſed crebrò etiam per συμπάθειαν, id eſt conſenſum ac communicationem laborat, quando videlicet inferiores partes, ut ventriculus, epar, lien & uterus affectæ, & ipſum caput per conſenſum ſimul laborare cogunt, qui capitis dolor propriè non morbus, ſed ſymptoma eſt, & curari nequit, niſi prius affecta pars ſit curata. Frequentiſſimè autem caput dolet, ubi ventriculi orificium hiat, ex quo acres ac fuliginoſæ evaporationes inſtar fumi ad cerebrum exhalant ac deferuntur. *Cauſa.* Cauſæ hujus doloris ſunt laxitas orificii ventriculi, quæ ex intemperie frigida & humida, aut ex bilioſa materia aut corrupta pituita orificio ventriculi impacta evenit. *Signa.* Signa cauſarum hujus doloris ſunt, cum dolori capitis ſimul adeſt & ventriculi acris ac mordicans dolor, ſignum eſt humoris tenuis & acris impacti in orificio ventriculi. Si verò humor impactus eſt pituitoſus ſimul adeſt & nauſea, & jejunos dolor magis affligit, à cibo verò ſumpto mitigatur, *teſte Galeno lib. I. cap. ult. ad Glauconem*, qui ita inquit: Si cui caput dolet, ſimulque faſtidiat cibos, & ex fame ſentiat in orificio ventriculi mordicationem, curandum eſt ut evomat: evomet autem vel pituitam, vel bilem, vel utramque ſimul. *Curatio.* Curatur autem talis dolor capitis victus ratione & medicamentis. *Diæta.* Victus ratio debet eſſe contraria cauſæ morbi: Si itaque orificio ventriculi inhæret pituita, victus ratio debet eſſe calida & ſicca: ſi verò bilis, frigida & humida. Quæ autem talia ſunt, paulò antè in Cephalalgia pituitoſa & bilioſa annotata ſunt.

Pharmacia. Quantum ad medicationem ſpectat, hic dolor potiſſimum curatur per vitioſi humoris ex ventriculo vacuationem, quæ per vomitum commodiſſimè perficitur: ante vomitionem verò aſſumat æger ſequentem hauſtum præparatorium.

℞. Oxymellis ſimpl. aut oxymellis Squillitici (ſi pituitoſus humor inhæret ventriculo) ℥ II.
Aq. Raphani ℥ IIII. Miſceantur, fiat hauſtus, qui tepidus exhibeatur jejuno hora dimidia ante vomitionem.

Vomitorium. Aut evacuetur pituitoſus humor ſequenti vomitorio.

℞. Radicum Raphani ℥ s.
Sem. Anethi,
Atriplicis an. ʒ II. Coquantur in aceti & aquæ an. ℥ V. ad medias, quibus admiſceantur,
Oxymellis ſimpl. ℥ I.
Salis communis ʒ I. Miſceantur, fiat hauſtus, quem ebibat jejunus, & poſt quadrantem horæ protitet vomitum digitorum in fauces inſertione.

Salis vitrioli Mercurii aliquot grana idem præſtant.

At verò ſi æger ad vomitum ſit difficilis & ineptus, utatur ſequentibus pillulis.

Pillulæ ſtomachales.

℞. Maſſæ pil. de Hiera ſimp.
Aſſajereth an. ʒ s.
Agarici Trociſcati ℈ I.

Ex iis ſimul contuſis formentur pillulæ n. 27. de quibus per ſeptimanam ter pro qualibet

bet vice 9. iturus cubitum deglutiat, aut utatur sequenti haustu.

Haustus purgans.

℞. El. Hieræ simpl. ℥ I.
Tab. Diaturbith ʒ III.
Cum aq. menthæ q. s. Fiat haustus, exhibeatur tepidus sex horis ante prandium.

Vnguentum stomachale.

Topicum ei convenit sequens Linimentum.

℞. Olei Nardini,
Masstichini,
Menthæ an. ʒ II.
Ceræ parum. Fiat linimentum, quo jejunus quotidie inungat orificium ventriculi ad ignem luculentum, ac tandem laminam tosti panis aceto irroratam super imponat.

Si verò biliosus humor infartus sit orificio ventriculi, post vomitionem sequenti utatur potione.

Potio bilem in ventriculo alterans.

℞. Syr. Rosarum ex infusione siccarum rosarum confecti,
Syr. de omphatiis, ex mirtillis an. ℥ I.
Aq. Absinthii,
Cicoreæ,
Cassutæ an. ℥ III. Misceantur, fiat potio, quam tepidam tribus vicibus per triduum diluculo exhauriat, vesperi vero iturus cubitum devoret tres rotulas Diatrion Sandalon, aut tria pira muscatellina condita, aut frustulum cytoniorum conditorum. Quarto verò die, si æger ineptus est ad vomitionem, purgetur bilis sequenti infusione.

Haustus bilem evacuans.

℞. Myrabalanorum citrinorum ʒ II.
Rhabarbari electi ℈ II.
Thamarindorum ℥ s. Contusa macerentur per noctem in aq. absinthii, cichorii an. ℥ III. manè leniter ebulliant, colentur & fortiter exprimantur, in eoque jusculo dissolvantur,
Elect. lenitivi ℥ s.
Syr. rosati solutivi ʒ VI.
Misceantur, fiat haustus, & exhibeatur in aurora sex horis ante prandium. Orificium ventriculi inungatur oleo rosarum, aut oleo cytoniorum. Porrò ad occludendum ventriculi orificium, & cohibendas vaporum exhalationes, sequenti pulvere uti possumus.

PULVIS.

Pulvis stomachalis, orificium ventriculi claudens.

℞. Coriandri præparati ℥ s.
Anisi,
Fæniculi,
Cinamomi electi,
Carui an. ʒ I.
Zinziberis,
Galangæ an. ʒ s.
Maceris ℈ I.
Corallii rubei præparati ʒ I.
Cytoniorum siccatorum ʒ II.
Saccari albi ad pondus omnium.

Hujus pulveris semper à pastu assumat æger ʒ I. & abstineat à potu post assumptum pulverem spacio unius horæ. Iturus cubitum corroboret ventriculum ℥ s. Diacytonii aut aut rotulis tribus Aromatici rosati.

Plura de ventriculi hiatu & imbecillitate infra de curandis ventriculi affectionibus dicemus.

12. *Cephalalgia ex crapula & ebrietate orta, qua ratione curanda?*

Dolor capitis ex crapula.

Qui aut vinum meracius, aut cerevisiam validam, maximè in qua detestando dolo incocta maceratave est chamæpeuce, largius liberaliusque biberunt, iis ut plurimum è somno expergefactis, caput vehementius dolet, qui dolor pœna est ebrietatis. Ebrietas enim caput perpetuò crassis vaporibus replet, rationem turbat, sensus hebetat, & omnes animæ potentias labefactat. Causæ ebrietatis & signa manifesta sunt nec indigent explicatione. Curatur hic capitis dolor victus ratione & medicamentorum usurpatione. *Curatio.* Quantum ad victus rationem attinet, ea varianda est pro ratione consuetudinis, alii enim abstinentia & longa inedia, alii nova repletione facilè curantur. Somnus autem longus & moderatum corporis exercitium universis convenit, sed omnium maximè opitulatur balneum aquæ calidæ. *Balneum.* Quibus autem ventriculus est imbecillis, eis conveniunt in cibo cremor ptisanæ, ova sorbilia, lactuca, pruna Ungarica, & uvæ passæ in aceto maceratæ.

Vomitus. Ubi itaque post ebrietatem in ventriculo adhuc fluitat materia cruda, & nondum est discussa crapula, statim per vomitum est exoneranda, assumpto prius haustu largiore aquæ tepidæ, cui admixtum est pauxillum oxymellis simplicis. Si verò nec post vomitionem dolor capitis remittat, topica remedia capiti sunt applicanda, qualia sunt sequens Epithema.

Epithemata. ℞. Aq. Rosarum ℥ IIII.
Aceti rosacei ℥ I.
Olei rosarum ℥ s. Commisceantur, & duplicatis linteolis excepta coronali suturæ & temporibus imponantur, aut iisdem locis circumligentur Fol. Brassicæ, in aqua calida madefacta, aut Fol. Rutæ cum aceto rosaceo contrita & tepida applicata.

Experimenta singularia. Porrò præservant ab ebrietate 15. amygdalæ amaræ ante compotationem commestæ, aut ʒ I. cornu cervini pulverati assumpta. Similiter & brassica prægustata.

13. *Cephalalgia in febribus quas habet causas, quæ signa, & qua ratione sedanda?*

Dolor capitis in febribus. Febribus ferè omnibus capitis dolor perpetuum est symptoma. Cum enim in quotidiana semper afficiatur ventriculus, in tertiana epar, in quartana lien, per συμπάθειαν simul & afficitur cerebrum.

Causa. Causæ igitur doloris capitis in febribus sunt vapores ferventiores & acres, vel ex ventriculo, vel ex epate, vel ex liene, aliisque visceribus inflammatis ad cerebrum delati: aut est alvi obstructio. Acerbissimi autem omnium dolores capitis excitantur in febribus, ubi quis in paroxysmo biberit largius, præsertim lac ac aquam.

Prognostica. Cessat autem hic dolor ut plurimum post aliquam criticam evacuationem, sanguinis è naribus eruptionem, aut vomitum, aut sudoris profusionem. Curata febre & hic dolor simul curatur. Pro causarum autem varietate, & hujus doloris curatio varianda est. Qui itaque ex alvi constipatione dolore capitis laborant, iis statim sequenti clystere alvus est subducenda.

Clyster alvum adstrictam solvens. ℞. Violariæ,
Mercurialis,
Betonicæ,
Majoranæ,
Centaurii minoris ana M. I.
Pulpæ colocyntidos linteolo inclusæ ℈ I. Herbæ concidantur & concoquantur in aquæ q. s. ad medias, in fine verò imponatur & colocynthis, & una ebullitione rursum coquantur, & postea colentur, colati juris accipe ℥ XV. quibus admisce hieræ simp. ℥ I. s. ol. viol. chamæm. an. ℥ I. s. salis communis ʒ I. fiat Enema, injiciatur jejuno stomacho in rectum intestinum.

Vena sectio. Altero die si ætas & corporis intemperies patitur, secetur vena brachii dextri, aut Mediana aut Epatica: & ubi dolor post septimum diem non remiserit, commodè & cucurbitulæ cervici affigi possunt. Topicis autem remediis, quibus dolor capitis in paroxysmis mitigari possit, sequentibus uti licebit.

Epithema refrigerans. ℞. Aq. Rosarum ℥ VI.
Aceti rosati ℥ II.
Albuminis unius ovi,
Olei rosacei ℥ I. Ex his in unum conquassatis efficiatur Epithema, quod duplicatis linteolis exceptum syncipiti & temporibus applicetur. At ubi ægrotum simul cum dolore capitis continuæ vigiliæ infestarent, sequens cataplasma capiti est imponendum.

Cataplasma somnum concilians & dolorem sedans. ℞. Fol. pap. albi, aut loco eorum capitum papaveris cum seminibus exsiccatorum, & in aqua calida maceratorum, Sempervivi majoris,
Micæ panis an. M. II. Contundantur simulque eis admisceantur ol. & aceti rosacei q. s. fiat cataplasma, quod temporibus & suturæ coronali applicetur. Cerebrum enim inflammatum intensè refrigerat & simul somnum conciliat.

Verbena. Mirificam quoque sedandi dolorem capitis in febribus vim habent verbena mascula contusa & cum aceto sufficiente mixta, & instar cataplasmatis temporibus & syncipiti applicata.

14. *Cephalalgia morbi Gallici quas habet causas, quæ signa, & quomodo curanda?*

Qui lue Venerea seu morbo Gallico infecti sunt,

Dolor capitis ex morbo Gallico. ...cti sunt, præter alia sævissima symptomata perpetuo dolore capitis, etsi non acerbo & exquisito, tamen molestissimo infestantur. *Causa.* Causa hujus doloris est fæculentus, putridus, & venenosus sanguis in venulis meningum contentus, aut flatulenti spiritus in arteriis meningum.

Signa. Signum hujus doloris est manifestum. Comitatur enim reliqua signa morbi Gallici & tumusculos per cutem capitis excitatos. Cessat hic dolor curato ipso morbo Gallico, cujus curandi rationem suo loco proponemus. *Curatio.* Mitigatur autem hic dolor sequentibus remediis. Primum materia dolorem inferens sequenti clystere retrahenda est.

Enema revellens à capite.

℞. Betæ,
Althææ,
Mercurialis,
Rutæ,
Fol. Lauri,
Urticæ an. M. I.
Radic. polypodii ℥ I.
Cort. Genistæ,
Sem. Carthamiana ℥ s.
Flo. Stæchados,
Chamæmeli an. p. I. Concidendis concisis & contundendis contusis coquantur in aq. q. s. ad medias colentur, colati juris accipe lib. I. suc. Iridis depurati ℥ I.
Elect. Hamech. ℥ I.
Hieræ simp. ℥ s.
Olei Rutacei,
de castoreo,
Anethini an. ℥ I.
Mellis rof. ℥ s.
Salis communis ʒ I. Misceantur, fiat Enema, quod administretur jejuno ventriculo. Postea avertatur vitiosa materia ex cerebro, vel sanguinis missione, detracto *Vena sectio.* sanguine ex vena cephalica, aut cucurbitulis ad cervicem affixis. Prodest quoque singulis septimanis uti sequentibus pillulis, quæ corruptos humores ex cerebro potentissimè detrahunt.

Pillulæ.

℞. Mas. pil. fœtid.
Arabicarum an. ʒ s.
Troc. alhandali gr. III. Cum aqua Majoranæ formentur pillulæ n. xv. quæ degluitiantur in aurora sex horis ante prandium.

Topica verò remedia hæc potissimum auxiliantur. *Topica.*

℞. Ramentorum ligni Grajaci,
Salviæ,
Stæchados,
Rutæ an. M. I.
Vini Rhenani optimi lib. s.
Olei veteris lib. I. Contusa coquantur donec vinum sit absumptum, colentur, cum quo oleo sæpiuscule inungatur caput, aut huic oleo admisceatur, *Oleum.*

Vnguentum.

Parum ceræ & Pul. pulegii,
Serpilli,
Saturciæ,
Origani,
Salviæ,
Sabinæ an. ʒ II.
Bac. lauri,
Olibani,
Costi,
Zinziberis,
Pyrethri,
Castorei,
Euphorbii an. ℈ I. Misceantur, fiat unguentum, quo inungatur caput, abrasis prius crinibus.

Fomentum. Plurimum quoque emolumenti adfert huic dolori sacculorum calidorum ex Milio & sale confectorum capiti frequens applicatio, ac ubi probè caput incaluit sequentis linimenti inunctio.

Linimentum.

℞. Ol. rutæ ℥ I.
Theriacæ Andromachi,
Mitridat. an. ℥ s.
Aq. juniperi stillaticiæ q. s. Fiat linimentum.

Experientia quoque comprobatum est sequens unguentum, quo brachia, ubi vena cephalica protenditur, inungenda sunt.

Vnguentum pro brachiis.

℞. Suc. Enulæ,
Brioniæ,
Styracis liquidæ,
Therebinthinæ an. ℥ I.
Gummi Elemi ℥ s.
Thuris,
Iridis an. ℥ III. Ol. irini hypericon q. s. Fiat unguentum cui admisceatur argenti vivi in saliva jejuni hominis mortificati ℥ I. & fiat inunctio brachii singulis diebus.

Dolor capitis ex vulnere vel contusione.

15. *Cephalalgia ex læsione cranei pericranei, & cutis capitis orta, quas habet causas, quæ signa, & qua ratione curanda?*

Causa.

Dolor capitis nonnunquam ex violentis procatarcticis causis excitatur, ex præcipiti casu videlicet lapsuque ab alto, ictu & percussione violenta, quibus ex causis aut vulneratur cutis, aut contunditur rumpiturque pericraneum, aut confringitur craneum: quas capitis affectiones plerumque acerbus dolor comitatur.

Signa.

Signa harum affectionum sunt manifesta & sensibus nostris obvia. In vulnerato enim capite, ubi continuitas cutis solvitur, sanguis affatim profluit, in contusione intumescit cutis, & lividum acquirit colorem. Fracturam verò cranei pro ejus magnitudine & situ fractæ partis, potissimum ubi depressa est calva in menyngas, gravissima subsequuntur symptomata, vomitus, punctivus dolor, apoplexia, convulsio, turbatio rationis, & vocis interceptio, quæ plerumque mortalia sunt signa: quin aliquando sanguis solus per fracturam cranei destillat ad duram menyngem, ibidemque corruptus eadem inducit symptomata.

Curatio.

Universa harum capitis affectionum curatio ad χειρουργικὴν refertur, & tribus hisce instrumentis perficitur, victus ratione, artificiosa manuali operatione, & topicorum remediorum applicatione.

Diæta.

Victus ratio debet esse tenuis & moderata. Versetur itaque æger in aëre moderatè calido. Frigidus enim aër semper impedit curationem. In cibo utatur victu tenui, boni succi & concoctu facili: Vitet omnia acria, salsa & evaporantia flatusque generantia, à vino meraciori & cerevisia pleniore, quæ caput facilè tentare potest, in universum abstineat. In cibo ipsi conveniunt pruna Ungarica, cremor ptisanæ, ova sorbilia, ex iisdemque parati jusculi, & lac amygdalinum, jusculumque gallinarum. Ubi autem æger calorem aliquem præternaturalem senserit, utatur in in potu aqua hordei, in qua concocta sunt semen coriandri & parum Cinamomi. Quies & corporis ocium, tranquillitasque animi plurimum faciunt ad citam curationem. In toto porro curationis tempore cavendum est unicè, ne alvus sit astricta, ac si id contingat protinus vel esu prunorum cum quibus coctæ sunt ℥ II. fol. senæ alvus lenienda erit, aut sequenti Clystere subducenda.

Laxativa.

℞. Malvæ, Violariæ, chamæmeli, Meliloti, Betonicæ, Majoranæ an. M. I. Concisa coquantur in lib. III. aq. medias; colati hujus juris accipe ℥ XV. Quibus admisce,

Cassiæ extractæ ℥ I. s.
Olei chamæmelini ℥ II.
Salis ʒ I. Misceantur, fiat Clyster, infundatur alvo artificiosa applicatione.

Vulnera capitis ut curanda.

In vulneribus capitis prima cura erit ut sanguis effluens sistatur, secunda ut inflammatio & tumor arceatur, tertia ut vulnus conglutinetur. Sanguinem è vulnere effluentem sequens pulvis egregie sistit.

Pulvis sanguinem sistens.

Pulvis egregius ad sistendum sanguinem, Blutt-stillung vocant Chirurgi.

℞. Farinæ fabarum,
Lentium,
Volatilis, quæ molarum parietibus adhæret an. ʒ I. s.
Sang. Draconis,
Thuris,
Myrrhæ,
Aloës an. ʒ I.
Terræ sigillatæ,
Gypsi an. ℈ I.
Pilorum leporis minutissimè concisorum ʒ III.
Telæ araneatum ʒ II.
Spongiæ adustæ ʒ I. s.
Draganti ʒ II. s. Commisceantur, fiat subtilissimus pulvis, quo ita uti licebit: Sume hujus pulveris ℥ I. Commisce cum albuminibus 2. ovorum, & succo symphyti majoris & polygoni an. ℥ s. Quæ cum ramentis à linteolis mundus decerptis, aut bombace carpta excepta, imponantur vulneri.

Ut autem inflammatio & tumor arceatur vulneri, imponendum est sequens Epithema.

Epithema tumorem arcens.

Epithema, arcens tumorem.

℞. Ol. rosacei,
E mastice an. ℥ I.
Aceti rosarum ℥ II. Commisceantur, & te-

& tepida linteolis excepta vulneri applicentur. Vulnus autem ut consolidetur, si necessitas exigit, primum labra vulneris artificiosè consuenda sunt, & sequens Emplastrum vulneri imponendum.

Emplastrum ad vulnera capitis consolidanda.

Emplastrum.

℞. Herb. Viridium Betonicæ,
Majoranæ,
Hyperici S. Johans Kraudt/
Matri sylviæ Möskrle nostrat.
Mille folii an. M. I.
Roris marini,
Salviæ,
Centaurii minoris,
Pimpinellæ,
Verbenæ masculæ,
Symphiti an. M. s.

Contusa simul omnia macerentur per octiduum in sole in vini generosi lib. III. quibus post octiduum admisceantur Terebintinæ claræ lib. I. s. Ol. Rosarum, Hypericonis an. ℥ v. è mastice ℥ I. s. coquantur simul ad vini absumptionem, deinde fortiter expressa colentur, quibus tandem addantur Resinæ pineæ liquefactæ, Gummi Elemi an. ℥ III. Ceræ albæ liquefactæ q. s. fiat Emplastrum sive cerotum juxta artem, cujus pars sufficiens extendatur super linteolum, & vulneri singulis diebus bis applicetur. Iisdem remediis feliciter curari possunt & contusio, inciso prius tumore si adest, ac mundificato cum melle rosaceo vulneri illito: & fractura levis. Ubi verò & dura menynx læsa est, prodest per fracturam cranei instillare succum calaminthæ, aut oleum mastichinum tepidum, aut subsequens Linimentum.

Contusio ut curanda.

In fracturis quæ dolorem sedent.

℞. Adipis suillæ recentis & salis expertæ,
Butyri recentis,
Olei rosacei an. ℥ s. Liquefiant ac commisceantur, tepidaque vulneri instillentur, quæ omnem solvunt dolorem.

Cephalæa.

16. *Κεφαλαία quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curanda?*

Ut initio dictum est, κεφαλαία & κεφαλαλγία, capitis affectiones, sola intensione, diuturnitate & contumacia differunt. Est enim κεφαλαία diuturnus, contumax & ægrè cedens capitis dolor, qui ex facili occasione vehementes habet exacerbationes. Hic dolor fœminis quam viris est familiarior.

Causæ.

Causæ κεφαλαίας eædem ferè sunt quæ & κεφαλαλγίας, proinde & curatio pro causarum diversitate varianda erit.

Signa.

Signa hujus doloris sunt, æger neque strepitus, neque clamores, nec latratus canum, neque lucis splendorem, nec vini potionem, neque corporis commotionem aut odores excellentes tolerare potest, sed in tenebris quietus decumbere exoptat. Acerbus est hic dolor, adeò ut ad oculorum radices usque protendatur, & caput malleolo percuti, frangi aut distendi videatur, & quandoque dolor est continuus, nonnunquam autem per intervalla exacerbatur.

Curatio.

Curatur κεφαλαία quatuor potissimum mediis, victus ratione, venæ sectione, purgatione, & Topicorum applicatione.

Victus autem ratio, purgatio & localium medicinarum adhibitio pro causarum varietate non alia est instituenda, quam in speciebus κεφαλαλγίας præscripsimus.

In genere autem talis institui potest curandi methodus, si humores vitiosi aut vapores ad cerebrum delati causæ sunt κεφαλαίας, quemadmodum ut plurimum sunt, primum aliquo Clystere superius descripto detrahendi erunt: Deinde si vires & ætas ferunt, & caput vel universum corpus sanguine redundat, incidenda est primum vena cubiti exterior, quam κεφαλαίαν vocant, & tandem & vena frontis vel saltem è naribus sanguis est eliciendus. Tertio loco tandem purgandum est totum corpus sequentibus pillulis.

Clyster revellens.

Venæ sectio.

Pillulæ.

℞. Mas. pill. Aurearum,
Cochiarum,
Aggregativarum an. ℈ I. cum syr. de Betonica q. s. Conformentur pillulæ n. 27. & deglutiendæ offerantur in aurora, sex horis ante prandium.

Apophlegmatisti.

Postea commodissimè uti poterit æger pulvisculo masticatorio & gargarismate, item Errhinis ex succo Betæ, quorum paradigmata supra in Cephalalgiæ speciebus annotata sunt.

Topica vero remedia, nisi causis κεφαλαίας adjuncta est caliditas, sequentia utiliter applicari possunt. ℞. Ol. rosati ℥ I. Aceti rosat. ℥ s. Misceantur & inungantur tempora. Si vero causis est adjuncta frigiditas,

Inunctio.

℞. Ol. chamæmelini,
Anethini,
Rutæ an. ʒ II. Misceantur ac tepidis prædicta loca inungantur: aut,

Sacculus.

℞. Serpilli,
Pulegii,
Betoniæ,
Majoranæ,
Verbenæ,
Fol. Lauri,
Sisimbrii an. M. I.
Flo. Chamæmili,
Meliloti,
Anethi an. M. s. Concisa insuantur sacculo oblongo & coquantur in aquæ & aceti p. æ. q. s. & expresso sacculo à superflua humiditate calidus capiti circumponatur, fasciisque adligetur.

17. *Ἡμικρανία quid est, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus remediis profliganda?*

Hemicrania locus seu sedes.

Ἡμικρανία est dolor in dimidia vel dextra vel sinistra duntaxat parte capitis, qui quandoque in intimis capitis partibus per medietatem cerebri, quandoque extra calvam in pericranio, nonnunquam in musculis tantum temporum sentitur.

Causæ.

Causæ hemicranias communes sunt speciebus κεφαλαλγίας· ut plurimum tamen excitatur aut à vaporibus, aut ab humoribus frigidis aut calidis ad mediam cerebri partem per venas aut arterias defluentibus ibidemque agitatis.

Signa.

Signa Ἡμικρανίας manifesta sunt, dolor videlicet mediæ tantum partis capitis, & qui plurimum per intervalla & circuitus exacerbatur. Quales autem sint causæ hujus doloris, vaporesne an humores vitiosi, & quibus qualitatibus juncti, ex signis in speciebus Cephalalgias recitatis facilè dignosci possunt. Et quia communes causæ sunt Cephalalgia Cephaleæ & Hemicraniæ, curatio ejus ut supra dictum est, pro causarum varietate alteranda erit. Si itaque sanguinis adsit redundantia, venæ sectio præmittenda erit: Si vapor ex inferioribus visceribus sursum feratur, per clystera avertendus est: si humorum vitiosorum copia, vel totum corpus, vel cerebri vasa referta sunt, per convenientia pharmaca primum concoquendi ac tandem evacuandi erunt, quorum remediorum copiam in Cephalalgiæ speciebus proposuimus: Ubi vero cerebri vasa excrementitiis humoribus abundant, quibus adjuncta est caliditas, hisce pillulis commodissimè detrahi possunt.

Curatio.

Pillulæ in causa calida.

℞. Mas. pill. Hieræ simpl. ʒ I.
Arabicarum ʒ I. s.
Myrabalanorum citrinorum ʒ s.
Rhabarbari ℈ II.
Spicæ indicæ ℈ s. Ex his omnibus optimè contritis formentur pillulæ cum syr. è stæcade q. s. instar pisorum, de quibus æger jejunus singulis 14. diebus deglutiat post mediam noctem ℈ IIII.

Si verò adjuncta est frigiditas.

Pillulæ in causa frigida.

℞. Mas. pill. Arab.
Hieræ simp. an. ℈ II.
Troch de agarico,
Flor. stæcados,
Myrabal. Chebulorum an. ʒ s. Ex his omnibus contritis conformentur pillulæ cum q. s. syr. è Betonica, & utatur eis æger ut de præscriptis diximus.

Topica vero remedia mediæ capitis parti dolenti hæc potissimum conveniunt, causa existente frigida.

Topica singularia.

℞. Euphorbium cum aceto vini levigatum & instar linimenti redactum, dolentique capitis parti illitum mirificè auxiliatur. Aëtius nullum præsentius remedium in Hemicrania esse scribit quam stercus bubulum aut hircinum cum æquali portione Thuris mixtum, & cum aceto in Emplastri formam redactum, calidumque affectæ parti applicatum. Vel fiat sacculus.

℞. Majoranæ,
Stæcad.
Chæmæmel.
Beton. an. p. æ. Concisa consuantur in sacculum, qui ebulliat in æ. p. aceti & aquæ, & expressus dolenti parti applicetur.

Miri-

Mirificè prodest & foramini auris partis dolentis tres guttulas tepidas Ol. de Euphorbio instillare, quod tamen in calida causa cavendum est. In calida vero causa plurimum juvat si lumbrici terrestres cum aceto rosaceo conterantur & parti dolenti illinantur.

LIBRI I. PRACTICÆ FRANCISCI JOELIS,

SECTIO II.

DE AFFECTIBUS CAPITIS RATIONEM TURBANTIBUS.

1. *Qui sunt morbi capitis ratiocinationem turbantes?*

DOlores capitis, qui in præcedentibus propositi sunt, accidunt in & circa menynges, pericranium, & cerebri membranas. Morbi vero sequentes in ipsa cerebri substantia contingunt. Et quia cerebrum est sedes potentiæ animæ Intellectivæ, per cerebri morbos turbantur actiones mentis, videlicet Intellectus, Ratiocinatio & Memoria. Sunt autem, ut supra in tabella morborum capitis est monstratum, morbi in substantia cerebri contingentes:

Morbi substantia cerebri.

- Phrenitis,
- Melancholica insania,
- Mania,
- Memoriæ læsio,
- Sopor,
- Lethargus.

21. *Phrenitis quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus mediis curanda?*

Phrenitis quid.

Φρενῖτις est delirium seu mentis propulsio cum febre acuta: φρὴν enim Græci mentem vocant, & inde mente captos phreniticos vocant. Est autem phrenitis acutissima & pernitiosissima affectio, quæ ut plurimum in septem diebus interimit, si sit exquisita & vera. Duplex enim ea est, vera & non vera. Non vera phrenitis est quoque delirium, sed remittente febre & ipsum cessat, quæ non est morbus sed symptoma ardentium febrium. CAUSA phrenitidis veræ & exquisitæ est aut vehemens inflammatio septi transversi, quod & ipsum φρὴν Græci appellant, ex cujus malignis & fuliginosis vaporibus per consensum & ipsum cerebrum inflammatur & delirium excitat: aut est sanguis retorridus, aut bilis flava præusta & accensa in venis menyngum cerebrum intersepientium. In virginibus autem adultis dilirii causa est putridus vapor ex corrupto semine sursum ad cerebrum delatus.

Παραφροσύνη hoc delirium vocatur ad differentiam veræ phrenitidis.

Causa veræ phrenitidis.

Signa phrenitidos sunt, si sanguis ustus cerebrum opplevit, mitius & ridiculosè insanit æger: Quibus vero inflammata bilis per cerebri substantiam est perfusa, magis lerociunt & immanius insaniunt. *Qui autem ex inflammatione Diaphragmatis phrenitici sunt, iis præcordia tument & distenta sunt.* Omnibus autem commune est accidens, & continua febris & perpetuæ vigiliæ: Et si quando somnus illis irrepit, valde is turbulentus & brevis est, & adeo laboriosus, ut expergefacti sæpe è lecto nudi prosiliant, oculi eorum squalidi sint & oratio inordinata, minimè cohærens & sine sensu. Porro quibusdam in phrenitide universum cerebrum inflammatur, aliis autem antica tantum pars, quibusdam vero posterior tantum. Quibus totum cerebrum est inflammatum, iis ratiocinatio perit, quibus autem anterior pars tantum, ii in imaginando aberrant: quibus vero postica tantum pars est affecta, illis memoria magis labefactatur.

Signa diversarum caussarum.

Signa diversorum locorum affectorum.

Curatur Phrenitis victus ratione, Venæ sectione, & remediorum convenientium usurpatione.

Curatio.

Victus ratio in phrenitide talis est instituenda. Aër ubi æger decumbit æstate ad frigiditatem, hyeme vero ad tepiditatem declinare debet. Utrum autem lucidus aut obscurus aër ei conveniat, ex natura ægroti conjectandum est. In eo enim quo magis delectatur,

Diæta.

ctatur,

ctatur, contineri eum oportet. Cum autem ut plurimum vehementi agitatione corpus fatigant phrenetici, contineantur quantum possibile est, aut manu administrorum aut vinculis, aut prohibeantur ab omni vehementi & inordinato motu. Nihil enim magis hujusmodi ægrotis convenit quam quies & somnus. Plærique enim per solum somnum sanitati restituuntur. Arceatur æger ab animi vehementi commotione, Ira potissimum & Tristitia. Astantes itaque & amici attemperent se ad ejus mores, & ingenium nunc blandiendo, nunc objurgando. Sæpius tamen ei est assentiendum quam contradicendum. Quantum autem ad cibum spectat, is moderate est ei adhibendus, & quidem in forma sorbitionis. Convenientissima itaque ei edulia sunt cremor ptisanæ, juscula gallinarum, lac ex amygdalis & seminibus papaveris albi simul mixtis confectum, & pruna Ungarica, poma aut pyra assata, & pisces saxatiles &c. Potus illi sit aqua hordei, in qua semen coriandri & pauxillum Cinamomi incocta sunt, cuique est admixtus syr. acidus citri: convenit & lac ex quatuor seminibus frigidis, cum aqua stillaticia Endiviæ confectum, & clara cerevisia, tenuisque substantiæ optimè cocta, qualis est Brunswicensis, (Brunswicensis tamen cerevisia propter lupulum copiosum valde petit cerebrum, ideoque alia tenui cerevisia potius utendum.)

Quies & somnus maximè conducunt.

Cibi salubres.

Potus.

Post victus rationem probè institutam statim in initio morbi alvus sequenti Clystere subduci debet.

Clyster.

℞. Malvæ,
Violariæ,
Mercurialis,
Lactucæ,
Capitum papav. albi siccor. an. M. I:
Hordei decorticati ℥ I.
Quatuor seminum frigidorum majorum an. ʒ I I.

Concisis concidendis & contusis contundendis coquantur in q. s. aquæ ad tertias, colentur, colati juris accipe ℥ x v. Quibus admisce,
Cassiæ recenter evulsæ ℥ I s.
Mellis rosati ℥ I.
Ol. Violarum ℥ I I I.
Salis communis ʒ I. Fiat Enema, quod tepidum infundatur recto intestino.

Sex horis post alvi per Clystera evacuationem, si ætas & vires ferant, nec turbulenta commotio corporis obstet, secetur vena cubiti exterior, quam cephalicam vocant, vel si ea non est satis perspicua, mediana vocata, & tantum sanguinis detrahatur, quantum vires ferre possunt: Altero rursum die, si paulo quietior est æger, & vena frontis commodè incidi poterit. At ubi venæ sectionem tolerare non potest æger, cucurbitulæ cum multa scarificatione cervici applicandæ sunt. Altero die post venæ sectionem evacuetur corpus à retorridis & inflammatis humoribus vaporibusque, sequenti haustu.

Venæ sectio inprimis hic utilis.

℞. Rhabarbari electi ʒ I. & s.
Cinamomi ʒ s. Contusa macerentur per noctem in aqua Endiviæ sativæ ℥ I I I I. altero die ebulliant leniter & exprimantur ac colentur, colato jusculo admisceantur syr. rosati solutivi ℥ I. Pulpæ cassiæ recenter extractæ ℥ s. Fiat haustus, & propinetur in aurora 5. horis ante prandium: aut offeratur ægroto sequens bolus devorandus totidem horis ante prandium.

Haustus purgans.

℞. Pulpæ cassiæ recenter evulsæ ℥ I.
Elect. rosati Mesuæ ʒ I I.
Cinamomi,
Anisi an. ℈ s.

Bolus evacuans.

Misceantur & conspergantur saccaro albissimo, fiat bolus. Post evacuationem corroborentur spiritus Vitales & studiosè mitigetur calor febrilis, id quod usu sequentis Electuarii perfici potest.

Electuarium corroborans.

℞. Conservæ rosarum,
Nymphæ,
Buglossæ an. ℥ s.
Pyrorum muscatellinorum conditorum,
Citri Citrinati conditi an. ℥ I. Concidantur minutissime, eisque admisceantur fragmentorum præparatorum Rubini, Hyacinthi, Margaritarum, Corallorum rubeorum an. ʒ s. seminis papaveris albi, portulacæ,

lacæ, Acetoſæ, Lactucæ, an. ℈ I. ſyr. Violarum q. s. commiſceantur, fiat Electuarium, de quo frequenter comedat æger particulam ſemijuglandis nucis magnitudine.

In phrenitide duo graviſſima ſymptomata ægrum affligere conſueverunt, ſitis vehemens & perpetuæ vigiliæ, quæ ſequentibus medicamentis leniri & curari poſſunt.

Sitim reſtinguentia.

Lap. prunella quoque hic multum poteſt in aq. fontana diſſolutus: ſpiritus vitrioli & aliquot guttulæ hiſce juliapiis admiſta.

Sitis vehemens compeſcitur ſucco granatorum aut ſucco ribes, aut ſyr. acido Citrii qui cum aqua hordei mixti aut ſimul aut ſingulatim, & ſubinde ægroto propinati; aut ſequenti potiuncula.

℞. Syr. Violarum,
 è ſucco Citrii acidi an. ℥ I.
Aq. Endiviæ,
 Boraginis,
 Acetoſæ an. ℥ III.

Miſceantur, fiat potio, qua ſubinde utatur æger ad ſitim ſedandam & ſupprimendas evaporationes. Somnus vero ſequentibus & intra corpus aſſumptis & topicis externis conciliandus erit.

Somnum conciliantia.

℞. Syr. de papavere ℥ I.
Aq. Lactucæ,
 Nympheæ an. ℥ II. Miſceantur, fiat hauſtus, qui quotidie veſperi pro una vice offeratur: poſt hanc potionem fiat lavacrum hujuſmodi.

℞. Fol. Vitis,
 Salicis,
 Lactucæ,
Flo. Nymphææ an. M. III.
 Roſarum rubearum,
 Violarum an. M. II.

Capitum papaverum cum ſeminibus M. I. & s. Concidantur & decoquantur in q. s. aquæ, fiat lavacrum in quo tepido veſpertino tempore laventur crura & brachia ægroti & fomententur per dimidiam horam: poſt lavacrum inungantur tempora ſequenti Linimento.

Linimentum hypnoticum.

Laudani opiati gr. III. cum liquore convenienti exhibita

℞. Unguenti populini ʒ I.
 Opii Thebaici cum pauxillo aceti roſacei ad ardentem ignem ſoluti ℈ I. Miſceantur, fiat linimentum, quo inungantur tempora & narium foramina: aut eluantur narium auriumq; foramina ſequenti decocto.

plus praſtant.

℞. Vini optimi lib. s.
 Sem. papaveris albi,
 Hyoſchiami albi an. ʒ II.
 Cort. Mandragoræ ʒ I.
 Violarum P. I. Decoquantur, fiat collutio. Quin & cordi & ſpiritibus vitalibus refrigerandis & corroborandis in phrenitide proſpiciendum eſt ſequenti Epithemate.

Alterantia.

Epithema refrigerans.

℞. Aq. Roſarum lib. s.
 Bugloſſæ,
 Nympheæ,
 Acetoſæ an. ℥ III.
Aceti roſacei ℥ II.
Pul. roſarum,
 Sandalorum omnium,
 Coralli rubei præparati an. ʒ I.
Croci gr. VI.
Camphoræ gr. IIII. Miſceantur, fiat Epithema, in quo tepido duplicata linteola madefiant & cordis regioni carpisque manuum applicentur. Eſt quoque ſingulari experientia comprobatum phrenitidis remedium pulmo agni aut arietis recens ab animali evulſus & adhuc tepidus capiti applicatus: prius tamen in phrenitide ſemper abradendi ſunt pili capitis, & ubi refrixit pulmo, rurſus in aqua recalefaciendus, iterumque applicandus.

Experimentum.

2. *Melancholica inſania quid, quæ ejus cauſa, & quibus mediis curanda?*

Μελαγχολίας vocabulum apud Medicos nunc pro ſucco melancholico, qui fæx eſt ſanguinis à liene in purificatione ſanguinis attractus & collectus, nunc, ut hoc loco, pro morbo cerebri uſurpatur.

Melancholia quid.

Eſt autem μελαγχολία ſive melancholica inſania affectio cerebri quam conſequitur mentis alienatio ſine febre, qua laborantes vel cogitant vel loquuntur vel operantur abſurda. Corrumpitur autem in Melancholia potiſſimum facultas imaginativa, illæſis interdum Ratiocinatione & Memoria.

Cauſa.

Cauſa Melancholicæ amentiæ eſt redundantia corrupti & vitioſi humoris melancholici, qui vel ſua ſubſtantia vel fuliginoſo vapore inficit cerebrum & obſcurat ſpiritus animales. Talis autem humor melancholicus colligitur nonnunquam

in ſolo liene, nonnunquam vero in ſolo cerebro, & interdum diſpergitur in univerſum corpus. In mulieribus vero nonnunquam generatur in utero ex menſium retentione, unde quatuor ſunt melancholicæ amentiæ ſpecies. Ubi enim in ſolo Liene corrumpitur melancholicus humor, & ſuo vapore inficit cerebrum, dicitur Melancholia ὑποχονδριακή. At ſi in cerebrum confluat hic humor putridus, & inde turbetur ratiocinatio, talis melancholia eſt affectio cerebri primaria. Si vero idem humor per univerſum corpus diffundatur, & inde per συμπάθειαν cerebrum afficiatur, melancholia univerſalis nominari poteſt. Simili ratione ſi ex retentione menſium turbetur ratiocinatio, uterina melancholia vocatur.

4. Species melancholicæ amentiæ.

Signa communia.

SIGNA communia omnibus ſpeciebus Melancholiæ ſunt Timor & Mœsticia, quæ perpetua ac certiſſima indicia ſunt vel præſentis vel futuræ Melancholicæ inſaniæ, teſte Hippocrate 6. Aph. 23. His accedunt quod Melancholia laborantes vel cogitant, vel loquuntur, vel efficiunt abſurda & à ratione & conſilio abhorrentia. Præterea melancholici averſantur converſationem hominum, animo ſunt abjecto, negligunt ſua, vitam damnant, & ſæpe præ mœſticia ſibi mortem conſciſcunt. Varias autem pro conſtitutione & mixtura humoris melancholici habent imaginationes. Alii enim brutum aliquod ut lupum aut gallum ſe eſſe ſibi perſuadent, & eorum animantium vocem & geſtus imitantur: alii vero ſe fictile aut vitreum corpus habere arbitrantur, & omnibus occurrentibus cedunt, ne collidantur: alii ſe mortuos eſſe opinantur, ac noctu in cæmiteriis oberrant tumultuſque excitant: alii ſemper rident, alii ſemper lachrymantur: alii ſunt taciturni: alii afflatu divino ſe imbutos eſſe credunt, quorum exempla & hiſtorias recitat Galenus lib. 3. 6. de locis affectis.

Variæ melancholicorum imaginationes.

Plura hujus rei exempla miranda ſunt apud Schenckium, & Foreſtum in obſervationibus.

Signa melancholiæ hypochondriacæ.

Signa vero ſingularum ſpecierum Melancholiæ hæc ſunt. In Melancholia hypochondriaca adeſt cum inſania cordis palpitatio, gravitas & dolor ſiniſtri hypochondrii, frequens flatus ventriſque rugitus, ructus acidi & nonnunquam vomitus, poſt ſumptum cibum augetur eis amentiæ ſignum. In melancholia vero in qua cerebrum primaria affectione laborat, nullum ſignum hypochondriacæ melancholiæ conſpicitur, ſed gravitas tantum & dolor capitis cum vertigine & ſenſuum debilitate. Melancholia autem univerſalis in qua vitioſus humor melancholicus per venas in omnes corporis partes eſt diſperſus, iis ſignis dignoſcitur. Totum corpus eſt gracile, hirſutum & ſqualidum, cum notabili nigredine, & ſi vena iis incidatur, ſanguis niger & craſſus inſtar picis liquidæ conſpicitur.

Signa melancholiæ cerebri primariæ.

Melancholiæ univerſalis indicia.

Melancholia uterina facilè etiam à reliquis diſcernitur.

Curatio.

Curatur Melancholia ſive inſania melancholica tribus potiſſimum præſidiis, victus ratione, venæ ſectione, & remediorum adhibitione. Victus ratio talis eſſet debet, quæ moderatè calida eſt & humida. Verſetur itaque æger in aëre moderatè calido & humido. Veſcatur autem cibis boni ſucci & facilis concoctionis, quales ſunt caro gallinarum, ovium, juſcula carnis bovillæ, ova ſorbilia, piſces ſaxatiles &c. Potus ejus ſit vinum tenue & album, & cerevisia benè cocta & clara. Vitet è contra omnia quæ melancholicum ſuccum generant flatuſque excitant, quales ſunt omnes carnes & piſces ſale conditi fumoque durati, & omnia ferè leguminum genera. Vitet & carnes, anſerinam, leporinam & cervinam; ſomnus & exercitium ſint moderata, utatur autem balneo aquæ dulcis ſeu lavacro frequentiſſimè, cujus beneficio ſolo ſæpe totalis melancholia ſanitati reſtituta viſa eſt; commodè autem in aqua balnei concoqui poſſunt ſequentes herbæ, Malva cum radicibus, Althea cum radicibus, Betonica & chamæmeli flores.

Victus ratio melancholicis conveniens.

Cibi melancholicum generantes ſuccum.

Balneum aquæ dulcis valdè prodeſt melancholicis.

His rectè inſtitutis accedatur ad venæ ſectionem, & ſi melancholia eſt univerſalis, ſecetur vena Mediana dicta ſiniſtri brachii, vel ſi lien ſolum eſt oppletus & obſtructus melancholico humore, primum ſecetur vena inferior cubiti ſiniſtri quam Lienariam vocant, deinde aperiantur & venæ hæmorrhoides circa anum, præſertim ubi

Venæ ſectio.

ubi æger antea assuetus fuit evacuationi hæmorrhoidum : aut incidatur interna vena sub malleolis sinistri pedis. Cerebro vero solo vitioso melancholico imbuto maximè ubi corpus sit plethoricon, incidatur primum jecoraria dextri cubiti, tandem & Cephalica sinistri cubiti. Ubi vero ex mensium retentione mulierculæ melancholia laborant, statim menses & per venæ sectionem & per medicamenta provocandæ sunt, de qua affectione intra tractabitur.

Clyster.

Interpositis tribus diebus à venæ sectione medicatio hujusmodi est instituenda, & primum quidem applicetur sequens Enema.

℞. Maluæ,
Violariæ,
Betæ an. M. I.
Chamæmeli,
Melitoti an. M. s.
Betonicæ,
Serpilli,
Majoranæ an. P. I. Concidantur & coquantur in q. s. aq. ad medias, colentur, colati juris accipe ℥ XVI. quibus admisce,
Pulpæ Cassiæ ℥ II.
Ol. Chamæmelini ℥ III.
Salis communis ʒ I. Misceantur, fiat Enema, & infundatur jejuno 2. horis ante prandium.

Post Clysterem adhibitum extenuetur & concoquatur humor melancholicus sequenti apozemate.

Apozema præparans melancholicum humorem.

℞. Hyssopi,
Sampsuchi,
Serpilli,
Melissæ,
Betonicæ an M. s.
Boraginis,
Lupulorum,
Ceterach,
Fumariæ,
Capillorum veneris an. P. I.
Rad. Cichorii,
Boraginis,
Fæniculi,
Corticum capparorum an. ʒ III.
Corticum Citrii ℥ s.
Flo. Absinthii,
Centaurii minoris,
Chamædrios,
Chamæpiteos an. ʒ II.
Pulegi ʒ I.
Fol. Senæ,
Epithymi an. ʒ III.
Schænanti,
Spicæ Indicæ an. ʒ s.
Sem. Anisi,
Dauci,
Fæniculi an. ʒ I.
Asari ʒ I. s.
Passularum ℥ I. Contusa & concisa coquantur cum lib. IIII. aquæ in cantharo cujus junctura massa farinacea est oblinita per duas horas, & ubi refrixit, exprimantur ac colentur, cui liquori admisceantur,
Succi Pomorum acidorum,
Pomorum dulcium,
Malorum punicor. an. lib. s.
Succi Fumariæ,
Boraginis,
Rosarum an. ℥ VI.
Saccari albi lib. I. s. Coquantur & clarificentur cum ovorum albuminibus, fiat syrupus, cujus mane ac vesperi exhibeantur ægro singulis vicibus ℥ IIII. Absumpta præscripta potione evacuetur melancholicus humor sequenti decocto.

Chymici ad præparandum humorem melancholicum utuntur tartaro vitriolato per aliquot dies exhibendo drach. s. vel scrupul. I. cum vino vel alio liquore convenienter.

Potio melanagoga.

℞. Conservæ rosarum,
Violarum,
Boraginis,
Fumariæ an. ℥ s.
Herbar. Fumariæ,
Ceterach. an. M. s.
Hordei decorticati,
Fol. Senæ Alexandrinæ,
Epithymi an. ʒ II.
Cort. Myrabulanorum Indorum ʒ I. s.
Prunorum Ungaricorum n. V. Infundantur simul per noctem in aquæ lib. II. altero die decoquantur ad medias, exprimantur ac colentur, colati juris accipe ℥ IIII. quibus admisce Diasenæ ʒ III. fiat haustus exhibeaturque tepidus mane sex horis ante prandium. Interpositis sex septem-

Nonnulli humorem melanch. evacuant Electuario vel Extr. helleb. nigri, quod tamen magna cum cautione fieri debet.

ve diebus denuo vitiosus & contumax melancholicus humor extenuetur, & rursum evacuetur, aut præscripta parte decocti aut sequentibus pillulis.

Pillulæ melanagoga.

℞. Mass. pill. Indarum,
De lapide lasuli an. ʒ s.
Pulveris veratri nigri præparati ℈ s. ex quibus cum melle rosarum contusis formentur pillulæ n. 27. quæ exhibeantur in aurora sex horis ante prandium: aut commodius etiam melancholia vitiosa ex cerebro eliciatur sequenti diluto.

Infusum ad hum. melanch. eliciendum.

℞. Veratri nigri præparati ℈ IIII.
Fol. senæ ʒ I.
Anisi ℈ I.
Cinamomi ℈ s. Macerentur simul inseri caprini ℥ VI. Et post 24. horas ebulliant leniter ac fortiter exprimantur & colentur, colato jusculo admisceantur Elect. Diasenæ ℥. fiat haustus & exhibeatur tepidus diluculo.

Porrò præscripta remedia cum extenuantia tum evacuantia in melancholica amentia, præsertim ubi hnmor vitiosus per totum corpus est diffusus, ter quaterve reiteranda erunt. Est enim humor melancholicus contumax, & instar picis liquidæ tenax, nec facile aut una vice medicamentis ablui potest: subinde itaque repeti debent, interjectis tamen aliquot diebus inter purgationes in quibus cerebrum & spiritus animales sequenti Electuario corroborari debent.

Humor melancholicus difficilè eradicatur.

Electuarium corroborans.

℞. Conservæ Boraginis,
Buglossæ,
Fumariæ,
Melissæ an. ℥ s.
Specierum Diamoschi dulcis,
Elect. de gemmis,
Diambræ an. ʒ I.
Diamargariti frigidi ʒ s.
Corallii rubei præparati ℈ IIII.
Syrup. è pomis q. s. fiat Elect. molle, de quo 2. horis ante prandium offeratur ægro quantitas semijuglandis, & paulo post gustet æger haustulum vini cretici aut alterius generosi.

Melancholia hypochondriaca curatio.

Porro melancholia hypochondriaca paulo diversam curandi rationem efflagitat. Primo subducatur alvus sequenti Enemate.

Enema.

℞. Flo. Chamæmeli,
Fol. Betonicæ,
Betæ,
Brassicæ,
Parietariæ an. M. I.
Rad. Polypodii,
Sem. Anisi an. ℥ s.
Cassutæ,
Epithymi an. P. I. Decoquantur in q. s. aquæ ad medias, colentur, colati juris accipe ℥ xv. Cui admisce pulpæ cassiæ ℥ I. Hieræ simp. ℥ s. Olei chamæmelini, liliorum alborum an. ℥ I. s. Salis ʒ I. fiat Clyster, infundatur tepidum duab. aut trib. ante prandium horis. Altero deinceps die incidatur vena primum quidem sinistri cubiti inferior, quæ Lienaria nominatur, deinde & vena sub malleolo sinistri pedis, postea præparetur melancholicus humor in Liene collectus ad evacuationem, sequenti Potione.

Digestivum Melancholia.

℞. Rad. Cichorii,
Boraginis,
Fæniculi,
Capparum an. ʒ II.
Asari ʒ I.
Fol. Hyssopi,
Sampsuchi,
Serpilli,
Melissæ,
Boraginis,
Betonicæ,
Scolopendr.
Fumariæ,
Capill. Veneris,
Chamædrios,
Chamæpit.
Pulegii an. m. s.
Centauri min.
Absinthii,
Spicæ,
Junci odorati an. p. I.
Passular. corinth. ℥ I.
Sem. anisi,
Dauci Fænic.
Rad. Asari,

Cort.

Cort. citri an. ʒ I.
Fol. ſenæ alex.
Epythimi an. ʒ III.

Hæc omnia craſſiuſculè contuſa in cantharum ſtanneum imponantur, eiſque adfundantur aquæ fluviatilis lib. IIII. & orificio canthari probè paſta farinacea illito, ne vapor exhalare queat, in lebete aqua ferventi plena collocetur & ad duas horas ſimul coquantur, ac tandem ubi per ſe refrixit, coletur, colatoque juri admiſceantur ſucci pomorum dulcium acidorum, & malorum punicorum, item ſucci Boraginis, Roſarum Fumariæ an. ℥ VI. Saccari albi lib. I. s. fiat potio ſecundum artem, de quo ſumat æger ℥ IIII. tepidas diliculo & veſperi: hac potione ubi per octiduum eſt uſus, evacuetur melancholicus humor ſequenti hauſtu cathartico.

Hauſtus melanagogus. ℞. Elect. lenitivi,
Diacatholici an. ℥ s.
Specierum Hieræ ſimpl. ʒ II. Diſſolvantur in q. s. aquæ fumariæ, fiat hauſtus, qui tepidus offeratur ægro mane ſex horis ante prandium. Hæc autem præſcripta remedia, ſi ita neceſſitas exigit, propter humoris vitioſi contumaciam, reiterari poſſunt. *Topica.* Præterea frequentiſſimè utatur æger rotulis duabus aut tribus Diamoſchi dulcis aut diambræ ad corroborationem cerebri. Quin & topica remedia hypochondriis ad diſcutiendos flatus ſunt adhibenda, veluti eſt ſequens ſacculus.

Sacculus hypochondrio ſiniſtro applicandus. ℞. Rutæ,
Abſinthii,
Pulegii,
Anethi,
Chamæmeli an M. I.
Baccarum lauri,
Sem. Fænu Græci,
Cumini an. ℥ s.

Contuſa & conciſa miſceantur, & in ſacculum convenientem inſuantur, & in aceti & aq. portione æq. decoquantur, & expreſſus à liquore ſacculus calidus hypochondrio ſiniſtro ſubinde applicetur. *Cucurbitula.* Ubi autem flatus vehementius extendunt hypochondria, cucurbitulas eis applicato ſine tamen ſcarificatione, quæ, Galeno teſte, inſtar incantamenti ſtatim omnem dolorem à flatuoſis ſpiritibus ortum ſedant & auferunt.

Prodeſt quoque per intervalla, ſi abſit æſtus, uti ʒ I. Theriacæ Andromachi ſoluti cum aqua ex baccis Juniperi deſtillata.

4. *Mania quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quibus remediis curanda?*

Mania quid. Μανία, Latinis Furor eſt calida affectio in ſubſtantia cerebri oborta, ſine febri, qua læditur imaginatio & ratiocinatio ſæpe illæſa manente memoria. Cognati morbi ſunt phrenitis, melancholia & mania. In his enim omnibus afficitur cerebrum, & turbatur ratiocinatio: *Differentia inter Phrenitidem, melancholiam, & maniam.* differunt tamen quod phrenitis ſemper adjunctam habet ardentem febrim, at melancholia à mania ſola intenſione differt. Etſi enim in utraque affectione turbetur ratiocinatio, & æger abſurda imaginetur, loquatur & operetur: tamen qui mania laborant, iracundia, ferocitate, jurgiis, clamoribus & horrendo aſpectu longe ſunt turbulentiores quam melancholici. Hinc Trallianus lib. 3. cap. 7. maniam intenſam eſſe melancholiam definit.

Cauſæ. CAUSÆ maniæ ſunt vitioſi humores, aduſta videlicet melancholia, bilis flava retorrida & ſanguis aſſatus inque naturam melancholiæ transverſus, qui vitioſi humores vel per totum corpus ſunt diffuſi, vel per venulas intra ſubſtantiam cerebri congeſti.

Signa. SIGNA Μανίας ſive furoris, ſi ſit ortus ex melancholico humore aduſto & in cinerem converſo, æger delirat ac ferocit cum timore & mœſtitia & ſolitaria amat loca. Qui vero ex flava bile aduſta delirat, ferox eſt & effrænis, qui niſi vinculis cohibeatur, veſtimenta propria delacerat & in obvios inſtar immanis beluæ dentibus, unguibus & pugnis impetum facit. Qui autem ex retorrido ſanguine maniacus eſt, mitior eſſe in ſpecie videtur, & tamen lædere cupit homines, & ſubinde in cachinnos inſolitos ſolvitur. *Prognoſtica.* Commune autem ſymptoma perpetuo omnes Maniacos ſubſequitur, videlicet perpetuæ vigiliæ &o-

& omnibus adeſt ſtupendum corporis robur. Porro niſi in principio ſuccurratur maniacis antequam confirmetur furor, ſero medicina paratur. Nec enim pharmaca admittunt, nec exhibita multum proſunt. Apparentibus itaque antecedentibus ſignis & futuram maniam indicantibus, veluti ſunt debilitas & dolor capitis, riſus inſolitus ſine cauſa, ira ex levi & nullius momenti occaſione, vigiliæ inſolitæ, & cura rerum peregrinarum nihilque ad ſe pertinentium &c. ſtatim inchoanda eſt manias curatio.

Curatio. Curatur mania victus ratione, venæ ſectione, & remediorum tam externorum tum internorum adhibitione, quæ omnia variari debent pro cauſarum diverſitate. In univerſum autem in victus ratione, aër in quo æger detineri debet, temperatus ſit. *Victus ratio.*

Victu vero utatur tenui, pauco, concoctu facili, & boni ſucci, qualem paulo ante in phrenitidis curatione commemoravimus, veluti ſunt cremor ptiſanæ, juſcula ſorbilia, caponum, ova ſorbilia, pruna Ungarica, caro pullorum & avicularum, lac ex amygdalis & ſemine papaveris albi confectum &c.

In potu caveatur vinum & plena cereviſia, quorum loco bibendum offeratur hordei aqua in qua Cinamomum & ſemen coriandri eſt incoctum. His ritè ordinatis, ſtatim ubi ferocire inceperit æger, ne vel ſibi ipſi vel aliis nocere queat, faſciis in lecto vinciendus eſt, ibidemque blandiſſimis amicorum orationibus cicurandus, eique ſtatim crines capitis auferendi ſunt, ac ſi ulla ratione fieri poteſt, alvus ſequenti Clyſtere ſubducenda eſt. *Enema.*

℞. Maluæ,
Althææ,
Mercurialis,
Violariæ,
Betonicæ an. M. I.
Rad. Althææ ℥ s.
Sem. Fænu Græci ʒ II. Conciſa & contuſa coquantur in q. s. aquæ ad medias, colentur, juris colati accipe lib. I. s.
Olei violarum ℥ III.
Hieræ ſimp. ℥ I. s.
Salis communis ʒ I. Fiat Enema, & applicetur, ubi paululũ furor fuerit ſedatus.

Reliqua curandi ratio pro cauſarum diverſitate, ut diximus, varianda eſt. Si itaque cauſa furoris ſanguis aduſtus, aut etiam bilis exaſſata extiterit, mox pacato ægro vena eſt incidenda, eaque primum cephalica, deinde & frontis, idque ubi ætas & vires ferunt, ſæpiuſculè eſt tentandum. Poſt venæ ſectionem omnis cura ac diligentia Medici in conciliando ſomno occupata eſſe debet. Quibus autem id remediis perfici queat, eorum formulas in curatione phrenitidis deſcriptas petere licebit, hoc loco uno remedio contenti, veluti eſt ſequens. *Remedia in ſanguinea mania. Venæ ſectio. Laudanum opiarum hic quoque ad gr. IIII. exhiberi poſſet.*

Linimentum.

℞. Opii Thebaici ʒ s. reſolvatur lento igne cum pauxillo aceti roſacei inſtar Linimenti, cui admiſce unguenti populini ʒ I. croci gr. II. fiat linimentum, quo narium foramina & tempora inungantur. Prodeſt tandem & caput frequenter fovere ac rigare ſequentibus topicis remediis. *Linimentum ſoporiferum.*

℞. Aceti roſacei ℥ II.
Aq. papaveris lib. s.
Ol. roſarum ℥ II.
Ol. Anethini ℥ I. Miſceantur, quæ tepida duplicatis linteolis excepta ſyncipiti ac temporibus circumponantur; Aut ſequens ſacculus capitalis commodè capiti applicari poteſt. *Sacculus.*

℞. Flo. Roſarum rubearum,
Violarum purpurearum,
Nymphææ,
Folio. Solatri,
Lactucæ an. M. I.
Capitum papaveris cum ſeminibus craſſiuſculè contuſorum n. VI.
Florum Chamæmeli,
Anethi an. M. s.
Betonicæ,
Majoranæ an. P. I. Conciſa miſceantur ac conſuantur in ſacculum oblongum, qui in olla ebulliat cum pari menſura aceti & aquæ q. s. & à liquore expreſſus tepens

tepens adhuc capiti circumligetur. Utilissimum quoque est potionis loco ægroto afferre syrupum de papavere aut violarum cum haustu cremoris ptisanæ.

In mania ex bile quæ conveniant. Porro si furor ex bile præassata, quæ omnium ferocissimam reddit maniam, sit ortus, primum bilis vitiosa ad evacuationem sequenti potione est præparanda, ejusque acrimonia mitiganda.

Iulapium alterans. ℞. Syrup. Rosarum, violarum, è fumaria an ℥ I. s. è boragine, de cicorea, & de endivia an. ℥ s.

Aq. stillat. boraginis, cicoreæ, endiviæ an. ℥ III. Misceantur, fiat potio, de qua diluculo & duabus ante cœnam horis offerantur bibenda ægroto ℥ IIII. modicè calefactæ. Tandem una die inter hanc potionem absumptam interposita evacuetur bilis adusta sequenti haustu.

Haustus chologogus. ℞. Rhabarbari electi ʒ I. s.
Fol. senæ Alexandrinæ ʒ I.
Cinamomi & spicæ Indicæ an. ℈ s.

Contusa macerentur per spacium 24. horarum in aq. Cicoreæ ℥ VI. Deinde leniter ferveant ac tandem exprimantur atque colentur, colato jusculo admisceantur Diacatholici, Diasenæ an. ℥ II. fiat haustus, & bibendus offeratur diluculo tepidus. *Quoties remedia reiteranda.* Præscripta potio bilem præparans & haustus evacuans, singulis mensibus circa solis ac lunæ oppositionem reiterandus erit, donec furor remitti incipiat: ac tandem utilissimum erit ægrum sæpiusculè in lavacrum aquæ *Balneum aquæ dulcis.* dulcis calidæ deducere & abluere. At vero si mania ex occasione melancholiæ adustæ sit generata, tum illis remediis omnibus commodissimè medentur quæ in præcedente tractatione de curatione melancholicæ insaniæ enumeratæ sunt. Omnium autem efficacissimum ad adustæ melancholiæ evacuationem remedium est, *Extract. hellebori nigri.* Extractum hellebori nigri, quod chymica arte parari solet, cujus conficiendi rationem Guinterus Andernacus in commentario secundo de veteri & nova medicina facienda describit, cujus ℈ I. in forma pillulari cum conserva boraginis exhibitus valentissime purgat.

5. *Memoria quid, memoriæ abolitio & diminutio quibus ex causis oboritur, per quæ signa causæ oblivionis dignoscuntur, & quibus remediis abolita Memoria restituenda & corroboranda est?*

Memoria quid. Μνήμη, Memoria est intellectivæ animæ interior sensus, in posteriori ventriculo cerebelli sedem habens, quo rerum & actionum præteritarum imagines ac simulachra nobis à sensibus exterioribus oblata tanquam fidelissimo custode retinemus, conservamus, & rursus per ejusdem sensus extensionem quasi præsentia reminiscimur.

Versatur autem & semper adjuncta est memoria tempori præterito, & ideo teste Aristotele de reminiscentia, solis hominibus inest memoria: quia soli homines habent rationem temporis præsentis ac præteriti. Bona autem & mala memoria ex temperie cerebelli pendet. Est itaque memoriæ diminutio sive abolitio cum quispiam eorum quæ prius noverat oblitus fuerit, & audita, visa, gustata, lecta &c. nec retinere nec reminisci potest aut ægrè comminisci.

Quibus de causis lædatur memoria. Causæ debilitatæ & abolitæ Memoriæ προηγουμέναι quidem sunt, cerebelli aut venenosis vaporibus oppletio, veluti contingit in quibusdam pestiferis morbis, qualem Thucydides describit in Peloponesiaco bello grassatum fuisse, quo qui afficiebantur, omnem memoriam amittebant, adeo ut ne nomina quidem propria meminisse possent: aut est sicca & frigida intemperies: aut humor cerebellum occupans: aut frigida & humida intemperies: aut humor cerebellum gravans, veluti accidit in Lethargo & κάρῳ morbis, de quibus paulo post dicemus.

Προκαταρκτικαὶ vero debilitatæ memoriæ causæ sunt vehemens aëris ambientis aut aquæ capiti admotæ frigiditas cerebellum ac medullam spinæ refrigerans: medicamenta stupefacientia cervici applicata: plagæ cervici incussæ: continua ebrietas: immoderatæ vigiliæ & intempestiva studia.

Signa. SIGNA causarum interiorum sunt, si cerebel-

cerebellum intemperie frigida & ficca eft infectum, æger perpetuis vigiliis infeftatur & conftitutionem corporis habet melancholicam: fi vero frigida & humida qualitate imbutum eft cerebellum, perpetuo fomno detinetur, & pituitofo corporis habitu præditus eft. Signa vero externarum caufarum manifefta funt, & ex ante acta vitæ ratione deprehendi poffunt.

Prognoftica. Ex abolita memoria hæc certiffima mala futura nobis præfagire licebit: Si cui memoria repentè aboleatur toto corpore incolumi manente, hic aut Epilepfia, aut Apoplexia, aut Paralyfi brevi corripitur, nifi ftatim in initio hæc graviffima mala convenientibus remediis avertantur: fi ægroto viribus jam deftituto memoria deficiat, id certiffimum eft propinquæ mortis indicium.

Abolitæ & diminutæ memoriæ remedia. CURATIO abolitæ aut diminutæ memoriæ per convenientem victus rationem & medicamentorum adhibitionem inftituenda eft, quæ tamen pro caufarum diverfitate varianda erunt. *Victus ratio.* Victus ratio (nifi memoria fit ex peftilenti contagione abolita) debet effe moderatè calida, eligendus eft itaque aër moderatè calidus: fimiliter & alimenta calefacientia conveniunt, qualia funt carnes gallinarum, caponum, hædorum & fimilium aromatibus conditæ: In potu vero vinum tenue & cerevifia clara, nec ufque adeo plena convenit & hydromeli: è contra vero ftudiosè vitanda funt omnia quæ refrigerant *Memoriam lædentia.* & vehementius humectant; qualia funt olera, fructus arborum, pifces omnis generis, & legumina, lac, cafeus & cæpæ: Potiffimum autem, ut peftem præfentiffimam, vitare debet ebrietatem, Venerem & fomnum meridianum, quifquis tenacem memoriam habere defiderat, & occiput à frigidiori aëre perpetuo munitum habere debet. Utatur præterea indies moderato exercitio; ignavia enim & ocio, & intellectus & memoria vehementer labefactatur.

Medicamenta quibus cum ad removendas caufas debilitatæ memoriæ, tum eorum quibus ad corroborandam memoriam utimur & ipfa moderatè calida effe debent, & pro caufarum diverfitate varianda. Ubi itaq; memoria diminuta eft ex nuda intemperie frigida cerebelli, & ficcitas ei eft adjuncta, veluti fieri confuevit in melancholicis naturis, tum iis remediorum generibus, quæ in ea fpecie κεφαλαλγίας quæ ex iifdem caufis oboritur & in dolore capitis ex melancholico humore orti, paulo ante commemorata funt, commodiffimè uti licebit. Simili ratione fi memoriæ debilitas originem trahat à frigida & humida intemperie, quemadmodum fit in pituitofis naturis, iis conducunt ea pharmaca, quæ in curatione doloris capitis ex redundantia pituitæ in cerebro orti, defcripta funt. Si autem abolitio memoriæ fymptoma fit alicujus morbi, ut febris peftilentialis vel lethargi vel cari, ejus curandi rationem & medica præfidia paulo poft proponemus. Sublato enim morbo tolluntur & fymptomata.

In debilitate memoriæ, exceptis fenibus, *Senum memoria debilis.* quibus proprium eft labili effe memoria, quæ contingit ex frigiditate & humiditate cerebelli, vel ex perfufione ejufdem ab excrementitia pituita, id quod ex alba ac molli conftitutione corporis dignofcitur, tum caufa debilitatis memoriæ fubfequentibus remediis præcidi ac curari poteft. Primum pituitofa excrementa ex cerebello & toto cerebro fequenti potione concoquuntur, extenuantur & ad expurgationem præparantur.

Decoctum præparans pituitam.

℞. Bethonicæ,
Majoranæ,
Serpilli,
Hyffopi,
Salviæ,
Stæchados Arabicæ,
Rorismatini an. M. S.
Sem. Carui,
Fæniculi,
Sileris montani an. ʒ III.
Rad. Pæoniæ,
Glycirthizæ,
Dauci cretici an. ʒ II.
Cinamomi,
Macis an. ʒ I. Concifis concidendis

dis & contusis contundendis imponantur simul in cantharum stanneum, quibus adfundantur lib. III. hydromellis,& oblinita junctura canthari in lebetem collocentur ac simul per duas horas coquantur, ac postea eximantur ac colentur, colato juri admisceantur syrupi è stæchade, oxymellis scillitici an. ℥ III. fiat potio, qua utatur patiens, & singulis diebus mane exhauriat ℥ IIII. similiter & vesperi duabus horis ante cænam. Exhausta potione, uno die interposito, sequenti Clystere pituitosa excrementa subducenda erunt.

Enema evacuans.

℞. Maluæ,
Betonicæ,
Serpilli,
Majoranæ,
Mercurialis,
Absinthii,
Centaurii minoris,
Flo. Chamæmeli,
Anethi an. M. s.
Sem. Carvi ℥ s. Concisa & contusa decoquantur in q. s. aquæ ad medias, quibus in fine ebullitionis adjiciatur ℈ I. Pulpæ colocynthidos in linteolo ligatæ, ac ubi decoctum ab igne removetur, statim ipsa colocynthis eximatur, ac liquor ab herbis percoletur, colati hujus juris accipe ℥ XV. quibus admisceantur Hieræ picræ simp. ℥ I. s. Diaphæniconis ʒ VI. Olei chamæmelini, Anethini an. ℥ I. s. Salis ʒ I. Misceantur, fiat Enema, quod recto intestino infundatur duabus horis ante prandium. Rursum à Clystere duobus interpositis diebus purgetur cerebellum sequenti haustu.

Haustus Phlegmagogus.

℞. Agarici Trochiscati ℈ IIII.
Fol. Senæ Alexandrinæ ʒ I. s.
Zinziberis albi,
Sem. Carvi an ℈ s. contusa macerentur per 24. horas in aq. betonicæ ℥ VI. tandem ebulliant leniter & colentur, colato jusculo admisceantur Diaphæniconis ʒ III. fiat haustus, qui tepidus exhibeatur diluculo 6. ante prandium horis: aut deglutiat æger sequentes pillulas, quæ pituitosos humores ex cerebello egregiè evacuant.

Pillulæ.

℞. Mas. Aurearum,
Arabicarum,
Aggregativarum an. ℈. I. ex quibus commixtis cum q. s. mellis rosacei formentur pillulæ n. 27.

Apophlegmatismi.

Commodissimè uti quoque possumus ad detrahendos ex cerebro pituitosos humores gargarismate ex radicibus pyrethri & seminibus erucæ confecto, atque errhinis ex succo betæ, quorum medicamentorum paradigmata,& simul aliorum quæ huc referri possunt, ex curatione doloris capitis à pituita orti, petenda erunt.

Memoriæ læsio ex melancholia.

Ubi vero ex melancholici humoris copia cerebellum refrigerantis & memoriam debilitantis oritur oblivio, tum humor melancholicus sequenti primum potione concoqui & extenuari debet.

Potio melancholiam digerens.

℞. Rad. Polypodii ℥ I. Fæniculi, Petroselini, Glycyrrhizæ an. ʒ III. capparum, Hellebori nigri præparati an. ʒ II.
Herb. Fumariæ, Capillorum Veneris, Betonicæ, Asplenii an. M. s. Melissæ, Rorismarini an. P. I. Thimi, Epithymi an. ʒ. II.
Sem. Anisi, Fæniculi, carvi an. ʒ I. Cinamomi, cubebarum an. ʒ I. s. Concisis & contusis cum aq. lib. III. decoquantur in duplici vase sive cantharo in lebetem collocato per spacium duarum horarum, deinde colentur & colato juri admisceantur Syr. è betonica, è fumaria, de epithymo an. ℥ III. fiat potio, de qua exhauriat æger ℥ IIII. diluculo & duab. horis ante cœnam semper prius calefactas. Potione exhausta purgetur humor melancholicus sequenti haustu.

Haustus melanagogus.

℞. Elect. Diasenæ,
Confectionis Hamech. an. ʒ III.
Aq. Fumariæ ℥ V. Misceantur, fiat haustus qui tepidus ebibatur 6. horis ante prandium: Aut

Pillulæ.

℞. Mass. pil. è fumaria, cochiarum an. ʒ s. formentur pillulæ n. 27. cum aqua Majoranæ, & deglutiantur mane sex horis ante pastum. Quia vero lentus & crassus est humor melancholicus, præscripta medicamenta singulis trimestribus reiteranda erunt.

Porro subsequentia remediorum genera

cum ratione ſui temperamenti, tum ſpecifica virtute memoriam quacunque ex cauſa debilitatam reſtituunt, corroborant, firmam ac tenacem mirificè reddunt, id quod frequenti experientia comprobatum eſt.

Memoriam confortantia experimenta.

Poſt convenientem cerebelli expurgationem memoriam vehementer corroborare & amiſſam reſtaurare Chymiæ artifices non ſine rationibus aſſerunt, ſi quis ſingulis ſeptimanis bis aut ter ſemiſcrupuli menſuram olei vitrioli rectificati cum hauſtu vini generoſi jejuno ventriculo ebibat. Craſſos enim ſpiritus diſcutit & clarificat, & lentos humores in cerebello extenuat, ipſumque cerebellum ad convenientem temperiem reducit.

Itidem præſtant, ſi quis ſingulis ſeptimanis ſemel jejunus cum generoſo vino aſſumat ʒ I. confectionis Anacardinæ aut Theriacæ Andromachi, aut ſingulis diebus jejunus devoret rotulas II. Diamoſchi aut Diambræ.

Reſtituit quoque amiſſam memoriam & corroborat ʒ I. ſequentis pulviſculi cum optimo vino exhauſta.

Pulvis pro memoria.

℞. Ramentorum eboris veri,
Cornu cervini,
Caſtorei an. ʒ I.
Monocerotis cornu ℈ I.
Moſchi gr. III. Redigantur in ſubtiliſſimum pulviſculum.

Corroborat & tenaciſſimam efficit memoriam mediæ juglandis inſtar quotidie devoratum ſequens electuarium.

Electuarium.

℞. Conſervæ florum Betonicæ,
Salviæ,
Roriſmarini,
Meliſſæ an. ℥ I.
Specierum Diamoſchi dulcis,
Diambræ an. ʒ I.
Pulveris Zedoariæ,
Cariophyllorum,
Cubebarum,
Carvi an. ʒ s. Commiſceantur, commixtisque addantur olei Cinamomi gr. III. His autem omnibus præſtantior eſt Aqua vitæ noſtra, quæ hac ratione conficitur.

Aqua vitæ authoris pro memoria.

℞. Aq. ſtillaticiæ juniperi lib. IIII.
Flo. lilii convallii ex ſtipitibus decerptorum M. II.
Flo. Salviæ M. I. Macerentur in ſole diebus XIIII. deinde exprimantur ac colentur, colato liquori rurſum indantur conſervæ Roriſmarini, Lavendulæ an. ℥ II. ſpecierum Diamoſchi dulcis, Diambræ an. ʒ II. ſaccari cand. in aqua Lavendulæ ſoluti lib. I. Quibus ſimul mixtis macerentur per menſem, ac tandem deſtillentur chymico artificio vitro in arenam calidam poſito. Hujus aquæ I. cochlear ter per hebdomadam ſumptum illuſtrat ſpiritus animales & mirifice corroborat memoriam, præſervat ab apoplexia, & epilepſia, & hiſce malis correptos brevi ſanitati reſtituit, ſi eam vel intra corpus ſumant vel ea foris affectæ partes inungantur. Memoriam autem reſtituit atque corroborat, ſi ea ſæpius occiput inungatur. Egregiè quoque memoriæ debilitati opitulatur ſequens Linimentum occipitio per aliquot dies inunctum.

Linimentum ad memoriam confortandam.

℞. Olei è lateribus,
de Caſtoreo an. ℥ s.
Olei nucis Muſchatæ,
Olei caryophillorum an. ʒ s.
Ceræ quantum ſufficit. Fiat linimentum, cui admiſceantur pulverum Cubebarum, Caryophillorum, Benzoi an. ℈ I. Rad. pyrethri ℈ II. Miſce.

Non minoris quoque efficaciæ eſt ſequens ſacculus inter calidos lateres, aut vino generoſo aut aqua Lavendulæ conſperſos calefactus & occipitio alligatus.

Sacculus.

℞. Florum Rorismarini,
Lavendulæ,
Foliorum Majoranæ,
Meliſſæ an. M. I.
Stæchados Arabicæ,
Serpilli,
Betonicæ an. M. s.
Nucis moſcatæ,
Macis,
Cubebarum an. ʒ I.
Caryophillorum,
Styracis calamitæ,
Benzoi an. ʒ s.

Sem.

Sem. Carvi ℥ II. Concisis concidendis & contundendis contusis, mixta insuantur sacculo lineo oblongiusculo, & cervici adaptato, & ne herbæ convolvantur, intersuatur sacculus.

Non incommodè ad diminutionem causarum oblivionis & restitutionem memoriæ uti possumus & gargarismatis, apophlegmatismis sive pulveribus masticatoriis, errhinis ac sternutatoriis remediis, quæ supra in curatione cephalalgias ex pituita ortæ, præscripta sunt.

6. Lethargus, carus & catalepsis quales sunt cerebri affectiones, ex quibus causis oboriuntur, per quæ signa dignoscuntur, & quibus remediis curandæ?

Soporosæ affectiones. Tres hæ cerebri affectiones lethargus, carus & catalepsis, cognatæ sunt inter se, & ex iisdem causis eveniunt, iisdemque remediis profligantur, ac non nisi magnitudine & causæ extensione differunt. Sub una itaque eademque tractatione earum curationem proponere visum est. Positis itaque prius singularum descriptionibus, causis & signis, generalem omnium subjungemus curandi rationem.

Lethargus quid. Λήθαργος, Latinis veternus seu iners somnolentaque oblivio, est inevitabilis dormiendi necessitas in febribus lentis oborta, cum oblivione repentina omnium quæ dicuntur aut acclamantur.

Causa. Causa hujus mali est excrementum pituitosum & impensè frigidum cerebri substantiam occupans, gravans, ibidemque putrescens, & simul ratiocinationem memoriamque turbans & inexpugnabilem somnolentiam inducens.

Signa. Signa veterni sunt: lenta febri torquetur æger, ignavus est & somnolentus, adeo ut vix vehementer impulsus ad interrogata tumultuariè respondeat: ad vehementem autem acclamationem oculos quidem aperit, sed statim iterum claudit, oscitat creberrimè & ore inusitatè hiat, ipsumque claudere obliviscitur: quin ubi ad mejendum è natura stimulatur, matulam expetit, sed manu tenens, mejere obliviscitur. Lethalis est morbus lethargus, nisi maturè ei succurratur.

Carus quid. Κάρος, Arabibus subeth, Latinis mortis imago, vel somnus morti similis dici potest. In Caro enim, teste Galeno 2. de Articulis, omnes operationes animæ læduntur, ita ut neque sentiat, neque moveatur, neque intelligat, nec comminiscatur, nec appetat æger; sola respiratione, quæ illæsa manet, differt à mortuo.

Differentia cari & lethargi. Differt Caros à Lethargo. Lethargus enim adjunctam sibi habet febrim, & ad vociferationem oculos aperit, ad interrogata respondet incondita: Caro vero correpti febre carent, oculos nunquam aperiunt, nec loquuntur, nec corporis partes commovent, sed mortuo similes jacent, respirant tamen. Non dissimilis est morbus Carus Apoplexiæ, differt tamen ab ea, respiratione. In Caro enim libera est respiratio, in Apoplexia vero vehementer impeditur.

Causa. Causa Cari est pituita crassa, ac lenta, cerebri substantiam comprimens ac constringens.

Signa. Signa ejus sunt, gravis somnus ac præternaturalis, & oculorum perpetua occlusio.

Catalepsis quid. Κατοχὴ sive κατάληψις, deprehensio seu stupor, & recentioribus congelatio dicitur. Est autem subita quædam omnium actionum animalium ablatio. Congelatione enim correpti, statim totius corporis sensum & motum amittunt, & eam corporis figuram, in qua deprehensi sunt, sive stantes sive sedentes sive decumbentes, sive clausis sive apertis oculis tum extiterint, retinent, sola respiratione manente.

Rarissima est affectio, cujus admiratione nemo spectatorum est, qui non obstupescat.

Exempla catalepticorum. Fernelius lib. 5. suæ παθολογίας duo hujus mali horrenda exempla recitat, unius qui literis & chartis sedens invigilabat, qui subita congelatione correptus ita obriguit, ut calamum digito premens, oculisque in libros defixis putaretur in eorum studia incumbere, donec vocatus & impulsus agnosceretur ipso sensu ac motu

privatus esse. Alterius, qui cubans in somno κατόχῳ deprehensus mortui instar jacebat & nec videre nec audire, nec punctiones violentasque contrectationes sentire poterat, respirationem tamen inculpatam habebat, & si quid ei in os inserebatur, deglutiebat facile, è lecto sublatus solus consistebat, & impulsus incedebat, & quocunque vel manus vel pedes inflectebantur, illic fixi ac stabiles instar statuæ aut larvæ permanebant.

Causa. Causa congelationis est posterioris partis cerebri adeoque cerebelli extrema refrigeratio, vel pituitosi humoris in ea parte cerebri instar glaciei concretio.

Signa. Signa hujus mali ex descriptione & recitatis exemplis manifesta sunt. Hæc tria affectionum genera Lethargus, carus & congelatio cum inter se sint cognata & ex iisdem causis oboriantur, & tantum extensione & remissione causarum differant, una & eadem medendi ratione, iisdem medicamentis curanda erunt.

Curatio. Curantur tres hi morbi bona victus ratione & medicamentorum usurpatione.

Diæta. Victus ratio debet esse calefaciens. Detineatur itaque æger in loco aëreque calido, alimentum ei offeratur quod & ipsum calefaciat, & lentorem pituitæ extenuet. Sunt autem hujusmodi carnes pullorum & gallinaceorum, avium sylvestrium, perdicum & vitulorum. Commodè quoque offerri possunt ova & ex ovis vinoque aut cerevisia parata juscula: item juscula carnium bovillarum, cremor ptisanæ, & lac amygdalarum, condiantur fercula aromatibus, pipere, zinzibere, Macere, croco, gariophyllis, radicibusque petroselini, potus illi convenit vinum aromat. hydromeli, vinum Rhenanum & cerevisia plena ac clara.

Remedia. Remedia in his morbis sequentia adhibenda veniunt. Primum subducantur pituitosa excrementa frigidique vapores detrahantur sequenti clystere.

Enema. ℞. Salviæ, Origani, Betonicæ, Majoranæ, Rutæ, Centaurii minoris, stæchados Arabicæ an. M. s.

Sem. Carvi, Seselios, Fæniculi an ʒ III. Concisa & contusa coquantur in q. s. aquæ ad tertias, in coctionis fine adjiciatur ℈ I. pulpæ colocynthidos in linteolo ligatæ, & iterum uno & altero fervore ebulliant, ac tandem colentur, colati juris accipe ℥ XV. Cui admisce hieræ cum colocynthide ℥ I. benedictæ laxativæ ℥ s. Olei laurini, rutacei an. ℥ I. s. salis fossilis ʒ I. Commisceantur, fiat Enema quod tepidum recto intestino infundatur.

Vena sectio. Deinde in lethargo & caro, si ægri vires, ætas & temperies ferunt, vena mediana dicta dextri cubiti secanda erit, postea somnum præternaturalem ac profundum, odoramentis, suffitibus & sternutatoriis auferre studebimus. *Suffitus.* Naribus itaque ægri continue admovenda sunt, aut castoreum aut sagapenum, aut asa fœtida, aut pix liquida aut suffitus fumusque naribus immittendus accensi sulphuris. Irritandus est æger ad sternutationem sequenti pulvisculo naribus indito.

Sternutatorium. ℞. Pul. Pyrethri, Majoranæ, Hellebori albi an. ℈ I.
Euphorbii, Nigellæ an. ℈ s. Misceantur fiat pulvisculus. Palato vero ac faucibus ægri ad proliciendam extenuendamque pituitam sequens linimentum est inungendum.

Apophlegmatismus. ℞. Pul. pyrethri, Erucæ, sem. staphisagriæ an. ʒ s.
Oxymellis scillitici ℥ s. Misceantur, fiat linimentum.

Tandem caput universum est radendum & mitra ex sequentibus herbis consuta capiti imponenda.

Cucupha. ℞. Majoranæ, Rorismarini, Pulegii, Betonicæ, stæchados Arab. an. M. I. sem. Carvi ℥ I. Euphorbii ʒ I. contusa consuantur in mitra & decoquatur in aqua expressaque diligenter capiti subinde imponatur & ubi refrigerari incipit rursum calefacienda in eodem jusculo erit.

Cervix adeoque totum caput & dorsi spina sequenti oleo bis per diem inungi non incommodè potest.

Linimentum pro capite & spina. ℞. Ol. Philosophorum sive de lateribus ℥ s.
Ex baccis juniperi ʒ II.
Laurini, de castoreo an. ʒ I. Misceantur,

tur, fiat linimentum. Aut imponatur capiti ſequens ſinapiſmus.

Sinapiſmus.

℞. Olei Caſtorei ℥ I.
de Euphorbio, è coſto an. ℥ s.
Sagapeni in aceto reſoluti ʒ II.
Pul. ſtyracis calamitæ ʒ I. s.
Euphorbii ʒ s.
Caſtorei ʒ I.
Sinapi ℥ s. Ceræ quantum ſufficit, fiat Emplaſtrum. Poſtea efficaciſſima hæc remedia ſingulis diebus bis manè nimirum ac veſperi bibenda exhiberi debent.

Ol. ruti ſtillatitium tam extrinſecus quam intrinſecus adhibitum, plurimum hic juvat.

Theriacæ Andromachi ʒ I. s.
Aut Elect. Anacardini ʒ I.
Aut Olei vitrioli ℈ I. cum vino aut aquæ Iuniperi mixta.

Porro ubi morbus ultra ſeptimum diem protenditur tum non levis ſanitatis ſpes reſtat teſte Hippocrate lib. 2. de morbis. Si itaque tum vires non prorſus ſunt proſtratæ, lenta ac frigida pituita ſequenti potione extenuanda & ad eductionem præparanda erit.

Potio pituitam incidens & præparans.

℞. Salviæ, Hyſſopi, Thymi, Pulegii, Betonicæ, Majoranæ an. M. s.
Rad. Pæoniæ, Dauci Cretici, Pyrethri, Fæniculi an. ʒ II.
Sem. Carvi, Fæniculi, ſeſelios, coriandri an. ʒ III.
Cinamomi, cubebarum, Cardamomi an. ʒ I.

Conciſa & contuſa coquantur in cantharo oblinito in lebeteque collocato per duas horas cum adfuſis trib. lib. hydromellis, poſtea colentur & colato juri admiſceantur ſyrupi de ſtæchade, de betonica an. ℥ II. Aquæ juniperi ℥ I. Miſceantur, fiat potio, è qua ægroto bibenda offerantur ℥ V. calefactæ mane ac veſperi duab. horis ante cænam. Exhauſta hac potione evacuetur præparata pituita ſequentibus pillulis.

Pillularum phlegmagoga.

℞. Maſ. pillularum Hieræ ſimp. Cochiarum an. ʒ s.
Trochiſcorum Alhandali ℈ s. Cum melle roſaceo q. s. formentur pillulæ n. 27. quæ poſt mediam noctem cum hydromelle deglutiat æger.

Inſeſſus.

Tandem deducatur ægrotus in lavacrum aquæ dulcis in qua incoctæ ſunt betonica, ſerpillum, majorana, ſalvia, chamæmelum & ſimiles herbæ, idque ſingulis ſeptimanis bis eſt tentandum, donec convaleſcat æger. Reliqua remediorum genera ad horum morborum propulſationem facientia, partim ex curatione abolitæ memoriæ paulo ante tractata, partim ex curatione Apoplexiæ, quæ paulo poſt ſequetur, petenda erunt.

SECTIO III.

DE AFFECTIBUS CAPITIS MOTUM ET SENSUM LÆDENTIBUS.

I. *Qui ſunt morbi Cerebri motum & ſenſum debilitantes aut auferentes?*

Cerebrum eſt principium motus & ſenſus totius corporis. Cauſa efficiens ſenſus & motus eſt ſpiritus animalis in ventriculis cerebri contentus: Inſtrumenta vero ſunt nervi, quorum ſeptem paria (Neoterici octo paria obſervarunt addentes reliquis par odoratoriorum nervorum) ex ventriculis cerebri, & triginta paria ex ſpinæ medulla, quæ tanquam rivulus eſt cerebelli, oboriuntur. Ventriculi vero ſive cavitates quatuor in cerebro conſpiciuntur per canales conjunctæ, in ſyncipite duæ inſtar duarum novarum lunarum dorſis ſuis conjunctarum. Hæ ſunt domicilia phantaſiæ ſive imaginationis ſenſusque communis, tertia eſt in medio ſive centro cerebri, in qua fit ſpecierum diſtinctio & ratiocinatio, quarta habetur in cerebello quæ eſt domicilium memoriæ. Ubi itaque in hiſce ventriculis vel canales quibus conjunguntur vel principia nervorum craſſis lentisque humoribus denſisque vaporibus obſtruuntur, aut venenoſis halitibus ſpiritus animales inficiuntur, ſubſequentes morbi, motum ſenſumque lædentes, oboriuntur:

Generalis cauſa ſenſum & motum lædens.

Vertigo,
Epilepſia,

Affectus cerebri ſeu

Apo-

læsiones sensus & motus.

Apoplexia,
Paralysis,
Convulsio sive membrorum contractio,
Tremor,
Tetanus,
Incubus,
Catarrhus.

2. *Vertigo quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quibus remediis curanda?*

Vertigo quid. Σκότωμα, vertigo, **der Schwindel** est exagitatio & præternaturalis commotio spirituum animalium in ventriculis potissimum anterioribus cerebri. Vertigine laborantibus aut tenebræ aut alii colores pro causarum varietate oculis offunduntur, omniaque cum ipso circumrotari videntur, adeo ut nisi æger propinquis nitatur adminiculis, corruere eum sit necesse. *Causæ internæ.* Causæ vertiginis προηγούμεναι internæ sunt vapores aut flatulenti spiritus in crudis vitiosisque humoribus ab imbecilli calore excitati, & per venas ac arterias in ventriculo cerebri delati, qui spiritum animalem ibidem variè impellentes & exagitantes sensum inprimis visus, & motum turbant. Excitantur autem hujusmodi vapores per intervalla & periodos: hinc est quod hoc symptoma non sit permanens, sed intervallis certis recurrat. Crudi autem & vitiosi humores, in quibus calor imbecillis agit & tales excitat vapores, nonnunquam in ipso cerebro, interdum vero in subjectis partibus veluti ventriculo & matrice continentur.

Causæ externæ. Causæ procatarcticæ sive evidentes vertiginis sunt, corporis totius diuturna & celeris gyratio atque rotatio, aspectus continuus rotarum celeriter circumagitatarum, balneorum calor vehemens, prospectus è sublimi & alto loco, crapula ex ebrietate, diuturna excrementorum alvi retentio, & solis radii, lunæque lumen caput feriens.

Signa diversarum causarum. Signa internarum causarum sunt, si in capite continetur vitiosus humor, semper adest dolor & gravitas capitis atque tinnitus aurium: Si vero in ventriculo constituta sit causa, vertiginem præcedit nausea, oris amaror & appetitionis prostratio adeoque orificii ventriculi morsus & erosio, si ex matrice vapores eleventur, decolorata est mulier & conqueritur de doloribus partium circa pubem existentium, & suppressione mensium. Reliqua evidentia signa in descriptione vertiginis commemorata sunt.

Prognostica. Prognostica signa in vertigine hæc veniunt notanda: Vertiginis facilis est permutatio aut in epilepsiam, aut in apoplexiam, aut in amentiam.

Quibus in vertigine viridis aut purpureus color obversatur, magis proni sunt ad epilepsiam: quibus ater, ad apoplexiam: quibus autem rubeus, ad amentiam.

Curatio. Curatio vertiginis victus ratione & remediis convenientibus venæque sectione perficitur.

Aer. In vivendi ratione, eligat æger aërem tranquillum, clarum & temperatum, non impensè calidum aut frigidum, non crassum, non nebulosum aut ventis agitatum. Ventus autem Austrinus unicè vitandus est.

Cibus. Cibis utatur concoctu facilibus & sanguinem purum generantibus, quales sunt ova recentia sorbilia, & ex his parata juscula, carnes caponum & vitulorum, pisces saxalites & squamati, vitet sedulo cæpas, pisa & alia legumina, & quicquid vaporibus cerebrum implere potest.

Potus. Potus ei sit vinum tenue & album: eo autem rarius utatur, nisi sit causa morbi in ventriculo, hydromel & cerevisia limpida ac non valde plena.

Evitanda vertiginosis. Externas quoque vertiginis causas veluti sunt venti australes, radii solares, splendor lunæ, loca alta & præcipitia, rotarum aliarumque rerum celeres circumagitationes & alvi obstructiones vitabit quam studiosissimè.

Remedia vertiginem depellentia duplicia habentur, unum genus eorum est quæ paroxysmo succurrunt, & agitationem spirituum animalium sedant: alterum genus est, quæ causas vertiginis auferunt.

In

Remedia Paroxysmi. In ipso paroxysmo sive exacerbatione spiritus animales corroborandi & sedandi sunt sequentibus remediis: statim itaque in vertigine foramina narium inungantur aut oleo majoranæ aut oleo ex nucibus moschatis vel destillato vel expresso; aut admoveantur naribus odores aquæ stillatitiæ rosarum cum pauxillo aceto rosaceo mixtæ: quin & tempora carpique manuum fortiter confricentur cum aqua & aceto rosaceo simul mixta, cui guttula olei cinamomi aut nucum moschatarum indita est. Ori vero masticandum indatur aut momentum salis, aut frustulum cinamomi aut macis, aut rotula una diamoschi dulcis aut diambræ.

Remedia causarum. Remisso paroxysmo, viribusque recuperatis, si alvus est obstructa statim glande sive suppositorio ex melle, momento salis & pulveris Trochiscorum Alhandali confecto subducenda erit, aut sequente Clystere.

Enema. ℞. Mercurialis,
Betæ,
Malvæ,
Betonicæ,
Absinthii,
Centaurii minoris,
Flo. Chamæmeli,
Anethini an. M. s.

Concidantur & concoquantur in q. s. aquæ ad medias, colentur, colati juris accipe ℥ XVI. quibus admisce olei amygdalarum dulcium, anethini, an. ℥ I. s. mellis rosacei ℥ I. Hieræ simp. ℥ II. salis ʒ I. commisceantur, fiat Enema & tepidum συρίγγα recto intestino infundatur.

Vena sectio. Porro vertigine laborantes qui sanguine redundant, quod ex rubedine faciei deprehendere licet & venarum amplitudine ac tumore, iis post alvi dejectionem venam cephalicam quæ suprema est in humero, incidere convenit; sanguis tamen non confertim, nec una vice sed per crebras vices, subinde vulnus digito comprimendo & aperiendo rursum, eliciendus est. Tandem causa materialis vertiginis sive contineatur in ipso cerebro, sive in subjectis partibus, sequentibus remediis exstirpanda erit.

Si biliosus humor vertiginis sit causa, sequenti potione præparari ad eductionem debet. *Potio bilem præparans.*

℞. Syr. de Cichorea,
ex infusione rosarum an. ℥ II.
Aquæ stillatitiæ Cichoreæ,
Intybi an. ℥ IIII.
Absinthii ℥ III.

Misceantur, fiat potio, de qua per triduum bibat æger mane ac una hora ante cœnam. Postea sequenti haustu evacuetur biliosus humor.

℞. Cort. Myrobalanorum citrinorum ℥ s. contusa coquantur in duplici vase cum aquæ boraginis ac cichoreæ an. ℥ III. per dimidiam horam, exprimatur atque coletur, colato jusculo admisceantur Syr. rosati solutivi ℥ I. Diacatholici. Elect. lenitivi an. ℥ s. Misceantur, fiat haustus, qui matutino tempore tepidus exhibeatur, jejunet autem æger post assumptum haustum sex horarum spacio. Commodissimè quoque purgari potest humor biliosus iis remediis quæ supra in cephalalgia ex bilioso humore descripta sunt. *Haustus Cholagogus.*

Si vero vertigo à cruda pituita aut melancholico humore excitetur, hi humores quoque iisdem remediis & concoqui & evacuari possunt qui in cephalalgiæ speciebus ex pituita & melancholico humore ortis, enumerata sunt; singulariter autem pituitam evacuant sequentes pillulæ.

℞. Mas. pil. Arabicarum, cochiarum, aurearum an. ℈ I. *Pillulæ Phlegmagogæ.*

Agarici trochiscati ℈ s. cum q. s. mellis rosacei. Formentur pillulæ n. 27. & degluciendæ offerantur sex horis ante prandium. Melancholicus vero humor commodè evacuabitur pillulis sequentibus. *Pillulæ melanagogæ.*

℞. Mas. pil. Indarum, de lapide lasuli an. ℈ I. s. ex quibus mixtis cum aqua fumariæ formentur pil. n. 21. quæ degluciendæ offerantur diluculo.

Post generalem evacuationem cervici commodissimè affigi possunt cucurbitulæ cum scarificatione. Utiliter quoque sequenti gargarismate æger uti potest, si pituita sit causa vertiginis. *Cucurbitulæ.*

℞. Sem.

Gargarismus.

℞. Sem. Erucæ ℥ s. Rad. Pyrethri ℥ III.
Majoranæ, Betonicæ an. M. s. Concisa atque contusa coquantur in aceti & aquæ an. lib. s. ad medias, colentur, ac colato juri admisceantur mellis rosacei ℥ III. fiat Gargarismus. Mirificè quoque attrahit pituitam, & ab obstructione meatus liberat succus radicis Betæ rubeæ per nares ad cerebrum attractus. Subinde quoque in vertigine ex frigidis humoribus orta cerebrum sequenti masticatorio pulvisculo est corroborandum.

Errhinon.

Masticatorius pulvis.

℞. Sem. Erucæ ʒ II.
Cubebarum,
Macis an. ʒ I.
Cariophyllorum,
Cinamomi an. ℈ I.
Fol. Majoranæ siccæ ʒ s. Concidantur crassiusculè & jejuno ventriculo hujus pulveris P. I. masticetur in ore, obstructis naribus, donec sapor omnis evanescat.

Quantum etiam in hoc affectu possit infusum ste coris Pavonis in vino, per aliquot dies exhibitum, vide apud Quercet. in Pharmacopæa restituta.

Ubi vero vertigo ex flatulentis spiritibus in cerebro occlusis, originem ducit, vehementer laudat Galenus lib. 3. de locis affectis, arteriarum supra aures sitarum sectionem, sed meo judicio non sunt temerè arteriæ incidendæ, tum quia sanguis ægrè sisti potest, tum quod Hippocrates manifestè testetur incisionem earum arteriarum sterilitatem inducere.

An arteriotomia admittenda.

3. *Epilepsia sive morbus comitialis quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus præsidiis curanda?*

Ἐπιληψία, quasi dicas, superna comprehensio; quæ & ἱερὸν νόσημα id est sacer morbus, & ἡράκλειον νόσημα id est Herculeus morbus, & παιδίον νόσημα id est puerilis morbus, item comitialis morbus nominatur, Galeno lib. 3. cap. 7. de locis affectis teste, est convulsio seu potius distensio totius corporis non perpetua sed per intervalla affligens, qua laborans subito concidit, omnibusque animalibus actionibus, sensu videlicet ac motu propter interceptionem spirituum animalium ita privatur, ut nec audiat, nec videat, nec præteritorum comminiscatur. Differt tamen à convulsione sive membrorum contractione, quia convulsio continua est, diuque affligit, Epilepsia vero per intervalla recurrit: in convulsione sensus manent illæsi, in epileptico paroxysmo verò plerumque prorsus amittuntur.

Differentia inter epilepsiam & convulsionem.

In epilepsia locus affectus est media cavitas cerebri ubi potissimi nervi principium habent.

Epilepsia trifariam accidit. Una est, quando causa morbi est in ipso cerebro, ipsumque primaria affectione laborat. Secunda est, quando cerebrum non per se sed per consensum, quem cum ventriculo, intestinis & matrice habet. Tertia est quæ & ipsa per consensum fieri dicitur, quando nimirum causa morbi à cruribus aliisque extremis partibus sensibiliter ad cerebrum defertur.

Epilepsia triplex.

Causæ epilepsiæ προηγουμέναι sunt, aut frigida humidaque impensè cerebri constitutio, qualis est in puerulis: aut humoris pituitosi vel melancholici ingens copia, repentè cerebri ventriculos meatusque infarciens, animalesque spiritus ab universo corpore intercipiens, (non tamen penitus intercipiuntur, sed ejus nonnihil præterfluit:) aut venenata aliqua qualitas in cerebri substantia delitescens: aut vapor venenosus vel ex utero vel ex ventriculo aliisque visceribus & quandoque ab extremis partibus instar auræ per cæcos meatus in ventriculos cerebri repens: aut apostema cerebri, particulæque menyngum corruptio.

Causæ antecedentes.

Causæ προκαταρκτικαὶ vero sunt, ira & vehemens animi commotio, teter & venenosus odor, alimentorum corruptorum & virulentorum usus: Continua heluatio: Violentus capitis ictus & concussio, ex qua sanguis ex venulis in ventriculos cerebri destillat & ibidem concrescit. In puerulis (qui etiam propter humiditatem cerebri proniores sunt ad epilepsiam quam adulti) causæ plerumque sunt, aut hæreditarium malum: aut nimia humiditas cerebri: aut prava victus ratio corruptumque in ventriculo alimentum: aut lumbrici quando ex intestinis in ventriculum repunt.

Signa communia & generalia epilepsiæ sunt,

Signa communia.

ſunt, ſubitus collapſus artuum capitisque vibratio ac concuſſio: oris ſpuma, quæ ex humiditate cerebri per ſpiritum commotum agitatur & ſimul ei commiſcetur ac in ſpumam in ipſis cerebri ventriculis degenerat, & inde ad os per palatum defluit; quibusdam etiam excrementa præter voluntatem exeunt: nonnunquam evomunt, & quidam cum mugitu deprehenduntur.

Signa diverſarum cauſarum. Differentiæ autem epilepſiæ iis dignoſcuntur ſignis. *Signa epilepſiæ ex primaria cerebri affectione.* Qui ex cerebri ἰδιοπαθείᾳ ſive primaria affectione epilepſia laborant, iis ſemper adeſt gravitas & atrox dolor capitis, item ſenſuum debilitas, motuſque ſtupor, & faciei pallor & inſomnia turbulenta, qui ut plurimum inter dormiendum corripiuntur. *Per conſenſum ventriculi & inteſtinorum.* Qui vero per conſenſum, aut orificii ventriculi aut inteſtinorum, propter lumbricos, evaporatione, venenoſoque halitu aſcendente epilepſia corripi conſueverunt, ii in præcordiis & circa orificium ventriculi, dolorem, eroſionem & diſtenſionem ſentiunt, præſertim jejuni, & difficilimè inediam tolerare poſſunt. Paroxyſmum autem ſemper antecedit nauſea, dolor & palpitatio cordis, animique deliquium: ſolvitur autem paroxyſmus cum vomitu bilioſorum aut pituitoſorum humorum. Hiſtoriam hujus ſpeciei epilepſiæ recitat Galenus lib. I. de locis affectis, de quodam Grammatico juvene, qui, quoties inediam paulo diutius ſuſtineret, aut vehementius doceret aut iraſceretur, ſtatim epilepſia corripiebatur.

Epilepſia ex utero. Quæ vero mulierculæ ex matricis cum cerebro conſenſu in epilepſiam incidunt, iis circa lumbos & pubem dolores antecedunt & ſimul capitis acerbos cruciatus percipiunt. *Ab externis partibus.* Porro quibus origo comitialis morbi ab extremis particulis veluti manuum aut pedum digitis provenit, ii ex iiſdem particulis in quibus fomes epilepſiæ continetur ante paroxyſmum auram quandam frigidam per continuatas corporis partes ad cerebrum elevari ſentiunt, cujus impetus, arctiori vinculo particulæ affectæ injecto, facile intercipi poteſt, ut vel nullam vel mitiorem adferat epilepſiam, cujus quoque epilepſiæ hiſtoria habetur apud Gal. in loco præcitato de puero decimum tertium annum agente. *Prognoſtica.* Hippocrates l. 6. de morbis vulgaribus: Melancholici magna ex parte epileptici fiunt & epileptici omnes redduntur melancholici.

Idem 5. Aph. 7. Quibuſcunque mala comitialia ante pubertatem fiunt, id eſt, ante annum ætatis 14. per ætatū mutationes quæ fiunt ſeptimo quoque anno, liberantur, quibus autem poſt 25. annum durat, difficilimè curantur, & ut plurimum commoriuntur.

Infantulis & pueris crebro, conſiſtentis ætatis rarius, ſenibus aut nunquam aut rariſſimè contingit epilepſia corripi, frequentius autem apoplexia.

Curatio Epilepſiæ triplex. Curatio epilepſiæ in tribus conſiſtit, in liberatione à paroxyſmo; in cauſarum ablatione; & in præſervatione: quæ omnia per victus convenientem rationem & medicamentorum uſurpationem perficiuntur.

In paroxyſmo. In paroxyſmo epileptico ſtatim ubi corruit homo, os ægrotantis ligno aliquo adaptato, aut cultello vel cochlearis manubrio etiam violentius aperiendum eſt, & ſpuma ab ore abſtergenda pituitaque inſertis ori digitis eximenda, & pollex aliique digiti, qui vehementiſſimè convelluntur, reliquæque partes in rectum dirigendæ: ac ſi ulla ratione fieri poteſt ægri fauces & palatum vel digito vel penna immiſſa titillandum & ad evomendum proritetur æger. *Vomitus prodeſt epilepticis.* A vomitu enim ut plurimum ſtatim liberantur hoc malo correpti. Si vero vomitus non procedat, protinus ori ſequentia remedia imbibenda infundi debent: *Spiritus.* ſpiritus vitrioli chymica arte paratus pondere medii ſcrupuli, aut ſi is deſideretur, olei ejuſdem rectificati ℈ I. cum menſura cochlearis aquæ lavendulæ exhibitus ſtatim tollit epilepticum paroxyſmum. Idem præſtat oleum ex ſeminibus angelicæ ℈ I. eadem ratione exhibitus.

Adultioribus utiliſſimè exhiberi poſſunt in epileptico paroxyſmo duo aut tria cochlearia aquæ vitæ aureæ ex floribus lilior. *Aq. vitæ aurea.* convallium, cujus præparandi ratio ſupra in curatione memoriæ abolitæ tradita eſt.

Coag. leporis. Præstantissimum ad tollendam epilepsiam remedium judicatur ʒ I. coaguli leporis, cui moschi gr. III. sunt admixta, cum aqua lavendulæ ebibenda oblata.

Pulvis expertiss. antepilepticus. Aut exhibeatur sequentis expertissimi pulvisculi ʒ I. aut ʒ s. pro ætatis ratione.

℞. Rad. Pæoniæ,
Sem. Pæoniæ an. ℈ I.
Ossis cranei hominis suspendio necati ʒ s.
Cornu unicornis ℈ II.
Coralliorum rubeorum,
Præparat. Margarit. ana ℈ s.
Moschi gr. III. Fiat pulvis subtilissimus qui in paroxysmo cum aqua lavendulæ bibendus propinetur.

Experimentum superstitiosum. Experientia comprobatum est, pridie D. Johannis Baptistæ, sub radicibus artemisiæ evulsæ carbones reperiri, quorum ʒ I. si in pulvisculum redigatur & cum aqua stillatitia florum tiliæ aut florum lilior. convallium ebibenda offeratur, protinus ægrum ab epilepsia liberatum iri.

Præstat quoque in ipso paroxysmo epileptico naribus indere erthinon & sternutationem provocare, quod facilè vel succo rutæ, vel ex radicibus betæ rubeæ expresso & naribus tepidè infuso perfici potest, vel sequenti pulvisculo.

Pulvis sternutationis. ℞. Pul. Hellebori albi,
Fol. Majoranæ an. ℈ s.
Castorei & Euphorbii an. gr. II. Misceantur, fiat pulvisculus, cujus momentum per calamum in narium foramina sufflетur, unde statim subsequitur sternutatio. Postea non inutile est narium foramina inungere aut oleo è nucibus moschatis, aut ex seminibus angelicæ destillato. His peractis distentæ partes in rectum sunt dirigendæ, & oleo amygdalarum dulcium cui aqua ex granis juniperi destillata est commixta, inungendæ & confricandæ.

Epilepsia puerorum remedia. Porro infantibus & puerulis epilepsia correptis sequentia tentanda sunt: ac primum quidem distenta membra, ut supra dictum est, in rectum sunt dirigenda, & oleo calido amygdalarum dulcium cui aqua lavendulæ est commixta, confricanda. Cervix autem & occiput potissimum duplicato linteolo in aqua lavendulæ calefacto & rursum expresso, fovendum est, ac statim ex ore pituita eximenda, & naribus fumus incensi succini est admovendus, ac statim in os infantis gr. tria moschi cum aqua lavendulæ sunt instillanda: aut sequens eclegma lambendum ori inferendum. *Eclegma.*

℞. Syr. è succo Betonicæ,
de cichorio an. ʒ I.
Aquæ vitæ aureæ ex floribus lilior. convallium destillatæ ʒ s.
Moschi gr. III. Misceantur.

Aut dissolvatur rotula una Diamoschi dulcis cum aquæ lavendulæ & ori instilletur.

Sublato paroxysmo reliqua universa curatio in causæ remotione, & præservatione à paroxysmo collocanda erit, quę victus ratione & pharmacis sequentibus perficitur. *Præservatio à paroxysmo.*

Victus ratio. Victus ratio in epilepsia juxta præceptum Galeni in lib. de attenuante victu, debet esse extenuans & incidens. Ita enim inquit; epilepsias parvas & nunc incipientes, attenuans victus penitus sanat, consummatis vero non mediocriter juvat. Curandum itaq; ut æger in aëre moderatè calido & sicco versetur, & evitet contrarium. Utatur præterea corporis exercitio moderato, caputque jejunus calidis linteolis quotidie confricet, & pectine poros aperiat: Somnum meridianum, ut pestem, fugiat: id quoque caveat sedulo ne quoquo modo alvus sit obstructa: quod si vero fiat, statim supposita glande medicatoria, vel communi Clystere injecto subducatur.

Cibis utatur moderatè calefacientibus & incidentibus. Ejus alimenta condiantur cinamomo, mace, zinzibere, semine carvi, coriandri, foliis majoranæ & radicibus petroselini. Caro turturum, turdorum & passerum comesta specifica proprietate adversatur epilepsiæ. Vitet carnem suillam, anserinam & omnia fumo indurata, & simul universa leguminum genera & & cæpas. *Carnes epilepticis proficua.*

Vitet & vini meracioris & flatuosarum cerevisiarum potum. Bibat hydromeli & aquam

aquam in qua decocta sunt cinamomum & coriandri semen præparatum.

Eradicatio causæ epilepsiæ. Ad causas epilepsiæ extirpandas sequentibus utendum est remediis. Primum subducatur alvus sequenti clystere.

Enema. ℞. Maluæ, Mercurialis, Betæ, Betonicæ, Majoranæ an. M. I.
Furfurum tritici M. s.
Flor. Anethi,
Centaurii minoris an. P. I.
Sem. carvi ℥ s. Concidantur, & in q. s. aquæ decoquantur ad tertias exprimantur ac colentur, colati juris accipe ℥ xv. Quibus admisce pulpæ cassiæ ℥ I. Hieræ simp. ℥ s. Olei communis ℥ III. Salis ʒ I. Misceantur, fiat enema quod jejuno ventriculo tepidum recto intestino infundatur,

Vena sectio. Alvo evacuata si æger sanguine redundet, & ætas ferre possit, primum vena cephalica, & altero die & vena frontis vel venæ lividæ, quæ sub lingua conspiciuntur, incidendæ erunt: tandem humor lentus, in ventriculis cerebri hærens sequenti potione extenuandus & ad eductionem præparandus erit.

Decoctum digerens & evacuans. ℞. Sampsuchi, stæchados Arabicæ, Rorismarini, Hyssopi, Betonicæ, Melissæ, Salviæ, centaurii minoris, card. benedicti an. M. s.
Rad. Pæoniæ, Cicoreæ an. ℥ s.
Hellebori nigri præparati ʒ v.
Sem. Pæoniæ, Cubebarum, Cardamomi, Agarici, Trociscati an. ʒ I.
Sem. Carthami ʒ VI.
Fol. Senæ ℥ s. Concisis concidendis & contusis contundendis misceantur ac simul cantharo stanneo imponantur eisque adfundantur lib. III. hydromellis ac tandem oblinito operculo canthari massa farinacea in lebetem aqua repletam collocetur, & simul concoquantur per 2. horas, postea ubi refrixerit, coletur & exprimatur, colato juri admisceantur syr. de stæchade, & cicorea & è betonica an. ℥ II. & aromatisetur speciebus diambræ, diamoschi dulcis an. ʒ I. Fiat potio, de qua tepefacta bibat æger mane ac vesperi ante cænam singulis vicibus ℥ IIII. Ubi hæc potio exhausta, purgentur vitiosi humores sequentibus pillulis.

Pillulæ. ℞. Mas. pil. cochiarum, Arabicarum, Trochiscorum de Agar. an. ℈ I. Ex his simul mixtis formentur pillulæ n. 27. cum aqua majoranæ: Aut

℞. Mas. pil. Assajereth, Agarici Trociscati an. ℈ I.

Extractionis Hellebori nigri gr. v. cum aqua lavendulæ formentur pillulæ n. 27. & deglutiantur in aurora: Aut

℞. Rad. Hellebori nigri ʒ II.
Fol. senæ ʒ III.
Cinamomi electi, anisi an. ℈ I. Contusa macerentur horis 24. in aquæ majoranæ ℥ VI. Tandem ebulliant leniter, exprimantur ac colentur, expresso jusculo admisceantur diacatholici diaphæniconis an. ʒ II. Fiat haustus, quo æger utatur 6. horis ante prandium.

Epilepsiæ ex consensu ventriculi remedia. Porro si epilepsia ex ventriculi virulenta evaporatione oboriatur, primum is per vomitoriam potionem evacuandus erit. Vomitoria vero potio confici potest ex sale & aqua tepida cui admixtum sit pauxillum aceti: Aut

Vomitorium. ℞. Sem. Atriplicis.
Anethi,
Rad. Raphani an. ℥ s.
Ficuum concisarum n. II. Contusa coquantur in aquæ ℥ IX. ad tertias, colentur, colato jusculo admisceantur oxymellis scillitici ℥ II. Fiat haustus, & tepidus ebibatur & post quadrantem horæ rursus evomatur: At si vomitio sua sponte non procedat, penna anserina oleo tincta faucibus inseratur, ex cujus titillatione statim subsequitur vomitio: altero deinde die reliquiæ vitiosorum humorum sequentibus pillulis ex ventriculo evacuari debent.

Hujus loco chymici utuntur gilla Theoph seu vitril. veneris vel sale vit. albi quæ egregiè vomitum movent.

Pillulæ stomachales. ℞. Mas. pil. de hiera simplici,
Alephanginarum,
Agarici Trociscati an. ℈ I. Ex quibus mixtis cum syrupo de absynthio, formentur pillulæ n. 27. quas deglutiat æger duabus horis ante cænam.

Inunctio ventriculi. Ventriculi verò orificium mane ac vesperi sequenti inungatur linimento.

℞. Olei absynthii, nardini, mastichini, cyto-

Si olea destillat, pro

hisce sumuntur multo erit efficacius.

cytoneorum an. ℥ s. Ceræ quantum sufficit, fiat linimentum, cui admisceantur Pul. menthæ, cariophyllorum, coralli rubei præparati an. ʒ s.

Epilepsiæ per consensum partium remedia.

At si epilepsia ab aura venenosa extremæ alicujus particulæ ad cerebrum ascendente concitatur, aura illa statim vinculo forti intercipienda erit, ægrotanti vero ʒ I. Theriacæ Andromachi cum aqua lavendulæ exhibenda, ac tandem sequentibus pillulis corpus purgandum.

Pillulæ.

℞. Pil. fœtidarum, de Agarico an. ʒ s. Cum aqua scordii formentur pillulæ n. 27. & deglutiantur in aurora.

Particulæ vero in qua fomes mali delitescit applicetur sequens καυστικόν.

Vesicatorium. Si hisce non cedit, cauterium parti mittenti applicandum est. Hac enim ratione multi restituti.

℞. Cantharidum, abjectis pedibus & capitibus ʒ I.
Fermenti acerrimi ℥ s.
Mellis Anacardini ʒ II. Misceantur, fiat cataplasma, ex cujus impositione excitabitur vesica, virulento humore plena, ex qua perfecta exprimatur humor & ulceri folium brassicæ imponatur, donec consolidetur.

Cucurbitulæ.

Prodest quoque cucurbitulas cum scarificatione etiam parti affigere.

Præservatio ab epilepsia.

Reliqua pars curandæ epilepsiæ tota est collocanda in præservatione. Post generalem itaque causarum epilepsiæ sublationem, id est, post vitiosorum humorum ex ventriculis cerebri præparationem & evacuationem, ne iidem humores coacerventur, providendum est.

Subinde itaque vitiosi humores, aut per palatum aut per nares ex cerebro sunt eliciendi, cerebrique substantia & spiritus animales convenientibus remediis corroborandi.

Evacuatio quo tempore fieri debeat.

Qui itaque epileptici gravedine aut capitis gravitate laborant, singulis mensibus quarto nimirum ante oppositionem solis & lunæ die, utantur primum pillulis paulo ante descriptis, altero autem tertiove die à sumptis pillulis reliquiæ excrementitiorum humorum, vel per palatum sequenti gargarismate subtrahantur.

Apophlegmatismi.

℞. Pyrethri ℥ s.
Sem. Erucæ ʒ VI.
Majoranæ, Hyssopi an. M. s. Concisa & contusa coquantur in aq. & aceti an. lib. I. ad medias, colentur, colaturæ admisceantur mellis rosacei ℥ III. fiat gargarismus, quo tepido jejunus utatur æger. Aut eliciantur crassi humores per nares sequenti errhino.

Errhinon.

℞. Suc. Sampsuchi ℥ II.
Rutæ, ℥ I.
Mellis virginei ℥ s. Misceantur fiat errhinon cujus pauxillum tepidum per calamum naribus attrahatur.

Suffimigium.

Fumus succini & flor. rorismarini simul mixtorum quotidie naribus haustus præservat ab epilepsia, corroborando cerebrum & humores exiccando.

Præservat similiter & pulvis sequens mansilis quotidie jejuno ventriculo in ore obstructis foraminibus narium masticatus.

Pulvis masticatorius.

℞. Fol. Majoranæ, Rorismarini an. ʒ I.
Cinamomi, Macis, Cariophillorum an. ʒ s.
Sem. carvi, coriandri præparati, cubebarum an. ʒ I. s. Concidantur crassiuscule & fiat pulvis masticatorius.

Cum autem hoc malum juxta motum lunæ exacerbari soleat, epilepticus hisce sequentibus remediis se munire ac præservare poterit, eisque tali ordine uti.

Aqua vitæ ex lil. convall. quando utendû ad præservationem.

Tribus diebus ante & post plenilunium & novilunium bibat jejunus duo cochlearia aquæ vitæ nostræ ex liliis convalliis destillatæ, quæ in curatione debilitatæ memoriæ præscripta est, quæ sola & ad profligandum paroxysmum & ad præservationem satis esse poterit. In quadraturis vero lunæ bibat æger jejunus aut theriacæ Andromachi aut confectionis anacardinæ ʒ I. cum aqua lavendulæ solutam. Reliquis vero intermediis diebus hisce corroborantibus & præservantibus pharmacis quotidie uti poterit.

Electuarium præservativum.

℞. Conf. Betonicæ, Salviæ, Rorismarini an. ℥ I.
Rad. cicoreæ conditarum, corticum citri conditarum & minutim concisarum an. ℥ s.

Spe.

Spe. Diamoſchi dulcis, Diambræ an. ʒ I. s.
Pul. Viſci quercini, cineris cuculi à-vis, cranei hominis,
Coralli rubei præparati an. ʒ I.
Sem. Pæoniæ ʒ I. s.
Olei cinamomi ℈ s. cum q. s. ſyr. de cicorea. Commiſceantur & fiat electuarium de quo jejunus ſingulis diebus devoret æger ſemijuglandis quantitatem.

Pulvis antepilepticus. Videatur Quercetanus in tetr. graviſſimorum capitis affectuum, ubi alia etiam habet elegantiſſima remedia.

Aut loco elect. utatur III. rotulis Diamoſchi aut Diambræ. Efficaciſſimum eſt & experientia comprobatum cum ad præſervationem tum à paroxyſmo liberationem remedium, ſequens pulviſculus.
℞. Rad. cicoreæ, artemiſiæ rubeæ an. ʒI.
Sem. pæoniæ ℈ II. viſci quercini, cranei hominis an. ℈ IIII.
Coralli rubei præparati, cornu Monocerotis an. ℈ I.
Moſchi ℈ s. Margaritarum præparatarum ℈ s. Redigantur in ſubtiliſſ. pul. cujus ʒ I. cum aqua lavendulæ in plenilunio, vel tempore quo paroxyſmus recurrere ſolebat, exhibeatur.

4. *Apoplexia quid, quæ ejus cauſæ, quæ ſigna, & quibus remediis curanda?*

Apoplexia quid.

Ἀποπληξία, Celſo attonitus morbus, eſt omnium corporis partium motus ac ſenſus repentina privatio, omniumque animalium functionum interceptio. Ea enim correpti nullis præcedentibus ante paroxyſmum malis indiciis toti repentè, quaſi attoniti concidunt, & jacent fixis oculis ſtertuntque ſine ſenſu, ſine motu & ſine intellectu, ſola reſpiratione eaque difficili à mortuis differentes.

Apoplexiæ differentia.

Duæ autem ſunt ἀποπληξίας ſpecies, fortis & mitior. Fortis apoplexia morbus eſt acutiſſimus, cito hominem jugulans, vel qui non ſtatim ea exſtinguitur paralyticus redditur. Mitior autem quæ ἡμιπληξία dicitur, curabilis quidem eſt, manet enim in ea ſenſus & motus, ſed uterque ſtupidiſſimus & incertus, in eaque altera pars corporis tantum reſolvitur & ingraveſcit.

Senibus ac decrepitis pituitoſis & crapulæ indulgentibus familiare malum eſt apoplexia.

Cauſa.

Cauſæ apoplexiæ προκαταρκτικαὶ, ſunt crapula continua & delapſus è ſublimi; προηγουμέναι vero ſunt pituitoſa, (*ex ſanguine etiam contingere & quidem ut pl. apoplexiam una cum experientia Platerus aſſerit,*) frigida & lenta excrementa in ventriculis cerebri collecta, ac nervorum principia (veluti in hemiplexia contingit) obſtruentia: aut rete mirabile (quod ex arteriis ſpiritum vitalem ex corde ad cerebrum deferentibus contextum eſt) conſtringitur, id quod in forti apoplexia evenit.

Signa.

SIGNA apoplexiæ manifeſta ſunt. Ea enim correpti ſenſu ac motu privantur & quaſi mortui jacent ac ſtertunt & difficulter ſpirant, & quibuſdam reſpiratio eſt adeo exigua ut ſenſum adſtantium effugiat, & plane mortui credantur: *magis hoc accidit in hyſtericis, nam apoplectici magna ex parte difficulter reſpirant, & pulſum magnum habent:* quidam etiam adhuc viventes contumelantur. Signa hoc modo explorari debent, candela accenſa naribus eſt opponenda, ex cujus lucis motu dignoſcitur vitam adhucupereſſe: aut vitrum aqua plenum pectori eſt apponendum in quo ſi aqua commoveatur, ſignum eſt vitæ. Inde apoplecticos non niſi poſt tres dies ſepeliendos jubent Medici. Quanto autem in apoplexia reſpiratio eſt difficilior, tanto morbus eſt periculoſior.

Ad apoplexiam quinam diſpoſiti.

Etſi autem apoplexiæ paroxyſmum nulla mala præcedant ſigna, tamen hi potiſſimum proni ſunt ad hoc malum, qui vehementes capitis dolores ſæpius ſentiunt, & quibus extremæ partes perpetuo frigore rigent, quique inter dormiendum dentibus ſtridunt. Ut plurimum autem mingunt urinam æruginoſam id eſt è viridi nigram, hypoſtaſin farinaceam habentem.

Prognoſtica.

Prognoſticum ſignum apoplexiæ tradit Hipp. 2. Aphor. 42. inquiens, apoplexiam fortem ſolvere impoſſibile eſt, debilem vero non facile, mortem enim minatur celerem. Idem aph. 57. l. 6. apoplexiæ in ætatibus maximè ſunt à 40. anno uſque ad 60.

Curandæ apoplexiæ ratio in præservatione & liberatione sita est.

Præservatio quibus peragatur mediis.

Præservatio rursum circa victus rationem, & pituitosi humoris in ventriculis cerebri collecti præparationem & evacuationem, & totius cerebri spirituumque animalium corroborationem versatur. Qualis autem debeat esse ratio victus & quibus remediis pituitosa excrementa cerebri sint præparanda & evacuanda, partim supra in curatione abolitæ memoriæ & epilepsiæ, partim in sequenti παραλύσεως (in quam curabilis apoplexia ut plurimum terminari solet) sunt enumerata, quæ omnia huc referri & adaptari commodè possunt.

Ad corroborandum vero cerebrum & spiritus animales, ut causam apoplexiæ discutere & apoplecticum paroxysmum avertere queant, pro præservatione duo tantum remedia experientia comprobata, hoc loco referre satis esse putamus.

Sequentis electuarii cerebrum & spiritus animales corroborantis humiditatemque cerebri exiccantis, si quis quotidie nucis avellanæ quantitatem jejunus devoraverit, eo die tutus ac liber ab apoplexia evadet.

Electuarium præservativum ab apoplexia.

℞. Conservæ anthos ℥ I. Betonicæ, Salviæ an. ℥ s. Theriacæ Andromachi ʒ III. confect. Anacard. ʒ II. Specierum Diamoschi dulcis, Diambræ an. ʒ I. Pul. Castorei, sem. Erucæ an. ʒ s. Cum syr. è Betonica vel è stæchade. Fiat electuarium in optima forma, cui admisceantur olei vitrioli rectificati ℈ II. Olei Cinamomi ℈ s. Fiat Electuarium.

Præservat & sequens aqua vitæ sive quinta essentia, & non tantum præservat, verum etiam ab ipso apoplectico paroxysmo statim liberat, si ejus cochlearis mensura jejuno ventriculo ebibatur.

Aqua apoplectica.

℞. Conser. Rorismarini, Lavendulæ an. ℥ II. Melissæ, salviæ an. ℥ I. specierum Diamoschi dulcis, Diambræ an. ʒ II.

Rad. Pæoniæ, Sem. Pæoniæ, Cinamomi Electi an. ℥ s. Croci ʒ I. Castorei, sem. Erucæ an. ʒ II. Sacchari candi lib. s. Aq. stillatitiæ ex granis Juniperi ab oleo separatæ lib. IIII. Contundenda contundantur ac simul mixta in vitro angusti orificii commisceantur & macerentur sive digerantur, aut in sole, aut in fimo equino semper tepido. Post mensem chymica arte in calidis cineribus destillentur, exiccata materia è vitro eximatur & conteratur, rursumque vitro imponatur & liquor destillatus adfundatur, ac denuo aut in fimo equino, aut in tepida aqua maceretur per dies 14. ac tandem per balneum Mariæ denuo destilletur ac conservetur tum ad præservationem tum ad liberationem ab apoplexia.

Ol. nuc. muscatæ stillaticium.

Oleum destillatum nucum moschatarum naribus illitum, aut suffitus succini accensi præservat ab apoplexia.

Paroxysmi apoplectici curatio.

In liberativa & apoplectico paroxysmo, curatione ita procedendum est. Primum si os apoplectici occlusum est, statim violenter aperiri debet, & inter dentes bacillus ex ligno aptatus, inserendus. Faucibus autem statim infundendæ sunt 4. guttulæ spiritus vitrioli, aut lingua illinienda est aqua vitæ sive quinta essentia paulo ante præscripta.

Antapoplectica.

Revulsio.

Mirificè discutiunt apoplexiam & quintæ essentiæ ex margaritis aut corallis extractæ & ori instillatæ.

Suppositorium acre.

Quo peracto protinus glans medicatoria oblonga, quam suppositorium officinæ vocant, ex melle, sale & pulvere trochiscorum alhandali & momento euphorbii confecta, recto intestino inserenda erit, ut crassi vapores ex cerebro, & fæces alvi subducantur, aut si ulla ratione ob vehementiam paroxysmi fieri queat, sequens clyster subjiciendus erit.

Enema.

℞. Salviæ, origani, betonicæ, rutæ, centaurei minoris, majoranæ an. M. s. pulegii, hyssopi, lavendulæ an. M. s.

Sem. carvi, sileris montani an. ʒ II. Agarici ʒ II. Contusa & concisa coquantur in q. s. aquæ ad tertias & in fine coctionis imponatur ʒ I. Pulpæ colocynthidos, & rursum ebulliant ac colentur; colati juris accipe ℥ XIII. cui admisce salis gemmei ʒ I. s. Hieræ comp. ℥ I. s. Hieræ Logadii Nico-

Nicolai ℥ I. Olei rutæ, è baccis lauri an. ℥ I. s. Olei de castoreo ℥ s. Misceantur, fiat enema, quod recto intestino tepidum injiciatur, vel in ipso paroxysmo, vel primo quoque tempore. In tota enim curatione apoplexiæ, alvi constipati singularis est habenda ratio. Omnis enim vis expulsiva intestinorum prorsus extingui solet. Necesse itaque erit ut alternis, vel tertio quoquo die vel Clysteribus vel glandibus acrioribus fæces detrahantur. Glans autem medicatoria ex hisce rebus confici potest.

Evacuationes per alvum unicè necessaria.

Suppositorium.

℞. Mellis ad duritiem cocti ℥ s.
Pul. colocynthidos ℈ I.
Euphorbii ℈ s.
Salis Gemmei ℈ II. Misceantur & dum adhuc tepent, formentur suppositoria sesquidigitum longa, quibus fila alligari possunt, ut pro arbitrio extrahi queant.

Subducta alvo statim concitetur æger ad sternutationem sequenti pulvisculo naribus indito.

Pulvis sternutatorius.

℞. Majoranæ, Perethri, Hellebori albi an. ℈ s.
Euphorbii, castorei an. gr. V. Misceantur pulverisata, cujus momentum naribus insuffletur.

Tandem lingua ægroti confricetur theriaca Andromachi aut confectione anacardina.

Victus ratio.

Ubi vero jam apoplexia in paralysin est terminata, viresque paulatim redire conspiciuntur, ita ut per gulam alimenta & medicamenta deglutire possit, victus ratio ei est præscribenda, quæ in curatione abolitæ memoriæ est præscripta, ut nimirum utatur cibis mollioribus qui aromatibus calidis, pipere, cinamomo, macere, zinzibere & croco sunt conditi. In potu ei convenit hydromeli, & tum sequentia remedia foris & intra corpus sunt exhibenda.

Cura paralysis ab apoplexia.

Derasis itaque à capite pilis, caput ipsum jejuno quotidie linteolis calidis confricandum est, ac statim aqua lavendulæ, cui nonnihil olei ex granis juniperi est admixtum, totum caput ac potissimum occiput probè est inungendum. Cervix vero & dorsi spina omnesque resolutæ partes quotidie mane ac vesperi ante cænam sequenti unguento confricandæ & inungendæ.

Linimentum pro spina dorsi.

℞. Ol. costini ℥ I. de euphorbio, de castoreo an. ℥ s. ex granis Juniperi, petrolei an. ʒ II. ceræ q. s. Fiat unguentum.

Balneum.

Singulis septimanis semel in lavacrum deducere ægrum oportet, in quo decoctæ sunt sequentes herbæ, in eoque totum corpus, & resolutæ omnes partes herbis & floribus concoctis cooperire.

℞. Salviæ, majoranæ, serpilli, origani, betonicæ, saturejæ, baccarum juniperi contusarum, & baccarum lauri an. pro arbitrio & q. s. A balneo autem semper inungenda sunt membra præscripto unguento. Intra corpus vero sequentibus remediis utatur.

Singulis mensibus circa oppositionem solis & lunæ assumat sequentes pillulas.

Pillulæ.

℞. Mas. pil. aurearum, cochiarum, de euphorbio an. ℈ I. trochiscorum alhandali gr. III. cum aqua majoranæ, fiant pillulæ n. 27. quas cum aqua majoranæ deglutiat in aurora. Post dies circiter 8. ab assumptis pillulis, utatur Theriacæ Andro. ʒ I. s. cum q. s. aq. lavendulæ. Reliquis vero intermediis diebus mensis, quotidie utatur alternatim vel aqua vitæ quintave essentia, vel electuario cerebrum corroborante, paulo ante in præservatione ab apoplexia descripto, vel aqua vitæ ex floribus lilii convallii, quæ supra in abolitæ memoriæ curatione est præscripta.

Theriaca.

5. *Paralysis quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus pharmacis curanda?*

Paralysis quid.

Παράλυσις resolutio nervorum propriè est, ubi aut totum corpus, excepto capite, aut alterutrum latus, aut corporis duntaxat aliqua pars, videlicet pes, manus aut lingua motu ac sensu simul, aut motu tantum privata est. Quo in morbosi & caput ipsum cum toto corpore afficiatur, non est paralysis sed apoplexia. In paralysi frequentissimè membra motu tantum privantur manente sensu, nonnunquam sensu tantum manente motu, cujus rei causam Gal. I. cap. 4. de symptomat. causis, ad nervorum natu-

Cur in paralysi interdum sensus interdum motus

tantum, interdum uterque pereat. naturas refert. Alii enim nervi duriores nimirum & ex ſpinali medulla orti, motui magis ſerviunt: alii vero molliores, & ex cerebro propagati, ſenſui inſerviunt. Obſtructis igitur nervis ſenſui deſtinatis, ſalvis vero reliquis qui motui opitulantur, ſolus ſenſus amittitur, & è contra: id quod in reſolutione partium diligenter eſt conſiderandum.

Cauſa. Cauſa παραλύσεως προηγουμένη eſt lentus & pituitoſus humor vel in ipſis cerebri ventriculis coacervatus, vel ex eis per cervicem in ſpinalem medullam defluens, principiaque nervorum obſtruens, & ſpiritus animales, qui efficientes cauſæ ſunt ſenſus ac motus, intercipiens: aut antecedens apoplexia ex eadem cauſa orta.

Προκαταρκτικαὶ cauſæ ſunt vehemens nervorum refrigeratio vel ab ambiente aëre, vel à diuturna mora in aqua gelida, aut luxatio vertebræ alicujus, aut diſſectio nervorum, muſculorum vel ſpinalis medullæ.

Stupor quid. Stupor paralyſi cognata eſt affectio, ex iiſdem enim cauſis oritur, & ſola magnitudine ſive intenſione differunt. Potiſſimum autem oritur ſtupor ex vehementi refrigeratione aut forti compreſſione nervorum.

Signa. SIGNA paralyſis & cauſarum ejus manifeſta, & ex relatione ægroti dignoſci poſſunt. In omni enim paralyſi tum univerſali tum particulari ſenſus ac motus vel ſimul vel alterutra facultas tantum, aut prorſus extinguitur aut vitiatur.

Curatio. Curatio παραλύσεως perficitur proba victus ratione, & medicamentorum convenientium cum intra tum extra corpus adminiſtratione.

Diæta. Victus ratio hujuſmodi eſt inſtituenda. Verſetur æger in aëre calido & ſicco. Si cauſa interna, pituita lenta eſt, utatur & moderato exercitio: cibi ſint tales, qui calefaciendi, exiccandi & extenuandi facultatem habeant. In principio παραλύσεως utendum eſt victu tenuiori, veluti ſunt cremor ptiſanæ, ſorbitiones & juſcula ex hydromelle: proceſſu vero temporis validioribus, ex quibus ſanguis calidus & inculpatus generetur, utendum eſt: tales ſunt carnes caponum, gallinarum, vitulorum & ſimilium. Magis autem aſſata quam elixa conveniunt. Alimenta omnia condiantur zinzibere, cinamomo, croco, macere, ſatureja, roſinarino, majorana & ſalvia: Acetum, fructus crudos, & piſces, omniaque refrigerantia & humectantia alimenta, ſimul & vini (*vinum enim nervis inimicum; ſi tamen vinum medicatum reddatur herbis convenientibus, valdè juvat paralyticos*) uſum vitet diligenter. Porus ſit hydromeli aut aqua in qua cinamomum & ſemen coriandri ſunt cocta & melle puriſſimo dulcorata.

MEDICATIO perficitur pharmacis intra & extra corpus exhibitis, quæ ſequenti methodo uſurpanda ſunt.

Initio alvus ſequenti clyſtere emollienda & evacuanda erit.

Enema.

℞. Betonicæ,
Serpilli,
Majoranæ,
Mercurialis an. M. I.
Flo. Chamæmeli,
Anethi,
Centaurii minoris an. M. s.

Conciſa coquantur in q. s. aquæ ad medias, colentur, colati juris accipe ℥ xv. quibus admiſce diacatholici, diaphæniconis an. ℥ s. Hieræ ſimp. ℥ I. olei chamæmelini ℥ III. ſalis communis ʒ I. s. miſceantur, fiat enema, quod tepidum jejuno ventriculo inteſtinis infundatur.

Altero die ſi adſit plenitudo id eſt copia ſanguinis in venis, quod ex rubedine faciei & tumentibus venis deprehenditur, & vires ætasque tolerare poſſunt, vena mediana lateris incolumioris ſecanda eſt. *Phlebotomia.*

Deinde ſi cauſa παραλύσεως eſt pituita lenta & craſſa, ſequenti potione concoquenda & extenuanda erit.

Potio concoquens & extenuans pituitam.

℞. Rad. fæniculi,
Petroſelini,
Dauci cretici,
Apii an. ℥ s.
Pæoniæ ʒ III.
Sem. fæniculi,
Sileris montani,

Carvi

Carvi an. ʒ III.
Herb. Chamæpithyos,
Betonicæ,
Saturejæ,
Salviæ,
Rosmarini,
Majoranæ,
Scordii,
Cardui benedict. an. M. s.

Scobis sive ramentorum ligni Guajaci ℥ I. cinamomi, cubebarum, stæchados Arabicæ an. ʒ I. s. Contundendis contusis & concidendis concisis, mixta in stanneum cantharum ponantur adfundanturque lib. IIII. hydromellis, ac tandem canthari junctura pasta farinacea oblita in ahenum aqua plenum collocetur, & simul per duas horas coquantur, deinde colentur, colatoque juri admisceantur syr. è stæchade, de calamintha, è betonica an. ℥ III. fiat potio, de qua mane & duabus horis ante cænam quotidie haustum ℥ IIII. tepidum ebibat. Absumpta potione evacuetur humor pituitosus sequentibus pillulis.

Pillulæ phlegmagogæ. *Pillulæ Matthioli contra paralysin etiam utilissimæ sunt in hoc affectu.*

℞. Mas. pil. cochiarum, assajereth, agarici trochiscati an. ℈ I. Ex quibus contusis cum q. s. aq. salviæ formentur pillulæ n. 27. quæ deglutiendæ præbeantur matutino tempore sex horis ante prandium. Porro præscripta potio & pillulæ, si necessitas eflagitat, singulis mensibus reiterandæ erunt. Altero tandem die à purgatione commodissimè exhibetur sequens haustus sudorificus.

Haustus diaphoreticus.

℞. Theriacæ Andromachi ʒ I.
Ol. vitrioli rectificati ℈ s.
Aq. cardui benedicti ℥ III. Misceantur, fiat haustus, qui exhibeatur in aurora & æger componat se ad sudandum per sesquihoram. Deinde singulis septimanis semel devoret æger sequentes pillulas nervos excalefacientes & ab obstructione liberantes.

Pillulæ antiparalyticæ.

℞. Castorei, opoponacis, sagapeni an. ʒ. s. cum melle anacardino q. s. fiant globuli, & deglutiantur in aurora; aut loco harum pillularum utatur ʒ I. anacardinæ confectionis, cum aqua salviæ dissolutæ.

Reliquis vero intermediis diebus quotidie mane ac vesperi devoret unum ex sequentibus morsulis.

Valde etiam juvant rotulæ ex oleo rosmarini, succini & lavendulæ cum sacchari q. s. parata.

Morsuli.

℞. Specierum diamoschi dulcis, diambræ, pliris arcotici an. ʒ s.
Pul. cinamomi, macis, coriandri præparati an. ℈ I. zinziberis ℈ II. saccari in aq. juniperi soluti ℥ III. fiant morsuli thombiformes pondere ʒ II. Aut pro morsellis devoret sequentis electuarii semijuglandis magnitudine.

Electuarium.

℞. Conservæ rorismarini, salviæ, betonicæ an. ℥ I. diacori,
Cort. arantiorum conditorum & minutim concisorum an. ℥ s.
Spec. diamoschi dulcis, diambræ, dianthos an. ʒ I.
Syr. in quo conditum est zinziber q. s. Fiat electuarium, cui admisceatur aq. vitæ, sive quintæ essentiæ paulo ante in Apoplexiæ curatione descriptæ q. s.

Topica.

His omnibus ritè peractis ac ordinatis ad externa ac topica remedia est deveniendum.

Cucurbitulæ quo in loco applicandæ.

Si itaque alterutrum latus sive brachium duntaxat motu fuerit destitutum ac sensu, tum considerata origine nervorum, in brachiorum resolutione, cervicis vertebris, in pedum vero, lumborum vertebris cucurbitulæ cum scarificatione applicandæ sunt, ac tandem singulis septimanis ter æger est deducendus in balneum laconicum sive sudorificum, quod in dolio cum vaporibus sequentium herbarum est instituendum.

℞. Salviæ, hyssopi, camomillæ Rom. salviæ Rom. eupatorii Avicennæ, sideritidis, chamæpytios, majoranæ, betonicæ albæ, hypericonis an. M. I. cariophyllorum, castorei an. ʒ I. Concisa decoquantur in olla ac supponatur ægro, ut ex ejus vapore in sudorem solvatur, cujus liquor si refrixerit, candentes silices, aut ferri scoriæ candentes sunt imponendæ, ut calidus vapor rursum excitetur. Postquam autem benè sudaverit æger rursum in hypocaustum deducatur & tota spina dorsi, vel saltem origines nervorum ad resolutam partem descendentium sequenti unguento probè inungantur ac confricentur.

Vnguentum pro spina.

 ℞. Olei

℞. Olei vulpini, nardini, de nuce moscata an. ℥ I.
Succi hypericonis, salviæ an. ʒ III. Sagapeni in aqua juniperi soluti ʒ II. Pulveris castorei, euphorbii an. ʒ I. Ceræ q. s. Fiat unguentum, quo singulis diebus bis, ut dictum est, inungatur: aut hujus unguenti loco sequenti oleo commodissimè uti possumus.

Oleum.

℞. Ol. ex granis juniperi, de euphorbio, de castoreo an. ℥ s. Hypericonis, de terebinthina an. ʒ I. Aq. juniperi ʒ III. Misceantur.

Paralysis particularis quid & quibus in partibus contingat.

Particularis παράλυσις est in aliqua corporis peculiari parte, in qua sola sunt laxati & resoluti nervi, aut per obstructionem suorum principiorum, vel per refrigerationem vehementem ramulorum in ipsis particulis, unde motu ac sensu destituuntur. Particulæ autem quæ frequentius paralysi afficiuntur sunt digiti, lingua, faucium musculi deglutitioni servientes, vesica & pudendum.

In particulari paralysi cui parti remedia sint applicanda.

In omni particulari παραλύσει omnium diligentissimè sunt investiganda initia & radices nervorum in læsam particulam inplantatorum, & medicamenta localia non tam affectæ parti quam origini nervorum sunt applicanda; exemplo Galeni, qui Pausaniæ Sophistæ, cujus digiti omnes paralysi erant affecti, & quibus solis imperiti Medici convenientia quidem medicamenta applicaverant sed sine fructu, cum ad eum ascitus esset, eadem ipsa remedia à digitis remota cervicis vertebris, unde nervi digitorum originem ducunt, applicare jussit, & brevi sensum moramque digitorum restituit, uti ipse Gal. lib. 4. de locis affectis refert.

In omni paralysi lenti humores primum concoquendi, extenuandi & evacuandi sunt superius præscriptis mediis. In omni particulari paralysi, iisdem remediis commodè uti possumus quæ in universali paralysi sunt descripta.

Remedia paralysis linguæ & musc. faucium.

In paralysi linguæ & musculorum in faucibus primum secandæ sunt duæ venæ conspicuæ sub lingua: Deinde excitandæ sunt vesiculæ in cervice sequenti emplastro.

Vesicatoria.

℞. Pul. cantharidum ʒ II.
Fermenti acerrimi ℥ II. Commisceantur, fiat emplastrum. Deinde utendum gargarismate tepido in hunc modum parato.

Gargarismus.

℞. Rad. pyrethri, sem. erucæ an. ℥ s. Contusa coquantur in aquæ & aceti an. lib. s. ad medias, colentur & colato liquori admisceantur mellis rosati ℥ II. Fiat gargarismus. Deinde sæpiusculè confricetur lingua confectione anacardina, aut teneatur in ore frustulum castorei.

Remedia paralysis vesicæ & pudendi.

In vesicæ & pudendi paralysi, quando videlicet urina involuntariè prolabitur, partes circa pubem primum lixivio forti, in quo decocti sunt surculi & grana juniperi atque strobuli piceæ probè laventur, deinde oleis & unguentis paulò ante descriptis quotidie inungantur, aut sequenti linimento.

℞. Olei è costo, è piperibus, de euphorbio an. ℥ I. Ceræ q. s. Fiat linimentum.

Thermarum usus.

In vesicæ paralysi præsentissimum auxilium adferunt thermæ sulphureæ si earum aqua bibatur, in eisque commoretur æger. De reliquarum partium paralysi suis in locis tractabitur.

6. *Convulsio sive contractio membrorum quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quibus remediis curanda?*

Convulsio quid.

Σπασμὸς, convulsio sive contractio, est nervorum & musculorum versus suum caput originemque violenta præter voluntatem contractio, in qua voluntaria extensio articulorum læditur, & membrum à figura naturali detorquetur, acerbissimoque dolore afficitur.

Convulsionis species quatuor numerantur.

Convulsionis differentiæ.

I. Ἐμπροσθότονος id est, capitis cervicis & spinæ dorsi in anteriorem corporis partem incurvatio.

II. Ὀπισθότονος id est earundem partium in posteriora contorsio.

III. Τέτανος id est distensio, quando partes nominatæ æqualiter in utramque partem

partem trahuntur, & quasi expanduntur, quæ species ſpaſmi ut ſunt rariſſimæ, ita etiam periculoſiſſimæ.

Spaſmus particularis.

IV. Simpliciter σπασμὸς Celſo rigor nervorum nominatur, nobis **der Krampff** vel **Ram** / plurimis familiariſſima eſt affectio, non tamen ita periculoſa, ut ſuperiores ſpecies, & accidit plerumque muſculis tibiarum & humerorum, digitisque manuum ac pedum. Accidit & interdum, rarius tamen, maxillis, ubi riſum ſardonium efficit.

Cauſa convulſionis.

Cauſæ convulſionis tum προηγουμέναι tum προκαταρκτικαὶ plures ſunt, quas Hipp. 6. Aphor. 39. ad duo genera reſtrinxit, ubi inquit: convulſio fit vel ex repletione vel ex inanitione. Ex repletione oritur convulſio, quando muſculi & nervi aut irrigantur aut inflantur & in tumorem elevantur. Ex inanitione vero, quando nervi & muſculi plus juſtò exſiccantur, & inſtar chordæ aut lori, igni admoti, contrahuntur.

Repletionis cauſa.

Externæ vero cauſæ repletionis nervorum & muſculorum ſunt crapula, ebrietas, & diuturna mora in aquis: Internæ vero ſunt, menſium & hæmorrhoidum conſuetarum detentio, tumor, flatulenti ſpiritus, craſſi vapores, venenoſique halitus muſculos obſidentes.

Externæ cauſæ inanitionis muſculorumque exiccationis ſunt vulnera muſculorum, vini meracioris continua ingurgitatio, inedia, ſudoris nimia profuſio, violentæ per pharmaca purgationes vel vomitiones, ſanguinis ex quacunque parte multa profuſio. Internæ ſunt febres ardentes, venenoſæ (*hæ cauſa ſæpius excitant ſpaſmum, unde nonnulli ab objecto nervorum inproportionato convulſionem excitari ſtatuunt, ita punctus nervus convellitur,*) & ferventes qualitates, halitus venenoſi ex animalium morſu excitati.

Signa.

Signa convulſionis evidentia & manifeſta ſunt. Viſu enim & tactu deprehenduntur. Utrum vero convulſio ex repletione aut inanitione ſit excitata, tum ex antecedentibus cauſis tum ex hiſce ſignis dignoſcere licet. Convulſio ex repletione repentè oboritur, ex inanitione vero ſenſim multoque tempore: quæ vero ex flatulentis halitibus accidit convulſio, reliquis ſpeciebus citius reſolvitur.

Signa prognoſtica hæc notanda veniunt.

Prognoſtica.

Convulſio ex inanitione ſemper periculoſior eſt quam ex repletione.

A febribus convulſio difficillimè curatur. Gal. com. aph. 26. l. 2. Convulſionem ex repletione febris ſuperveniens ſolvit 4. Aph. 57.

Quicunque tetano corripiuntur, in 4. diebus pereunt; ſi vero hos effugerint, ſani fiunt, l. 5. Aphor. 6. Convulſio in corporibus vulneratis non caret maximo periculo, aph. 2. l. 5.

Curatio.

CURATIO convulſionis pro ratione cauſarum & loci affecti varianda erit. Convulſio enim ex inanitione & ſiccitate repletionem & humectationem, ex repletione evacuationem & exſiccationem, ad ſui curationem poſtulat.

Convulſionis ex repletione remedia.

Convulſio ex repletione ut plurimum ex frigidis lentisque humoribus aut craſſis vaporibus nervorum initiis aut muſculorum corpori impactis oboritur, cujus curatio tribus inſtrumentis perficitur, victus ratione, venæ ſectione, & medicamentorum uſurpatione.

Diæta.

Convulſus itaque ex repletione verſetur in aëre calido, & vitet alimenta omnia refrigerantia, atque in initio quidem morbi tenuiſſima utatur victus ratione. Satis enim illi erit in cibo offerre juſcula & ſorbitiones, pruna Ungarica, cremorem ptiſanæ & carnes pullorum aut avicularum, easque aſſatas magis quam elixas. Potus illi ſit mulſa ſive hydromel in quo concocta ſunt ſalvia, ſatureja, majorana, roſmarinus, ſemina coriandri & nonnihil cinamomi: à vino prorſus abſtineat. Poſt victus convenientem rationem ſubtrahantur vitioſi cum vapores tum humores ſequenti enemate.

Enema.

℞. Betonicæ,
Salviæ,
Serpilli,
Majoranæ an. M. 1.

Mercurialis,
Centaurii minoris an. M. s.
Sem. coriandri,
Carvi an. ℥ s. Concisa ac contusa coquantur in aq. q. s. ad medias, colentur, colati juris accipe lib. I. cui admisce hieræ simpl. ℥ I. s. Diaphæniconis ℥ s. olei rutæ ℥ III. salis ʒ I. misceantur, fiat clyster.

Vena sectio. Post enema si corpus fuerit plethoricum, detrahatur sanguis ex vena cubiti mediana dicta, sanguine detracto, vitiosa convulsionis materia extenuetur, præpareturque & præparata evacuetur, aut medicamentis paulo ante in curatione paralyseos descriptis, aut sequentibus remediis.

Potio digerens. ℞. Betonicæ,
Salviæ,
Majoranæ,
Hyssopi,
Saturejæ an. M. I.
Cardui benedicti,
Scordii,
Centaurii minoris an. M. s.
Sem. carvi, anisi an. ℥ s. Concisa & contusa coquantur in duplici vase sive cantharo cum lib. III. hydromellis per sesquihoram, colentur, colato juri admisceantur syrupi è betonica, è stæchade an. ℥ III, fiat potio, de qua mane ac vesperi hauriat æger ℥ v. tepidas. Absumpta hac potione purgentur humores lenti & crassi vapores sequentibus pillulis.

Pillulæ. ℞. Mas. pil. fœtidarum,
de Sagapeno,
Agarici trociscat. an. ℈ I.
Troch. Alhandali gr. v. Ex his formentur pillulæ n. 27. cum mellis rosacei q. s. quæ post mediam noctem deglutiantur. Hæc præscripta remedia ubi necessitas expostulat, aliquoties reiterari debent.

Cerebri evacuatio particularis. Post hujusmodi universalem evacuationem, & cerebri excrementa detrahenda veniunt gargarismate, errhinis & pulvere sternutatorio supra in curatione paralyseos descripto.

Postea singulis diebus ad discutiendos crassos vapores & consumendos vitiosos humores in musculis & nervis collectos, utatur æger & quidem jejunus sequentibus præsidiis.

Experimenta contra spasmum singularia. Assumat vel aquæ juniperi ℥ I. vel succi centaurii minoris ℥ II. vel theriacæ Andromachi ʒ I. vel pulveris cardopatiæ ʒ I. aut olei vitrioli defæcati ℈. aut myrrhæ & castorei simul mixtorum ʒ I. quæ remedia commiscenda sunt ℥ III. aut IIII. vel hydromelitis vel aquæ scordii vel aquæ cardui benedicti.

Balneum pro spasmaticis. His peractis quotidie ægroto inungatur cervix & spina dorsi, partesque affectæ unguentis & oleis in paralyseos curatione commemoratis, iisdemque electuariis vires & spiritus corroborentur, quæ ibidem sint præscripta.

Prodest præterea ægrum ad thermas sulphureas (ubi haberi possunt) deducere, quæ ubi longius absunt, lavacrum hac ratione præparandum erit.

seu thermæ artificiales. ℞. Betonicæ,
Salviæ,
Serpilli,
Origani,
Chamæpytios,
Chamæmeli an. M. II.
Rad. Elenii,
Altheæ an. ℥ II.
Sem. Fænu Græci ℥ III.
Sulphuris citrini lib. I.
Aluminis lib. s. Contusa & concisa coquantur, fiat lavacrum, quo partes convulsæ ante prandium vel totum corpus ter quaterve lavetur & confricetur. Post lotionem & aliàs singulis diebus inungatur cervix & spina dorsi simul & partes affectæ sequenti linimento.

Linimentum. ℞. Ol. liliorum alborum,
Lumbricorum terrestr. an. ℥ s.
Costini, ex strobulis piceæ seu de terebintina an. ʒ III.
Ceræ albæ q. s. Fiat linimentum.

In convulsione cum caliditate observanda. Porro in convulsione cui adjuncta est caliditas, sive ea ex repletione sive ex inanitione sit oborta vitare studiosè debent tam extra quam intra corpus calefacientia remedia, sed medicamenta sunt usurpanda quæ supra in cephalalgiæ specie ex calida intemperie ortæ medicatione sunt enumerata.

Convulsionis ex inanitione & ficcitate remedia. Diata.

In spasmo ex inanitione & siccitate generato, siccitati opposita tum victus ratio tum remedia adhibenda sunt. Nutriatur itaque æger cremore ptisanæ, prunis Ungaricis, pullorum carnibus contusis, jusculis carnium pinguium, carnibus agnina & hædina, & piscibus squammatis, veluti sunt lucei, percæ, & melanuri, potus illi sit aqua hordei in quo parum cinamomi, seminis anisi & uvarum passarum sunt decocta; vitanda sunt pharmaca evacuantia. Ubi vero alvus adstricta fuerit, emolliatur aut enemate communi aut pulpæ cassiæ recenter evulsæ ℥ x. Lavacrum vero convenientissimum inanitioni & siccitati ex sequentibus conficiatur.

Balneum.

℞. Malvarum,
Altheæ,
Violariæ,
Chamæmeli,
Meliloti,
Hordei an. M. III.
Rad. Altheæ M. II.
Sem. lini,
Fænu Græci, an. ℥ II.
Fol. salicis aut betulæ viridium ubi haberi possunt an. M. IIII. Concoquantur in aqua, fiat lavacrum quo lavetur ter quaterve æger per septimanam. Post lotionem & singulis diebus bis cervix & spina dorsi & partes convulsæ inungantur sequenti unguento.

Vnguentum pro spina & partibus convulsis.

℞. Ol. violarum, rosarum an. ℥ III. Vulpini, chamæmelini an. ℥ II. Ceræ albæ q. s. quibus admisceatur mucilaginis ex radicibus altheæ & semine lini ac fænu Græci præparati ℥ s.

Morsuli corroborantes.

Ad corroborationem virium utatur sequentibus morsulis.

Magisterium hyacinthi tanquam specificum contra spasmum commendat Quercetanus.

♃. Conf. violarum,
Buglossæ,
Rosarum an. ℥ s.
Carnium cancrorum fluviatilium bene coctorum & minutissimè concisorum ℥ I.
Specier. diamargaritonis frigidi ʒ II.
Pinearum ℥ s.
Saccari in aqua rosacea soluti lib. s. fiant l. a. morsuli. Ubi vero convulsio ex crassis halitibus ac flatibus, qui soboles sunt cruditatis, musculos obstruentibus, & in tumorem elevantibus, originem trahit, quæ ut plurimum musculosas partes suræ, brachiorum & digitorum affligit, & facilè discussis vaporibus remittit ac cessat; sola leni confricatione volæ manus ac panno aspero ac calido affectarum partium, vel inunctione salivæ, aut pauxillo theriacæ, aut aquæ juniperi, aut illitione olei vel chamæmelini vel anethini, vel lumbricorum, statim ultro cessat. Si vero crebrius redeat, præstat pannum in vino calido madefactum affectis partibus imponere aut easdem partes paulo antè præscripta lotione fovere, aut sequens cataplasma calidum imponere.

Convulsionis particularis, quæ Krampff dicitur remedia.

Frictio.

Potus ex vino.

Cataplasma.

♃. Flo. Chamæmeli,
Meliloti,
Anethi,
Furfuris triticei an. M. I. coquantur cum vino sufficienti, fiat cataplasma.

Annulos quoque ex alcis ungula, vel cornu Buffali digitis gestatos, nervis item alii, partibus affectis alligatos spasmo mederi experientia testatur.

Convulsionis à venenato morsu remedia.

Si vero convulsio oriatur à venenosi animalis morsu, statim theriacæ Andromachi ʒ I. s. cum vino generoso exhibenda erit & venenosa qualitas ex punctura aut per cucurbitulam aut per podicem gallinæ deplumem viventis vulneri applicatum elicienda erit, & convulsa pars oleo lumbricorum calido fovenda.

Spasmi cynici curatio.

Huc referenda & est σπασμοῦ τοῦ κυνικοῦ, id est caninæ convulsionis curatio. Nihil autem aliud est canina convulsio quam musculorum faciei, maxillarum, oris & oculorum à loco nativo detorsio & deformis figuratio, quæ ut plurimum apoplexia & paralysi correptis accidit. Curatur autem σπασμὸς κυνικὸς remediis quæ in παραλύσεως curatione sunt præscripta. Post humorum itaque vitiosorum præparationem & evacuationem, sequentibus, gargarismate, pulvere sternutatorio & linimento commodè curari, & musculi omnes in naturalem figuram reduci possunt. Gargarismi descriptio hæc est.

Gargarismus.

℞. Rad. pyrethri ℥ s. Sem. erucæ ʒ v. Decoquantur in lib. I. vini ad medias ac colentur,

lentur, colato juri admiſceantur oxymellis ſcillitici ℥ II. hieræ picræ ℥ s. fiat gargariſmus, quo jejunus tepido utatur æger.

Sternutatorius pulvis ita conficitur.

Sternutatorius pulvis. ℞. Pyrethri, euphorbii, majoranæ an. ℈ I. Miſceantur, fiat pulvis, quo in nares attracto, excitetur ſternutatio.

Linimentum ad ſpaſmum cynicum.

Linimentum. Ol. ſuccini pl. quoque juvat ſi admiſceatur. ℞. Ol. coſtini, è lumbricis terreſtribus, de lateribus an. ʒ II.

Aq. ſtillatitiæ juniperi ʒ s. ceræ pauxillum. Fiat linimentum, quo illinatur cervix, tempora & partes faciei.

Cucurbitulæ. Quin & cucurbitulæ cum ſcarificatione cervici applicatæ; & venarum ſub lingua exiſtentium inciſione, facilimè hic morbus curari poteſt. Prodeſt quoque in ore continere, aut theriacæ Andromachi, aut confectionis anacardinæ portiunculam piſi magnitudine.

7. *Tremor artuum quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quibus remediis curandus?*

Tremor quid. Τρόμος, tremor eſt motus depravatus præter voluntatem aut caput aut manus aut pedes concutiens. Fit autem tremor membrorum, quando aliqua pars inſita ſua gravitate deorſum labitur, & in eadem motrix facultas imbecillior facta ipſam liberè erigere aut exporrigere nequit, ſed quantum facultas ipſam in ſublime erigit, tantum ſuo pondere deorſum fertur. Unde conſtat, tremorem nihil aliud eſſe quam pugnam locomotivæ potentiæ cum inſita gravitate membri.

Cauſæ tremoris variæ. CAUSÆ tremoris ſunt aut facultatis motricis in nervis contrahendis inbecillitas, aut nervorum languor & mollities, qualis tremor accidit ſenibus: aut nervorum obſtructio à craſſis humoribus, aut nervorum refrigeratio, qualis tremor accidit aurifabris, ex contrectatione hydrargyri: aut virium reſolutio, qualis fit in diuturnis morbis: aut timor metuſque, qualis eſt tremor in præcipitio ambulantium.

Signa. Signa tremoris manifeſta & evidentia ſunt. Cauſarum autem ſigna ex relaxatione ægrotorum & corporis conſtitutione deprehenduntur.

Curatio. IN CURATIONE tremoris, ut & in reliquis morbis, cauſæ ſemper primum ſunt auferendæ, quibus ſublatis ceſſat & morbus. Auferuntur autem cauſæ ſuis contrariis, ut tremor ex helluatione aufertur temperantia, ex timore animi quiete & confidentia. Qui autem ortus eſt ex nervorum obſtructione à craſſis frigidiſque humoribus (qualis ſolet eſſe diuturnus & continuus) curatur extenuatione & evacuatione humorum peccantium, per medicamenta in paralyſeos curatione deſcripta. *Tremoris ex hydrargyro vel veneno remedia.* Tremorem vero manuum ex contrectatione hydrargyri aut alicujus venenoſæ materiæ, qualis plerumque aurifabris & in chymia operantibus accidit, curabimus ſequentibus medicamentis. Primum ſumat æger ʒ I. s. theriacæ Andromachi cum generoſo vino aut aqua juniperi, & ad ſudandum ſe componat per ſpacium unius horæ. *Fotus ex vino.* Deinde tremulas foveat partes in vaſculo convenienti vapore vini generoſi in candentem ſpumam ferri aſperſi, ac per ſudorem proliciat venenoſitatem nervorum. Tandem colluat membra frequenter decocto ſequentium herbarum.

Lotio trementium partium. ℞. Serpilli, ſalviæ, majoranæ, flor. lavendulæ, roriſmarini an. M. I. rad. pyrethri, elenii an. ℥ s. ſem. erucæ, cymini an. ʒ III. conciſa & contuſa coquantur in q. s. aquæ, fiat lavacrum. *Inunctio.* Poſt lotionem vero ubi partes per ſe ſunt exiccatæ, inungantur partes aut aqua ſtillaticia, aut oleo ex granis juniperi deſtillato, ac deinceps ſingulis diebus jejunus hauriat ℥ I. infuſionis lilior. convallium, quæ ſupra in curatione abolitæ memoriæ eſt deſcripta.

Pillulæ. Ubi tremoris cauſa frigidus humor nervos obſidens extiterit, utatur æger pil. fœtidarum ʒ I. ex qua formentur pillulæ n. 27. & deglutiantur in aurora. *Quæ partes in tremore inungendæ.* Cervix autem ſi manus tremant, & ſpina lumborum, ſi pedes vacillent, oleo coſtino inungatur ſingulis diebus bis.

Electua- Intra corpus vero aſſumat æger confectio-

...ium contra tremorem.

ctionis anacardinæ ℈ I. cum aqua juniperi, aut quintam essentiam vini, in qua macerata est salvia, aut devoret indies sequentis confectionis quantitatem semijuglandis.

Peculiariter etiam medetur tremori ex crapula præsertim orto oleum ex trifolio vulgari paratum.

℞. Confer. betonicæ,
Rorismarini an. ℥. I.
Zinziberis conditi minutissimè concisi ℥ s.
Sp. diamoschi dulcis,
Diambræ an. ʒ I.
Theriacæ Andromachi ʒ II.
Castorei ʒ s.
Cum syrupo è betonica q. s. & pauxillo aquæ juneperi. Misceantur, ac fiat electuarium.

Reliqua remediorum genera ex curatione παραλύσεως huc commodè transferri possunt.

8. *Incubus quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus remediis curandus?*

Ephialtes quid. Die Nacht-Maar.

Ἐφιάλτης, id est incubus, dicitur ἀπὸ τοῦ ἐφιάλλεσθαι quod premere significat, est gravis corporis oppressio nocturnaque semisuffocatio respirationem & motum impediens vocemque intercipiens. Hoc malo laborantes, aut ab hoste, aut à terribili spectro, aut ab aliqua gravi incumbente mole se premi, ac vehementissimè se exclamare putant, dum dormiunt.

Causa vera incubi.

Causas hujus nocturni & molestissimi mali προηγουμένας quidem statuunt Medici frigidos & crassos vapores in principio somni, initia nervorum magis quam decet in cerebro obstruentes, & potentiam motricem pectoris, diaphragmatis & pulmonum intercipientes: aut humores frigidos circum præcordia collectos, quibus diaphragma turgescit ac pulmo motusque pectoris & vox intercipitur. Προκαταρκτικὴ vero causa dicitur esse crapula & somnus statim à cæna inchoatus, dum adhuc orificium hiat ventriculi.

Vulgi opinio vana. Rationes vulgi, quibus author aliquid tribuere videtur. Sed cum contingat primo somno, in supino decubitu, plethoræ & crapulæ deditis, à crassis potius vaporibus respirationem intercipientibus naturaliter fieri, quam à sagis excitari statuendum est.

Vulgus incubonem dæmonum ludibrium per sagas & vetulas veneficas id perficientium esse credit, & dum premitur homo, vetulas incumbere pectori & ex papillis spiritum vitalem unà cum sanguine sugere, persuasum habet, cujus opinio his rationibus nititur. Si incubus ex recitatis physicis causis oboriretur, tunc seniores ac decrepiti æquè hoc malo laborarent atque adolescentes ac pueri: item ægrotantibus ex iisdem causis frequentius quam sanis accideret. Sed nec senioribus nec adultis mulierculis, nec infantibus, & raro morbo aliquo laborantibus contingit. Ergo non potest ex iis physicis causis oriri ephialtes. Historiæ quoque sagarum in hujusmodi facinore sub culmi straminis aut pili forma in pectore incubum parientium deprehensarum & tandem agnitarum, testantur, dæmonum ludibrium potius quam malum physicum esse.

Signa.

Signa sunt manifesta & ex relatione ægroti dignosci possunt.

Præsagia significantia ex hoc malo notanda veniunt.

Prognostica.

Incubone frequentius & diutius vexatis metuenda est cordis palpitatio, aut epilepsia, aut apoplexia. Communia enim hi morbi habent accidentia.

Curatio.

Curatur hic morbus, quantum ad causas physicas, temperantia & bona victus ratione. Quare studiose vitentur crapula & ventriculi cruditas. Cæna itaque semper sit parcior prandio, & inter cænam & somnum tres ad minimum horæ interveniant. Cubitum iturus æger pro corroboratione ventriculi & occlusione orificii ejus devoret duas rotulas vel diambræ vel diamoschi dulcis, aut semijuglandis quantitatem diacytonii, aut frustulum cydonii conditi, aut pugillum coriandri saccaro obducti, aut assumat ℈ s. olei vitrioli cum aqua lavendulæ commixti.

Occlusio orificii ventriculi maxime his prodest.

Supinus decubitus evitandus.

Inter cubandum vero ut perniciosam occasionem hujus mali, caveat supinum decubitum, sed perpetuo alterutri lateri incumbat. Qui consuescere posset ad pronum decubitum, huic non esset de incubonis insultu nec de apoplexia metuendum.

Venæ sectio.

At ubi incubonem patientis corpus plethoricum fuerit, post alvi per sequens clystera subductionem, venam incidere, primum quidem epaticam dextri humeri, si necessitas

vero

vero urget,& venā frontis incidere utile erit.

Enema.

℞. Malvæ,
Altheæ,
Mercurialis an. M. s.
Flo. Centaurii minoris,
Absynthii,
Chamæmeli,
Anethi, an. P. I. Concidantur & in q. s. aquæ coquantur ad medias, colentur, colati juris accipe lib. I. in qua dissolve hieræ simp. ℥ I. s. olei chamæmelini ℥ III. salis communis ʒ I. fiat enema & infundatur per syringa in rectum intestinum ventriculo adhuc jejuno.

Si vero corpus fuerit κακοχυμικὸν aliisque vitiosis humoribus oppletum, humor prædominans vitiosus pharmacis concoquentibus & post sufficientem concoctionem evacuantibus subducendus erit. Quæ autem pharmaca quos humores concoquant & evacuent, supra in tabellis medicamentorum,& in curatione κεφαλαλγίας à singulis humoribus abundè sunt præscripta. Aut in genere utatur patiens ad capitis & ventriculi crudos humores deturbandos singulis mensibus circa plenilunium sequentibus pillulis.

Pillulæ ad cruditates evacuandas.

℞. Mas. pil. de hiera cum agarico, stomachicarum, aurearum an. ℈ I. ex quibus cum aqua lavendulæ formentur pillulæ n. 27. quæ oleo vitrioli inunctæ cum aliquo liquore deglutiantur in aurora sex horis ante prandium.

Corroboretur etiam cerebrum & ventriculus sequenti Electuario.

Electuarium corroborans cerebrum & ventriculum.

℞. Conser. rorismarini,
Diacydonii cum speciebus an. ℥ I.
Pyrorum muscatellinorum conditorum,
Myrobal. chebulorum conditorum an. ʒ s.

Concidantur minutissimè, eisque admisceantur specierum diambræ ʒ I. olei cinamomi gr. III. & cum q. s. syrup. è betonica,fiat elect. de quo sumat patiens peracta cæna semijuglandis quantitatem. Reliqua remediorum genera ex curatione epilepsiæ huc commodè transferri possunt.

Præstigiis ut occurrendum.

At si, ut vulgus opinatur, incubus sit ludibrium Sathanæ & sagarum diabolicus conatus, nullum præstantius remedium est, quam vera fiducia in Christum, qui in hoc venit ut destruat opera diaboli,&ardens precatio cum sobria vita & prono in lecto decubitu.

9. *Destillatio cerebri quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & qua ratione curanda?*

Catarrhi generatio.

CAPUT reliquis corporis partibus autore Galeno veluti tectum quoddam calidæ domui est impositum, quod omnes vapores omniaque fuliginosa excrementa, quæ à subjectis partibus sursum efferuntur, excipit, ubi frigiditate cerebri tanquam nubes in aëre condensantur, & tandem spirituum calore resoluta instar pluviæ in subjectas partes destillant ac defluunt; quod malum Græci vocant κάταῤῥον, id est defluxionem sive destillationem.

Tres autem sunt catarrhi species.

Catarrhi differentia.

I. Cum cerebri excrementa in os & fauces defluunt, tum generalem nomenclaturam retinet & catarrhus nominatur.

II. Ubi vero in nares incumbunt κόρυζα id est gravedo nominatur, **der Schnupffen.**

III. Si autem in guttur & asperam arteriam illabatur βρόγχος i.e. raucedo dicitur.

Catarrhus variorum morborum est scaturigo.

Porro destillatio excrementorum cerebri est quam plurimorum morborum causa & genitrix. Si enim in oculos incumbat ὀφθαλμίαν· si in aures, tinnitus & auditus læsionem; si in maxillas, dentium dolores; si in cervicem aut scapulas aut brachia defluat in iisdem partibus dolores excitat: Si ad gurgulionem, uvulæ elongationem; si in articulos Ἀρθρῖτιδα· si in latera πλευρῖτιδα· si in manus chiragram; si in pedes podagram; si in spinæ medullam παράλυσιν. si ad nervorum origines, tremorem, apoplexiam & epilepsiam; si in pulmones, peripneumoniam, tussim, asthma & phthisin; si in ventriculum, cruditatem & nauseam appetitusque prostrationem; si in intestina colicos dolores & alvi profluvia; si in jecur aut lienem defluat, obstructiones, tumores, putrefactiones, febres, ictericiam, hy-

Mala ex catarrho.

hydropem & alia infinita morborum genera excitat.

Catarrhi causæ. Interna. CAUSÆ catarrhi ſeu deſtillationis cerebri προηγουμέναι quidem, id eſt internæ ſunt aut intemperies frigida & humida, aut calida & humida cerebri; aut craſſæ evaporationes ex ventriculo reliquiſque viſceribus ad cerebrum elevatæ. *Externa.* Προκαταρκτικαὶ vero ſive externæ cauſæ, quæ excrementa cerebri aut multiplicant, aut exprimunt, aut reſolvunt & ea ad defluxionem excitant, ſunt aëris nimia intemperies frigida, & aëris repentina ex calido in frigidum vel contra mutatio, venti auſtrini & aquilonarii, vini meracioris immoderatus uſus, repentina capitis refrigeratio à ſudore in balneo vel æſtuario, calor ſolaris caput feriens, pedum refrigeratio, fœtor inuſitatus, ſomnus diurnus, intempeſtivæ vigiliæ & lucubrationes nocturnæ.

Signa ſingularum catarrhi ſpecierum. SIGNA catarrhi cujuſlibet ſpeciei evidentia ſunt. Utrum vero cerebrum frigido, calido aut humido excremento redundet, utrumve tenue vel craſſum exiſtat excrementum, partim ex ſignis ſupra in cephalalgiæ ſpeciebus enumeratis, partim excrementi in os naresque defluentis qualitate deprehendere licet. In ſpecie vero in catarrho, humore tenui ad fauces & os decumbente, æger continuè ſalivam tenuem expuere cogitur. In κορύζᾳ aut obſtruuntur foramina oſſis ἠθμοειδοῦς, aut humor tenuis & crudus inſtar aquæ per nares deſtillat: in βρόγχῳ ſive raucedine adeſt gutturis aſperitas & raucedo vocis, ſæpius etiam tuſſis.

Curatio. CURATIO catarrhi pro cauſarum varietate, pro humoris vitioſi qualitate, & pro membri fluentem humorem excipientis natura, varianda erit.

Perficitur autem curatio catarrhi tribus potiſſimum inſtrumentis, victus ratione, venæ ſectione, & medicamentorum convenientium artificioſa uſurpatione.

Diæta. Victus ratio in univerſum talis obſervari debet: aër in quo æger verſatur, debet eſſe temperatus: cibo ac potione utatur tenui ac moderata, quales ſunt cremor ptiſanæ, juſcula caponum aliæque ſorbitiones, pruna Ungarica, lac amygdalinum & quæ ſua qualitate defluenti humori ſemper ſunt contraria. Pituitoſus enim humor paulo calidiora, bilioſus verò frigidiora alimenta expoſtulat. A vino prorſus arcendus eſt æger. *Vinum noxium catarrhoſis.* Potus autem illi ſit, ſi de caliditate capitis conqueratur, aqua hordei, in qua parum glycirrhyzæ, ſeminum aniſi & cinamomi ſit incoctum. Cum vero & caput & univerſum corpus eſt refrigeratum, defluensque humor ſit pituita cruda, uti poterit in potu hydromelle, ſtudioſè autem vitet æger durante catarrho balnea & Venerem: *Balnea & Venus evitanda.* item omnia ſalſa, acida & acria: item vitandi ſunt & venti auſtrini & aquilonarii, ſomnus diurnus, intempeſtivæ lucubrationes, & alvi ſuppreſſio, quæ ſi contingat, vel glandibus medicatoriis, vel prunorum eſu, vel leniori clyſtere alvus ad egerendum eſt irritanda.

Vena ſectio quando conveniat. Venæ ſectionem in catarrho non niſi in calidis & bilioſis defluxionibus ubi febricula metuitur, & in plethoricis corporibus utendum erit. Eſt autem ſecanda vena mediana aut hepatica dextri lateris, aut ſi deſtillatio in fauces incumbat venæ ſub lingua comparentes. Non autem vena eſt ſecanda antequam alvus ſequenti enemate eſt ſubducta & inanita.

Enema. ℞. Flo. Chamæmeli,
Anethi,
Maluæ,
Mercurialis,
Serpilli,
Violariæ an. M. s. Conciſa coquantur in q. s. aquæ ad medias, colentur, colati juris accipe ℥ xv. Quibus admiſce hieræ ſimplicis Galeni ℥ I. s. Olei chamæmelini ℥ III. Salis communis ʒ I. Miſceantur, ac tepida inſtar lactis recens mulcti recto inteſtino per ſyringa infundantur.

Reliqua medicamentorum cum præparantium tum expurgantium defluentes humores, genera, pro humoris fluentis natura variari debent, quorum copiam ex cephalalgiæ ſpeciebus curandis huc transfer.

Cerebrum corroborandum. Cum autem fons & origo omnis destillationis sit ipsum cerebrum, omnium primo capitis est habenda ratio. Cerebro itaque calidiusculo existente, indeque resolutis humoribus orto catarrho, sinciput & tempora frequenter inungi debent sequenti linimento.

Liniment. refrigerans. ℞. Ol. Rosacei,
Nympheæ an. ℥ I.
Aq. rosaceæ ℥ s. Aceti rosacei ʒ II.
Quæ simul commisceantur ac conquassentur, & inungatur eo caput, aut linteolis temporibus applicetur.

Lotio pedum. Quin & pedes vespertino tempore ablui ac foveri debent in calido lavacro in quo concocta sunt flores chamæmeli, anethi, fol. salicis, betonica herba & capita papaverum. Post lotionem vero plantæ pedum asperius confricandæ sunt sale & aceto simul mixtis, & plantæ calido asseri querno applicandæ. Mirificè enim ea ratione fluentes ex cerebro humores deorsum evelluntur.

Potio præparans humores calidos. Calida porro excrementa cerebri defluentia sequenti potione præparari commodè possunt.

℞. Glycirrhyzæ ℥ I. jujubarum, sebesten an. ℥ s. quatuor seminum frigidorum majorum an. ʒ I. capillorum Veneris M. I. florum communium an. M. s. contusa & concisa cum IIII. lib. aquæ coquantur in cantharo obturato & in aheno aqua pleno collocato ad sesquihoram; deinde colentur, colaturæ admisceantur syr. violarum, de glycirrhyza, de cichorea an. ℥ II. fiat potio, de qua ebibat æger mane & tribus horis ante cænam ℥ IIII. calefactas. Exhausta potione evacuentur calida excrementa sequenti infusione:

Haustus cholagogus. ℞. Rhabarbari electi & parum contusi ʒ I. s.
Thamarindorum minutim concisorum ℥ s.
Misceantur, & in aquæ cicoreæ ℥ VI. per noctem macerentur, tandem ebulliant leniter, & fortiter expressa colentur, colato jusculo admisceantur aut pulpæ cassiæ recenter evulsæ ℥ I. aut syr. rosati solutivi ℥ II. Fiat haustus, qui tepidus ebibatur sex horis ante prandium.

Postquam excrementa resoluta cerebri hac ratione sunt evacuata, utatur æger ad cohibitionem tenuium humorum sequenti electuario.

Eclegma ad sistendum catarrhum tenuem. ♃ Boli armeniaci in aq. rosacea eloti ac præparati ʒ II.
Amyli candidissimi ʒ I.
Tragacanti,
Gummi Arabici,
Sem. papaveris albi an. ʒ. s. Diligenter omnibus pulverisatis commisceantur conser. rosaceæ ℥ II. & cum syr. de papavere q. s. Fiat electuarium lambile, de quo frequenter sensim deglutiat æger semijuglandis quantitatem. Commodè quoque hujus electuarii loco uti poterit æger rotulis diatragacanti frigidi aut diapapaveris.

Laudanum opiatum, si ejus unum atque alterum granum exhibeatur, ad miraculum usque catharrum sistit.

Acrioris catarrhi remedia. Ubi vero fervens destillatio fauces exulceraverit, utatur frequenter elect. diacodii, & conservæ rosaceæ an. ʒ II. quæ simul misceantur & ejus nucis avellanæ quantitas in ore resoluti deglutiatur. Ulceratæ vero faucium partes inungantur mucagine ex seminibus cytoniorum parum contusis & aqua rosacea confecta.

Remedia catarrhi frigidi. At vero ubi defluens humor frigidior est, & excrementa cerebri pituitosa, cerebrumque ipsum refrigeratum, in hujusmodi catarrhi curatione primum pituitosi humores è toto corpore sequenti enemate sunt exturbandi.

Enema. ♃. Maluæ,
Mercurialis,
Betæ,
Majoranæ,
Origani an. M. s.
Flor. Chamæmeli,
Meliloti,
Anethi an. P. I.
Rorismarini P. II.
Sem. carvi ℥ s. Concisa & contusa coquantur in q. s. aquæ ad medias, colentur, colati juris accipi ℥ XII. quibus admisce hieræ simpl. ℥ I. benedictæ laxativæ ℥ s. olei communis ℥ III. salis communis ʒ I. fiat enema,

enema, infundatur tepidum jejuno existente ventriculo.

Digestivum. Tandem extenuentur & ad eductionem præparentur excrementa cerebri, sequenti potione.

♃. Rad. Glycirrhyzæ,
Angelicæ,
Asparagi,
Graminum,
Fœniculi, an. ℥ s.
Herb. Betonicæ,
Melissæ,
Hyssopi,
Rorismarini,
Adianthi an. M. s.
Flor. Stæchados Arabicæ,
Centaurii minoris an. P. II.
Sem. carvi ʒ II. Cinamomi ʒ I. Zinziberis albi ʒ s. Concisa & contusa decoquantur cum hydromellis lib. IIII. in cantharo probè oblinito, & in aheno collocato ad duas horas, quæ ubi refrixere, colentur, colato juri admisceantur syr. è stæchade, de betonica, de hyssopo an. ℥ II. Fiat potio, de qua hauriat æger diluculo & tribus horis ante cænam ℥ V. calefactas. Exhausta hac potione, purgentur excrementa sequentibus aut pillulis aut haustu catarrhico.

Evacuantia phlegmagoga.

Pillulæ. ♃. Mas. pil. cochiarum, de agarico an. ʒ s. Conformentur ex his cum melle rosaceo pillulæ n. 27. & deglutiantur cum aliquo liquore in aurora: Aut

Haustus. ♃. Diaphæniconis ʒ VI. Diacatholici ℥ s. Dissolvantur cum aquis stillatitiis, betonicæ & Hyssopi an. ℥ II. Fiat haustus, quem tepidum ebibat æger in aurora sex horis ante prandium. Altero die à purgatione corroboretur cerebrum sequenti haustu diaphoretico.

Diaphoreticum. ♃. Theriacæ Andromachi, conser. rorismarini, an ʒ II. Dissolvantur cum ℥ II. Aquæ juniperi, fiat haustus & assumatur jejuno ventriculo.

Particularis cerebri evacuatio per nares. Porro ad particularem cerebri purgationem sequentibus remediis feliciter utimur, ac primum per nares sequenti errhino.

Errhinon. ♃. Succi radicum betæ rubeæ, succi majoranæ an. ℥ s.
Mellis virginei ʒ I. Misceantur & calefiant ac tepida per calamum pennaceum in nares per triduum quotidie mane attrahantur.

Radix gentianæ pituitam è cerebro eliciens. Idem præstat & radix gentianæ in crassitudinem calami adformata, & naribus altius inserta, in eisque paulo diutius retenta. His valentius attrahit pituitam pauxillum fellis taurini tepidum naribus attractum: & his quidem potissimum in coryza utendum erit.

Per palatum vero ac fauces catarrhi materiam commode detrahimus sequenti vel pulvere masticatorio vel gargarismate.

Apophlegmatismi. ℞. Mastiches ℥ s. Rad. pyrethri ʒ III. cubebarum, carvi an. ʒ II. Sem. staphidisagriæ ʒ I. Concidantur crassiusculè ac commisceantur: Hujus pulveris P. I. jejunus masticet in ore æger naribus obstructis, subinde pituitam in os defluentem expuendo. Aut

Pulvis.

Gargarismus. ℞. Hyssopi,
Salviæ,
Rosarum an. M. s.
Passularum ℥ I.
Cubebarum ʒ II.
Rad. pyrethri,
Sem. Erucæ an. ℥ s. Contusa coquantur in aquæ & aceti an. lib. I. ad medias, deinde colentur, colato jusculo admisceantur mellis rosacei ℥ II. Fiat gargarismus, quo utatur æger jejunus tepido, singulis vicibus ter quaterque gargarisando.

Præservatio à catarrho. Porro qui natura fluidum habent cerebrum, & crebrius catarrhi speciebus infestantur, ii singulis septimanis sequentibus pillulis salubriter uti possunt.

Pillulæ usuales. ℞. Mas. pil. de hiera simpl. assajereth. an. ʒ II. agarici trochiscati ʒ s. Ex quibus simul cum melle rosaceo contusis formentur pillulæ ex singulis drachmis 27. de quibus totidem deglutiantur tribus horis à cæna.

NB. Quo tempore pillulæ assumendæ. De pillulis sumendis hoc loco obiter observandum est, pillulas quæ vehementius purgant, quales sunt, quibus vel turbith,

bith vel ſcammonea, vel colocynthis vel trociſci alhandali ſunt admixti, deglutiendas eſſe circa mediam noctem, aut in aurora: Mitiores vero, quales ſunt pil. de hiera, alephanginæ, peſtilentiales & ſimiles aſſumendas eſſe tribus horis à cœna.

Corroborantia & exſiccantia cerebrum.

Exſiccant quoque humiditates cerebri, cerebrumque ipſum mirificè corroborant, ſi quis mane aut veſperi duas aut tres rotulas diamoſchi, diambræ, aut ſemijuglandis quantitatem conſervæ roriſmarini, aut ſemidrachmam theriaces Andromachi manè aſſumat, aut ſi quis utatur ſequentibus morſulis mane ac veſperi.

Morſuli à catarrho præſervantes.

℞. Diamoſchi dulcis,
Diambræ an. ʒ s.
Dianthos ℈ I.
Pul. cinamomi electi,
Cubebarum,
Macis an. ℈ II.
Sacchari albi cum aqua juniperi ſoluti ℥ IIII.

Quibus commixtis admiſceantur olei aniſi ℈ s. Olei cinamomi gr. II. fiant morſuli. Suffimigia quoque multum faciunt ad exſiccandum cerebrum, ex ſuccino, maſtice, thure, ſandaraca & ſimilibus.

SECTIO IV.

DE AFFECTIBUS CAPILLORUM ET TEGUMENTORUM CEREBRI.

1. *Qui ſunt morbi capitis, capillos, cutem, & ſubcutaneas partes infeſtantes?*

Capillorum, cutis capitis & ſubcutanearum partium morbi ſunt.

I. Ἀλωπεκία & Ὀφίασις.
II. Capillorum luxuries.
III. Capillorum eroſio.
IV. Porrigo vel furfures.
V. Achores ſeu ſcabies capitis.
VI. Phthiriaſis ſeu pediculatio.
VII. Vulnus capitis.
VIII. Cranei fractura.

2. *Alopecia quid, quæ cauſa, quæ ſigna, & quibus remediis curanda?*

Alopecia quid.

Ἀλωπεκία id eſt vulpina capillorum denudatio & ὀφίασις id eſt nuditas pilorum ſerpentiformis, congeneres ſunt morbi, ac pilorum ſymptomata, quando videlicet capilli decidunt, cutemque nudam relinquunt: Quo morbo cum ſingulis annis vulpeculæ laborent, inde nomen hoc ſymptoma acquiſivit. Ἀλώπηξ enim vulpem ſignificat. A quo malo ὀφίασις non niſi forma differt, quando videlicet in una aliqua parte tantum pilorum denudatio inſtar ſerpentis in gyrum extenditur.

Ophiaſis quid.

Cauſa.

Cauſa προηγουμένη & alopeciæ & ophiaſis eadem eſt, humorum videlicet, ex quibus pili nutriri debeant, corruptio ac putrefactio, quorum vitio pori cutis laxantur & radices pilorum ſimul corrumpuntur.

Προκαταρκτικαὶ vero cauſæ ſunt vel venenoſæ qualitatis remedia piloſque corrumpentia, quæ Græcis ψίλωθρα dicuntur, capiti illita, aut ſordes tenaces capiti illapſæ, veluti ſunt liquores ſuccidiarum.

Signa.

Signa quibus ab alopecia ophiaſis internoſci debeat, manifeſta ſunt & ex definitione patent. Signa vero corrupti humoris in ſubcutaneis partibus à colore cutis deprehenduntur. Albidior enim cutis capitis, pituitæ ſordidæ corruptionem, niger melancholici humoris, fulvus vel citrinus color flavæ bilis putrefactionem, cauſam defluvii capillorum oſtendit.

Differentia inter alopeciam & calvitiem.

Alopecia vero differt à calvitie. Alopecia enim à vitioſis & corruptis humoribus oboritur. Calvities autem naturalis eſt & provenit ex penuria humorum pilos nutrientium.

Signa defluvii capilli ex morbo Gallico. Ex lepra.

Raro tentantur homines alopecia in hiſce locis ſeptentrionalibus niſi qui vel lepra vel Gallico morbo ſunt infecti. Quibus à morbo Gallico decidunt pili, iis primum defluunt pili ſuperciliorum & barbæ & tandem capitis. Lepra vero non tantum ex defluvio capillorum, ſed ex aliis ſignis digno-

dignoſcenda eſt, de quibus ſuo loco dicturi ſumus.

Curatio. Curatur alopecia ex vitioſis humoribus, Gallicoque morbo orta, victus ratione, venæ ſectione, & medicamentorum applicatione.

Diata. Victus ratio ſemper debet eſſe contraria corrupto humori, aut humore frigido exiſtente, veluti eſt pituitoſus & melancholicus humor, utatur calida; calidis exiſtentibus, veluti ſunt bilis & ſeroſus ſanguis, frigida victus ratione. In univerſum autem veſcatur cibis ac potionibus, purum ac laudabilem ſanguinem generantibus.

Quæ vena incidenda. Venæ, ſi ſanguinis ſeroſi vel aliorum vitioſorum humorum copia redundent, ſecandæ ſunt, primum cephalica, poſtea & venam frontis vel temporum incidere non erit alienum, quin & cucurbitulas cum ſcarificatione occipitio applicare utiliſſimum erit. *Cucurbitulæ.* *Scarificatio cutis capitis.* Item cutem capitis ſæpe & multis in locis ſcalpello pungere, & ſanguinem corruptum exprimere, locumque ut dolor mitigetur adipe anſerino inungere commodiſſimum eſt.

Medicamenta. Medicamenta corruptos humores præparantia & evacuantia, pro humorum vitioſorum diverſitate varianda ſunt, quorum medicamentorum copia ex præſcriptis affectionum capitis generibus ſeu cephalalgiæ ſpeciebus curandis petenda & huc transferenda erunt.

Capillorum vero defluvio, ex mixtorum humorum corruptione, quam κακοχυμίαν vocant, aut ex morbo Gallico exorto, ſequenti ſimul præparante & evacuante potione iterum atque iterum utendum erit.

Potio præparans & evacuans.
℞. Rad. Oxylapathi,
Elenii,
Glycirrhyzæ,
Cichoreæ an. ℥ s.
Herb. Fumariæ,
Veronicæ,
Braſſicæ marinæ,
Capillorum Veneris,
Scordii,
Centaurii minoris,
Betonicæ,
Abrotani an. M. s.
Rad. Polypodii quercini ℥ I.
Sem. Aniſi,
Fæniculi an. ʒ III.
Fol. ſenæ Alexandrinæ ℥ I.
Rhabarbari ℥ s.
Ramentorum ligni guajaci ℥ I.

Prunorum Ungaricorum n. XV. Paſſularum minorum ℥ I. Cinamomi ʒ III. Conciſa & contuſa decoquantur cum lib. VI. ſeri lactis caprini in cantharo vel duplici vaſe, uti ſupra docuimus, ad horas II. Deinde colentur, colato juri admiſceantur ſyr. roſarum, fumariæ, betonicæ an. ℥ III. fiat potio, de qua ebibat æger diluculo & tribus horis ante cænam ℥ IIII. calefactas.

Exhauſta hac potione interpoſitiſque ſex ſeptemve diebus rurſum evacuentur putridi humores ſequentibus pillulis.

℞. Maſ. pil. aurearum, aggregativarum, è fumo terræ an. ℈ I. *Pillulæ putridos humores evacuantes.*

Diagridii gr. II. Formentur pillulæ, cum melle roſaceo n. 27. quæ deglutiantur circa medium noctis.

Præſcripta potio & pillulæ, ſi contumacius eſt malum, bis terve reiterari poſſunt, interpoſito tamen menſis ſpacio. His addenda eſt & particularis evacuatio capitis per paſtillos manſiles, ſive apophlegmatiſmos, qui ita conficiendi ſunt.

℞. Piperis oblongi,
Nucis moſcatæ an. ʒ s.
Sem. Staphiſagriæ,
Rad. Pyrethri ad. ℈ II.
Cinamomi ℈ I.
Cubebarum ʒ s.
Maſtiches ℈ I. Trita omnia commiſceantur & cum q. s. mellis roſacei formentur paſtilli, quorum unus & alter, matutino tempore jejuno adhuc ventriculo in ore commaſticetur per quadrantem horæ, aut detrahantur ſeroſa pituitoſaque excrementa capitis gargariſmate paulo ante in curatione catarrhi deſcripto. *Gargariſmus.*

Topica. Interim nec topica ſive localia remedia negligenda erunt. Poſt univerſalem itaque & particularem evacuationem corrupto-

 rum

rum humorum lavetur frequenter caput sequenti lixivio.

Lixivium pro ablutione capitis.

℞. Rad. Pæoniæ,
Serpentariæ,
Calami aromat. vulgaris an. ℥ II.
Marrubii,
Abrotani,
Verbenæ an. M. II.
Capillorum Veneris,
Polytrichi an. M. I.
Lupinorum & fabarum integrarum an. ℥ I.
Fol. Rorismarini M. II. Contusa & concisa decoquantur in lixivio ex cineribus marrubii & abrotani confecto, quo jejuno ventriculo lavetur caput, pilorum reliquiis prius novacula abrasis. Capite post lotionem probè siccato, inungatur oleo laurino in quo abrotani herba viridis & contusa est decocta, & cui cinis muscarum aut vesparum est admixtus: vel inungatur caput pinguedine ursi, aut sequenti unguento.

Linimentum ad generandos capillos.

Vnguentum aliud.

℞. Pinguedinis ursi, olei laurini, olei nucum juglandium, aut ejus loco olei amygdalarum amararum an. ℥ s. olei è granis juniperi ʒ s. mellis virginei ʒ III. Misceantur, eisque admisceantur pul. nucum avellanarum ustarum, abrotani adusti an. ʒ I. Cineris pilorum hominis ʒ s. ladani ʒ I. s. Misceantur, fiat unguentum.

In pituitosa materia quæ conveniant.

Si lenta & crassa pituita hæret in subjectis partibus cutis capitis, quod ex candore cutis dignoscitur, sequenti linimento caput est inungendum.

℞. Ol. laurini,
De euphorbio an. ℥ s.
Ex granis juniperi ʒ I.
Pul. Euphorbii,
Myrrhæ an. ʒ I.
Ladani,
Cineris abrotani an. ʒ s.
Mellis virginei ʒ II.

In morbo Gallico.

Fiat linimentum. Si ex morbo Gallico defluunt pili, præstat præscriptis unguentis admiscere argenti vivi in saliva hominis jejuni extincti ℥ s.

Aqua mellis.

In omni autem capillorum defluvio glabrum locum frequenter illinire prodest aqua ex melle chymica arte destillata. Similiter pilos succrescere facit pisorum contritorum in pulveremque redactorum farina cum melle virgineo instar linimenti temperata, & loco glabro inuncta.

Farina pisorum.

3. *Capillorum Luxuries quid, quibus ex causis provenit, & quibus remediis auferenda est?*

Decens capillorum, & in capite, & in genis, & in superciliis, moderatusque proventus datus est hominibus à natura, non tantum utilitatis, sed & ornamenti causa. Verum ubi vel in sexu non convenienti, vel in loco pilis à natum minimè destinato, suffruticant pili, ut barba in mulierculis, & crinium luxuries in virginum frontibus, non levem inferunt deformitatem, præterquam quod nullus sit usus eorum.

Gal. l. 11. de usu part. c. 14.

Pilorum luxuries quæ propriè curanda.

Proveniunt autem pili cum capitis tum aliarum partium, Galeno lib. 2. cap. 10. & 11. de temperamentis teste, ex crassioribus fuliginosisque humorum vaporibus per angusta cutis spiracula prodeuntibus, qui propulsi primum impacti poris inhærent, in transitu vero alii rursum è profundo sublati, priores feriunt & impellunt, tum hos rursum alii, qui subinde conjuncti ex pororum angustia corpus pilorum consequuntur.

Generatio pilorum.

Medicamenta pilos è locis non convenientibus extirpantia comprobata unum atque alterum subjungemus.

Psilothra.

℞. Calcis vivæ ℥ II. Extinguantur in acerrimo lixivio q. s. Hujus lixivii colati ℞. ℥ XV. Cui admisce pul. alterius calcis vivæ, auripigmenti, arsenici an. ℥ s. Ebulliant simul quousque penna intincta plumas suas amittat, fiat linimentum, quod in balneo, ubi pori prius per lotionem aquæ calidæ fuerint dilatati, loco depilando inungatur, & post quadrantem horæ, aut paulo longiori spacio, ubi pili in universum radicitus sunt extirpati, rursum abluatur locus, inungaturque oleo rosaceo.

Primum.

Modus usurpandi.

Aliud linimentum.

℞. Albumina ovorum recentium conquassata n. IIII.

Secundum.

Calcis

Chymici horum loco utuntur sublimato vel ol. auripigmenti.

Calcis vivæ ℥ III. auripigmenti ℥ I. Conterenda conterantur & commiſceantur, quibus adde tantum lixivii acris, ut pultis craſſioris formam recipiat, fiatque unguentum, quo partes piloſæ optimè lotæ cum aqua calida, penna aliqua inungantur, & poſt quadrantem horæ rurſum eluatur unguentum aqua calida, & ſtatim pili decident. Quod ſi vero reliquæ adhuc hæreant, rurſus locus inungi poteſt ac poſt ablutionem oleo roſaceo aut violaceo inungatur locus depilatus. Et quanquam difficulter prohiberi poteſt, ne pili eradicati renaſcantur, cum ex ipſis mortuorum calvis in aëre collocatis, donec humidum ineſt radicale, pili protrudantur: tamen ſi præſcriptis remediis luna deficiente utamur, ac poſtea ſequenti unguento locum depilatum frequenter inungamus, aut nunquam aut certè tardius renaſcuntur pili.

Remedia prohibentia ne pili renaſcantur.

Vnguentum locum glabrum ſervans.

℞. Oſſium olivarum combuſtorum,
corticum fabarum ſiccarum,
Sem. hyoſcyami, lithargyri, oſſis ſepiæ **Fiſchbein** ſæpius combuſti,
Opii an. ʒ I.

Auripigmenti ʒ I. Redigantur in pulverem omnia, quibus adfundatur olei roſacei tantum ut 4. digitos emineat, deinde coquantur ſimul, ſubinde commiſcendo per horam integram: quod ubi refrixit, coletur oleum, eique addantur ſucci chelidoniæ ℥ III. quod unguentum per aliquod noctes exceptum panno, loco depilato applicabis.

4. *Capillorum Eroſio quid, quæ ejus cauſa, & quibus remediis curanda?*

Eroſio pilorum.

Eroduntur ac deformantur pili cum capitis tum barbæ à tineis, non ſecus ac panni & veſtimenta, & deformitatem inferunt.

Cauſa.

Cauſæ eroſionis pilorum ſunt unctuoſæ ſordes pilis inhærentes.

Curatio perficitur crebra lotione cum acri lixivio, in quo decoctæ ſunt ſequentes herbæ.

Lixivium pro eroſione pilorum

℞. Rad. Oxylapati,
Flo. Abſinthii,
Chamæmeli an. M. I.
Sem. Colocynthidos, ʒ II.
Fænu Græci ℥ s.

à tineis.

Contuſa & conciſa in lineoque ſacculo conſuta decoquantur in lixivio aut confricentur pili frequenter pulpa colocynthidos. Ita enim decidunt & extinguuntur tineæ ac vermiculi.

Remedia rigidos pilos emollientia.

Hic non incommodè inſeri poſſunt pharmaca quæ craſſos rigidoſque pilos extenuant molleſque reddunt, quæ omnia debent eſſe exterſoriæ facultatis, veluti ſunt ſequentia.

Lixivium.

℞. Fabarum,
Hordei,
Ervi, **Wicken** an. ℥ I.

Rad. hellebori nigri, bryoniæ, ariſtolochiæ rotundæ an. ℥ I. Contuſa decoquantur in lixivio, quo crebro craſſi pili abluantur, ac tandem ſequenti linimento inungatur ac confricentur.

Linimentum.

♃. Nitri uſti, pumicis uſti, calcis teſtarum oſtracearum marinarum an. ʒ I. oſſis ſepiæ ʒ s. Ol. ex granis juniperi ʒ I. Aq. lavendulæ q. s. Fiat linimentum, quod ubi exiccatum duriuſculum redditur, rurſum recenti aqua lavendulæ humectetur & in linimenti formam redigatur.

Coſmetica remedia unde petenda.

Reliqua remediorum coſmeticorum genera, quibus capillis flavum, aureum, alioſque colores inducere poſſumus, quorum hoc loco mentio erat facienda, ex aliis Medicorum monumentis, potiſſimum autem ex Alexii Pedemontani ſecretorum commentariis, & Johannis Baptiſtæ Portæ magia naturali ac antidotario ſpeciali Weckeri petenda erunt.

5. *Porrigo ſeu furfures quid, quæ ejus cauſa, & quibus remediis curanda?*

Porrigo quid.

Πιτυρίασις, porrigo ſeu furfures quibuſdam, caput ſcalpentibus furfuribus ſimiles ſquamulæ ex capitis cute ſine ulla exulceratione decidunt, quas furfures vocant.

Cauſa.

Cauſæ porriginis ſunt vitioſi ac feroſi humores ex nitroſa pituita, bileque flava aduſta, ſub cute cranei collecti.

Curatio.

Curatur hoc ſymptoma bona victus ratione & medicamentorum ſequentium uſurpatione.

Victus

Victus ratio ex curatione capitis dolorum à vitiosis humoribus ortorum, huc referenda erit.

Humorum quoque vitiosorum (quorum species ex colore cutis capitis dignosci possunt: albus enim pituitæ, flavus vero flavæ bilis vitiosæ copiam ostendit) remedia tum concoquentia tum evacuantia ex curatione cephalalgiæ huc accommodari possunt. Humoribus autem vitiosis purgatis sequentibus topicis remediis commode uti possumus.

Lixivium ad porriginem.

♃. Chelidoniæ viridis cum radicibus M. II.
Rad. althææ M. I. baccarum lauri, lupinorum an. ℥ s.

Contusa & concisa coquantur in lixivio acerrimo & percolentur, quo caput crebro lavetur. Post lotionem vero cutisque exiccationem confricetur capitis cutis amygdalis amaris cum pauxillo aceti contusis, aut sequenti linimento inungatur.

Linimentum.

♃. Sem. staphidis agriæ coriandri præparati an. ʒ I.
Vitrioli Romani,
Sulphuris vivi an. ℈ I.
Helleb. nigri ʒ s.
Lithargyri ʒ I. omnibus pulveratis cum ℥ I. s. olei rosacei commisceantur, fiat linimentum. (Potest etiam curari sola chelidonia decocta in lixivio.)

6. *Achores seu ulcera scabiesque cutis capitis quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus remediis curanda?*

Achores quid.

Ἀχῶρες Latinis ulcera capitis madida, sunt scabies seu exigua tubercula in capitis cute excitata, sub quibus humor acris & erodens continetur, qui ad scalpendum pruriendumque caput excitat, cutemque tenuissimis foraminibus post pruritum perforat & erodit, eamque humore lento complet.

Causa.

Causa hujusmodi exulcerationis est vitiosus, tenuis & erodens humor, lentorem exiguum in se continens, qui ut plurimum ex salsa nitrosaque pituita & bile flava commixtis & sub cute capitis coacervatis originem ducit, suaque acrimonia ad scalpendum hominem impellit, ex cujus pruritu foramina exilia cuti infert, glutinosa humiditate repleta.

Signa.

Signa vitiosi humoris speciem indicantia sunt: Humor manans è foraminibus nimium tenuis bilem flavam, paulo autem glutinosior sanieique similis pituitam vitiosam, & in toto corpore & in subcutaneis partibus ostendit.

Curatio.

Curatur hoc malum victus ratione & medicamentorum administratione.

Diæta.

In victus ratione vitanda sunt omnia acria, salsa & nimium excalefacientia, omnia denique esculenta & potulenta glutinosum sanguinem generantia.

Curandi ratio ab humoris vitiosi cum ex toto corpore, tum maximè ex capite evacuatione auspicanda erit. Medicamentorum vero copiam, quæ hæc præstare possunt, curationes cephalalgiæ superius annotatæ suppeditabunt, inter quæ præstantissimæ sunt subsequentes pillulæ.

Pillulæ.

♃. Mas. pil. aurearum, cochiarum, aggregativarum an. ℈ I. Ex quibus contusis formentur pil. 27. quæ deglutiantur cum aliquo liquore circa mediam noctem, deinde adhibeatur & purgatio particularis cerebri, quam commodè efficiet gargarismus ex pyrethro & seminibus erucæ confectus, cujus descriptionem aliquoties in superioribus tradidimus. Tandem topica remedia capiti sunt applicanda, inter quæ primum obtinet locum sequens lotio sive lixivium.

Gargarismus.

Lixivium pro lotione capitis.

♃. Fol Rubi,
Plantaginis,
Polygoni,
Salicis an. M. I.
Rad. Bryoniæ,
Tormentillæ an. ℥ I.
Baccarum lauri,
Myrtillorum,
Lupinorum an. ℥ s.

Concisa & contusa coquantur in q. s. lixivii, quo caput subinde lavetur & desiccatum sequenti inungatur linimento.

Linimentum.

℞. Pul. Fol. salicis ʒ I.
Pompholigis, nihil albi vocati,

Lithar-

Lithargyrii, lapidis calaminaris an. ʒ s.
Oxymellis simpl. ℥ I. Misceantur, fiat linimentum. Aut si validius desideratur medicamen, ad ἀχῶρας,

Aliud validius. ℞. Fæcis vini adustæ, calcis vivæ, vitrioli an. p. æ. quæ minutissimè contrita, aceto commisceantur instar linimenti. Præsentissimum quoque remedium ad sanandos ἀχῶρας est oleum vitrioli ulceribus illitum: aut

℞. Fæcis vini adustæ & in calcem redactæ, arsenici an. ʒ. I.
Sulphuris vivi ʒ II. hydrargyri in saliva jejuni hominis mortificati ʒ I.s. olei laurini ℥ I. Fiat unguentum, quo illinatur scabies. Galenus lib. I. κατὰ τόπους scribit se sequenti linimento paratu facili ἀχῶρας curasse.

Galeni experimentum. ℞. Cineris chartularum lusoriarum ʒ II. diluantur cum aceto acerrimo & in formam linimenti redigantur, quo caput frequenter inungatur. *Euporiston.* Tenuioris fortunæ homines ἀχῶρας & scabiem capitis solorum pisorum & mellis æ. p. jejuno ore commasticatis & ulceribus capitis inunctis facilimè curare possunt.

Si achoribus vel ex inunctione vel alias inflammatio accidat, caput oleo rosaceo aut linimento ex pompholige & aqua rosacea confecto, inungendum erit.

7. *Pediculatio quid, quæ ejus causæ, & quibus remediis curanda?*

Pediculatio quid. Φθειρίασις, Latinis pediculatio, est pediculorum acervatim proventus, qui ut plurimum in sordidis capitibus generantur.

Causæ. Causæ generationis pediculorum sunt putridi sudores & humores corrupti ac tepidi in profundis cutis poris ac meatibus collecti. Sicut enim ex sordidis corruptisque humoribus per superficiem cutis sparsis furfures: ita ex iisdem humoribus altius in cute hærentibus, pediculi generantur.

Curatio. Curatur hoc malum topicis remediis tepidos humores elicientibus, abstergentibus & exsiccantibus, qualia hæc sequentia sunt.

Lixivium. ℞. Baccarum lauri,
Sem. staphidisagriæ an. ℥ I.
Fol. parietariæ,
Hederæ arboreæ an. M. I.

Concisa & contusa coquantur in acri lixivio, quo frequenter caput lavetur. Post pilorum autem exsiccationem sequenti unguentio bis in die inungatur caput.

Vnguentum. ℞. Sem. staphidisagriæ ʒ II.
Hellebori albi,
Baccarum lauri an. ʒ I.
Salis armeniaci ʒ s.
Argenti vivi in saliva mortificati ℥ s.
Ol. laurini ℥ II. Omnia probe in mortario contusa misceantur, & fiat unguentum.

Experimentum. Panno, quo aurifabri vasa deaurata extergere solent, si caput confricetur, statim pediculos enecat.

8. *Vulnus capitis quid, & quomodo curandum?*

Capitis vulnus & cranei fractura ad chirurgiam, tertiam θεραπευτικῆς partem pertinent. Ne quid autem in affectionibus capitis prætermisse videamur, placuit hoc loco quædam de curatione vulneris capitis commemorare.

Dicitur autem propriè vulnus solutio continuitatis cutis, carnosarumque partium, extrinsecus videntur inflicta, & non à putrefactione aut interna causa oborta, quæ non vulnus sed ulcus nominatur.

Quæ vulnera lethalia. Porro notandum est, vulnera partium principalium, iisdemque subservientium, veluti cordis, cerebri & panniculorum ejus, epatis circa cavam portæque venam inflicta, item diaphragmatis, ventriculi, œsophagi, asperæ arteriæ, pulmonum, vesicæ, lienis, renum, & gracilium intestinorum, ex necessitate lethalia esse, quin & musculorum capitis vulnera, quæ prope tempora infliguntur, ut plurimum mortifera sunt; item vulnera quibus spasmus seu convulsio supervenit, plerumque mortalia sunt teste Hippocrate.

In curandis vulneribus 4. observanda. In curandis autem vulneribus, non tantum capitis, sed & aliarum partium in genere quatuor intentiones sunt observandæ.

Mundatio. Primùm ut extrinsecus incidentia & vulnerum cavitati inhærentia, veluti sunt grumi sanguinis, ossis particulæ, &c. leniter removeantur & abstergantur.

Consutio. Secundò ut vulnerum extrema labra ab invicem hiantia, vel artificiosè consuendo, vel ligatione vel conglutinantibus remediis rursum contrahantur.

Hæmorrhagiæ cohibitio. Tertiò ut eruptio sanguinis vehemens cohibeatur.

Symptomatum præcautio. Quartò ut symptomata gravia à vulneratis partibus arceantur, veluti sunt dolor, tumor & inflammatio.

Hæ chirurgicæ intentiones partim digitorum, partim instrumentorum, partim medicamentorum convenientium applicatione peraguntur. In curando itaque vulnere difficili ac gravi, sive id sit in capite, sive in aliis partibus diligenter providendum est; primum ne alvus sit adstricta: deinde omnium primum post abstersionem vulneri inhærentium sanguinis profusio impetuosa est restringenda, vulnusque, si labra nimium hient, consuendum. *Sanguinem cohibentia.* Restringitur autem sanguinis eruptio in leviusculis vulneribus solius telæ aranearum mundæ impositione: aut cohiberi potest ovorum albuminibus conquassatis & leni stupa exceptis vulnerique impositis: *Defensivum.* quod medicamentum & sanguinem restringit & dolorem sedat, & inflammationem prohibet. *Vulnera majora ut curanda.* In majoribus vulneribus labia vulnerum primum sunt consuenda, deinde sequens remedium vulneri applicandum.

Pulvis restrictivus Blutstillunge Chirurgis.

℞. Farinæ fabarum, farinæ lentium, farinæ volatilis an. ʒ I. s.
Sanguinis draconis,
Thuris an. ʒ I.
Myrrhæ,
Aloës an. ℈ II.
Terræ sigillatæ,
Gypsi an. ʒ s.
Pilorum leporis minutissimè incisorum, telæ aranearum incisæ an. ʒ II.
Spongiæ arefactæ & in pulverem contritæ ʒ s.
Corallorum rubeorum, trium sandalorum an. ℈ I.

Tragacanti ʒ s. fiat pulvis tenuissimus, cujus aliqua pars vulneri inspergatur, uncia vero una cum ovorum albuminibus instar linimenti mixta & cum stupa leni excepta vulneri imponatur, nec ab eo ante diem tertium removeatur. *Videatur Galen. l. 5. meth. med. c. 4.* Postea vero abluatur vulnus vino rubeo in quo incoctæ sunt rosæ rubeæ & veronica herba. Ac tandem sequenti emplastro tota conficiatur curatio.

Emplastrum ad vulnera.

℞. Myrrhæ,
Aloës an. ℥ s.
Thuris,
Masticis an. ʒ II.
Ceræ ℥ II.
Terebintinæ ℥ s. Cera & terebintina resolutis, admisceantur rerum præscriptarum pulveres & redigatur in emplastri formam, quo vulnus singulis diebus bis deligetur.

Aut curetur vulnus emplastro de minio, aut emplastro tetrapharmaco. Ante deligationem semper vulnus à pure & sordibus abstergendo & vino rubeo paulò ante commemorato abluendo.

Pulvis sequens si vulneri inspergatur, & emplastrum de minio vulneri impositum, felicissimè curare potest.

Pulvis rubeus ad vulnera.

℞. Boli armeni,
Terræ sigillatæ an. ʒ III.
Thuris,
Mastichis,
Sarcocollæ an. ℈ IIII.
Draganti,
Sanguinis draconis an. ʒ s.
Farinæ hordei,
Fabarum an. ℈ I.
Misceantur fiat pulvis rubeus.

In difficilioribus vulneribus sive capitis sive aliarum partium utilissimè exhiberi solet potio sequens vulneraria.

Potio vulneraria.

℞. Rad. Rubeæ ℥ I.
Vincetoxici,
Tanaceti,
Herbæ Ruperti (quæ species est geranii klein Storcken Schnabel)
Brassicæ rubeæ an. M. I.

Rad.

Rad. consolidæ majoris,
Pimpinellæ,
Cariophillatæ an. ℥ s.
Cynoglossæ M. s. Contusa & concisa coquantur in duplici vase cum lib. IIII. vini, additis ℥ II. mellis, fiat potio, de qua bibat vulneratus jejuno ventriculo ℥ IIII.

Symptomata præcipua vulnerum. Symptomata præcipua quæ vulneribus accidere solent, præsertim majoribus, sunt dolor, inflammatio, puris tarditas, vulneris lividitas, febris, convulsio, paralysis, syncope, carnis excrescentia.

Dolor. Dolor sedatur ac mitigatur oleo rosaceo cum albuminibus ovorum conquassato & vulneri cum stupa imposito: aut herba solatri cum axungia porcina contusa, item medulla panis in lacte calefacto macerata & vulneri imposita.

Inflammationem arcentia. Inflammationem vulnerum aufert cataplasma ex plantagine & rosis cum axungia porcina contusis impositum: aut illitio unguenti albi ex cerussa.

Tumorem tollentia. Tumor vulneris subsidet, si mala punica in vino cocta & contusa instar cataplasmatis vulneri imponantur.

Pus, quod in vulnere salutare signum est, si tardius proveniat, sequens cataplasma generare poterit.

Cataplasma suppuratorium. ℞. Fol. Maluæ,
Flo. Absynthii,
Arthemisiæ,
Farinæ triticiæ,
Flor. chamæmeli an. M. I. Coquantur in vino ad mollitiem, contundantur, eisque mellis ℥ I. & axungiæ porcinæ ℥ II. admisceantur, fiat cataplasma.

Pruritum sedantia. Pruritum in vulnere capitis sedat unguentum populeum, pauxillo aceto rosaceo commixtum & parti prurienti illitum.

Lividitatis vulneris remedia. Lividitas vulneris est signum refrigerationis, tonsores vocant das kalte Fewr. Loca livida primum tepido vino fovenda ac tandem emplastrum basilicon vocatum vulneri impositum & sanat & colorem nativum vulneri restituit.

Febris vulneri superveniens die Febris incidens in magnis vulneribus capitis, non caret periculo, cujus curationem suo loco proposituri sumus.

Spasmus seu convulsio in vulneribus capitis, teste Hippocrate aph. 2. l. 5. est pessimum signum. Oboritur autem spasmus à vulnere aut ex plenitudine aut ex inanitione, cujus curandi rationem pro causæ varietate supra tradidimus. *Wuntsucht.*

Paralysis remedia. Paralyseos curationem quæ in magnis capitis vulneribus incidit supra tradidimus. Fœlicissimè verò curatur liquore balsami, cujus descriptionem habet Mesue: aut oleo ex granis juniperi chymica arte confecto, si eo cervix & spina dorsi parsque paralysi affecta inungatur.

Syncope vulneratorum ut curanda. In syncopen ubi inciderit vulneratus statim circumstans turba è conclavi abigenda erit, & æger in aërem frigidum deducendus, & ei buccella panis in vino cretico aut generoso alio imbuta sugenda est offerenda, faciesque aqua rosacea aut frigida conspergenda, naribus acetum vel rosaceum vel aliud acre admovendum, naresque & aures vellicandæ, propriumque nomen alta voce acclamandum.

Excrescentia carnosa remedia. Ὑπερσάρκωσις id est carnis in vulnere excrescentia, insperso pulvere vel vitrioli adusti, vel hermodactylorum radice, vel calce viva, vel unguento viridi illito facile tollitur.

9. *Cranei fractura quid, quæ ejus causa, quæ prognostica signa, & qua ratione curanda?*

Fractura quid. Quemadmodum solutio unionis in cute & partibus carnosis vulnus, ita solutio continui in ossibus dicitur fractura, Græcis κάταγμα, ubi videlicet ossa in aliqua corporis parte aut præscinduntur, aut contunduntur, aut confringuntur.

Prognosis. Cranei fractura, si ad subjectam membranam pertingat, difficilis curationis est & plena periculi. Nisi enim maturè diligentissima curatio adhibeatur, sevissima symptomata, veluti sunt apoplexia, epilepsia, convulsio, mentis alienatio, ardens febris, & mortem ipsam comitem habebit.

Causa. Causæ fracturam cranei interiores nullæ sunt. Externæ vero sunt omnia ea quæ

calvam vel dividere ſcindendo, vel contundere ſua gravitate, vel conterere, frangereque poſſunt, ut ſunt, capitis violenta vulneratio, contuſio, & caſus à loco præcipiti.

Signa prognoſtica. Fractura cranei qua lethalis. Signa prognoſtica in calvæ fractura peſſima & lethalia quidem ſunt, ſi oſſe confracto remoto, ſubjecta dura menynx immobilis eſſe deprehendatur, & nigra, aut livida colore, aut ſi acriter vomat æger, ſi paralyſi, mentis alienatione, apoplexia, aut epilepſia ſubito corripiatur, aut ſi maxillæ & cervix moveri nequeant. *Bona & ſalutaria ſigna.* Spem autem ſalutis promittunt ſigna contraria, videlicet duræ menyngis pulſatio & inculpati coloris, ac in maſticando facilis motus maxillarum, cervicisque libera commotio.

Curatio. Quantum ad curationem attinet, ſciendum eſt, oſſa capitis perfracta aut prorſus ab invicem eſſe devulſa, aut aliis partibus calvæ adhuc cohærentia, deorſum tamen compreſſa, in cujus curatione quatuor ſcopi diligenter ſunt obſervandi.

4. in curatione fracturæ obſervanda. I. Videndum utrum os perfractum ſolutum ſit ab aliis oſſibus, vel ſit ruptio quædam inſtar filamenti tantum.

II. Utrum os confractum uſque ad membranam duram cerebri ſit impreſſum.

III. Utrum per rimulam rupturæ aliquid ſanguinis ad membranam defluxerit.

IV. Quomodo ſymptomatibus incidentibus ſit occurrendum.

Oſſa eximenda. Primo itaque in fractura cranei cum vulnere cutis exiſtente, ſi oſſa ſunt à toto devulſa & membranam duram pungentia, ſtatim pilis prius deraſis, & ſanguine vino calido eluto, ſunt eximenda, & ſequentibus remediis curatio perficienda. *Fractura cæca abſque cutis læſione ut curanda.* Verum longè difficilior eſt curatio, ſi fractura cæca, rupturaque latens ſine cutis vulnere extiterit, & tum maxime periculoſa, ſi vel ſanguis per rimam fracturæ ad duram menyngem defluxerit, aut oſſicula pungentia ad eam impreſſa decumbant. *Cutis aperienda.* In hujuſmodi caſu abraſis pilis, mox circa fracturam, cutis capitis novacula inſtar crucis eſt diſcindenda, & à craneo fracto vel inſtrumentis vel unguibus revellenda ac ſeparanda, quo & qualitas & quantitas fracturæ commodius dignoſci queat. *Trepani uſus.* Ubi itaque ablata cute una pars oſſis fracti toto adhuc adhærentis in membranam ſuppreſſa incubat, aut etiam ubi per rimam inter os & membranam ſanguinis quippiam influxiſſe ſuſpicio eſt, ſtatim os ſuppreſſum terebello chirurgico calvariæ denſitatem non penetrante perforandum eſt, ac ſurſum trahendum circumjacentibusque partibus coæquandum: ſed ſi ſanguinis colluvies ſub fractura contineatur, præſtat craneum fractum circa rimulam, roſorio inſtrumento uſque ad duram menyngem abradere, & grumos ſanguinis argentea virgula, cujus apici ſyndo eſt involuta in oleo roſaceo calido madefacta, extrahere ac mundificare. *Mundificatio.* Facilius enim eſt ac tutius, vulneris cutis & cranei ablati curatio, quam oſſis in membranam duram impreſſi, aut ſaniei putreſcentis inter craneum & membranam neglectus: Utrumque enim hominem in præſentiſſimum vitæ periculum conjicit. Vulnus enim cutis facile curatur & craneum ablatum per impoſitionem teſtæ, exiccatæ cucurbitæ, aut ſola cute obducto loco vacuo, reſtitui ſanitati poteſt. *Cautio ne ſuturæ ſecentur.* Cavendum tamen quantum fieri poteſt, ne abraſio oſſis præſertim magni prope ſuturas inſtituatur, ne dura menynx laxetur. *Cerebrum apertum ut muniendum.* His ritè peractis ſub os fractum duræ membranæ imponatur ſyndo lenis in mello roſaceo calido imbuta, cui imponatur licinium molle ex lineis faſciis corraſum in oleo roſaceo tepido madefactum, huic rurſum alia licinia majora linimento ex vitellis ovorum oleo roſaceo & pauxillo croci confecto imbuta. *Defenſivum.* Interim tamen ſi ſanguis vehementius ex vulnere cutis profluat, pulvis rubeus reſtringens, paulo ante in capitis vulnere præſcriptus cum leporum pilis & candidis ovorum exceptis, imponendus erit: Ac poſtea toti vulneri emplaſtrum vel unguentum baſylicon capitale ſupra licinia imponi debet, cujus emplaſtri deſcriptio hæc eſt.

Emplaſtrum ca-

℞. Ol. roſarum ℥ III.
Ol. maſticis ℥ I.

Pin-

...itale Basilicum.

Pinguedinum recentium, vitulinæ, porcinæ an. ℥ II.
Vini lib. II.
Herb. virid. Betonicæ,
Plantaginis,
Matrisylviæ,
Pimpinellæ,
Rorismarini an. M. s.

Contusa macerentur simul per noctem, ac deinde concoquantur ad vini absumptionem, colatæque pinguedini admisceantur Pul. Masticis,
Gummi elemi,
Resinæ pini,
Lithargyri an. ℥ s. Rursum simul coquantur, donec subnigrum acquirat colorem semper agitando; tandem addantur
Terebintinæ claræ ℥ II.

Ceræ albæ q. s. Fiat emplastrum quo universa curatio cranei fracti fœliciter perfici potest. Idem præstat emplastrum de minio. Emplastro præscripto vulneri imposito, circumjacentes proximè partes sequenti linimento defensivo, dolorem sedativo, tumorem & inflammationem prohibente, illiniri debet.

Linimentum defensivum.

℞. Ol. rosarum ℥ I.
Ceræ albæ parum, fiat linimentum, cui admisce boli armenti tenuissimè pulverati ʒ I. quo inunge loca circumjacentia.

Abstergentia & mundificantia.

Post quartum diem ab ossis contusi remotione aut suppressi alteratione, licinia, quæ duræ menyngi imponuntur, imbuenda sunt oleo hypericonis aut melle rosaceo colato. Abstergit enim mel rosaceum & mundificat vulnus à sanie, & resolvit sanguinis grumos menyngi inhærentes. Aut imponatur vulneri sequens mundificativum.

Mundificativum linimentum.

℞. Terpentinæ claræ ℥ I.
Ol. rosarum ℥ s.
Mellis rosati colati ʒ III.
Croci ℈ s.
Vini optimi ℥ IIII. Sem. Hypericonis contritorum ℥ s. Bulliant simul ad vini absumptionem, colentur, & cum liciniis excepta duræ menyngi denudatæ imponantur tepida.

Nono tandem transacto die eluatur vulnus ac nudata membrana sequenti decoctione.

Elotio menyngum denudatarum.

♃. Rosarum rubearum,
Myrtillorum,
Absynthii an. M. S.
Balaustiorum P. I.
Nucum cypressi n. v.
Flor. rorismarini, hypericonis, rubeæ tinctorum an. M. S. contusa coquantur in vini rubei lib. III. ad medias colentur, colato jusculo admisceatur mellis rosacei ℥ I. quo abluatur vulnus tepidè.

Ubi tandem fractura cranei & subjecta membrana sufficienter fuerit mundata, & jamjam incipit membrana cum craneo coalescere, syndonis particula quam menyngi imponendam supra diximus, rursum eximatur, & cum præscriptis medicamentis, utque ad menyngis cum craneo conglutinationem, & cranei carne & cute obductionem tota curatio perficiatur.

Symptomata fracturæ cranei.

Symptomata in cranei fractura incidere solent, ruptio, seu vulnus duræ menyngis, nigredo ejusdem membranæ, callus duritiesque ac tumor duræ membranæ, carnis succrescentia in ipso vulnere, fungi item cerebri præterea convulsio, epilepsia & apoplexia, quæ hisce remediis profliganda sunt.

Ruptio seu vulnus duræ menyngis quod à fractis officulis, eidemque incumbentibus accidit, consolidatur sequenti pulvere.

Pulvis ad menynges cerebri consolidandas.

♃. Colophonii ʒ I. s.
Myrrhæ, masticis, aloës an. ʒ s.
Croci, sarcocollæ an. ℈ I. Tenuissimè pulverata misceantur ac vulneratæ membranæ inspergantur.

Nigredo duræ menyngis illitione mellis rosacei aufertur, quod si eo non removetur, est lethalis, & à curatione abstinendum.

Callus duritiesque & tumor menyngis, qui ut plurimum à frigido aëre contingit, emolliri potest sequenti cataplasmate.

Cataplasma ad callosum menyngum tumorem.

℞. Pul. Rad. althææ, sem. lini an. ℥ s.
Flor. chamæmeli, meliloti an. M I.
Rosarum rubearum M. S. coquantur

in q. s. aquæ ad pultis formam, quibus admiſceantur farinæ hordei quantum ad craſſitiem ſufficit, olei roſarum, chamæmeli an. ℥ I. vitellorum ovorum n. II. croci ℈ I. fiat cataplaſma, quod tepidum applicetur.

Carnis excreſcentia remedia. Carnis ſuccreſcentia inſperſione pulveris aluminis uſti, aut hermodactilorum removeri poteſt.

Reliquorum ſymptomatum, convulſionis, epilepſiæ, apoplexiæ &c. curationes in ſuperioribus, & in vulnere capitis tradidimus.

PRACTICÆ FRANCISCI JOELIS LIBER SECUNDUS,

DE MORBIS ORGANORUM SENSILIUM, RELIQUARUMQUE IIS ADHÆRENTIUM PARTIUM CURANDIS.

I. *Quæ ſunt ſenſuum organa & aliæ partes in capite contentæ?*

Capiti inhærent & connexæ ſunt ſequentes particulæ:

OCULI, AURES, NARES, OS, LINGUA, FAUCES, TONSILLÆ, GURGULIO, COLLUM,

Quarum morbos in ſequentibus curare docemus.

SECTIO I. DE OCULORUM AFFECTIBUS.

I. *Oculi quibus potiſſimum morbis afficiuntur?*

Oculorum nobilitas & præſtantia.



Nobiliſſima organa ſunt oculi, Platone atteſtante, qui in Timæo ita inquit, omnium rerum optimarum & totius naturalis philoſophiæ cognitionem nobis oculi attulerunt, &c. Conſtant autem oculi ex quatuor tunicis & tribus humoribus, veluti ſupra in explicatione partium demonſtravimus, quorum morbi præcipui ſunt: *Oculorum affectus.*

Ophthalmia,
Sugillatio,
Suffuſio,
Lachrymoſitas,
Exulceratio,
Cicatrix,
Puſtulæ,
Viſus obſcuritas,
Nocturna cæcitudo,
Oculorum procidentia, id eſt, ſtrabiſmus.

2. *Ophthal-*

2. Ophthalmia quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus remediis curanda?

Ophthalmia propriè quid. Ὀφθαλμία, lippitudo, (quamquam ὀφθαλμίας vox in genere pro omni affectione oculorum usurpatur) propriè apud Galenum tunicæ exterioris, quam ἐπιπεφυκὴν, id est, adnatam vocant, inflammationem significat. Est autem adnata exterior oculorum tunica à pericranio orta, & oculis obtensa, cui reliquæ tunicæ & totus oculus adnatus est, & cum ea ossibus circumjacentibus alligatus.

Causa. Causa inflammationis adnatæ προκαταρκτικὴ quidem est percussio violenta, προηγουμένη vero est sanguis biliosus & acris, de subcutaneis capitis partibus ad oculos irruens, qui vel sua acrimonia tunicam adnatam erodit, vel copia ac crassitie extendit, & inflammationem doloresque in ea excitat.

Signa. Signa externæ causæ ex relatione ægri agnoscuntur: signa vero adfluentis humōris tenuioris, sunt oculorum rubedo, dolor pruriens, & continuæ lachrymæ. Crassioris vero humoris affluentisque signa sunt, collectio sordium crassarum in oculorum angulis & mitior dolor.

Curatio. Curatio ophthalmiæ tribus instrumentis perficitur; victus ratione, venæ sectione, & remediorum convenienti usurpatione.

Vinum ophthalmicis noxium, licet Gal. com. aph. 31. l. 6. in dolore oculorum à crassis humoribus venulas obstruentibus concedat. Victus rationem oportet esse sobriam ac tenuem. Versetur itaque æger in aëre temperato subobscuro & minimè splendenti, vitet ventorum appulsum: utatur cibis moderatè refrigerantibus, veluti sunt cremor ptisanæ, pisculi squamati, ova sorbilia. Fugiat omnia calida & acria, ut sunt cæpæ, sinapi, piper. A vini potu prorsus abstineat, ac ejus loco aquam bibat hordei cum pauxillo cinamomi & passulis confectam.

Venæ sectio. Si ætas ferat, detrahatur sanguis ex vena humeraria quam cephalicam vocant, quin & cucurbitulas cervici applicare affluentemque sanguinem per eas avertere commodissimum erit.

Post sanguinis detractionem vitiosi humores ad oculos affluentes, sequenti potiuncula exturbari possunt.

Haustus purgans. ℞. Cort. myrobalanorum citrinorum ʒ II. Rhabarbari ʒ I.

Zinziberis albi ℈ I. Contusa macerentur per noctem, infere lactis caprini ℥ VI. ac tandem leniter ebulliant, expressaque colentur ac colato liquori admisceatur ℥ s. electuarii lenitivi, fiat haustus, qui tepidus exhibeatur sex horis ante prandium. Aut in eundem usum exhibeantur sequentes pillulæ.

Pillulæ oculares, ab oculis humores peccantes evacuantes. ♃. Mas. pil. aurearum, cochiarum an. ʒ s. formentur pillulæ cum aqua fæniculi n. 27. & inungantur pauxillo olei fæniculi, ac deglutiantur circa medium noctis.

Topica. Purgatis vitiosis humoribus, sequentibus topicis remediis inflammationi ac dolori succurrendum erit, & quidem à levioribus collyriis ad fortiora progrediendum erit: itaque

Collyrium lene. Saccharum Saturnicum aq. rosarum vel euphrasiæ Chymici utiliter usurpant. ♃. Lactis muliebris fæmellam lactantis, aquæ rosaceæ an. ℥ II. Camphoræ gr. IIII. Misceantur, fiat collyrium, quod mane ac vesperi lippientibus oculis instilletur, ac si quid noctu sordium in angulis oculorum collectum est, manè lana molli in eodem collyrio imbuta abstergere oportet. *Epithema refrigerans.* Noctu autem non abs re erit ovorum candida cum q. s. aquæ rosaceæ conquassata duplicatoque mundissimo linteolo excepta, instar epithematis applicare. Fortius autem agit sequens epithema.

Epithema adstringens, refrigerans & repellens. ♃. Succi rosarum rubearum, succi plantaginis, succi fol. salicis an. ℥ II.

Defæcentur misceanturque & fiat epithema oculis imponendum.

Si irruens in oculos humor vehementer tenuis & acris fuerit, tum prodest fronti sequens cataplasma applicare.

Defensivum fronti applicandum. ♃. Farinæ hordeaceæ M. I.
Boli armeniaci ℥ I.
Thuris, acaciæ, an. ʒ II.
Santali rubei,
Balaustiarum an. ʒ I.
Albuminum ovorum n. III.

Olei

Olei rosacei q.s. Commisceantur ac redigantur in formam cataplasmatis ac fronti applicentur.

In omni autem oculorum phlegmone utilissimè instillari potest sequens collyrium.

Collyrium ad oculorum inflammationem.

℞. Aquæ rosarum,
Fæniculi, Euphrasiæ an. ℥ II.
Pompholygis lotæ ʒ II. Misceantur, fiat collyrium: Aut

Collyrium anodynon. Cautè hoc adhibendum, facilè enim visui noxam infert. Aqua ophthalmica ex croco metallorum confecta commendatur à Quercetano.

℞. Draganti,
Gummi Arabici,
Amyli an. ʒ I.
Opii thebaici ʒ s. Contrita subtilissimè commisceantur cum lacte mulieris q. s. fiat collyrium, quod fortissimè agit, & omnem dolorem oculorum aufert: non tamen nisi summa urgente necessitate eo est utendum propter opii vim narcoticam. In extrema necessitate præstantissimum remedium est, sufflare oculis antimonii adusti pulvisculum, tenuissimè lævigatum.

3. *Vnguis in oculis quid, quæ ejus causa, quæ signa, & qua ratione curanda?*

Vnguis seu pterygium quid.

Πτερύγιον, unguis, **ein fell über dem Auge** est membranula nervosa, albicans, ex angulis oculorum prodiens, tunicæ adnatæ inhærens, & sese per oculum obtendens, totamque pupillam, si diutius increscat, tegens, visumque intercipiens.

Causa. Causa pterygii unica est πεοηγουμένη, videlicet humoris crassi ac lenti ex partibus inter craneum & cutem contentis ad oculos defluxus.

Signa. Signa membranulæ obductæ oculis manifesta sunt, conspicuè enim & visum paulatim obscurant ac postremo totum adimunt.

Prognostica. Porro incurabilis ferè est oculorum unguis ope remediorum, qui ad nigredinem usque processit & totam pupillam contexit. Sed curari tantum potest per artificiosam cum acu argentea à tunica adnata separationem & cum scalpello ablationem.

Vnguis quando chirurgia curandus vide Parei chirurg. l. 16. c. 14.

Remedia unguis adhuc recentis.

Pterygion vero recens & adhuc albicans sequentibus remediis facilè curabitur. Initio lenti crassique humores sequenti potione concoqui & extenuari debent.

Potio digestiva.

℞. Rad. Fæniculi,
Apii,
Petroselini,
Chelidoniæ,
Dauci cretici an. ℥ s.
Betonicæ,
Euphrasiæ an. M. s.
Sem. fæniculi,
Carvi an. ℥ s.

Contusa ac concisa macerentur per noctem in lib. IIII. hydromellis. Deinde in duplici vase sive in cantharo oblinito in lebetemque aqua plenam collocato coquantur simul per duas horas, colentur, colato liquori admisceantur oxymellis scillitici, syr. è stœchade, è betonica an. ʒ II. fiat potio de qua bibat æger per dies sex mane ac vesperi mensuram ℥ III. prius calefactam. Tandem purgetur caput à crassis humoribus sequentibus pillulis.

Pillulæ ab oculis crassos humores evacuantes.

℞. Mas. pil. sine quibus,
Lucis majoris,
Asajereth an. ℈ I.
Trochiscorum alhandali gr. III. cum aq. fæniculi formentur pillulæ n. 27. quas deglutiat æger cum aliquo liquore 6. horis ante prandium.

Deinceps præter topica remedia quæ sequuntur singulis diebus bis una ante prandium & cœnam hora, utatur æger sequenti pulvere, cerebrum & oculos, spiritusque visivos mirabiliter corrobante.

Pulvis ad corroborandum visum.

℞. Sem. sileris montani,
Cinamomi electi an. ʒ II.
Sem. fæniculi,
Anisi an. ℥ I.
Flo. rorismarini, euphrasiæ an. ʒ I. s.
Cubebarum,
Macis, cariophyll. granorum paradysi an. ʒ s.
Sacchari albissimi ℥ III. Misceantur optimè pulverata fiat tragæa, de qua sumat æger pro una vice ʒ II. per buccellam panis tosti & in aqua juniperi aut in vino generoso madefacti conspersas.

Topi-

Topica unguem absumentia.

Topica præcipua unguem oculorum absumentia hæc sunt.

Collyrium ad oculorum ungues.

Collyrium 1.

℞. Æruginis ʒ I. s.
Æris usti ʒ III.
Auripigmenti rubei, salis nitri an. ʒ s.
Salis armoniaci ℈ I.
Gummi armoniaci in succo rutæ soluti ʒ I.

Reliquis omnibus tenuissimè pulveratis commisceantur, & cum q. s. succi chelidoniæ, fiat collyrium, quod angulis oculorum singulis diebus bis inungatur.

Aliud.

Collyrium 2.

℞. Fellium lupi piscis,
Cyprini piscis Karpengalle /
Mellis rosacei an. ℥ I.
Aloës Hepaticæ, Saccari candi an. ʒ II.
Tutiæ præparatæ, camphoræ an. ℈ I.
Succi chelidoniæ ℥ II.
Aquarum fœniculi,
Verbenæ,
Euphrasiæ an. ℥ III.

Ex his ea quæ in pulverem redigi possunt, conterantur tenuissimè & liquoribus admisceantur, fiat collyrium.

Aliud.

Collyrium ad varias oculorum affectiones præstantissimum.

Simile fere Crollius describit in Basil. chymica, quod ophthalmicum vocat.

℞. Cadmiæ præparatæ id est ustæ & in vino extinctæ,
Tutiæ præparatæ an. ʒ s. Macis, champhoræ an. ℈ I.
Cariophillorum ʒ I.
Zinziberis, galangæ an. ʒ s.
Vitrioli albi, fellis vitri an. ʒ II.
Vini cretensis, seu malvatici lib. I.

Pulverisata commisceantur, & decoquantur in duplici vase, quod est præstantissimum collyrium, & ad ungues, & ad alias affectiones oculorum.

Præstat & sequentis pulvisculi momentum singulis diebus oculorum angulis indere.

Pulvis ocularis.

℞. Tutiæ præparatæ,
Antimonii calcinati,
Cerussæ lutæ, sarcocollæ ustæ an. ʒ I.
Amyli ʒ s.
Draganti usti, lycii an. ℈. I.
Coralli rubei præparati, ossium sepiæ, camphoræ an. ℈ I.
Viridis æris, vitrioli albi, fellis vitri an. ℈ I.
Fiat pulvis subtilissimus.

Lapis medicamentosus Crollii in aq. rosacea vel euphrasia solutus idem præstat.

4. *Sugillatio oculorum quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus remediis curanda?*

Sugillatio oculorum quid.

Ὑπόσφαγμα oculorum sugillationes sunt sanguinea puncta in aliqua parte exteriorum tunicarum, adnatæ videlicet & corneæ, apparentia, quæ & oculorum maculæ nominantur: quæ nisi remediis in tempore discutiantur, antequam sanguis in grumos condensetur, livescit, & visum magnopere obscurat, & alia gravia sympomata inducit, nonnunquam in pus transit, difficulterque curatur.

Causa.

Causæ sanguinolentarum macularum in oculis immediatæ sunt, venularum aut arteriarum, per exteriores tunicas oculorum conspersarum, ruptiones & apertiones, ex quibus sanguineæ guttę stillantes intra membranas effunduntur. Apertionis autem venarum προηγούμενον causa est redundantia sanguinis in oculis, venas extendens & rumpens: προκαταρκτικαὶ vero sunt violenta percussio aut contusio oculorum, aut asper & frigidus ventus in oculos apertos irruens & constringendo venulas rumpens.

Signa.

Signa sugillationis manifesta sunt & in conspicuo, oculus enim læsus cruentus esse videtur, deinde lividis aut nigris maculis conspersus. Præterea patienti omnia quæ conspicit corpora rubra apparent.

Curatio.

Curatio sugillationis statim in initio maturè est adhibenda. Si itaque venularum ruptio ex redundantia sanguinis, quod raro contingit, orta sit, statim venam primum quidem cephalicam, deinde & in angulis oculorum existentem secare convenit, & cucurbitulis cervici adfixis cum scarificatione sanguinem avertere convenit.

Vena sectio.

Cucurbitula.

Si autem ex procatarctica aliqua causa oborta sit sugillatio, confestim ad topica remedia confugiendum est: & primum quidem recenti adhuc existente malo, imbecilliora, inveterato autem fortiora sunt applicanda.

Fomentum pro oculis sugillatis. Initio itaque oculi sugillati fomententur liquore tepido, in quo flores meliloti & rosarum ac semina fænugræci sunt incocta; qui liquor molli spongia exceptus, oculis aliquandiu applicetur, ac tandem affecto oculo sequens collyrium inungatur.

Collyrium 1. ℞. Sanguinis ex alis columbarum expressi ʒ II.
Lactis mulieris temperatæ ℥ s. Misceantur, fiat collyrium, cui adjiciatur thuris in tenuissimum pulverem redacti ℈ I.

Collyrium 2. ag. lividas oculorum maculas. Fortius est, & ad lividas maculas discutiendas convenientius.

Ol. epatis galei fluviatilis Quappenleberohl est insigne remedium in hoc affectu.

℞. Succi herb. Chelidonii majoris, card. benedicti an. ℥ s.
Pinguedinis quæstulæ (Wachtel) avis liquefactæ ʒ II.
Pul. tenuissimi myrrhæ ℈ I. Misceantur, fiat collyrium.

Si inflammatio aut pruritus ad sugillationem accedant, albumina ovorum in spumam concussa ac tepida, mollique lana excepta oculis sunt applicanda.

Ubi vero sanguis inter tunicas collectus propter copiam in pus est conversus, dolorem acerbum excitare consuevit, qui hisce præsidiis mitigabitur; *Dolorem mitigantia epithemata.* In lacte recens mulso decoquantur semina Fænugræci & lini, addantur quoque, si adsit inflammatio, flores rosarum & folia solani, & lac tepidum spongia exceptum oculis apponatur. *Hypopyi remedia.* Pus autem commodè extenuari & evacuari potest collyrio ex mucagine fænugræci cum aqua fæniculi macerati & melle rosaceo p. æ. simul mixto & oculorum angulis illito.

5. Suffusio oculorum quid, quæ ejusdem causæ, quæ signa, & quomodo curanda?

Suffusio Ὑπόχυσις, oculorum suffusio, Avicennæ cataracta vocatur der Stär / & est humoris lenti vel in pupillam, vel inter Rhagoidem tunicam & crystallinum humorem collectio & concretio, qui spiritus visivos per pupillam prodire impedit: accidit hoc malum nunc utrique, nunc uni tantum oculo. *seu cataracta quid. Der Stär.*

Causæ. Causæ suffusionis προηγȣμέναι quidem sunt aut humor crassus ex cerebro per nervos opticos adfluens, aut vapor crassus ex ventriculo ad oculos delatus: προκαταρκτικαὶ vero sunt cibi evaporantes, intempestivæ lucubrationes, immoderata Venus.

Signa. Signa suffusionis primum incipientis sunt simulachra evanescentia parvorum culicum, muscarum, filamentorum, telarum aranearum, aliarumque rerum, aut caliginosarum aut lucentium, ob oculos versantium: Processu vero temporis humore magis magisque incrassescente, rerum visibilium species intercipiuntur, visusque fallitur, ita ut res vel mediæ tantum, vel minores, vel dissimiles, vel alieni coloris, quam verè sunt, conspiciantur.

Curatio. Curatio suffusionis recentis (inveterata enim discuti per medicamenta nequit) venæ sectione, victus ratione, & medicamentorum usurpatione perficitur.

Venæ sectioni quando locus. Venæ sectio & quidem cephalicæ, iis tantum est adhibenda, qui natura plenitudini sunt obnoxii, quibus cum oculi, tum tota facies rubet.

Diæta. Victus ratio debet esse moderatè calefaciens & exiccans. Cibis utatur boni succi & qui minimè evaporent, sed probè concoqui queant. *Condimenta ciborum.* Esculenta itaque condienda erunt zinzibere, cinamomo, macere, seminibus carvi, fæniculi & coriandrorum, foliisque majoranæ. In potu vero utatur hydromelle, vel decocto cinamomi. *Evaporantia vitanda.* Vitet vaporantia omnia, & pituitosum excrementum augentia, veluti sunt cibi crassi & concoctu difficiles humectantesque, ut lac, caseus, pisces, cæpæ & legumina: Fugiat & vini potionem, Venerem & balnea.

Post venæ sectionem crassi humores ex cerebro, & evaporantia excrementa ex ventricu-

triculo, per sequens clystera subducenda erunt.

Enema.

♃. Herb. Pulegii,
Betonicæ an. M. I.
Flo. Chamæmeli,
Absynthii,
Anethi an. M. s.
Sem. Fæniculi, carvi an. ℥ s.

Concisa & contusa coquantur in q. s. aquæ ad medias, colentur, colati liquoris accipe ℥ XIII. quibus admisce hieræ simpl. ℥ I. s. Agarici troch. ℥ I. Ol. chamæmeli ℥ III. Salis communis ʒ I. Commisceantur, fiat enema, quod tepidum jejuno existente ventriculo, recto intestino infundatur.

Tandem pituitosi cerebri humores sequenti potione extenuentur.

Potio præparans & digerens pituitam.

♃. Syr. è stechade, oxymellis scillitici,
Syr. de betonica an. ℥ II.
Aq. stillatitiæ fæniculi, majoranæ,
Ex granis juniperi an. ℥ IIII. Commisceantur, fiat potio, cujus ℥ IIII. tepidæ exhibeantur mane ac vesperi.

Exhausta potione hac, detrahantur iidem humores jam concocti & præparati sequentibus pillulis.

Pillulæ oculares.

♃. Mas. pil. Aurearum,
Lucis majoris,
Arabicarum,
Troch. de agarico an. ℈ I.

Ex quibus contusis cum aqua fæniculi formentur pillulæ n. 33. quæ deglutiantur in aurora sex horis ante prandium.

Cucurbitula cervici applicanda.

Post evacuationem excrementorum capitis, aversionis gratia, occipiti cucurbitulæ cum scarificatione singulis mensibus commodè applicari possunt: quin & venam, quæ in frontis medio habetur, ubi plethoricum est corpus, aperire non erit inconveniens.

Vena frontis aperienda.

Postea lenti humores sensim per sequens gargarisma jejuno adhuc existente homine indies detrahi debent.

Gargarismus phlegmagogus.

♃. Herb. Betonicæ,
Majoranæ,
Fæniculi an. M. s.
Rad. Pyrethri,
Sem. Erucæ an. ℥ s.
Carvi, cubebarum an. ʒ II.

Concisis concidendis & contundendis contusis admisceantur aceti acris & aquæ puræ an. lib. I. mellis rosacei ℥ III. coquantur lento igne in nova olla sub operculo ad medias, colentur, fiat Gargarismus, quo tepido utatur æger.

Proderit plurimum semper post Gargarismi usum cerebrum & visivos spiritus sequenti pulvere masticatorio corroborare.

Pulvis masticatorius spiritus visivos roborans.

♃. Flo. Majoranæ ℥ I.
Sem. Feniculi,
Carvi,
Cubebarum,
Cinamomi an. ʒ s.
Macis,
Masticheṡ an. ℈ I.

Concidantur crassiuscule, ex quibus P I. ore masticet æger, naribus compressis, donec nullus sapor in eo sentiatur. Non abs re quoque erit in suffusione oculorum singulis mensibus circa lunam plenam, sequentibus uti pillulis.

Ol. succini vel fæniculi cum rotulis diantos vel aq. fænic. multo hoc præstat efficacius.

Pillulæ oculares singulis mensibus usurpandæ.

♃. Agarici troch. ℈ IIII.
Spec. hieræ simp. ʒ I.
Pul. myrabulanorum, chebulorum ℈ II.

Omnibus probè pulveratis ac cum succo fæniculi defœcato commixtis ac contusis fiat massula pill. ex cujus ʒ I. conformentur pil. 27. quæ vesperi è cœna deglutiantur.

Topica.

Topica oculorum suffusioni convenientia pharmaca hac ratione sunt adhibenda.

Fomentatio.

Primum singulis diebus mane fomententur oculi molli spongia sequenti decocto imbuta.

℞. Herb. fæniculi,
Flo. chamæmeli,
Meliloti an. M. I.
Sem. fænu Græci contusi ℥ s.

Collyria varia visum acuentia.

Coquantur in q. s. aquæ, quo decocto laventur foveanturque oculi tepidè: post fomentationem illiniantur oculorum angulis aliquot guttulæ sequentium collyriorum.

Chymici magisterio perlarum cum aq. chelidonii feliciter utuntur.

℞. Fellis Galligallinacei annosi.

Succi chelidoniæ, fæniculi, rutæ, succis prius defæcatis, mellis virginei & candidiss. an. ℥ II. Commisceantur, fiat collyrium. Aut

℞. Capitum hirundinum n. III. comburantur, & in tenuissimum pulverem redigantur, quibus admisceantur ol. vitrioli rectificati gt. III. & cum q. s. mellis virginei, fiat collyrium quod oculis illiniatur.

Præclare quoque & suffusioni & omnibus ferè affectionibus opitulatur sequens aq. stillat. & chymica arte præparata, frequenterque oculis illita.

Aqua composita stillaticia ad suffusionem præstantissima.

♃. Herb. recentium, exiccatarum tamen, fæniculi, rutæ, euphrasiæ, betonicæ, verbenæ, tormentillæ, gallitrici, anagallidis, chelidoniæ an. M. I. Flor. rosarum sylvestrium, cichoreæ, agrimoniæ, periclymeni an. M. s. Contusa omnia misceantur & cucurbitulæ vitreæ imponantur, quibus admisceantur mellis virginei lib. v. urinæ infantis, vini generosi, roris cælestis, in Majo aut Junio mensibus per fæniculi virescentis herbam mundissimo linteolo collecti & expressi an. lib. II. qui liquores adfundantur herbis & per XIIII. dies macerentur seu ut Chymistæ loquuntur, digerantur, vitro bene clauso, in ventre equino, ac tandem exempto vitro in furnum arctum & cinere tenui plenum collocato, eique cucurbitæ alembico vitreo imposito artificiosè destilletur, aqua vero extracta ter ad fæces siccari incipientes refundatur ac subinde iterum destillentur.

Varias aq. ophthalmicarum descriptiones vide apud Quercetanum in pharmacopæa restituta, & in antidotario Weckeri speciali l. 2. s. I.

Modum auferendi cataractas den Star zu stechen vide apud Pareum in chirurg. op. l. 16. c. 22.

Quæ hisce remediis non curatur suffusio, huic chirurgica curatio adhiberi debet, quæ qua ratione sit instituenda docet Celsus lib. 7. cap. 7. & Paulus Ægineta lib. 6. cap. 21.

6. *Lachrymarum invite manantium causa quæ, & quibus remediis curanda?*

Illachrymatio involuntaria seu lippitudo.

Lachrymæ sunt tenuissimæ guttulæ ex oculis erumpentes: Boni homines ut habet proverbium natura sunt lachrymabiles, facilè enim convertuntur ad misericordiam. Bene vero & salubriter habentes, non facilè illachrymantur, nisi aut misericordia aut aliis tristibus affectibus animi moti. Verum in gravioribus morbis spontaneæ lachrymæ sæpè erumpunt, & plerumque sunt lethalia signa teste Hippocrate lib. I. & 6. de morbis popularibus. *Omnibus hisce illachrymationibus missis, de illa agamus, quæ in sanis alias corporibus oculorum aliquo affectu proprio contingit nobis invitis.*

Causa hujusmodi lachrymarum invitè effluentium in sanis corporibus & sine animi affectionibus προηγουμένη quidem est, redundantia tenuis humoris, sive is sit calidus sive frigidus, inter craneum & cutem syncipitis collecti, & ad oculos decumbentis. Προκαταρκτικαὶ verò sunt, aut frigidi tenuisque aëris & ventorum gelidorum in oculos irruptio, quæ constringendo tunicas oculorum, aqueum humorem ex oculis exprimunt: aut acri vapores, veluti sunt cæparum, sinapi, fumique in oculos irruentes quæ dilatando lachrymas eliciunt.

Causas lachrymas prolicientes & visui nocentes Salernitani hisce versiculis comprehendêre.

Balnea, vina, Venus, ventus, piper, allia, fumus,
Porrum cum cepis, faba, lens, fletusque, sinapi,
Sol, coitusque, ignis, labor, ictus, acumina, pulvis,
Ista nocent oculis, sed vigilare magis.

Signa causarum internarum.

Signa lachrymarum manifesta sunt, quæ ex causis procatarcticis oriuntur; quæ vero ab interna causa profluunt, si humor est frigidus, sine dolore manat: si vero tenuis & calidus, tum pruritum, acerbos dolores & oculorum exulcerationem affert.

Curatio.

Curantur lachrymæ invitæ si ab externis causis proveniant, sola earum remotione vel alteratione. Ubi vero ab interna causa & quidem à tenuibus & frigidis humoribus procedunt lachrymæ, sequenti potione humor ad evacuationem præparetur.

Potio digestiva.

♃. Syr. è stœchade, mellis rosarum, syr. è betonica, an. ℥ III.

Aq. stil-

Aq. ſtillat. euphraſiæ,
Fœniculi,
Betonicæ an. ℥ IIII.

Commiſceantur, fiat potio, de qua ſumat æger mane ac veſperi ℥ IIII. tepidat. Deinde tenuis humor ſequentibus pill. evacuetur.

Pillulæ tenuem & ſeroſum humorem educentes.

℞. Maſ. pill. Aurearum,
Lucis major.
Cochiarum an. ℈ I.
Troch. alhandal. ℈ s. cum q. s. aquæ fœniculi, formentur pill. n. 27. & in aurora deglutiantur ſex horis ante prandium.

Cucurbitulæ.

Deinde avertantur reliquiæ humorum à ſyncipite ad occiput per cucurbitulas cum ſcarificatione cervici applicatas. Proderit inſuper & theriacæ Andromachi aut aureæ Alexandrinæ ſingulis menſibus ʒ I. cum aqua fœniculi aſſumere. Præterea corroborentur ſpiritus viſivi, & retentiva facultas oculorum ſequentibus morſulis mane ac veſperi quotidie particulam aſſumendo.

Confortantia oculos.

Morſuli viſum roborantes.

℞. Spe. roſatæ novellæ,
diarhodon abbat. an. ʒ I.
Pul. ſem. fœniculi,
Cubebarum,
Cinamomi an. ʒ s.

Moſchi gr. III. ſaccari albi cum aqua fœniculi ℥ III. Commiſceantur, & inter commiſcendum addatur olei fœniculi ℈ s. Fiant morſuli.

Topica.

His rite peractis topica remedia applicanda ſunt. Ituro itaque cubitum ægroto ſequens emplaſtrum, quod non tantum lachrymas, verum & alias cerebri defluxiones ſiſtere poteſt, fronti applicandum erit.

Defenſivum fronti applicandum.

℞. Myrrhæ, cymini, thuris, aloës, maſticis, boli Armeni an. ʒ II.

Croci ℈ II. Tenuiſſimè pulveriſata commiſceantur cum q. s. albuminis ovorum & extendantur per duplicatum linteolum inſtar emplaſtri. Porro ſi lachrymæ tenues & acres erodentesque extiterint, tum ſequens emplaſtrum fronti applicetur.

Emplaſtrum frontale.

℞. Thuris, maſticis, gummi armoniaci, draganti.
Boli Armeni, ſanguinis draconis, muniæ an. ʒ II. Opii ʒ I. Commiſceantur cum q. s. albuminis ovorum, fiat emplaſtrum.

Quin & ſequenti linimento, ſi frons quotidie bis inungatur brevi ſiſtuntur lachrymæ.

Linimentum lachrymas ſiſtens.

℞. Maſticis, thuris, boli Armeni, lapidis calaminaris an. ʒ I.
Scoriæ ferri ʒ II. Opii ℈ s. Succi fœniculi & aquæ roſaceæ an. q. s.
Fiat linimentum.

Vinum extincti auri prodeſt.

Itidem præſtat ſi oculi indies laventur vino, modo abſit acredo lachrymarnm, ter quaterve, in quo candens aurum extinctum eſt. Rhazes Medicus Arabs ad lachrymas ſiſtendas ſequentem pulviſculum mirifice commendat.

Pulvis exſiccans ocul. lachrymas coralliorum Saccharum. Idem præſtat & ſolutio coralliorum.

℞. Pompholygis ſive nihili albi ʒ I.
Corallii albi uſti præparatique,
Myrobalanorum citrinorum, aloës an ℈ I.

Redigantur in tenuiſſimum pulviſculum angulisque oculorum mane ac veſperi inſerantur.

7. *Exulceratio oculorum quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quomodo curanda?*

Exulceratio oculi propriè quid.

Exulceratio oculorum Græcis ἕλκος τῶν ὀφθαλμῶν eſt continui ſolutio vel laceratio deraſione alicujus exterioris membranæ in oculis. Exulceratio propriè differt ab ulcere. Ulcus enim profundior continui ſolutio eſt, exulceratio autem ſuperficiales tantum. Exulceratur autem, vel eroditur in oculis nonnunquam exterior tunica, quam adnatam vocant, quæ minus eſt periculoſa; quandoque cornea membrana, quæ non caret periculo, ut plurimum enim cæcitatem inducit propter effuſionem aquei humoris.

Cauſa.

Cauſæ exulcerationis oculorum ſunt aut internæ aut externæ. Internæ ſive προηγούμεναι ſunt humores acres & erodentes ex ſubcutaneis ſyncipitis partibus in oculos influentes, progreſſuque temporis membranas erodentes. Externæ ſive προκαταρκτικαὶ cauſæ ſunt, violentus ictus aut contuſio oculi, item res acres foris in oculos incidentes veluti ſunt ignis, ignei liquores, calx, ærugo, & omnia quæ erodendi vim habent.

Signa. Signa causarum exteriorum exulcerationis & visu deprehendi, & ex relatione ægrotantis dignosci possunt. Interiores autem causas semper præcedit vehemens oculorum pruritus, inflammatio & dolor pungens pulsansque aut continuè erodens.

Curatio. Curatio exulceratorum oculorum venæ sectione, victus ratione, & remediis congruentibus perficitur.

Venæ sectio. Si itaque adsit plethora id est sanguinis in venis redundantia, id quod ex rubedine faciei & venarum tumore cognoscitur, vena est secanda humeraria quam cephalicam vocant, & quidem affecti lateris. *Cucurbitula.* Non abs re quoque erit ad acrium humorum aversionem cucurbitulas cum scarificatione cervici affigere.

Diæta. Victus ratio in internarum causarum remotione præscribi ægroto debet moderatè refrigerans. Arceatur itaque patiens ab aëre calido, squalido, fumoso ac crasso; & ab acrium calidorumque eduliorum usu, & vini potione, piscibus magis quam carnibus, & prunis Ungaricis, cremoreque ptisanæ magis uti ei convenit, & in potu aquam bibat hordeaceam in qua cinamomi frustulum est incoctum.

Remedia instituenda sunt, quæ acres humores à capite deorsum trahant ac evacuent. Initio itaque sequenti enemate uti licebit.

Enema revellens à capite.

℞. Herb. Maluæ,
Althææ,
Betonicæ an. M. I.
Flo. chamæmeli, centaurii minoris, rosarum violarum an. M. s.

Concisa coquantur in q. s. aquæ ad medias, colentur, colati liquoris accipe ℥ xv. quibus admisce hieræ simp. electuarii è succo rosarum an. ʒ VI. Olei violarum, chamemæli an. ℥ I. & s. salis communis ʒ I. Fiat enema, quod tepidum recto intestino infundatur jejuno adhuc existẽte ventriculo.

Sequenti tandem die in aurora deglutiendæ præbeantur sequentes pillulæ.

Pillulæ.

℞. Mas. pill. aurearum, cochiarum, lucis major. an. ℈ I.
Diagridii gr. III. formentur pill. n. 27. cum aq. betonicæ, post quarum assumptionem abstineat æger à potu ciboque per spacium sex horarum.

Nonnullis tamen jusculum calidum mox offerendum, ut citius operentur, & tormina arceantur.

Aversio quoque acrium vaporum oculos ferientium molienda erit cum per pedum lotiones in decocto chamæmeli, tum per fortem confricationem plantarum pedis cum sale & acri aceto. *Lotio & frictio pedum.*

Quibus ritè adhibitis tandem ad topica remedia deveniendum erit, ac primum omnium dolor & inflammatio mitigetur, oculos exulceratos in dies fomentando sequenti decocto. *Topica.*

Fomentatio.

℞. Sem. Fænu Græci contusorum ℥ I.
Maluæ, rosarum, capitum paveris an. M. II.

Coquantur in q. s. aquæ, qua tepida foveantur oculi ac tandem sequens collyrium instilletur.

Collyrium consolidans & anodynon.

℞. Cerussæ cum aqua rosacea probè elotæ ʒ I. s.
Sarcocollæ ʒ s. draganti opii Thebaici an. ℈ s.

Tenuissimè pulverisata resolvantur cum aqua rosarum & lacte muliebri p. æ & q. s. fiat collyrium.

Exulcerationis sordidæ & purulentæ remedia. Porro si sordida ac purulenta existat exulceratio, primum eluatur ac mundetur cum mulsa tepida, ac mitigetur dolor, illita oculis mucilagine fænu Græci cum lacte muliebri parata, qua abstersa post doloris mitigationem sequens collyrium instillatum ulcus ipsum sanat & ad cicatricem deducit.

Collyrium aliud sarcoticum.

℞. Pompholyginis cum aqua rosacea elotæ ʒ s.
Plumbi usti ℈ II. Croci gr. v. squamæ æris Kupfferslag ℈ I.

Ex his tenuissimè tritis fiat collyrium cum aqua pluviali. Aut utere sequenti collyrio Rhasis.

Collyrium Rhasis.

℞. Plumbi eloti, vel ex confricatione plumbi cum aqua rosacea collecti liquoris vel luti.

Antimonii, pompholyginis ablotæ, æris usti, gummi Arabici.

Draganti an. ℈ I. opii gr. v. cum aquæ pluvialis q. s.

Fiat collyrium.

8. Cica-

8. *Cicatrix oculorum quid, quæ cujus causa, & qua ratione curanda?*

Albugo oculi quid. Ulcera oculorum curata ut plurimum sui vestigia post se relinquunt, quæ Græcis λευκώματα, Latinis albugines & nubeculæ nominantur.

Causa. Causa talium nubecularum est exulcerationis præcedens curatio.

Signa. Signa cicatricum in oculis sunt albæ maculæ in nigro oculo apparentes. Contingunt autem hæ maculæ ex callo, densitateque contractæ corneæ tunicæ, quæ aliquando planæ, quandoque & cavæ conspiciuntur.

Curatio. Curatio cicatricum in oculis bona victus ratione & topicorum remediorum maculas abstergentium adhibitione perficitur.

Diæta. In victus ratione conveniunt cibi boni succi, & facilè concoquibiles, non evaporantes. Vitanda itaque sunt omnia dura, concoctu difficilia, acria, salsa, vaporosa & mali succi edulia, & simul vini potio.

Topica. Topica remedia cicatrices abstergentia matituno tempore post excrementorum alvi & cerebri excretionem evacuationemque oculis illiniri debent, eorum autem remediorum præcipua hæc sunt.

Collyrium abstergens. ℞. Lactis equini ℥ III. mellis virginei, commisceantur ad lentum ignem, fiat collyrium.

Efficacissimus est in delendis cicatricibus & sequens pulvisculus.

Pulvis egregius ad delendas cicatrices oculorum. ℞. Succorum chelidoniæ majoris, centaurii minoris, induratorum an. ʒ I. saccari candi ʒ II.

Sarcocollæ, cornu cervi usti & præparati, galbani an. ʒ s.

Oleo salis vel vitrioli chymici utuntur. Tenuissime contrita commisceantur, & vel per se, vel cum melle virgineo mixta oculorum cicatrici illinantur.

Fortior autem est in delendis nubeculis sequens pulvisculus.

Alius pulvis fortior. ℞. Ossium sepiæ piscis, sarcocollæ, rad. Aristolochiæ rotundæ,
Myrrhæ, spumæ vitri, saccari candi an. ℈ II.
Æris usti & eloti ℈ I. omnia tenuissimè contrita & in pulverem redacta, misceantur oculisque indantur.

9. *Pustula oculorum quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus remediis tollenda?*

Oculorum Pustulæ. Φλυκταίναι, Celso pustulæ oculorum nominantur, quæ sunt exiguæ quædam instar minutissimarum bullarum in cornea tunica excrescentiæ vesiculæque.

Causa. Causam habent oculorum pustulæ πεπηγμένην tantum, ferventiores videlicet acrioresque humores per duram menyngem ad oculos defluentes.

Signa. Signa pustularum manifesta sunt, Visu enim deprehenduntur. Humoris vero vitiosi ad oculos defluentis speciem ex doloris qualitate, & colore pustularum internoscere licet. Dolor enim acris & color pustularum flavescens, biliosos; mitis autem dolor & rubeus color, sanguineos humores causam pustularum esse ostendit.

Curatio. Curantur pustulæ venæ sectione, victus ratione, & medicamentorum administratione.

Venæ sectio sæpius reiterata prodest. Si adsit plethora, id quod ex rubedine pustularum totiusque faciei percipere licet, vena est secanda cephalica, & quidem bis terve sectio in uno mense est reiteranda.

Diæta. Victus ratio laboranti ea est præscribenda, ut nimirum vitet vociferationem, multiloquium, & sternutationem, aëris solisque splendorem, corporis vehementiorem motum, & vini potionem; & alimentis utatur æger mollibus, boni succi & concoctu facilibus eisque temperatissimè.

Potus ei sit aqua hordei in qua cinamomi frustulum & coriandrorum semina sunt incocta. Post venæ sectionem, subtrahantur vitiosi humores totius corporis sequenti enemate.

Enema. ℞. Herb. betonicæ,
Majoranæ,
Fæniculi an. M. I.
Flo. Chamæmeli, meliloti, Maluæ, anethi, centaurii minoris an. M. s. concisa coquantur in q.s. aquæ ad medias colentur, colati juris accipe ℥ XIIII. quibus admisce hieræ simp. ℥ II. olei chamæmelini ℥ III.

salis

ſalis communis ʒ I. fiat enema quod tepidum infundatur recto inteſtino jejuno adhuc exiſtente ventriculo. Altero die purgetur cerebrum ſequentibus pillulis.

Pillulæ capitales. ℞. Maſ. pillularum aurearum, cochiarum, arabicarum an. ℈ I.
Diagridii gr. III.

Ex quibus contuſis formentur pil. n. 27. quæ deglutiantur in aurora ſex horis ante alimentorum aſſumptionem.

Topica. Evacuato cerebro adhibeantur ipſis oculis topica vocata remedia.

Primum quidem ſequens applicetur cataplaſma.

Cataplaſma. ℞. Vitellorum ovorum n. II.

Medullæ panis ſimilacei in lacte macerati iterumque expreſſi ℥ II. ſubigantur ſimul in mortario, croci ʒ s. & ſi vehemens adſit dolor etiam opii Thebaici ℈ I. quæ tepida per tenuiſſimum linteolum idque duplicatum extenſa, oculorum puſtulis imponantur, eo uſque donec ſicceſcant. Detracto cataplaſmate abluantur oculi decocto fænugræci, malvæ & meliloti, & ſequens illiniatur collyrium.

Collyrium. ♃. Lycii, croci an. ℈ s.
Acatiæ ℈ I.
Sarcocollæ, myrrhæ an. ℈ s. diſſolvantur cum ℥ III. aq. roſaceæ, fiat collyrium.

10. *Nocturna cæcitudo quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quomodo curanda?*

Nyctalopia quid. Νυκταλώψ, nocturna cæcitas eſt quando homo per diem quidem probè cernit, occidente vero ſole obſcurius, noctu autem accenſa licet candela penitus nihil videt.

Cauſa. Cauſæ hujus mali internæ ſunt, ſpirituum viſivorum paucitas & turbiditas, atque humorum in oculis redundantia & obſcuritas, tunicarumque craſſities.

Signa. Signa ex relatione ægri dignoſci poſſunt. Qui hoc ſymptomate laborant propter nocturnam cæcitudinem id peculiare habent ut etiam interdiu circa novilunium melius ac exactius cernant, circa plenilunium vero obſcurius videant, id quod & in equis, & in aliis animantibus contingere conſuevit. *Viſus pro lunæ motu & lumine viget.*

Curatur hoc malum venæ ſectione, victus ratione, & pharmacorum uſurpatione. *Curatio.* Curatio itaque, ſi corporis conſtitutio & ætas patitur, à venæ ſectione auſpicanda erit. *Venæ ſectio.* Qualis enim eſt ſanguis, tales ſunt perpetuo ſpiritus in corpore. Ante venæ ſectionem vero corpus eſt evacuandum ſequenti enemate.

Enema. ♃. Betonicæ, majoranæ, fæniculi, malvæ, meliloti, mercurialis an. M. I. ſem. carvi ℥ s. contuſa & conciſa coquantur in aquæ q. s. ad tertias, colentur, colati juris accipe lib. I. in qua diſſolve hieræ compoſitæ ℥ II. mellis roſacei ℥ I. olei chamæmelini ℥ III. ſalis communis ʒ I. fiat enema. Tandem ſecetur vena cephalica primum: deinde & venulæ in angulis oculorum deliteſcentes. *Quæ vena incidenda.*

Diæta. Victus ratio talis eſſe debet, quæ & ſanguinem & ſpiritus extenuet. Vitanda igitur ſunt omnia incraſſantia.

Altero vel tertio die poſt venarum ſectionem (aut ſi æger non ferat venæ ſectionem, poſt cucurbitularum in cervice applicationem) detrahantur ex cerebro ſupervacanei humores ſequentibus pillulis.

Pillulæ cephalicæ. ♃. Maſ. pill. cochiarum, lucis majoris an. ℈ I.
Trochiſcorum Alhandali ℈ s. Ex quibus contuſis cum pauxillo aquæ fæniculi conformentur pill. n. 21. & deglutiendæ præbeantur paulo poſt mediam noctem.

Errhinon. Ad obſtruentium humorum detractionem ex cerebro, mirificè opitulatur ſequens errhinon per nares in cerebrum attractum.

♃. Piperis nigri, ſem. ſtaphidis agriæ an. ℈ I.
Sinapi, majoranæ an. ℈ s. Omnibus tenuiſſimè pulveratis admiſceatur ſucci è radicibus betæ rubeæ extracti ac colati q. s. hoc eſt mellis liquidi formam acquirat, cujus duorum piſorum magnitudinem per 4. dies mane jejunus naribus attrahat.

Topica. Cerebro probè purgato ſequentia topica remedia exhibeantur.

Fomentatio. Primum fomententur oculi aperti vapore elixati

elixati epatis hircini, cum quo concoctæ sunt herbæ fœniculi & florum euphrasiæ an. M. I. per semihoræ spacium, deinde siccatis oculis illiniatur sequens collyrium.

Collyrium visum clarificans.

♃. Fellis perdicis, fellis hirci an. ℥ s.
Mellis virginei, lactis mulieris sanæ & boni habitus an. ʒ II.

Misceantur, & fiat collyrium quod mane ac vesperi oculis illiniatur. Aut indatur oculo succus ex recenti epate hircino non salito, quod inter assandum effluxit ac stillavit.

Experimentum singulare.

II. *Caligo seu visus obscuritas quid, quæ ejus causa, quæ signa causarum, & quomodo curanda?*

Caligo quid.

Ἀμαύρωσις caligo seu visus obscuritas dicitur, quando alicui citra evidentem aliquam causam visio impeditur, ita ut objecta corpora coloresque quasi per caliginem cernat, pupilla clara & lucida existente.

Causa externa.

Causæ hujus mali sunt duplices, προκαταρκτικαὶ id est externæ ac remotæ quæ internas causas excitant, veluti sunt crapula, vini immoderata ingurgitatio, intempestiva Venus, & statim à cibo sumpto lectio & scriptitatio immoderata, cerebri calefactio in radiis solaribus, crebræ vomitiones &c. Προηγουμέναι causæ hoc est internæ & propinquæ sunt, spirituum visivorum aut penuria aut crassities, aut corneæ tunicæ densitas, aut nervorum opticorum ex crassis humoribus obstructiones.

Interna.

Signa.

Signa obstructorum opticorum nervorum à crassis humoribus aut vaporibus dignoscuntur ex syncipitis, ac potissimum circa radices oculorum, gravitate: Tunicarum crassities ac corrugatio visu deprehendi potest: spirituum densitas ex tumore oculorum, penuria vero ex collapsu & cavitate eorundem deprehenditur. Reliquarum causarum signa ex relatione ægrotantis, aliisque vitæ circumstantiis animadverti possunt.

Curatio.

Curatio obscuritatis visus perfici debet victus ratione convenienti, venæ sectione, & pharmacorum convenienti administratione.

Diæta.

Victus ratio causis morborum semper debet esse contraria. Vivat itaque æger in hoc malo quam potest temperantissimè, utatur alimentis boni succi & concoctu facilibus: ne alvus sit adstricta studeat, & ubi obstructionem sentit, statim vel enemate vel glande communi, vel esu prunorum Ungaricorum alvum leniat: à vini potu abstineat, Venerem, balnea, intempestiva studia ac somnum meridianum fugiat sedulo.

Venæ sectio.

Vena, si ætas & corporis temperies flagitat, incidatur primum cephalica, deinde & vena frontis, ac si venæ in oculis rubent, etiam ipsæ, quæ in oculorum angulis hærent, ad utramque nasi partem incidantur; aut loco venæ sectionis singulis aut alternis semper mensibus circa plenilunium cervici cucurbitulæ applicentur cum scarificatione. Post venæ sectionem vitiosi humores crassique vapores sequenti potione concoqui & extenuari debent.

Cucurbitula.

Potio digestiva.

♃. Herb. Fœniculi,
Betonicæ,
Euphrasiæ an. M s.
Fl. Stæchados Arabicæ,
Rorismarini an. ʒ II.
Rad. Fœniculi,
Apii,
Petroselini an. ℥ s.
Sem. Anisi, fœniculi, napi an. ʒ III.

Contusis omnibus in cantharumque stanneum impositis adfundantur III. lib. aquæ puræ, addanturque mellis rosacei ℥ III. & simul in ferventi aqua cantharo collato coquantur per spatium duarum horarum, deinde refrigerata colentur, cujus liquoris assumat æger mane ac vesperi ℥ IIII. calefactas.

Hac potione absumpta evacuentur vitiosi humores sequentibus pill.

Pillulæ oculares visum clarificantes.

♃. Mas. pill. cochiarum, lucis major. aurearum an. ℈ I.
Agarici trochiscati ℈ s. Cum aq. fœniculi formentur pillulæ n. 27. Quæ degluttiendæ præbeantur in aurora sex horis ante prandium. Post evacuationem hanc universa-

Gargarismus phlegmagogus.

verſalem utendum & particularibus evacuationibus ex cerebro. Sequenti itaque gargariſmate ſubducendi ſunt ex capite pituitoſi humores.

♃. Sem. erucæ, fæniculi, carvi an. ʒ III.
Rad. pyretri ℥ s.
Cubebarum ʒ I. Herb. majoran. roriſmarini an. P. I.

Aquæ & aceti an. lib. I. Contuſa coquantur ſub operculo ad medias, colato juſculo admiſceantur mellis roſati ℥ II. Fiat gargariſmus, quo tepido ſingulis diebus jejunus ter quaterque gargarizando eluat fauces & palatum.

Errhinon.

Prodeſt quoque per nares pituitam cerebri elicere, id quod ſucco radicis betæ rubeæ tepido, aut errhino in præcedenti tractatione deſcripto commodè perfici poteſt ſi per nares in cerebri meatus attrahatur. His ritè præmiſſis tandem & topica remedia & ſpiritus viſivos corroborantia clarificantiaque deveniendum erit. Illiniantur itaque mane ac veſperi oculorum angulis aliquot guttulæ de uno ſequentium collyriorum.

Topica.

Collyrium ad viſum acuendum.

℞. Tutiæ præparatæ ʒ I. camphoræ gr. V. Tenuiſſimè contrita diſſolvantur in ℥ IIII. aq. roſaceæ, fiat collyrium.

℞. Suc. Fæniculi, chelidoniæ defæcatorum an. ℥ III. quibus admiſce mellis virginei liquefacti ℥ s. Fiat collyrium. Aut

Aqua Quercetani ex croco metallorum aptiſſima eſt ad hunc affectum.

℞. Croci, myrrhæ an. ʒ I. Spicæ indicæ ℈ I. Redigantur in tenuiſſimum pulverem eiſque admiſceantur mellis virginei liquefacti ℥ s. Succorum fæniculi, marrubii an. ℥ I. Fiat collyrium.

Collyrium præſtantiſſimum ad viſum roborandum.

Aut quod præſtantius eſt reliquis,

℞. Aquarum ſtillatitiarum betonicæ, rutæ, verbenæ, chelidoniæ, euphraſiæ, fæniculi, roſarum an. ℥ I.

Quibus admiſce Pulveres tenuiſſimos pompholigis candidi ʒ s.

Aloës puriſſimæ, myrrhæ an. ℈ I. Fiat collyrium.

Spiritus viſivos auget, extenuat, purificat & cerebrum corroborat ſequens tragea.

Tragea ſpiritus viſivos augens.

♃. Sileris montani, ſem. fæniculi, napi, aniſi an. ʒ I.
Flor. euphraſiæ, roriſmarini an. ʒ s.
Cinamomi electi, nucis moſcatæ, caryophyllorum, cubebarum an. ℈ II. Saccari albiſſimi ℥ III. Omnia tenuiſſime pulverata miſceantur, fiat tragea, de qua ſumat laborans caligine oculorum ʒ II. cum à prandio tum à cæna iturus cubitum. Aut pro occludendo ventriculo reprimendiſque vaporibus, utatur æger poſt aſſumptum cibum ſemine coriandri ſaccaro obducto, aut diacitonio ſimplici cum ſaccaro parato.

Similem pulverem commendat Tortula de mulier. paſſ. c. 63. quo reſtitutus eſt ſenex quidam qui 12. annis perſpicillis uſus erat.

12. *Oculorum procidentia quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna cauſarum, & quomodo reſtauranda?*

Oculi prolapſus quid.

Ἐκπιεσμὸς, oculorum procidentia ſive expreſſio eſt, cum oculi, vel uvea tunica aut pupilla à propria ſede extorquentur, expreſſique extra calvam perſiſtunt. In qua affectione ut plurimum rupta eſt aut eroſa cornea tunica, aut ejus ligamenta ſunt laxata.

Cauſæ.

Cauſæ procidentiæ oculorum προηγούμεναι quidem ſunt humores vitioſi ad oculos defluentes & corneam tunicam aut erodentes aut laxantes. Προκαταρκτικαὶ vero ſunt aut violenta excuſſio oculorum, aut reſpirationis diuturnior interceptio, veluti accidere conſuevit mulierculis uteri ſuffocatione correptis & difficulter parientibus, item ſtrangulatis, & nonnunquam tubicinibus.

Signa.

Signa cauſarum internarum ſunt aut dolor gravis circa radices oculorum, aut puſtulæ, ſenſusque eroſionis circa corneam tunicam.

Cauſarum vero externarum ſigna cum manifeſta ſint, ex relatione ægrotantium dignoſci poſſunt.

Curatio.

Curatio pro cauſarum varietate inſtituenda eſt. Si itaque venulæ per oculos ſparſæ rubicundiores, & tunica cornea cruenta conſpicitur, corpuſque patientis ſit plethoricum, in iis primum omnium vena humeraria quam cephalicam vocant, deinde & frontis vena incidendæ erunt. Quin & cucurbitulæ cum ſcarificatione cervici utiliter imponi poſſunt. Si autem adfluxione humo-

Vena ſectio. Cucurbitulæ.

humorum pravorum procidentia oculorum contingat, primum concoquantur humores sequenti potione.

Potio digerens & praeparans. ♃. Aquar. stillatitiarum betonicæ, fæniculi, euphrasiæ an. ℥ IIII.

Oxymellis scillitici, syr. è stæchade, de betonica an. ℥ II. Misceantur, fiat potio de qua ægrotanti mane ac vesperi ℥ IIII. tepidæ exhauriendæ præbeantur.

Absumpta potione evacuentur vitiosi humores sequentibus pillulis.

Pillulæ. ♃. Mas. pil. Aurearum,
Cochiarum,
Lucis majoris an. ℈ I.

Trochiscorum alhandali gr. v. cum aq. fæniculi formentur pill. n. 27. quæ deglutiendæ præbeantur in aurora sex horis ante prandium.

Causa respirationis intercepta tollenda. Porro si oculorum procidentia ab interceptione respirationis quacunque ex causa contingat, causa primum est curanda. Quando itaque mulierculis vel ex suffocatione uteri, vel ex laborioso partu oculi prolabuntur, suffocationis, difficultatisque pariendi causæ removendæ erunt.

Qua autem ratione & quibus remediis perfici queat, suo loco inter affectiones matricis declarabimus.

Topica. Sublatis procidentiæ causis, statim topica remedia prominentibus oculis sunt adhibenda. *Fomentatio.* Primum itaque fomententur aut foveantur eminentes oculi, aut vapore aut liquore tepido molli spongia excepto, decoctionis chamæmeli, meliloti aut fænugræci. Et post fomentationem sufficientem, oculis extuberantibus sequens Collyrium instar cataplasmatis est applicandum.

Epithema. ℞. Mellis virginei ʒ I.
Croci ʒ s.
Myrrhæ,
Olibani an. ℈ I.

Tenuissimè pulverisata melli admisceantur ac fiat unguentum, quod serica lana mollissima exceptum oculis imponatur. *Defensivum affluxum impediens.* Ut autem adfluxus humorum inhibeatur, succus polygoni herbæ, cui nonnihil boli armeniaci, & succi acatiæ tenuissimè contriti admixtum est, qui tepidus duplicatis fasciis exceptus, fronti imponatur & alligetur.

13. *Strabismus seu Lusciositas, sive obliquus aspectus quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quomodo curandus?*

Strabismus quid. Στραβισμὸς vel Διαστροφὴ, Latinis obliquus aspectus, **Schelheit der Augen**/ est oculi convulsio, quâ oculus in obliquum ita contorquetur, ut nequeat utriusque oculi unus & rectus aspectus esse.

Causæ. Causæ strabismi propinquæ & internæ sunt, aut musculorum in oculis mollities & resolutio, aut nervorum ex secunda conjugatione cerebri ortorum, musculisque implantatorum convulsio, aut est crystallini humoris inversio. Remotiores vero causæ sunt, aut nimia humiditas, musculos oculorum laxans, aut nimia siccitas nervos contrahens. Externæ causæ in infantibus, quibus hæc affectio familiaris esse consuevit, est intuitus repentinus vel rerum terribilium vel vehementer splendentium.

Signa. Signa sunt manifesta. Strabismus enim non levem infert deformitatem cum ad superna aut inferna aut ad alterutrum latus contorti sunt oculi. In adultis rarissimè, in infantibus vero facilius emendari potest.

Curatio. Curatur strabismus in infantibus, si noctu accensa lucerna in adversam partem, quam detorti sunt oculi, ita collocetur ut si oculi sursum detorti sunt, deorsum ad pedes sit sita lucerna: si vero deorsum, ad frontem sit collocata: si vero in alterutrum latus, ex adverso aspicienda ponatur: eoque modo infans subinde in contrariam partem aciem oculorum dirigat. Interdiu vero cunæ in quibus infans jacet ita collocentur ut recta lucem aspicere, oculosque nec sursum nec deorsum flectere queat: at si oculi in obliquum rapiantur statim cunæ ita collocentur ut ex opposito lucem recta habeat. Præstat & picturas illustres, splendidosque colores præsertim cæruleos ac rubeos, in quos oculos dirigere queat infans, ex opposito collocare.

SECTIO II.
DE AURIUM AFFECTIBUS.

1. *Aurium Morbi qui & qua ratione curandi?*

Auditus excellentia & utilitas. AUditus ſenſus, cujus organa ſunt aures, pori nervique ἀκυστικοὶ, poſt viſum & dignitate & uſu, in hac communi vita ſecundum locum obtinet. Sine auditu enim viſu concepta nec addiſci, nec doceri poſſunt. Sermone ſiquidem docemus & docemur, qui ſolo auditu hauritur & percipitur. Morbi autem & affectiones præcipuæ aurium, auditum impedientes aut prorſus obtundentes ſunt:

Affectiones aurium præcipuæ.

- Dolor aurium,
- Surditas aut gravis auditus,
- Tinnitus aurium,
- Tumores circa aures,
- Ulcera fluentia ex auribus,
- Vermiculi, aut alia corpuſcula in aures illapſa.

2. *Dolor aurium quid, ex quibus cauſis oboritur, quæ cauſarum ſigna, & quibus remediis curandus?*

Aurium dolor graviſſ. affectus. Ὠταλγία aurium dolor. In auribus dolores acerbiſſimi oboriri poſſunt, adeo ut ſæpe in diſcrimen vitæ conjiciant homines, teſte Hippocrate tertio prognoſticorum, ubi inquit: Aurium dolor cum febre continua difficilis eſt, periculum enim delirii mortisque imminet &c. Accidunt autem dolores nonnunquam in profundo h. e. in membranis foramini aurium obtenſis, nonnunquam in ipſis auribus.

Cauſæ. Cauſæ προηγουμέναι doloris aurium ſunt, aut calida intemperies ſeu inflammatio, aut frigida intemperies, aut flatulenti ſpiritus humoresque lenti intra membranas occluſi.

Cauſæ προκαταρκτικαὶ & remotæ ſunt, capitis inſolatio nimia (quando nimium in ſole verſantur) venti vaporesque calidi in aures irruentes. Item frigida intemperies, quæ excitatur à frigidis ventis inter peregrinandum auribus incidentibus, aut aquæ frigidæ inter balneandum illapſæ.

Signa. SIGNA calidæ intemperiei eſt dolor acris & fervidior aurium, partiumque auribus adjacentium inflammatio. Signa frigidæ intemperiei obtuſus dolor eſt, ſi frigida auribus applicentur magis offenditur æger. Signa flatulentorum ſpirituum aut craſſorum humorum eſt aurium tinnitus & dolor extenſivus. Externarum cauſarum ſigna ex relatione dignoſci poſſunt.

Curatio. Curatio dolorum in auribus pro cauſarum diverſitate varianda erit. Primum itaque ſi cauſa doloris calida eſt intemperies, & adſit febris vel inflammatio, ſtatim alvus ſequenti Enemate ſubducenda erit. *In cauſa calida & inflammatione.*

Enema. ℞. Malvæ, violariæ, mercurialis an. M. I.

Flor. chamæmeli, meliloti, centaurii minoris an. M. s. conciſa coquantur in aq. q. s. ad medias, colentur, colati juris accipe ℔ I. cui admiſce elect. lenitivi ℥ s. Hieræ ſimp. ℥ I. Olei violarum, chamæmeli an. ℥ I. s. Salis communis ʒ I. fiat Enema, & applicetur, ventriculo jejuno exiſtente.

Venæ ſectio. Poſt alvi evacuationem ex humeraria vena quam cephalicam vocamus, dolentis lateris detrahatur ſanguis, ac tandem auribus ipſis ſequentia topica pharmaca inſtillentur. *Topica.*

Liquor refrigerans & dolorem leniens. ℞. Olei roſarum, lactis muliebris an. ʒIII.
Albumen unius ovi conquaſſatum.

Miſceantur ac tepida auribus infundantur. In curandis enim aurium doloribus hoc perpetuò commune præceptum eſt obſervandum ut quæ inſtillantur remedia ſemper moderatè ſint tepida. Item *N. B. Tepida omnia auribus infundenda.*

Epithema. ℞. Ol. roſacei in quo decocti ſunt flores ſalicis ℥ s.
Aceti roſacei ʒ II.

Miſceantur & lana molli excepta circum aures tepida applicentur.

Lac tepidum. Aut lac recens mulctum tepensque cum albuminibus ovorum conquaſſatum ſubinde auribus inſtilletur. Aut

℞. Succi herbæ auriculæ muris, polygonii,

nii, portulacæ an. ℥ II. Miſceantur & auribus inſtillentur.

Quod ſi autem & febris adſit, & humores vaporesque calidi infeſtent hominem, ſequenti potiuncula ſubducendi ſunt humores.

Hauſtus purgans. ℞. Elect. lenitivi ℥ I. è ſucco roſarum Meſues ʒ II. aquæ Cicoreæ ℥ V. Miſceantur fiat hauſtus, qui in aurora ebibendus exhibeatur tepidus, quo ſumpto abſtineat æger à cibo potuque per ſex horarum ſpacium.

Narcotica cautè adhibenda auribus. Ubi vero hiſce topicis dolor ex inflammatione non mitigetur & ratio turbari incipiat, tum ad narcotica, opiataque remedia confugiendum erit; quibus tamen caute ac prudenter uti debet Medicus, ne ita organa auditus ſtupefaciat ut auditui obeſſe queat. Itaque

Liquor Narcoticus. ℞. Opii Thebaici ℈ I. Caſtorei medullæ ℈ II. Diſſolvantur in ℥ III. lactis muliebris, percolentur & ejus liquoris guttulæ aliquot tepidæ auribus inſtillentur.

Apoſtematis aurium remedia. Ubi vero inflammatio aurium in apoſtema eſt converſum, ad ſuppurationem duci debet humor ſeu apoſtema, quod ſequenti liquore commode fieri poteſt.

Malacticum. ℞. Olei Liliorum alborum, adipis gallinæ, anatis an. ʒ II. Miſceantur ac tepida ſubinde auribus inſtillentur. Suppuratione enim facta ſtatim pus profluet & ſubito dolor omnis ceſſat.

Otalgiæ ex frigida cauſa remedia. Porro ubi dolor aurium ex frigida intemperie obortus ſit vel ex illapſu frigidæ aquæ, vel irruptione ventorum gelidorum, præſtat ſtatim aquam aut auram frigidam ex auribus vel per calamum ſugendo ejicere ac tandem refrigeratis membranis ſequentia topica remedia inſtillare.

Topica calida. ℞. Olei rutacei, laurini an. ʒ S. Liliorum alborum de euphorbio an. ℈ I. Liquefiant ſimul & aliquot guttulæ auribus inſtillentur. Aut

℞. Cæpam grandiuſculam ab interna medulla excavatam, cujus cavitas repleatur oleo dulci olivarum, & igne aſſetur & ſuccus cæpæ cum oleo exprimatur, ejuſque guttulæ auribus inſtillentur.

Si dolor à flatulentis ſpiritibus craſſisque vaporibus excitetur, quod ex ſonitu in auribus dignoſci poteſt, accipe ℔ I. milii quod torrefactum fervidumque in lineo ſacculo impoſitum, frequenter auribus applicetur. Diſcutit enim flatus in auribus omnes. Aut *Doloris à flatibus remedia. Sacculus ex milio.*

℞. Stæchados Arabicæ, majoranæ, roriſmarini, mentaſtri, ſerpilli an. M. I. Conciſa coquantur, quorum vapor tepidus in aures dolentes excipiatur. Sedat enim aurium dolores omnes. *Vapor decocti dolores aurium optime & citiſſime ſedat.*

5. *Surditas, quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna cauſarum, & quibus remediis curanda?*

Κώφωσις, ſurditas, aut δυσηκοΐα auditus difficilis, aut βαρυηκοΐα id eſt gravis auditus, eſt ubi quis voces ac ſonos aut prorſus nullos audit, aut magnas etiam acclamationes difficulter audit, qua affectione laborantes Latinis ſubſurdi, ſurdaſtrique nominantur. *Surditas quid.*

Surditas omnis aut ſimul connaſcitur, aut per accidens oboritur. Surditatis per accidens ortæ cauſæ προηγουμέναι ſunt aut vapores bilioſi, aut humores craſſi nervos auditorios obſtruentes, & facultatem animæ audittricem intercipientes: aut eſt cerebri intemperies ac læſio in parte illa ubi nervi ἀκουστικοὶ originem habent. Προκαταρκτικαὶ autem cauſæ ſunt violenti ictus circa aures, unde aut grumi ſanguinis aut ſordes ab abſceſſibus in auribus contingunt, auriumque foramina obſtruunt. *Cauſæ.*

SIGNA cauſarum recitatarum ſunt, ſi ſurditas à bilioſis vaporibus aut humoribus lentis ſit orta, ut plurimum ſurditatem febris ardens præceſſit, & patientis corpus bilioſum eſt. Si autem à craſſis lentisque humoribus obſtructi ſunt nervi auditorii, unà adeſt capitis gravitas & ſibilus in auribus. Si ſordes ex apoſtemate, aut ex ictu grumi ſanguinis aurium meatus obſtruxerunt, & viſu dignoſci & ſcalpello explorari, & ex relatione patientis cognoſci poteſt. Signa prognoſtica ſunt, ſi ſurditas congenita eſt, curationem nun- *Signa diverſarum cauſarum ſurditatis. Prognoſtica.*

quam recipit humano præsidio. Diuturna surditas difficilem admittit curationem: Quibus vero in febribus aures obsurduerunt, teste Hippocrate 4. Aphor. 60. si sanguis è naribus profluat aut alvus turbetur biliosaque dejiciat, statim solvi surditatem.

Curatio surditatis ex biliosis evaporationibus. Curandi ratio pro diversitate causarum varianda erit. Ubi itaque surditas post biliosas febres morbosque ex evaporatione biliosa oboriatur & corpus sit plethoricum, *Venæ sectio.* sanguis ex epatica vena dextri brachii detrahatur & biliosi humores per sequentem haustum dejiciantur.

Haustus cholagogus.

℞. Elect. lenitivi ʒ vi.
Rosati Mesuei ʒ iii.
Aq. cichoreæ ℥ v.

Misceantur, fiat haustus, qui tepidus in aurora sex horis ante prandium exhauriatur.

Detractis biliosis humoribus statim cessat surditas. Sive enim sponte ac natura in surditate dejiciatur bilis, semper surditatem aufert teste Hippocrate 4. Aphor. 28. Deinde deveniendum est ad topica remedia. Utatur itaque æger frequenti capitis pedumque lotione aquæ dulcis tepidæ in qua cocta sunt flor. chamæmeli, rosarum rubearum, malvæ, majoranæ & similes. Tandem sequenti fomento commodè uti licebit.

Fomentatio.

℞. Fol. violarum, salicis, althææ, malvæ, lactucæ an. M. s. Decoquantur in q. s. aquæ, quarum vapor per canalem infundibuli in aures recipiatur. Deinde foraminib. aurium instillentur aut aquæ ex amputatis palmitibus sponte destillatæ, aut lactis muliebris guttulæ aliquot tepefactæ. *Liquores auribus instillentur.*

Surditatis à crassis humoribus remedia. Si vero surditas à crassis pituitosisque humoribus nervos auditorios obsidentibus sit exorta, tum illi ipsi humores concoquendi & extenuandi erunt sequenti potione.

Potio digestiva.

℞. Betonicæ,
Origani,
Majoranæ,
Serpilli an. M. s.
Rorismarini,
Stæchados Arabicæ an. p. i.
Rad. Asari,
Petroselini,
Pæoniæ an. ʒ ii.
Schænathi,
Cubebarum an. ʒ i.
Sem. Anisi,
Fæniculi,
Carvi an. ʒ ii.

Concisa & contusa coquantur in cantharo aut duplici vase cum ℔ iii. vini Rhenani per 2. horas, deinde refrigerata colentur, colato liquori admisceantur oxymellis scillitici ʒ iii. Syr. è stæchade, è betonica an. ℥ ii. fiat potio, de qua bibat æger mane ac vesperi haustum ℥ v. tepidum, donec tota potio sit exhausta. Ita tandem crassi humores sufficienter concocti & ad eductionem præparati evacuentur: aut sequenti haustu cathartico.

Haustus purgans pituitam.

R. Elect. Indi majoris ʒ vi.
Diacatholici,
Diaphænicon. an. ʒ ii.

Aq. Betonicæ q. s. fiat haustus, qui tepidus sex horis ante prandium ebibatur, aut sequentes pillulas in aurora deglutiat.

Pillulæ phlegmagoga.

℞. Mas. pil. cochiarum, arabicarum,
Alephanginarum an. ℈ i.

Trochiscorum Alhandali gr. iii. ex quibus conformentur pillulæ n. 27. cum melle rosaceo. Altero aut tertio die post evacuationem ebibat æger haustulum ex Theriacæ Andromachi ʒ i. s. & aquæ rutæ q. s. simul mixtis confectum, & per horam sudori profundendo det operam. *Haustus diaphoreticus.* Postea curabimus sedulo, ut cerebri excrementa cum per palatum gargarismate, & per nares errhinis, (quorum formulas supra in cephalalgiæ à frigiditate ortæ curatione & à pituitosis humoribus, aliisque locis tradidimus) evacuentur, & ea omnia huc commodè referantur. *Particularis cerebri evacuatio.*

Lixivium pro ablutione capitis. Prodest & caput frequenter lavare lixivio calido in quo concocta sunt folia juglandis aut sequentes herbæ.

℞. Betonicæ,
Majoranæ,
Serpilli,
Meliloti,
Chamæmeli,
Lavendulæ an. M. s.

Topi

Fl chamæmeli remedium præstantiss.

Topica remedia primum quidem leviora, postea si parum proficias etiam fortiora auribus sunt instillanda, inter quæ generosum est remedium, Oleum ex floribus chamæmeli arte chymica destillatum, cujus guttulæ tepidæ aliquot instillandæ veniunt. Aut

Olea auribus instillanda.

℞. Olei amygdalarum amararum, nardini, laurini an. ℈ I. Commisceantur & guttulæ tepidæ auribus instillentur.

Experimentum ad surditatem singulare. Chymici nonnulli Q. E. vini g. j. quotidie auribus indunt ad surditatem minuendam. Alii aquam Card. Benedict. aliquoties destillatam hic commendant.

Omnium autem præstantissimum & experientia comprobatum ad surditatem tollendam remedium est succus ex ovis formicarum expressus, vel aqua ex ipsis formicis earumque ovis simul arte chymica destillata auribusque guttatim infusa. Ejusdem efficaciæ est & fel leporinum cum pari portione mellis virginei commixtum & auribus instillatum.

Surditas quæ ex obstruente auribusque impacta sanie oritur, quomodo curanda sit, paulo post in curatione purulentarum aurium, ulcerumque ejus manantium docebimus.

Surditas ex confusione vel plaga incurabilis.

Surditas quæ ab ictu, frequentibusque plagis capitis oborta est, si per aliquot menses perseveraverit & topicis remediis adhibitis non solvatur, incurabilis permanet.

4. *Sonitus aurium quid, quæ ejus causæ, quæ signa causarum, & quibus remediis curandus?*

Tinnitus aurium quid.

Ἦχος, sonitus, τριγμὸς, strepitus sive sibilus, βόμβος tinnitus ejusdem affectionis aurium sunt species. Est autem quando intra aures soni alicujus peregrini species, veluti tintinnabuli, campanulæ, follium fabrorum, papyri laceratæ sonus, aut cicadarum strepitus, non foris extrave aures editus, sentitur auditumque offendit.

Causæ.

Causæ hujus mali sunt προηγούμεναι quidem flatulenti spiritus inter membranam foramini auditorio prætensam à nervo auditorio ortam, & inter piam matrem, quæ ab invicem incude ossiculo sunt disjunctæ, collecti & inclusi, aut sunt tenues & sicci vapores ex epate, ventriculo aliisque visceribus eo delati, item humores crassi ac lenti foramina aurium obstruentes: προκαταρκτικαὶ vero causæ sunt capitis plaga, vini meracioris frequens ingurgitatio, crebri vomitus, & aquæ in foramina aurium profluxæ.

Signa.

Signum flatuosorum spirituum intra membranas inclusorum est, quod tinnitus continuè infestat donec discutiantur flatus. Signum crassorum vaporum ex infernis vaporibus ad nervos auditorios delatorum est, quod sonitus in auribus repente excitatus, per intervalla affligit, & rursum cessat. Præterea & cruditas ventriculi adest, & crebræ eructiones. Signa crassorum humorum membranas gravantium sunt, capitis gravitas & sonitus aurium non repentè sed paulatim excitatur & continuè durat donec auferantur crassi humores. Causarum externarum signa ex anteacta vita, & narratione ægrotantis dignoscitur.

Curatio.

Curatio, ut in omnibus morbis, pro diversitate causarum varianda erit, causaque removenda, tum per victus rationem, tum per remediorum usurpationem.

Diæta.

Victus itaque ratio semper est instituenda causæ contraria. Vitanda itaque sunt in cibo ac potu omnia quæ vel flatulentos spiritus vel evaporationes crudas excitare queant: deinde si aurium tinnitus à flatuosis spiritibus intra membranas contentis, aut crassis humoribus easdemque gravantibus, excitatus sit, primum molienda est capitis purgatio per sequentes pillulas.

Pillulæ cephalicæ.

℞. Mas. pil. cochiarum, Arabicarum, trochiscorum de agarico an. ℈ I. conformentur cum q. s. aquæ majoranæ pillulæ n. 27. & deglutiantur post mediam noctem. Tandem evacuentur cum vapores tum humores reliqui cerebri sequenti gargarismate.

Gargarismus phlegmagogus.

℞. Rad. pyrethri ℥ s. sem. erucæ ʒ III. sem. carvi ʒ II. majoranæ M. s. aceti & aquæ an. ℔. s. oxymellis scilliciti ℥ II. Arida crassiusculè contusa & simul commixta coquantur sub operculo ad medias, fiat gargarismus, quo indies mane ventriculo jejuno existente, tepido utatur.

Pulvis masticatorius.

Post gargarismum masticet æger sequentem pulverem.

℞. Flor.

℞. Flor. Majoranæ ʒ II.
Sem. Carvi ʒ III.
Sem. angelicæ, cubebarum, Macis an. ʒ I. Concidantur crassiusculè, fiat pulvis masticatorius cujus pugillum masticet æger naribus obstructis donec sapor aromatum non amplius in ore sentiatur, ac tandem expuat.

Topica.

His accedant & tinnientis auris fomentatio, topicaque remedia sequentia. Itaque

Fomentatio & vapor decocti herbarum.

℞. Fol. Majoranæ,
Stæchados Arabicæ,
Rorismarini,
Betonicæ,
Rutæ,
Fol. Lauri,
Absynthii an. M. s.
Sem. Carvi,
Cymini an. ʒ II.

Concisa & contusa misceantur, sacculoque lineo insuantur & in q. s. aquæ sub operculo coquantur donec ebullire cœperint. Tandem remota ollula ab igne primum vapor per canalem infundibuli ollæ impositi tepidus in aurem tinnientem recipiatur. Postea & sacculus à liquore expressus & adhuc calens auri imponatur. In aurium autem foramina instillentur aliquot guttulæ vini tepidi, in quo incocta sint castorei ʒ I. & spicæ Indicæ ʒ s. Aut

Auribus instillanda.

Chymici ol. castorii stillat. utuntur.

℞. Olei amygdalarum amararum ʒ I. succi cæparum, aut porri ʒ s. lactis muliebris ℈ II. misceantur & ejus guttulæ aliquot tepidæ auribus instillentur.

Tinnitus per consensum partium inferiorum remedia.

Ubi vero causa tinnitus per consensum, aut à biliosa evaporatione internorum viscerum aut à vaporibus crudis ex ventriculo ascendentibus contingat, vapores illi sequenti enemate subducendi erunt.

Enema.

℞. Malvæ,
Violariæ,
Flo. Chamæmeli,
Meliloti,
Centaurii minoris,
Absinthii an. M. s.

Concisa coquantur in q. s. aquæ ad medias, colentur, colati liquoris accipe ℔ I. cui admisce hieræ simp. ℥ II. Olei violarum, si biliosa est evaporatio, aut olei absinthii, si cruditas est causa evaporationum, ℥ III. salis communis ʒ I. commixta ac tepida infundantur recto intestino. Deinde si biliosa est evaporatio, sequenti haustu bilis subducatur.

Haustus cholagogus.

℞. Cassiæ recenter evulsæ ℥ I. Elect. rosati Mesuæ ℥ II. Aq. Cichoreæ q. s. fiat haustus qui sumatur sex horis ante prandium.

Tinnitus à cruditate ventriculi ut curandus.

Cruditas vero ventriculi si causa sit vaporum tinnitum excitantium, humores crudi sequenti potione sunt concoquendi.

Digestivum.

℞. Rad. Fœniculi, Apii,
Calami aromatici an. ʒ II.
Sem. Anisi.
Fœniculi,
Carvi an. ʒ III.
Herb. Mentæ,
Hyssopi,
Melissæ,
Cardui benedicti,
Centaurii minoris an. M. s.

Concisa & contusa coquantur in duplici vase cum ℔ II. aquæ ad sesquihoræ spacium, colentur, colato juri admisceantur Syr. è menta, oxymellis simpl. an. ℥ II. fiat potio, cujus mane ac vesperi ebibantur ℥ V. tepidæ. Absumpta potione evacuentur crudi humores sequenti haustu.

Haustus purgans.

R. Elect. diaphœniconis ℥ I. hieræ simpl. ℥ s. Aq. absinth. q. s. fiat haustus, & assumatur sex horis ante prandium. Egregiè quoque concoquit, digerit & discutit cruditates ventriculi ℥ s. vel cochlear aquæ juniperi manè jejuno ventriculo assumpta. Plura de cruditate ventriculi infra in curandis affectionibus ejusdem tradituri sumus.

Topica.

Topica quoque sequentia auribus instillanda minimè prætereunda. In tinnitu itaque à calida evaporatione oborta, auribus instilletur hic liquor.

Liquor narcoticus.

℞. Olei rosacei, lactis muliebris an. ℥ II. in quibus commixtis dissolvantur opii Thebaici gr. II. cujus aliquot guttulæ instillentur, ut dictum est, tepidæ.

Tinnitus à vaporibus crassis remedium.

Si verò vapores crassi crudique excitent tinnitum,

℞. Succi

℞. Succi majoranæ ʒ. II. olei caryophyllorum arte chymica parati ℈ I. in quibus commixtis dissolvantur moschi gr. II. & tepida instillentur.

5. *Tumor pone aures quid, quæ ejus causa, quæ causarum signa, & quomodo curandus?*

Parotis quid. Παρωτὶς Græcis, Latinis parotis est tumor qui glandulis inflammatis pone aures & præsertim circa radices aurium jacentibus accidere consuevit, & quidem aliquando cum febre, quandoque etiam citra febrim, ut plurimum post capitis dolores & deliria accidere solet.

Causa. Causa προηγουμένη parotidum ut plurimum est sanguis vitiosus aut fervens & biliosus, aut pituitosus, aut melancholicus in venis capitis redundans, & à natura ad glandulosas aurium partes propulsus.

Signa. Signa efficientis & materialis causæ sunt, sanguinis quidem ferventioris biliosique tumor rubeus & inflammatus ac dolor pulsatilis & acerbus. Sanguinis pituitosi signum est ubi tumor œdematis figuram refert h. e. laxus est & albidior & dolor mitior. Sanguinis vero melancholici signum est, si tumor scirrhum æmulatur h. e. durus ac livescens sineque dolore.

Curatio. Curatio parotidum pro excitantis humoris ratione, quemadmodum in omnibus tumorum generibus, varianda erit. *Parotides ex bilioso sanguine.* Parotides, quæ ex ferventiori biliosoque sanguine originem habent, curandæ sunt instar tumorum præternaturalium, quas φλεγμονὰς & erysipelata nominant. Omnium itaque primum in parotidibus inflammatis alvus, & per consequutionem ferventior sanguinis impuritas sequenti enemate subducatur.

Enema. ℞. Malvæ, althææ, violariæ,
Flo. centaurii minoris an. M. s.
Quatuor seminum frigidorum majorum an. ʒ II.
Prunorum dulcium exiccatorum n. x.

Concidenda concidantur contundendaque contundantur, & in q. s. aquæ concoquantur ad tertias, colati liquoris accipe ℥ xv. quibus admisce cassiæ extractæ, hieræ simpl. an. ℥ I. Ol. violarum ℥ III. salis communis ʒ I. fiat Enema, quod tepidum recto intestino infundatur.

Post alvi evacuationem incidatur vena cephalica affecti lateris. *Vena sectio.* Altero die à venæ sectione reliquiæ ferventium humorum sequenti haustu evacuentur.

Haustus cholagogus. ℞. Rhabarbari electi ʒ I. s.
Thamarindor. ℥ s.

Contusa macerentur per noctem in aqua cicoreæ ℥ VI. deinde leniter ebulliant, fortiter exprimantur ac colentur, colato jusculo admisceantur elect. lenitivi, rosati Mesuæ an. ʒ II. fiat haustus, qui in aurora tepidus patienti offeratur.

Topica. His ritè peractis ad topica accedendum erit, ac tumori primum anodyna id est dolorem mitigantia, & deinde suppurantia, sive maturantia pharmaca applicanda erunt. Cavendum autem ne in initio tumori repellentia & astringentia, qualia sunt omnia quæ refrigerant, imponantur. *Cataplasma anodynum.* Repellunt enim materiam vitiosam, & augent dolorem. Primum itaque tale cataplasma anodynum tumori commodè applicabimus.

℞. Ol. olivarum in aqua calente bene loti ℥ II.
Butyri recentis non saliti ℥ I.
Vitellorum ovorum n. II.

Muccaginis seminis lini & fænugræci cum aqua simplici & pauxillo aceti præparatæ ℥ II. Misceantur, fiat cataplasma, quod tepidum duplicatis linteolis exceptum tumori bis indies imponatur. Remittentibus doloribus aliud cataplasma suppurans & ad maturitatem tumorem perducens imponi debet, quod hoc modo conficitur.

Cataplasma malacticon & suppuratorium. ℞. Pollinis sive farinæ volatilis in molendinis parietibus adhærentis,
Pul. Sem. lini, fænugræci an. ℥ I.
Pinguedinis porcinæ recentis & non salitæ ℥ II.
Ficuum probe contusarum ℥ s.
Muccaginis ex decocto rad. althææ, malvarum,
Flor. Chamæmeli & millitoti confectæ q. s. ad

q. s. ad conformationem cataplaſmatis, quod tepidum bis in die tumori imponatur. Interim nec cerebrum negligendum eſt, ſed quotidie mane ac veſperi corroborandum erit rotulis 11. diarhodon abbatis. Ubi vero tumor ad maturitatem perductus eſt, quod ex ejus mollitie dignoſcere licet, chirurgica manu ſcalpello aperiatur, puſque exprimatur ac vulnus purificetur, & communibus emplaſtris diateſſaron & citrino dictis ad cicatricem deducatur.

Cerebrum roborantia.

Apoſtema aperiendum.

Parotidum ex pituita vel melancholia remedia.

Porro parotidibus ex pituitoſo ſanguine inſtar œdematis aut ex melancholico ſucco inſtar ſcirrhi progenitis, talis curatio adhibenda erit.

Primum concoquatur & extenuetur vitioſus humor in capite collectus, decoctionibus, ſyrupiſque ſupra in cephalalgiæ ſpeciebus à pituita & melancholia ortis, deſcriptis, vel ſequenti potione.

Potio digeſtiva.

℞. Mellis roſarum,
Oxymellis ſcillitici,
Syr. è ſtæchad. an. ℥ I. s.

Aq. ſtillatitiarum betonicæ, fumariæ, meliſſæ an. ℥IIII. Miſceantur fiat potio, cujus ℥ IIII. tepidæ mane ac veſperi ebibantur. Potione hac exhauſta purgetur cerebrum ſequentibus pillulis.

Pillula cephalica.

℞. Maſ. pil. cochiarum, aggregativarum, arabicarum an. ℈ I. cum aqua majoranæ formentur pill. n. 27. quæ deglutiantur ſex horis ante prandium. Aut evacuentur cerebri excrementa ſequenti hauſtulo.

Hauſtus phlegmagogus.

℞. Diacatholici ℥ s. Diaphæniconis ʒIII. Diſſolvantur cum q. s. aquæ majoranæ, fiat hauſtus; qui tepidus ſex horis ante prandium ebibatur. Tandem indies corroboretur cerebrum ſequenti elect.

Elect. cerebrum corroborans.

℞. Theriacæ Andromachi ℥ s.
Conſer. roriſmarini, meliſſæ an. ℥I.
Sp. diamoſchi dulcis, diambræ an. ʒI.

Syr. è ſtæchade q. s. miſceantur fiat electuarium, de quo mane ac veſperi aſſumat patiens quant. ſemijuglandis.

Topica. Vnguentum emolliens.

Topica vero remedia tumori hæc commode applicabuntur.

℞. Pinguedinis porcinæ antiquæ & liquefactæ, gallinaceæ, anſerinæ an. ʒII.

Ol. liliorum alborum, irini, mellis virginei an. ʒI. Commiſceantur, fiat linimentum, quo tepido tumor probè inungatur: & ſtatim poſt inunctionem ſequens cataplaſma ſingulis diebus bis uſque ad mollitiem tumoris imponatur.

Cataplaſma malacticon.

℞. Capparum in ferventi cinere coctarum ℥ III.
Pul. fœnugræci, orobi, lini an. ℥ s.

Ol. liliorum alborum q. s. Commiſceantur inſtar cataplaſmatis & calidum imponatur. In ſcirrhoſis autem parotidibus duriſque tumoribus, poſt tumoris inunctionem ſequens emplaſtrum utiliter imponitur.

Emplaſtrum ad ſcirrhoſas parotides.

℞. Sem. ſinapi, urticæ, ſulphuris vivi, ſpumæ maris, Ariſtolochiæ rotundæ an. ʒ II.
Bdellii, ammoniaci in aceto ſoluti ac colati an. ℥ s.

Ol. irini & ceræ albæ an. q. s. fiat emplaſtrum, quod per alutam tumori adaptatam extendatur & parotidibus applicetur. (*Aluta* ein Semiſch fell.)

6. *Aurium purulentia ſive fluxio quid, ex quibus cauſis oritur, quibus ſignis dignoſcitur, & quomodo curanda?*

Purulentia aurium quid.

Differentia.

Biliosum tamen excrementum paucum per aures naturaliter expurgatur.

Πυῤῥοῦντα ὦτα, purulentæ aures dicuntur quando ex auribus aut ἰχῶρες aut ſanguis tenuis aut pus ſanieſve ex auribus profluit. Profluit autem aut continuè, aut περιοδικῶς. puerulis familiare malum, ſed omnis excretio quæ per aures fit, à natura eſt alieniſſima. Naturales enim viæ per quas cerebrum expurgari debet, ſunt nares & palatum.

Cauſa.

Cauſæ προηγουμέναι fluentium aurium ſunt, aut nimia humiditas cerebri, veluti in infantibus, aut vitioſus acriſque ſanguis, membranas, aurium foraminibus prætenſas, erodens; aut abſceſſus, intra aures ab impuro ſanguine inter membranas, tenuem atque craſſam menyngem circa aures ſitas, coacervatus. Cauſa vero abſceſſus προκαταρκτικὴ eſt ictus violentus aut capitis percuſſio.

Signa.

Signa cauſarum ſunt manifeſta. Si enim ἰχῶ-

ἰχῶρες profluant, humiditatem: Si sanguis acris, erodentem humorem: Si pus, abscessum intra aures, fluoris causam esse ostendit.

Prognostica. In fluore aurium hæc prognostica sunt notanda. In abscessibus aurium, nisi pus profluat, epilepsiam infert. Si autem maturè profluxerit, doloris, gravitatisque capitis levationem insignem adfert. Nulla itaque aurium fluxio temerè ac citò cohibenda est, nisi diuturnitate affligat hominem. *Aurium fluxiones non cito cohibendas esse.*

Curatio. Curandi ratio pro causarum varietate dirigenda erit. Cum itaque fluunt aures ob nimiam cerebri humiditatem, exiccando & evacuando curabitur. Remedia autem quæ cum intra corpus sunt assumenda, tum foris applicanda, supra in specie cephalalgiæ, ab humiditate orta, sufficienter enumerata sunt. In genere autem hoc loco notasse satis erit, in omni fluxu ex auribus, primum aures esse à sordibus per auriscalpia vocata, instrumenta, quæ Galeno ὠτεγχύται nominantur, emundandas esse. Deinde hydromelis tepidi guttulæ aliquot auri fluenti sunt instillandæ, & post horæ quadrantem rursus ex auribus effundendæ. *Mundatio aurium per otenchytas.*

Fluxio periodica quibus proliciendа. Ubi vero fluxio periodica sistatur meatusque obstruat, hominemque in metum epilepsiæ conjiciat, statim aut tepido hydromelite, aut oleo ex floribus chamæmeli arte chymica destillato & auribus instillato, obstructio aperienda erit. Verum si fluxio diutius perduret, tum sequens linimentum lana mollissima aut bombace exceptum, & prædicto instrumento involutum fluentibus auribus indatur.

Linimentum nim. fluxum cohibens.

℞. Vini rubei stiptici, vel in quo candens chalybs est extinctus ℥ß.
Mellis rosacei ʒ II.
Aluminis crudi tenuissimè pulverati ʒ I.

Misceantur, fiat linimentum instar collyrii.

Fluxio ab exulceratione ut curanda. At vero si pus ab exulceratione profluat aut sanguis, post elotionem cum tepido hydromelite, sequens remedium tepidum instillandum erit, aut, ut præscriptum, lana tenuissima exceptum auribus imponendum.

Liquor au-rib. indendus exsiccans valde.

℞. Sarcocollæ, aloës purissimæ, thuris an. ℈ I.
Squamæ æris cum aceto præparatæ aut croci martis ℈ II.

Omnia tenuissimè pulverata & q. s. vini rubei chalybeati temperentur ac misceantur, fiat linimentum instar collyrii.

Præscripta remedia tantisper repetenda erunt, donec omnis exiccetur humiditas, & ulcus ipsum consolidetur. Quin & saniei ex auribus profluenti præclarè medentur hæc sequentia:

Saniei profluentis remedia. Oleum ex seminibus cannabis paratum, aut succus ex ejus floribus expressus, aut oleum irinum, aut oleum terpenthinum auribus tepidum instillatum. Foris autem auribus fluentibus humiditatem exiccantia commodè imponi possunt, veluti sunt sacculus ex torrefacto & adhuc calente milio concinnatus. *Sacculus.* Si vero fluxioni adjunctus sit dolor acerbus, granis 2. opii in lacte muliebri solutis, auribusque instillatis dolor mitigari potest. *Anodyna.*

7. *Vermiculantes seu verminosæ aures, & vermes foris irrepentes, aut alia corpuscula aurium meatibus incidentia, quomodo curanda?*

Verminosæ aures, Græcis σκωληκῶντα ὦτα nominantur: vermes autem quandoque, quanquam rarius, innascuntur auribus sordidis, exulceratis ac purulentis. Foris vero irrepunt vermiculi frequentius, quales sunt pulices & oblongiusculi puniceique coloris vermiculi, qui in putrefactis lignis & circa vitium antiquarum radices nascuntur, quos auriculares vermes vocant. *Vermes in aures quomodo irrepant.*

Causa. Causæ vermium in auribus nascentium, est sordida exulceratio internarum circa aures partium. Signa ejus mali evidentia sunt, dolor nimirum, pruritus, & titillatio aurium, ex quibus vel sponte albicantes vermiculi prorepunt, vel auris scalpello excipiuntur.

Curatio. Curatur hoc malum mundificatione, & ulceris consolidatione, iisdem remediis & instillationibus quæ in præcedenti quæstione sunt enumeratæ.

Enecantur autem in auribus vermes, cum *Vermes*

 ii, qui

Aurium enecantia remedia. ii, qui in eis sunt geniti tum qui foris inciderunt succo mentastri Pferdemüntze / aut succo foliorum persicorum, aut succo absinthii, quibus pauxillum aloës est admixtum, si tepidi auribus instillentur.

Signa vermium in auribus. Signa vero vermium foris irrepentium, sunt strepitus in auribus, titillatio & pruritus sine dolore, sineque puris aut humiditatis effluxione, qui strepitus repente excitatur, hominesque non parum anxios reddit, nisi maturè vermes aut eliciantur, aut enecentur.

Quomodo vermes eliciendi. Elici autem possunt vermes ex auribus, si fasciculus pilorum in hydromelite madefactus aurium meatibus inseratur.

Necantia vermes. Si vero ea ratione vermes elici extrahique nequeant, in ipsis auribus enecandi primum sunt, & processu temporis auri scalpellis expurgandi. Enecant autem vermes succi omnes acriores & amariores, aurium meatibus tepidi instillati, quales sunt succi rutæ, mentastri, folia persicorum, cæparum, absinthii, vinum in quo cocta est colocynthis.

Efficaciores autem fiunt succi, si pauxillum aloës eis admisceatur.

Solidum quid ut ex auribus eximendum. Porro ubi corpusculum aliquod solidius meatibus aurium illapsum fuerit, statim conandum est ut quamprimum eximatur, alioqui sæpe tumorem, inflammationem, acerbos dolores, periculosasque convulsiones in auribus excitat. Primum itaque lavetur fomenteturque totum caput decocto chamæmelino. Deinde instilletur auribus pauxillum olei chamæmelini, ac tandem excitetur sternutatio pulvisculo Hellebori albi naribus attracto. *Sternutatio excitanda.* Ita enim facile excutitur res auribus illapsa nisi grandiuscula fuerit, quæ forpecula aut instrumento ferreo, hami obtusi formam referente excipienda, aut saltem artificiosè comminuenda erit, ut facilius per sternutationem prosilire queat.

Pisa ex auribus ut eximenda. At si pisi grana aut materia intumescens auribus inciderit, tum ab omni humectatione & olei instillatione abstinendum erit, & instrumentis chyrurgicis aut extrahenda aut comminuenda erit materia.

Si vero aqua aut liquor aliquis in aurium meatus illabatur, capite inclinato ad affectam partem facile liquor profluet, præsertim ubi sternutatio accedat. Ex infantium auribus aqua illapsa valida suctione elici potest.

SECTIO III.
DE NARIUM MORBIS ET AFFECTIBUS.

1. *Narium morbi qui, & qua ratione curandi?*

Nares non sunt primaria olfactus organa, sed viæ tantum & receptacula qualitatum odorabilium, rerum odores excipientia, & ad duas molles ac spongiosas propagines, quæ ex substantia cerebri ad nasi radicem usque protenduntur, suntque propriissima olfactus organa deferentia. *Narium officium.* Naribus tamen male affectis obstructisve quoquo modo vitiari necesse est sensum olfactus, & plurimum impediri respirationem. Narium porro familiares affectiones sunt:

- Sanguinis è naribus eruptio,
- Ulcus virulentum seu exulceratio narium,
- Carnosa excrescentia seu tumor in naribus,
- Fœtor narium,
- Olfactus privatio,
- Sternutatio crebra,
- Gravedo.

2. *Sanguinis è naribus eruptio quid, ex quibus causis contingit, & quibus remediis sistitur?*

Hamorrhagia narium quid. Ῥινῶν αἱμοῤῥαγία sanguinis è naribus profluvium Latinis dicitur. Erumpit autem ac profluit sanguis è naribus, aut naturæ beneficio, aut ex causa præternaturali.

Causa. Causæ præternaturales eruptionis sanguinis è naribus, sunt apertio, erosio, aut ruptio venarum in nares desinentium. Sunt autem hæ venæ surculi quidam venarum, ex palati venis orti, & per nares divaricati, qui

qui aut aperiuntur à redundanti ſanguine, aut eroduntur ab acri & bilioſo ſanguine, aut rumpuntur ab ictu violento.

Prognoſtica.

Porro ex quacunque cauſa proveniat ſanguinis è naribus eruptio, niſi ſit critica, & expellatur naturæ beneficio, minimè deſpicienda contemnendave erit. Nam ubi per negligentiam fluor ſanguinis modum excedit, animi deliquium infert, & jecinoris calorem innatum extinguit, quo extincto καχεξίαν & hydropem inducit.

Signa.

Signa fluentis ſanguinis manifeſta ſunt. Si enim ſanguis ſit tenuis & flavus, eroſionem venarum; ſi inculpatus, cum robore faciei, apertionem ſignificat: Qui ex ruptione profluit, ejus cauſæ cum ſint manifeſtæ, nullo indigent ſigno.

Hoc ſignum eſt morbi mali moris, & plerumque lethale, ut experientia teſtatur.

Aëtius prognoſticum ſignum lib. 5. cap. 124. ponit, inquiens; ſanguis è naribus profluens, ſi in febribus quarto die ab initio febris contingat, peſſimum eſt ſignum, præſertim ubi parum ſanguinis exſtillet; tum enim abſoluta morbi malitia ſignificatur: Si vero affatim & copioſè profluat, ſalutare eſt ſignum.

Curatio.

In fluore itaque ſanguinis è naribus, ſi per ſe non ſtatim ſiſtatur, curatio minimè differenda erit, ſed ſtatim pro cauſarum diverſitate inchoanda ac varianda eſt. Si itaque ſanguis è naribus erumpat ob ἀναστόμωσιν, id eſt venarum ex redundantia ſanguinis apertionem, & vires ætasque admittant, protinus ſanguis à capite per venæ ſectionem fluentis lateris revellendus erit. Vena autem eſt ſecanda jecoraria, & per intervalla temporis bis terve digito comprimenda, ac rurſum aperienda, donec ſanguis abunde eſt diminutus.

Vena ſectio.

Ligatura & frictiones extremitatum.

Siſtitur facile ſanguis è naribus rumpens per averſionem, quæ fit per artuum manus fortes devinctiones & fricationes; ſed teſte Hippocrate, nullum eſt præſentius remedium ad cohibendum erumpentem ſanguinem quam cucurbitulas magnas cum multa flamma hypochondrio lateris fluentis, vel, ſi ex utraque nare profluat, utrique applicare.

Cucurbitulæ.

Epithema hæmorrhagiam ſiſtens ſingulare.

Avertit quoque à naribus & erumpentem ſanguinem citiſſimè ſiſtit, ſi maſculis quidem teſticuli, fæmellis verò mammillæ acerrimo aceto, duplicatis linteolis excepto, eiſque impoſitis & alligatis foveantur. Idem præſtat in quocunque fluore ſanguinis lapidis hæmatitis particula in vola manus lateris fluentis fortiter compreſſa ac contenta.

Lapis hæmatites.

Remedia eroſionis venarum.

At vero ubi ſanguis è naribus per eroſionem venarum ob acrem ac tenuem ſanguinem profluat, ſanguis tenuis & erodens refrigerandus incraſſandusque erit ſequenti potione.

Potio ſanguinem incraſſans.

℞. Syr. è papavere, è myrtillis, è cichorea an. ℥ I. s.
Aq. plantaginis, portulacæ, roſarum an. ℥ II.

Chymici hujus loco croco ♂ utuntur cum ſucco citoniorum vel laudani opiati aliquot granis, vel tinctura corallorum.

Miſceantur, fiat potio, quæ in tres diviſa partes, diluculo trium dierum, tepida exhauriatur. Poſtea tandem ſanguis à bilioſis & acrioribus excrementis per ſequentem hauſtum purificetur.

℞. Rhabarbari electi ʒ II.
Sem. aniſi ℈ I.

Contuſa macerentur per noctem in ℥ V. aquæ cichoreæ, mane vero fortiter exprimantur, expreſſoque liquori admiſceantur elect. lenitivi ʒ III. Roſati meſuæ ʒ I. Fiat hauſtus, qui tepidus in aurora ſex horis ante prandium ebibatur.

Hauſtus purgans.

Topica.

Topica & experientia comprobata remedia ad profuſionem è ſanguinis naribus ex quacunque cauſa ſunt ſequentia errhina.

Linimentum naſale ſanguinem ſiſtens.

℞. Gypſi, cineris chartarum luſoriarum, gallarum an. ℈ I.
Calcis vivæ ℈ II. Quibus in tenuiſſimum pulverem & cum albumine ovi in linimenti formam redactis lintei raſura in pyramidalem formam conformata & prædicto unguento imbuta, naribusque indita, ſanguinem ſiſtunt. Aut

Pulvis ſanguinis toſti.

℞. Sanguinis è naribus patientis profuſi ℥ II. qui exiccetur & torrefiat per laminam ferream calefactam, & in tenuiſſimum pulverem redactus naribus ſuffletur.

Experimenta alia.

Mirificè quoque ſanguinem ſiſtere poteſt ſtercus aſininum, aut in ejus penuria ſuillum

lum torrefactum & naribus inditum vel admotum.

Idem facit odor cepa. Quin stercus suillum recens excretum & adhuc tepens naribus admotum, solo odore sanguinem sistit.

Lanugo foliorum salicis naribus indita, sanguinem statim comprimit. Probata sunt omnia.

3. *Exulceratio sive ulcus virulentum narium quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus remediis curanda?*

Ozæna quid. Causa. Ὀζαίνα sunt ulcera crustosa, fœtida, curatu difficilia, in naribus exorta. Causæ hujus mali sunt humores acres, erodentes & virulenti, qui ex cerebro ad nares defluunt, qualibus cerebrum redundat in lue Venerea laborantibus.

Signa. Signa sunt conspicua. E naribus enim crustula sordidiora & grave olens mucus emungitur: quomodo laborantes & sibiipsis & proximè astantibus tetro fœtore molesti sunt.

Prognostica. Ozænarum curatio si à principio negligatur, sæpe narium alas, & interstitium magna cum deformitate exedunt & perforant.

Curatio. Curandi ozænarum ratio à venæ sectione & humorum virulentorum concoctione & evacuatione auspicanda erit. Incidatur itaque vena cephalica dextri cubiti primum, deinde & vena frontis.

Venæ sectio.

Post venæ sectionem præparetur vitiosus humor ad evacuationem sequenti potione.

Potio digestiva.

℞. Betonicæ,
Fumariæ,
Veronicæ,
Thymi,
Epithymi,
Rorismarini an. M. s.
Sem. Angelicæ,
Ligustici,
Anisi,
Fæniculi an. ʒ II.
Rad. Polypodii, veratri nigri prius ebulliti in aqua & rursum siccati an. ℥ I.
Cinamomi electi, cubebarum, macis an. ʒ I.
Rhabarbari ʒ I. &c. s.

Chymici suo universali digestivo, tartaro nempe vitriolato in vino dissoluto. Idem præstant.

Concidendis concisis & contundendis contusis in hydromelitis ℔ III. coquantur in duplici vase, sive in obturato cantharo, ferventi aquæ imposito per duas horas: Quo refrigerato fortiter exprimantur, colentur, & colato juri admisceantur Syr. è fumo terræ, de epithymo, è bethonica an. ℥ III. fiat potio, cujus ℥ V. tepidas patiens mane ac vesperi exhauriat.

Absumpta hac potione purgentur virulenti humores sequentibus pillulis.

Pillulæ. ℞. Mas. pil. aurearum, cochiarum, fœtidarum an. ℈ I. diagridii gr. III. ex simul contusis cum aqua majoranæ conformentur pillulæ n. 27. quæ obauratæ circa medium noctis deglutiantur. Aut purgetur universum corpus sequenti haustu.

Haustus purgans. ℞. Confectionis hamech, electuarii è succo rosarum, diasenæ an. ʒ III. Hieræ compositæ ʒ II. Aquæ betonicæ q. s. ad præscriptorum resolutionem, fiat haustus, qui tepidus assumatur in aurora, & abstineat æger à cibo potuque per spatium sex horarum.

Purgato universo corpore, nec cerebrum ipsum est negligendum, sed ex eo supervacanea excrementa ante prandium & cœnam detrahenda, aut sequenti gargarismate, aut pulvere masticatorio.

Gargarismus. ℞. Rad. pyrethri ℥ s. Sem. erucæ ʒ V. Carvi ʒ II. Cubebarum ʒ I. Contusa crassiusculè coquantur in aquæ & acerrimi aceti p. æ. id est singulorum ℔ I. Coquantur autem in olla ad medias, colato jusculo admisceantur mellis rosacei ℥ II. Fiat gargarismus, quo tepido utendum est.

Pulvis masticatorius. ℞. Sem. staphidis agriæ ℥s.
Masticis ʒ V.
Fol. Majoranæ ʒ II.
Cubebarum ʒ I.
Scammonii ʒ s.

Concisa crassiusculè commisceantur, fiat pulvis masticatorius.

Cerebrum roborantia. Post masticationem aut gargarisationem, cerebrum subinde corroboretur, aut rotulis duabus tribusve diamoschi vel diambræ vocatis, quotidie jejuno ventriculo

triculo assumptis, aut decorata semiuncia conservæ rorismarini aut sequentis electuarii.

Electuarium. ℞. Conser. rorismarini ℥ I. myrobal. chebulorum conditorum, corticum arantiorum conditorum an. ℥ s.
Spe. Diamoschi dulcis,
Diambræ an. ʒ I.

Syr. è betonica q. s. fiat electuarium, cui admisceantur Olei cinamomi gut. II. quo utatur patiens mane ac vesperi. His probè procuratis ad topica remedia confugiendum erit. *Topica.* Ac primum quidem crustosæ nares singulis diebus vapore decoctarum in vino herbarum emollientium, quales sunt, flores chamæmeli, meliloti, malvæ, anethum, veronica, fomententur. *Fomentatio.*

Aut extergantur sordes sequenti liquore.

Liquor extergens. ℞. Suc. Marrubii, millefolii, veronicæ an. ℥ II.

Mellis rosati ℥ I. quo tepido nares ulcerosæ eluantur, deinde exiccentur humores inhærentes vapore excrementi ferri candentis, quod scoria ferri dicitur (Zunderstein) vino rubeo conspersi, & vapore per canalem infundibuli naribus immisso. *Vapor exsiccans.* Post exiccationem ulceris sequens linimentum mollissimo lino carpto exceptum, naribus est inferendum, ut ulcus ad cicatricem deducat.

Linimentum sanans I. ℞. Myrrhæ, thuris an. ʒ I.
Calcis ex testis concharum ustarum factæ ʒ I.
Albuminis ovorum q. s.

Fiat linimentum.

Aut illud quod sequitur eadem ratione naribus inferatur.

Alterum. ℞. Lythargyrii, cerussæ, an. ʒ III.
Plumbi usti ac eloti ʒ II.
Myrrhæ, aloës an. ʒ I.
Cort. granatorum ʒ s.

Tenuissimè pulverata excipiantur oleis hypericonis è terebintina destillati an. q. s. Fiat linimentum molle.

Citissimè sanat & ad cicatricem deducit non tantum ozænas, sed ad alia sordida ulcera suffumigium naribus aliisque partibus ulceratis per canalem admissum, sequens pulviscul.

Suffumigium valde sanans & exsiccans ulcera narium. ℞. Auripigmenti, cinabaris an. ʒ I.
Benzoi, styracis calamithæ, caryophyllorum an. ℈ I.

Misceantur, fiat pulvis, qui carboni candenti inspergatur, & fumus inde excitatus per canalem naribus immittatur.

Præstat autem meatus ad cerebrum, & ossa Ithmoidum ad radices narium sita molli lana prius obstruere, ne fumus per inspirationem in ipsum cerebrum attrahatur: Obest enim cerebro.

Ol. vitrioli. Verum his omnibus præstantius est remedium ad ozænas curandas, oleum vitrioli ulceri illitum. Sordes enim abstergit, corruptas carnes partium exedit, & statim sanitati restituit.

Carnosa in naribus excrescentia quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus remediis curanda?

Polypus quid. Πολύπους est carnosa è naribus excrescentia ac prominula, quæ dum adhuc recens est, σάρκωμα Græcis nuncupatur, quæ semper exulcerationis, si ejus curatio negligatur, est comes. Hæc carnosa excrescentia in plenilunio ita excrescit, ut è naribus foras propendeat, circa novilunium autem flaccescit & imminuitur. Molestissimum est malum, narem enim obstruit, respirationem intercipit, loquelamque obscurat & impedit.

Causa. Causæ προηγουμέναι carnosæ excrescentiæ sunt lenti viscidique humores ex cerebro ad nares exulceratas decumbentes, ulceribusque inhærentes, teste Galeno lib. 3. de comp. med. secundum loca, c. 3.

Signa. Signa sunt manifesta. Caro enim excrescens polypi piscis carni similis est, h. e. tumescens, laxa, rara, mollis, colore varia: Nunc enim alba, nunc rubea, nunc cineritia, nunc livida conspicitur, Celso lib. 6. cap. 8. attestante.

Curatio. Curatio hujus mali non caret difficultate, & nisi cautè & cito curetur, in cancrum transire consuevit. Curatur autem duplici ratione, aut chirurgica videlicet præcisione, *Præcisio.*

aut

periculosa. aut medicamentorum applicatione. Verum chyrurgica præcisio hujus carnis periculosa est, tum propter sanguinis violentam eruptionem tum propterea quod nisi radicitus excidatur, processu temporis ex radicum ejus reliquiis rursum hæc caro renascitur, aut certo in cancrum transit. *Modus præcisionis.* Qui itaque polypi curationem in rigidis corporibus per chirurgica tentare volunt, non satis est prominentem carnem abscindere, sed necesse est nasi alam in affecto latere foris profundè incidere, & radices evellere, earumque vestigia candenti instrumento ex argento facto, inurere, & tandem vulnus ad cicatricem deducere. Quæ curandi ratio & deformitatem infert, & non leves cruciatus adjunctos habet.

Quomodo absque chirurgia auferatur. Præter chirurgicam curationem potest auferri hoc malum, quanquam difficulter medicamentis καυστικοῖς h. e. erodentibus & exurentibus carnem. *Venæ sectio.* Primum itaque si corporis constitutio & ætas efflagitat, incidatur vena cephalica affecti lateris. Deinde lenti crassique humores cerebri extenuentur, coquantur & extenuentur per *Evacuatio corporis & cerebri.* remedia cum generalia, qualia sunt decocta & syrupi, tum particularia qualia sunt gargarismata & masticatoria, quorum copiam supra in curatione cephalalgiæ pituitosæ descripsimus, quæ hoc loco repetere supervacaneum est. Purgato itaque *Topica.* universo corpore & cerebro, ad topica remedia, pharmaca confugiendum erit, & naribus partique affectæ indenda & applicanda sunt, quæ carnem & absumant & erodant. Applicanda autem sunt circa novilunium, cum flaccessit caro. *Ol. vitrioli absumit polypum.* Præstantissimum vero omnium remedium polypi oleum vitrioli prima vice destillatum, necdum correctum, aut ejus aqua in principio destillationis excepta, quæ molli lana excepta, carni circumponatur, carne scalpello scarificata, & reliquis partibus narium oleo rosaceo prius illito: aut caro ex-*Linimentum pro absumendo polypo.* crescens inungatur sequenti linimento.

℞. Lythargyrii ʒ III. cerussæ ʒ s.
Cort. granatorum, aluminis usti an. ʒ II.

His in tenuissimum pulverem redactis, cum mellis rosacei, & aquæ fortis seu separationis auri ab argento (**Scheidelwasser**) q. s. exceptis, in formam linimenti redactis subinde locus affectus illiniatur. Aut

℞. Squamæ æris **Kupfferschlag** ℥ I. *Pulvis.*
Atramenti sutorii, hellebori nigri an. ʒ III.
Sandaracæ ʒ II.

Fiat pulvis subtilissimus, & naribus insuffletur. Aut

℞. Mellis cocti & à spuma defecati,
Æruginis tenuissimè pulveratę an. ℥ s. *Linimentum aliud*

Sarcocollæ, gummi armeniaci in aceto acri liquefacti ac colati ʒ s. Commixta rursum coquantur simul in formam linimenti, quod affectæ nari molli lana exceptum singulis diebus bis indatur. *Polypi in cancrum degenerantis remedia.* Porro solet inveteratus polypus plerumque in carcynoma sive cancrum vocatum ulcus degenerare, quod ejus duritie, lividitate & horribili fœtore, acrique ejus dolore, facile cognosci potest, cujus curatio omnium est difficillima. Præstat itaque ut Medicus cum à præcisione, tum ab acribus erodentibusque medicamentis abstineat. Neutram enim sine patientis vitæ periculo tentare poterit. *Cura palliata cancri.* Ideo sola palliata, ut vocant, curatione, & vitæ protractione sequentibus medicamentis uti commodè poterit.

Liquor eluens sordes polypi cancrosi. ℞. Sem. lentium, plantaginis an. ʒ I. Contusa simul coquantur in lactis caprini ℔ II. ad medias, colentur, & colato jusculo admisceatur ℥ I. saccari albi: quo jusculo tepido sordes carcinomatis quotidie bis è naribus eluantur: elutis sordibus inungatur cancer sequenti linimento.

℞. Unguenti rosacei ℥ I. *Unguentum.*
Succi plantaginis, solatri an. ℥ II.
Lithargyrii auri & argenti an. ʒ VI.
Tuthiæ præparatæ ℥ I.
Cerussæ ʒ II.

Simul coquantur donec succi in vaporem evanescant, fiat unguentum in plumbeo mortario probè agitatum, quod subinde narium cancro inungi debet. *Experimentum* Aut illinc cancro narium vitella ovorum in mortario plum-

Experimentum singulare in cancro narium.

plumbeo diutissimè usque ad nigredinem agitata & in unguenti formam redacta, cui admisceatur camphoræ ℈ I. Hoc linimentum prohibet in cancro putrefactionem, nimirum exiccando, & mitigat dolorem refrigerando, fœtoremque aufert ratione camphoræ.

Hæc quoque de fœtore oris valent.

5. *Fœtor narium quibus ex caussis oritur, & quibus remediis aufertur?*

Fœtor narium.

Narium fœtor dicitur ubi halitus grave olens è naribus inter expirandum eructatur, non modo ipsi patienti sed & astantibus molestus.

Causæ.

Causæ fœtoris narium προηγουμέναι præcipuæ sunt duæ, videlicet vapor putridus ex ventriculo aut pulmonibus ad os naresque exhalans, & materia corrupta ac marcida foraminibus ethmoidum meatibusque narium impacta.

Curatio.

Curatio hujus mali à causarum remotione auspicanda erit. Si itaque fœtor, putidusque odor per συμπάθειαν ex ventriculo ad nares exhalet, materia putrescens ex ventriculo purganda erit, id quod commodè fiet, si quis crebrius aut singulis mensibus semel sequentes pillulas circa medium noctis deglutiat.

Pillulæ stomachales.

℞. Mas. pil. de hiera simplici,
Mastichinarum,
Agarici trochiscati an. ℈ I.

Ol. absinthii, menthæ, cariophyll. fœtorem anhelitus emendant.

Cum aqua menthæ formentur pillulæ n. 27. Absumunt simili ratione omnes ventriculi impuritates, vaporesque exhalantes supprimunt, guttulæ septem olei vitrioli cum haustulo vini assumptæ, aut guttulæ quinque olei absinthii aut menthæ aut caryophyllorum chymico artificio exstillatæ cum vino pauxillo haustæ. Verum morborum symptomatumque ventriculi curationem paulo infra uberius explicabimus.

Si causa fœtoris in naribus, quæ conveniant.

Porro si fœtoris causa in narium meatibus aut ossis ethmoidis foraminibus hæreat, per errhina & sternutamenta excitantia pharmaca auferenda erit, & gravis odor natium, fragrantium rerum in nares insertione temperandus est.

Sternutamentum probè excitat, & obstructionem narium reserat sequens pulvisculus.

Pulvis sternutatorius.

℞. Calami aromatici, myrrhæ, fol. majoranæ an. ℈ s. Redigantur in pulverem tenuissimum & naribus inspirando attrahantur. Aut si vehemens meatuum sit obstructio, inseratur naribus sequens errhinon.

Nasalia.

℞. Nucis moschatæ, piperis nigri, staphidis agriæ, pyrethri an. gr. v. hellebori albi ℈ s. Salis ustulati gr. II. laudani ʒ I.

Ex his omnibus exactè pulveratis, cum q. s. succi majoranæ in calido mortario conficiantur Nasalia.

Suavitatem exhalationis cum è naribus tum ex ore reddit sequens pulvisculus masticatorius.

Pulvis masticatorius suavitatem anhelitus concilians.

℞. Cubebarum,
Calami aromatici,
Iridis illyricæ (Violen wurtzel/)
Cinamomi, macis an. ʒ s.
Folior. majoranæ ℈ I. gariophyllorum ℈ s.

Concidantur simul crassiusculè, & ejus pulvisculi P. masticetur in ore naribus obstructis.

Olea chymica.

Molestam ex naribus spirationem emendat guttula una aut duæ olei nucis moschatæ aut angelicæ aut majoranæ, chymica arte destillati, naribus illitæ.

Idem præstat masticatio radicum zedoariæ, angelicæ, aut iridis illyricæ.

6. *Olfactus diminutio aut abolitio quid, quæ ejus causa, quæ indicia, & quibus rebus facultas odorandi recuperanda?*

Olfactus quomodo fiat.

Instrumenta odoratus.

Odoratus oblæsio Græcis ὀσφρήσεως ἀφάνησις dicitur. Odor omnis in vapore tanquam proprio suo subjecto situs est, qui ex rebus odoratis per nares tanquam receptacula, & per ossa ethmoida tanquam vias attrahatur, & à duobus spongiosis meatibus seu propaginibus ex anterioribus ventriculis cerebri ad narium radices protensis percipitur, ac prioribus cerebri ventriculis, qui sunt loca sensus communis commendatur, ibidemque à spiritibus animalibus dijudicatur, & in suas differentias distinguitur.

Desinunt tamen in processus odoratorios nervi ex principio spinalis medullæ exorti.

Odoratus porro ſenſus in quibuſdam diminuitur vitiaturque, quibuſdam prorſus abolетur.

Cauſa læſionis olfactus.

Cauſæ cum diminutionis, tum abolitionis odoratus ſunt προηγουμέναι quidem, intemperies anticæ partis cerebri, aut ventriculorum priorum; vel excrementitiorum humorum, ac præſertim pituitoſorum colluvies, quæ aut ventriculos replet, & ſpiritus animales inficit, aut auditorias propagines, oſſaque ethmoida obſtruit. Προκαταρκτικὴ cauſa unica eſt, narium obſtructio.

Signa diverſarum cauſarum & locorum affectorum.

Signa quæ in olfactus privatione locum vitiatum oſtendunt, hæc ſunt, ſi cum oblæſa odorandi facultate vox manet ſonora & inculpata, vitium erit in antica parte cerebri, aut in prioribus ventriculis. Si vero vox & reſpiratio ſimul vitiantur cauſa mali h. e. obſtructio eſt in ethmoidis oſſis foraminibus. Quod vitium ſtatim ſequitur gravedo & ſolitorum excrementorum cohibitio.

Prognoſtica.

Porro quæ ex intemperie cerebri & colluvie humorum in ventriculis cerebri collecta provenit odoratus privatio, non caret periculo, plerumque enim Epilepſiam aut Apoplexiam minatur. In morbis ſimiliter acutis ſi aboleatur olfactus, vel teter odor ſentiatur, mortis ſignum eſt.

Curatio.

Curatio diminuti aut aboliti olfactus à cauſarum ſublatione auſpicanda eſt. Primum itaq; ſi corpus ſit plethoricum & caput ſanguine redundet, quod facies rubicunda oſtendit, vena cephalica alterutrius brachii ſecanda erit, & ratio victus temperamento cerebri conveniens inſtituenda.

Venæ ſectio.

Remedia intemperiem cerebri alterantia antea tradita ſunt.

Remedia in odoratus læſione pro cauſarum diverſitate varianda ſunt. Si itaque odoratus ſenſus vitietur ex ventriculorum cerebri aliqua intemperie δυσκρασίᾳ illa contrariis remediis cum internis tum externis, ut calida frigidis, frigida calidis, humida ſiccis, ſicca humidis eſt alteranda. Ubi verò humorum colluvies cerebrum aut ejus cavitates meatusque obſederit, & odoratus propagines aut foramina ethmoidum obſtruxerit, humores excrementitii convenientibus remediis cum externis tum internis, concoquendi, extenuandi & expurgandi erunt. Quæ autem remedia quas intemperiei ſpecies commodè alterent, & quæ quos vitioſos humores præparent & expurgent, eorum ſylvam & formulas ſupra in cephalalgiæ ſpeciebus curandis propoſuimus, quæ inde ſtudioſi ſuo marte colligere, & huc transferre poſſunt, quibus ubi neceſſitas exigit, ac potiſſimum purgatoriis non tantum ſemel, ſed crebrius utendum erit.

Topica.

Alterata intemperie, & ſubductis vitioſis humoribus, topicis remediis reliqua curatio fæliciter perfici poteſt. Localium autem remediorum quæ obſtructiones aut ethmoidum aut propaginum cerebri aperiunt, odoratuſque ſenſum reſtaurant, per nares inſerenda ſunt, quorum præcipua hæc ſunt.

Radix Gentianæ naribus inſerenda.

Radix Gentiana minimi digiti longitudinis, & craſſitie arundinis in teretem formam redacta, naribusque inſerta, mirificè aperit obſtructiones, & vitioſos humores præſertim lentam & crudam pituitam ex cerebri ventriculis ac meatibus prolicit. Aut

Sternutatorius pulvis.

℞. Sem. nigellæ in aceto per noctem macerati,
Rad cyclaminis an. ℈ s. In tenuiſſimum pulverem redacta, ac inſpirando per nares attracta, obſtructiones aperiunt, & ſternutationem excitant.

Caſtoreum odoratum.

Caſtoreum in aceto maceratum, & ſubinde naribus admotum, ſuo odore gravi tollit obſtructiones, & frigidam intemperiem aufert.

Menta.

Ol. nigellæ etiam hic commodè adhibetur.

Idem præſtat & menta ſicca manibus contrita & naribus odore ejus attracto. Quin omnia remedia ſternutamentum cientia, obſtructiones cerebri aperire poſſunt.

7. *Gravedo quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & qua ratione curanda?*

Catarrhi ſpecies.

Gravedo, Græcis κόρυζα. Supra in deſtillationis curatione tres deſtillationis ſpecies eſſe docuimus. Ubi enim excrementum cerebri ad fauces defluit, & inde in pectoris partes, generali nomine κατάῤῥοος, ſi vero ad aſperam arteriam βρόγχος, ſi ad nares decumbat κόρυζα nominatur. Eſt itaque

Coryza seu gravedo quid. itaque κόρυζα sive gravedo, nostris **der Schnuppe**/ excrementitii humoris cerebri, adhuc instar aquæ crudi ac tenuis ad nares defluxio, quam ut plurimum frequens & molesta comitatur sternutatio. Ejus humoris crassior pars ossa ethmoida obstruit, & exspirationem impedit.

Causa. Causæ gravedinis προκαταρκτικαὶ sunt aër frigidus, aër calidus humidusque, & fœtor rancidus, somnus meridianus, & progressus nudato capite ex æstuario aut balneo calido in aërem frigidum, &c. vel ex aëre frigido in nimis calidum. Προηγούμεναι sunt aut frigida aut calida intemperies cerebri. Calida intemperies cerebri copiam vaporum & humorum in se allicit ac trahit. Frigida vero intemperies cerebri excrementa concoquere nequit, sed cerebrum instar spongiæ comprimit, & crudiores partes excrementorum exprimit. Semper itaque calida intemperies cerebri causis externis frigidis circumdata gravedinem per ἀντιπερίστασιν excitat.

Signa. Signa caliditatis cerebri tum ex tactu capitis quod calidum deprehenditur, tum ex humoris in nares defluentis acrimonia & salsedine deprehenduntur. Sic & in frigida cerebri intemperie calor capitis exiguus tactu sentitur & fluens ad nares materia, nulla excellenti qualitate molesta est.

Curatio. Curatio coryzæ alteratione intemperiei cerebri, & concoctione crudorum excrementorum perficitur. *Remedia in causa calida.* Si itaque ex causa calida gravedo suboriatur, gravedinem tollit odor aquæ rosaceæ per nares subinde attractus, item odor rosarum virescentium & violarum purpurearum. Similiter & oleum rosaceum naribus inditum.

Remedia in frigida intemperie. In frigida verò intemperie utendum est odore majoranæ, aut basiliconis, aut nigellæ, aut cymini, & naribus illiniendum seu indendum oleum ex majorana aut nucibus moschatis arte chymica destillatum. Obstructiones ethmoidum in gravedine reserat ac tollit vapor aceti rosacei silici candenti inspersi naribus attractus: crudas excrementorum partes ethmoides obstruentes concoquit & maturat sacculus oblongus in aqua percoctus tepidusque syncipiti applicandus, qui ita concinnatur. *Sacculus syncipiti applicandus.*

℞. Betonicæ, majoranæ,
Flor. Chamæmeli, meliloti an. M. I.
Sem. Carvi ℥ s.

Concisa sacculo insuantur, & ne collabi queant, intersuantur. Reliqua remediorum genera ex superioribus de destillationis cerebri curatione huc transferri possunt. *Suffimigia quoque ex thure succino, styrace calamita usurpanda.*

8. *Sternutatio crebra quid, quæ ejus causa, quæ signa prognostica, & quomodo sistenda?*

Πταρμὸς, sternutatio. Sicut tussis in thorace, singultus in ventriculo, pandiculatio in musculis corporis, & oscitatio in faciei partibus: ita sternutatio est operatio naturæ à causis præternaturalibus orta.

In sternutatione natura excitat spiritus animales in anterioribus cerebri ventriculis ad expulsionem flatuosorum spirituum acriumque vaporum cerebrum offendentium. *Sternutatio quid.* In sternutatione duplex fit motus simul ac semel, videlicet contractio cerebri, contractioque thoracis: Quibus repente contractis, fit violenta & involuntaria per nares spirituum expulsio, idque fit cum strepitu, tum, quia spiritus confertim, tum, quia per angusta narium foramina erumpit.

Causæ sternutationis προκαταρκτικαὶ sunt radii orientis solis oculos ferientes: Item tenues pulvisculi narium membris adhærentes, quas nares communes habent cum anterioribus ventriculis cerebri: Odores acres, fumi, ptarmica corpuscula ac remedia, qualia sunt, majorana, piper, euphorbium, helleborus, castoreum, &c. ex quibus sternutatoria remedia confici solent, naribus indita. Similiter & vini tenuis potio. *Causa externa.*

Προηγούμεναι sternutationis causæ duæ sunt, teste Hippocrate, calida cerebri intemperies, & vapores acres in ventriculis anterioribus cerebri in flatulentos spiritus resoluti, quos natura expellere gestiens, incitat spiritus animales ad expulsionem & sternutationem. Porro quæ in gravedine fit sternutatio, & gravedo ut plurimum *Causa interna.*

ex frigida aëris constitutione oritur, ea fit per ἀντιπερίστασιν, frigiditate aëris duplicante cerebri caliditatem, qua humores resolvuntur ac funduntur.

Prognostica. Sternutatio omnis in morborum declinatione etiam in morbis pernitiosissimis & exitialibus salutare signum est & securitatem pollicetur, & argumentum est concoctionis, ostenditque robur facultatum animalium ac naturalium. Exitiosa vero habetur, quæ in defluxione humorum à cerebro ad pulmones procumbente excitatur & in phthisi. Concutit enim thoracem & vitiat pulmonem, materiamque fluentem magis propellit ad pulmones, teste Galen. secundo comment. sect. 49. in prædict. Hippocratis.

Curatio. Curatio sternutationis ut plurimum negligitur à Medicis & naturæ committitur, eò quod nihil periculi post se relinquat, ut olim accidisse creditur, cum per Christianum orbem sævissima lues epidemica grassaretur, in qua circa ventriculos cerebri, tumores abscessusque oboriebantur, & omnes, quibus sternutatio superveniebat, statim vel in apoplexiam incidebant, aut prorsus extinguebantur, unde inter Christianos inolevit pia illa consuetudo, ut sternutantibus salutem & divinum auxilium precemur. *Cur sternutantibus salutem precemur.*

Sternutatio quæ ex causis externis, ut acrium rerum odoratu aut inhæsione in naribus oritur, remota causa facilè cessat.

Sternutatio gravedinem comitans compescitur curatione gravedinis quam paulo ante tradidimus.

Sternutatio nimia & periculosa quibus remediis curanda. Crebra autem aut immoderata sternutatio, quæ ex internis causis oboritur, ut cerebri caliditate, vaporibus in ventriculis cerebri resolutis & acrioribus humoribus spiritibusque flatulentis in eis contentis, sequentibus remediis commodè curari poterit.

Venæ sectio. Primum in naturis calidioribus vena jecoraria secetur, deinde acres vapores tenuesque humores cerebri sequenti potione alterentur.

Iulapium alterans caliditatem cerebri. ℞. Syr. rosarum, nimpheæ an. ℥ III.
Syr. de cichorea cum rhabarbaro ℥ II.
Aq. Intybi ℥ XV.

Misceantur ac ejus ℥ V. per totidem dies tepidæ, jejuno existente ventriculo, exhauriantur. Quibus exactis, vapores ac humores biliosi sequenti potiuncula subtrahantur.

Haustus cholagogus. ℞. Rhabarbari electi ʒ I. S.
Fol. senæ Alexandrinæ ʒ I.

Singula per se parum contrita in aquæ cichoreæ ℥ III. infundantur, ac per noctem macerentur: sequenti diluculo rhabarbarum, sine coctione, fortiter expressum coletur, sena autem uno atque altero fervore ebulliat ac coletur. Hæc duo juscula simul commisceantur eisque addatur ℥ I. elect. lenitivi, quæ tepida sex horis ante prandium exhibeantur.

Topica. Quod ad topica remedia attinet, odor aquæ rosaceæ naribus frequenter admotus alterat cerebri caliditatem & sternutationem compescit. Idem præstat oleum rosaceum, aut ex floribus salicis naribus illitum. Item sequens epithema anticæ parti capitis seu suturæ coronali applicatum.

Epithema refrigerans. ℞. Aq. rosaceæ ℥ VI. succi nympheæ, portulacæ an. ℥ II. Misceantur & duplicato linteolo excepta capiti applicentur.

Remedium singulare ad compescendam sternutationem. Idem præstat cataplasma ex farina hordeacea, oleo rosaceo & ovi luteo confectum, capitisque anticæ parti applicatum.

Venulæ in majori angulo oculorum naribus proximo, fortius compressæ crebram sternutationem statim sedant.

Sternutationem ex gravedine aut ossium Ithmoidum lentâ pituitâ obstructorum, excitatam, odor basiliconis & majoranæ compescit.

SECTIO IV.
DE ORIS ET IN ORE CONTENTARUM PARTIUM MORBIS.

1. *Oris & in ore contentæ partes quæ sunt?*

OS, labia, gingivæ, dentes, palatum, gurgulio, tonsillæ, lingua, fauces, collum.

2. *Oris*

2. Oris morbi qui sunt?

Os nonnunquam pro receptaculo & toto domicilio linguæ, quandoque vero pro rima duntaxat inter labia usurpatur. Duæ autem sunt præcipuæ oris affectiones:

Fœtor oris,

Contorsio oris.

3. Fœtor oris quid, quæ ejus causæ, quæ signa causarum differentias indicantia, & qua ratione curandus?

Fœtor oris quid. Fœtor oris δυσωδία ἐκ τοῦ στόματος est tetra per respirationem, ex ore & naribus exhalatio, & ipsos patientes, & proximè astantes molestans.

Causæ. Causæ προκαταρκτικαὶ sunt corrupti cibi inter vel in cavernis dentium hærentes, aut cibi fœtidi, medicamentaque graveolentia comesta & assumpta. Προηγούμεναι causæ sunt gingivarum aliarumque oris partium putrescentia ulcera & abscessus, aut corrupti humores hærentes in orificio ventriculi, aut pulmonis jecorisve putrefactio & corruptela.

Signa diversarum causarum. Signa per quæ prædictæ causæ internosci queant hæc sunt: si fœtidi halitus causa sunt, vel cibi corrupti dentibus inhærentes, vel gingivarum aliarumve oris partium putrescens exulceratio, visu tactuque facile dignosci potest. Si vero humor corruptus in ventriculi orificio collectus fœtorem excitet, tum ante sumptum cibum potissimum fœtor molestat ex ore exhalans, post sumptum cibum mitigatur. Ubi vero putrefactio pulmonis causa tetri odoris est, tunc una cum fœtore adest continua tussis & totius corporis tabes. Jecoris vero putrefactio si causa sit fœtidæ exhalationis unà adest malus corporis habitus & coloris defœdatio, appetentiæque prostratio.

Curatio. Si à fœtidis cibis dentibus inhærentibus fœtor oris excitetur. Curatio pro causarum diversitate varianda est. Ac si fœtor exhalet à corruptis cibis dentibus inhærentibus, summa cura dentes quotidie purgandi, eluendi, emundandique sunt, & omnis spurca materia ex cavernulis dentium scalpellis eximenda, & mox in cavernulas odoratæ res inserendæ, veluti sunt iridis illyricæ radix, angelicæ radix, caryophylli, zedoaria, cinamomum & similia.

Si à medicamentis vel cibis fœtidis ex ventriculo. Cavendum autem est sedulo iis, qui dentes habent excavatos, à cibis lentis, crassis glutinosisque, quales sunt vetus caseus, carnes pinguiores, pisces, carnesque fumo duratæ. Qui ex alimentis, medicamentisque graveolentibus tetrum spirant odorem, hic odor assumptione ciborum, medicamentorumque emendari potest, & comestione aromatum.

Si ex gingivis putridis. Fœtida ex ore exhalatio quæ ex gingivarum putredine exulcerationeve eructatur, ejus curandi rationem & remedia paulo post in gingivarum affectionibus curandis docebimus. In genere tamen hoc in casu plurimum prodest gingivas aceto scillitico eluere, & sequenti pulvisculo putredinem gingivarum arcente & suaveolentiam inducente subinde gingivas confricare.

Pulvis odoratus.

℞. Salis candidissimi & parum torrefacti,
Pumicis,
Origani an. ℥ s.
Rad. iridis illyricæ,
Schænoanthi, cinamomi electi an. ℈ I.
Moschi gr. II.
Conterantur in tenuissimum pulverem.

Si ex ventriculo. Fœdus & teter halitus oris qui ex corruptis humoribus ventriculo inhærentibus evaporat, curabitur remotione materiæ putrefactæ, id quod per vomitionem & assumptionem fragrantium remediorum, qualia sunt diambra, aromaticum rosatum ac vinum, in quo incocti sunt caryophylli, quæ & ventriculum corroborant & vapores exhalantes gratiores reddunt. Verum hujus mali curationem, & remediorum varias formulas infra inter ventriculi affectiones uberius tsvademus.

Ex pulmone. Fœtidæ respirationis ex putrefacto pulmone excitatæ curationem infra in Φθίσεως curatione commodius propositurі sumus.

Ex epate. Ita & fœtorem oris ex corruptione jecinoris inter affectiones epatis. Cum autem fœtor oris & narium ex similibus fere causis oriantur, huc commodè transferri

 possunt

possunt remediorum genera, quæ paulo ante in curatione fœtoris narium enumeravimus.

4. *Contorsio oris quid, quæ ejus causa, quæ signa, & qua ratione curanda?*

Spasmus cynicus quid. Contorsio sive distorsio oris quam Græci σπασμὸν κυνικὸν, id est caninam convulsionem vocant, fortè quia musculi oris in hac affectione instar canum venatoriorum labris prominulis à suo loco distorti, similesque conspiciantur, est resolutio seu paralysis musculorum oris & qui mandibulis annexi sunt, qua os detorquetur in alterutram faciei partem, eam vehementer vitians ac deformans.

Causæ internæ quæ. Causæ detorsionis oris ut plurimum sunt προηγουμέναι id est internæ, ac plerunque accidunt post acutos morbos capitis, videlicet apoplexiam, epilepsiam ac paralysin, in quibus tertii paris nervorum rami ori & faciei musculis implantati contrahuntur, & musculos secum trahentes convellunt, in alterutram partem detorquent, & à propria configuratione abripiunt ac deformant.

Ut vero supra in curatione convulsionis tradidimus, causas contradictionis Hippocrates ad duo genera restringit, ad inanitionem vehementem, quæ ex nimia siccitate & caliditate provenit, veluti videmus in loris igni admotis quomodo contrahantur ac corrugentur: & repletionem, quando videlicet excrementitiis humoribus vel ipsi nervi vel musculi elevantur nervique breviores redduntur, ubi necesse est convulsionem fieri.

Causæ externæ. Ex causis προκαταρκτικαῖς non facile fit nisi per accidens detorsio oris, veluti sunt longa & nimia meracioris vini ingurgitatio, vel nervorum musculorumque oris transversa dissectio & vulnera non artificiosè curata.

Signa. Signa causarum detorsionis oris sive caninæ convulsionis, quæ videlicet ex repletione oritur, ita dignosci possunt. Quæ ex repletione provenit ea repente hominibus accidit. Ex inanitione seu vehementi siccitate sensim ac longo tempore oboritur, & longe pernitiosior & curatu difficilior est, quam quæ ex humorum redundantia oritur.

Curatio. Curatio distorti oris pro causarum diversitate alteranda & dirigenda est. Cum autem universam curandi rationem, quæ fit cum per victus rationem, tum per medicamenta supra in tractatione convulsionis & paralyseos justa methodo & copiosè descripserimus, quæ huc transferri debet, supervacaneum esse judicamus eam hoc loco repetere. *Topica si ex repletione fiat.* Hoc tandem de topicis remediis adjicere licebit, in distorsione oris quæ ex repletione originem ducit, primum præmissis evacuationibus partem capitis distortam ad faciem frequenter linteolis calidis leniter confricandam esse & statim inungendam oleo costino ex granis juniperi & aliis unguentis calefacientibus & exiccantibus, quarum formulas in convulsionis curatione recensuimus. Per nares quoque ptarmicis remediis sternutationem excitantibus cerebrum evacuare utilissimum erit. In ore vero & potissimum in parte læsa diutissimè retinere ℥ I. *Confectio anacardina hic utilis.* confect. anacardinæ mirifice prodest, idque post gargarisationem orisque sedulam elotionem cum liquore ex pyrethri radicibus & erucæ sem. simul contusis & concoctis confecto, cujus curandi rationem in superioribus quoque demonstravimus. *Si ex inanitione.* Distorsio vero ex inanitione sive siccitate oborta, prorsus contrariam efflagitat curationem & contrariæ qualitatis remedia. Prodest itaque partem faciei distortam & extra & intra os frequentius lavare ac fomentare cum decocto ex chamæmelo, melilotho, anetho, & rad. al- *Fomentatio.* thææ parato vel in sacculum consuto, orique admoto. Utile quoque erit distortam partem oleo violaceo & chamæmelino subinde inungere. Hoc autem observatione dignum est, quod quæ post acutos morbos ex siccitate oboritur, rarissimè curari possit distorsio, & ut plurimum brevi mortem subsecuturam ostendat.

5. La-

5. Labiorum vitia quæ, ex quibus causis proveniunt, per quæ signa dignoscuntur, & quomodo curanda?

Labiorum vitia. Labia hominum duobus potissimum afficiuntur malis, scissura videlicet & aspredine, quæ ex iisdem ferè causis oboriuntur, & iisdem remediis curantur.

Scissura labiorum. Scissura labiorum Græcis ῥαγάδες, sunt ex genere solutionis continui rimulæ quæ ex rupta pellicula labiorum relinquuntur, nonnunquam sanguine madent, quandoque & sicca, ita aspredo vel asperitas labiorum est, ubi illa ipsa pellicula frustulatim rupta à labiis detrahitur. *Asperitas labiorum.* Porro scissuræ sive ῥαγάδες non tantum labiis, verum & aliis partibus corporis mollioribus, veluti linguæ, volæ manuum, plantis pedum, digitis, podici, & locellis mulierum frequenter accidere consuevere.

Symptoma excandescentia in quibusdam. Reperiuntur multi heroici homines qui ubi vehementer excandescunt, eis labiorum tunicæ è vestigio rumpuntur & sanguinem effundunt. Tale quid legimus de Alexandro Magno, & de illustri heroë Scanderbeco, qui Turcicum exercitum sæpe magna clade afflixit.

Causæ. Causæ προκαταρκτικαὶ sive externæ cum scissurarum, tum aspredinis in labiis sunt, peregrinatio in æstivo calore, & squalida purulentaque aëris constitutione. Similiter & venti borealis, vehemensque frigus ac gelu. Προηγούμεναι sive internæ causæ sunt, excandescentia, aridæ evaporationes ex ventriculo, veluti contingit in ardentibus febribus, item humores tenues & ignei, ad labia decumbentes, qui ut plurimum causæ sunt rhagadum & in aliis corporis partibus.

Signa. Prognostica. Signa sunt manifesta: Prognostica vero ex rhagadibus hæc sumi possunt. Rhagades vel rimæ labiorum in febribus ardentibus salutaria sunt signa. Concoctionem enim materiæ significant, è diverso rimæ sive scissuræ in lingua in febribus, perniciosa sunt signa: Rimæ seu scissuræ in vola manus pedumque plantis ac digitis, sanguinem esse infectum Gallici morbi colluvie.

Curatio. Curatio pro causarum diversitate varianda est. Rimæ itaque labiorum sequentibus illitionibus curari possunt.

℞. Gummi Tragacanti ʒ I. *Mucilago.*
Contusa maceretur in aquæ rosaceæ ℥ III. ita ut in lentum liquorem convertantur, quo munctæ rimæ sanari possunt.

Similiter tolli possunt rimæ adipe gallinaceo & oleo rosaceo & violaceo aut sigillatim aut simul mixtis & inunctis. *Vnguentum.*

Rimæ labiorum quæ ex frigida causa excitatæ sunt, curantur illitione mellis rosacei, cui admixtum sit momentum thuris & mastiches. *Rimarum labiorum ex frigida causa remedium.*

Rimæ linguæ adeoque siccitas sanantur sequenti liquore.

♃. Sem. cytoniorum ʒ I. contusa macerentur in aquæ plantaginis ℥ II. donec in lentorem seu mucilaginem convertatur, quæ subinde linguæ illiniatur. *Linimentum linguæ.* Rhagades sive scissuræ reliquarum partium, ut volæ manus, digitorum aut plantæ pedum ita curari debent.

Scoria ferri candens in ollam magnam imponatur, vinoque rubeo spongia excepto subinde irroretur, parsque affecta ollæ inferatur obtegaturque olla, ut totus vapor feriat affectas partes, eaque incalescant ac sudent, idque per integram horam, & per octo continuos dies peragendum, ita tolluntur scissuræ, & infecta cutis decidit. *Remedium scissurarum digitorum & pedum.*

Scissuræ obscænarum partium sequenti unguento commodissimè curantur. *Ad scissuras obscœnarum partium.*

℞. Cerussæ lotæ,
Amyli,
Cadmiæ lotæ,
Lythargyrii an. ʒ s.
Mucilaginis tragacanthi ℥ I. cum aqua rosacea factæ.
Misceantur, fiat linimentum.

SECTIO V.

DE GINGIVARUM MORBIS.

Gingivarum familiares morbi & symptomata sunt: *Morbi seu vitia gingivarum.*

Pruritus & inflammatio,

Luxu-

Luxuries seu tumor gingivarum,
Corruptio sive absumptio gingivarum,
In scorbutico morbo.

1. *Prurigo & inflammatio gingivarum quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus remediis curanda?*

Pruritus & inflammatio gingivarum. Dentionis tempus. Prurigo seu pruritus & inflammatio dolorifica gingivarum, Græcis ὀδαξισμὸς dicitur, & sunt symptomata conjuncta, quæ puerulis dentire incipientibus accidere solent. Dentiunt autem ut plurimum pueri septimo, aut circiter, mense, & tum maxime gingivarum inflammatione & prurigine afficiuntur, teste *Hip.* 3. *Aph.* 25.

Causa. Causæ horum symptomatum sunt dentes erumpentes, carnemque gingivarum perforantes, ac pruritum, inflammationem ac dolores excitantes. Observandum autem citam dentitionem infantium leniorem & minus dolorificam; tardam vero vehementiores excitare inflammationes & dolores.

Signa. Signa visu deprehenduntur, rubent enim, calent & dolent gingivæ.

Curatio. Curatio est ipsa dentium eruptio. Pruritus tamen gingivarum ante dentium proventum sedatur leni confricatione: solent *Dentitionem promoventia & adjuvantia.* itaque matres dentientibus puerulis lupinos dentes argento inclusos, aut aliud corpus duriusculum ac frigidum veluti est corculum ex auro aut argento fabrefactum adhibere & ori infantium inserere.

Utilissimum autem tum est capita puerorum ac maxillas potissimum aqua calida in qua concocti sunt flores chamæmeli, anethi, & malvæ lavare, & oleo liliaceo aut chamæmelino inungere, gingivas vero subinde confricare aut adipe gallinacea, aut cerebro leporino cocto, aut recenti butyro, aut sequenti linimento.

Linimentum. ℞. Mellis virginei ℥ s.
Pulveris glyzirrhizæ, thuris an. ʒ s. misceantur fiat linimentum.

Inflammationem quæ sedent. Inflammationem autem & dolorem vehementiorem gingivarum adprime lenit & restinguit succus solani, aut plantaginis aut portulacæ subinde gingivis illitus. Idem præstat & mucilago ex seminibus cydoniorum cum aqua rosacea confecta. Item oleum rosaceum tepidum gingivis illitum, item butyrum recens cum melle virgineo commixtum.

2. *Luxuries sive intumescentia gingivarum quid, quæ ejus signa, & quomodo curanda?*

Gingivæ interdum supra modum luxuriant & intumescunt, adeo ut dentes propemodum obtegant; quæ affectio Græcis παρουλὶς & ἐπουλὶς nominatur, quamquam propriè παρουλὶς gingivarum tumorem seu apostema, ἐπουλὶς vero vesiculas circa radices dentium significat. *Parulides.*

Causæ intumescentiæ sive excrescentiæ gingivarum sunt, mollities & instar spongiæ raritas gingivarum, & uberioris sanguinis ad gingivas defluxus. *Causa.*

Signa evidentia sunt, visu enim ac tactu deprehenduntur. *Signa.*

Curatio succrescentium gingivarum in venæ cephalicæ sectione primum, deinde & venarum sub lingua delitescentium apertione, & scarificatione gingivarum, suctioneque redundantis sanguinis, & deinde remediorum topicorum applicatione consistit, inter quæ præstantiora sunt hæc subsequentia. *Curatio. Venæ sectio. Topica.*

Mane ac vesperi confricentur gingivæ luxuriantes sale & aceto, usque dum sanguis effluxerit, tandem probè inungantur unguento Ægyptiaco vocato quantitate nucis avellanæ. Aut confricentur sequenti pulvisculo. *Confricatio.*

Pulvis luxuriantes gingivas absumens. ℞. Aluminis usti salis armoniaci an. ℈ 1.
Masticheѕ, thuris an. ʒ s.
Ex quibus fiat pulvis tenuissimus. Aut quotidie eluantur sequenti collutione.

Collutio oris. ℞. Rosarum rubearum, plantaginis an. M. s.
Corticum mororum Celsi arboris Maulbern /
Corticum malorum punicorum an. ʒ 11.
Aluminis crudi ʒ 1.
Masticheѕ, thuris, æruginis an. ʒ 1. s.
Contusa coquantur in lib. 11. vini rubei ad medias, fiat collutio oris qua tepida bis terve *Crollius lapidem suum medicamentosum dis-*

solvit in aqua pluviali in eundem usum. terve mane ac vesperi eluatur os ac confricentur gingivæ, ac tandem obliniantur gingivæ melle rosaceo.

3. *Gingivarum putrefactio, erosio ac absumptio quid, quæ ejus causa, quæ signa, quomodo curanda?*

Gingivarum corruptio. Gingivarum corruptio & diminutio, Græcis ἐλαπλαδυρά est ubi gingivæ putrescunt, flaccescunt, absumuntur radicesque dentium denudant, osque tetro odore complent.

Causa. Causa πρoηγουμένη putrescentium gingivarum est corruptus ac melancholicus sanguis, vel serosa ac salsa erodensque pituita sanguini admixta, & ad gingivas sive ex cerebro sive ex liene defluens: προκαταρκτικαὶ sunt aër crassus, putridus & salsugine infectus, cibique crassi lenti & salsuginosi, quales sunt salsamenta omnia.

Signa. Signa sunt manifesta. Livescunt enim primum gingivæ & ex levi earum contactu tenuis & ater sanguis profunditur, osque fœtore completur, & paulatim absumitur gingivarum caro, radicesque dentium nuditate deformantur. At cum gingivarum putrefactio perpetuum symptoma sit morbi scorbuti nominati, & utraque affectio ex iisdem ferè causis oboriatur, iisdemque remediis curetur, non incommode hoc loco methodum curandi scorbuti inseri posse judicamus.

4. *Scorbutus quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus remediis curanda?*

Scorbutus unde denominatus. Scorbuti vocabulum barbarum est, omnibus antiquis Medicis ignotum, & à Danica appellatione, qui hunc morbum Schörbuck appellant ad nos derivatum. Plerique autem Medicorum nominant & gingipedium, hinc nimirum quod in eo gingivæ potissimum afficiantur ac deinde & pedes tibiæque lividis maculis conspurcentur, articulique pedum doleant, ambulandique officium impediatur. Veteribus & toti Europæ ignotus est hic morbus & in solis maritimis septentrionalibus locis grassatur ob crassitiem proculdubio, & putredinem salsugine

Vbi grassetur potissimum.

mixtam aëris, quemadmodum in Carinthiæ regione Pintzkaw à fluvio vocata, omnes incolæ ob aquæ vitiatæ usum strumas miræ magnitudinis sub collo acquirunt & rauca voce loquuntur. Sunt qui hoc malum stomacen sive στομακάκην, Plinio lib. 25. c. 3. descriptam esse putent, in quo Plinius dicit dentes decidere, & compages in genibus dissolvi. Alii vero malum hoc referunt ad morbos ex magnitudine & intumescentia splenis ortos quos Hippocrat. lib. 2. prædictionum describit, ac dicit, in intumescentibus & magnis lienibus gingivas vitiari easque grave olere. Cui ut Cornelius Celsus lib. 2. cap. 1. assentiri videtur inquiens; quibus magni sunt lienes & intumescunt, iis aut sanguis ex naribus fluit, aut gingiva corrumpitur & os male olet, in cruribus vero magnæ cicatrices fiunt. Sunt nonnulli, qui non sine rationibus scorbutum ad icteritiam nigram referant. *An stomacen Plinii.* *Hippocratis magni lienes nihil aliud sunt quam scorbutus.* *An icteritia nigra.*

Est itaque SCORBUTUS morbus endemius id est certis regionibus ac populis propter vitium aëris & aquæ proprius, in quo primum corrumpitur in corporibus sanguis, exulcerantur gingivæ, resolvuntur compages pedum, & cutis tibiarum, nonnunquam & humerorum aliarumque partium, lividis, violaceis, flavis viridisque coloris maculis defœdatur. *Scorbutus quid.*

Causæ στομακάκης sive scorbuti προκαταρκτικαὶ sunt aëris cruda, crassa & salsuginosa constitutio, qualis aër est mari incumbens, ejusque vapore infectus, aquæ salsæ ac marinæ usus in potu ac cibo, alimenta rancida, putida, & concoctu difficilia, veluti sunt panis bis coctus, lardum rancidum, carnes piscesque fumo durati. *Causa scorbuti externa.*

Προηγουμέναι causæ sunt obstructiones, tumor, & intemperies epatis & lienis, eorumque debilitas in sequestratione seu purificatione excrementorum chyli sive sanguineæ massæ, in qua putus sanguis, putidus & tenuissimus est, & hinc sæpe in hoc morbo per nares erumpit, bilis autem flava justo acrior ac calidior evadit, melancholica fæx similiter se ipsa crassior & fæculentior existens facilè obstructiones lienis & epatis conciliat. Hæc itaque putida *Causa interna.* *Vnde hæmorrhagia frequens in scorbuticis.*

Causæ scorbuti materialis. Symptomatum generatio. & inæqualis intemperataque sauguinea massa in venis est causa materialis scorbuti, & cum in ea superet melancholica fæx, primum distendit splenem & diaphragma, respirationemque reddit difficilem, deinde ad pedes per ramos venæ portæ defluit eorumque motum impedit, & maculas in iis producit; acris vero & biliosa evaporatio, & pars hujus vitiosi humoris ad palatum delata, inficit & exulcerat teneram gingivarum carnem.

Signa scorbuti imminentis. Signa scorbuti imminentis sunt spontaneæ lassitudines & totius corporis gravitas, quæ subsequuntur & alia signa magis peculiaria, ut dyspnæa, sive anhelandi difficultas, præsertim ubi corpus commovetur aut erigitur. *Signa præsentis jam scorbuti.* Si vero decumbat æger, liberius respirare possunt. His accedit gingivarum lividitas & ex quolibet contactu sanguinolentia, oris graveolentia, sanguinis è naribus crebra eruptio, ambulandi difficultas, quandoque crurum intumescentia, nonnunquam vero eorum extenuatio.

Interdum tamen maculæ non apparent, præsente tamen scorbuto. Hoc autem perpetuo adest, lividæ nimirum, plumbeæ, flaveæ & violaceæ in cruribus maculæ & faciei color plerumque ex pallido fuscus.

Prognostica. Prognostica signa hæc sunt: Appetentia in scorbuto raro prosternitur, nisi alia accedant symptomata.

Scorbutus in febribus exortus, contagiosus est & ut plurimum lethalis. Terminatur enim in perniciosam dysenteriam sive alvi fluorem, & adimit hominem repentino animi deliquio.

Curatio scorbuti. Curatio scorbuti perficitur victus ratione convenienti, venæ sectione, & remediorum usurpatione.

Diæta. In victus ratione utatur æger cibis boni succi & concoctu facilibus, veluti sunt cremor ptisanæ, pulli gallinacei, ova sorbilia, juscula carnium recentium, caro vitulina, pruna Ungarica, cappares &c. Econtra vitet fumo duratas saleque conditas carnes ac pisces, item carnem suillam, leporinam, anserinam & omnium avium in aquis degentium. Potus eorum esto cerevisia clara & benè cocta, & præstat absynthiaca, aut in qua chamædris & ceterach sunt macerata. Laudatur & vini optimi vel absynthitis ad mensam haustus.

Venæ sectio reiterata. His ritè ordinatis venæ sectio est instituenda. Oportet autem sanguinem detrahere non una vice, nec ex una tantum parte in hoc morbo, sed ter ad minimum, interpositis tamen aliquot diebus.

Primum autem incidenda est vena humeraria sive splenetica sinistri brachii, deinde saphæna vocata sinistri pedis, aut sub poplite, aut sub interno malleolo pedis. Postremo & duæ venæ lividæ sub lingua latitantes commodissimè incidi possunt.

Pharmacia. Post venæ sectionem crassus, putidus & fæculentus sanguis in toto corpore sequenti potione præparari, extenuari & ad eductionem habilis reddi potest.

Potio digestiva.

℞. Rad. Capparum,
Polypodii,
Corticum fraxini arboris an. ʒ II.
Hellebori nigri prius in aqua melissæ ebulliti & exiccati ʒ III.
Rad. Chinæ ʒ II.
Sem. Anisi,
Fæniculi an. ʒ s.
Quatuor seminum frigidorum majorum an. ʒ I.
Herb. Veronicæ,
Absinthii, centaurii minoris,
Chamædris, asplenii an. M. s.
Thymi, epithymi an. p. I.
Fol. senæ, rhabarbari an. ʒ II,

Si herbæ hæ in vino infundantur, & de vino hoc æger bibat, magis penetrat & materiam præparat.

Conser. fumariæ, boraginis, melissæ an. ℥ I. Contundendis contusis & concidendis concisis coquantur in III. lib. aquæ in duplici vase sive cantharo oblinito ad sesquihoram, quæ refrigerata exprimantur ac colentur; cujus liquoris omni diluculo & duabus horis ante cænam exhauriendæ offerantur ægroto ℥IIII. tepidæ.

Hac potione exhausta interpositis duobus diebus, ut natura reficiatur, evacuentur putidi humores sequenti haustu cathartico.

Haustus purgans.

℞. Flo. Senæ Alexandrinæ ʒ II.
Rhabarbari ʒ I.

Contusa parum infundantur in ℥ v. aquæ absinthii & macerentur per noctem. Altero die ebulliant leniter & expressa colentur,

lentur, colato juſculo admiſceantur diacatholici ℥ II. elect. roſati Meſuæ ℥ I. ſyr. de epithymo ℥ s. Fiat hauſtus, qui tepidus in aurora exhibeatur & abſtineat æger à cibo potuque per 6. horas.

Tandem ſingulis diebus una hora ante prandium ac cænam corroborentur vires ſequenti electuario.

Electuarium corroborans.

℞. Myrabalanorum chebulorum conditorum ℥ I.
Conſer. florum boraginis, bugloſſæ, Meliſſæ,
Fumariæ an. ℥ II.
Specierum diarhodon Abbatis plyri ſarcotici an. ℈ II.

Pul. ceterach. ℥ s. cum ſyrupo acetoſitatis citri ſeu limonum q. s. commiſceantur in forma electuarii, cui poſtremo admiſceantur ol. cinamomi arte chymica deſtillati guttulæ III. olei angelicæ guttulæ V.

Balneum ſcorbuticis valde utile.

Deinceps ubi vires conſtant plurimum conducit ægrotantem in balneum ſudorificum deducere, & poſt mediocrem deſudationem herbis emollientibus, veluti ſunt chamæmelon, melilotum, anethum, malva, betonica, abſinthium &c. in aqua coctis totum corpus fricare, eademque aqua probè abluere, & pedum articulos & totam tibiam oleo chamæmelino inungere.

Compendioſa ſcorbuti curatio ab authore ſæpè probata.

Ego porro tenuioris fortunæ homines, qui ſumptuoſam hanc laborioſamque curationem admittere non poſſunt, ſolis ſequentibus vulgatiſſimis remediis ſæpiſſimè per gratiam Chriſti fæliciſſimo ſucceſſu ſanitati reſtitui.

Decoctum ſimplex antiſcorbuticum.

Poſt venæ ſectionem accipiat æger naſturcii aquatici Brunnkreſſe M. III. & ſi haberi poteſt, acetoſæ minoris in agris naſcentis cum floribus ac radicibus M. II. Concidantur ſimul craſſiuſculè & macerentur per noctem in lactis caprini lib. VIII. ac tandem coquantur leniter ad II. fere lib. abſumptionem & percolentur: hujus lactis ebibat æger hauſtum ſatis largum ad ℥ VI. omni mane, & III. horis à prandio, eoque utatur donec ſanguis eſt purificatus, morbi ſemina extincta, & manifeſta ſanitatis reſtauratio percipiatur.

Plurimos curavimus ſcorbuto conflictantes ſolo ſequentis pulviſculi uſu.

Pulvis antiſcorbuticus probatiſſimus.

℞. Aloës hepatices puriſſimæ, croci orientalis an. ℥. II.
Myrrhæ ℥ I.
Electuarii de ſucco roſarum in ſolida tabularum formam confecti ℥ s.

Tenuiſſimè pulverata commiſceantur, cujus ℥ I. mane, & ℥ I. veſperi duabus horis ante cænam hauſtui lactis caprini admiſceatur, aut præſcripto lacti in quo naſturtium aquaticum eſt coctum, ebibendaque ægrotanti propinetur, & proculdubio brevi extirpabuntur ſeminaria ſcorbuti.

Similia euporiſta vide apud Wierum de ſcorbuto.

Symptomatum ſcorbuti remedia.

Symptomata ſcorbuti, pedum videlicet tumores compaginumque reſolutiones, nervorum in articulis rigores, & maculæ in tibiis, item gingivarum putreſcentium exulcerationes, dentiumque vacillationes hiſce remediis feliciter curari poſſunt.

Pedum & tibiarum rigidarum cura.

Primum alternis ad minimum diebus fomententur tibiæ & articuli pedum vapore decoctarum herbarum, videlicet chamæmeli, anethi, meliloti, ſerpilli, betonicæ, ſcordii, baccarum juniperi & ſimilium, qui ubi ſatis ſudarunt calore vaporis, tandem in decocto earundem herbarum probè laventur, herbiſque prædictis confricentur pedes & ligamenta poplitis, deinde exiccati, inunguntur oleo chamæmelino tepido aut ſequenti linimento.

Lotio.

Vnguentum.

℞. Unguenti dialthææ ℥ s.
Ol. Chamæmelini, liliorum alborum, anethini an. ℥ II.
Granorum juniperi ℥ s.

Miſceantur, fiat linimentum, quo & poſt lotionem & alias ſingulis diebus bis inungantur tibiæ & articuli pedum. Ante inunctionem vero præſtat vola manus pedes molliter confricare donec nervi incaleſcant. Nervi vero ligamentaque articulorum ſi rigeant contrahanturque, quotidie laventur liquore ſubpingui & mucoſo ex decoctis pedibus bubalis præparato.

Contracturæ nervorum remedium.

Gingiva putreſcens & dentes vacillantes ut curandi.

Gingivarum putredo & exulceratio, denteſque vacillantes in ſcorbuto ſequentibus remediis curari poſſunt. Singulis diebus mane ac veſperi eluantur ac confricentur gingivæ

givæ ſale & aceto, donec ſanguis ex gingivis profluat, & mox inungantur aut unguento Ægyptiaco, aut ſequenti linimento.

Linimentum.

℞. Mellis ſcillitici ℥ s. Olei vitrioli ʒ s. Miſceantur, fiat linimentum, quod utiliſſimum & ſaluberrimum eſt ad omnes gingivarum & oris affectiones. In vehementioribus gingivarum putredinibus ſequenti decocto eas colluere utiliſſimum erit.

Collutio oris, ſedum minus ſeu vermicularis valdè hic juvat. Lapidem medicamentoſum hic commendat Crollius.

℞. Roſarum rubearum, plantaginis an. M. s.
Rutæ,
Salviæ an. M. s.
Æruginis Grünſpan ʒ I.
Thuris, maſtiches an. ʒ I. s.
Aluminis ʒ s.

Conciſa & contuſa coquantur in aquæ & aceti ſingulorum lib. s. ad medias, colentur & colato liquori admiſceantur mellis roſati ℥ II. Fiat collutio.

SECTIO VI.

DE DENTIUM MORBIS.

I. *Dentes quibus afficiuntur morbis?*

Soli dentes inter omnia oſſa totius corporis & nudi ſpectantur, & facultate ſentiendi præditi ſunt, ſuntque tanquam nervi indurati. Sunt autem morbi dentium:

Dentium affectus.

Dolor vehementiſſimus,
Mobilitas ſeu vacillatio,
Eroſio ſeu excavatio,
Fuſcedo ſeu fœda decoloratio,
Stupor ſeu hæmodia.

2. *Dolor dentium quid, quæ ejus cauſæ, quæ cauſarum ſigna, & quibus remediis curandus?*

Odontalgia quid. Ejus differentia triplex.

Ὀδοντaλγία dentium dolor, eſt ingens cruciatus & ineffabile tormentum quod dentibus accidere conſuevit. Porro doloris dentium tres ſunt differentiæ Galeno lib. 6. de uſu part. & lib. 3. de compoſit. medicam. κτ̀ τόπον teſte. Sentitur enim vehemens dolor, 1. aut in ipſa dentium ſubſtantia, id quod Galenus ſe in propriis dentibus expertum eſſe aſſerit, ſeque non ſimplicem dolorem tantum ſed & pulſatilem dolorem in ſubſtantia dentium manifeſtè ſenſiſſe: 2. aut in nervis, radicibus dentium inſertis: (In omnium enim dentium radicibus inplantati ſunt, & quidem ſatis altè rami nervorum ex tertio pari nervorum cerebri ad maxillas deſcendentes) 3. aut in gingivis, ſi illæ videlicet circa dentes inflammentur, cum quibus per συμπάθειαν & dentes ipſi condolent.

Dolor pulſatilis oritur à copia ſanguinis calidi in arteriis dentium contenti.

Cauſa doloris dentium externa.

Cauſæ προκαταρκτικαὶ moventes προηγουμένας ſunt aër ventique impensè frigidi, & aqua frigidiſſima in ore detenta, duriuſculorum corporum dentibus mordicatio, cultro aut ferro dentium fodicatio, nucum juglandium & veteris caſei, uti & dulcium crebra commanducatio: quæ cauſæ ſedulo ſunt vitandæ qui dentium affectionibus laborant.

Cauſa interna & proxima.

Προηγούμεναι cauſæ ſunt intemperies calida aut frigida, humoribus calidis, tenuibus acribusque aut frigidis adjuncta, qui ex partibus ſubcutaneis capitis primum ad maxillas, earumque alveolos, deinde ad dentium radices irruunt, nervoſque in dentium radicibus aut obſtruunt ac comprimunt, aut erodunt, aut in tumorem extendunt, & ſenſum doloris acerbum inferunt.

Signa.

Signa calidorum humorum ad dentes defluentium ſunt dolor acerbiſſimus ſine tumore genarum, faciei pallor & macilentia.

Frigidorum humorum defluentium ſigna ſunt, dolor mitior, genarum tumor & faciei albedo, & ad contactum genarum nullus ſentitur caloris exceſſus.

Curatio.

Curatio pro cauſarum internarum differentia varianda eſt. Si itaque in dolore dentium adſit plethora id eſt ſanguinis redundantia, quod ex rubedine faciei dignoſcitur, curatio à venæ cephalicæ, circa pollicem manus lateris dolentis, ſectione inſtituenda eſt. In calidorum vero, tenuium acriumque humorum defluxione ad dentes, averſionis humorum acrium gratia, prodeſt cervici cucurbitulas cum ſcarificatione adfigere: aut acres tenueſque humores per veſica-

Venæ ſectio. In calido affluxu remedia. Cucurbitula.

veſicatorium aliquod remedium à dentibus avertere, elicere & evacuare, id quod commodè fieri poteſt ſequenti placentula.

Veſicatorium.

℞. Cantharidarum pulveratarum ʒ s.
Fermenti acris ℥ s.

Aceti acerrimi parum, commiſceantur, fiat maſſula vel placentula, qua nucis juglandis teſtula compleatur, & ponè aures adligetur per pauculas horas, donec veſica excitetur, qua pertuſa effluet tenuis & acris humor, cauſa mali: Deinde ruptam veſiculam, quo citius curetur, & dolor mitigetur, oleo roſaceo inungere præſtat. Illi ipſi acres calidi & tenues humores ex capite ad dentes fluentes, commode evacuari poſſunt ſequentibus pillulis.

Pillulæ acres humores evacuantes.

℞. Maſ. pill. aurearum, cochiarum, hieræ ſimpl. an. ℈ I.
Diagridii gr. v. Ex quibus formentur pillulæ n. 27. & 6. horis ante prandium deglutiantur.

Dentium dolores ex calida intemperie humoribusque ortos ſequentibus remediis mitigare & ſiſtere poteris.

Liquor in ore tenendus.

℞. Sem. portulacæ, plantaginis an. ℥ II.
Herb. ſempervivi minoris, parietariæ an. M. I.
Glycirrhizæ ʒ I. s. Contuſa decoquantur in aceto q. s. colentur & tepidus liquor in ore diutiuſculè contineatur. Aut

Alia collutio magis narcotica.

℞. Sem. lactucæ, papaveris nigri, hyoſchiami an. ʒ II. contuſa coquantur in aceto, colentur, & liquor calidus in ore contineatur.

Remedia narcotica vel ſtupefacientia dentium dolores ex calida intemperie aut ferventioribus humoribus ortos, ſtatim ſedant dentibus inſerta. Sed cavendum eſt ne temerè eis utamur, niſi ſumma urgeat neceſſitas, non enim carent noxa. Inter ea autem præſtantiora hæc ſunt.

Narcoticis non temere utendum.

Globuli narcotici, dentibus inferendi.

℞. Opii thebaici ʒ s. theriacæ Andromachi ℈ I. commiſceantur, formenturque globuli, cavernisque dentium imponantur. Aut repleatur cavitas dentium Philonio Romano. Aut

Liquor

℞. Suc. ſempervivi Haußlauch/ Hyoſchiami, ſolatri an. ℥ II.

narcoticus.

Aceti roſacei ℥ I. commiſceantur, ac tepida in ore contineantur.

Sedat quoque dolores dentium ex calida defluxione genitos galla in partes ſciſſa & dentibus impoſita mordicusque inter dentes retenta: Genas foris inungere unguento populino aut oleo roſaceo, mitigat dolores dentium.

Galla dolores dentium ſedat.

Porro in doloribus dentium ex frigida defluxione aut intemperie ortis utiliſſimè ſequentibus remediis utimur.

Doloris dentium ex frigida defluxione remedia.

Primum frigidi humores ſubtrahantur ex capite ſequentibus pillulis.

Pillulæ.

℞. Maſ. pil. de agarico, hieræ ſimpl. an. ʒ s.
Trochiſcorum alhandali gr. IIII. cum aqua betonicæ formentur pillulæ n. 27. & deglutiantur à cæna tribus horis.

Deinde in ore tepida retineatur ſequens dentium collutio.

Topica varia. Collutio.

℞. Flor. ſalviæ,
Roriſmarini,
Betonicæ,
Majoranæ an. M. s.
Nigellæ, ſem. carvi an. ʒ. II.
Rad. pyrethri ʒ III.

Conciſa & contuſa coquantur in vini lib. I. ad medias, colentur, ex liquore fiat collutio. Herbæ vero concoctæ inſtar cataplaſmatis maxillis foris imponantur tepidæ. Aut.

Cataplaſma.

℞. Origani, calamenthi, hyſſopi, verbenæ cum radicibus an. M. s.
Pyrethri ʒ III. contuſa & conciſa coquantur in lib. I. vini ad medias, fiat collutio dentium.

Radix pyrethri conciſa & dentibus impoſita mordicusque in ore retenta, frigidos humores extenuat, elicit & dolores dentium ſedat.

Rad. pyrethri in ore detenta.

Idem præſtat & radix Tithymali Wolffsmilch / in aceto macerata, & dentibus impoſita.

Cavernis dentium in frigida defluxione globulum ex ſequentibus rebus confectum imponere utiliſſimè poſſumus.

Globuli.

℞. Theriacæ Andromachi ʒ I.

Euphorbii ℈ s.

Commiſceantur cum pauxillo vini aduſti **Brandtwein.** Aut

Ol. ſuccini quoque valdè prodeſt.

℞. Hieræ picræ Galen. ʒ I. commiſce cum vino ardenti & dentibus illinito.

Unum ex ſequentibus oleis ſtillatitiis dentibus illitum aut lana xylina exceptum dentibusque inſertum, ſtatim tollit dolores dentium ex frigida cauſa.

Crollius horum loco ſuum odontalgicum oleum anodinum uſurpat, & aquam odontalgicam.

Oleum {
Petroleum,
E cariophyllis,
Spicæ,
Terpentinæ,
Ex granis juniperi.

Foris commodè inungi poſſunt genæ oleo anethino aut rutaceo. Ubi autem genæ intumuerunt & nondum ceſſarunt dolores, ſequentes herbæ in ſacculo conſuantur, & in æquali portione aceti & aquæ ebulliant, & expreſſus ſacculus calidusque genis applicetur.

Sacculus genis applicandus.

℞. Malvæ,
Meliloti,
Anethi an. M. I.
Roſarum rubearum M. s.
Spicæ celticæ,
Rorismarini an. P. I.

Sem. fænugræci, lini an. ℥ II. conciſa & contuſa inſuantur ſacculo.

Dentium dolor ex gingivis ut curandus.

Si dentes per conſenſum ex gingivarum affectione condoleant, ſequenti collutione uti poſſumus.

Collutio.

℞. Gallarum, corticum granatorum, ſem. plantaginis an. ʒ. II.

Rad. verbenæ ʒ s. ſandaracæ ʒ I. Contuſa coquantur in aceto vini, colentur, & eo liquore colluantur dentes.

Ol. vitrioli anodynum in omni dolore.

Chymici miraculoſè, inunctione ſcalpelli quo gingiva

Ex quacunque autem cauſa oboriatur dentium dolor, omnium præſentiſſimum adfert auxilium oleum vitrioli dentibus illitum, aut lana xylina exceptum cavernisque dentium impoſitum. Præſtat autem & vires ſuas citius exſerit, ſi prius cavernulæ dentium ſcalpello, aut acuta penna à ſordibus emundentur, & eo uſque radices dentium fodicentur aut gingivæ donec ſanguis erumpat, ſi ita oleum vitrioli imponatur. Quin & ſpecifica proprietate, dolores dentium ſedat ſenecta ſerpentis in vino aut aceto cocta & ore retenta. Aut gummi hæderæ eroſis dentibus inſertum.

vulneratæ ſunt, dolores dentium ſanant.

Exuviæ ſerpentis.

Quicunque excavatos dolentesque dentes digitis eximere ſine omni cruciatu ac moleſtia cupit, is diſſolvat ʒ II. gummi ammoniaci aut galbani cum ſufficienti lacte eſulæ aut hyoſcyami, & coquat lento igne donec lac abſumatur. Ex his gummatibus conformet globulos, & eroſis foraminibus dentium imponat per noctem, & ſic ſine dolore eximere dentes poterit.

NB. Quomodo dentes absque dolore eximendi.

3. *Dentium nigredo & ſcabrities quid, ex quibus cauſis provenit, quæ ſigna, & quibus remediis curanda?*

Dentium decoloratio quid.

Μελανωδόνται vel Μελανία τῶν ὀδόντων, dentium nigredo eſt quando dentes decolorantur, & fuſco, livido, nigro flavoque colore conſpurcantur & deformitatem aſpicientibus inferunt. Candidi enim & eburnei dentes inter honeſtam pulchritudinem numerantur.

Cauſa.

Cauſæ nigredinis dentium προκαταρκτικαὶ ſunt cibi juſto calidiores, creber dulcium eduliorum eſus, potiſſimum lactis, detergendi abluendique dentes incuria. Προηγουμέναι ſunt crapula & crudæ ex ventriculo exhalationes, & defluentes ex capite ad dentes corrupti humores.

Signa.

Signa ſunt manifeſta, intuitu enim deprehenduntur.

Curatio.

Curatur ſpurcities dentium, cauſarum ſublatione & dentium crebra deterſione artificioſaque dealbatione. Si itaque dentes fœdo colore inficiantur ex vitioſis humoribus ad eos defluentibus, ſubducantur hi ſequentibus pillulis.

Pillulæ.

℞. Maſ. pil. aurearum, arabicarum, aggregativarum an. ℈ I. cum aqua majoranæ conformentur pillulæ n. 27. & deglutiantur veſperi tribus horis à cæna, ac tandem quotidie mane ac veſperi abſtergantur dentes, & digito probè confricentur ſale & aceto, quibus aqua pura elotis, ſequentibus pulviſculis dentes dealbantibus, digito primum melle roſaceo madefacto, & in pulviſculum tincto, optimè confricentur.

℞. Ma-

Dentifricium elegans.

℞. Mastiches corallii albi adusti an. ʒ s.
Ossium sepiæ piscis ℈ I.
Ossium dactylorum ustorum, pumicis an. ℈ s.
Spicæ Indicæ cyperi an. gr. v.
Salis gemmei, caryophyllorum, galliæ moschatæ an. ℈ I.

Moschi gr. II. conterantur in tenuissimum pulvisculum, quo confricentur dentes, quibus non tantum candorem, sed & suavem oris halitum conciliat. Aut

Dentifricium alterum.

℞. Maxillarum lucii piscis ustarum Hechts Zahnen ʒ II.
Corallii albi adusti ʒ s.
Pumicis ℈ I. radicis iridis illyricæ ʒ s. aluminis usti ℈ s.

Conterantur in tenuissimum pulverem, fiat dentifricium. Aut

Dentifricium tertium.

℞. Aluminis usti, salis gemmei, boracis, tartari usti an. ʒ s.

Testarum ovorum ustarum ʒ I. pulverata commisceantur, fiat dentifricium. Aut inungantur sequenti linimento.

℞. Aluminis usti,
Myrrhæ, mastiches an. ʒ s.
Cornu cervini adusti ʒ I. testar. ovorum ustar. ʒ s.

Pulverentur subtilissimè & commisceantur cum q. s. oxymellis scillitici, fiat linimentum, quo dentes crebro confricentur. Aut

Liquor ad eundem usum.

℞. Rad. althææ, iridis illyricæ an. ℥ s.

Concidantur crassiusculè, & decoquantur in q. s. aquæ aut marinæ aut cui admixtæ sunt salis gemmei & aluminis an. ʒ II. Hisce radicibus probe coctis, coletur jusculum, quo dentes elui possunt. Radices vero in fornace exiccatæ, in minutissimum conterantur pulverem, eisque commisceantur moschi gr. III. fiat nobile dentifricium.

Dentifricium nobile.

Dentes lividos & impuro lentore fuliginеque obductos citissimè abstergit, & instar nivis candidos reddit, si aliquoties confricentur, post elotionem cum sale & aceto, oleo vitrioli. Verum cavendus est crebrior ejus usus, emollit enim & friabiles instar cretæ aut calcis reddit dentes, si sæpius eo confricentur.

4. *Dentium vacillatio sive mobilitas quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curanda?*

Ἐγχίνησις τῶν ὀδόντων, dentium vacillatio sive mobilitas. Mobiles fiunt dentes in suis alveolis & vacillant, ubi nervi in eorum radicibus & ligamenta, quibus gingivis connexi ac firmati sunt, resolvuntur laxanturque.

Dentium vacillatio unde.

Causæ relaxationis resolutionisque nervorum & ligamentorum circumdente, προκαταρκτικαὶ sunt, aut violenta concussio, aut venenati fumi vaporesque, veluti sunt hydrargyrii sive argenti vivi cinabrii, stibii sive antimonii Spitzglas / item medicamenta stupefacientia diutius in ore retenta. Ex hisce causis, plerumque argentariis, metallorum fusoribus & aurifabris dentes vacillare consueverunt.

Causæ.

Cur aurifabris dentes vacillent.

Προηγούμεναι causæ sunt humorum putridorum ad dentes & gingivas defluxio, quales causas in scorbuti curatione dentes vacillantes reddere docuimus.

Signa sunt manifesta.

Signa.

Curatio in vacillatione dentium prima erit, ut externæ causæ evitentur, internæ autem evacuentur, putidique humores subtrahantur sequentibus pillulis, prius, si opus fuerit, præparatis humoribus vitiosis cum potione sive decocto in scorbuti curatione præscripto.

Curatio.

Pillulæ.

℞. Mas. pil. de hiera simplici, fœtidarum, aggregativarum an. ℈ I.

Trochiscorum alhandali gr. III. ex quibus conformentur pillulæ n. 27. cum aqua betonicæ, & deglutiantur tribus horis à cæna. Deinde si adsint scorbuti signa, curatio vacillantium dentium ex medicatione scorbuti petenda est. In genere vero dentes vacillantes stabiliunt ac confirmant & dentium ligamenta laxitatemque gingivarum probè constringunt sequentia remedia.

Collutio dentes firmans.

℞. Rosarum rubearum, veronicæ, plantaginis an. M. s.
Nucum cupressi ʒ II. baccarum myrrhi, sumach an. ʒ I.
Corticum granatorum, gallarum an. ʒ s.

Cor-

Corticum radicum prunorum silvestrium, corticum mori arboris an. P. I. aluminis, mastiches, thuris an. ℈ I.

Concisa & contusa crassiusculè decoquantur in lib. III. vini rubei ad tertias, colentur, & eo liquore frequenter os & dentes ac gingivæ eluantur tepido. Post elotionem verò confricentur sequenti pulvisculo.

Pulvis dentes mobiles stabiliens.

℞. Gallarum, corticum granatorum an. ʒ s.
Balaustiarum, sumach, myrrhæ an. ℈ I.
Sanguinis draconis, mastiches, thuris an. ℈ s.

Fiat pulvis subtilissimus.

Si vero gingivæ putrescant cum dentium vacillatione, fortiori medicamento sequenti gingivas colluemus.

Collutio ad dentes vacillantes & gingivas putridas.

℞. Aluminis usti ʒ II.
Mastiches, myrrhæ, thuris, æruginis an. ʒ I.
Rosarum rubearum, teucrii sive veronicæ an. M. s.

Crassiusculè contusa & concisa coquantur in aceti & aquæ an. lib. s. ad medias, colentur, quo fiat collutio.

Post elotionem inungantur dentes & gingivæ sequenti linimento.

Linimentum.

♃. Pul. æruginis ʒ I. mellis rosacei ℥ I. aceti vinacei ℥ s.

Ærugo tenuissimè pulveretur & simul commixta ad aceti adsumptionem coquantur, quibus per se refrigeratis, admisceantur tenuissimi pulveres aluminis usti ℈ II. mastiches, myrrhæ, thuris an. ℈ I. fiat linimentum. Reliqua remediorum genera ex scorbuto huc accommodari possunt.

Lapis medicamentosus Crollii idem præstat.

5. *Cavitas seu erosio dentium quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo in dentium cavitatibus vermiculi generantur, & quomodo curanda?*

Dentium excavatio seu erosio unde.

Κοίλωσις τ῀ ὀδόντων, cavitas dentium. Excavantur dentes & præsertim molares, hominibus, tum quia nudi sunt, tum quod ex continua contritione alimentorum, ejus interstitiis & cavitatibus alimentorum reliquiæ inhæreant. Sæpe & vermiculi exigui, instar teredinum vel tinearum, quales & sæpe inter cutem & cuticulam manuum ac pedum, pustulas ac pruritus excitantes generari solent: quos nostri die suhren vocant. Hi dentium vermiculi sæpè acerbissimos dolores dentium excitant.

Vermiculi dentium.

Causa.

Causæ excavationis erosionisque dentium προηγουμέναι sunt putres & vitiosi humores reliquiæque alimentorum putrefactæ & ad radices dentium incumbentes, in maxillarumque alveolis collectæ. Προκαταρκτικαὶ sunt ciborum reliquiæ, & incuria crebræ emundationis dentium.

Signa.

Signa excavatorum dentium & tactu & visu facilè deprehenduntur, & ut plurimum qui excavatos dentes habent, jejuni tetrum halitum exspirant, nisi putrida materia ex iis eximatur.

Curatio.

Curatio consistit in causarum remotione. Si itaque dentes ex humoribus acrioribus & putridis in alveolis dentium collectis erodantur, caput purgetur sequentibus pillulis.

Pillulæ cephalicæ.

♃. Mas. pil. aurearum,
Fœtidarum,
Arabicarum an. ℈ I.

Trochiscorum alhandali gr. III. ex quibus contusis cum aqua majoranæ formentur pillulæ n. 27. ac deglutiantur ante somnum à cæna. Aut si necessitas efflagitat vitiosi humoris præparationem & decoctionem evacuationemque, iis remediis utiliter procedere possumus, quæ supra in curationibus specierum cephalalgiæ à vitiosis humoribus ortarum descripta sunt. Ne autem dentes amplius excaventur & ab erosione præserventur, opus erit singulis diebus à cæna & prandio cavitates & interstitia dentium dentiscalpio argenteo aut eburneo aut ex virgulis salicis parato ab impuritatibus expurgare, & vino rubeo aut aceto scillitico aut rosaceo, aut sequenti decoctione diligenter eluere.

Præservatio ab erosione. Mundatio dentium.

Collutio.

℞. Verbenæ,
Veronicæ,
Salviæ, hyssopi an. P. I.
Caryophyllorum, rad. iridis illyricæ an. ʒ I.
Spicæ Indicæ, mastiches an. ℈ I.

Concisa

Concisa & contusa crassiusculè in vini rubei lib. I. ad tertias concoquantur, liquoreque colato tepido dentes abluantur. Post elotionem si sequens pulvis dentium cavitatibus inseratur præservat ab erosione dentes, & suavem expirationem ex ore efficit.

Pulvis ad dentes erosos ac putres.

Odontalgici Crollii g. I. denti impositum cum gossyp. efficax est remedium.

♃. Rad. verbenæ, agrimoniæ an. ʒ s.
Cinamomi electi, mastiches an. ℈ I.
Origani, menthæ an. ℈ I.
Rad. iridis illyricæ, zedoariæ, angelicæ an. ℈ I.
Moschi gr. II. concidantur crassiusculè pulverata, & dentium cavitatibus inserantur.

Trallianus gravis autor Græcus ad erosionem cohibendam sequenti remedio uti nos docet.

Traliani experimentum.

♃. Opii Thebaici ℈ I.
Myrrhæ, styracis calamithæ an. ʒ s.
Piperis albi, croci, galbani an. ℈ I.

Ex omnibus his contusis cum melle scillitico conformentur globuli pro cavitatis dentium capacitate & imponantur per noctem.

Remedia ad vermiculos dentium enecandos.

Si teredines sive vermiculi in radicibus dentium generantur, id quod ex vehementissimo terebrante & pulsante dolore cognoscitur, tales vermiculi sequenti remedio elici & interimi possunt.

Suffimigium.

♃. Sem. hyoscyami ʒ I.
Cæparum, porri an. ʒ s. Crassiusculè contusa laminæ ferreæ aut lateri candenti imponantur, ex quibus excitatus fumus per trajectorii foramen, quod dentis cavitati est applicatum, recipiatur. Statim enim ubi vermiculi fumum persenserint spontè excidunt & cum aquosa vel tenui saliva effluunt, & si laminæ candenti incidant, moventur ac crepant. Aut

Globuli.

♃. Sola semina hyoscyami aut simul jam dicta semina & cum s.q. sevi caprini Bocksztallich conformato globulos, & cavitati dentium imponito.

6. *Stupor dentium quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curandus?*

Stupor dentium quid.

Ἀιμωδία dentium stupor est, quando dentes sensu tactus vitiantur, ita ut cibum ægrè & cum molestia commasticare queant.

Causa.

Causa stuporis dentium προηγουμένη est vapor acidus ex ventriculo delatus & dentibus instar fuliginis adhærens. Προκαταρκτικὴ est rerum acerbarum & stypticarum, quales sunt mala acida, uvæ immaturæ, prunella sylvestris, mala cydonia, masticatio, vini item austeri & acidorum potus.

Signa.

Signa patienti sunt notissima.

Curatio.

Curatio est facilis; dentes nimirum à succis acidis abstergendo, & calefaciendo, idque vino calido, non tamen austerò aut acido in ore retento, aut panno calido sa leve ustulato, dentes confricando, fieri potest: specifica facultate abstergunt dentium stuporem, portulaca viridis, aut ejus semen, aut amygdalæ amaræ commasticatæ.

Nuces pineæ & avellanæ commasticatæ, ol. omphacinum & caseus recens idem præstant.

Sectio VII.

De Morbis Linguæ.

I. *Qui sunt linguæ morbi præcipui?*

Lingua usus.

Lingua est inter omnes corporis partes, si usum spectemus, & optima & pessima. Est autem lingua organum distinctæ ac explanatæ vocis, saporumque certissimus judex. Composita est lingua ex novem musculis, quibus variè movetur, & duabus vestitur tunicis, quæ ortum habent ex tertio pari nervorum cerebri per linguam expanso, quarum exteriorem communem habet lingua cum palato, per quam sapores percipimus. Morbi præcipui, qui linguæ accidunt, hi sunt:

Constitutio linguæ ex variis partibus.

Linguæ affectus.

Pustulæ seu aphthæ,
Paralysis,
Gustus depravatio,
Tumusculi scyrrhosi,
Ranulæ,
Scabrities & nigredo.

2. *Pustulæ linguæ quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & qua ratione curandæ?*

Aphthæ quid.

Ἄφθαι, pustulæ linguæ, Arabibus Alcola, nostri **die Schwammen**/ infantibus familiare malum, quod non tantum iis per superficiem linguæ, sed in toto ore & labiis spargitur. Adulti rarius hoc symptomate affici solent.

Causæ.

Causa pustularum in infantibus ut plurimum est προκαταρκτικὴ, vitiosa videlicet qualitas lactis, quod sugunt infantes, tenuitas videlicet, acredo & ignea caliditas. In adultioribus προηγούμεναι causæ sunt, tenues, acres & venenosi humores ex cerebro per palatum defluentes, aut vapores calidi & acres ex ventriculo aliisque visceribus inflammatis in os exhalantes, uti in morbis calidis sæpe contingit.

Signa.

Signa sunt manifesta. Pustulæ enim conspersæ per linguam & vicinas partes conspiciuntur, ex quarum colore præsagientia signa sumimus. Pustulæ enim albicantes ac rubentes tutiores sunt & curatu faciles: Lividæ autem aut subnigræ perniciosæ & sæpe lethales habentur.

Prognostica.

Curatio.

Curatio pustularum linguæ in infantibus consistit in alteratione lactis nutricis & accurata ablutione absterfioneve pustularum. Nutrix itaque caveat ab usu alimentorum acrium & largius salsorum, veluti sunt piper, sinapi, carnes piscesque sale conditi vel fumo indurati, caveat & vini potionem. Bibat autem quotidie jejuna & tribus horis à prandio lac, quod confectum est ex quatuor seminibus majoribus & semine lactucæ cum aqua stillatitia plantaginis q. s. dulcoretur cum saccaro candi q. s.

Nutricis regimen.

Topica infantibus adhibenda.

Lingua infantium & oris partes quæ pustulis sunt conspersæ eluantur & confricentur bis terve post suctionem lacte bubalino vel caprino, in quo auriculæ Judæ vel fungi sambucini **Fleder örchen** sunt incocti. Cum ipsis itaque fungis & lacte, aut foliis salviæ virentibus in eodem lacte madefactis pustulæ confricentur & abstergantur; quibus absterfis, lingua & partes pustulosæ oris inungantur aut melle rosaceo aut diamoro, aut rob ribium. Item eluantur aqua rosacea, plantaginis aut solatri, quæ remedia sufficiunt ad curationem aphtharum albicantium & flavescentium. Ubi verò aphthæ lividæ aut nigræ apparuerint, quæ difficilioris sunt curationis & periculosiores, in hujusmodi aphthis frequenter eluantur pustulæ sequenti decocto.

Abstersio cum fungis sambuci. *Inunctio partium oris.* *Elotio.*

Ad aphthas nigras decoctum.

♃. Florum rosarum chamæmeli, meliloti an. M. I.
Sem. fænugræci ℥ s. sumach ʒ II.

Coquantur in aquæ plantaginis lib. II. ad medias, colentur, quo tepido aphthæ eluantur & eo madefacto folio salviæ probè confricentur.

Præsentissimum verò remedium ad aphthas cujuscunque coloris tam in infantibus quam adultis est eas prius diligenter ablutas & abstersas oblinire sequenti remedio.

Linimentum.

♃. Mellis rosacei ℥ s. olei vitrioli ʒ I.
Commisceantur, fiat linimentum.

Porro in adultorum aphthis curandis, quæ utplurimum ex corruptis, acribus & ferventibus humoribus oboriuntur, ita procedendum est.

Processus in curandis aphthis adultorum.

Primo si ætas & vires ferant secetur vena cephalica in dextro cubitu, deinde subtrahantur acres humores cerebri sequentibus pillulis.

Venæ sectio. *Pillulæ.*

♃. Mas. pil. aurearum,
Aggregativarum,
Cochiarum an. ℈ I.
Trochiscorum alhandali gr. IIII.

Ex quibus contusis cum aqua majoranæ formentur pillulæ n. 27. & deglutiantur circa mediam noctem. Subductis humoribus vitiosis, iterum duæ liventes venæ sub lingua existentes incidantur, & sanguis profluet cum multa pituita, quæ probè sugendo eliciatur, deinde quotidie bis terve colluatur os & lingua sequenti decocto.

Incisio venularum.

Collutio ad aphthas.

℞. Flo. rosarum M. I.
Sem. plantaginis, acetosæ, sumach an. ʒ II.
Cort. granatorum, nucum cypressi an. ʒ III.

Galla-

Gallarum ʒ I. concisa crassiusculè coquantur in aq. q. s. colentur & colato jusculo calido subinde eluatur os & lingua, ac statim post collutionem inungantur aphthæ diamoro aut melle rosaceo, aut sequenti linimento.

Linimentum.

♃. Sem. rosarum, quæ officinis antheræ vocantur, cornu cervini usti an. ʒ I. hippuris adusti ʒ s.

Lapis medicamentosus Crollii etiam hic utilis.

Pulverata commisceantur cum ℥ I. mellis rosacei, sed ut supra dixi, omnium certissimum & præstantissimum est remedium aphthis inungere oleum vitrioli aut per se, aut cum melle rosaceo mixtum.

3. *Paralysis seu mollificatio linguæ quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quibus remediis curanda?*

Diximus paulo ante, linguam esse explanatæ distinctæque vocis primarium organum. Explanata autem & articulata vox diversis linguæ motibus perficitur. Motus autem omnis voluntarius per musculos & nervos peragitur. Ubi itaque vel musculi linguæ, qui numero sunt novem, vel nervi linguæ, qui sunt rami orti ex tertio pari nervorum cerebri, vel laxantur vel molliores redduntur, vel torpescunt refrigerati, statim motus linguæ aut oboletur, aut vitiatur, & elocutio articulata aut prorsus amittitur, aut ægrè, balbutiendoque tantum effertur. Tale symptoma linguæ Græcis παράλυσις, Latinis resolutio linguæ nominatur.

Linguæ motus ut vitietur.

Paralysis linguæ quid.

Causa interna.

Causæ mollificationis linguæ προηγουμέναι sunt, nimia humectatio ex sanguinis redundantia, aut nimia humectatio ex pituitoso humore, quæ linguæ musculos gravant nervosque eorum relaxant, veluti videre est in corporibus plethoricis, quorum lingua copioso sanguine est infarcta, & in infantibus, qui ob humoris pituitosi copiam lallant tantum & balbutiunt.

Causæ externæ.

Προκαταρκτικαὶ causæ sunt, aut remedia stupefacientia, diutius linguæ inhærentia, aut ebrietas. In ebrietate enim propter linguæ nimiam humectationem & nervorum ejus, nec lingua, & ut dici solet, neque pes, neque manus suo fungi potest officio. Accidit autem & sæpè, ut motu privetur lingua ex vehementi ejus exsiccatione, veluti contingit in ardentissimis febribus, & in morituris, propter innatæ humiditatis absumptionem, ubi elocutione destituitur lingua. Verum talis affectio non potest referri ad linguæ mollificationem. De eo itàque symptomate hic non agimus, sed in alio loco tractatio ejus se nobis offert.

Linguæ nimia exsiccatio locutionem impedit.

Signa.

Signa redundantiæ sanguinis sunt, rubedo caliditasque faciei & linguæ in tumorem elevatæ, venæque sub lingua repletæ & tumescentes. Pituitosi autem humoris redundantiam, linguæ musculos gravantem ostendit salivalis humiditas os infestans, & cerebro ex ore effluens. Reliquarum causarum signa manifesta sunt.

Curatio.

Curatio à causarum ablatione incipienda est: ubi itaque elocutionis impedimentum non est congenitum, sed ex linguæ & nervorum gravitate vel resolutione contingat, propter sanguinis redundantiam, tum primum omnium statim vena cephalica, deinde & duæ conspicuæ venæ sub lingua incidendæ erunt, & os ac lingua subinde sequenti decocto gargarisanda ac eluenda.

Vena sectio.

Gargarismus.

♃. Salviæ,
Plantaginis,
Veronicæ an. M. I.
Rosarum rubearum,
Rutæ an. M. s.

Concisa coquantur in aceti & aquæ an. lib. I. s. ad tertias, colato jusculo admisceantur mellis rosati ℥ III. fiat gargarismus: post elotionem semper confricetur lingua tali linimento.

Linimentum.

℞. Mellis rosati ℥ I. olei vitrioli ʒ I. Commisceantur.

Paralysis linguæ ex pituitosa materia remedia.

Ubi vero lingua & ejus nervi à pituitosi excrementi copia aut laxantur aut gravantur elocutionemque impediunt, primum quidem & in tali casu venæ sub lingua sunt secandæ, ex quibus sanguis pituitosus effluit, ac tandem reliquiæ pituitosorum excrementorum cerebri sequenti potione concoquendæ & ad eductionem præparandæ sunt.

Potio digestiva.

♃. Oxymellis scillitici, syr. de v. radicibus, syr. è stæchade an. ℥ II.
Aq. stillatitiarum salviæ,
Betonicæ,
Hyssopi an. ℥ IIII.

Commisceantur, fiat potio, de qua bibat patiens per triduum, diluculo, & duabus horis ante cænam haustum tepidum ℥ IIII.

Tandem evacuentur excrementa pituitosa sequentibus remediis.

Haustus phlegmagogus.

♃. Hieræ compositæ ℥ s.
Diaphæniconis, diaturbith cum rhabarbaro an. ʒ III.
Aq. bethonicæ ℥ IV.

Commisceantur, fiat haustus, qui diluculo tepidus exhauriatur sex horis ante prandium. Aut

Pillula.

♃. Mas. pil. cochiarum,
Arabicarum,
Aurearum an. ℈ I.

Trochiscorum alhandali gr. IIII. Ex quibus formentur pill. 27. quæ auro foliato obducantur & deglutiantur circa mediam noctem. Subductis itaque pituitosis excrementis, collum cervixque singulis diebus bis inungantur sequentibus oleis.

Topica.

Linimentum pro cervice.

♃. Olei Irini, anethini an. ℥ s.
Ex granis juniperi ʒ s. de euphorbio ʒ I.
Acethi ℈ I. commisceantur.

Per os porro subtrahantur reliquiæ pituitosorum excrementorum, & corroborentur musculi & nervi linguæ sequenti gargarismate.

Gargarismus.

Salis margaritarum gr. x. Chymici in vino malvatico exhibent in omni paralysi.

♃. Rad. Pyrethri ℥ s. angelicæ ʒ I.
Sem. erucæ, staphidis agriæ an. ʒ III.
salviæ, origani an. M. s.

Concisa & contusa coquantur in aceti & aquæ an. lib. I. ad medias, colentur, colaturæ admisceantur mellis rosati ℥ II. fiat gargarismus, quo tepido utatur æger mane ac vesperi.

Inunctio linguæ cum theriaca.

Post gargarisationem confricetur inungaturque lingua theriaca Andromachi, cui momentum olei vitrioli sit admixtum. Aut retineantur sub lingua sequentes pastilli.

Pastilli sublinguales.

♃. Pul. rad. pyrethri, sem. erucæ an. ʒ s. euphorbii ℈ s. commisceantur, & cum q. s. confectionis anacardinæ formentur pastilli.

Experientia comprobatum est sequentem pulvisculum mirificè elicere & extenuare pituitosos humores linguæ musculis infarctos, si lingua cum eo crebrius confricetur.

Pulvis egregius ad linguæ humiditatem.

℞. Salis armoniaci ʒ I. zinziberis, mastiches an. ʒ s.
Rorismarini ℈ s. fiat pulvis subtilissimus.

Ol. rosmarini cum rot. diambra vel dicasterei insigne præstat juvamentum.

Quando linguæ motus impeditur ex ejus ariditate, elocutioque intercipitur, hujus symptomatis curationem in ardentium febrium tractatione tradituri sumus. Plura remediorum genera ex curatione paralyseos studiosi petere, & commodè huc transferre possunt.

4. *Gustus depravatio quid, quæ ejus causa, quæ signa causarum, & quâ ratione curanda?*

Gustus depravatio unde.

Gustus depravatio vel diminutio est absurdi alienique saporis perceptio. Accidit autem cum vel linguæ corpus, vel quæ ipsum atque palatum vestit, membrana vitioso aliquo humore infarcitur & imbuitur: Linguæ enim & palati tunica, quæ ex mollioribus tertii paris nervorum cerebri ramulis originem ducit, est immediatum organum gustus & perceptrix saporum.

Causa interna.

Causæ imminuti & depravati gustus προηγουμέναι quidem sunt, aut vitiosi humores vaporesque aut tertii paris nervorum originem obstruentes, aut tunicam linguæ & palati imbuentes. Eorum autem humorum vitiosorum plures sunt species, sed tamen potissimi sunt pituita salsa vel acida, & bilis amara, vel in ipso cerebro collecta, vel ex subjectis visceribus evaporantes.

Causa externa.

Προκαταρκτικαὶ causæ sunt, succus teter & vitiosus insignique aliqua qualitate præditus in esculentis, potulentis & medicamentis contentus, linguæ tunicam inter gustandum inficiens, & refrigeratio nimia ejus capitis partis, unde tertium par nervorum exoritur.

Signa

Signa causarum diversarum. Signa causarum depravati gustus hæc sunt, si tertium par nervorum est obstructum, aut vehementius refrigeratum, sapores ægerrimè sentiuntur, & adest simul dolor capitis & gravitas. Si vero bilioso humore vel vapore lingua est imbuta, omnia quæ gustantur, etiam dulcissima, amara esse sentiuntur. Si vero salsa pituita lingua est infarcta, omnia salsa; si acida, omnia acida; si diluta, omnia insipida gustando percipiuntur: προκαταρκτικῶν causarum signa manifesta sunt.

Curatio. Venæ sectio. Curatio depravati gustus pro causarum diversitate varianda erit. Confert autem plurimum venæ sectio, secanda est autem, si corpus est plethoricum, vena communis quæ mediana vocatur, dextri lateris; si caput pituitosis excrementis redundet, vena cephalica; si bilis infestet, epatica, & sequenti deinceps die, & venæ sub lingua incidendæ veniunt. Tandem humor supervacaneus, aut vapor linguam inficiens convenientibus pharmacis concoquendus, abstergendus & evacuandus erit. Quibus autem remediis singulæ vitiosorum humorum species concoqui & evacuari queant, supra remediorum paradigmatibus, huic negotio servientibus, hoc loco contenti erimus.

Pituita vitiosa & præternaturalis sequenti potione commodè concoqui & extenuari potest.

Potio digerens pituitam.

℞. Hyssopi,
Betonicæ,
Calaminthi an. M. I.
℞. Rad. Apii,
Petroselini,
Fæniculi an. ℥ s.
Sem. Carvi,
Fæniculi an. ʒ III.
Cubebarum, cardamomi an. ʒ I. coquantur in duplici vase cum vini lib. IIII. refrigerata colentur: colato juri admisceantur oxymellis simplicis, syr. de hyssopo, de stæchade an. ℥ II. cujus ℥ IIII. tepidæ diluculo & vesperi exhibeantur patienti.

Post sufficientem coctionem evacuentur pituitosa excrementa sequentibus pillulis.

Pillulæ phlegmagogæ.

℞. Mas. pil. aurearum,
Cochiarum,
Agarici trochiscati an. ℈ I.
Diagridii gr. III. cum aqua majoranæ formentur ex his omnibus contusis pillulæ n. 27. quæ exhibeantur deglutiendæ sex horis ante prandium. Aut si à pillulis abhorret æger, exhauriat hunc haustum tepidum.

Haustus pituitam eluens.

R. Diaturbith, diaphæniconis an. ʒ V.
hieræ simpl. ʒ II.
Aq. hyssopi ℥ V. fiat haustus.

Ubi vero lingua bilioso humore vel vaporibus est imbuta, quod ex amaritudine oris dignoscitur, ante topica remedia biliosi humores ut commodius evacuentur, sequenti potione præparari debent.

Potio præparans bilem.

♃. Syr. Rosacei,
Violacei, de cichoreæ cum rhabarbaro an. ℥ I. s.
Aq. Stillatitiarum, Cichoreæ,
Acetosæ,
Absinthii an. ℥ III.
Misceantur, fiat potio, cujus ℥ IIII. tepidæ diluculo, & paulo ante cænam quotidie ebibat patiens, qua absumpta evacuetur bilis sequenti bolo.

Bolus cholagogus.

℞. Pulpæ cassiæ extractæ, elect. lenitivi an. ʒ V.
Elect. rosati, Mesuæ ʒ I. commisceantur, fiat bolus qui zaccaro conspersus devoretur. Aut si patiens magis potione delectetur, resolvatur hic bolus cum ℥ V. aq. cichoreæ, fiat haustus, qui diluculo tepidus ebibatur. Idem præstant & sequentes pillulæ.

Pillulæ bilem evacuantes.

℞. Mas. pil. aggregativarum, è rhabarbaro an. ʒ s.
Diagridii gr. V. ex his omnibus contusis cum aq. cichoreæ formentur pillulæ n. 27. quæ deglutiantur in aurora.

Bilis vero atra si corpus infestet, & gustum depravet, id quod ex acore & stiptico sapore per linguam, potissimum post somnum, dignoscimus, tum melancholicus humor sequenti potione concoqui & extenuari commodè potest.

Potio melancholiam digerens & præparans.

♃. Rad. polypodii, fæniculi, petroselini an. ℥ s.
Rad. capparum, hellebori nigri an. ʒ III.

Aſplenii, capillorum Veneris, fumariæ an. M. s.
Fol. ſenæ, thymi, epithymi an. ʒ I.
Cinamomi ʒ I. paſſularum minorum ℥ I.

Concidenda conciſa & contundenda contuſa, in cantharo oblinito ſive duplici vaſe cum aq. lib. III. concoquantur per duas horas, & refrigerata colentur, colato juri admiſceantur ſyr. è fumaria de epithymo an. ℥ III. fiat potio, de qua mane, & tribus horis ante cænam ſumat æger ℥ v. concoctis extenuatis & præparatis melancholicis excrementis, exvacuentur ac ſubducantur ſequenti hauſtulo.

Hauſtus melanagogus.

℞. Diacatholici ʒ VI. Confectionis hamech ℥ s.

Diſſolvantur & commiſceantur cum ℥ v. aq. fumariæ, fiat hauſtus, qui patienti offeratur tepidus mane ſex horis ante prandium.

Evacuatis ita vitioſis humoribus, & ſubductis fomitibus vaporibusque adulterinorum ſaporum, linguæ adhibeantur ſequentia topica remedia.

Topica.

Primum confricetur lingua mane ac veſperi ſale & aceto, deinde eluatur ſucco urticæ, qui mirificè abſtergit impactos linguæ vitioſos humores. Tandem oblinatur lingua aut aqua cinamomi aut ſyr. roſaceo, cui momentum olei vitrioli aut cinamomi eſt admixtum, vel commaſticetur crebrius radix glyzyrrhizæ. Contingit frequenter in ardentiſſimis febribus, ut lingua reddatur aridiſſima, & omni ſapore privetur, cujus ſymptomatis remedia in ſequentibus de linguæ aſperitate ac nigredine commemorabimus. Linitur autem ariditas muccilagine ſem. Cytoniorum, vel tragacanti cum aqua roſacea confecta, linguæque illita.

Linimentum ad linguæ ariditatem ſingulare.

5. *Tumores ſive Apoſtemata Linguæ quid, quæ eorum cauſa, quæ ſigna, & quomodo curanda?*

Linguæ apoſtemata.

Suboriuntur adultis ſæpe per linguæ ſuperficiem tumores tum duriuſculi ac ſcyrrhoſi inſtar verrucarum alſe warten/ tum molles, albi aliorumque colorum, aphthis majores, eos Græci in genere linguæ apoſtemata, Arabes Botornos, noſtrates Blatern auff der Zungen vocant.

Cauſæ.

Cauſæ talium excreſcentiarum in lingua προηγουμέναι quidem ſunt humores corrupti, venenati & acres ad linguam decumbentes, aut eorum acris evaporatio ex ventriculo aut matrice. Προκαταρκτικαὶ ſunt cibi, potus & medicamenta exurentia & acria ſuo contactu linguæ tunicas erodentia.

Signa. Prognoſtica.

Signa ſunt manifeſta, ut qui viſu tactuque deprehendantur facilè. Prognoſtica vero ſigna hæc ſunt notanda, duri ſcyrrhoſique inſtar verrucæ tumuſculi linguæ & aliarum partium oris, ut plurimum ſunt ſoboles morbi Gallici. Si in febribus ardentibus per linguam apoſtemata nigra aut livida conſpiciuntur, propinquam mortem minantur.

Curatio.

Curatio tumuſculorum linguæ pro diverſitate cauſarum immutanda erit. Si itaque tumores ſunt rubicundiores, & adſit plenitudo, primum incidetur vena cephalica, deinde altero die venæ ſub lingua conſpicuæ, tandem & cervici geniſque cucurbitulæ cum ſcarificatione utiliſſimè applicari poſſunt. Si vero ex aliis vitioſis humoribus eorumque vaporibus apoſtemata originem trahant, conſideranda eſt vitioſi humoris ſpecies, id quod ex tumorum colore facile dignoſci poteſt. Rubeus enim eorum color ſanguinem eſſe infectum, flavus bilem flavam aduſtam redundare, niger melancholiæ aduſtæ copiam, duritieſ ſive ſcyrrhoſitas venenatos omnes humores arguit. Humor itaque peccans ſtatim concoquendus, extenuandus & evacuandus eſt remediis congruentibus ſupra in cephalalgiarum curatione ex vitioſorum humorum ſpeciebus ortarum, & in tabellis medicamentorum deſcriptis.

Venæ ſectio. Cucurbitulæ. Pharmaca unde petenda.

Topica.

His ritè peractis curatio perficienda eſt per topica remedia. Si itaque tumor ſit ſcyrrhoſus, ac inſtar verrucæ durus, quotidie bis terve colluatur lingua ſequenti decocto.

In ſcyrrhoſis tumoribus collutio.

℞. Ficuum conciſarum n. VI.
Sem. fænugræci contuſi ℥ s.
Flo. Malvæ hortulanæ M. I.

Pru-

Prunellæ M. s. coquantur in aq. & aceti partibus æqualibus quantum sufficit, ad medias, colati juris lib. I. admisceantur mellis rosacei ℥ III. fiat gargarismus.

Post ablutionem confricetur tumor sequenti pulvisculo.

Pulvis.

℞. Salis armoniaci ʒ II.
Mastiches ʒ I.
Pyrethri ʒ s.

Fiat pulvisculus. Saliva ex confrictione linguæ in ore collecta, subinde exspuatur, & tandem inungatur tumor sequenti linimento.

Linimentum.

℞. Olei vitrioli ʒ I. mell. rosacei ℥ I. commisceantur, fiat linimentum.

Ad apostema linguæ fistulosum.

Ubi vero apostema fistulosum appareat, sequenti gargarismate frequenter eluendum est.

Gargarismus.

℞. Agrimoniæ,
Veronicæ,
Rosarum rubearum an. M. I.
Rad. Aristolochiæ rotundæ ℥ s.
Mastiches, olybani an. ʒ I. ærugi-
nis ℥ s.

Concisa & contusa coquantur in vini rubei lib. III. ad tertias, colaturæ admisceantur mellis rosacei ℥ III. fiat gargarismus.

Post elotionem confricetur sequenti linimento.

Linimentum.

℞. Mellis rosacei ʒ II. pulv. tragacanti, mastiches an. ʒ s. Misceantur fiat linimentum.

Gargarismi aliquot ad quoscunque linguæ tumusculos.

Reliquæ species tumusculorum linguæ, post causæ remotionem sequentibus gargarismatibus ac collutionibus facilè curari possunt.

℞. Ramentorum sandali rubei ʒ II.
Lentium, rosarum rubearum an. M. I. coquantur in aceti & aquæ an. lib. I. ad medias, colentur, colato juri admisceantur diamori, rob. nucum an. ℥ II. fiat gargarismus, quo tepido eluat æger ter aut quater in die linguam. Aut

℞. Cort. rad. prunellorum sylvestrium vel ejus stolones ejusdem anni, mespilorum, citoniorum an. M. I. contusa macerentur per noctem in aquæ & aceti lib. I. & coquantur ad medias, colato juri admisceantur mellis rosati ℥ II. fiat gargarismus, quo tepido utatur præscripto modo. Aut

℞. Gallarum, balaustiarum, sumach
an. ℥ s.
Mastiches, thuris, myrrhæ an. ʒ II. coquantur in vini rubei lib. II. ad medias, colaturæ admisceantur mellis rosati ℥ III. fiat gargarismus.

Ad apostemata nigra remedia.

At si apostemata seu tumusculi sint subnigri & urentes, quales sunt carbunculi, tunc magis refrigerantibus est utendum, veluti sunt succus plantaginis, solatri, portulacæ, granatorum, quibus vel singulis vel commixtis crebro eluantur apostemata linguæ.

Porro ad quoscunque linguæ tumores mirificè conducit oleum vitrioli inunctum.

6. *Ranulæ sub lingua quid, quæ earum causæ, quæ signa, & quibus remediis curanda?*

Ranula quid.

Βάτραχος, ranula est tumoris species exiguæ ranæ formam referens quæ sub lingua ex molli carne, cui lingua incumbit, cuique quasi vinculo alligata est, nonnunquam exoritur.

Causa.

Causa προηγουμένη ranularum, est sanguis viscidus & pituitosus per venas sub lingua sitas ad mollem oris partem cui lingua incumbit, confluens, ibidemque mollem & laxum tumorem excitans, qui si aperiatur, profluit ex eo mucus ovi candido persimilis, qui, si tempestiva negligatur curatio, in φλέγμονα transire consuevit.

Signa.

Signa sunt evidentia, visuque deprehensibilia.

Curatio.

Curatio perficitur aut chirurgica operatione, aut topicis remediis. Per chirurgiam itaque si mollis & laxus est tumor, incidendus & purificandus erit, sequentique linimento inungendus.

Linimentum.

℞. Tragacanti torrefacti, rad. hermodactylorum an. ʒ s. cum albumine ovorum, fiat linimentum.

Frequenter quoque eluere oportet sequenti gargarismate.

Gargarismus.

℞. Cort. Granatorum,
Origani,

Sal-

Salviæ an. M. s. coquantur in aq. q. s. ad medias, colaturæ admiſceantur mellis roſacei ℥ 1. fiat gargariſmus.

Hæc ſi non contulerint, tranſeundum eſt ad remedia fortiora. Confricetur itaque ranula ſequenti linimento.

Linimentum.

℞. Salis armoniaci,
Æruginis,
Tragacanti an. ʒ s.

Aceti acerrimi q. s. fiat linimentum. Aut

℞. Mellis roſacei ℥ s. olei vitrioli ʒ 1. commiſceantur, fiat linimentum. Ubi vero ranula in phlegmonem tranſiit, tunc non leves excitat in lingua dolores, qui ſequenti linimento mitigari poſſunt.

Ranulæ in phlegmonem tranſeuntis remedia.

Linimentum.

℞. Ol. roſacei ℥ s. pul. amyli, boli armeni an. ʒ 1. commiſceantur, fiat linimentum.

Chirurgia.

Si vero hiſce remediis cedere non vult, chirurgico inſtrumento eſt prorſus exſcindenda, & poſt evulſionem vino rubeo tepido ſubinde eluenda, & vulneri ſequens pulviſculus inſpergendus.

Pulvis reſtrictivus.

℞. Atramenti ſutorii, aluminis an. ʒ s.
Maſtiches, olibani an. ℈ 1. fiat pulvis tenuiſſimus.

7. *Nigrities Scabritieſque, cum aut ſine ſciſſura linguæ quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quomodo curanda?*

Linguæ ſcabrities quid.

Nigrities ſcabritieſque & inſtar corticis arborei durities, interdum etiam ſciſſura membranæ linguam tegentis, ſæpe linguam infeſtat, quæ omnia accidentia ſunt, ſymptomataque aliorum morborum & non morbi.

Cauſa.

Cauſa itaque horum ſymptomatum προκαταρκτικὴ quidem eſt venenum aſſumptum aut venenati animantis morſus: προηγούμεναι vero ſunt acres & urentes ex ſubjectis partibus exhalationes & vapores, quales accidere ſolent in ardentiſſimis febribus tertiana & cauſo, quam noſtri **die Brun** vocant. Item ignei humores ex cerebro ad linguam defluentes.

Signa.

Signa viſu tactuque deprehenduntur.

Prognoſtica.

Quantum ad prognoſticum ſignum attinet, nigrities & ſcabrities linguæ ut plurimum, niſi maturè ſuccurratur morbuſque mitigetur, vitæ periculum portendit.

Curatio.

Curatio hujus ſymptomatis eſt ſublatio ejus morbi ſive cauſarum. Semper enim primum morbus, qui eſt tanquam cauſa ſymptomatis, eſt curandus, & tandem ſymptoma, niſi ſymptoma adeo ſit pernitioſum, ut Medicum ad ſe curandum ante morbi ablationem abripiat. Quomodo autem horum ſymptomatum morbi ſunt curandi, ſuis in locis demonſtrabimus: Hoc loco ſatis erit topica remedia ad nigritiem ſcabritiemque linguæ præſcribere.

Topica.

Cum autem hæc ſymptomata omnia ex ignea cauſa ſuboriantur, ubi vires tolerant, prodeſt initio venas ſub lingua incidere & linguam ipſam refrigerantibus & humectantibus pharmacis fovere, qualia ſunt hæc ſequentia.

Lac caninum valdè hic prodeſt.

Frequenter eluatur abſtergaturque aduſta & ſubnigra lingua lacte caprino tepido aut canino, quod in nigritie linguæ mirificè prædicat Plinius. Deinde ſub lingua retineantur ſequentes paſtilli.

Paſtilli ſublinguales.

℞. Quatuor ſeminum frigidorum majorum minutiſſimè conciſorum an. ʒ 1. ſaccari candi ℥ 1. Mucilaginis tragacanti cum aq. roſacea confecti q. s. conformentur exiguæ pillulæ compreſſæ.

Linimentum egregium.

Aut frequenter illiniatur lingua mucilagine ex ſeminibus pſyllii & cytoniorum cum aqua roſacea maceratorum expreſſa.

Decoctum refrigerans.

Præterea ſi viſcoſus humor linguæ adhæreat, ſubinde abſtergatur & lingua confricetur cum foliis ſalviæ in aceto madefactis, aut linteolo carpto ad virgulam alligato & diamoro intincto confricetur lingua, ac tandem ſæpius eluatur decocto tamarindorum & rad. prunellorum ſylveſtrium. Ablata hic inungatur lingua ſyrupo violaceo aut melle roſaceo, cui momentum olei vitrioli eſt admixtum, aut inungatur, præſertim ſi adſit ſciſſura, ſequenti linimento.

Linimentum ad ſciſſuras linguæ.

℞. Mucaginis, tragacanti, mucaginis ſem. pſylli & mucaginis gummi Arabici an. ʒ 1.
Pulpæ tamarindorum ʒ 1. s.

Syr.

Valdè quoque juvat salsen lapis prunella in aqua fontana solutus vel in lingua detentus.

Syr. violarum ℥ II.
Sem. portulacæ, ſpodii præparati an. ℈ I.
Camphoræ gr. III. fiat linimentum.

SECTIO VIII.
DE FAUCIUM ET TONSILLARUM MALIS.

I. *Faucium in eisque contentarum partium Morbi qui ſunt?*

Faucium partes & morbi.

Φάρυγξ, fauces, dicitur tota oris capacitas circa radicem linguæ, ubi aſpera arteria & gula initium ſumunt & ſimul connectuntur. Partes faucium ſunt guttur, gurgulio ſive uvula, tonſillæ ſeu amygdalæ, quæ partes ut plurimum afficiuntur tumore, inflammatione & exulceratione.

2. *Gutturis tumor quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quibus mediis curandus?*

Angina propriè dicta quid.

Gutturis tumor, Græcis συνάγχη ἀπὸ τοῦ συνάγχειν id eſt à ſuffocando, & Latinis Angina dicitur, & eſt morbus acutiſſimus, adeo ut niſi maturè ſuccurratur, intra 24. horas hominem ſuffocando interimat. Intercipitur enim in angina & deglutiendi & reſpirandi facultas.

Cauſa.

Cauſa ſemper eſt φλεγμηνάμένη, videlicet repentina & copioſa defluxio aut puri ſanguinis, aut biliosi aut pituitoſi ex capite, in ipſis faucibus collecta.

Signa cauſarum diverſarum.

Signa ex quibus vitioſi humoris differentia dignoſcitur, hæc ſunt. Si ſanguis purus redundat, facies rubet, venæ tument, & totum caput eſt repletum; ſi bilioſus ſanguis in faucibus eſt collectus, acerbiſſimos excitat dolores, ſine tamen manifeſto tumore, & facies pallidior apparet; ſi pituitoſus eſt ſanguis, mitior eſt dolor, tumor major.

Prognoſtica.

Prognoſticum autem ſignum eſt teſte Hippocrat. 6. Aphoriſm. Quibus ex bilioſo ſanguine angina oboritur, & nec intra fauces, nec in collo manifeſtus tumor apparet, lethale eſt; quibus autem tumor ad exteriora vergit, ſecurior eſt.

Curatio.

Curatio ab alvi evacuatione per enemata ſtatim in initio eſt auſpicanda. Convenit autem ſequens clyſter.

Enema.

℞. Malvæ, violariæ, mercurialis an. M. I.
Chamæmeli, meliloti an. M. s.
Coquantur in q. s. aquæ ad medias, colentur, colati juris recipe ℥ xv. quibus admiſce Caſſiæ extractæ ℥ I. s.
Saccari ℥ I.
Olei violacei ℥ III.
Salis ʒ I.

Commiſceantur, fiat enema, quod tepidum infundatur recto inteſtino. Poſt enematis infuſionem, ſtatim venæ incidantur, & primum quidem cephalica, deinde & utræque ſub lingua. Cavendum tamen ne ſanguis è vena cephalica ſemel & confertim detrahatur, ne videlicet ex cumulata ſanguinis detractione patiens in animi deliquium & ſuffocationis metum conjiciatur.

Venæ ſectio.

Quid obſervandum in phlebotomia.

Præſtat itaque ter quaterve in unius horæ ſpacio reiterata ſectione auferre ſanguinem; verum ſi mulier, cui ſuppreſſi ſunt menſes, anginâ laboret, huic præſtat venam ſaphænam ſub talo incidere. Qui vero aut per ætatem, aut per virium debilitatem venæ ſectionem ferre nequeunt, iis commode cucurbitulæ cum ſcarificatione cervici applicabuntur.

Saphenæ inciſio in fæminis.

Cucurbitula.

Altero die poſt venæ ſectionem, ſi æger deglutiendi facultate nondum eſt privatus, exhibeatur ſequens hauſtus catharticus.

Hauſtus catharticus.

℞. Caſſiæ recenter extractæ ʒ VI.
Syr. violacei ℥ I.
Elect. roſati Meſuæ ʒ I. Ex quibus conficiatur hauſtulus cum ℥ IIII. aq. ſtillatitiæ cichoreæ, & mane tepidus exhibeatur.

Deinde mitigetur dolor ſtatim ab initio ſequenti gargariſmate.

Gargariſmus adſtringens & repellens in initio uſurpandus.

℞. Flo. malorum punicorum, cort. granatorum, Gallarum, ſumach an. ℥ s. conciſa craſſiuſculè decoquantur in aq. plantaginis lib. I. s. ad tertias, colentur, & colato juri admiſceantur diamori ℥ II. quo tepido crebrius utatur. Poſt gargariſationem frequen-

frequenter illiniatur syr. violarum, aut teneat in ore diatragacantum frigidum.

Epithemata. Commodè & sacculi ex milio & sale torrefacto repleti calidique capiti in principio morbi applicari possunt, & anterior pars colli foveatur lana oleo chamæmelino imbuta.

Secundo die convenit uti sequenti gargarismate.

Gargarismus alter secundo die adhibendus. ℞. Lentium, balaustiarum, psidiæ, gallarum, sumach an. ℥ s.

Rosarum rubearum P. I. contusa coquantur in aq. lib. II. ad medias, colentur, colaturæque commisceantur diamori, rob. nucum an. ℥ I. mellis rosacei ℥ s. misceantur, fiat gargarismus, quo utatur tepido. Aut

Alius dolorem leniens. ℞. Lactis muliebris ℥ IIII. s. pulpæ cassiæ recenter evulsæ ℥ s. commisceantur, fiat gargarismus, qui mirificè dolorem lenit, & tumorem mitigat. Eodem quoque die collo imponatur lana succida id est **geschlagene Wulle** / sequentibus oleis tepidis imbuta.

Epithema. ♃. Ol. liliorum alborum, chamæmeli, anethini an. ℥ I. misceantur.

Tertio die quid agendum. Tertio vero die prodest uti sequenti emollienti gargarismate.

Gargarismus emolliens. ♃. Ficuum pinguium n. VI.
Palmularum sive dactylorum n. III.
Balaustiarum ℥ s.
Sem. lini, fænugræci an. ℥ s.

Coquantur in aquæ lib. II. ad medias, colentur, colatoque jusculo admisceantur
Pulpæ cassiæ extractæ ℥ s.
Pulveris myrrhæ ʒ I.
Croci ʒ s.
Lactis muliebris ℥ I.

Fiat gargarismus, quo tepido frequenter utatur. Eodem die applicetur emplastrum foris ex nido hirundinum confectum, quod specifica quadam sua facultate anginæ & omnibus colli tumoribus mirificè opitulatur, quod tali ratione parari potest.

Emplastrum ex nido hirundinum. ♃. Nidorum hirundinum unà cum excrementis lib. s.

Decoquantur in aq. q. s. ad aquæ exhalationem, donec ad pultis crassitiem redigatur, huic pulti admisceantur ol. liliorum alborum, amygdalarum dulcium an. q. s. ad cataplasmatis formam inducendam, idque collo tepidum imponatur, & ubi refrixit iterum concalefiat. *Usus emplastri hujus.*

Quarto die quæ usurpanda. Quarto die plerumque tumor suppurari & emollescere incipit. Eo itaque die subinde sequenti gargarismate utatur patiens.

Gargarismus emolliens & rumpens apostema. ℞. Dactylorum n. III.
Ficuum pinguium concisorum n. V.
Florum chamæmeli, meliloti an. P. I.
Sem. lini, fænugræci an. ℥ I.

Decoquantur in aq. lib. II. ad medias, colentur, colatoque juri admisceantur pulveris hirundinum torrefactarum, myrrhæ an. ʒ I. s.
Croci ʒ s. mellis rosacei ℥ I. fiat gargarismus.

Rumpentia tumorem. Porro ubi hirundinis pulvis haberi nequit, ejus loco rumpendi tumoris gratia admisceatur superiori gargarismati stercoris anserini pulverati ℥ I.

Galeni cura qua anginosum restituit. Galenus historiam narrat de angina à se curata, quod nimirum, cum aliis remediis destitueretur, receperit pueri stercus & exiccarit, idque cum melle commiscuerit, & prædivitis cujusdam faucibus angina laborantis illiniisse, intraque horæ spacium tumorem ruptum fuisse, hominemque sanitati restituisse, & pro mercede 100. aureos recepisse, ipsumque divitem 200. aureos ei spospondisse, si hoc secretum medicamentum ei manifestaret.

Ubi abscessus ruptus, quid agendum. Porro ubi jam ruptus est abscessus, intermissis reliquis gargarismatibus solo hydromelite tepido ulcus crebro eluatur, ac mel rosaceum cui parum olei vitrioli est admixtum illiniatur. Foris vero sequens cataplasma collo tumentique loco tepidum applicetur.

Cataplasma. ♃. Pollinis sive farinæ volatilis, pul. sem. lini, fænugræci an. ℥ s.
Ficuum pinguium contusarum ℥ I.
Nid. hirundinum ℥ s.

Omnia probè subigantur cum q. s. olei liliorum alborum, fiat cataplasma.

Angina à At ubi angina à frigida pituitosaq; defluxione

Frigida defluxione remedia. Venæ sectio. xione originem habet, in ea quoque specie anginæ curatio à venæ cephalicæ venarumque sub lingua existentium incisione auspicanda erit. Prodest autem ante venarum incisionem sequens enema patienti jejuno subjicere.

Enema. ℞. Malvarum, Althææ, Mercurialis, flo. chamæmeli, Meliloti, anethi an. M.s. betonicæ, majoranæ, stæchados Arabicæ, Centaurii minoris an. P. I. Concisa coquantur in q.s. aquæ ad tertias, & inter coquendum imponatur pulpæ colocynthydis ℈ I. in linteolo ligatæ, quæ rursus post concoctionem eximatur: reliqua percolentur, hujus colati juris accipe ℥ XIII. in quibus dissolvito hieræ simplicis ℥ I. benedictæ laxativæ ʒ VI. Mellis rosati ℥ I. olei chamæmelini ℥ III. salis communis ʒ I. commisceantur, fiat clyster.

Altero die si æger adhuc assumenda deglutire poterit, sequens haustus catharcticus jejuno tepidus exhibeatur.

Haustus catharcticus. ℞. Diacatholici, diaphæniconis an. ℥ s.
Elect. Indi majoris ʒ II.
Aquæ betonicæ ℥ V. fiat haustus.

Cucurbitula. Secundæ tandem vertebræ cervicis magna cucurbitula applicetur cum scarificatione, & subinde eluatur guttur sequenti gargarismate tepido.

Gargarismus adstringens & repellens. ℞. Nucum cypressi, balaustiarum, sumach an. ℈ s. mastiches ℥ I. rosarum M. s. contusa coquantur in hydromellis lib. III. ad medias, colentur, colato juri admisceantur Rob. è nucibus, mellis rosacei an. ℥ I. aluminis ℈ I. myrrhæ, croci an. ʒ s. fiat gargarismus, quo primo duntaxat die ab initio morbi utatur æger, foris autem obtegatur collum tumens lana succida, oleo liliorum alborum tepido imbuta.

Altero autem die, omisso præcedenti gargarismate, ad magis emolliens ac maturans accedendum est; quod ita concinnari potest.

Emolliens ac maturans gargarismus. ℞. Uvarum passarum majorum exemptis seminibus abjectis arillisque ℥ I. ficuum pinguium n. VI. sem. lini, fænugræci an. ℥ s. coquantur in hydromelitis ℔ III. ad tertias, colentur, colatoque liquori admisceantur pul. synapis, Pyrethri an. ʒ I. s. myrrhæ, croci an. ℈ II. cineris hirundinum ʒ I. fiat gargarismus, quo tepido utatur eousque donec ruptum sit apostema. Interim extra tumenti collo sequens cataplasma calidum imponatur.

Cataplasma. ℞. Nidi hirundinum contusi ℔ s. coquatur in hydromelitis q. s. ad pulpamenti crassitiem, cui admisceatur unguenti Althææ q. s. fiat cataplasma, quod bis singulis diebus tepidum imponatur. Rupto apostemate hydromelite subinde abluatur, & oxymel, cui olei vitrioli momentum sit admixtum, illiniatur saneturque.

Nonnulli multum tribuunt funi quo serpens strangulatus est.

Rupto apostemate quid agendum. Inedia hic convenit. Porro cum angina laborans difficilime deglutire queat, per triduum inediam aut tolerare debet aut solo cremore ptisanæ, aut aqua mulsa aut ovi luteo liquidiori vescatur. Sitim vero aqua hordei aut syrupo violaceo sedabit.

2. *Gurgulionis tumor, inflammatio & laxitas quid, quæ eorum symptomatum causa, per quæ signa internoscenda, quomodoq; curanda?*

Gurgulio quæ pars. Παρϛαρεών, Gurgulio sive columella, nobis **der Hueck**/ est particula palato circa radicem linguæ inhærens, quæ plectrum sive organum est sonoræ vocis, barbaris perperam uvula nominatur: Uva enim sive uvula probatis autoribus non ipsa particula seu columella, sed ejus morbus, tumor videlicet & inflammatio dicitur; afficitur gurgulio, aut inflammatione ac tumore, aut extenuatione, laxitateve, aut elongatione.

Quibus afficiatur malis.

Causæ tumoris & laxitatis uvulæ. Causæ προηγουμέναι cum tumoris tum laxitatis columellæ sunt, excrementitii humores à capite ad fauces destillati, qui si calidiores extiterint, tumorem & inflammationem columellæ excitant: si vero frigidiores ac tenuiores existant, quales sunt pituitosi humores, resolutionem ligamentorum ejus, & elongationem efficiunt. Προκαταρκτικαὶ causæ sunt, continua heluatio potusque ingurgitatio, & frigida humidaque aëris per respirationem attractio.

Signa. Signa cum inflammationis tumorisque, tum elongationis ac laxitatis columellæ visu tactuque facilè deprehenduntur. Aperto enim ore columella instar uvæ rotundæ, rubea & inflammata cernitur: In elongatione vero tenuior & oblongior de palato aut in guttur dependet, metum suffocationis infert, aut pendet in gulam, & tum continuam salivæ expuitionem, & quasi boli carnisque in faucibus hærentis deglutiendi conatum, sed inanem, excitat.

Curatio tumoris & inflammationis gurgulionis. Curatio symptomatum gurgulionis pro caussarum efficientium diversitate, morbique specie, varianda erit. In tumore itaque, inflammationeque gurgulionis, omnium primo alvus evacuetur sequenti clystere.

Enema. ℞. Malvarum, violariæ, althææ, mercurialis an. M. I.
Violarum, rosarum an. M. s. concisa coquantur in q. s. aquæ, ad tertias, colentur, colati liquoris accipe lib. I. in eoque dissolve hieræ simplicis ℥ I. s. olei violarum ℥ III. salis ʒ I. fiat enema, quod tepidum recto intestino infundatur.

Vena sectio. Sequenti die vena cephalica dextri brachii primum, deinde & venæ sub lingua sitæ incidantur, quin & cucurbitulæ cum scarificatione aversionis gratia cervici appositæ, proficuæ sunt.
Cucurbitulæ.

Diæta. Victus ratio in affectionibus columellæ debet esse parcior ac tenuior. Utatur itaque patiens cremore ptisanæ aut avenæ, jusculisque gallinarum, prunis & lacte amygdalino. Potus ejus sit aqua hordei, in qua cinamomi frustulum est incoctum. Tertio tandem die vitiosi ac calidi retorridique humores in inflammatione gurgulionis non è capite modo, sed è venis totius corporis sequenti haustu subducantur.

Haustus purgans. ℞. Rhabarbari electi ʒ I. s. fol. senæ Alexandrinæ ʒ II. contusa macerentur per noctem in aq. cicoreæ ℥ IIII. mane leniter ebulliant expressaque colentur, colato jusculo admisceantur elect. lenitivi, diacatholici an. ʒ II. fiat haustus, qui diluculo 6. horis ante alimenti assumptionem tepidus exhauriatur.

Topica. His ritè peractis, statim ad topica remedia accedendum erit, quæ & tumorem sedent & inflammationem arceant.

Primis autem diebus sequenti gargarismate feliciter uti possumus.

Gargarismus primus. ℞. Dactylorum nucleis exceptis n. VI.
Flo. rosarum rubearum M. s. balaustiarum ʒ III.
Cort. rad. recentium mori arboris & rad. prunellor. sylvestrium an. ℥ s. concisa coquantur in hydromellis lib. III. ad medias, colentur, quo tepido crebriusculè per diem utatur æger. Sive hoc quod magis constringit.

Gargar. 2. ℞. Gallarum, rhus seu sumach, acatiæ, balaustiæ, psidiæ an. ʒ III.
Sem. plantaginis ℥ s. florum prunellæ herbæ M. s. crassiusculè contusa coquantur in aq. lib. II. ad medias, colatum jus dulce efficiatur mellis rosacei ʒ II. fiat gargarismus, quo utatur tepido. Aut quod inflammationem magis restringit.

Gargar. 3. ℞. Aq. stillatitiarum rosarum, plantaginis, prunellæ, herbæ solatri an. ℥ II. diamori, rob. è ribes an. ℥ I. rob. è berb. aceti rosacei an. ℥ s. misceantur, fiat gargarismus. Aut quod ulcerato tumori prodest.

Gargar. 4. ℞. Flo. rosarum rubearum, mororum rubi immaturorum an. M. I.
Psidiæ, balaustiarum, glandium an. ʒ II.
Hypocistidos, acaciæ an. ʒ I. sem. acetosæ, cytoniorum an. ʒ s. coquantur contusa in aq. plantaginis lib. I. s. colentur, colato juri admisceantur mellis rosacei ℥ III. fiat gargarismus.

Quæ illiniri debeant. Præter hæc tumenti columellæ commodè illiniri inungique possunt per se, vel simul commixta Diamoron, mel rosatum, Rob. nucum, & Rob. è berberis. Aut si adsit exulceratio aut putredo columellæ, momentum olei vitrioli cum melle rosaceo mixtum. Foris verò collum cervixque oleo rosaceo & cytoniorum inungi commodè possunt.

Prolongationis columellæ remedia. Porro si columella citra inflammationem propter affluxionem frigidorum humorum laxetur, & in fauces propendeat, quam affectionem Græci γαργαρεὼν χάλασιν, id est, laxitatem vel elongationem

nem columellæ, barbari vero casum uvulæ vocant, hujus mali curatio hac ratione est instituenda.

Primum tenuis sive serosa pituita, (hujus enim defluxu ut plurimum laxatur & extenuatur columella) præparanda & concoquenda evacuandaque erit iisdem remediis quæ supra in cephalalgia pituitosa recensuimus. Aut purgabitur commode ʒ I. pill. Aurearum: quin & venæ sectio, præsertim sub lingua commodè adhiberi potest. Quibus peractis, statim ad topica & pituitam ex capite subtrahentia pharmaca, & retinentia columellam in proprio loco, qualia sunt sequentia gargarismata & pulvisculi, accedendum erit.

Evacuatio per pharmaca. *Vena sectio.* *Topica.*

Gargarismus.

♃. Salviæ,
Origani,
Hyssopi, fol. lauri an. M. s.
Fungorum arboribus sambuci vetustis adnascentium ℥ s.
Gallarum ʒ III. Contusa coquantur in aceti & aq. an. ℔. I. ad medias, colentur, colatum jus dulcoretur cum mellis rosacei ℥ II. fiat gargarismus, quo tepido in die frequenter utatur æger. Aut

Alius.

℞. Sem. erucæ ʒ v. Rad. Pyrethri ℥ s. Salviæ, hyssopi an. P. I.
Mellis rosacei nondum colati ℥ III.
Aceti & aq. an. ℔. I. coquantur ad medias ac colentur, fiat gargarismus. Post collutionem faucium & columellæ cum præscriptis gargarismatibus sublevetur columella chirurgico artificio, videlicet aut crinibus in vertice capitis sitis fortiter sursum tractis, aut pollice madefacto gargarismate, & pulvisculis sequentibus intincto, aut exiguo cochleari huic negotio adaptato, pulvisculisque sequentibus impleto.

Modi sublevandi columellam relaxatam & pendulam.

Pulvis adstrictivus.

℞. Gallarum immaturarum, aluminis, salis armoniaci an. ℈ I. Tenuissime pulverentur & commisceantur, fiat pulvis. Aut

Alius pulvis.

℞. Piperis, Cinamomi an. ℈ I.
Cort. Thuris, Gallarum an. ℈ s.
Acaciæ ℈ I. Rosarum rubearum ʒ s.
Tenuissime contrita commisceantur, fiat pulvisculus. Quin & solius zinziberis albi pulvisculo, si reliqua ad manus non sint, commode sublevari potest columella dependens. In infantibus laxata columella sublevatur, si eorum vertici charta munda quadruplicata lactis materni & aq. rosaceæ æ. p. simulque mixtis imbuta imponatur.

Pulvis zinziberis uvulam sublevat. *Experimentum pro pueris.*

Adeo sæpe molesta est columellæ relaxatio, ut si in initio per incuriam negligatur ejus curatio, supputrescat, ut abscissionem desideret, quæ sane non temerè est tentanda, statim enim ea abscissa, claram & expeditam vocem adimit, & sanguinis eruptio ex ejus sectione difficilime potest cohiberi.

Vvularia herba propter signaturam valde statuitur juvare. *Columellam non temerè resecandam.*

4. *Tonsillarum Tumor & Inflammatio quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quibus remediis curanda?*

Tonsillæ, Græcis παρίσθμια καὶ ἀντιάδες, Barbaris glandes & amygdalæ, nostratibus populari voce **die Zuchhaken** nominantur. Sunt autem duæ spongiosæ particulæ, instar duorum nucleorum amygdalinorum, rotundæ, utrinque circa radicem linguæ dispositæ, ex quibus inter mandendum salivalis profluit humiditas ad cibi durioris humectationem in ore. Afficiuntur autem crebrò hæ particulæ, Inflammatione & tumore, ac nonnunquam exulceratione, quam affectionem Græci φλεγμονὴν ἀντιάδων appellant.

Tonsillæ quænam proprie? *Earum usus.* *Tonsillarum affectus.*

Causæ intumescentiæ, inflammationis & exulcerationis tonsillarum προηγούμεναι sunt acres, erodentes & tenues humores, ex capite ad eas defluentes. Sæpe quoque ex solius sanguinis redundantia in venis jugularibus intumescunt.

Causæ affectionum tonsillarum.

Προκαταρκτικαὶ causæ sunt crebra helluatio & meracioris vini ingurgitatio. Inflammatio tonsillarum puerulis sugentibus familiaris est, quod ex lactis acrimoniâ contingit.

Signa tum intumescentiæ tum inflammationis & exulcerationis tonsillarum manifesta sunt. Aperto enim ore, tonsillæ aut vehementer rubent & tumidiores apparent, aut alba & pituitosa sanie oblita sunt, & ulcus quoque visu deprehendi potest, & perpetuo cum ex tumore, tum ex inflammatione dolor circa radicem linguæ sentitur, & de-

Signa.

& deglutiendi difficultatem parit: nonnunquam adeſt ſimul & febricula.

Curatio. Curandi ratio in tenui victus ratione, venæ ſectione, medicamentorumque uſurpatione conſiſtit.

Diæta. Victus ratio tenuis & concoctu facilis præſertim in inflammatione tonſillarum convenit, veluti ſunt, cremor hordei aut avenæ, ova ſorbilia, juſcula ex ovis, carnes ovillæ & pullorum gallinaceorum, pruna Ungarica & ſimilia. Potus ejus eſto aut aqua hordei cum cinamomo & uvis paſſulis probè parata, aut cereviſia clara ac tenuis, qualis eſt Brunſwicenſis & ejus ſimiles.

Venæ ſectio reiterata. Victus tali ratione præſcripta, ſi in tonſillarum inflammatione intumeſcentiaque adſint ſigna plethoræ, & ſanguinis redundantis, tum ſtatim in initio ſecanda eſt vena cephalica, ſanguisque non confertim, ſed ſenſim & per vices detrahendus, vulnuſculo venæ ſubinde digito compreſſo ac rurſum laxato. Nec obeſſe poteſt altero vel tertio die venam ſub lingua incidiſſe. Verum ante venæ ſectionem ſedulo curandum eſt ne alvus ſit conſtricta. Quod ſi durior fuerit alvus, ſequenti enemate emollienda erit, fecesque ſubducendæ.

Enema. ℞. Malvæ, althææ, violariæ, mercurialis an. M. s.
Chamæmeli, meliloti, furfuris tritici an. P. I.

Conciſa coquantur in q. s. aquæ ad medias, colentur, colati juſculi accipiatur lib. I. eique admiſceantur.
Elect. lenitivi ℥ I. s.
Ol. chamæmelini ℥ III.

Salis communis ʒ I. fiat enema quod tepidum jejuno infundatur.

A venæ ſectione ſi acris aliquis humor bilioſus, aut ſeroſa pituitoſave excrementa in venis redundent, cujus ſpecies ex detracto cruore cognoſcere dabitur, ipſum prævalentem humorem propriis remediis, quorum paradigmata & copiam cum ex cephalalgiæ *Purgatio.* ſpeciebus curandis, tum ex tabellis purgantium remediorum certis humoribus deſtinatorum petere licet, ſubducere oportet.

Si vero adſit tumori tonſillarum & febricula, ſequenti remedio utendum eſt.

℞. Pulpæ caſſiæ recenter evulſæ ℥ x. *Bolus.* quæ devorentur hora dimidia ante prandii ſumptionem, ſaccaro probè conſperſæ: aut ebibantur reſolutæ cum hauſtu aquæ ſtillatitiæ cichoreæ. Interim nec topica *Topica.* remedia, veluti ſunt gargariſmata, fomentationes & chirurgicæ mundificationes tonſillarum, inunctionesque negligendæ ſunt.

℞. Roſarum rubearum, violarum purpurearum exſiccatarum an. M. I. *Gargariſmus.*
Sem. plantaginis ʒ III.
Cort. rad. prunellorum ſylveſtrium ℥ s.
Dactylorum n. IIII. furfuris tritici ʒ II.

Concidenda conciſa & contundenda contuſa ſimul mixta coquantur in lib. II. aquæ ad medias, colentur, fiat gargariſmus, quo tepido frequenter utatur patiens.

Si quid autem ſordidum tonſillis adhæ- *Sordida ex tonſillis auferenda.* reſcere videtur, chirurgicis inſtrumentis & penicillis in diamoro aut roſaceo melle imbutis, quotidie bis abſtergendum erit. Ubi vero adeſt & exulceratio tonſillarum, melli roſaceo, quod illinitur, admiſcendum erit parum olei vitrioli. Inte- *Fomentationes.* rim vero & externæ fomentationes tepidæ cum decoctis chamæmeli, meliloti, malvæ, althææ, fænugræci, ficuum ac ſimilium minimè negligendæ erunt. Quin & ſequens cataplaſma commodè collo tepidum imponitur.

℞. Farinæ hordei, ſem. lini, fænugræ- *Cataplaſma.* ci an. ℥ II. coquantur cum q. s. aq. & aceti æ. p. ad liquorum abſumptionem, ut pulmenti craſſitiem conſequantur, cui tandem admiſceatur olei chamæmelini q. s. fiat cataplaſma, quod bis per diem collo circumponatur tepidum. Porro exul- *Tonſillis exulceratis quæ conveniant.* ceratæ tonſillæ acria remedia ferre nequeunt, proinde aut tepido lacte, aut hydromelite, aut decocto ficuum & glyzirrhyzæ aut cremore furfurum gargarizandæ erunt.

SECTIO IX.
DE COLLI EXTERIORIS AFFECTIBUS.

1. *Colli exterior pars quibus Morbis afficitur?*

Affectiones præcipuas in interiori capacitate colli contentis partibus accidentes in præcedentibus explicavimus. Foris vero & in cute colli, potissimum circa guttur, duo genera tumorum plerumque oboriuntur, Bubo videlicet pestilentialis, cujus tractationem in curanda febri pestilentiali absolvemus, & strumæ sive scrophulæ, de quibus hoc loco breviter docebimus.

Quæ affectiones collo exteriori contingant.

2. *Struma seu Schrophula circa guttur quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curanda?*

Tumorum circa guttur differentia.

Varia genera tumorum circa guttur inter cutem & carnem oboriuntur, quæ ob formæ diversitatem cum à Græcis tum à Latinis diversis appellationibus notantur.

Vocant enim γάγγλιον, & βρογχοκήλην, id est strumam & Herniam gutturis, quæ magni ac lati sunt tumores, & χοιράδες id est scrophulæ, glandulæ & noduli nominantur. Etsi autem ex iisdem causis hæ tumorum species ut plurimum oboriantur, & iisdem medicamentis curentur, tamen & forma & situ, mollitie ac duritie inter se nonnihil differre videntur. Γάγγλιον enim & struma, non tantum in collo, sed & in aliis articulationibus proveniunt. Χοιράδες vero sive scrophulæ excrescentiæ sunt duræ, propriis membranis involutæ & prominulæ, doloris expertes, circa guttur obortæ, quales sub porcorum quorundam collis pendere conspicimus.

Ganglion.

Scrophula quid propriè.

Est regiuncula Stiriæ in alpium convallibus, quæ à fluviolo, eam per medium secante Pinzkaw / χοιράδες, id est, scrophulas pendentes habent & omnes rauca loquuntur voce. Ferunt autem eis scrophulas contingere ex usu potuque ejus fluvii. Nam si baculi virgæque arborum flumini ei injiciantur, brevissimo tempore strumas acquirunt.

Scrophula in Stiria frequentes & endemia.

Sunt autem omnes hi tumores pituitosæ excrescentiæ inter cutem & carnem obortæ, renitentes & doloris sensu carentes, & in propriis continentur pelliculis.

Causæ strumarum ac glandium προκαταρκτικαὶ sunt, vehemens compressio aut percussio & intemperantia victus: προηγουμένη est pituitosus, cœnosus, & gypseus humor, ex capite per venulas extra cranium sitas ad collum defluens. *Causa scrophularum.*

Signa sunt manifesta, sub mento enim in collo prominent, & plerumque mobiles sunt, & à cute separabiles. *Signa.*

Prognostica signa: Scrophulæ seu strumæ recentes ac molles facilè in principio discuti resolvique possunt: duræ vero, scyrrhozæ, & jam inveteratæ difficillimè curantur. Strumis duris si accedat dolor & rubedo, in abscessum & suppurationem terminantur, & in cancrum fistulamque degenerant. *Prognostica.*

Strumæ glandulæque in cæteris partibus carnosis existentes, incisione evulsioneque commodè curari possunt, verum in collo propter concursum venarum, arteriarum & nervorum sine extremo periculo incisio tentari nequit. Curatio itaque statim in initio & bona victus ratione & medicamentorum applicatione, antequam indurescant, auspicanda erit. *Curatio.* *In collo periculosa est resectio.*

Victus ratio debet esse parcior & tenuior, vitanda saturitas, meridianus somnus, & loca paludosa & montium convalles. Per medicamenta pituita ex cerebro subinde est expurganda, concoquenda & subducenda remediis in cephalalgiæ pituitosæ curatione & in tabella medicamentorum pituitam evacuantium, enumeratis. Aut concoquatur primum gypsea & lenta pituita sequenti potione. *Diæta.*

℞. Rad. Ireos, galangæ, petroselini, graminum,
Asparagi, polypodii, elenii, angelicæ an. ℥ iii.
Rad. Chelidonii minoris, scrophulariæ an. ℥ s.

Potio gypseam pituitam concoquens & præparans.

Sem.

Sem. petroselini Macedonici, fœniculi, carvi cymini an. ʒ II.
Herb. melissæ, betonicæ, marrubii, asplenii, veronicæ an. M. s.
Baccarum juniperi ℥ s. ramentorum ligni guajaci ℥ I.

Concisa & contusa coquantur in cantharo sive duplici vase cum lib. IIII. vini Rhenani ad duas horas, deinde colentur, colatoque juri admisceantur oxymellis scillitici, syr. è stæchade an. ℥ IIII. fiat potio, de qua ebibat æger mane ac vesperi tribus horis ante cænam ℥ v. calefactas. Hac potione absumpta deglutiat in aurora sequentes pillulas.

Pillulæ. ♃. Mas. pil. Assajereth, cochiarum, pul. turbith an. ℈ I. zinziberis, salis gemmei an. gr. III. formentur pillulæ n. xix. cum aqua majoranæ: hæ pillulæ singulis mensibus reiterentur.

Aut utatur singulis septimanis sequentis pulvisculi ʒ II.

Pulvis cathartìcus. ♃. Turbith, foliculorum senæ, zinziberis albi, saccari candi an. ʒ II.

Assumatur jejuno ventriculo cum aliquo jusculo. Aut

Pillulæ. ♃. Mas. pil. de hermodactylis, de agarico, fœtidarum an. ℈ I.

Conformentur pill. 27. & deglutiantur VI. horis ante prandium.

Purgatis subductisque pituitosis humoribus, quotidie subsequentia remedia, strumas specifica virtute absumentia & discutientia, intra corpus sumi debent.

Potio specifica virtute scrophulas absumens. ♃. Rad. scrophulariæ, filipendulæ an. ʒ II.
Pimpinellæ, pilosellæ, tanaceti an. ʒ I.

Aristolochiæ rotundæ, spatulæ fœtidæ, rad. raphani an. ʒ s. Contusa coquantur in lib. III. vini ad tertias, cui admisceantur oxymellis simp. ℥ III. fiat clara potio de qua tertio quolibet die ebibat æger ℥ IIII.

Limaces strumas absumunt. Item caro viperina. Quin & limaces quoquo modo præparati & intra corpus assumpti strumas absumere creduntur. Idem præstat & viperarum caro præparata, & à veneno separata: aut ℈ I. trochiscorum è vipera alternis diebus cum vino Rhenano assumptus: Aut

Pulvis probatus. ♃. Rad. gladioli, scrophulariæ an. ʒ II. cineris viperarum ℥ s.

Cineris spongiæ aquam non expertæ, limacum ex testis exemptarum & siccatarum an. ʒ III. ex his omnibus fiat pulvis, de quo indies IIII. horis ante prandium assumat æger ʒ I. cum haustu uno vini Rhenani.

Topica ad strumas molliores. Porro foris strumæ seu scrophulæ molliores & recentiores inungendæ & confricandæ sunt, aut pauxillo theriacæ Andromachi, & crebro spina, aut aculeo, quæ Rajæ piscis caudæ inhæret, compungendæ, sanguisque exprimendus, strumisque lamina plumbea imponenda & alliganda. *Struma scyrrhosa ut curanda.* Strumæ vero jam induratæ & in scyrrhum traductæ, primum emolliendæ ac tandem discutiendæ & absumendæ erunt, quod sequentibus inunctionibus, cataplasmatis & emplastris perficitur.

Emplastrum valde emolliens. ♃. Gummi armoniaci, galbani, bdellii, sagapeni an. ℥ s.

Resoluta ad ignem cum pauxillo aceti vini redigantur in formam emplastri: Emollit enim omnes durities. Aut imponatur strumæ emplastrum diachylum magnum quod in myropoliis prostat. Aut

Emplastrum dieticum suum Crollius ad hunc affectum commendat. ♃. Diachyli emplastri ℥ IIII. resoluto ad ignem admisceantur,
Rad. iridis Illyricæ, scrophulariæ an. ℥ s. fiat emplastrum.

Emollita hac ratione duritie, unguenta & cataplasmata discutientia & absumentia, quæ subsequuntur, imponenda erunt.

Linimentum strumas absumens. ♃. Plumbi usti, fuliginis ex ligno sambuci factæ an. ʒ II. cum acri aceto vini contemperentur, & in formam linimenti redigantur, quo indies bis confricetur tumor. Aut

♃. Cinerum viticis quam agnum castum officinæ vocant, exuviar. Serpentum quas Plinius vernacionem serpentum appellat, an. ʒ II.

Contrita cum q. s. olei amygdalarum amararum, fiat linimentum. Post illitionem sequens emplastrum tumori imponatur.

Emplastrum aliud. ♃. Aloës,
Acatiæ,

Myrrhæ,

Myrrhæ,
Olibani,
Sarcocollæ an. ʒ II.
Aluminis,
Salis an. ʒ I.

Tenuissimè contrita redigantur in emplastri formam cum q. s. albumin. ovorum. Aut

Cataplasma mirificè strumas absumens.

℞. Rad. filicis,
Asphodeli,
Ebuli an. ℥ III.

Concisæ coquantur in vino optimo, donec molles evadant, deinde vino effuso radices contundantur in mortario, quibus admisceantur,

Sulphuris vivi ℥ I.
Cineris cochlearum ℥ II.

Et cum mellis ac aceti p. æq. redigantur in cataplasmatis formam, & strumis imponantur, quas mirificè absumunt. Aut

Aliud cataplasma.

℞. Stercoris bubuli aut caprini exsiccati ℥ II.
Rad. Brassicæ,
Capparum,
Scillæ,
Ficuum an. ℥ s.

Exactissimè contusa temperentur cum melle & aceto, fiat cataplasma.

Absumit quoque strumas calx viva cum adipe anserino & resina picea in formam emplastri redacta, illisque imposita.

Reges Galliarum strumas solo attactu curant.

Quæ strumæ hisce remediis curari nequeunt, illæ ad Reges Galliarum & Angliæ ablegandæ sunt, quibus divinitus id muneris concessum esse perhibent Medici Galli, ut sola manuum impositione strumas & scrophulas curare queant.

Practicæ
FRANCISCI JOELIS
LIBRI II.

FINIS.



FRANCISCI JOELIS

OPERUM MEDICORUM
TOMUS TERTIUS,

In quo

LIB. III. ET IV.

De

MORBIS ET AFFECTIBUS THORACIS, VENTRICULI ET INTESTINORUM.

Thorax quid. Ventrem superiorem vocat hanc cavitatem Hipp. aphor. 38. l. 7. Alii medium ventrem dicunt. Partes Thoracis interna.

ΩΡΑΞ, pectus, est secunda capacitas humani corporis. Dicitur autem thorax, quidquid inter collum sive jugulos & inter septum transversum, quod transversaliter intersepit corpus, & apici sterni, costis mendosis & dorsi vertebris connatum est, & ventrem superiorem ab inferiori dividit, continetur. In hac capacitate Thoracis continentur partes respirationi, vitæ & voci servientes, veluti sunt:

Aspera arteria,
Pulmones,
Pleura,
Costæ,
Superior facies septi transversi, &
Cor cum sua capsula, vitæ fons.

Extrinseca ejus partes sunt:

Externa.

Mammæ,
&
Musculi Thoracis.

Pectus propriè quid.

Thorax latè patenti significatione Pectus dicitur; quanquam authores anteriorem thoracis partem propriè pectus appellent. Hæ partes singulæ & per ἰδιοπάθειαν & per συμπάθειαν variis afficiuntur morbis & affectibus.

SECTIO I.
DE ASPERÆ ARTERIÆ, PULMONUM ET PLEURÆ AFFECTIBUS.

1. *Aspera arteria, pulmonum & pleura morbi qui sunt?*

Aspera arteria est fistula cartilaginosa, ortum ducens à faucibus, & inversæ arboris instar in pulmones implantata, estque organum respirationis & vocis. Pulmones in pectore sunt tanquam folles in vivo animante, ob necessitatem respirationis & exspirationis perpetuo motui subjecti, organa respirationis. Pleura est membrana intrinsecus Thoracem undique succingens. *Aspera arteria descriptio. Pulmonum. Pleura.*

Asperæ arteriæ, pulmonum & pleuræ præcipui morbi sunt: *Morbi aspera arteria, pulmonum & pleura.*

Raucedo,
Tussis,
Asthma,
Peripneumonia,
Pleuritis,
Hæmoptysis,
Empyema,
Phthisis.

2. *Raucedo*

2. Raucedo quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus remediis tollenda?

Raucedo quid. Βρόγχος, raucedo, est vocis insolita & non naturalis gravitas & asperitas.

Causa. Causæ προηγουμέναι raucedinis sunt, nimia humectatio membranarum, asperam arteriam constituentium, per catarrhum sive destillationem excrementitiæ humiditatis ex cerebro in ipsam asperam arteriam: προκαταρκτικαὶ causæ sunt nimia humectatio membranarum ejus per heluationem. Generatur quoque rauca vox ex causis externis per accidens, ut ex diuturno clamore, ventorum borealium, fumorum & pulverum inspiratione, quæ per accidens excitant affluxionem humorum ex cerebro.

Signa. Signa raucedinis manifesta sunt. Causarum vero signa ex relatione patientis dignosci possunt.

Curatio. Curatio raucedinis à causarum remotione auspicanda est. Si itaque causa raucedinis Catarrhus extiterit, curabimus iisdem remediis, quæ supra in curatione destillationis cerebri sunt tradita, defluentem materiam decoquendo, evacuando, exiccando & defluxionem restringendo. *Topica unde petenda.* Topicis autem omnibus remediis commodè utimur in curatione raucedinis, quæ paulo post in curanda tussi enumerabuntur.

Remedia raucedinis. Raucedo à lenioribus externisque causis oborta, facile tollitur usu pastillorum Bechicorum, Rotularumque Diaireos simpl. Diatragacanti, Diapenidii, Loch sani, Syr. è Glycyrrhiza, succo Glycyrrhizæ, & similib. *Myrrha etiam ore retenta raucedinem tollit.* subinde in ore retentis & sensim deglutitis. Lobel. etiam valde commendat syr. de erysimo, quo decennali raucedine laborantes curavit.

3. Tussis quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus remediis curanda?

Tussis quid. Βὴξ, tussis, est depravatus violentusque contra voluntatem motus organorum respirationis, videlicet pulmonis, asperæ arteriæ, musculorum thoracis & diaphragmatis, quo natura vehementi & coacervatâ respiratione, noxia expellere & discutere conatur. Galenus lib. 2. cap. 4. de sympt. causis, Tussim dicit esse vehementissimam efflationem, qua plurimum spiritus celerrimè foras erumpens impetu suo discutit & explodit excrementa in meatibus partium respirationis contenta.

Differentia. Duplex genus tussis sensu deprehenditur: sicca, cujus causa est aut vapor, aut mala qualitas; & humida in qua excrementitii humores excernuntur.

Causa. Causæ προηγουμέναι tussis sunt, catarrhus seu destillatio cerebri ad organa respirationis meatus eorum obstruendo, exasperando, ac titillando, item partium prædictarum à mala qualitate, vel à vaporibus ex inferioribus partibus, videlicet Epate, Liene, Ventriculo, Matrice & Diaphragmate ad eas partes ascendentibus, calefactio, exiccatio & obstructio atque exulceratio: Et tales *Tussis symptomatica.* quidem tusses dicuntur Symptomata, & fiunt per consensum, talesque oriuntur in inflammatione Epatis & febribus, item in Lienis, Matricis & ventriculi affectibus, item in tumoribus Diaphragmatis, in pleuritide, in orthopneia, in phtihsi, & ubi ventriculum lumbrici infestant, aut acres humores os ventriculi mordicant.

Προκαταρκτικαὶ causæ sunt, venti boreales frigidi & sicci, fumi, pinguium jusculorum usus, nucum rancidarum esus, quæ causæ vel excitant catarrhum, & per consequens tussim, vel exasperant asperam arteriam, & ad tussim stimulant.

Signa causarum diversarum. Signa tussis sunt manifesta. Signa autem per quæ causæ tussis internoscuntur præcipua hæc sunt: destillationes cerebri quarum signa supra in catarrhi curatione tradita sunt. Vaporum vitiosorum qualitatumque, ex singulis membris ad organa respirationis delatarum, & tussim excitantium signa ex loci affecti dolore, & signis affectionum dignoscuntur. Utrum autem vapor seu qualitas excitans tussim sit vel sicca vel humida, id cognosci potest per assumptionem remediorum vel alimentorum similium aut contrariorum. Similibus enim augetur tus-

ſis, contrariis vero curatur. Item caliditatem arguit ſenſibilis in thorace caliditas, ſiccitatem autem ſequitur ſitis & tuſſis ſiccâ.

Prognoſtica. Signa cauſarum προκαταρκτικῶν ex relatione ægri cognoſci poſſunt.

Signa prognoſtica hæc ſunt:

Vehementem tuſſim ut plurimum ſanguinis rejectio comitatur.

Diuturna & violenta tuſſis in prægnantibus plerunque abortum facit.

Tuſſis ex deſtillatione capitis, ſi humor defluens tenuis ſit acris & ſalſus, pulmonem exulcerat & in phthiſin conjicit.

Curatio. Curatio tuſſis pro diverſitate cauſarum varianda erit. Ubi itaque tuſſis ſymptoma eſt alicujus morbi, primum morbus eſt curandus, quo curato, ceſſat & ipſa tuſſis. Si autem ex catarrho, id quod frequentiſſimè contingit, oboriatur tuſſis, aut ex intemperie, præter ſequentia remediorum genera, huc referenda ſunt, quæ ſupra in catarrhi ſeu deſtillationis cerebri curatione ſunt enumerata.

Cum vero in omni tuſſi, ſive ex deſtillatione generetur, ſive ex intemperie, ſemper adſit corporis vel frigida vel calida conſtitutio, juxta vincentem qualitatem inſtituenda eſt tuſſis curatio.

Tuſſis à pituita craſſa remedia. Diæta. Ubi itaque pituita frigida & craſſa, vel in cerebro, vel in reſpirationis organis hæret & tuſſim excitat, concoquenda, extenuanda & evacuanda erit. Primum itaque inſtituatur victus ratio calefaciens & abſtergens, tuſſimque mitigans, veluti ſunt Cremor avenæ, & alia alimenta, in quibus cocta ſunt Majorana, cinamomum, crocus, ſemen aniſi; caveat autem ab acidis & nimium ſalſis. Deinde utatur ſequenti potione.

Apozema pectorale. ℞. Rad. Glycyrrhizæ raſæ, Iridis Illyricæ an. ʒ II.
Polypodii, Angelicæ, Elenii an. ʒ I.
Sem. Aniſi ℥ s. Urticæ ʒ II.
Herb. Hyſſopi ſcabioſæ, ſucciſæ, Marrhubii an. M. s.
Tuſſilaginis, capillorum Veneris an. P. I.
Zedoariæ, Cinamomi an. ʒ s.
Croci ℈ I. Ficuum n. V.

Concidenda concidantur & contundenda contundantur ſimulque commixta decoquantur in duplici vaſe ſive cantharo oblinito, cum aquæ ſemicongio **einem halben ſtübechen** ſeu ℔ IIII. ad duas horas. Deinde colentur, colato juri admiſceantur Syr. de Hyſſopo, è praſſio an. ℥ II.
Oxymellis ſcillitici ℥ I. s.

Fiat potio, de qua quotidie bibat æger manè ac veſperi ℥ V. recalefactas. Interdiu autem ſimul ac per noctem quandocunque à tuſſi infeſtatur æger, utatur rotulis Diaireos ſimpl. aut Diapenidei. *Rotulæ.* Abſumpta præſcripta potione extenuati & concocti humores ex capite & pectore purgentur & ſubducantur: aut ſequentibus pillulis.

Pillulæ Plegmagogæ. ℞. Maſ. pill. de Agarico, Cochiarum, Aſſagereth an. ℈ I. Cum aqua hyſſopi formentur pill. n. 27. & circa mediam noctem deglutiantur: aut ſequenti potiuncula.

Hauſtus catharticus. ℞. Agarici Trochiſcati, ſem. Carthami, fol. Sennæ an. ʒ I. s.
Paſſularum minorum ʒ s.
Cinamomi ℈ I.

Contuſa macerentur per noctem in aqua hyſſopi ℥ VI. ſequenti diluculo ebulliant leniter, expreſſaque colentur, & colato juſculo admiſceantur Diaphæniconis, Diacarthami an. ʒ I. fiat hauſtus.

Sudorifera. Altero die à purgatione aſſumat æger ʒ I. Theriacæ Andromachi cui admixtus ſit Olei Aniſi ℈ s. & ſudet in loco tepido per horam.

Bechica. Tandem ſequentibus Bechicis pharmacis, quæ & craſſos humores extenuant atque expectorant, & tuſſis violentiam mitigant, alternatim uti poterit æger. Aqua vitæ Bechica.

Aqua vitæ contra tuſſim. ℞. Aq. Juniperi ℥ VI. Saccari candi albiſſimi & contuſi ℥ II. commiſceantur, & in ſcutella tribus filis ſulphuratis aqua incendatur. Eſt enim inflammabilis, & fila Sulphurata ardentia ſimul imponantur flammanſque liquor ſubinde agitetur cultro, vel ſpatula eburnea & ardere ſinatur, donec ſaccarum eſt reſolutum, tandem coletur eique admiſceatur Croci ℈ s. de qua mane ac veſperi *Chymici Elixir*

proprietatis Paracelsi à 6. gr. ad 11. in aq. convenientem exhibent.

ſperi aſſumat patiens unum cochlear: is liquor tuſſes omnes ex frigidis humoribus aut ex frigida intemperie ortas ſolvit & diſcutit. Præterea tuſſi frigidæ confert ſequens Electuarium.

Eclegma.

℞. Loch ſani & experti, Loch de pino, de pulmone vulpis an. ℥ s.
Spec. Diapenidii, Diaireos ſimplicis an. ʒ I.
Pul. Zedoariæ, ſem. Urticæ an. ʒ s.
Croci ℈ I.

Lac ſulphuris tanquam ſpecificum pulmonum, hic à Chymicis uſurpatur, idque in humidioribus naturis non infeliciter.

Cum ſyr. è Glycirrhiza q. s. Probè commiſceantur, quibus in fine etiam admiſceantur Ol. Angelicæ, Ol. Aniſi an. ℈ I. fiat Electuarium lambile, de quo frequenter aſſumat æger tam nocte quam die ſemijuglandis quantitatem ſenſim deglutiendo.

Rotula ad tuſſim ex frigiditate ortam.

Rotulæ.

℞. Spec. Diaireos ſimplicis, Diapenidii an. ʒ I.
Pul. Zedoariæ, ſucci Glycyrrhizæ aridi & in pulverem redacti an. ʒ s.
Saccari albi ℥ IIII. in aqua juniperi ſoluti.

Conficiantur rotulæ, quib. inter commiſcendum addantur Olei Aniſi ℈ I. Olei Cinamomi guttulæ III. fiant rotulæ, de quibus unum & alterum quocunque tempore in ore reſolutum ſenſim deglutire utiliſſimè poterit æger.

Trochiſci Bechici.

Trochiſci Bechici ſubnigri qui in myropoliis proſtant in ore ſub lingua contenti, & ſenſim deglutiti tuſſim mirificè ſedant.

Quarum partium ratio habenda in tuſſi frigida.

In tuſſi à frigida pituita aut intemperie frigida orta, ratio quoque habenda eſt cerebri, pectoris & pedum.

Cerebrum itaque topicis remediis calefaciendum ac corroborandum erit, & defluens humor exiccandus & extenuandus; id quod ſequenti ſuffimento perfici poteſt.

Pulvis pro fumo ad catharrum exſiccandum.

℞. Thuris, Ladani, ſtyracis calamithæ an. ʒ II.
Succini, Benzoi an. ʒ I. caryophyllorum ʒ III.
Flor. Lavendulæ, flor. Majoranæ an. ʒ I.

Concidantur craſſiuſcule, & mane ac veſperi ejus tanta portio, quanta tribus digitis comprehendi poteſt, carbonibus candentibus inſpergatur, aut cacabis ferventibus fornacis imponatur, & halitus per nares in cerebrum attrahatur.

Pectus autem ſingulis diebus bis mane ac veſperi, ſequenti linimento, poſt lenem frictionem calefactis linteis inungatur.

Linimentum pectorale.

℞. Unguenti pectoralis, Dialthææ an. ʒ II.
Ol. amygdalarum dulcium, mucaginis ex ſemine lini & fænugræci (contuſis & in aqua hyſſopi maceratis ac decoctis) confectæ an. ʒ II. Ceræ albæ q. s. fiat linimentum, cui admiſceantur Ol. Angelicæ guttulæ III. fiat linimentum.

Balneum ſeu Lavacrum pedum.

Pedes à refrigeratione diligenter cuſtodiendi ſunt, ac prodeſt ut tuſſiens ex frigida cauſa ſingulis ſeptimanis bis aut ter, iturus cubitum, fomentet ac abluat pedes ſequenti lavacro.

℞. Hyſſopi, Betonicæ, Majoranæ, flo. chamæmeli, Anethi, Serpilli an. M. II. conciſa coquantur in q.s. aquæ, fiat lavacrum.

Poſt ablutionem confricentur plantæ pedum ſale & aceto acerrimo, & per tabellam quercinam probe calefactam exiccari & incaleſcere permittantur.

Tuſſis ex ſola intemperie frigida ut curanda.

Tuſſis ex nuda frigida intemperie orta facillimè curari poteſt, ſi æger in calido hypocauſto ſe contineat ac quieſcat, & inter tuſſiendum ſpiritum cohibeat.

Ex intemperie vel materia calida quibus remediis tollenda.

Porro ſi tuſſientis conſtitutio, & intemperies calida exiſtat, id eſt, ſi tuſſis ſit contracta, vel ex intemperie calida, aut humoribus calidis, ſalſis & tenuibus ad organa reſpirationis defluentibus, ſuperiori contraria eſt inſtituenda curatio. Ac primum quidem, ſi adſit plethora, ſive ſanguinis redundantia, vena primum Epatica dextri brachii, deinde & venæ ſub lingua, aut etiam ſi caput dolore infeſtetur, Cephalica incidenda erit.

Venæ ſectio.

Diæta refrigerans & incraſſans.

Tandem Victus ratio inſtituatur refrigerans, & tenues humores incraſſans, quales ſunt cremor ptiſanæ, lactuca in cibo comeſta; lac amygdalinum, & alia juſcula, item piſces ſquamati, ova ſorbilia, ac ſimilia. Fici autem aſſati, & dulcia mala aſſata, non tantum cibi lo-

co, sed & medicamenti vice usurpari possunt. Deinde omnibus modis conandum est, ut defluens tenuis humor intercipiatur & incrassetur, ut per excreationem commodius expelli queat. Tenuis enim, aquosus, salsus & acris humor, per asperam arteriam in pulmones defluens, nisi intercipiatur, ægrotum in periculosa conjicit symptomata. Excitat enim vehementem tussim, quæ tamen omnem conatum excreandi expuendique eludit & irritum facit, facileque pulmones exulcerat, & phthisin sive tabem inducit. Ut autem defluxio occludi intercipique queat, æger iturus cubitum, palatum ac fauces illinat semidrachma confectionis diacodii. Deinde assumat mane ac vesperi duabus horis ante cænam ℥ v. sequentis potionis.

Remedia catarrhum intercipientia.

Tenuis & acris catarrhi mala.

Diacodium hic valde utile.

Iulapium, sistens catarrhum.

℞. Syr. Violarum, è papavere, ex jujubis, capill. Veneris an. ℥ II.
Aq. stillatit. Endiviæ, papaveris, Rosarum,
Malvæ an. ℥ IIII. Misceantur, fiat potio. Aut simili ratione utatur sequenti decocto.

Decoctum pectorale refrigerans & incrassans.

℞. Rad. Glycyrrhizæ, Cichoreæ an. ℥ s. sem. papaveris ʒ III.
Jujubarum, sebesthen, an. n. VIIII.
Flor. Hepaticæ, Malvæ, Rosarum, violarum an. M. s.
Pulmonariæ, Tussilaginis an. p. I.

Contundendis contusis, ac concidendis concisis, decoquantur in duplici vase cum semicongio aquæ per duas horas, colentur, fiat potio.

Rotulæ diatragacanti frigidi valde sistunt catarrhum.

Inter potiones autem & interdiu & nocte frequenter devoret rotulas duas Diatragacanti frigidi.

Laudania piati aliquot grana cum conserva rosarum veteri vel fl. papav. erratici efficaciter catarrhum sistunt.

Absumpta potione, humoribusque mitioribus redditis, evacuentur humores vitiosi sequentibus pillulis.

Pillulæ.

♃. Mas. pill. Assajereth, Aurearum, Agarici Trochiscati an. ℈ I. Ex quib. conformentur pillulæ 27. cum q. s. Syr. violarum, & deglutiantur in aurora 6. horis ante prandium.

Aut qui à pillularum usu abhorrent, sequenti haustulo uti possunt.

Haustus purgans.

♃. Agarici Trochiscati, sem. Carthami an. ʒ s.
Rhabarbari electi ʒ I. s. Contusa macerentur per noctem in aq. Cicoreæ ℥ VII. Mane ebulliant, & expressa colentur, colato jusculo admisceantur Elect. lenitivi ʒ II.

Extr. agarici & rhabarbari idem præstant.

Diaphæniconis ʒ I. fiat haustus, qui tepidus ebibatur 6. horis ante prandium.

Evacuato corpore, mitigetur tussis sequenti Electuario.

Eclegma in acri catarrho utile.

♃. Conserv. Rosarum, Violarum an. ℥ s.
Loch sani ʒ II. pul. papaveris albi ℥ I.
Sem. lini ʒ s. spec. Diatragacanti frigid. ʒ I. s.

Commisceantur in mortario cum q. s. syr. violarum, fiat elect. lambile, de quo subinde quantitas nucis avellanæ lambendo sensim deglutiatur. Pectus interim quotidie bis inungatur sequenti linimento.

Linimentum pectorale.

♃. Ol. Violarum, Amygdalarum dulcium an. ℥ s.
Muccilaginis ex sem. lini cum aq. rosacea confectæ ʒ II.
Ceræ albæ q. s. fiat linimentum.

Cerebri calidi ratio habenda.

Nec interim cerebrum inflammatum negligendum est, sed subinde refrigerandum & corroborandum odoribus refrigerantibus, veluti sunt aqua rosacea, cui momentum Camphoræ est admixtum.

4. *Respirationis difficultas, Asthma & Orthopnæa quid, quæ earum causæ, quæ signa, & quomodo curanda?*

Respirationis necessitas & modus.

Cum sine aëris attractione & respiratione animantia diu supervivere nequeant, ideo opifex certa organa & canales attrahendo aëri & respirationi idoneos in thorace fabricavit, Arteriam videlicet asperam ejusque ramos in pulmones distributos. Ubi itaque hi canales obstruuntur, statim sequitur aëris attracti coarctatio, difficultasque respirationis. Δύσπνοια itaque respirandi difficultas in genere quamlibet respirationis offensionem significat. Ejus autem duæ sunt differentiæ secundum majorem & minorem respirandi difficultatem, ἄσθμα videlicet & Ὀρθόπνοια.

Respirationis difficultas unde.

Dispnœa quid.

Ejus differentiæ.

Ἄσθμα

Asthma quid. Ἄσθμα est crebra, densa ac celeris anhelatio sine febre, qualis cursu fatigatis accidere consuevit.

Orthopnæa quid. Ὀρθόπνοια vero est respirationis ejusmodi difficultas in qua jacentes suffocari videntur, & semper erecto thorace & extensa cervice, & tamen cum magna difficultate respirare coguntur. In utraque respirandi difficultate obstruuntur cavitates vel asperæ arteriæ in collo, vel ramorum ac fistularum ejus, in pulmones inplantatarum.

Dispnœa symptomatica à quibus morbis excitetur. Difficultas respirationis quandoque symptoma est aliorum morborum, veluti virium imbecillitatis qualis contingit in morientibus, quandoque inflammationis cordis ac pulmonis, qualis fit in ardentibus febribus: quandoque fit per consensum ex tumoribus affectionibusque partium vicinarum ut Diaphragmatis, stomachi, musculorum pectoris, Epatis & splenis, qualis est in hydrope, scorbuto &c. De qua difficultate respirationis suis in locis dicturi sumus.

De qua dyspnæa hic agatur. Hoc autem loco sermo tantum nobis erit de ea respirationis difficultate, quæ ab Asperæ arteriæ ramorumque ejus angustia in pulmone & obstructione evenit.

Causæ. Causæ hujus difficultatis respirationis sunt, aut humores ex cerebro defluentes, & asperam arteriam replentes, aut humores tenaces in asperæ arteriæ fistulis infarcti & pulmones gravantes, aut tumor seu tuberculum circa asperam arteriam obortum.

Interdum etiam lapilli in pulmonum ramulis contenti respirationem difficilem reddunt. Προκαταρκτικαὶ causæ difficilis respirationis sunt cibus, aut aliud corpus duriusculum in asperam arteriam inter devorandum imprudentibus delapsum, aut crassus ac venenosus vapor, aërque, veluti est argenti vivi, & qualis in specubus fodinariis & in scrobibus Charoneis (quæ in agro Puteolano mortiferum & noxium spiritum exhalant, præcipuè prope lacum Anianum in antro isto percelebri, in quo suffocantur omnia animantia injecta, nisi quamprimum extrahantur & in vicinum lacum immergantur) continetur, per respirationem attractus: Item violenta pectoris percussio.

Signa diversarum causarum. Signa causarum sunt, si ex destillatione cerebri in asperam arteriam oriatur difficultas respirationis, tum nulla adest febris, adsunt autem catarrhi signa supra commemorata. Si humores tenaces asperæ arteriæ fistulis inhærent, pectoris adest gravitas, æger stertit inter dormiendum, & respiratio fit cum sonitu. Si tuberculum aut tumor circa asperam arteriam, aut in pulmonibus adsit, tum adest febris, & paulo post rupto tumore pus excreatur, adest & tussis gravis. Signa causarum procatarcticarum ex ægri relatione dignosci possunt.

Prognostica. Prognostica signa habentur: Orthopnæa vehementissimas habet accessiones, quæ frequenter ægrotos suffocare solent, quæ non contingit in Dyspnæa.

Dyspnæa in valde senibus in mortem terminatur. Cum δύσπνοια, ἄσθμα, & ὀρθόπνοια sola intensione differant, iisdem remediis, pro causarum tantum variatione alteratis, curandæ erunt.

Curatio. Curatio itaque primum à victus ratione inchoanda erit. *Diæta.* Accommoda autem victus ratio in Dyspnæa est, ut æger versetur in *Aer asthmaticis conveniens.* aëre ad caliditatem siccitatemque vergente, & vitet contrariam aëris constitutionem. In lecto decumbat thorace & capite sublevato. *Cibus.* In cibo potuque utatur æger rebus viscosos humores incidentibus & attenuantibus, & obstructos meatus aperientibus, veluti sunt cremores & juscula, quibus incocta sunt ficus & semina Anisi. Carnibus vero utatur vitulinis, gallinarum, caponum & avicularum, quæ condiantur sem. Anisi; fœniculi, radicibusque petroselini. Pisces, lac, caseum & fructus crudos omnes vitet sedulo.

Potus. In potu ei convenit hydromel, & nonnunquam vinum tenue, in quo vel radix glycyrrhizæ, vel hyssopi, vel marrubii nonnihil sit maceratum.

Proinde si alvus est adstricta, utatur sequenti clystere.

Enema. ℞. Malvæ, Mercurialis, Althææ an. M. I. Hyssopi, Origani an. M. s. Sem. Anisi ℥ s.

Decoquantur in q. s. aquæ ad tertias, colentur, colati juris accipe ℥ XIV. quibus admisce elect. Diaphœniconis, Diacarthami, Hieræ simplicis an. ℥ s. ol. chamæmælini

melini ℥ III. salis communis ʒ I. fiat Enema quod tepidum recto intestino injiciatur.

Venæ sectio. Tandem si corpus ægro plethoricum fuerit & viribus constet, vena incidatur vel Mediana vel Basilica vocata quæ & jecoraria dicitur.

Incidentia & aperientia. Postea administrentur pharmaca crassam pituitam incidentia & emollientia, obstructionesque meatus asperæ arteriæ aperientia, quæ tamen non vehementer calefaciant, refrigerent adstringantque, qualia hæc subsequentia sunt.

POTIO.

Decoctum pectorale ad juvandam respirationem. ℞. Rad. glycyrrhizæ, fœniculi, Iridis Illiricæ an. ℥ s.
Rad. Angelicæ, Aristolochiæ rotundæ an. ʒ II.
Sem. anisi, fœniculi an. ʒ III. urticæ, fœnugræci an. ʒ I.
Herb. Hyssopi, Marrubii, capillorum Veneris, scabiosæ, pulegii, cardui Benedicti an. M. s.

Cinamomi ʒ II. passularum minorum ℥ II. Contundenda contundantur & concidenda concidantur & decoquantur cum mulsa sive hydromellis semicongio seu ℔ IIII. in duplici vase sive in cantharo oblinito ad 2. horas. Refrigerata colentur & patienti mane ac vesperi exhauriendæ offerantur ℥ IIII. tepidæ.

Purgantia asthmaticis convenientia. Concoctis & extenuatis crassis humoribus subtrahantur & per inferiora expurgentur aliquoties reiteratis sequentibus purgationibus.

Pillulæ. ℞. Mas. pil. hieræ simpl. ʒ I. Agarici trochiscati ℈ IIII. Ex quibus contusis cum Syr. de hyssopo q. s. conformentur pill. n. 42. de quibus singulis septimanis 21. in aurora deglutiendæ offerantur. Aut

Haustus catharticus. ℞. Diaphœniconis ʒ VI. Diacarthami, Hieræ simpl. an. ʒ II. s. Resolvantur simul cum ℥ V. decocti hyssopi in hydromelle, fiat haustus, qui in aurora tepidus exhibeatur.

Remedia varia asthmaticis utilia. Deinde ad faciliorem respirationem reddendam sequentibus remediis frequenter uti commodissimum erit.

Ol. angelicæ. ℞. Ol. Angelicæ ℈ s. cum haustu aquæ hyssopi tepidum exhibeatur. Aut

Specificum pulmonum seu pectorale suum commendat Crollius. ℞. Pulmonum vulpis aridorum, Zedoariæ an. ʒ s.
Ol. Anisi ℈ s. commixta cum haustu hydromellis propinentur patienti. Aut

℞. Loch è pulmone vulpis ℥ I. spec. Diareos Salomonis, Syr. de hyssopo q. s. fiat elect. lambile, cui admisceantur aq. juniperi ʒ III. Ol. Anisi ℈ I. de quo crebro assumat æger duarum avellanarum quantitatem. Aut

Aqua & Syr. è succo nicotianæ vera valde juvat asthmaticos. ℞. Theriacæ Andromachi ʒ I. Ol. Angelicæ gr. V.
Aq. Juniperi haustulum, commisceantur & ægrotanti exhibeantur.

Decoctum utilissimum ab authore sæpius probatum. Sequenti decocto in Orthopnæa facilitatem respirationis sæpè ego restitui.

℞. Zedoariæ ℥ s. Gummi Ammoniaci ʒ II.
Sulphuris Chymica arte sublimati, quod Flos sulphuris nominatur ʒ III. Croci ℈ I. contusa decoquantur in hydromellis ℔ I. ad medias, de quo patienti crebro unum cochlear exhauriendum præbeatur.

Balsamus sulphuris efficax quoque est remedium. Radix Zedoariæ. Dyspnæam mirabiliter levat sola radix Zedoariæ comesta. Interim tamen nec topica & externa remedia negligenda erunt.

Topica. Frictio pectoris. Primum itaque his singulis diebus totum pectus panno cæruleo novo asperius confricetur donec rubescat. Deinde sequenti linimento inungatur.

Linimentum. ℞. Ol. Irini, Anethini, Rutæ an. ʒ III.
Mucaginis ex seminibus fœnugræci & lini, radicibus althææ, in aq. Juniperi maceratis, confectæ ℈ III.
Ceræ q. s. fiat unguentum.

Dyspnæa ex flatibus remedia. Dyspnæa, quæ ex flatibus circa præcordia coacervatis, & diaphragma distendentibus orta est, tollitur ac discutitur facillime ℈ I. Ol. cymini, chymica arte præparati cum haustu vini calidi assumpto.

5. *Pulmonis inflammatio quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quomodo curanda?*

Peripneumonia quid. Πνευμονία, sive Περιπνευμονία, Celso pulmonia & pulmonis inflammatio, est morbus acutus pulmonum, in quo videlicet pulmones, tenerrimæ corporis partes, inflammatæ

matæ uruntur cum præcordiorum totiusque pectoris angustia.

Causa externa. Causa προκαταρκτικὴ inflammationis pulmonum potest esse venenosorum vaporum, & inflammati aëris, veluti sunt fumi ex Mercurio sublimato, Arsenico, & similibus mineris, excitati, per respirationem attractio: *Interna.* προηγουμέναι sunt aut inflammatus biliosusque sanguis ex dextro cordis ventriculo per venam arterialem in pulmones copiosius irrumpens, ibidemque aut phlegmona aut Erysipelata generans: aut per consensum, causa inflammationis pulmonis est, purulentus sanguis rupta pleuritide, aut angina in pulmones delabens: aut tenuis, acris, urensque humor ex cerebri catarrho in pulmones defluens.

Signa. Signa peripneumoniæ sunt, acuta febris, spiritus difficultas, genæ & oculi inflammati rubentesque, sputum in principio nullum, processu autem temporis aut cruentum, quod sanguinis redundantiam ostendit; aut biliosum, quod flavæ bilis exuberantiam; aut spumosum, quod pituitam denotat. Adest quoque nonnunquam & tussicula; item pulsus est languidus & inæqualis.

Prognostica. Prognostica signa hæc in pulmonum inflammatione sunt notanda. Peripneumonia acutus & pernitiosus semper est morbus, interdum tamen levis phlogosis in pulmonibus excitata à sanguine pituitoso, non adeo periculosam excitat peripneumoniam. Si enim sputum est biliosum, ut plurimum in quinque diebus, si spumosum in octo interimere solet. At si cruentum sit, in suppurationem transit.

Morbus enim acutus acuto superveniens plerumque est lethalis: Hipp. l. 2. prog. c. 12. Peripneumonia à morbo laterali orta pernitiosa est. In peripneumonia virium prostratio, vigiliæ, deliria, ungues lividi & incurvi, tussis item & expectoratio si omnino cesset, lethalia sunt signa. In peripneumonia virium robur constans ac 21. diem superans, item sanguinis è naribus eruptio copiosa, aut uberioris bilis per alvum excretio sine difficultate, & quæ cito cesset, item apostemata circa mammas, aut in cruribus erumpentia, salutaria sunt signa. At si dejectis viribus alvi fluxus superveniat, ac perseveret, pernitiosum est signum.

Curatio. Curatio peripneumoniæ est difficilima. Consistit autem in victus ratione, venæ sectione, & medicamentorum intra & extra corpus administratione.

Victus ratio. Victus ratio debet esse refrigerans & humectans, veluti sunt cremor ptisanæ, juscula gallorum gallinaceorum cum uvis omphacitis aut cum succis Arantiorum, limonum, granatorum cocta, butyrum recens, pulpa pomorum dulcium assatorum, ova sorbilia, pruna Ungarica: & ad virium corroborationem prodest gustare marcipanem ex pineorum nucleis confectum. Vitent autem omnia salsa, acria & difficilis concoctionis cibaria. Potus esto aqua hordei decorticati, in qua radices glycyrrhizæ & uvæ passæ sunt incoctæ. *Observandum hic, ne succis acidis tussim irritemus & morbum augeamus.*

Ante venæ sectionem exturbentur alvi excrementa sequenti clystere.

Enema.

℞. Malvæ, violariæ, Mercurialis an. M. I.
Flor. violarum M. II. Hordei excorticati M. s.

Concisa coquantur in q. s. aquæ ad medias, colaturæ ℔ I. admisceantur Hieræ simpl. ℥ I. ß. pulpæ cassiæ recentis ℥ I. Olei violarum ℥ III. Salis ʒ I. fiat enema, quod tepidum recto intestino infundatur.

Venæ sectio. Alvo hac ratione evacuata, in morbi statim initio, dum vires adhuc constant, incidatur vena Epatica; aut, si commodè fieri per artificem possit, arteria venæ Epaticæ subjecta. *Arteriotomia.* At si venæ sectionem quid prohibeat, cucurbitulæ lateribus utrinque applicandæ, & sanguis copiosè eliciendus erit. *Cucurbitulæ.*

His ordinatis & peractis, leviori cathartico remedio ferventiores humores à venis & visceribus subducendi erunt, quod feliciter sequenti haustu peragi potest.

Haustus purgans.

℞. Rhabarbari, fol. senæ an. ʒ. I. s. contusa crassiusculè macerentur in ℥ v. decocti communis florum ac fructuum: Mane ebulliant leniter & colentur, expresso colatoque

 juri

juri admiſceantur ʒ IIII. pulpæ caſſiæ recenter evulſæ, fiat hauſtus.

Bolus ex caſſia.

Aut devoret æger particulam, quam Bolum vocant, pulpæ caſſiæ ſeſquiunciæ pondere.

Pectoralia ad expectorationem materiæ juvandam.

Poſt purgatum corpus hujuſmodi remediis utendum erit, quæ per ſputum & excreationem in pulmonibus ferventiores humores expectorant & ſimul refrigerationem ei importent, qualia ſunt hæc ſubſequentia. Potio:

Decoctum.

Non etiam hic negligenda quæ affluxum ſanguinis & humorum cohibent ut decoctum fl. papaveris erratici, diacodion laudarum opiatum, pillulæ de cynogloſſa, quæ veſperi exhibenda.

♃. Rad. Glycyrrhizæ raſæ, Malvæ an. ℥ s.
Quatuor ſeminum frigidorum majorum an. ʒ II.
Sem. Aniſi ʒ I. Jujubarum, ſebeſten. an. n. x.
Sem. Malvæ, Adianti an. P. I. Hordei excorticati ʒ III.
Paſſularum minorum, violarum an. ℥ I.

Contundendis contuſis, & inciſis incidendis, coquantur cum aq. ℔ IIII. in duplici vaſe, ſive in cantharo oblinito, & in ahenum aqua plenum impoſito, refrigerata colentur, fiat clara potio, de qua frequenter diu noctuque pitiſſando ſive ſorbendo aſſumat æger tria aut quatuor cochlearia.

Eclegma.

Electuarium lambile.

℞. Muccilaginis, ſem. Cytoniorum cum aq. tuſſilaginis confectæ ʒ III. Syr. violarum ℥ I. ſaccari penidii ℥ s.
Spec. Diatragacanthi frigidi ʒ II. commiſceantur, fiat Electuarium molle, cujus nucis avellanæ quantitas crebro lambendo devoretur.

Topica.

Magni momenti quoque ſunt medicamenta Topica & foris adhibenda.

Frictio.

Quotidie itaque bis confricentur leniter linteolo calido pectus, latera, ac dorſum, & poſt fricationem ſequenti Linimento calefacto probe inungantur.

Linimentum.

℞. Ol. violarum, amygdalarum dulcium an. ʒ I.
Ol. chamæmelini, Anethini an. ʒ I.
Muccaginis ex ſem. lini, cum aceto roſaceo factæ ʒ I. s. ceræ q. s. fiat linimentum.

Commodè inſuper applicari poſſunt dorſo diſcutiendi & evacuandi caloris gratia ſequentes herbæ in amplo ſacculo inſutæ.

Epithema.

℞. Flor. chamæmeli, Meliloti, Anethi, Abſinthi, Malvæ, violariæ an. M. II. aut III. quæ decoquantur in æ. p. aquæ & aceti, una tantum ebullitione, deinde expreſſa & ad tolerabilem teporem reducta, applicentur dorſo; ubi autem refrigerari cœperint, rurſum in eodem jure calefacienda ſunt.

Remed. ad vigilias.

Si ægrum vigiliæ infeſtant, ſutura coronalis & tempora crebro inungenda ſunt Ol. roſaceo, cui pauxillum aceti roſacei ſit commixtum.

Reliqua remediorum genera inflammationem pulmonum mitigantia pro cauſarumque varietate uſurpanda ex curatione pleuritidos huc transferenda erunt. Ex ſimilibus enim ferè cauſis uterque morbus oboritur, & ſimilibus remediis curatur.

6. *Lateralis dolor quid, quæ ejus cauſæ, quæ ſigna, & quomodo curandus?*

Pleuritis quid.

Felix Platerus autopſia multiſque rationibus probat, non tantum in peripneumonia ſed etiam in pleuritide vera pulmones inflammatos eſſe.

Πλευρῖτις, Lateralis morbus, **Seiten wehe / oder ſtechent in der Seiten /** nomen habet à particula affecta: τὸ πλευρὸν enim latus, ἡ πλευρὰ membranam, coſtas & intercoſtales muſculos veſtientem, αἱ πλευραὶ coſtas ſignificat. Eſt itaque pleuritis quando membranæ coſtas ſuccingentes à collecto in eo vitioſo ſanguine intumeſcunt & inflammantur, & quia membrana ſicuti & nervi, ſunt inſtrumenta ſenſus, earum inflammatio ac diſtenſio infert acutiſſimos ac pungentes dolores.

Differentia pleuritidis.

Duæ autem ſunt ſpecies pleuritidis: vera, exquiſita & magis periculoſa una: altera non vera ſed notha & minus periculoſa.

Pleuritis vera.

Pleuritis notha.

Vera Pleuritis eſt, quando fervens & impurus ſanguis, inter membranam coſtas veſtientem & muſculos intercoſtales, colligitur. Notha vero & non vera pleuritis eſt, ubi illi ipſi vitioſi humores craſſi & frigidiores, aut flatulenti ſpiritus inter membranas coſtas exterius veſtientes, & muſculos, qui extrinſecus coſtis incumbunt, coacervati fuerint.

Cauſa.

Cauſæ Προκαταρκτικαὶ πλευρίτιδος poſſunt eſſe omnia ea quæ vel ſanguinem in venis calefacere, extenuare, & fluidum redde-

re

re atque fluorem concitare, & destillationem ex cerebro commovere possunt, veluti sunt excandescentia, balnea, subita refrigeratio, largus haustus frigidus, nimius, calidorum aromatum usus, vini meracioris largior ingurgitatio, vehemens corporis exercitatio, & in solis æstu diuturnior commoratio, item lapsus, & violentus ictus in latera.

Causæ προηγουμέναι sunt sanguis aut flatulenti spiritus inter membranas, costas vestientes, collecti.

Sanguis autem in pleuritide raro crassus est & pituitosus, frequenter autem tenuis & biliosus.

Modus generationis pleuritidis veræ.

Fit autem pleuritis hoc modo. Sanguis tenuior & calidior ex vena cava cordi adjacente in ramum ejus qui ἄζυγος nominatur, & per internam thoracis capacitatem dispergitur, impetu suo illabens, & inde rursus in tenuiores ramulos costarum defluit, quorum orificiis erosis aut ruptis incidit musculos intercostales, ibidemque collectus grumescit, putrescit & inflammatur, membranasque distendit, & punctivos dolores infert, veramque pleuritida. Quandoque autem biliosus fervensque sanguis ex vena cava in ramum ejus irruit, qui circa jugulos in alas distenditur & per ejus ramos in exteriores laterum musculos influit, ubi collectus non veram sed notham ut plurimum excitat pleuritida, quæ tamen in veram sæpe degenerat, propter venarum externarum & interiorum inter se societatem; sæpe enim internarum venarum propagines & orificia in externos musculos costarum & è contra exteriorum venarũ orificia in internos & subcostales musculos desinunt.

Hanc pleuritidem Platerus succingentis vocat, ubi nihil exspuitur, sed materia in abscessum definit & extrinsecus percipitur.

Pleuritis spuria seu externa ut fiat.

Pleuritis catarrhosa.

Fit præterea pleuritis sæpe & ex catarrho, ubi humor frigidus à summo capite per fauces in scapulas destillat, & inde in musculos thoracis exteriores colligitur, & in tumorem transit, quæ pleuritis non dicitur vera sed notha: fit deinde & à spiritibus flatulentis inter musculos & membranas costarum collectis easque distendentibus, quæ & ipsa Pleuritis notha est.

Pleuritis flatulenta.

Signa.

Signa principalia παθογνωμονικὰ sunt, ejusdem gravissima symptomata, videlicet dolor punctivus lateris, respirandi difficultas, tussis sicca, & febris.

Causatum vero species per hæc signa dignoscuntur. In omni Pleuritide inflammantur membranæ costas succingentes. Inflammatio autem omnis dolorem punctivum, æstum ac extensionem comites habet. Ac si membranæ costas succingentis pars superior inflammetur, tunc dolor circa vel versus jugulos protenditur. Inferiori autem ejus parte inflammata, dolor ad hypochondria vergit.

An pleuritis interna vel externa.

In pleuritide si vitiosus sanguis internas membranas intercostales obsideat, tunc ex contactu dolor non ingravescit, sed æger facilius in affecta parte, quam in sana, decumbere potest.

Qualis humor peccans.

In sanguine affecto humoris redundantis species ex sputi rejecti colore dignoscitur. Sanguis enim, si est purus, sputum erit rubeum aut cruentum: si flava bilis, flavum: si album ac spumosum est sputum, pituitam: nigredo vero & lividitas sputi, melancholicum humorem ostendit. Dolor in exteriori parte laterum si consistat, tunc ex contactu ingravescit & intenditur dolor, & æger in affecto latere decumbere non potest. Si Pleuritis ex destillatione sit orta, præcessit cervicis & scapularum dolor ac gravitas.

An ex catarrho.

An à flatibus.

Si pleuritis à flatibus, inter membranas costales collectis, originem ducat, dolor erit vagus, & non in unico loco perseverans, & calidis fomentis dolor sedatur, vel omnino discutitur.

Sputum liquidum & album non ex loco affecto, sed ex pulmone rejicitur: Flavum vero, cruentum & purulentum ex phlegmone sive rupto apostemate provenit, & per tussim ac respirationem per thoracis cavitatem excernitur.

Prognostica.

Prognostica signa hæc sunt animadvertenda: Facilitas sputi & grumi cruoris excreti per tussim, salutem promittunt. Tussiendo autem si aut nihil, aut lividum nigrumque sputum excernatur, perniciosum est indicium; Hipp. l.2. prognost. c.8. Si in initio morbi, h. e. tertio aut quarto die, sputum largius ejiciatur, morbum brevem; sed

 si diu-

si diutius sputum cohibeatur, longiorem futurum ostendit, Id. 12. aph. l. 1.

Morbo laterali laborantes si in 14. diebus non repurgentur, ii in suppurationem incidunt: Hipp. aph. 8. l. 5. Pulsus durus, parvus, & creber, in pleuritide lethale signum est.

Curatio. Curatur Pleuritis victus ratione, venæ sectione, & medicamentorum convenientium & extra & intra corpus administratione.

Victus ratio. In victus ratione decumbat æger, quiescat, ac dormiat, quantum fieri potest, in aëre puro & moderatè ad caliditatem vergente. *Locus decubitus aer.* Frigidus enim aër obstruit, & nervosas partes contrahit, doloremque extendit.

Omnium autem primum in pleuritide alvus patientis emolliatur, fecesque subinde per integram curationem sequenti leni Enemate subducantur.

Enema leniter alvum subducens.

℞. Malvatum, Althææ, Violariæ, Mercurialis an. M. I.

Flor. violarum, chamæmeli an. P. I.

Concisa coquantur in q. s. aquæ ad medias, expressa colentur, colati juris accipe ℥ XVI. Cui admisce hieræ simpl. ℥ s. Diacatholici ℥ I. Ol. violarum ℥ III. salis ʒ I. commisceantur, ac tepida recto intestino infundantur.

Cibus qualis conveniat. Cibis utatur tenuissimis & lenibus & præcipue sorbitionibus, quales sunt cremor ptisanæ, cremor avenæ, lac amygdalarum, lac ex sem. Melonum cum aq. hordei paratum, pruna Ungarica, mala dulcia assa vel decocta, & saccaro conspersa, ova sorbilia, juscula gallinacea & panis Marcii vocatus. Vitet autem omnia acida, acria, salsa & adstringentia. Prædicti cibi condiri possunt butyro recenti non salito. *Potus.* Potus ei fit aq. hordei, cui incoctum sit parum Cinamomi, & Rad. Glycyrrhizæ. Vel loco potus bibat aquam stillat. cardui benedicti, vel cardui Mariæ, quam spinam albam vocant. Hi autem liquores omnes dulcorari possunt cum julebo violaceo, quos præstaret tepidos potius quam frigidos exhibere.

Remedia topica. Post ordinatam victus rationem statim Topica remedia Anodyna (id est quæ dolorem mitigant) veluti sunt fomentationes & inunctiones dolenti loco sunt applicanda, ut nimirum dolor mitigetur, coacervata materia extenuetur, ac digeratur dissipeturque.

Fomentationes. Fomentationes hac ratione conficiuntur.

℞. Malvæ, Althææ, parietariæ, rosarum siccarum an. M. I.

Sem. lini, fænugr. contusorum an. ℥ I.

Decoquantur in q. s. aq. cujus ℔ VI. admisceantur Ol. violacei, Rosarum, Anethini an. ℥ III. in quibus tepidis filtrum vel pannus duplicatus mersus & iterum expressus loco dolenti applicetur. Aut in eodem liquore imbuatur spongia magna ac mollis & loco dolenti applicetur. Aut idem liquor infundatur in vesicam suillam, & loco dolenti applicetur. Aut

Sacculus ad dolorem sedandum.

℞. Flor. Malvæ, parietariæ, Majoranæ, Flo. chamæmeli, Anethi, Meliloti an. M. I.

Rad. Althææ, sem. Fænugræci & lini contusorum an. ℥ I. Commixta sacculo lineo raro insuantur ac intersuantur, & in q. s. aq. coquantur, expressaque loco dolenti applicentur. At si lateralis dolor ex flatibus & crassis humoribus originem ducat,

Sacculus ad discutiendos flatus.

℞. Milii M. II. Flor. chamæmeli M. I.

Sem. Fænugræci, lini an. ℥ I. salis ℥ II.

Commixta in sartagine torrefiant, & in sacculum lineum rarum inclusa, calida dolenti loco applicentur.

Inunctio loci affecti. Post fomentationem, ac deinde per universum curationis tempus, quotidie locus affectus inungatur, aut unguento pectorali communi, aut Oleis amygdalarum dulcium & Anethi, aut sequenti linimento.

Linimentum.

℞. Ol. amygdalarum dulcium ℥ s.

Liliorum alborum, chamæmelini, Anethini an. ʒ II.

Ceræ albæ q. s. fiat linimentum.

Hisce si addantur ol. anethi stillatit. & ol. camphora, magis dolorem mitigat.

Venæ sectio. Post hæc topica remedia, si dolor minimè sistatur, & impurus sanguis in membranis costas succingentibus radices egisse videatur, si ætas & vires tolerant, statim in initio venam incidere oportet, & putridum venenosumque sanguinem largiter detrahere, quousque color sanguinis effluentis immutetur.

Qua vena in pleuritide secanda. Magna autem disceptatio fuit inter Medicos excellentes, utrum in pleuritide vena in brachio lateris affecti, vel lateris oppositi esset

esset secanda: vel utrum sanguis semper esset ex vena basilica detrahendus, quemadmodum Vesalius suadet. Nos doctissimorum Medicorum Fernelii & Amati Lusitani placita Hippocrate autore confirmata, sequimur, qui docent, in pleuritide cum exteriore tum interiore, tam vera quam notha, venam axillarem seu epaticam affecti lateris secandam esse, ut nimirum sanguis revellatur, & derivetur à loco affecto.

De hac controversia videatur P. Forestus in scholia observationis 52. lib. 16.

Pectoralia sputum facilitantia.

A venæ sectione utatur æger medicamentis sputi facilitatem efficientibus, veluti sunt hæc sequentia.

Iulapium.

℞. Syr. Violacei, de succo Endiviæ an. ℥ I.
Aq. Violarum purpurearum, Tussilaginis an. ℥ I.
Cardui benedicti ℥ I.s. Fiat haustus, qui tepidus exhibeatur mane ac vesperi per triduum reiterando.

Lenitiva.

Deinde si vires tolerant, exhibeatur patienti ℥ I.s. Pulpæ cassiæ recenter evulsæ, aut ℥ II. Syr. rosati solutivi cum ℥ III. aq. violarum. Post corpus purgatum utatur subinde æger expectorante potione.

Chymici nonnulli vomitoria satis valida hic exhibent, ut Rulandus suam aq. benedictam, alii Turpeti minerale aliquot grana.

℞. Glycyrrhizæ racæ ℥ s. Passularum minorum ℥ I.
Sem. Anisi, Malvæ an. ʒ II.
Melonum cucurbitæ an. ʒ I. Hordei M. I.
Confer. Rosarum, violarum an. ℥ I.
Ficuum n. v.
Adianthi, Cardui benedicti an. M. s.

Decoctum pectorale, continue usurpandum.

contusa & concisa coquantur in aq. stillatitiis cardui benedicti, pimpinellæ an. ℔ II. in duplici vase sive in cantharo obturato per duas horas, refrigerata colentur, colato juri admisceantur Syr. de glycyrrhiza, de capillis Veneris an. ℥ II. cujus potionis ℥ IIII. ebibat æger mane ac vesperi per totum curationis tempus. Per diem autem simul ac nocte utatur æger frequentissimè aut Syr. violarum, aut sequenti lambitivo.

♃. Saccari penidii ℥ I. Quod cum q. s. Syr. violarum commixtum fiat electuarium lambile, cui admisceantur spec. Diatragacanthi frigidi, pul. sem. spinæ albæ, sive Cardui Mariæ an. ʒ I. fiat Eclegma. Aut

♃. Lohoch è Tussilagine, de Althæa an. ℥ I.
Syr. violarum q. s. fiat Eclegma.

Assumat autem hujus Eclegma semijuglandis quantitatem, & quidem lambendo sensim deglutiat.

Antipleuritica singularia.

Præter præscripta remedia contra dolores pleuritidis præstantissimum auxilium adferre deprehenduntur hæc sequentia, si secundo die morbi exhibeatur ʒ I. pul. sem. spinæ albæ, quam carduum Mariæ vocant, & nostris Marien distel aut Stichwurtz nominatur. Aut ʒ I. priapi taurini vel cervini, aut ʒ I. Ramenti dentis aprini, aut ʒ I. Flor. sulphuris sublimati arte chymica, quæ omnia cum q. s. sive haustu aq. Cardui benedicti, aut cardui Mariæ, tepida exhibenda sunt. In externa pleuritide, si cutis lateris affecti rubeat, intumescereque videatur, locusque affectus ex compressione aut contactu indolescat, præter superiorum remediorum prudentem administrationem, loco affecto cucurbitulam affigere, & cutim scalpello leniter incidere, utilissimum erit.

Mirifice etiam sedat dolores pleuriticorum decoctum fl. papav. erratici, quod pl. commendat Valleriola l. 5. obser. 10.

Externæ pleuritidis remedium.

7. *Sanguinis per os rejectio quid, quæ ejus causa, quæ signa, & qua ratione curanda?*

Hæmoptysis quid.

Αἱμόπτυσις est sanguinis undecunque profluentis per os rejectio. Sanguis undecunque & in quamcunque partem alienam defluxerit, perpetuo ex propriis vasis, id est, venis & arteriis, aut ruptis vulneratisque, aut erosis & exulceratis, aut orificiis eorum dilatatis profluxit. Triplex hæc causa hæmoptysis hoc disticho comprehenditur:

Sanguis unde profluat.

Diabrosis venas erodit, rixis easdem
Scindit, anastomosis has aperire facit.

Causæ ruptionis vasorum.

Causæ προκαταρκτικαὶ, ex quibus vasa hæc rumpuntur vulneranturque, sunt aut ictus & percussio, aut lapsus, aut vulnus ab extra illatum, aut violenta commotio, aut vociferatio, aut tussis vehemens, aut hirudo gutturi inhærens, aut extensissimi frigidi potio.

Προηγούμεναι ruptionis vasorum causæ sunt, sanguineæ massæ & spirituum in vasis redundantia, ea distendens.

Causæ erosionis.

Causæ Προκαταρκτικαὶ erosionis vasorum sunt, acres & erodentes cibi potusque, &

creber usus liquorum Chymicorum acrium & erodentium: προηγουμέναι erosionis sunt, humorum acrium, ut pituitæ salsæ & atræ bilis adustæ in venis redundantia.

Causa anastomasis seu apertionis. Causæ προκαταρκτικαὶ orificia venarum & arteriarum aperientes ac dilatantes sunt, calidiores plus justo cibi ac potus, balneandi crebrior usus, & medicamenta vehementer abstergentia & aperientia: προηγουμέναι sunt tenues humores, & calida corporis dispositio.

Signa diversarum causarum. Signa, ubi vasa sunt rupta aut vulnerata sunt, sanguis confertim & repente effluens in os: si erosa, sanguis paulatim per modica intervalla destillat: si aperta eorum sunt orificia, tum profluit sanguis inæqualiter, quandoque moderatè, nonnunquam immoderatè, pro ratione dilatationis orificiorum.

Ante curationem observanda. In sanguinis per os rejectione, antequam ad curationem accedamus, studiose observandum est, ex qua corporis parte sanguis in os perfluat. *Ex quibus partibus sanguis in os profluat.* Profluit autem ex capite, aut ex oris fauciumque partibus, aut ex aspera arteria, aut ex pulmonibus, aut ex thoracis partibus, aut ex ventriculo. In ventriculi autem capacitatem rursum illabitur & confluit, aut ex capite, aut ex epate, aut ex liene, aut ex utero, aut ex proprio corpore scilicet ventriculi. Locus autem ex quo, per modum projectionis, & sequentia indicia cognosci potest.

Signa indicantia diversum locum affectum. An ex capite. Si sanguis ex capite in os profluat, præcessit gravitas dolorque capitis, & sanguis cum screatu rejicitur.

Ex gingivis. Si ex oris partibus, videlicet gurgulione aut gingivis, simplici exspuitione projicitur.

Ex aspera arteria. Si ex aspera arteria, tum sanguis est paucus, & cum tussi ac titillatione asperæ arteriæ excernitur.

Ex pulmonibus. Si ex pulmonibus, tum sanguis est floridus ac spumosus, & sine dolore cum tussi effluit.

Ex thorace. Si ex thoracis partibus, sanguis nigricans & grumosus cum tussi rejicitur, & partes thoracis dolent.

Ex ventriculo. Si ex ventriculo prodeat, tum post nauseam, sanguis niger & grumosus, ac interdum vel pituita vel bile commixtus per vomitum rejicitur.

Porro in ventriculum stillare ac confluere sanguis solet aut è venis arteriisque, communes quas habet ventriculus cum Epate, liene aut matrice. Si itaque ex epate sanguis influat, in dextro latere; *Ex hepate.* si ex liene, in sinistro latere tumor ac dolor percipitur, *Ex liene.* & sanguis ejectus niger ac grumosus cernitur. Si ex utero, *Ex utero.* tum menses aliquandiu substitere juxta aphor. 32. l. 5. Hippoc. & hypogastrium intumescit ac dolet.

Prognostica signa sunt.

Prognostica. Hipp. 5. Aphor. 3. ubi sanguis plurimus fluxerit, si singultus aut convulsio superveniat, malum est signum.

Item 7. Aph. 15. à sanguinis sputo puris sputum, (excretio) malum est, conjicit enim in Phthisin.

Item 7. Aph. 37. Quicunque evomunt sanguinem, si sine febre quidem, salutare; si vero cum febre, pernitiosum.

Sanguinis ex pulmone aut thorace cum tussi rejectio, ostendit initium vel dispositionem ad phthisin.

Curatio. Curatio sanguinis per os rejectionis, pro loci, ex quo in os sanguis defertur, & causarum diversitate, instituenda erit (obiter hic author omnis sputi sanguinei curationem tradit, cum hoc loco propriè de hæmoptysi vera, quando ex thorace sanguis rejicitur, saltem esset agendum.)

Remedia hæmoptysis ex capite. Si itaque sanguis ex capite in os delabatur, per venæ cephalicæ ac frontis sectionem, aut sanguinis ad nares derivationem, & per ea remedia, quæ supra in Cephalalgia sanguinea, & in eruptione sanguinis è naribus descripta sunt, & astringentibus gargarismatis perfectè curari potest. Gargarismatis formula hæc est.

Gargarismus adstringens.
℞. Sumach, Acatiæ, Balaustior. an. ℥ II.
Sem. plantaginis, rad. tormentillæ,
Hyppolapati an. ℥ I.
Aluminis ℥ s. Aceti & aquæ an ℔ s.

Contusa coquantur ad medias, colentur, fiat gargarismus, quo frigido colluantur fauces. *Epithema.* Tempora autem atque frons inunganrur

tur aceto roſaceo, in quo inſtar linimenti reſolutus ſit ſuccus Acatiæ.

Sanguinem ex gingivis profluentem ſedantia. Si ſanguis ex gingivis profluens expuatur, commanducatione portulacæ herbæ & collutione cum aceto roſaceo, in quo momentum aluminis ſit reſolutum, ſiſti poteſt, niſi gingivis adſit tumor & putredo, veluti contingit in ſcorbuto morbo; tum enim ad remedia ſupra in ſcorbuti curatione deſcripta confugiendum erit.

Si vero ſanguis ex partibus faucium aut gurgulione in os feratur, ſequenti gargariſmate curari poteſt.

Gargariſmus, hæmopthyſin ex faucibus ſanans.

℞. Cort. rad. prunorum ſylveſtrium, Balauſtior. caryophyllorum an. ʒ II. ſumach ʒ I.
Roſarum, plantaginis an. M. s. Aluminis ℈ II.

Conciſa ac contuſa in aq. & aceti an. ℔. decoquantur ad medias & colentur, fiat gargariſmus, quo frigido eluatur os crebrius. Tempora vero ac frons linimento Acatia & aceto roſaceo confecto confricentur.

Vera hæmoptyſis curatio. Si ſanguis ex pulmonum aut thoracis venulis aut arteriis ruptis, eroſis, aut apertis, per aſperam arteriam cum tuſſi rejiciatur, quod non caret periculo, (facilè enim laborantem in phthiſin conjicit) ſequenti methodo in ejus mali curatione procedendum erit.

Venæ ſectio. Initio ſtatim ſanguis per venæ epaticæ dextri lateris ſectionem ex partibus thoracis detrahendus erit. Debet autem ſanguinis detractio fieri paulatim atque per vices, ut primo die binis vicibus, & poſt triduum ſemel. Deinde ut ſanguis ad thoracem defluens ad inferiora averti revellique queat, prodeſt pedum venas ſub talis incidere: tandem prodeſt & cucurbitulas magnas dextro hypochondrio adfigere, & per ſcarificationem ſanguinem avertere ac detrahere.

Diæta. Poſt venæ ſectionem victus ratio eſt præſcribenda, quæ refrigerandi & exiccandi habeat facultatem. *Aer.* Æger itaque decumbat in aëre moderatè frigido & ſicco, quieſcat & ſileat, & quam poteſt leviſſime reſpiret. *Lenitiva.* Cavendum autem, ne alvus illi ſit dura ac conſtipata, ſed vel ſingulis diebus vel alternis, ſi natura nequit, balanis & Clyſteribus ſubducatur leniter.

Cibi convenientes. Cibi offerantur refrigerantes ac conſtringentes, ſimul ac conglutinantes, veluti ſunt hordeacea ptiſana, & ejus cremor, lac caprinum, in quo chalybs candens eſt extinctus, pulmenta ex oryza, milio, & ſimilacea farina cum lacte caprino parata. Convenit & caſeus recens, & lutea ovorum & extremitates animalium (ut pedes, aures) carnes item pullorum, & leporina; aſſæ autem potius, quam elixæ conducunt. Utiliter quoque offeruntur pruna Ungarica acida, pyra toſta, & pulpæ malorum, acidonia mala. Cibi autem coquendi ſunt in aqua fluviali, in qua ferrum candens, aut chalybs ſit extinctus. *Potus.* Potus illi ſit aqua hordei, aut lac caprillum.

Remedia. Ordinata victus ratione, ſi corpus eſt bilioſum & ſanguis acrior ferventiorque, tum utatur æger ad ſopiendam acredinem ac fervorem ſanguinis ſequenti potione.

Iulapium refrigerans & adſtringens.

℞. Syr. de roſis ſiccis, de berberis an. ℥ I. s. de papavere ℥ I.
Aq. ſtillat. roſarum, ſolani, plantaginis an. ℥ II.

Miſceantur, fiat potio, quam quatuor vicibus mane ac veſperi exhauriat tepidam. Aut

℞. Aq. roſaceæ ℥ II. Hippuris ℥ I. In quibus reſolvantur
Camphoræ gr. IIII. eiſque admiſce
Syr. de papavere ℥ I. fiat hauſtus, qui ter reiteretur.

Mitigato ſanguinis fervore, humor bilioſus ſubducatur ſequenti hauſtu.

Hauſtus cholagogus.

℞. Rhabarbari electi ʒ I. s. fol. ſenæ ʒ I. contuſa macerentur in aq. Plantaginis ℥ v. per noctem. Diluculo ebulliant leniter, exprimantur & colentur, colato liquori admiſceantur pulpæ caſſiæ recenter evulſæ ʒ VI. aut ſyr. roſati ſolutivi ℥ I. s. fiat hauſtus, qui ſex horis ante prandium tepidus ebibendus præbeatur.

Expurgatis acribus & erodentibus humoribus, ſequens potio omnem ſanguinis fluxum

fluxum quacunque ex parte sistere potest, & vasorum vulnera constringit & conglutinat mirificè.

℞. Rad. Symphyti majoris ℥ I.
Glycyrrhizæ, Cichoreæ, Tormentillæ an. ℥. s.
Herb. Agrim. veronicæ, Rosarum rubearum an. M s.
Cetrach P. I. Sumach, cinamomi, Mastiches,
Caryophyllorum an. ʒ I. concidenda concidantur, & contundenda contundantur, ac in duplici vase seu cantharo conjecta & adfusis III. ℔. aquæ, additisque ℔ I. s. succi symphyti, juncturaque cantharì benè oblinita, in aheno per duas horas coquantur, & refrigerata colentur, fiat potio clara, cujus mane ac vesperi assumat æger sorbendo sensimque bibendo ℥ IIII. tepidas.

Pectoralia sensim esse assumenda.

Per intervalla autem inter præscriptam potionem assumat æger sequentis electuarii semijuglandis quantitatem.

Eclegma consolidans ac incrassans.

℞. Conser. symphyti majoris ℥ I. conf. Rosarum veteris ℥ s.
Mucaginis crassioris Ichtiocollæ cum aq. rosacea confectæ ʒ I.
Pul. Gummi Arabici, Tragacanthi an. ʒ s.
Coralliorum rubeorum præparatorum, succini albi præparati, Margaritarum non perforatarũ an. ℈ I.
Boli armeniaci orientalis, sanguinis Draconis an. ℈ s. cum q. s. syr. Myrtillorum, fiat electuarium.

Chymici tinctura vel sale coralliorum rubeorum, vel laudano opiato utuntur non infeliciter.

Euporista pro pauperibus.

Tenuioris autem fortunæ homines in sanguinis rejectionem uti possunt ʒ I. trochiscorum è carabe, aut trochiscorum de spodio, aut trochiscorum de terra sigillata pulveratorũ cum haustu aq. stillatitiæ symphyti aut plantaginis. Pectus autem totum oleo è mastiche & Cytoniis calefacto bis in die inungi potest, & post inunctionem commodè cataplasma ex radicibus symphyti & herbis Agrimoniæ ac veronicæ, & farina fabarum simul contusis & cum oleo mastichino decoctis, & in formam cataplasmatis redactis.

Inunctio pectoris.

Cataplasma.

Curatio.

Porro si sanguis ex ventriculo per gulam evomatur, primum considerandum est, utrum vena aliqua in ipsa capacitate ventriculi, vel vena ex epate, liene aut matrice in ventriculum implantata, sit rupta, erosa aut aperta: Id enim nosse plurimum confert ad morbi curationem. Quomodo autem internoscendum sit, supra declaratum est. Si itaque in ipsa capacitate ventriculi vena sit aperta vel erosa, tunc sanguis longiori tempore colligitur, & in grumos coit, & nauseam excitat, quam sequitur evomitio nigri ac concreti sanguinis, & prosternitur appetentia, dolorque in ventriculo & circa orificium præsertim sentitur: Hic statim habenda est ratio ventriculi. Ac primum si reliquiæ grumorum sanguinis in ventriculo hæreant, quod ex dolore percipitur, tunc statim concretus sanguis dissolvi debet: in quem usum assumat æger ʒ I. coaguli leporini aut mumiæ, aut spermatis ceti cum haustulo cerevisiæ; aut haustulum decocti buphithalmi herbæ, quam nostri **Wulwelen** vocant.

vomitus sanguinei.

Si in capacitate ventriculi sit causa mali.

Concretum sanguinem dissolventia.

Deinde instituatur victus ratio superius descripta, quibus tamen admiscenda sunt moderate calefacientia ac siccantia, veluti sunt cinamomum ac caryophill. Potest & vini rubei austeri usus concedi. Tandem utatur æger paulo ante descripta potione ex radicibus symphyti ac veronica. Foris autem inungatur ventriculus singulis diebus bis sequentibus oleis calidis.

Inunctio ventriculi.

℞. Ol. cytoniorum, Mastichini an. ℥ s. Aceti rosacei parum, misceantur. Inuncto tandem ventriculo imponatur Emplastrum de crusta panis vocatum, & oleo caryophyllorum perunctum. Aut

Emplastrum stomachale adstrictivum.

℞. Thuris, Mastichis, Nucis Cypressi, sumach, Berberum, Cort. mali granati an. ʒ II. sanguinis Draconis ʒ s.
Boli Armeni, Terræ sigillatæ, Myrtillorum an. ʒ II.

Pulverentur minutissime & cum ℥ II. ol. cytoniorum cum quo decocti sint succi plantaginis & polygonii an. ℥ II. usque ad consumptionem succorum, cui immisceantur pulveres & cum q. s. ceræ fiat Emplastrum, quod per alutam extensum & instar

instar scuti conformatum ventriculo applicetur.

Si ex hepate vel liene sanguis in ventriculum regurgitet. At vero ubi ex Epatis venulis in ventriculum protensis erosis aut apertis sanguis in ventriculum confluit, quod per dextri hypochondrii dolorem; aut ex lienis, quod per sinistri hypochondrii dolorem dignoscitur, statim initio vena Basilica vocata vel dextri vel sinistri humeri, pro dolentis partis ratione, sive ejusdem venæ ramus, qui inter minimum & annularem digitum situs est, secandus erit: *Vena sectio.* deinde alterutro hypochondrio, dolenti videlicet, cucurbitulæ affigendæ erunt, *Cucurbitula.* & sequentibus remediis tum externis tum internis, curatio perficienda erit. Hypochondrion laborans inungatur sequenti Linimento.

Linimentum.

℞. Ol. rosarum, Myrtillorum an. ℥ s. è mastiche ʒ II.

Suc. plantaginis, Polygonii an. ℥ I. coquantur ad succorum evaporationem, deinde addita q. s. Ceræ, fiat linimentum, cui admisceantur Pul. Acaciæ, hypocistidos ladani an. ℈ I. corallior. rub. præparat. ʒ s. fiat unguentum, quo mane ac vesperi affectum latus inungatur. Post inunctionem imponatur sequens Emplastrum.

Emplastrum pro hypochondriis.

℞. Ol. Cytoniorum, Rosarum, è myrtillis an. ʒ VI.

Suc. symphyti majoris ℥ II. commisceantur, in eisque decoquantur

Herb. Agrimoniæ, veronicæ an. p. I.
Rad. Tormentillæ, symphyti majoris an. ʒ I.
Balaustior. ʒ s.

Post succi absumptionem colentur, colatoque oleo addatur ceræ q. s. quibus, antequam refrigerentur, admisceantur pul. tenuissimi rad. symphyti, veronicæ, succini an. ℈ II. Trochiscorum de terra sigillata, de spodio an. ʒ s. sandali rubei, Boli armeniaci, corallii rubei, hæmatitidis an. ℈ s. misceantur, fiat Emplastrum, quod per corium tenue quod alutam vocant extendatur, & lateri convenienter conformetur, eique applicetur.

Potus sanguinem sistens & consolidans. Bibat patiens quotidie bis mane ac vesperi nimirum una hora ante cænam ℥ IIII. ex potione constringente sanguinisque fluorem sistente & rupturas consolidante de symphyto & veronica, quam paulo ante descripsimus. Crebro utatur & Diacitonio simpl. ex succo & saccaro confecto.

Si ex utero in ventriculum ascendat. Si vero mulierculis ob mensium retentionem sanguinem per vomitum ejicere contingat, quod dignoscitur quando mulierculæ in hypogastrio intumescunt, dolent, ac cruciantur, & sanguinem evomunt non in grumos concretum, nec nigrum, sed splendidiorem, liquidum, variique coloris: Ejus symptomatis curatio consistit in mensium subductione per venæ talaris apertionem & medicamenta menses moventia, quæ omnia in curatione retentionis mensium accuratius enumerabuntur: præclare enim dicit Hippocrates 5. Aphor. 32. si mulier sanguinem evomuerit, menstruis erumpentibus solutio fiet, id est liberabitur. *Hippoc. aph. 32. l. 5.*

8. *Purulenta exscreatio sive suppuratio quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curanda?*

Empyema quid. Ἐμπύημα, Latinis suppuratio sive purulentia, est collectio puris in thoracis capacitate inter membranam costas succingentem & pulmones, indeque per os cum tussi excretio. *Puris generatio.* Pus autem dicitur sanguinis aliorumque humorum per præternaturalem calorem in apostematibus aliisque locis corporis in saniem conversio.

Causa. Causa suppurationis in thorace προκαταρκτικὴ & accidentalis est casus è sublimi, aut percussio violenta thoracis. Causæ autem προηγούμεναι sunt, catarrhus ex capite in thoracem decumbens; Angina in collo perrupta, saniemque in thoracem effundens; ulcus & inflammatio pulmonis, sanguinem in pus convertens; Pleuritis seu abscessus in latere perruptus, & pus in capacitatem thoracis effundens; diuturna sanguinis ex thorace rejectio. Colligitur autem pus in thorace quandoque in uno tantum latere, nonnunquam in utraque thoracis parte.

Signa. Signa ἐμπυήματος sunt, puris feculenti cum valida & sicca tussi excreatio, quando-

que cum, nonnunquam sine febre: respiratio difficilis, gravitas pectoris, vel in utroque vel in altero latere. Ubi diutius Empyema perseverat, & pedes intumescunt, & noctu sudoris copia erumpit, postea vero ubi phthisis subsequi videtur, accedit & febris hectica, & oculi ac genæ rubescunt, unguesque incurvantur. Ut plurimum autem Empyema præcedit aut destillatio capitis, aut angina, aut pulmonis inflammatio, aut pleuritis: Suppuratione autem in utroque latere thoracis existente dignoscitur ex gravitate totius thoracis. In alterutro autem latere existente, altera thoracis pars magis dolet & calidior sentitur. Fluctuatio etiam in illa parte percipitur.

Qui morbi præcedant empyema.

Prognostica.

Prognostica signa sunt:

Si purulentis adsit febris continua, sitis vehemens, appetentiæ prostratio, alvus humida, & sputum per pus ejectum lividum conspiciatur, præsentem interitum ostendit.

Aphor. 15. l. 5.

Qui post morbum lateralem suppurantur, si in 40. diebus non cesset puris excretio, in phthisin transeunt. Purulenti omnes si non in tempore curentur, tabidi redduntur. Pus enim pulmonibus incumbens eos exulcerat.

Curatio.

Curatio suppuratorum in bona victus ratione, & medicamentorum usurpatione consistit. In victus ratione hæc observentur; versetur ac decumbat æger in loco temperato, quieti se dedat, & ab omni vehementiori commotione cum corporis tum animi studiose abstineat, super sanum latus in lecto decumbat, & ubi alvus est obstructa, sequenti clystere alternis, ternisve diebus subducatur.

Decubitus ægri.

Enema.

℞. Malvarum, Althææ, violariæ, Mercurialis an. M. s.
Flor. chamæmeli, Anethi an. p. I.

Concisa decoquantur in. q. s. aquæ ad medias, colentur, colatique juris accipe ℥ XIIII. quibus admisce Diaphæniconis, elect. lenitivi, Diacatholici an. ℥. s. Ol. chamæmeli, amygdalarum dulcium an. ℥ I. s. salis ʒ I. fiat Enema, quod tepidum recto intestino infundatur.

Cibi convenientes.

Cibi suppuratorum convenientissimi sunt, cremor ptisanæ, hydromel, juscula gallinarum, lac amygdalinum, carnes vitulinæ, caponum, perdicum & similes. Alimenta condiantur semine Anisi aut Fæniculi, aut malvæ, uvis passis & prunis Ungaricis. Utiliter quoque assumi possunt amygdalæ dulces excorticatæ, nuclei pistaceorum & pinearum, item panis Marcii ex amygdalis pineisque saccaro & pauxillo aquæ rosaceæ confectus. Potus illi conveniens est aut ptisanæ succus, aut aqua hordei, aut hydromel, præsertim ubi absit vehementior febris. Vitanda illi sunt omnia salsa, acida & acria, tum alimenta tum medicamenta.

Potus.

Remedia.

Post victus rationem statim ad medicamenta foris affecto loco applicanda, quæ maturandi pus facultate prædita sunt, accedendum erit. Convenit autem ad apostematis maturationem, si in decocto flor. chamæmeli & sem. lini calido spongia magna aut pannus duplicatus imbuatur & loco affecto applicetur, aut sequens cataplasma tepidum imponatur.

Epithema pro latere affecto.

Cataplasma.

℞. Micam panis siliginei q. s. ac decoquatur cum aqua ad pultis crassioris formam, cui admisce farinæ hordeaceæ parum, & olei chamæmelini q. s. fiat cataplasma.

Aut imponi potest concoctorium maturativumque sequens cataplasma.

Maturativum.

℞. Rad. Althææ ℥ II. Ficuum & uvarum passarum enucleatarum an. n. XV.
Flor. chamæmeli, Meliloti, Anethi an. p. I. contusa decoquantur in q. s. aquæ. Tandem contundantur omnia, & per cribrum transigantur instar pulmenti, cui admisce pul. sem. lini, fænugræci, farinæ triticeæ an. ℥ I. ol. liliorum alborum, amygdalarum dulcium, butyri recentis non saliti, terpentinæ an. ℥ I. misceantur, & calida per duplicatum linteum extendantur & loco affecto applicentur.

Intra corpus vero talia assumantur remedia, quæ & maturent, & materiam ex apostemate effluentem educere queant, talis erit sequens potio.

Potio expectorationem ma-

℞. Liquiritiæ rasæ, Rad. althææ, Rad. Symphyti majoris an. ℥ I.

Herb.

Materia purulenta juvans.

Herb. capillorum Veneris, ſcabioſæ, Agrimoniæ, Tuſſilaginis an. M. s.
Quatuor ſem. frigidorum majorum contuſorum,
Aniſi an. ℥ s.
Conſerv. Boraginis, Bugloſſæ & violarum an. ℥ I.
Flor. Chamæmeli P. I. Conciſa atque contuſa cum ℔ III. aquæ concoquantur in duplici vaſe ſive cantharo per tres horas, quæ refrigerata percolentur, fiat potio clara quæ dulcoretur cum ℥ IIII. Syr. è Glycyrrhiza, & aſſumat æger pitiſſando mane ac veſperi ℥ v.

Plurimum prodeſt ex ſequenti lambitivo frequenter aſſumere.

Eclegma.

℞. Mucaginis ficuum pinguium maceratorum in aq. Tuſſilaginis ℥ I.
Butyri recentis non ſaliti ℥ s.
Ol. amygdalarum dulcium recentis ʒ III.
Saccari candi tenuiſſime pulverati ℥ I. s.
Pul. amyli ʒ v. commiſceantur in mortario, fiat Loch, aut ſingulis diebus bis mane ac veſperi exhibeatur ægro ℥ s. terpentinæ albæ, vel cum aq. tuſſilaginis vel ſymphyti majoris ſexies elotæ, cui admixtæ ſint pul. Glycyrrhizæ & ſem. Aniſi an. ʒ I. Reliqua remediorum genera empyemati conferentia, ex pleuritidos curatione petenda & accommodanda ſunt.

Terebinthina deglutienda.

Apertio thoracis per chirurgiam. Vbi ſectio inſtituenda. Niſi pulmones jam corrupti ſint, abſque periculo hac apertio inſtituitur & multi hac ratione ſunt reſtituti.

At vero ſi nec victus ratione nec remediorum exhibitione pus è thoracis capacitate excerni queat, & jam ſuffocationis periculum imminere videatur, tum jubet Hippocrates, ut thorax inter ſecundam & tertiam, vel inter tertiam & quartam à ſpuria coſta numeranda & potiſſimum ſiniſtri lateris, aut novacula incidatur aut candenti ferro inuratur, quo pus per vulnus effluere queat; ita enim quam plurimi priſtinæ ſanitati ſunt reſtituti. Sed cavendum diligenter ne diaphragma vel ferro vel igne tangatur lædaturve. Hæc curatio non caret periculo: ſemper cum proteſtatione de diſcrimine vitæ Medico eſt auſpicanda.

9. *Tabes quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quibus mediis curanda?*

Φθίσις tabes eſt pulmonis exulceratio cum hectica h. e. lenta & vix perceptibili febre, qua ſenſim univerſi corporis caro abſumitur, & ad extremam macilentiam ariditatemque redigitur. *Phthiſis quid.*

Cum autem non ſolum ex pulmonis ulcere, ſed & ex corde, epate, ventriculoque male affectis exareſcat contabeſcatque corpus, tres conſtitutæ ſunt à Medicis φθίσεως ſeu Tabis ſpecies: ut φθίσις propriè dicta pulmonis exulceratio. Ἀτροφία, id eſt nutritionis fruſtratio, ubi alimentum in ſanguinem nutrientem verti nequit: & καχεξία, id eſt, malus corporis habitus, cum alimentum ſumptum vel in ventriculo, vel χυμὸς in epate corrumpitur corruptuſque in totum corpus digeritur. Inter has ſpecies contabeſcentiæ, φθίσις eſt omnium periculoſiſſima & curatu difficillima propter motum continuum pulmonis. Et quanquam omnes tres ſpecies ferè per eadem remedia curentur, tamen hoc loco de phthiſi nobis tantum ſermo erit. *Tres contabeſcentiæ ſpecies.* *Phthiſis vera periculoſa.*

Cauſæ προηγουμεναι & accidentales φθίσεως ſunt omnes quas paulo ante in ſanguinis rejectione per os enumeravimus, veluti ſunt, gelu aëris attracti, borealis venti, frigidiſſimorum liquorum hauſtus, cibi vehementer ſaliti, pharmaca venenata & erodentia, lapſus ex ſublimi, violenta pectoris percuſſio pulmoniſque vulneratio, & halitus alterius phthiſici per reſpirationem attractus, aut ex eodem poculo potus aſſumptus. Eſt enim phthiſis morbus contagioſus. *Cauſa.*

Προηγούμεναι cauſæ ſunt congenita & à parentibus hæreditariè contracta pulmonis vitioſa, mollis & tenella conſtitutio: (Eſt enim phthiſis ut contagioſus ita & hæreditarius morbus, & quicunque ex tabida ſtirpe ſunt ſati, quaſi hæreditario jure omnes contabeſcunt.) Item humor acris, tenuis & erodens, vel ex capite in pulmones defluens, aut acris ſanguis ex corde in eoſdem perfluens. Item antecedens Empyema, pleuritis, peripneumonia & ſanguinolenta rejectio, *Phthiſis morbus hæreditarius & contagioſus.*

jectió, qui morbi omnes, nisi cito ac ritè curentur, ut plurimum in tabem transmutantur.

Signa phthisicorum. Signa tabis seu contabescentium sunt, totius corporis extenuatio & absumptio & febris lenta & hectica, quæ semper à cibo sumpto invalescit, & ex celeritate pulsus, rubedineque genarum dignoscitur. Hæc febris sensim suo calore primum absumit in omnibus partibus similaribus humidum radicale, deinde absumit & carnosas partes, omniumque partium substantiam, unde extrema subsequitur corporis macilentia & siccitas, tum tempora collabuntur, nares exacuuntur, genæ livescunt, ungues in digitis incurvantur, & vincente jam malo, capilli defluunt, & proximi morti alvi profluvio laborant, difficulter respirant, tussi continua infestantur; & per tussim aut cruentum aut sordidum ac fœdum pus sine dolore excernunt, quod cum in ignem projicitur tetrum spirat odorem, vel si eorum sputamina in aquam injiciantur, ob gravitatem in fundum labuntur. Malo jam aucto nonnunquam per tussim excreant portiunculas carneas vel cartilagineas asperiæ arteriæ propter pulmonis putrefactionem. Tandem & genæ livescunt & facies pallet, & urina initio est salubris & naturalis, processu vero temporis oleaginea apparet, etiam in urina non levis calor ex rubedine illius cernitur, & in absumptione carnis furfuracea, in absumptione ossium in fundo urinæ cernitur materia ovorum putaminibus confractis similis. Postremo humiditate corporis absumpta, placidè sineque perturbatione ut plurimum extinguuntur.

Prognostica. *Prognostica signa sunt:*

Qui pectus angustum habent & collum gracile, horum natura ad phthisin est disposita.

Vera phthisis incurabilis. Quibus pulmones sunt exulcerati, curationem rarissimè admittunt, ac non nisi palliatam, inconstantemque, propter has causas, quia curatio exulcerationum quietem partis læsæ postulat. Pulmones autem cum propter respirationem, tum propter tussim, qua phthisici infestantur, continuè moventur: Et quia remedia ulcerum curationi convenientia ulcus pulmonis, etiamsi crebro assumantur, attingere non possunt.

In phthisi retentio puris mortem propinquam indicat.

In tabe profluvium alvi superveniens, lethale est signum.

Curatio. Curatio tabidorum etsi sit difficilima, tamen per victus rationem & convenientium medicamentorum adhibitionem causæ phthiseos diminui, & palliativa curatio introduci, & vita eorum longius protrahi potest.

Victus ratio. Quantum ad victus rationem attinet, versetur æger in aëre sicco & temperato ad caliditatem. Cibus eorum sit ptisana hordei, lac amygdalarum, ova sorbilia, carnes gallinarum ac vitulorum & hædorum. Ex piscibus maximè tabidis conveniunt squamati omnes, ac potissimum cancri fluviatiles.

Lac caprillum phthisicis utilissimum. Cæterum lac inter omnia cibaria tabidis est optimum & saluberrimum. Plurimi enim lactis caprilli recens emulcti usu vitam in multos annos produxerunt. Sed Medici inter lac tabidis convenientissimum esse putant lac muliebre. *Lac muliebre.* Id tamen cavendum in usu lactis, ne statim cibum assumant, vinumque aut acidum quippiam gustent. Corrumpitur enim in ventriculo lac & coagulatur.

Inter fructus arborum prosunt tabidis amygdala excorticata, nuclei pineæ, ficus, dactyli, pistacia & uvæ passæ. Vitent tabidi vehementes animi commotiones, veluti sunt ira, tristitia, mœrorque animi; vitent & vigilias immodicas, famem & sitim. Potus eorum sit aqua hordei in qua parum Cinamomi est decoctum.

Remedia. Medicamenta in phthisi pro causarum & loci affecti ratione varianda erunt.

Prophylactica. Si itaque ex defluxu humorum acrium in thoracem pulmo exulceretur, tabemque conciliet iis, utendum est remediis, quæ supra in curatione catarrhi sunt proposita. Ita & si ex peripneumonia, Sanguinis vel puris rejectione, aut ex pleuritide phthisis seu tabes oboriatur, ad eorum morborum curationes paulo ante recitatas confugiendum.

Curativa. Sed ubi jam tabescunt & emaciantur homines,

mines, pulmonesque exulceratos esse signa præscripta indicant, universa cura ad pulmonis exulcerati absterſionem, exiccationem & consolidationem converti debet, quæ sequentibus remediis commode perfici possunt.

Primum utatur æger singulis diebus ter, nimirum mane tribus horis à prandio & vesperi iturus cubitum sequenti potione.

Decoctum.

♃. Sem. Malvæ, Flor. Hyssopi, capillorum Veneris an. M. I.
Hordei mundati M. II. Rad. Glycyrrhizæ ℥ I.
Ficuum n. VI. Scabiosæ M. s.

Contusa & concisa coquantur in duplici vase sive cantharo, cum aq. semicongio per duas horas, refrigerata colentur & colato juri admisceantur 4. sem. frigidorum majorum an. ℥ III. exacte contusorum, conserv. rosarum ℥ I. conser. symphyti majoris ℥ I. s. In mortario benè contusa & commixta colentur per pannum àliquoties transfundendo, donec clara fiat potio, qua, ut diximus, tepida utatur.

Aut eadem ratione utatur Syrupo ex symphyto majori, quem doctissimus Fernelius in phthisi plurimum celebrat, qui sic conficitur.

Syrupus è symphyto Fernelii tabidis maxime utilis.

℞. Rad. symphyti majoris & minoris & flor. utriusque recentium an. M. III.
Rosarum rubearum, Betonicæ, Plantaginis, pimpinellæ,
Polygoni, scabiosæ, Tussilaginis omnium viridium an. M. II.

Contusis diligenter omnibus, exprimatur succus ad ℔ III. coquatur & exspumetur, postea admisceantur sacchari ℔ II. s. coquantur iterum ad syrupi consistentiam, qua utatur æger frequentissimè lambendo: aut ter in die assumat ℥ I. cum aq. Tussilaginis ℥ III. commixtam & calefactam.

Conf. rosarum vetus catarrhum sistit, & consolidat exulcerationem

Temporibus autem inter potionem mediis crebro assumat æger quantitatem semijuglandis conservæ sive saccari rosacei vetusti, quod ab omnibus Medicis in phthisi vehementer laudatur.

Pulm. Flor.

Porro ad Pulmonis exulcerati exiccationem nihil præstantius est, quam si quis quotidie ʒ I. floris sulphuris chymica sublimatione præparati, in haustu caprilli lactis assumat, aut sequentis pulvisculi.

Sulph. Lac. sulph. cum aq. cinamomi etiam insigniter juvat.

℞. Sem. papaveris albi, corallii rubei præparati, Eboris aut cornu cervi usti an. ʒ s.
Boli Armeni veri, florum sulphuris an. ʒ I.
Gummi Arabici, Tragacanthi an. ℈ II.

Pulvis pro phthisicis compositus.

Pulverata misceantur, fiat pulvisculus, cujus ʒ I. cum lacte caprillo tepido mane ac vesperi assumat æger.

Ubi alvus suppressa est,

℞. Gallinam suppinguem seu caponem evisceratum & ad coctionem præparatum, in cujus ventrem inde uvarum passarum ℥ II. prunorum dulcium n. X. Conserv. Rosarum ℥ I. Rad. Glycyrrhizæ ʒ II. sem. Carthami ℥ s. Decoque in sufficienti aqua, post cujus perfectam decoctionem accipe juris ℔ I. cui admisce Syr. rosacei solutivi ℥ II. cujus mediam partem ebibat æger, & si necessitas exigat, hunc haustum singulis mensibus bis assumat.

Lenitivum jusculum. Chymici pro singulari secreto in hoc morbo utuntur fl. antimonii ritè præparatis.

Cum verò phthisi ut plurimum & cor & Epar inflammentur, ad hujus caloris mitigationem bibat æger mane ac vesperi aq. hordei, in qua hordeum, passulæ, & Glycyrrhiza sunt incocta, & quæ per conservam rosarum aliquoties est percolata. Sumenda autem est ad singulas ℔. aquæ ℥ I. conservæ.

Calorem præternaturalem restinguentia.

Utatur quoque frequenter medicamentis carnem nutrientibus & vires reficientibus, qualia sunt sequens Electuarium & Morsuli.

℞. Nucleorum pini, Avellanarum, Amygdalarum dulcium, Pistaciorum an. ℥ II. omnibus à superiori cortice mundatis macerentur per noctem in q. s. aquæ Boraginis, deinde addantur 4. sem. frigidorum majorum an. ʒ II. Concidantur minutissimè, iisque admisceantur pul. papaveris albi, Corallii præparati an. ʒ s. Conserv. Rosarum ℥ II. & cum q. s. syr. violarum, fiat electuarium de quo sumat quantitatem semijuglandis. Aut

Electuarium analepticum phthisicis conveniens. Chymici hujus loco utuntur tinctura perlarum, corallorum auro potabili & ol. cinamomi.

ad caloris nativi restaurationem. Morsuli vires reficientes & nutrientes in phthisi.

℞. Carnis cancrorum fluviatilium ℥ II.
saccari rosati ℥ I.
Pinearum, pistaciorum, Amygdalarum dulcium & 4. sem. frigidorum majorum in aq. boraginis per noctem maceratorum an. ʒ I.
Pul. sem. papaveris albi, portulacæ an. ʒ s.
Saccari albi in aq. rosacea soluti ℔ s.

Fiant ex his morsuli, de quibus unum devoret semper una hora ante cibi assumptionem.

Thorax & spinæ dorsi indies bis inungantur sequenti linimento.

Linimentum.

℞. Ol. rosacei, violacei, Amygdalarum dulcium an. ℥ s. ceræ albæ q. s. fiat linimentum, admisceantur ʒ II. mucilaginis ex seminibus lini & Cytoniorum cum aq. rosacea facti.

Tria remedia phthisicorum vitam conservantia.

Notandum est de phthisi rarò posse curari, sed vita diutissimè potest conservari per hæc tria, per continuum usum lactis caprilli, per esum conservæ rosaceæ, & per aëris mutationem.

SECTIO II.

DE CORDIS AFFECTIBUS.

1. *Cordis morbi qui sunt?*

Cordis dignitas & situs.

Cor omnium partium corporis nobilissimum, officina spirituum vitalium, fons vitæ, & caloris nativi, affectuumque sedes, in medio thorace sub quinta costa collocatum est, cujus mucro versus sinistram papillam dirigitur: afficitur autem tribus potissimum morbis;

Affectus cordis præcipui & frequentiores.

Palpitatione,
Animi deliquio,
Dolore seu imbecillitate.

2. *Palpitatio cordis quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curanda?*

Palpitatio cordis quid. Triplex motus cordis.

Παλμὸς τῆς καρδίας, Cordis palpitatio est immoderata ac violenta cordis concussio, sive præternaturalis dilatatio & compressio.

Triplici motu movetur cor, duobus secundum naturam videlicet pulsu & affectibus, & uno præter naturam videlicet palpitatione. Per palpitationem cor sibi noxia excutere conatur.

Causa palpitationis.

Causæ palpitationis cordis προκαταρκτικαὶ sunt, vehemens corporis commotio & exercitatio, excandescentia, balnea justo calidiora, crapula & veneni assumptio.

Causæ προηγούμεναι sunt sanguinis in cordis thalamis redundantia, cordis propria intemperies, retorridæ bilis in arteriis effusio, vapor ex putrida malancholia in liene, aut corruptorum humorum in matrice per arterias ad cor demissus.

Hypochondriaci huic affectui plerumque obnoxii.

Hinc omnium maximè palpitationi cordis sunt obnoxii qui hypochondriaca melancholia laborant, & quibus lien bilis atræ copia turgescit, aut quibus bilis in orificio ventriculi hæret.

Signa.

Signa Palpitationis cordis sunt manifesta, & ex relatione ægri & ex contactu facilè deprehenditur. Palpitatione cordis laborantibus pulsus arteriarum est vehemens, & arteriæ, potissimum quæ circa jugulum conspiciuntur, dilatantur. Palpitatio nonnunquam, ac potissimum in quiete remittit. Exasperatur autem immodica exercitatione, crapula & Venere.

Curatio.

Curatio palpitationis cordis consistit in bona victus ratione, in venæ sectione, & in medicamentorum usurpatione. Quæ tamen omnia pro causarum varietate mutanda erunt.

Causa discernenda.

Primum itaque unice consideranda est constitutio corporis & intemperies, qui scilicet humores in corpore redundent, & quæ qualitas excellat. Potissimum autem vexantur cordis palpitatione, qui biliosam aut melancholicam habent corporis constitutionem, quanquam, ut dictum est, & ex redundantia sanguinis palpitatio suboriri potest.

Vena sectio quando adhibenda.

Quod si ergo sanguis tenuis uberius influat in thalamos cordis, tum solum venæ sectio est adhibenda, & vena jecoraria dextri lateris aperienda.

Ubi vero bilis retorrida in arterias est est perfusa, tum biliosi humores & præparandi,

randi, & educendi ſunt medicamentis, quæ ſupra in tabellis biliosorum humorum præparandorum,&evacuandorum recenſuimus.

Simili ratione, ubi palpitatio cordis ex melancholico humore vel vaporibus melancholicis, vel ex liene, veluti in melancholia hypochondriaca, vel ex matricis corruptis humoribus ſurſum elevatis oboriatur, tunc melancholico humori convenientia adhibenda, quæ & ipſa ſuperius ſunt enumerata.

[E]vacuatio [p]er phar[m]aca [e]uando

[C]onveniat.

Victus quoque ratio pro cauſarum varietate immutari debet, ita ut frigida constitutione corporis calidis, in calida frigidis veſcatur cibis ac potionibus æger. In victus autem ratione diligenter proſpiciendum eſt, ex quacunque tandem cauſa oborta ſit palpitatio, ne alvus ſit obſtructa, ac ſi adſit obſtructio, ut ſtatim Clyſtere aut glandibus quas ſuppoſitoria vocant, alvus ſolvatur. Præterea in calida intemperie utatur æger mane ac veſperi ſequenti Electuario.

[V]ictus ra[t]io.

[L]enitiva [a]lvum [s]olventia.

℞. Sacchari violarum, roſarum, borraginis ac bugloſſæ an. ℥ s.
Pul. Coralliorum præparatorum ʒ I.
Spec. Diamargariton frigidi, oſſis cordis cervini an. ʒ II.

[E]lectuarium cor[d]iale re[f]rigerans.

Miſceantur, & cum q. s. ſyrupi acetoſitatis Citrii, fiat Elect. de quo mane ac veſperi devoret æger ſemijuglandis quantitatem.

Foris vero inungat cordis regionem ſequenti linimento.

℞. Ol. roſarum, violaceæ, nympheæ an. ʒ II.

Linimen[t]um infri[g]erans.

Ceræ albæ q. s. fiat linimentum, cui immiſceantur tenuiſſimorum pul. Coralliorum rubeorum, ſandalorum rubeorum, roſarum an. ℈ I. Camphoræ gr. III. Aceti roſacei guttulæ v. fiat unguentum.

Aut cordi imponatur ſequens Epithema.

Epithema [c]ordiale.

℞. Aq. ſtillat. roſarum, acetoſæ, boraginis an. ℥ II.
Aq. Meliſſæ ℥ I. ſp. Cordalium, vel pro Epithemate cordis ʒ II. ſandali rubei coralliorum an. ʒ I.

Camphoræ gr. v. Commixtis omnibus fiat Epithema, quod duplicato panno rubeo tepidum excipiatur aut duplicato linteolo, & regioni cordis applicetur. Vel conficiatur ſequens ſacculus quadratus.

℞. Flor. violarum, Bugloſſæ, Roſarum an. M. I.

Sacculus pro corde.

Sandalorum omnium an. ʒ I. coralliorum rub. & alborum an. ʒ s. Contuſa craſſiuſculè inſuantur in ſacculum ex ſyndone conſutum, qui aq. roſacea conſperſus ac tepefactus cordis regioni applicetur. Intermediis temporibus prodeſt palpitationi cordis ex calida intemperie aſſumere rotulas duas aut diamargariton frigidi, aut diatrion ſandalon.

Rotulæ.

Porro ſi ex frigida cordis intemperie palpitet Cor, vel corporis conſtitutio ſit frigidior, vel redundet aut pituitoſis aut melancholicis excrementis, tunc vitioſus humor juſta methodo primum extenuandus, concoquendus & expurgandus erit convenientibus remediis, quæ ſupra in tabellis medicamentorum concoquentium & purgantium, & in Cephalalgiæ ſpeciebus certis humoribus deſtinata, commemorata ſunt: ut ex. gr.

Ad palpitationem ex frigida cauſa remedia.

Si pituitoſus humor corpus obſidet, ſequenti decocto commode concoqui poteſt.

♃. Rad. Boraginis, fæniculi an. ℥ s.
Herb. Meliſſæ, Hyſſopi, Betonicæ an. M. s.
Cardui Benedicti, Majoranæ, Roriſmarini an. P. I.
Sem. Aniſi, fæniculi an. ʒ III.

Decoctum digerens pituitam.

Contuſa & conciſa decoquantur in ℔ III. Vini Rhenani idque in cantharo ſive duplici vaſe bene obturato. Coquantur autem ad duas horas ac tandem colentur, colato juri admiſceantur oxymellis ſcyllitici, ſyr. è Meliſſa an. ℥ III. fiat potio, cujus ℥ v. mane ac totidem veſperi tepidæ ebibantur: qua potione abſumpta purgetur humor pituitoſus ſequenti hauſtulo.

♃. Fol. ſenæ ʒ II. Agarici Trociſcati ℈ IIII. Zinziberis ℈ I. contuſa macerentur per noctem in aq. Meliſſæ ℥ VI. mane ebulliant, leniter exprimantur ac colentur, in juſculo colato diſſolvantur Diaphænicon. ʒ III. fiat hauſtus, qui tepidus in aurora offeratur & jejunet inſuper horis 6.

Hauſtus phlegmagogus.

Simili

Si melancholia palpitationis cordis causa, ut curanda.

Simili ratione si corpus melancholico humore est perfusum, (melancholicis enim ut plurimum cordis palpitatio molesta est) tunc melancholicum excrementum sequenti decocto extenuetur, ad eductionemque præparetur.

Decoctum digerens melancholiam.

♃. Rad. Polypodii ℥ s.
Conserv. Melissæ, Fumariæ, Boraginis an. ℥ II.
Cort. citri ʒ v. Ceterach M. I. Thymi, Epithymi an. P. I.
Cort. Tamarisci ʒ II. Hellebori nigri ℥ s.

Contusa atque concisa decoquantur in ℔ III. aq. melissæ in duplici vase per duas horas, & colentur, colaturæ admisceantur syr. de Epithymo, de boragine, de fumaria an. ℥ II. fiat potio, de qua mane ac vesperi assumat æger v. ℥. tepefactas, qua potione exhausta, purgetur corpus sequenti haustulo.

Haustus melanagogus.

♃. Rad. Hellebori nigri præparati ʒ I. fol. senæ ʒ I. s.
Polypodii ʒ s. Epithymi ℈ IIII.

Contusa macerentur per noctem in aq. Melissæ ℥ VI. mane ebulliant, expressa colentur, colatoque juri admisceantur Diasenæ, Diacatholici an. ʒ II. fiat haustus, qui tepidus 6. horis ante prandium ebibatur.

Cordis palpitatio ex veneno assumpto ut curetur.

At vero si ex assumpto veneno cordis palpitatio oboriatur, protinus proderit Ol. olivarum ℥ II. cum salis ʒ II. tepefactis & ebibitis vomitum concitare, quibus rejectis, Theriacæ Andromachi ʒ I. cui sit admixta corallii præparati ʒ s. & ol. Angelici ℈ I. in aq. scordii resoluti ebibere.

Cordialia cor & Spiritus vitales confortantia.

His rectè curatis si palpitatio non cessat, cor ipsum & Spiritus vitales, & intra corpus assumptis remediis & foris topicis applicatis corroborandi erunt. In quem usum hæc sequentia maximè conveniunt.

Electuarium. Crollius cordiale suum ex auro 7. sigillis munito aliis omnibus præfert.

℞. Conser. Rosarum, Boraginis, Melissæ an. ℥ s.
Cort. mali citrii, Arantiorum conditorum & tenuiss. incis. an. ʒ VI.
Spec. Diamoschi dulcis Diambræ an. ʒ I. s.
Pul. coralliorum rubeorum ʒ I. s. Syr. acetositatis citri, fiat electuarium, cui admisceantur Ol. Cinamomi ℈ I. de quo assumat æger mane ac vesperi, & quandocunque cordis palpitatio exacerbatur semijuglandis quantitatem. Aut

Morsuli.

℞. Spec. Diamoschi, Diambræ an. ʒ II.
Corallii rubei præparati ʒ I.
Magaritarum in succo limonum resolutarum ℥ s.
Saccari albissimi in aq. Cinamomi soluti ℥ IIII. fiant morsuli.

Inter commiscendum adjiciatur Ol. Cinamoni ℈ s.

Egregium quoque remedium emulsio margaritarum cum aq. boraginis & cinamomi.

Prodest quoque in palpitatione cordis mane ac vesperi uti stillat. aq. ex Cinamomo, vel aq. Juniperi cochleatis mensura.

Aq. cinam. & spir. juniperi.

Vinum Creticum.

Mirificè cor corroborat & palpitationem sedat frustulum panis similacei in vino cretico madefactum, ac esitatum. Foris vero mammæ sinistræ applicetur sequens Epithema moderatè tepidum.

Confectio Alkermes quoque præstantiss. est remedium.

♃. Aq. stillat. Melissæ, Rosarum an. ℥ v. Boraginis ℥ II. vini cretici ℥ III.
Quibus commixtis admisceantur pulmacèris, caryophyllorum, cinamomi an. ʒ I. cort. citri, ligni aloës an. ʒ s. sem. ocymi ℈ I. Moschi, Ambræ, croci an. gr. v. ol. Angelicæ ℈ I. Ol. Cinamomi ℈ s. fiat Epithema, quod duplicatis linteolis exceptum applicetur. Aut

Epithema cordiale excellens.

Sacculus cordialis.

♃. Flor. Rosarum, Rorismarini, fol. Majoranæ, Basiliconis,
Melissæ an. P. I.
Pul. Caryophyllorum, ligni aloës, cinamomi, cort. citri an. ʒ I.
Trochiscorum Galliæ Moschatæ ʒ s.

Contusa crassiusculè, insuantur sacculo quadrato ex syndone rubeo confecto, qui sacculus conspergatur aquis rosarum melissæ & vini generosi an. p. æ. simul mixtis & tepefactis & cordis regioni adligetur.

Aut inungatur regio cordis sequenti liquore.

Liquor pro inunctione cordis.

♃. Aq. Rosarum, Melissæ, vini Cretici an. ℥ I.
Ol. è nuce moschata destillati, ol. Angelicæ an. ʒ s.

Ol. Ci-

Ol. Cinamomi ℈ s. ol. caryophyllorum ℈ I.

Commiſceantur, & parum calefiant ante uſum.

Quæ ex vaporibus craſſis, aut ex liene, aut ex epate, aut ex matrice, aut ex ventriculi orificio in cordis thalamos delatis oritur palpitatio, ejus curandi rationes in curatione earum partium docebimus.

3. *Animi deliquium quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quomodo curandum?*

Lipothymia eſt levne deliquium animi, ubi vox & ſenſus non plane adimitur ut in ſyncope.

Συγκοπὴ ſeu λειποθυμία, ſyncope ſive Animi deliquium, eſt præceps omnium trium virium ſive facultatum, videlicet animalis, vitalis & naturalis lapſus & diſſolutio, quo calor nativus & ſpiritus vitales diſſipantur, & omnes actiones labefactantur.

Duplex ſyncope.

Duplex eſt ſyncope ſeu dupliciter afficitur cor in ſyncope, per ἰδιοπάθειαν & per συμπάθειαν. Id quod Medico diligenter eſt notandum.

Cauſa.

Cauſæ συγκοπῆς προκαταρκτικαὶ ſunt, labor vehemens, inedia longa, intempeſtivæ vigiliæ, immodica evacuatio, balnea nimium calida, & violenta percuſſio ſiniſtræ mammæ vel orificii ventriculi. Προηγούμεναι ſunt cordis quælibet præternaturalis affectio, & ſæviora animi παθήματα, veluti ſunt atrox dolor, timor, & perculſio repentina, mœſticia fortis, gaudium vehemens, & orificii ventriculi offenſio, ſeu à venenatis, (ita in febribus malignis certum eſt malignitatis indicium, crebrum animi deliquium) bilioſis & corruptis humoribus inhærentibus eroſio. Item vapores venenati ex utero, ex inteſtinis, aut ex peſtilentibus bubonibus ad orificium ventriculi exhalantibus.

Signa ſyncopes exquiſita.

Signa ſyncopes ſive deliquii animi ſunt, pulſus aut nullus aut extremè rarus aut obſcuriſſimus, frigiditas extremarum partium, pedum, manuum, auricularum, & naſi, mador temporum cervicis & thoracis à frigido ſudore, pallor faciei & labiorum, mentis & ſenſuum defectio, ac totius corporis enervatio & collapſio.

Vnde ſudor frigidus in ſyncope.

Sudor autem in ſyncope frigidus eſt, quia calor nativus omnis à reliquis partibus ad cor tanquam ad propriam arcem confugit, & ſanguis in extremis partibus eſt refrigeratus, cujus aquoſior pars ad poros cutis defluit frigida.

An cor per ſe, an per conſenſum patiatur.

Utrum vero ſyncope per ἰδιοπάθειαν, id eſt propriam cordis intemperiem & affectionem, ſive per συμπάθειαν quam habet cum aliis membris, hominem affligat, dignoſci poteſt ex paſſione ſive affectione cujuslibet partis ſyncopen antecedente, ut, ſi deliquium animi oriatur ex affectione oris ventriculi, tum antecedit ſyncopen ventriculi vellicatio ac mordicatio, item nauſea & vomitus: ita & de reliquis partibus malè affectis, ſyncopen per conſenſum inducentibus judicandum eſt. Si vero nulla pars alia ſit affecta, tunc cor ipſum per ἰδιοπάθειαν affectum eſſe ſtatuendum eſt.

Prognoſtica.

Signum prognoſticum tradit Hippocrates 2. Aphor. 41. inquiens: Qui ſæpe & multum exſolvuntur, h.e. in animi deliquium incidunt ſine cauſa manifeſta, ii repente moriuntur. Exitioſa ſyncope eſt, ſi corpore crudis humoribus infarcto accidat.

Curatio.

Galenus l. 12. meth. medendi ſyncopes curationem ſatis accurate tradit.

Curandi ratio etſi pro cauſarum diverſitate varianda eſt, ac potiſſimum cauſæ προκαταρκτικαὶ ſive externæ citiſſimè removendæ & alterandæ: tamen, cum ſyncope ſæviſſimum ſit ſymptoma, & inducias ad cauſarum internarum demolitionem non patiatur, ac niſi ocyſſimè calor nativus ſpiritusque vitales in corde revocentur ac reſtituantur, cito interimat hominem; cauſis προηγουμέναις in acceſſione neglectis, omnis cura & ſolicitudo ad ſymptoma tollendum eſt convertenda.

Paroxyſmi remedia.

In hunc finem parati eſſe debent balſami ex oleis odoratiſſimis, uti eſt ol. cinam. corticum citri, ſuccini, Benzoini, caryophyllorum &c.

Statim itaque in initio paroxyſmi patientis nares apprehendendæ ſunt ac convellendæ, & facies, ſi nihil ad manum ſit aliud, aqua frigida, aut aqua roſacea moſcata, aut ſimplici roſacea conſpergenda eſt, & naribus admovendæ illiniendæque odoratiſſimæ res quæque, veluti ſunt aqua roſacea, acetum roſaceum, aqua lavendulæ. Item Oleum angelicæ, oleum nucis moſchatæ naribus illitum, item Benzoi & Storax calamita calefacta & naribus admota, niſi forte ſyncope oriatur ex matricis ſuffocatione, quæ ſuavibus odoribus exacerbatur & fœtidiſſimis, veluti ſunt caſtorei & aſæ fœtidæ, levatur.

Syncope ſtomachica ut curetur.

In ſyncope ſtomachica, id eſt, quæ ex vaporibus venenoſis & corruptis ex ventriculi orificio ad cor delatis, excitatur, præter ſuperiora, os ventriculi comprimendum & confricandum, erit & quatenus fieri poteſt æger ad vomendum irritandus penna aut digito in os inſerto, quin & alto clamore patientem nominando, & in os patientis ſpiritum copioſe inflando, & ab adamato aliquo homine patientem exoſculando, multos ex deliquio animi excitatos vidimus.

Sternutamentum.

Prodeſt & ſternutationem pulviſculo Majoranæ naribus indito excitare. Ubi vero æger paulúlum ſpiritum reſumpſit, pauxillum vini cretici vel alterius generoſi guſtandum præbere utile eſt, ſimiliter & aquam cinamomi: Et linguam ejus quoque confricare, aut aqua Juniperi, aut aqua vitæ vocata, aut Theriaca Andromachi plurimum conducit. In univerſum autem in omni ſyncope convenit margaritarum, in ſucco limonum ſolutarum liquorem ori inſtillare. Cor autem ſtatim pro ratione temperamenti corporis aut calidis aut frigidis liquoribus confricandum erit: calidis ut aqua lavendulæ, aut Juniperi, cui admixtum ſit ol. caryophyllorum, cinamomi, Macis & Moſchi momentum: frigidis vero, veluti ſunt aqua roſacea, Meliſſe & acetum roſaceum ſimul commixtæ, oleum item camphoræ, & balſamus Roſarum.

Aqua carbunculi hic quoque inſignes obtinet vires.

Tinctura per larum cum aq. cinamomi & ſucci citri valde prodeſt.

Topica cordi admovenda.

Quantum vero ad cauſarum ſyncopes ablationem attinet, ſemper eſt notandum, in ipſo paroxyſmo, præſcriptis remediis vires eſſe reſtaurandas primum, deinde cauſas ocyſſimè removendas.

Cauſa ſyncopes ut removenda.

Si itaque ex labore vehementi ac fatigatione ſyncope oboriatur, dulci quiete: ſi ex inedia longa, refectione per nutrimenta: ſi ex mœrore animi, lætitia curabitur ſyncope. Ubi vero immodica evacuatio, vel ſanguinis profuſio, ſive id contingat ex naribus, ſive ex venis hæmorrhoidibus, ſive ex matrice, ſive ex alvo, tum ſtatim fluxus eſt cohibendus convenientibus remediis, quæ ſupra in narium fluore ac deinceps in alvi, hæmorrhoidarum & menſium fluore deſcribentur.

Si ex immodica hæmorrhagia.

Ex nimio ſudore.

At vero ſi ex nimia ſudoris profuſione quis in ſyncopen incidat, tum utendum erit corroborantibus & vires reſtaurantibus, ſanguinemque refrigerantibus & incraſſantibus. Foris autem loci odoriferi inungendi ſunt aut oleo roſaceo, aut myrthino, aut citoniorum, aut albumine ovi, cui admixti ſunt tenuiſſimi pulviſculi thuris & boli Armeni. In tali caſu abſtinendum eſt à vini exhibitione, & partium frictione.

Ex veneno aſſumpto.

Syncope ſi oriatur ex venenatæ potionis hauſtu, aut veneno aſſumpto, ſtatim vomitus eſt excitandus, & ſi vehemens calor abſit, theriacæ ʒ I. aut ol. Angelicæ ℈ I. cum aq. ſcordii eſt ebibendus. Ac ſi ſentiatur deinde eroſio ventriculi, recens butyrum copioſe eſt comedendum, & foris ventriculus ol. nardino & roſaceo ſubinde eſt inungendus.

Ex vaporibus malignis aliunde ad cor delatis.

Ubi vero ex copia vel bilioſorum, vel corruptorum, venenatorumque humorum in aliquo viſcere contentorum vaporibus ad cor delatis, excitetur ſyncope, tum poſt virium reſtaurationem, vitioſi humores convenientibus pharmacis detrahendi ſunt. Oriuntur autem tales evaporationes ut plurimum ex bile flava in orificio ventriculi hærente, aut ex pituita corrupta cibiſque corruptis & venenatis in ipſa capacitate ventriculi natantibus: Item ex lienis & matricis vitioſis humoribus, quorum expurgandi rationem in earum partium curatione enumerabimus.

Interdum etiam ex nimia plethora quidam exſolvuntur, quos venæ ſectio larga juvat.

4. *Dolor & anxietas cordis quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & qua ratione curanda?*

Cordis dolor quem noſtri hertzen angſt und bangigkeit vocant.

Dolor omnem cordis affectionem & anxietas ſubſequitur; verum hoc loco intelligenda eſt ejus compreſſio, mordicatio & anxietas, quæ mirum in modum vires proſternunt.

Cauſa.

Cauſæ mordicationis compreſſioniſque cordis περιηγουμέναι ſunt tenues & acres humores vaporeſque vel in cordis thalamis, vel in vaſis h. e. venis & arteriis per cordis ſubſtantiam diſperſis, infarcti, aut dolet cor per conſenſum ex intumeſcentia muſculorum thoracis cordi incumbentium, aut ſubſtantiæ

Magnopere etiam de dolore & anxietate

cordis conqueruntur qui malignis febribus & peste laborant, & quidam epileptici.

ſubſtantiæ cordis extabeſcentia. Contabeſcit autem cor, & inſtar pyri toſti corrugatur, perpetuumque dolorem infert, & totius corporis macilentiam ac marcorem, ex nimio animi mœrore aut amore: προκαταρκτικὴ cauſa doloris cordis eſt φίλτρον, aut magicæ potionis aſſumptio.

Signa diverſarum cauſarum.

Signa cauſarum cognitu difficiliora ſunt, & ex relatione ægri inquiri debent. Dolor tamen ex tenuium, acriumque humorum aut vaporum in cordis thalamis, aut in ipſa capſula cordis contentorum exortus, dignoſci poteſt ex ſpecie doloris mordicante: Ex tumore autem muſculorum ortus dolor cordis, gravans & comprimens ſentitur. Cordis dolor qui ex mœrore, amore, & philtri potione contractus eſt, ex totius corporis marcore, & ægri relatione inveſtigandus eſt.

Prognoſtica.

Omnem autem cordis dolorem ut plurimum virium proſtratio, cordis palpitatio, & ſi diutius perduret, marcor cordis ſubſequitur.

Curatio.

Si à copia humorum acrium vel ſeroſorum circa cor.

Curatio pro cauſarum varietate immutari debet. Si itaque vel cordis thalami, vel venulæ & arteriæ, per cordis ſubſtantiam ſparſæ, vel capſula cordis, repleta ſunt tenuibus acribuſque humoribus, ſtatim omnis cura eò dirigenda eſt, ut cum per venæ ſectionem, tum per levia remedia vitioſi humores detrahantur & diſcutiantur. Primum itaque

Hauſtus purgans.

macerentur per 24. horas Rhabarbari ʒ I. s. in ℥ v. aquæ Boraginis, poſtea leniter uno aut altero fervore ebulliant, exprimantur ac colentur, & colato juſculo admiſceantur Elect. lenitivi ʒ v. fiat hauſtus, qui tepidus in aurora exhibeatur, & jejunet ſex horis poſt aſſumptum potum.

Venæ ſectio.

Altero à purgationis die incidatur vena communis ſive mediana ſiniſtri lateris: tertio tandem die aſſumat ſudorificum hauſtum.

Hauſtus ſudorificus.

℞. Theriacæ Andromachi ʒ I. ol. Angelicæ guttulas v. commiſceantur cum hauſtu aq. Boraginis, fiat hauſtus, quo aſſumpto componat ſe ad ſudorem. Reliqua remedia corroborantia, & unctiones ac epithemata foris applicanda ex ſuperioribus, ut syncopes & palpitationis cordis curatione, petenda erunt.

Præſtaret gr. 5. vel 6. lap. bezoar cum aq. card. bened. exhibere vel

ſal. theriacalis ſcrupuli.

Si à tumore Muſculorum thoracis.

Frictio.

Si à tumore muſculorum thoracis cordi incumbentium dolor & compreſſio cor gravet, tum cordis regio foris linteis calidis ſubinde leniter erit confricanda, & cucurbitulæ cum ſcarificatione applicandæ, ac tandem ſequenti linimento inungenda.

Linimentum.

℞. Ol. Anethi, liliorum alborum, Hypericonis an. ʒ I I. ol. Angelic. ℈ I.
Aceti roſacei momentum. Miſceantur, & tepefactis inungantur.

Si ex mœrore vel amore.

Porro, ſi dolor cordis ac compreſſio ab animi mœrore ac triſtitia oriatur, aut ab immoderato amore cor langueſcat ac corrugetur, primum quidem quantum fieri poteſt, cauſæ dolorum ac παθημάτων ſunt auferendæ leniendæque, & in contrariam alterandæ, idque cum amicorum dulcioribus colloquiis rerum deſideratarum oblatione, & ex verbo Dei petitis conſolationibus ſolidis. Animi enim dolores pharmacis raro tolli poſſunt.

Si ex philtro vel veneno.

De philtris quid ſentiendum & quomodo amor philtris accenſus curari poſſit eleg. Roderic. à Caſtro Medicus experientiſſ. in ſuo Medico politico l. 4. c. 2. explicat.

Si compreſſio & anxietas cordis ex philtro aut venenato poculo, aut magicis incantationibus originem ducat, quæ ſcelerata molitio inter mortales uſitata ac frequens eſt, ubi vel nocere vel ad amorem quemquam allicere flagitioſi homines cupiunt, & ſæpe pro amore inſaniam inferunt, ita affecti medica ope (ſunt tamen qui remediis humorem melancholicum, evacuantibus & ſpiritus triſtes recreantibus, hujuſmodi affectus curent) rariſſimè curantur. Ardentibus itaque in tali caſu precibus ad Filium Dei eſt confugiendum, & curatio eccleſiæ precibus eſt commendanda. Ideo enim venit Chriſtus in mundum, ut opera diaboli deſtruat. Nec audiendus eſt impius Bombaſtus Paracelſus, qui docet, morbos magica incantatione inflictos, per contrarias magicas incantationes curandos eſſe, ſuperſtitioſa item characterum imaginumque appenſione, & ſimilibus vetitis nugis, fidem à vero DEO ad creaturas avertentibus.

De febribus peculiari tractatu agit auctor, quem benevolus lector tom 5. σὺν Θεῷ videbit.

Præter has cordis ægritudines afficitur quoque in omnibus febribus: ſed de febribus, & quomodo in febribus ab accenſo præternaturali calore in cordis thalamis ortis ſit agendum, ſuo loco dicturi ſumus.

Sectio III.
DE MAMMARUM AFFECTIBUS.

1. *Mammæ quid, & quibus potissimum morbis afficiuntur?*

ΤΙΤΘΟΙ' ϗ μαςοὶ ubera seu mammæ sive mammillæ in pectoribus hominum duæ sunt, & in fæmellis quidem instar semiglobi extuberant, substantia sunt raræ ac spongiosæ, plurimisque glandulis refertæ, quæ organa sunt lactificationis, recens natorum nutritioni servientia. Fætus enim in utero non lacte, sed materno sanguine nutritur; enixus autem alitur lacte, quod in mammillis matris generatur. In medio mammarum apex seu tuberculum est, Græcis θηλὴ, Latinis papilla, nostris die Wartzen. Afficiuntur autem mammæ hisce potissimum morbis:

Mammillarum usus. *Papilla.* *Mammillarum affectus.*

- Lactis redundantia post partum,
- Lactis defectu,
- Lactis in mammis in grumos concretione,
- Tumore laxo,
- Tumore duro,
- Cancro,
- Inflammatione,
- Papillarum scissuris,
- Mammarum in nimiam molem extuberantia.

2. *Lactis Redundantia quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curanda?*

Lac quid. Γάλα, lac, est sanguinis elaborati, corpusque nutrientis sive nutrimenti utilis superfluitas, in mammillarum vasis exactè percocta, & per substantiam adenosam mammarum in candidum liquorem commutata.

Sparganosis seu lactu redundantia. Σπαργάνωσις lactis redundantia, est ejus in mammis copiosa generatio, plusque, quam recens natus absumere potest, unde in insignem tumorem mammæ elevantur.

Causa. Causa προκαταρκτικὴ est alimentorum boni succi uberior usus. Προηγȣμέναι sunt corporis sanguinea constitutio & calida humidaque temperies, sanguinisque redundantia.

Signa. Signa sunt manifesta; visu enim ac tactu dignosci possunt. Extuberant enim plus justo ubera, ac lac potissimum est tenue, sponte profluit ex papillis, vel, si est densius, meatus in mammis obstruuntur, mammæ extenduntur, & in dolorificum tumorem elevantur, &, nisi occurratur, inflammationem, aliaque symptomata excitat.

Curatio. Curatio redundantiæ lactis perficitur victus ratione, venæ sectione, & medicamentorum applicatione.

Victus ratio. In victus ratione inedia & abstinentia ab alimentis boni succi veluti sunt ova recentia, vinum & carnes, plurimum conducit.

Prodest autem uti aqua & cremore hordei, (cremor hordei lac generat, ideo ab eo potius abstinendum.) Si corpus est sanguineum, secetur vena, primum quidem hepatica dextri brachii, deinde & saphena dicta vena sub poplite.

Venæ sectio commodè adhibetur, nisi statim post partum hoc malo afficiantur fæminæ.

Topica vero remedia foris applicanda erunt mammis, lac exiccantia, veluti sunt acetum acre calefactum & panno exceptum, mammis applicatum. Aut

Topica varia lac exsiccantia & repellentia.

℞. Farinæ fabarum, ol. rosacei & aceti rosacei q. s. hæc tria in formam pulmenti commisceantur & tepida instar cataplasmatis mammis applicentur. Aut

℞. Gallarum, Cymini an. ℥ 1. Contusa coquantur in aceto, ac colentur, cujus liquor panno duplicato exceptus, ac tepidus mammis applicetur.

Cohibet quoque lactis in mammis redundantiam resina Terebinthinæ tepida per linteum extensa & mammis applicata. Aut

♃. Cancros fluviatiles q. s. quos in vitreato fictili adustos, parumque conquassatos, & sacculo linteo infusos, mammis applicabis.

Lac prius extrahendum. In lactis autem redundantia, ante Topicorum applicationem lac ipsum semper primum emulgeatur, aut per suctionem extrahatur, alioquin facilè in mammis coagulatur.

3. Lactis

3. *Lactis in Mammis defectus ſive penuria quid, quæ cauſa, quæ ſigna, & quomodo curanda?*

Lactis defectus.

Ut lactis redundantia in mammis matribus eſt moleſtia, ita lactis defectus & penuria infantibus ac lac ſugentibus noxia eſt. Ita enim natura comparatum eſt, ut omnes fœmellæ utero gerentes, & partum enixæ, ſi ſalubriter degant, lac in mammis futurum fætui alimentum, in uberibus tanquam in lagenula colligant ac geſtent.

Cauſæ propter quas lac deficiat.

Cauſæ porro lactis defectus προηγουμέναι ſunt ſanguinis in materno corpore aut penuria, aut vitioſitas, aut mammarum, totiusque corporis extrema ſiccitas, venarumque in mammis ſumma gracilitas. Προκαταρκτικαὶ vero cauſæ ſunt, aut imbecillitas infantis, lac ex mammis ſugere nequientis, aut recens & novi fætus in utero conceptio. Revellitur enim tum lactis materia ad uterum, ad fætus nutritionem.

Signa cauſarum diverſarum.

Signa ſunt evidentia: cauſæ vero penuriæ lactis ita internoſci poſſunt. Paucitatem ſanguinis in corpore vel mammis, marcor totius corporis, & mammarum gracilitas atque ſiccitas indicant. Sanguinis vitioſitas ex malo corporis habitu fœdoque colore dignoſcitur. Venarum gracilitas in mammis viſu deprehenditur. Infantis malè affecti vel morboſi ſigna manifeſta ſunt. Sic & nova conceptio ex matris relatione dignoſcitur.

Curatio.

Curatio penuriæ lactis conſiſtit in bona victus ratione, & medicamentorum lac generantium, tum foris, tum intra corpus uſurpatione. Utatur itaque mater lactis copiam deſiderans cibis potionibusque optimi ſucci, & quæ natura humectent, & moderatè calefaciant. Ex his enim ſanguinis copia generatur. Talia vero ſunt ova recentia ſorbilia, carnes hædinæ, vitulinæ, pullorum, gallinaceorum, caponum & perdicum. Conveniunt quoque in hunc uſum piſces ſaxatiles, & ſquamati. Condiantur edulia pulviſculis Cinamomi, Zinziberis & Croci. Quin & cum eduliis concoquantur radices paſtinacæ, petroſelini, fæniculi, & carotæ **gelbe Mohrrüben.** Proſunt & juſcula carnis bovillæ, lac ovillum, lac amygdalinum & panis Marcius. Item amygdalæ dulces, ſemenque fæniculi ſaccaro incruſtatum atque obductum. Tenuioris fortunæ matres & nutrices ad lactis generationem expertæ ſunt offam ex cereviſia aliqua laudata cum butyro recenti & impinguata prodeſſe. Et vinum dulce ac generoſum moderatè bibitum, lac probum & ſufficiens producit.

Lac generantia.

Chymici ſal margaritarum & cryſtallorum, & pulverem Cryſtallorum præparatorum in hunc uſum commendant.

Si ſanguis eſt vitioſus ex qua debeat generari lac, idque ex colore & ſubſtantiæ tenuitate dignoſci poteſt, ſi eſt ſeroſius, remediis pituitam & ſerum ducentibus; ſi vero bilioſius, bilem evacuantibus, ſanguis eſt purificandus, quorum remediorum tabellam in initio curationis morborum propoſuimus. At ſi infans eſt imbecillis, & lac exſugere nequeat, ſtudendum eſt ut maternum lac ſubinde emulgeatur, aut ab alio infante exſugatur. In nova imprægnatione, ubi ſigna ſenſerit mater, ſtatim infantem ablectet, ſi novum fætum ſanum eſſe cupiat.

Poſt novum conceptum infantes ablactandi.

Porro ſi venulæ in mammis graciliores exiſtant, quam ut per eas lac effluere queat, mammæ ipſæ & thorax calidis linteolis horâ tertiâ à cibo ſumpto leniter & ſuaviter confricentur, ac deinde foveantur decocto ficuum & radicum Althææ pannis excepto & mammis applicato. Quo ablato mammæ inungantur oleo liliorum alborum.

Venæ mammarum ut dilatandæ.

Copiam lactis ſuppeditantia.

Intra corpus ſequenti pulviſculi ʒ. I. s. mane & una hora ante cænam cum vino aſſumpti lac maternum mirum in modum augent.

Pulvis.

℞. Sem. fæniculi, aniſi, paſtinacæ an. ℥ s.
Sem. lini ʒ I. Cinamomi electi ʒ I r.
Saccari candi ℥ I. s. Omnia in tenuiſſimum pulverem redigantur ac commiſceantur.

Idem præſtant glaux herbula maritima, polygala, ſemen circææ & ſpergulæ cum ptiſana decoctæ & potæ.

4. *Lactis in mammis concretio quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quomodo curanda?*

Lactis coagulatio in mammis.

Θρόμβωσις, grumeſcentia lactis, eſt lactis in caſei formam in mammillarum venis & meatibus concretio: quod ple-

runque puerperis post partum ex lactis redundantia, si non exsugatur aut emulgeatur, sed diutius in mammis contineatur, accidere consuevit.

Causa. Causæ προηγουμέναι sunt lactis redundantia, mammarum justo calidior intemperies, & sanguinis adfluentis, ex quo lac generatur, aciditas. Sicuti enim lac optimum ad ignem collocatum, si aceti quid, aut acidi liquoris adfundatur, statim coagulatur; ita si sanguis admixtionem habeat acidæ melancholiæ, aut serosæ pituitæ, lac in mammis coagulatur.

Signa. Signa sunt manifesta, visu enim & tactu, atque ex querimonia matronarum cognosci possunt.

Prognostica. Huic malo nisi in tempore occurratur, tumorem, inflammationem & apostema mammis infert.

Curatio. Curatio pro causarum varietate est instituenda.

Lac concretum ut educendum. Statim autem in principio lac concretum in mammis educendum erit hac ratione. Fomententur mammæ aqua calida simplici, aut calido liquore, in quo concocta sunt folia malvarum, & semen fænugræci; deinde leniter comprimendo mammas, lac concretum studiose emulgeatur exprimaturque.

Victus ratio. Tandem & victus ratio, sanguinem vitiosum alterans, instituatur. Victus ratio debet esse temperata, & edulia omnia saccaro, aut purissimo melle sunt dulcoranda. Acida autem omnia & aeria vitanda erunt.

Porro si ex redundantia lactis lac concrescat in mammis, curatio est adhibenda, quæ paulo ante in curatione redundantiæ lactis est præscripta.

Si ex cacochymia melancholica lac concrescat, ut curanda ægra. Si vero sanguis sit acidior ex melancholico humore, id quod ex fusco cutis colore dignoscere licet, tum melancholicus humor subtrahatur remediis convenientibus, quæ supra in tabellis medicamentorum sunt commemorata, ut Diacatholicon, vel Diasena, vel infusione polypodii, & veratri nigri.

Si ex seroso sanguine. Ita si serosus humor sanguini admixtus sit causa grumescentiæ lactis, quod ex candore & laxitate cutis deprehenditur, serosus humor serum ac pituitam purgantibus remediis, veluti sunt diaphænicon, diacarthamum aut diaturbith, subducendus erit.

Lac coagulatum dissolventia. Ablatis causis congrumescentiæ, ea remediorum genera & intra corpus sunt adhibenda, & foris mammis applicanda, quæ sanguinis grumos, & lac in mammis coagulatum, resolvere & extenuare possunt. Ut autem sanguinem, ita & lac in venis concretum resolvit ac liquefacit, tum in ventriculo, tum in mammis, coagulum *Coagulum leporis.* leporinum, hoc est, lac concretum, quod invenitur in pullis leporum nondum natorum sed excisorum: Itidem si illinatur mammis, liquefacit lac concretum. Prodest quoque lentes in aceto elixatas instar *Topica varia lac dissolventia.* cataplasmatis mammis imponere: Item fovere mammas decocto florum chamæmelini, fæniculi, anethi, & sem. lini ac fænugræci. Apium quoque herba virescens contusa & mammis imposita, lac concretum resolvit. *Idem præstat decoctum Chelidoniæ majoris impositum.*

Ubi vero jam intumescere incipiunt mammæ, medullam panis in lacte coctam, cui additum sit nonnihil fellis bubuli, & momentum croci, instar cataplasmatis mammis imponi utiliter potest; aut imponatur sequens emplastrum.

Cataplasma ad tumorem mammillarum.

℞. Mellis virginei ℥ I. styracis calamitæ, myrrhæ, thuris an. ℥ s.
Fellis bubuli ʒ II. medullæ panis q. s. fiat emplastrum.

Ad arcendam inflammationem earum prodest oleo rosaceo inungere.

Alii stercus Caprillum oxymelle feliciter applicant, nonnulli muria utuntur.

5\. *Mammarum tumor mollis quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quæ ejus curatio?*

Mammarum tumor laxus quid. Οἴδημα est nomen generale tumorum in quacunque corporis parte, qui à materia frigida, vel pituita, vel flatulentis spiritibus (tumores tamen flatulenti φυσώδεις dicuntur non œdemata) excitantur. Est autem œdema laxus sive mollis tumor doloris ut plurimum expers, qui in tibiis & mammis frequenter oboritur.

Causæ. Causæ Oedematis in mammis sunt aut pituitosi humores, aut flatuosi spiritus in eis collecti.

Signa

Signa. Signa Oedematis sunt: Tumor est laxus, & doloris aut exigui, aut nullius: color tumoris ad albedinem vergit; & si causam habeat pituitosum humorem, digito impressus vestigium relinquit ac foveam: Si vero à flatibus originem ducat, eadem sunt signa, nisi quod vestigium digiti non relinquat, sed renitatur. *Prognosticum.* Prognosticum Oedematis est, quod raro terminetur in suppurationem, sed aut resolvitur, aut evaporat, aut commutatur in nodos scirrhosos.

Curatio. Phlegmagogu materia evacuanda. Curatio Oedematis sive laxi tumoris in mammis, perficitur pituitæ præparatione ac subductione, aut flatulentorum spirituum resolutione & evaporatione. Primum itaque pituita digerenda & concoquenda est decoctis, ac potissimum oxymelite, aliisque syrupis convenientibus, ac tandem concocta expurganda & subducenda erunt diaphænicone, aliisque remediorum generibus, subducendæ pituitæ dicatis, quæ supra in tabellis medicamentorum & curatione Cephalalgiæ ex pituita ortæ commemorata sunt. *Topica.* Post purgatam pituitam ad topica remedia, quæ tumorem resolvere & materiam evaporare exiccareque possunt, deveniendum erit: In quem usum plurimum commendatur aqua calida, in qua nonnihil salis nitri & aluminis est incoctum, ac cui tantillum aceti sit commixtum, ut gustu non ingrata percipiatur, quæ pannis duplicatis exceptis tumentibus mammis circumponi debet. Vel si valentius remedium, magisque resolvens ac siccans desideret.

Epithema resolvens & exficcans, valide discutiens. ℞. Aluminis, sulphuris, myrrhæ, salis an. ℥ I.

Quæ tenuissimè pulverata cum q. s. aceti & olei chamæmelini in pultis formam redigantur, & instar cataplasmatis uberum tumori applicentur.

Aliud Euporiston. Qui in præsenti aliud remedium non habent, stercus bubulum recipiant, & cum aceto in cataplasmatis formam redactum calidum, tumentibus mammis imponant: Aut

Hoc anodynon est emolliens & resolvens. ℞. Micæ panis ℥ II. macerato in aceto & coque ad pultis similitudinem, deinde admisce pul. rad. Althææ, sem. lin. an. ℥ I. Myrrhæ, Croci an. ʒ II. Vitellorum ovorum n. II.

Fiat cataplasma, quod tumentibus mammis calidum imponatur.

Ad scirrhosos mammarum tumores remedia. Porro si Oedema mammarum in nodos duros sive apostema degenerat, emplastra emollientia, quale est Diachylon vocatum nodulis applicandum erit. Aut conficiendum tale cataplasma.

Cataplasma. ℞. Micæ panis ℥ I. pul. sem. lini. florum chamæmeli, rad. Althææ, sem. fænugræci an. ℥ s. Olei Anethini & chamæmelini an. q. s.

Fiat cataplasma, quod calidum apostemati indurato vel nodo, in die ter imponatur; & ubi nodus mollior est redditus, aut chirurgica operatione ferro aperiatur, aut sequenti caustico remedio.

Causticum ad aperiendum apostema in mammis. ℞. Stercoris columbini ʒ II. fermenti acerrimi ʒ III. pul. Cantharidum ʒ s. cum succo flammulæ formetur massula, cujus ʒ I. plus minusve pro ratione loci tumentis, nodo imponatur.

Rumpit enim in paucis horis tumores cujuscunque generis.

Vbi aperiendum apostema. Id tamen observandum est, ut, si queat fieri, apertio sive ferro, sive medicamento, fiat in decliviori loco mammarum.

Ad flatulentum tumorem remedia. Si vero causa Oedomatis flatulenti spiritus in mammarum cavernis collecti existant, ea sunt adhibenda, quæ poros cutis aperiendi & meatus dilatandi spiritusque flatulentos evocandi, per vaporemque dissipandi vim possident. *Vinum.* In hunc usum commendatur vinum acidum calefactum, *Lixivium.* aut lixivium ex cinere sarmentorum sive vitium, aut ex cinere fagi confectum, duplicatis pannis exceptum, & tumentibus mammis impositum. Idem præstat & lana succida, sive æsipum vocatum medicamentum, aut sapo Gallicus, sive niger, instar cataplasmatis impositus. Nonnunquam tumor flatulentus mammarum, solo haustu sudorifico assumpto evanescit, qui ita confici potest.

Sudorificum. ℞. Theriacæ Andromachi ʒ I. s. quæ cum haustulo aquæ scordii commiscea-

Ejus loco sal absinthii vel Cardui benedicti cum aqua convenienti poterit exhiberi.

misceatur, quo assumpto sudet æger lecto bene coopertus.

Scirrhus mammarum.

6. *Mammarum durus tumor quid, quæ ejus causa, quæ signa, & qua ratione curandus?*

Σκίῤῥος, Scirrhus est tumor durus sive durum apostema, & renitens in mammillis, cujus ratio si negligentius tractetur, ut plurimum in inflammationem & cancrum terminatur.

Causa. Causæ προηγουμέναι sunt sanguis fæculentus & melancholicus, aut lac in uberibus concretum ac corruptum, menses in utero retenti ad mammas profluentes. Προκαταρκτικαὶ sunt, prava victus ratio, ex qua sanguis fæculentus generatur, repentinæ & vehementes mammarum refrigerationes per imposita remedia in earum imflammationibus.

Signa. Signa tumoris duri sive scirrhi sunt, durities & renitentia mammarum, & partis tumescentis color cutis lividus sive fuscus, & venæ similiter per mammas sparsæ lividæ turgidæque conspiciuntur.

Curatio. Curatio scirrhi perficitur venæ sectione, victus ratione, & medicamentorum convenientium applicatione.

Venæ sectio. In scirrho itaque mammarum statim in initio, præsertim ubi menses ad mammas fluunt, facienda est sub talo pedis in interna parte venæ sectio. Si vero totum corpus melancholico sanguine redundet, secanda erit vena brachii sinistri inferior, quæ splenetica nominatur.

Victus ratio. Victus ratio debet esse moderatè calida, & ad humiditatem declinans. Utatur itaque æger alimentis boni succi, id est, purum sanguinem generantibus, veluti sunt ova sorbilia, carnes caponum & pullorum gallinaceorum, perdicum, vitulorum & capreolorum juvenum. Ex oleribus conveniunt spinachia, borrago & lupulorum Asparagi. Potus sit vinum tenue & odoratum, aut cerevisia optime cocta, in qua macerata sint Cinamomum & Asplenion. Vitent vero omnia ex quibus melancholicus sanguis generatur, veluti sunt carnes, piscesque sale conditi, fumove indurati, item caro leporum, caro anserina, petasones & vetus caseus. Vitanda sunt & animi pathemata, maximè autem, ira, mœsticia & solicitudo.

His omnibus rite ordinatis ad medicamenta deveniendum erit. Primum itaque exhibeatur ægrotanti ʒ I. s. Theriacæ haustu aquæ scordii, & in lecto probè obtectus patiens sudet ad sesquihoram. Deinde melancholici humores convenientibus remediis extenuentur, concoquanturque primum: hujusmodi autem remedia sunt, decoctum polypodii, fumariæ, lupuli, epithymi, cum syrupis è fumo terræ, & epithymo commixtum, aliisque remediis supra in curatione melancholicæ insaniæ, & in tabellis medicamentorum melancholicos humores decoquentium enumeratis. Post concocti vitiosi humores ex corpore propellantur vel infusione Myrabulanorum Indorum, aut Diasena, aut Diacatholico similibusque remediis, quorum copiam in locis præcitatis descripsimus. *Remedia.* *Haustus sudorificus.* *Concoquentia melancholiam.* *Melanagoga.*

Topica. Purgatis vitiosis humoribus ad topica remedia deveniendnm erit. Quibus itaque in mammillis scirrhus est obortus, remedia topica cautè & circumspectè imponenda erunt, ne videlicet resolutis quibusdam humiditatis partibus reliquæ in lapideam duritiem redigantur, vel ne nimium emolliendo putrescant in mammis & in cancrum terminentur. Ergo præstat alternatim, nunc emollientia, nunc resolventia, & nunc digerentia, ut quæ illas ipsas facultates habent, simul conjunctas & compositas mammis applicare, talia autem sunt subsequentia cataplasmata & emplastra, ut *Quid in curatione scirrhi observandum.*

Emplastrum ad scirrhosos tumores. ℞. Bdellii, Ammoniaci, Galbani an. ʒ s. resolvantur in aceto, & percolentur instar pultis: quibus admisceantur ℥ II. ol. liliorum alborum. Mucaginis ex sem. fænugræci & lini factæ ℥ III. His omnibus commixtis admisceatur ceræ liquefactæ ℥ I. & simul coagulata cogantur in unam massam, quæ per linteum instar emplastri extendatur, & tumori mammarum applicetur. Vel

℞. Rad.

Cataplasma emolliens. ℞. Rad. Althææ, malvæ arborescentis sive hortulanæ an. ℥ IIII. contundantur simul, eisque adjiciatur pinguedinis anserinæ q. s. fiat cataplasma, quod calidum applicetur.

Tumor quando aperiendus. Porro si apostema sive tumor laxior & mollior evadat, aut ferro, aut caustico remedio Chirurgica operatione aperiatur, & pure exempto emplastro diachylo vocato consolidetur.

7. Inflammatio mammillarum quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus remediis curanda?

Mammillarum phlegmone quid. Φλεγμονὴ τῶν μασῶν, Inflammatio mammillarum est fervens ac dolorifica mammarum affectio, ut plurimum duros tumores antecedens & subsequens.

Causa. Causæ inflammationis mammarum προηγουμέναι sunt, aut sanguinis ferventioris in mammis collectio, quod magna ex parte contingit post mensium suppressionem, aut lactis in ipsis mammis concretio. Προκαταρκτικαὶ causæ sunt aut violentus ictus aut vulnus, inconveniensque sectio mammarum.

Signa. Signa sunt, tumor vehementer renitens ardensque & dolor acerbus. Causarum signa tactu, visuque, & ex relatione patientis dignosci possunt.

Curatio. Curatio pro causarum diversitate varianda erit.

Si menses suppressi. Si itaque menses sunt suppressi mammillarum inflammatione laborantibus, iis per venæ sectionem, & pharmacorum convenientium usurpationem infra in uteri morbis præscribendorum, menses subducendi erunt.

Si lac in mammis concretum. Si vero ex lactis concretione in mammis inflammatio oboriatur, ejus curationem paulo ante tradidimus. *Si ex affluxu sanguinis copiosi. Venæ sectio.* At si ex copioso sanguine ad mammas affluente phlegmone sit excitata, tum statim vena vel epatica vel mediana brachii ejusdem secanda erit.

Postea fervor sanguinis remediis supra in tabellis medicamentorum sanguinem purgantium enumeratis, aut hisce sequentibus mitigandus, refrigerandus & purificandus erit.

℞. Syr. Violarum, Nymphææ, Acetositatis citri an. ℥ II. *Iulapium sanguinem refrigerans.*
Aq. stillat. Cichoreæ, Nymphææ, Violarum, Misc. an. ℥ III.

Fiat potio ex qua bibat ægra mane ac vesperi ℥ IIII. tepefactas. Aut

℞. 4. Sem. frigidorum majorum an. ℥ s. Contundantur minutissimè, eisque admisceantur saccari candi ℥ II. Aq. Cichoreæ ℔ II. Quæ simul probè contusa & agitata colentur & exprimantur, fiat liquor lactis speciem referens, è quo ægra mane ac vesperi ℥ v. sumat. *Emulsio.* Tandem sanguinis purgandi gratia. *Purgantia.*

℞. Cassiæ recenter evulsæ ℥ I. s. conspergatur cum saccaro, fiat bolus, qui una hora aut cibum devoretur. Aut *Bolus.*

℞. Syr. rosati soluti ℥ II. Aquæ Cichoreæ ℥ IIII. *Haustus lenitivus.*

Misceantur, fiat haustus, qui in aurora tepidus ebibatur. *Topica.*

Quantum ad topica remedia attinet, quia φλεγμονὴ molestissimos & urentes dolores in mammis excitat, statim ad doloris mitigationem omnis cura & solicitudo convertenda erit. Cavendum tamen ne inflammatis mammis vehementer astringentia & frigida medicamenta apponantur: talia enim mammas in lapideam duriciem cogunt. Debent itaque esse remedia, quæ partim refrigerando, partim resolvendo ac digerendo dolores mitigent, qualia hæc subsequentia sunt. *Cautela diligenter observanda in omni phlegmone.*

℞. Ol. rosacei ℥ II. Albuminum ovorum n. II. Aq. rosaceæ ℥ I. *Epithema refrigerans & dolorem sedans.*

Aceti rosacei ℥ s. conquassentur ac misceantur, & tepida duplicatis linteolis excepta mammis inflammatis circumponantur.

His si dolor fervorque mammarum non mitigetur, ad Narcotica deveniendum erit: Ut

℞. In æstate quidem folia hyoschyami, hyeme vero radicis ejus q. s. Quas sub *Narcoticon.*

cineribus calidis coquito & cum q. s. recentis axungiæ porcinæ contunde, & in cataplaſmatis formam redigito, quod per linteum extenſum, mammis imponito. Sublato dolore iterum digerentia & diſcuſſoria medicamenta ſunt applicanda, veluti ſunt.

Epithema digerens & refrigerans.

♃. Aceti roſacei, aq. ſtillat. ſolani an. ℔ s. commiſceantur, ac tepida linteolis excepta mammis applicentur. Aut

Aliud reſolvens & diſcutiens.

♃. Mucaginis, ſem. lini, fænugræci, & flor. chamæmeli an. ℥ s. Macerentur in q. s. aquæ ſolani. Deinde decoquantur leniter, atque exprimantur per linteolum, hujus liquoris lenti ℞. ℔ I. eique admiſce ol. roſacei ℥ III. Aceti roſacei ℥ I. fiat epithema, quod linteolis duplicatis exceptum tepidum mammis imponatur. Aut

Cataplaſma reſolvens & dolorem ſedans.

♃. Pul. ſem. lini, fænugræci, rad. Althææ an. ℥ I.
Flor. chamæmeli, meliloti, Anethi an. ℥ s.

Coquantur ſimul cum q. s. aq. in pultis conſiſtentiam, quibus admiſce ol. roſacei, chamæmelini, anethini an. ℥ I. Aceti roſacei ℥ s. fiat cataplaſma, quod tepidum mammis imponatur. Aut

Aliud emolliens & digerens.

♃. Medullæ panis ſiliginei ℔ s. concoquito in lacte dulci ad cataplaſmatis formam, cui admiſce Croci ʒ I. Myrrhæ ʒ II. luteorum ovorum n. II. fiat cataplaſma, quod tepidum inflammatis mammis imponito.

Apoſtema quando aperiendum.

Porro ſi tumor mammarum in abſceſſum terminetur, aut ſi inflammatio ex ulcere ſit orta, tum chirurgica operatione utendum erit, & ipſum apoſtema aut ferro, aut medicamentis cauſticis aperiendum, à pure expurgandum, & vulnus conſolidandum erit.

8. *Cancer mammarum quid, quæ ejus cauſæ, quæ ſigna, & quibus remediis mitigandus?*

Cancer quid.

Καρκῖνος ἢ καρκίνωμα τῶν μαστῶν, Cancer mammillarum, eſt tumor rotundus, in ambitu turgidus, colore liveſcens aut nigricans, qui ubi exulceratur, aſpectu teter, cum dolore punctivo, & acri fervore pluri-mis partibus, adenoſis potiſſimum, ut in collo, ſede, palato, oboriri ſolet. Omnium tamen frequentiſſimè mammas fœminarum propter laxitatem infeſtat. Senſim autem hic tumor incrementum capit: ac primum piſi magnitudinem, deinde fabæ, tandem juglandis & poſtremo ovi magnitudinem adæquat. Nomen habet à cancris. Cancri rotundi, quos taſchenkrebß vocant, ſunt, à quibus propter ſimilitudinem nomen hic affectus trahit fluviatilibus: quemadmodum enim hi in utraque parte plures pedes à corpore extendunt: ita tumor hic circum circa ex ſe venas, livido ſanguine turgidas protendit.

In quibus partibus potiſſimum oriatur.

Unde nominetur.

Cauſa.

Cauſæ προηγουμέναι Carciomatum ſunt melancholici, hique aduſti humores, cum ſanguine ad mammas defluentes; aut ſanguis menſtruus in melancholicis fœminarum corporibus corruptus in atram bilem converſus & ad mammas defluens: προκαταρκτικαὶ ſunt, prava victus ratio melancholicum ſanguinem generans, aut venenati alicujus animalculi aut herbæ mammis applicatio.

Signa.

Signa cancri magna ex parte in deſcriptione ejus enumerata ſunt. Nondum exulceratus cancer aſpicientibus quidem mollis, tangentibus autem duriſſimus ſentitur, colore lividus, ad nigredinem vergens cum pungente & urente dolore, quaſi acu aut cultro ignito mammæ pungerentur. Non diu autem tumor hic intra cutum deliteſcit, ſed cutem exulcerans erumpit, mammasque in profundum ſuffodit, & ſaniem venenoſam & odore abominandam profundit.

Curatio.

Curatio cancri eſt difficillima, & fere impoſſibilis. Succus enim virulentus & melancholicus, ex quo generatur, tenax & craſſus eſt, ita ut nec repelli, nec diſcuti, inſtar aliorum tumorum poſſit. Mitiora medicamenta planè contemnit, valentioribus autem magis irritatur & exacerbatur: unde rectiſſimè dicit Hippocrat. 6. Aph. 38. Cancros occultos, id eſt, in occultis partibus exiſtentes, & non exulceratos melius eſt

Noli me tangere hic affectus à quibuſdam ea de cauſa dicitur.

non

non curare; curati enim citius interimunt. Et Galenus inquit, omnes qui cancros vel sectione vel ustione curare tentarunt, magis irritarunt, & homines ad interitum deduxerunt. Nisi enim tota radix, id est, omnes venulæ circa cancrum sanguine infecto turgentes radicitus exscindantur, frustra sectio tentatur. Paulo post enim ex una guttula sanguinis venenati in mammis relicti, cancer rursum suppullulat. In curatione cancri mitigatio potius & in eodem statu conservatio, quam vera sanatio exspectanda est, dolorem enim mitigando, & ne ulterius serpat cancer præservando in multos annos misera & molesta vita patientis produci potest.

Qualis curatio in cancro instituenda.

Ne autem latius serpat malum, præcaveri potest Venæ sectione, victus ratione, & melancholici humoris crebra evacuatione, topicorumque remediorum applicatione. Si itaque corporis constitutio melancholica existat, & ætas viresque patientis non prohibeant, vena splenetica seu interna cubiti sinistri secetur, idque bis terve in anno.

Præservatio ne latius serpat quibus perficiatur.

Vena sectio.

Ubi autem menses sunt suppressi, & mulier nondum attigit annum 50. Vena interna pedis sub talo frequenter est aperienda, & menses remediis infra de mensium retentorum curatione commemorandis provocandi erunt.

In victus ratione alimenta offerantur purum sanguinem generantia, veluti sunt cremor hordei, ova sorbilia, pisces squamati, pulli gallinacei, aviculæ, caro vitulina & similia. E contra vitentur omnia ex quibus melancholicus sanguis generari possit, veluti sunt carnes piscesque sale conditi, fumove durati, item caro leporina, anserina, cervina, caseus, fabæ & similia.

Victus ratio.

Post venæ sectionem præparetur atque evacuetur atra bilis in curatione insaniæ melancholicæ commemoratis remediis: aut concoquatur humor melancholicus sequenti decocto.

Decoctum præparans melancholiam.

℞. Polipodii ℥ I. Veratri nigri ℥ s. Sem. anisi ℥ s. Cort. Capparum ʒ II. Asplenii, Veronicæ, Bethonicæ, Epithymi an. M. s. Contusa & concisa imponantur Cantharo stanneo, & simul admisceantur conser. fumariæ & borraginis an. ℥ I. Syr. de fumo terræ ℥ III. his omnibus adfundantur ℔ IIII. seri lactis, & deinde oblinatur junctura canthari pasta farinacea, ne quid liquoris evaporet, & imponatur in ahenum aqua repletum, & simul concoquantur ad II. horas, deinde refrigerata colentur. Hujus potionis bibat æger per octiduum mane ac vesperi ℥ V. qua exhausta, uno & altero tandem die interposito, melancholicus humor sequenti infusione evacuetur ac subducatur.

Tartaro vitriolato Chymici idem præstant cum vino exhibito.

℞. Myrabulanorum Citrinorum, Chebulorum, Indorum an. ʒ I. s. Crassiuscule contusa macerentur per 24. horas in ℥ VIII. aquæ fumariæ, altero die admisceantur thymi, epithymi, foliculorum senæ an. ʒ I. Rad. Glycyrrhizæ ʒ I. s. sem. citri ʒ I. Caryophyllorum ℈ s. Rad. polypodii ʒ s. Simul commixta ebulliant, donec liquoris ℥ III. evaporent & absumantur, deinde fortiter expressa colentur, & colatus liquor tepidus in aurora VI. horis ante cibi assumptionem ægroto propinetur. Tenuioris fortunæ homines loco hujus liquoris commodè uti possunt ʒ I. pill. de lapide lasuli, aut de fumo terræ: aut ℈ s. extractionis hellebori nigri.

Haustus menalagogus.

Pillula.

Extr. hellebori nigri hic utiliss.

Egregiè quoque atram bilem expellit hiera Ruffi à Galeno descripta. Præstabit autem singulis mensibus lentum & contumacem humorem melancholicum præscriptis remediis præparare & evacuare. Una enim vice subtrahi minime possunt.

Corporis purgatione peracta ad mitigatoria blandaque remedia topica, quæ cancri sævitiam leniunt, descendendum erit, quorum ope vita ægrotantium sine magna morbi exacerbatione in plurimos annos produci potest, & cavendum, ne temere sectio-

Anodyna in Cancro leniendo adhibenda. nem aut ustionem adhibeamus. Sunt autem laudatissima & experientia comprobata ad cancri sævitiam mitigandam, subsequentia remedia.

Linimentum. ℞. Succi plantaginis, Solani, Semper vivi Hauszlock an. ℥ II. pul. plumbi usti, & cum aqua rosacea sæpius abluti ℥ I. s.

Crollius empl. suum ficticum & lapidem medicamentosum in hunc usum commendat. Thuris minutissimè contriti ℥ s. Quæ omnia in mortariolo plumbeo, cum pistillo similiter plumbeo diutissime subigantur, donec nigredinem & crassitiem linimenti consequantur. Hoc linimentum duplicatis linteolis exceptum, cancro imponatur, & lana molli, eodem linimento imbuta, contegatur. Aut

Aliud linimentum. ℞. Ol. rosacei ℔ s. quod in mortario plumbeo, ad solem subigatur atque agitetur donec nigrescat & incrassescat, cui tandem admisceantur pul. tenuissimi lithargyrii, cerussæ in aq. solatri elotæ, & rursum exiccatæ an. ℥ IIII. fiat linimentum, quo utendum est, ut præscripto.

Chymici sacchare Saturni hujus loco feliciter utuntur.

Habet & Crollius aliud remedium ad cancrum mortificandum, quod spernicle compositum vocat. Aut inungito cancrosum ulcus oleo Saturni, hoc est, plumbi chymica arte ex plumbo producto. Est enim vis plumbi mirifica in mitigandis & coërcendis cancri exacerbationibus. Tenuioris fortunæ homines solo succo solani, aut ejus stillat. aqua, & plumbo usto, ac eloto commodissime uti possunt.

9. *Scissura Papillarum in Mammis quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curanda?*

Papillarum scissuræ. Ῥαγάδες τῶν θηλῶν, scissuræ papillarum: θηλαὶ, papillæ sunt tubercula in medio mammarum, per quæ infantes lac exugunt, tenerrimæ & mollissimæ substantiæ nerveæ, labiis infantium persimiles; unde ex suctione matres ut plurimum titillationem ac voluptatem percipiunt; hæ, ut labia, in puerperis præsertim scinduntur, exasperantur, & acerbos inferunt matribus dolores.

Causa. Causa προηγουμένη est fervor & acrimonia lactis: προκαταρκτικὴ est fortis infantis exsuctio, & cutis subtilitas.

Signa. Signa sunt manifesta: Sentiunt enim inter sugendum matres exacerbos dolores, & infantibus sugentibus osculum sanguinolentum redditur.

Curatio. Curatio perficitur infantem ablactando, & acrimoniam lactis convenienti victus ratione alterando, & topica remedia exulceratis papillis imponendo.

Topica experientia probata. Sunt autem hæc topica sequentia à nobis in persanandis papillis scissis experientia comprobata.

℞. Viscidum liquorem quem vernisium Vernitz vocant, qui ex oleo lini & succino liquido confici solet, & linteolo inungatur, papillisque scissis applicetur, ac superimponatur aliquod emplastrum tenax, ne à papillis delabatur, & per triduum consolidat scissas papillas.

Folia quoque farfaræ & menophylli in aq. macerata & imposita valde juvant. Porro si calor adest & pruritus, scissis papillis illinito ol. rosarum pauxillum, in quo decoctum est momentum masticis aut acaciæ. Aut imponatur mucilago ex tragacantho & aq. rosacea confecta.

Aut mucago ex seminibus cytoniorum & succo plantaginis aut Poligonii.

10. *Mammarum indecens extuberantia quid, quæ ejus causa, & quomodo curanda?*

Mammarum protuberantia. In ἀκμῇ solent puellulis, sicuti & mulierculis lactationis tempore, mammæ ultra modum excrescere, quod etsi non sit morbus, tamen deformitatem adfert in nubili præsertim ætate, sicut mammarum mediocris protuberantia ornamento esse solet.

Causa. Causa προηγουμένη succrescentiæ mammarum est benigni sanguinis ad mammas defluentis copia: προκαταρκτικὴ est frequens contrectatio mammarum ab amicis. Interdum etiam naturale est, ut in Frisia Occidentali seu Waterlandia, ubi & parvulis puellis majorem in modū protuberant mammillæ, quæ naturalis dispositio mutari vix potest.

Signa. Signa manifesta & palpabilia sunt.

Curatio. Curatio, si mammæ incrementum à copia alimenti accidat, sanguis primum per venæ saphenæ incisionem detrahendus erit, & tenuis victus ratio præscribenda. Si ex frequenti contrectatione intumescant mammæ,

mæ, curabitur abstinentia à contrectatione. *Topica.* Topica remedia, quæ mammas excrescere prohibent, hæc sequentia præcipua sunt.

Cataplasma. ℞. Argillæ puræ & tenacis q. s. & commisce cum aceto acri, & instar cataplasmatis calidam mammis mane ac vesperi applicato. Aut

Epithema. ℞. Gallarum, Balaustiorum an. ℥ s. Boli Armenii ℥ II. Camphoræ ℈ I. contusa decoquantur in aq. & aceti ℔ II. liquor decoctus pannis exceptus ac tepidus mammis applicetur. Aut

Aliud Epithema. ℞. Aq. Rosaceæ ℔ I. aceti rosacei ℥ II. lithargyrii tenuissimè pulverati ℥ I. s. Camphoræ ℈ I. ebulliant leniter, & duplicatis linteolis excepta tepida mammis applicentur.

SECTIO IV. DE DIAPHRAGMATIS AFFECTIBUS.

1. *Suntne plures partes in Thorace, quæ peculiaribus morbis affici queant?*

De æsophagi affectibus. Unica gula per thoracem à faucibus incipiens, per diaphragma transiens, in ventriculum implantatur. Sed quia gula pars est ventriculi, ejusdemque substantiæ, ejus affectiones in morbis partium infimi ventris declarabimus.

Quo loco agatur. *Inferius autem thoracem claudit, & ab infimo ventre separat diaphragma; est præcipuum respirationis organum, quare de ejus affectionibus hoc loco quoque agendum.*

2. *Septum transversum quid, quibus morbis afficitur, quæ eorum causa & signa, & qua ratione curandi?*

Diaphragma quid, quibus partibus connectatur. Διάφραγμα, septum transversum est nervosa, crassa, & musculosa membrana, quæ intersepit, & instar tabulati thoracem ab infimo ventre transversim dividit, quæ in anteriore corporis parte adnata est ξιφοειδεῖ Cartilagini, sive malo granato, in postica vero corporis parte alligata est duodecimæ vertebræ dorsi, per latera vero adnata est costis mendosis. Est autem hæc membrana *Ejus usus.* principalissimum respirationis organum, & expulsionis excrementorum alvi.

Affectiones diaphragmatis præcipuæ. Afficitur autem hæc pars aut tumore frigido, aut tumore calido, seu in inflammatione, aut exulceratione, aut perforatione.

Causa. Causæ tumorum inflammationis, aut exulcerationis diaphragmatis προηγουμέναι sunt vitiosi humores in illud confluentes: προκαταρκτικαὶ tumorum sunt, ictus violenti, vociferatio aut respiratio vehementior; perforationis vero est vulnus inflictum.

Signa. Signa tumentis inflammati & exulcerati diaphragmatis sunt difficultas respirationis, præsertim ubi quis corpus commovet, aut fæces extrudere conatur. In inflammatione & exulceratione diaphragmatis adest febris, & plerumque delirium, adest tussis & purulenta per tussim excretio. Perforati diaphragmatis signum est ipsa mors. Perforato enim diaphragmate statim cessat respiratio, & subito moriuntur.

Curatio. Curatio perficienda est convenienti victus ratione, & medicamentorum applicatione, ut, si tumori adsit inflammatio, utatur æger refrigerantibus alimentis, qualia *Diæta in phlegmone.* sunt hordei cremor, pruna, ova sorbilia, pisces saxatiles, juscula pullorum, & similia. Si vero tumori frigiditas adsit, vescatur *Diæta in frigido tumore.* patiens calefacientibus alimentis, & cinamomi zinzibere, maceque conditis cibariis, & jusculis ex vino & hydromelle paratis, vinoque pro potu utatur.

Remedia inflammationis. Quantum ad remedia attinet, in tumore inflammato incidantur & præparentur hu- *Iulapium.* mores calidi syrupo acetositatis citri, rosarum, violarum, nymphææ, &c. cum aquis cichoreæ & acetosæ. Non incommode quo- *Venæ sectio.* que in calidis tumoribus, & ulcere diaphragmatis vena jecoraria secari potest. Purgans *Purgans.* quoque remedium, velut est infusio Rhabarbari cum elect. lenitivo, exhiberi potest, cujus formulas in plerisque calidis

Remedia frigidi tumoris. *Digestivum.* *Evacuantia.* morbis supra præscripsimus. In frigidis tumoribus utatur æger pro humorum præparatione syr. de radicibus, è stæchade & è mentha cum aq. cardui benedicti, absinthii, scordii & similibus. Et si corpus pituitosis excrementis est refertum, vel clysteribus, vel diaphænico, aliisque remediis pituitam educentibus, & supra in pituitosis morbis commemoratis, expurgandum erit; & ita *Topica.* purgato corpore, statim ad topica remedia descendendum erit, inter quæ sequentes sacculi, cataplasmata & inunctiones, utilissima sunt.

In frigido tumore diaphragmatis utendum nobis erit inunctionibus calefacientibus, veluti est sequens linimentum.

Linimentum in tumore frigido. ℞. Ol. chamæmelini, anethini, rutæ an. ℥ II. Ceræ pauxillum, fiat linimentum, cui admisceatur aqua juniperi ʒ s. quo præcordia, latera, & dorsum circa 12. vertebram bis in die inungatur: tandem imponatur cincturæ sequens sacculus.

Sacculus. ℞. Florum chamæmeli, meliloti, anethi, scordii, betonicæ, majoranæ an. M. I.

Rad. Althææ, brancæ ursinæ, malvæ an. ℥ I.

Sem. lini, fænugræci an. ℥ s. Concidantur, & semina ac radices contundantur crassiuscule, & simul mixta in sacculum oblongum consuantur, qui in q. s. aquæ & aceti æ. p. ebulliant & expressus calidusque cincturæ alligetur. Vel ex iisdem herbis radicibus ac seminibus tenuissimè pulveratis *Cataplasma.* cum aceti & aquæ p. æ. concoquantur in formam pultis, cui admisceantur ol. chamæmelini ℥ II. fiat cataplasma, quod per linteum duplicatum extendatur, & calidum juncturæ alligetur.

Porro in calido tumore, ut supra dictum est, inungatur diaphragmatis regio olei rosacei & olei nymphææ an. ℥ s. simul mixtis ac calefactis, deinde applicetur sequens sacculus. *In calido tumore linimentum.*

Sacculus. ℞. Rad. Althææ, malvæ an. ℥. II. sem. lini, fænugræci ℥ I.

Flor. Chamæmeli, rosarum, violarum an. M. II. Ex iis contusis fiat sacculus, qui decoquatur in q. s. aquæ & aceti expressus cincturæ alligetur: aut ex iisdem herbis, rad. & sem. pulveratis fiat cataplasma cum *Cataplasma.* q. s. aceti & aquæ simul commixtis, cui admisceatur & ol. rosacei ℥ I. & tepidum applicetur, &c.




PRA-

PRACTICÆ FRANCISCI JOELIS LIBER QUARTUS.

I. *Venter inferior quid, & quæ partes in eo continentur?*

Præfatio in omnes subsequentes libros.



TOTUM corpus humanum in tres magnas capacitates, quas Anatomici ventres, latè patentis significationis, vocant, divisum est, In calvam sive caput, thoracem & infimum ventrem, qui propriè Græcis γαστὴρ, nobis venter dicitur, cujus exterior cutis cum subjecto adipe & musculis ἐπιγάστριον, Latinis abdomen nominatur. Est autem inferior venter tota illa capacitas, quæ sub diaphragmate secundum longitudinem usque ad pubem protenditur; secundum latitudinem vero, quicquid inter umbilicum & lumborum vertebras osque sacrum comprehenditur. Estque hæc capacitas in œconomia corporis humani tanquam culina in aula regia. Continentur autem in infimo ventre subsequentes nutritioni & generationi servientes partes, gula cujus inferior pars ventriculo inplantatur sub diaphragmate, quæ pars orificium ventriculi seu stomachus proprie nominatur, ventriculus, intestina, mesenterium, venæ mesaraicæ, epar, vesicula, bilis, lien, renes, vesica urinatioria, vasa spermatica, testes, virga, anus, venæ hæmorrhoides. In mulieribus vero peculiares sunt uterus & vulva. Externæ partes infimi ventris sunt abdomen & umbilicus.

Tres cavitates seu ventres majores corporis humani.

Abdominis usus.

Partes infimi ventris.

Partes fæminis propria.

SECTIO I.
DE OESOPHAGI AFFECTIBUS.

I. *Gula quid, qui ejus morbi, ex quibus causis oriuntur, per quæ signa dignoscuntur, & quibus rationibus curantur?*

Oesophagus quid.

Ὀισοφάγος, gula, est canalis seu fistula ab ore per thoracem in ventriculum protensa & implantata, per quam cibus potusque in ventriculum transit, plurimis rectis fibris & transversis conspersa. Etsi gula rarissime morbis afficiatur, vidimus tamen eam in quibusdam fuisse affectam devorandi impotentia.

Affectus Oesophagi.

Causa προηγουμένη devorandi impotentiæ seu difficultatis, aut refrigeratio rectarum fibrarum in gula, aut inflammatio gulæ: aut tuberculum aliqua in parte gulæ obortum: προκαταρκτικαὶ sunt, frigidissimorum liquorum continua ingestio, lentus & crassus humor hærens in ipsa gula, & aër vehementer calidus aut frigidus per gulam illabens.

Causa.

Sæpe etiam Spinæ vel ossicula acuta ex cibo negligentius deglutito inhærent gulæ, inflammationemque ibi excitant.

Signa refrigeratorum villorum est universæ potestatis devorandi amissio: calefactorum vel inflammatorum signa sunt sitis, febris & deglutitio difficilis cum dolore. Signa tumorum in gula est anxietas & dolor in deglutiendo. Notandum autem quod omnis dolor gulæ sive Oesophagi ad spinam dorsi persentitur. Ei enim gula membranosis fibris connexa & adnata est. Quare topica remedia in gulæ affectionibus non anticæ corporis parti, sed dorsi spinæ sunt applicanda.

Signa.

Quo in loco dolor sentiatur in gulæ affectibus.

Curatio pro diversitate causarum varianda erit. Si itaque ex refrigeratione fibrarum in gula prorsus extincta est devorandi deglutiendique facultas, & tanquam paralytica, omni motu sit gula privata, frustra internis remediis curatio tentabitur, cum æger nec potum nec cibum devorare queat, ut fame sitique enecari cogatur, tum pro victus ratione adhibenda sunt enemata seu clysteres per anum in intestina infundendi. In quem usum conveniunt juscula carnium recentium, lac amygdalinum, cremor ptisanæ,

Curatio.

In causa frigida.

næ, & ova recentia cum quibusdam jusculis commixta, quæ quotidie bis loco prandii ac cænæ infundenda sunt. Epar enim esuriens ex intestinis per venas mesaraicas hæc alimenta ad se allicit, & in sanguinem convertit, eaque ratione hominis vita diu sustentari potest. Interim foris est tentanda curatio, & fauces quidem subinde irrigandæ sunt liquoribus calefacientibus, eorumque tentanda est subinde deglutitio. Hujus generis sunt aqua cinamomi, aq. juniperi, & vinum Creticum.

Clysteres alimentarii.

Liquores calefacientes gulam.

Foris autem spina dorsi inter scapulas usque ad vertebras lumborum quotidie bis inungi debet sequentibus oleis.

Linimentum pro inunctione spinæ dorsi.

℞. Ol. è mastiche, è piperibus an. ℥ s. ol. de euphorbio ʒ I. quibus admisceatur pauxillum aquæ juniperi, & his tepidis prædictus locus inungatur. Ubi vero gula ob nimiam humectationem, & tenacium humorum adhæsionem difficultate devorandi laborat, interque devorandum adsit nausea, primum subsequenti clystere alvus evacuetur.

Si tenaces humores gutturi adhæreant ut in morbis calidis sæpe fit, quomodo curandi ægri.

℞. Absinthii, centaurii minoris, betonicæ, majoranæ an. M. I. Malvæ, Althææ, an. M. s. Flor. Anethini chamæmeli an. p. I.

Concoquantur concisa, eisque circa finem cocturæ adjiciatur pulpæ colocynthidos ℈ I. quæ post unam ebullitionem rursum eximatur, jusculumque quoque percoletur, juris colati ℞. ℥ XV. quibus admisce ol. de absynthio ℥ III. Hieræ simp. ℥ I. s. salis communis ʒ I. commisceantur, ac tepida recto intestino infundantur, retineanturque per semihoram.

Alio die, si ulla ratione fieri queat, deglutiat æger ʒ I. pill. hieræ simp. instar alephanginarum formatarum, quæ in ol. vitrioli sunt madefactæ.

Pillulæ.

Porro lambendo assumat æger, idque frequenter, sequentis electuarii, q. avellanæ, sensimque in ore resolutam devorare conetur.

Electuarium molle.

℞. Oxymellis simp. ℥ I ol. vitrioli ʒ I. zinziber. pulverat. ℥ s.

Commisceantur, fiat electuarium.

Aq cinamomi aut juniperi.

Aqua quoque cinamomi, aut aq. juniperi sensim deglutita exiccat & absumit superfluam humiditatem in gula. Foris vero spina ipsa inter scapulas quotidie bis inungatur sequenti linimento.

Linimentum pro spina dorsi.

℞. Ol. Absynthii, Nardini an. ℥ s. ceræ pauxillum, resolvantur simul ad ignem, fiat linimentum, quod eluatur cum aq. juniperi.

Inflammationis & siccitatis gulæ remedia.

Porro, si deglutiendi difficultas ex inflammatione siccitateque gulæ sit oborta, cui febrem adesse & sitim supra diximus, adjuncta febris minime est negligenda, sed omnis cura ad eam tollendam est convertenda. Utatur itaque æger in victus ratione cremore aut aqua hordei pro potu, deinde detrahatur sanguis ex epatica vena dextri humeri, intra corpus autem assumat sequentem potionem.

Venæ sectio.

Iulapium refrigerans.

℞. Aq. Cichoreæ, Acetosæ an. ℔ s. Syr. rosacei, acetositatis citri an. ℥ II.

Commisceantur, fiat potio, de qua mane ac vesperi ℥ IIII. ebibat æger, ac tandem impuritas biliosa per sequentem haustum subducatur.

Haustus cholagogus.

℞. Rhabarbari ʒ II. fol. senæ ʒ s. Macerentur contusa per noctem in ℥ V. aq. cichoreæ, deinde ebulliant leniter & colentur, colatoque jusculo admisceantur elect. lenitivi ʒ II. fiat haustus, qui tepidus 6. horis ante prandium ebibatur.

Foris autem inungatur tota spina dorsi & dextrum hypochondrion sequenti linimento.

Linimentum.

℞. Ol. rosarum, nymphææ an. ℥ s. Ceræ albæ pauxillum, Mucaginis ex sem. cytoniorum cum aceto rosac. confect. ʒ I. misceantur fiat liniment.

Prodest etiam frequenter lambendo deglutire succum è Ribes, aut deglutiatur sequentis electuarii avellanæ quantitas.

Electuarium.

℞. Confer. rosarum, violarum an. ℥ s. Cort. citri, pyrorum moscatellinorum minutiss. concisorum an. ℥ I.

Commisceantur cum q. s. Syr. acetositatis citri, fiat electuarium.

Tuberculi in gula curatio.

Porro si tuberculum vel tumor in gula succrescat, & devorationem impediat, id quod

quod ex dolore certæ partis circa ſpinam maxime inter deglutiendum dignoſcitur, tum præter venæ ſectionem, & febriculæ curationem, quæ in ſequentibus docebitur, locus dolens emollientibus & tuberculum maturantibus linimentis inungendus eſt, & emplaſtrum ſubſequens imponendum: inungantur autem tali linimento.

Linimentum. ℞. Ol. è maſtiche, nardini an. ℥ s.
Ceræ parum, fiat linimentum.

Emplaſtrum. Inuncto loco dolenti imponatur emplaſtrum diachylon ſimplex per alutam aut linteolum denſum expanſum.

Tumoris calidi remedia. Si autem caliditas cum tuberculo & ſitis excruciet, ſequentibus oleis, ut roſarum & cyton. ſpina inungatur, & emplaſtrum refrigerans Galeni imponatur. Intra vero ſitis & calor mitigetur ſyr. violar. & rob. è ribes deglutiendo aſſumptis.

Tumoris ſeu tuberculi rupti remedia. Ubi vero tuberculum ſive apoſtema ruptum fuerit, & æger per vomitum ſanguinem purulentum projicit, anxietatemque percipit, tunc utendum eſt medicamentis ulcus abſtergentibus & conſolidantibus, veluti ſunt ſubſequentia, ut mel roſatum & hydromeli deglutiendo aſſumptum, mundificant ulcera; dolorem vero leniunt albumina ovorum mollia ac tepida devorata. Conſolidat autem ſyr. myrtillorum aut ſuccus ſymphyti defecatus, & cum q. s. ſaccari ad formam ſyr. redactus.

Si oſſiculum, vel ſpina, vel acus infixa ſint gulæ, qua ratione eximenda eleganter docet Guil. Fabric. Hildenus centur. 1. obſervat. Chirurgicar. Obſ. 36.

SECTIO II.

DE VENTRICULI MORBIS ET AFFECTIBUS.

1. *Ventriculus quid, & quæ ejus præcipuæ partes?*

Ventriculus qualis pars. Κοιλία & ςόμαχος, generali vocabulo ventriculus à Græcis dicitur. Proprie enim ſtomachus orificium ventriculi ſignificat. Eſt autem ventriculus cibi potuſque receptaculum & primæ concoctionis inſtrumentum, ex duplici membranoſa, & robuſta tunica contextum, in medio corporis ſub diaphragmate collocatum, cujus figura rotunda & paululum oblonga eſt. *Partes ventriculi.* Partes ejus notabiles tres ſunt, ipſum videlicet corpus ventriculi, & duo ejus orificia ſive foramina, quorum ſuperius ubi gula inſeritur propriè ςόμαχος, id eſt orificium ventriculi, inferius autem ubi inteſtina initium ſumunt, πυλωρὸς, id eſt janitor nominatur.

2. *Stomachus & ventriculus quibus morbis afficitur, & quibus ſymptomatibus infeſtatur?*

Ventriculi naturale robur. Nulla pars propter robur ſuæ ſubſtantiæ ſalubrior eſſe poſſet in homine quam ventriculus, ſi temperanter viverent homines. *Unde tot morbis infeſtetur.* Nunc vero nulla pars tam crebris & variis afficitur morbis propter ingluviem & heluationem, quam ventriculus. *Sympathia ventriculi cum partibus principalibus.* Et cum ventriculus connexionem cum principalioribus partibus habeat, per nervos, arterias & venas, per conſenſum ex ventriculo omnes partes principales facillime afficiuntur: ςόμαχος orificium ventriculi veteribus, & Καρδία id eſt cor dictum noſtratibus quoque uſque in hunc diem **Das Hertzgrüblin** vocatur.

Stomachi affectiones. Orificii ventriculi propriæ affectiones ſunt:
Dolor orificii ventriculi, **das hertzſpan** /
Ebullitio ſive fervor ſtomachi, **die Sode.**

Sequentes affectiones communes habet ſtomachus cum corpore ventriculi, uti ſunt:

Ventriculi morbi & ſymptomata.
Imbecillitas ventriculi ab intemperie aliqua, vel calida vel frigida,
Imbecillitas ventriculi ex colluvie humorum,
Inflammatio ventriculi,
Inflatio ſive intumeſcentia venrriculi,
Cruditas ventriculi,
Apoſtema ventriculi,
Appetentiæ proſtratio, ſive cibi faſtidium,
Appetentia canina,
Fames inſatiabilis,
Pica ventriculi,
Nauſea & vomitus,

Sanguinolenta vomitio,
Cholera,
Singultus,
Sitis vehemens.

3. *Dolor oris ventriculi quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus remediis curandus?*

Cardialgia quid.

Καρδιαλγία, dolor orificii ventriculi, nostris **das Hertzspan** / est tristis sensus, sive mordicans dolor sub cartilagine ossis pectoris, quæ pars quandoque intumescit, nonnunquam & sine tumore dolet.

Causa.

Causæ καρδιαλγίας προηγούμεναι sunt humores acres & venenati os ventriculi obsidentes, vel flatus vaporosi & acres, ex capacitate ventriculi in ipsius os delati, ipsumque extendentes. Quibus causis ut plurimum vel caliditas vel frigiditas est adjuncta: προκαταρκτική sive externa sunt alimenta vitiosa, venenata, & facile corruptibilia, veluti sunt lac, fructus horarii & immaturi, anguillæ.

Signa.

Signa καρδιαλγίας sunt dolor acris, pungens, vellicans, mordicansque orificium ventriculi, item siccitas, amaritudo, & salsedo oris, prout natura vitiosi humoris fert, eructatio & rugitus ventriculi, præsertim ubi flatulenti humores dolorem excitarunt. Vitiosis humoribus semper adest aliqua intemperies ventriculi, quod tactu dignoscitur.

Prognostica.

Præsagiens signum est juxta dictum Hippocratis; si tumor aut vesicula in dextro crure oboriatur laboranti καρδιαλγία, moritur æger.

Curatio.

Curatio doloris orificii ventriculi pro causarum diversitate dirigenda est: primum itaque considerandum, quæ qualitas excellat in dolore, & quæ species vitiosi humoris obsideat orificium ventriculi, & intemperiem quidem per sua contraria, cum intra tum foris adhibita, facilè mitigabimus.

Sal vitrioli vel aliud vomitorium non admodum vehemens utiliter hic adhibetur.

Vitiosi autem humores orificio ventriculi insidentes convenientibus remediis vel vomitu, vel egestione educendi sunt. Quæ autem remedia singulis speciebus intemperiei conveniant, & quibus vitiosorum humorum colluvies expurgari possit, copiose postea tradituri sumus. In genere dolorem ventriculi mitigabimus ol. è mastiche, Nard. & Absinthii, si eis vel singulatim vel simul commixtis dolens locus inungatur. Ubi vero dolenti adjuncta est calida intemperies, tum præstat ventriculum inungere ol. rosac. aut cytonior. * Intra corpus assumendæ erunt aq. stillat. è mentha, ex absynthio & aparine, & in aquis præscriptis exhibeatur pul. mirifice conferens dolori ventriculi, qui ita concinnatur.

Olea anodyna.

Sacculum ex rad. Althææ, flor. chamomillæ, rosis rubeis & absinthio confectum commendat Forestus.

* *Aquæ convenientes exhibendæ. Aqua Quercetani in pharmacopæa rest. descripta plus præstat.* *anodyna*

℞. Coral. rub. præparatorum, Corn. cervi usti ac præparati an. ʒ s. Cinam. ℈ I. commisceantur, fiat pulvisculus, cujus ʒ s. aut ℈ I. exhibeatur. Aut

Pulvis contra cardialgiam.

℞. Ol. vitrioli guttas IX. aq. menthæ, aut vini Rhenani ℥ II. quæ simul commixta, quotidie per aliquot dies ventriculo jejuno ebibantur.

Electuario suo Laudani in hoc casu utitur Crollius. Laudani opiati gr. IIII. cum decocto fl. chamomillæ statim dolorem sedant.

4. *Ebullitio sive fervor stomachi quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curanda?*

Ebullitio stomachi quid.

Ἔγκαυσις τοῦ στομάχου est acris mordicatio ac fervor, qui in orificio ventriculi, & tota gula inter concoctionem cibi sentitur, & post concoctionem rursum remittit: nostris **die Sode.**

Causa.

Causæ προηγούμεναι sunt aut intemperies calida vel frigida orificii ventriculi, aut biliosus humor, aut serosa pituita orificio ventriculi infarcta, illitave. Causæ προκαταρκτικαὶ fervorem per accidens in ventriculo excitantes, sunt alimenta calida & acria, ut sunt vini aut calidæ cerevisiæ mane assumptio, & motus corporis in concoctione alimenti. Ut plurimum accidit iis, qui post cibum sumptum iter faciunt, & natura sunt biliosi.

Cibi etiam dulces præpingues sæpe hunc affectum excitant.

Signa.

Signa ferventis stomachi ex querela patientis dignosci possunt. Singulatim autem in bilioso fervore, ventriculus acri molestatur mordicatione: in serosa vero pituita præ-

ta præcedit anxietas ex nauſea, & tenuis ex ſtomacho per os inſtar aquæ profluit humor.

Curatio.

Curatio conſiſtit in evacuatione materiæ orificio ventriculi impactæ, & corroboratione ſtomachi per conſtringentia remedia foris & intus applicata.

Ubi bilis peccat.

Si itaque ebullitio ſive ardor ſtomachi à bile ſive flava ſive praſſina contingat, evacuanda erit aut ſequenti hauſtu, aut pillulis.

Hauſtus cholagogus.

♃. Rhabarbari el. ʒ I.ſ. Cinamom. ℈ I. contuſa macerentur in aq. ſtillat cichoreæ ℥ v. per noctem, altero die ebulliant, expreſſaque colentur, & colato juſculo admiſceantur El. roſar. Mes. ʒ II. Fiat hauſtus, & ebibatur 6. horis ante prandium tepidus. Aut

Pillula.

♃. Maſ. pill. hieræ ſimpl. maſtichin. an. ʒ ſ. Diagridii gr. IIII. cum q. s. aq. abſinthii, formentur pill. n. 27. quæ deglutiantur cum pauxillo ſyr. roſarum in aurora, & 6. horis poſt aſſumptionem, à cibo potuque abſtineat patiens.

Ubi pituita ſeroſa ebullitionem excitat, quid agendum.

Ubi vero pituita ſeroſa ex corruptis cibis in ventriculo generata, fit cauſa ebullitionis, & crebro præſertim jejuno ventriculo, humor tenuis inſtar aquæ, præcedente anxietate & nauſea ex ventriculo per os effluxit, tum ſequentibus aut hauſtu, aut pillulis vitioſus humor detrahendus erit.

Hauſtus catharticus.

♃. Diaphæniconis ʒ VI. hieræ ſimpl. ʒ II. cum q. s. aq. abſinthii, commiſceantur, fiat hauſtus, qui calefactus in aurora ægrotanti propinetur. Aut

Pillula.

♃. Maſ. pill. hieræ ſimpl. maſtichinarum, agarici trochiſcati an. ℈ I. Ex quibus cum aq. menthæ confirmentur pill. n. 27. & aſſumantur in aurora 6. horis ante prandium.

Alimenta quænam evitanda.

Ventriculo ita probe evacuato, vitet patiens alimenta facile corruptibilia, cibosque calefacientes melleque dulcoratos, & juſcula ex vino cereviſiaque parata.

Poſt ſumptum cibum ſemper concludatur orificium ventriculi fruſtulo cytoniorum conditorum devorato, aut diacytonio ſimplici.

Remedia paroxyſmi.

Ubi vero ab ebullitione ſive fervore quis moleſtatur, in ipſo ſymptomate devoret patiens unam ex ſequentibus morſulis.

Morſuli.

♃. Roſ. rub. exiccat. Acatiæ, tragacanthi an. ʒ ſ. liquiritiæ, boli armeni an. ℈ I. coral. rub. præparat. ʒ I. Rad. ſymphyti, ſem. portulacæ, cinamomi an. ℈ II. myrtillorum, hypociſtidos an. ℈ ſ. pulverentur & cum ſaccari ℥ IIII. in aq. roſarum ſoluti fiant morſuli.

Prodeſt & hic bolus, qui R. ſacchari roſati uncia I. oculor. cancri præparati ʒ II. boli Armeni ʒ ß, ſi ejus particula deglutiatur.

Rotulæ.

Aut devoret æger in ipſo paroxyſmo rotul. II. diatragacanthi frigidi, aut diapapaveris. Tenuioris fortunæ homines deglutiant in ipſo paroxyſmo unum aut duos pugillos grumi ex avena torrefacta & excorticata parati.

Euporiſta remedia.

Iter facientibus præſertim æſtate præſentiſſimum remedium adfert, ſi capiant extremitates ſurculorum viridium prunellorum ſylveſtrium, qui eo anno ſuccreverunt, & commaſticatas devorent.

Alii hoc utuntur pulvere, qui conficitur ex nuc. muſc. n. 3. cretæ & ſacchari albi uncia ſ. & quidem feliciter.

Surculi pruni ſylveſtris.

Aqua cinamomi.

Inunctio ventriculi.

Quibus vero cum ardore ſtomachi ex ore aquoſus profluit humor, ii poſt evacuationem crebro ebibant duo cochlearia aq. cinamomi chymica arte diſtillatæ. Aut devoret in paroxyſmo micam panis in cretico vino maceratam. Foris vero orificium ventriculi crebro inungat oleo maſtichino, aut cytoniorum, aut nardino, quibus incocta ſunt fruſtula caryophyllorum craſſiuſculè contuſorum. Porro ſi aquoſus humor ex lumbricorum mordicatione profluat, ejus curationem inter morbos inteſtinorum tradituri ſumus.

5. *Imbecillitas ventriculi quid, quæ ejus cauſa, quæ cauſarum ſigna, & quibus remediis curanda?*

Ventriculi debilitas quid.

Ἀδυναμία ſive ἀσθενία τοῦ στομάχου eſt ubi ventriculus ſuas functiones aut prorſus peragere nequit, aut perperam & vitioſe perficit.

Actio propria ventriculi.

Eſt autem propria actio ventriculi χύλωσις cibi ac potus in chylum id eſt liquorem cremori ptiſanæ ſimilem converſio. Cibus enim ac potus alteratur in ventriculo per innatum calorem ventriculi, eidem opitulan-

Potentiæ naturales in fibris residentes, per eas agunt.

tibus naturalibus facultatibus fibris ventriculi congenitis. Sunt autem naturales potentiæ, attractiva in rectis fibris, retentiva in obliquis, expulsiva in transversis, quas potentias communes habet ventriculus cum omnibus partibus corporis.

Qua ratione concoctio vitietur.

Ubi itaque ventriculi vel calor nativus est debilitatus, vel fibræ ejus sunt laxatæ, tum ventriculus cibum ac potum aut difficulter, aut vitiose concoquit, aut prorsus conficere nequit.

Vitia concoctionis sunt triplicia.

Tres itaque species sunt imbecillitatis ventriculi, Ἀπεψία id est cruditas, Δυσπεψία id est difficilis concoctio, & βραδυπεψία id est tarda concoctio.

Causæ internæ.

Causæ imbecillitatis ventriculi προηγουμέναι sunt aut aliqua nuda intemperies sine pravis humoribus, calida, frigida, humida & sicca, (ex his autem ut plurimum calida & frigida intemperies debilitat ventriculum, sicca vero rarissime, nisi in marasmo, id est, febre hectica, aut in senecta, sic & humida minus nocet ventriculo, nisi præcedat hydrops:) aut colluvies humorum biliosorum, pituitosorum: aut melancholicorum in ventriculi capacitate natantium, aut tunicæ ejus interiori impactorum: aut per accidens, vel per consensum, intemperies epatis, lienis, & effusio bilis ex propria

Causæ externæ.

vesicula: προκαταρκτικαὶ sunt ingluvies, helluatio, voracitas, plus cibi potusque, quam natura conficere potest, & intempestiva ingestio, vigiliæ, & intempestivæ lucubrationes, venenata & corrupta qualitate imbuta alimenta. Omnis enim intemperies & aliena qualitas, sive ab internis sive externis causis excitetur in ventriculo, actiones ventriculi labefactat & impedit, teste Galeno lib. 3. cap. 1. de symptomat. causis.

Signa intemperiei calidæ.

Signa calidæ intemperiei ventriculi sunt, sitis continua, nidorosa & ustulata eructatio; tales frigidis alimentis delectantur, calidis vero offenduntur.

Intemperiei frigidæ.

Frigida intemperies ventriculi dignoscitur, quod raro aut nunquam siti premantur, ructus sunt acidi ac crebri; cibum ultra modum appetunt, delectantur calidis, aversantur autem frigida.

Siccæ intemperiei.

Sicca ventriculi intemperies dignoscitur ex oris siccitate, & totius corporis macilentia; hi humidis delectantur, sicca vero fugiunt.

Humidæ intemperiei.

Humidæ intemperiei signa sunt rugitus & fluctuatio in ipso ventriculo, oris humiditas & continua expuitio; tales siccis afficiuntur, humidis vero læduntur.

Signa corruptorum humorum in ventriculo.

Porro corruptorum humorum colluviem in ventriculo & copiam ostendunt, gravitas in ventriculo, tetri, horribiles & insueti ructus, nausea & crebræ vomitiones.

Bilem quæ indicent adesse in ventriculo.

Speciatim autem si aliquis humor excedat, ex recitatis signis de intemperie (inest enim omnibus humoribus sua peculiaris qualitas, veluti bili caliditas, pituitæ frigiditas, atræ bili siccitas) & sequentibus signis internosci possunt.

Pictocholi quibus molestentur symptomatis.

Si itaque bilis flava ex propria capsula in ventriculum sit delapsa, vel in ipso ventriculo ex corruptis alimentis prassina bilis generata, tum natura non quiescit, donec eam per vomitum propellat. Adest itaque anxietas & nausea donec bilis guttula in ventriculo hæret, præterea os amaro sapore est infectum, sitis adest continua, & nidorosæ eructationes, ac ventriculi mordicationes.

Signa pituitæ crudæ aut salsæ.

Si pituita cruda, serosa aut salsa ventriculi tunicis impacta imbecillitatis concoctionis sit causa, his signis deprehenditur: Ructus adest acidus, assumptis alimentis gravitas sentitur ventriculi, & sæpe cibi cum crassa pituita per vomitum projiciuntur, facies pallet, lingua albicat, & crebro expuunt.

Signa melancholici succi.

Si atra bilis vel melancholicus humor molestet ventriculum, faciei lividitas & linguæ fuscus color, & eructationes magis acidæ sunt, ac fames insolita hominem premit.

Signa ab excretis.

Quin & humoris vitiosi differentiam in ventriculo hærentis ab excrementis alvi & vesicæ facilè internoscimus. Si enim urina alba & excrementum alvi album mucosumque extiterint, pituitam; si excrementa alvi flava sunt, & urina crocea, bilem; nigra vero excrementa melancholicum humorem causam cruditatis arguunt.

Externarum vero causarum signa ex relatione anteactæ vitæ patientis cognosci possunt.

Imbe-

Prognosti-ca.

Imbecillitate ventriculi diu laborantibus, ut plurimum aut hydrops, aut lienteria supervenire consuevit.

Si imbecillitas ventriculi à bilioso humore excitetur, in ardentem febrim terminetur.

Nidorosa eructatio perpetuo caliditatem, acida vero frigiditatem ventriculi arguit, & semper cruditatis est indicium.

Regula ge-eralis ... iata saluris ad ... racaven-a vitia ... ctionis. ... uratio.

Inculpatam ventriculi concoctionem qui conservare cupit, is studiosè caveat, ut neque in multitudine sive copia eorum quæ in cibo potuque assumuntur, neque in qualitate, neque in assumendi oportunitate, neque in ordine delinquat.

...ndicatio-es curati-a genera-is.

Curatio imbecillitatis ventriculi pro causarum diversitate varianda erit, & quidem in omni intemperie & in victus ratione, & in medicamentorum oblatione, alterantia in contrariam temperiem, & corroborantia sunt offerenda. In humorum vero vitiosorum præsentia præter alterantia & corroborantia, evacuantia remedia, pro natura humoris vitiosi, sunt adhibenda.

...ictus ra-o refrige-ans.

Imbecillitatem itaque ventriculi ex nuda calida intemperie ortam, alimentis & remediis refrigerantibus curabimus. Utatur itaque æger in victu cremore ptisanæ, carnibus gallinarum, vitulina, & piscibus squamatis, inter quos laudatissimi sunt melanuri. Debent autem alimenta omnia condita esse aceto vini, aut ubi haberi possunt, uvis immaturis, quæ Græcis ὄμφακες vocantur, item prunis Ungaricis acidis. Prodest acetarii loco frequenter uti lactuca, portulaca & acetosa herbis, & aranciis malis. Potus illi sit aqua hordei cum pauxillo cinamomi cocto. Alterat autem & impensè refrigerat calefactum ventriculum sequens potio.

...ulapium frige-ans.

℞. Syr. acetos. citri ℥ IIII. aut syr. violar. aut rosar. tantundem, qui cum aq. frigidissimæ scaturientis fontis, aut cum aq. stillat. oxalidis ℔ II. commisceantur, fiat haustus, cujus mane ac vesperi assumat ℥ VI. frigidas.

...nunctio.

Foris autem inungatur singulis diebus bis ol. rosac. nymph. Cyton. aut myrtillor. ex hisque paratis linimentis. Post inunctionem imponatur ventriculo sequens cataplasm. ex mica panis tosta cum aq. & aceto rosac. q. s. contusa, semper autem æger à sumpto cibo utatur corroborantibus remediis, veluti diacytonio simplici ex succo & saccaro parato, aut myrabolanis chebulis, aut pyris moscatellinis, aut cortice citri, aut cytoniis conditis, aut subsequentibus morsulis.

Cataplasma pro ventriculo. A cibo assumenda.

Morsuli.

℞. Corall. rubeorum præparatorum, ʒ I. s.
Cinamomi, rosarum rubearum an. ℈ II.
Spec. Diamargariti frigidi, diatrion sandalon an. ʒ I.
Saccari candidiss. in aq. rosacea soluti ℥ IIII. fiant morsuli, quorum unum à cibo sumpto devoret.

Imbecillitatis ventriculi ex intemperie frigida remedia.

Porro ex frigida intemperie ventriculi nuda ortam imbecillitatem curabimus medicamentis & alimentis calefacientibus & corroborantibus. Alimenta autem omnia calidis aromatibus condienda sunt, veluti sunt zinziber, piper, cinamomum, crocus, macis & caryophylli. In potu bibat æger vina Rhenana generosa, aut duabus horis ante potum assumat buccellam similacei panis tosti in vino Cretico maceratam, aut in vino aromatite quod claretum sive potum Hippocraticum officinæ vocant. Loco medicamentorum assumat mane ac vesperi duo cochlearia aq. stillat. vel granorum juniperi vel cinamomi, & alternatim devoret jejunus frustulum zinziberis conditi, aut pastillos duos confectionis diagalangæ, aut corticum arantiarum conditarum, aut diambræ, aut diatrion pipereon nominatæ: & singulis septimanis semel assumat theriacæ Andromachi ʒ I.

Alimenta quibus condienda.

Calefacientia & corroborantia ventriculum.

Foris inungatur ventriculus ol. menthæ, Absinthii Nard. an. ʒ II. Quibus sit admixtum pauxillum aq. juniperi propter penetrationem.

Chymici oleo vitrioli Veneris vel Martis utuntur cum aq. menthæ.

Post inunctionem imponatur ventriculo sequens cerotum vel emplastrum.

Linimentum pro ventriculo.

℞. Pul. menthæ, calami aromatici, cinamomi, mastichis an. ʒ I. ol. è mentha, Absinth. an. ℥ I. ol. juniperi ʒ I.

Cerotum stomachale.

 Ceræ

Cerotum

ex Ladano valde commendat Crato consil. à schol. edito 105.

Ceræ q.s. ut duritiem emplaſtri olea conſequantur, quibus tepidis admiſceantur pulveres præſcripti, fiat emplaſtrum, quod extendatur per alutam ſcutiformem ventriculo convenientem, & ſyndone obductum inſuantur.

Manus calida ventriculo impoſita ejus calorem roborat.

In frigida ventriculi intemperie recalefacienda præſtantiſſimum habetur remedium calor inſitus puerculi aut conjugis, ſi ejus membra ventriculo applicentur.

Imbecillitatis ex ſicca intemperie remedia.

Sicca intemperies rariſſime ſoli ventriculo inhæret, ſed per conſenſum totius corporis, veluti in maraſmo & ſenecta, frequentiſſime efficitur. Curanda itaque eſt ventriculi ſiccitas alimentis ac remediis in curatione hecticæ febris deſcriptis, quæ huc transferenda erunt: ſed ut pauca quædam adjiciamus, humectant ſiccitatem ventriculi & corroborant ſequentia alimenta, cremor ptiſanæ, avenæ, lac caprinum, vinum tenue, juſcula pinguium caponum & gallinarum, caro vitulina, & ſuccus ſive lac ex amygdalis, ſi eis crebro utatur æger. Foris autem inungendus eſt ventriculus, excepto tamen ejus orificio, ſequenti linimento: ut

Ventriculum humectantia in maraſmo & hectica.

Linimentum humectans.

℞. Ol. amygd. dulc. violar. an. ℥ III. axungiæ gallinæ, anatum an. ℥ II. Ceræ albæ pauxillum, fiat linimentum, cui admiſce parum vini, quo inungatur ventriculus una hora ante prandium & cœnam.

Humidæ intemperiei remedia.

Ab humida intemperie debilitata ventriculi concoctione, ſi ea non eſt orta ab hydrope, ſed humiditas ventriculi ſubſtantiæ eſt intincta, tum alimenta & medicamenta debent eſſe reſiccantia. In cibo itaque utatur æger pane bis cocto, & carnibus, piſcibusque ſalitis fumoque duratis, recentibus autem cum piſcibus, tum carnibus, magis aſſatis quam elixis & probe ſalitis. Ab uberiori potu, quantum fieri poteſt, abſtineat, & bibat aut hydromeli, aut vinum generoſum, ſed moderate ſumptum: remedia autem ſequentia humiditatem ventriculi probe exſiccant.

Victus ratio.

Pillulæ humiditatem ventriculi corrigentes.

℞. Maſ. pil. de hier. cum agar. ʒ ſ. ex ſingulis ℈ I. conformentur pillulæ n. 27. & conſpergantur ol. vitrioli, & ſingulis ſeptimanis devorentur pro una vice 27. reliquis diebus ſeptimanæ utatur æger, ad menſam pro cibis condiendis loco ſalis ſequenti pulvere.

Pulvis pro exſiccando ventriculo.

℞. Cineris inteſtinorum gallinarum ʒ III.
Cornu cervi uſti & præparati,
Corall. rubeor. præparat. cinamom. an. ʒ II.
Cineris hirund. ʒ III. troch. è viperis ʒ II. galang. ʒ I.
Salis uſtulati medium pondus ad reliquorum pulverum. Fiat tenuiſſimus pulviſculus.

Cerotum ſtomachale.

Foris vero inungatur ventriculus ol. Maſtichini ℥ I. cui admixta ſit ℈ I. ol. caryophyll. Poſt inunctionem imponatur ventriculo cerotum ſtomachicum, quod in myropoliis proſtat. Reliqua remediorum genera ventriculi humiditatem exiccantia ex curatione hydropicorum ſunt petenda.

Si ventriculus ſcateat vitioſis humoribus, quænam conſideranda.

Cum ventriculi & facultatis concoctricis actiones impediuntur ex vitioſorum humorum aliqua ſpecie, tum I. conſiderandum eſt, quis qualisve ſit humor cauſa imbecillitatis. Ut plurimum enim ex corrupta bile & putrida pituita contingit: raro autem ab atra bile. II. Utrum vitioſus humor in capacitate ventriculi fluitet, aut tunicæ ejus ſit impactus. III. Ut ſtatim vitioſus humor evacuetur, ejuſque qualitas alteretur, & ventriculi ſubſtantia corroboretur.

An bilis in ventriculo ejus coctionem turbet.

Signa.

Curatio.

Vomitorium.

Quibus vomitoria

Si itaque bilis colluvies aut ex veſicula bilis delapſa in ventriculum, aut ex corruptis cibis in ipſo ventriculo generata, qualis eſt praſſina viridis bilis, ventriculi concoctionem debilitat, id quod ex ventriculi æſtu, mordicatione & nauſea dignoſcitur, tum ſtatim per vomitum vel ſpontaneum vel ope medicamentorum concitatum, evacuanda erit. Facilem autem vomitum excitat aqua calida aut hydromeli calidum ante vomitum bibitum (vomitio enim ventriculi eſt convenientiſſima evacuatio, præſertim iis qui natura facile vomunt, iis, autem

Convenient. autem qui difficilius evomere consueverunt non temere est adhibenda) aut bibat patiens hydromellis haustum, in quo per noctem ʒ II. rad. asari contusæ sunt maceratæ. Nobile autem vomitorium & pulvisculus ex julis sive floribus juglandis arboris in fumo siccatis, præparatur, cujus ʒ I. cum hydromelite assumpta omnem impuritatem lenissimè per vomitum expellit. *Infusum asari. Pulvis julorum juglandis.*

Bilis ventriculi tunicis impacta ut evacuanda. Ubi vero tunicæ ventriculi bilis est impacta, quod ex continua nausea dignoscitur, tum exhibendæ sunt patienti ʒ x. hieræ simpl. in aqua cichoreæ dissolutæ 6. horis ante prandium, quæ & purgant & evellunt bilem ex tunicis ventriculi & ipsum corroborant. Evacuata bile, si totum corpus præternaturalis calor occupavit, vena Epatica dextri brachii incidenda est: talia cum alimenta tum medicamenta sunt adhibenda, quæ bilis qualitatem refrigerent, & ventriculum corroborent, veluti sunt cremor ptisanæ, aq. hordei, syr. violar. rosar. è succo citri, è succo granatorum, & conserv. rosar. ac violar. Syruporum autem pro una vice assumendæ sunt ℥ II. cum ℥ VI. aq. cichor. Extrinsecus vero inungatur spina dorsi & tota ventriculi regio ol. rosar. cyton. & nymph. ex quibus cum pauxillo ceræ tepefactæ fiat linimentum. Possunt & fieri unguenta, eisque admisceri pauxil. aceti rosar. & pul. coral. rub. rosar. & momentum camphoræ. *Vena sectio. Bilis calorem restinguentia. Inunctiones.*

Pituita corrupta è ventriculo ut educenda. Ubi vero ex copia pituitæ corruptæ in ventriculo collectæ ejus concoctio debilitatur, & ipsa vitiosa pituita commodissimè è ventriculo expurgabitur per vomitionem: sed quia materia pituitæ ut plurimum lenta est & crassa, & tunicis instar visci adhærescit, priusquam vomitio instituatur, crassa pituita incidenda & resolvenda erit per sequentem potionem.

Potio pituitam incidens & præparans.

℞. Rad. Iridis Illiricæ, elenii, pimpinel. an. ʒ III. semin. fæniculi, carvi an. ℥ s. Herb. Hyssopi, saturejæ, menthæ, calamenti an. M. s. contusa & concisa decoquantur in ℔ II. hydromelitis, & colentur, colatoque juri admisceantur oxymellis simp. ℥ IIII. fiat potio, de qua bibat patiens mane ac vesperi ℥ v. calefactas, qua potione exhausta excitetur vomitus, & ante vomitionem per horæ quadrantem assumat haustum vomitorium hac ratione concinnatum. *Vomitorium.*

℞. Succi ex rad. raphani expressi ℥ III. hydromellis ℥ II. in quibus simul mixtis macerentur per noctem ʒ II. rad. asari contusi, altera vero die expressa colentur, & liquor tepidus patienti propinetur. Aut *Heurnius & Forestus vomitorium ex helleb. albo conficiunt quod debito modo præparatum & usurpatum insigniter in hoc casu juvat.*

℞. Pul. sem. genistæ ʒ I. cui admisceantur cinam. sem. fænic. an. ℈ s. & cum hydromelite tepido ebibantur. *Pulvis vomitorius.*

At si pituitæ reliquiæ in ventriculi tunicis adhuc hæreant, prodest eas per seq. pil. exturbare. *Pituita tunicis ventriculi impacta quibus exturbanda.*

℞. Mas. pil. de hiera simp. agar. troch. an. ʒ s. cum q. s. oxymell. formentur pill. n. 27. & in aurora deglutiantur. Quin & pituitosa ventriculi excrementa absumit, calefacit, & vires reficit, si jejuno ventriculo tribus horis ante prandium guttulæ XV. robustioribus Ol. vitrioli, cum haustu vini generosi ebibantur. Idem præstant singulis diebus 2. aut 3. cochlearia aq. stillat. cinamomi aut juniperi exhausta. *Pillulæ. Spiritus vitrioli ad hanc affectionem rectius adhibetur, quem & author per oleum intelligit.*

Mirificè corroborant ventriculum ex frigida intemperie aut pituitosis humoribus debilitatum 2. aut 3. rotulæ diagalangæ, diambræ aut diatrion pipereon. *Rotulæ ventriculum frig. roborantes.*

Extrinsecus una hora ante prandium inungatur ventriculus oleis sequentibus.

℞. Ol. è mentha, ex absinth. nardi an. ʒ II. Aq. juniperi ʒ I. Commisceantur & calefacta inungantur: inuncto ventriculo imponatur sequens emplastrum. *Linimentum stomachale. Ex oleis stillatitiis longe efficacius fit remedium.*

℞. Ol. nardini, è mentha, ex mastiche an. ℥ I. Ceræ candidæ q. s. fiat emplastrum, cui tepido admisce pulv. subsequentes simul commixtos. *Emplastrum stomachale.*

℞. Pul. cinamom. galangæ, caryophyl. calam.

calam. aromat. an. ʒ I. Flor. absinth. menthæ an. ʒ s. thur. mastich. an. ℈ II.

Fiat emplastrum, quod per alutam scutiformem stomachoque convenientem extendatur, & syndone obductum intersuatur: aut applicetur ventriculo sequens sacculus.

Sacculus pro ventriculo.

℞. Flor. absinth. rosar. an. M. s. menthæ, saturejæ, serpilli an. M. II. Calam. aromat. cinam. caryoph. an. ʒ II. mastich. ℥ s.

Concisa & contusa insuantur sacculo quadrato, qui in vino generoso decoquatur, & expressus calidusque ventriculo applicetur, & ubi refrigerari cœperit, rursum in eo liquore calefiat.

Crusta panis ventric. imp.

Aut imponatur ventriculo crusta panis digiti crassitiem habens, tosta & vino generoso conspersa, cui pulv. mastichis & caryophyl. sunt inspersi.

Ab atra bile raro turbatur concoctio. Sed tamen in hypochondriacis, ab infusione succi melancholici, varia ventriculus symptomata patitur.

Ab atra bile sive melancholico humore non lebefactatur concoctrix vis ventriculi, nisi forte justo copiosius in ventriculum influat. Humor enim melancholicus quando secundum naturam per πυλωρὸν, in fundum ventriculi influit, corroborat ventriculum, & excitat appetitionem sive famem. Ubi itaque melancholicus humor uberius in ventriculum profluit, is non, ut reliqui humores vitiosi, per vomitum, sed per acre enema subducendus erit.

Enema.

℞. Mercur. Malvæ, Alth. an. M. I. Flor. cent. min. M. I. s. concisa coquantur in q. s. aq. ad medias, colentur, colati juris accipe ℔ I. s. cui admisce confect. hamech, hie. simp. an. ℥ I. ol. absinthii, rutæ, menthæ an. ℥ I. salis ʒ I. fiat enema, quod tepidum recto intestino injiciatur.

Inunctio.

Foris autem ventriculus, & sinistrum hypoch. inungatur ol. è mentha, & ol. de cap. an. ʒ II. simul mixtis & calefactis.

Crapula & ingurgitatio ut curanda.

Ast ubi ex cibi potusque assumpti immoderata copia ventriculus gravetur, & concoctio impediatur, statim aut per vomitum assumpta alimenta rejiciantur, aut per labores, famem diuturnam, & longum somnum concoctio eorum est adjuvanda, & interim subinde vesperi ac mane aquæ cinamomi aut juniperi duo cochlearia sunt deglutienda.

Assumpta venena si ventriculum debilitarunt, quomodo ægris subveniendum.

Porro ubi venenum, aut venenosa qualitate imbuta alimenta ventriculi temperiem & facultates naturales debilitarunt, ac prostraverunt, statim ℥ II. aut ol. olivarum, aut recent. butyri salis expertis, cum tepido hydromelle æger ebibat, & paulo post vomitus excitandus. Post vomitum autem, si venenum igneæ sit naturæ, quod ex erosione, siti & æstu dignoscitur, tum lac recens tepidum propinandum erit, & pulv. sequens cum aq. scordii.

Pulvis alexipharmacus.

℞. Boli Armeni, Coral. præparat. margar. præpar. an. ℈ I. fiat pulvis.

Remedia veneni frigidi. Arcano Theophrasti adversus venena, feliciter quidam intoxicati sunt restituti.

Ubi vero venenum frigidæ sit qualitatis, & nulla adsit oris siccitas, nec æstus, nec mordicatio, sed anxietas tantum, & animi deliquium, tum post vomitum aut clysterem propinandus erit ægroto ℈ I. ol. Angel. aut ʒ s. tincturæ coral. aut ʒ I. Ther. Androm. cum haustulo vini Cretici aut generosi.

6. *Inflammatio Ventriculi quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quomodo curanda?*

Ventriculi Phlegmone quid.

Φλεγμονὴ τῆς κοιλίας est ubi tunicæ ventriculi ardore & incensione laborant, in eisque igneæ flammæ sentiuntur. Differt ab ejus affectione, quam paulo ante à nuda intemperie calida, & biliosi humoris in capacitate ventriculi collecti copia, oriri diximus.

Causa.

Causa inflammati ventriculi προηγουμένη est fervens & biliosus sanguis in venis per substantiam ventriculi dispersis coacervatus: προκαταρκτικὴ est venenum assumptum, veluti sunt Mercurius sublimatus, Arsenicum, Euphorb. & similia.

Signa.

Signa inflammationis sunt, vehemens æstus adorque in ventriculo, una cum dolore acerbo, fervens respiratio, sitis immoderata, linguæ ariditas: nonnunquam subsequuntur & tumor ventriculi, & febris ardens cum nausea.

Prognostica.

Prognosticum signum est, si non extinguatur inflammatio ventriculi convenientibus

tibus remediis, priusquam vires ægroti prosternantur, præsentaneam mortem adfert.

Curatio. Curatio perficienda est victus ratione, venæ sectione, vitiosi sanguinis expurgatione, & remediorum intra extraque corpus applicatione.

Ubi veneni assumpti suspicio, quid agendum. In causa itaque procatarctica, si veneni hausti suspicio adsit, quod ex repentina inflammatione & cruciatu dignosci potest, tum statim ol. viol. aut rosac. aut butyr. recent. non saliti ℥ III. in aq. tepida resolutæ ebibendæ erunt, & paulo post vomitus irritandus, & per vomitum rursus ejiciendæ. *Vomitus excitandus.* *Confortantia.* Post vomitum autem assumat boli Armen. veri, & cornu cervi usti præparat. an. ʒ I. cum aq. rosac. ℥ IV. & tandem iis remediis utendum, quæ in præcedentis morbi curatione recensuimus.

Ubi Phlegmone à bilioso sanguine, ut curanda. Si à προηγουμένη causa orta sit inflammatio, in victus ratione commoretur, decumbatque æger hyberno quidem tempore, in temperato aëre, æstivo vero in frigidiori. *Refrigerantia alimenta.* Alimenta sint refrigerantia, veluti sunt cremor ptisanæ, pisces saxatiles ac squamati cum aceto cocti, pulli gallinacei cum uvis omphaciis aut aceto rosac. lactuca, borag. & oxali. cum aceto, recenti butyro, & sale condita, pruna Ungarica, lac amyg. cum aq. cichor. confectum.

Potus refrigerans. Potus illi sit aq. hordei, in qua pauxillum cinamomi est incoctum, aut aq. cich. aut scariolæ, cui dulcoris vel suavitatis gratia admixti sunt syr. violar. acetos. citri aut Rob. è ribes.

Somnus & exercitium evitandum. Somno utatur paucissimo, exercitio nullo. Si enim in alio aliquo morbo, in hoc maximè, locum habet illud Celsi: quiete & abstinentia multi magni morbi curantur.

Cavendum quoque ne alvus sit obstructa, aut si sit, seq. clystere statim reseranda erit.

Enema. ℞. Violar. malvæ, mercur. flor. violar. an. M. II. pruna Ungar. n. 9. coquantur in q. s. aq. ad medias colentur, colati juris accipe ℥ XIV. quibus admisce elect. lenit. diacathol. an. ℥ I. Ol. violar. rosar. an. ℥ I. s. Salis ʒ I. Fiat enema, quod tepidum infundatur recto intestino.

Venæ sectio. His probe procuratis vena statim post usum enematis est secanda, & quidem jecoraria dextri brachii.

Mitissima lenitiva. Porro in hoc casu à violentis expurgationibus abstinendum erit, aut mitissimis est utendum, quales sunt ʒ X. pulpæ cass. recenter extractæ, quæ una hora ante prandium sunt devorandæ, aut ℥ IIII. aq. cichor. cum ℥ II. syr. rosar. solutivi commixtæ. *A fortioribus abstinendum.* Violentia enim remedia à longinquis partibus calidos & excrementosos humores in ventriculum alliciunt, & morbum magis exasperant. *Refrigerantia & adstringentia.* Utendum itaque intra corpus extremè refrigerantibus & constringentibus, qualia sunt frustulum cyton. condit. devoratum, ℥ s. Rob. è ribes deglutita, aut ℥ s. rad. cichor. conditarum, diacyton. ex succo cum saccaro præparatum ℥ s. aut conserv. rosar. sæpe usurpatæ, aut utatur sequenti elect. de quo frequenter assumat nucis juglandis quantitatem.

Electuarium refrigerans. ℞. Pyrorum moscatellinorum cond. rad. cich. cond. an. ℥ I. quæ concidantur minutissime, eisque admisce conser. rosar. borag. an. ℥ s. spec. diatria sand. ʒ I. coral. rub. præparat. ʒ I. ol. vitrioli ʒ s. Commisceantur cum q. s. syr. acetos. citri, fiat electuarium. *Chymici salis Saturni gr. III. in aq. rosarum exhibent.* Deinde bibat æger frequenter de lactiformi liquore ex 4. sem. majorib. frigidis an. ℥ s. probe contusis, & cum aqua cich. & scariolæ an. ℔ II. saccari candi in syr. violar. concreti ℥ IIII. simul optime commixtis & percolatis confecto. *Emulsio sem. frigid. majorum.* Exterius regio æstuantis ventriculi inungatur quotidie bis sequenti linimento.

Linimentum. ℞. Ol. rosar. cyton. nymph. è mastich. an. ʒ II. Ceræ cand. q. s. fiat linimentum, quod eluatur ter cum aq. rosf. & postremo admisce gutt. 6. aut succi cyton. aut aceti rosac. & simul admisce pulver. coral. rub. rosar. flor. granatorum an. ℈ II. campho. gr. II. fiat linimentum. Inuncto ventriculo sequens emplast. imponi commodè potest. *Emplastrum.*

Paracelsus hic saccharum Saturni tanquam singulare arcanum extrinsecum cum aq. plantag. vel solani applicat.

℞. Pul. rosar. coral. rub. præparat. mastic. an. ʒ I. Myrtill. Acatiæ an. ʒ s. Flor. absinth. è mastic. an. ʒ II. ol. rosar. cyton. an. ℥ s. Ceræ albæ q. s. ad duriciem ceroti induendam; quibus tepidis & nondum concretis admisce pulv. præscript. fiat emplast. quod in aluta scutiformi, & ventriculo adaptata extendatur, sydoneque obducatur, & decussatim intersuatur.

Cautelæ. Notandum in inflammatione ventriculi, omnia genera remediorum debere actu frigida administrari & applicari.

7. *Inflatio sive intumescentia ventriculi quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quibus remediis persananda?*

Inflatio ventriculi quid. Πνευμάτωσις ἢ ἔμφυμα γαςρόσης, inflatio & intumescentia ventriculi est ubi ventriculus, adeoque totus venter in tumorem præternaturalem elevatur, extenditur & simul dolet. Differt autem hæc intumescentia ventriculi ab illa quæ hydropicis accidere consuevit, de qua suo loco tractaturi sumus: hic vero de ea tantum ventris extuberantia, quæ ex coacervatis flatulentis spiritibus in capacitate ventriculi & quandoque intestinorum excitatur.

Causæ. Causæ προηγουμέναι sunt, retentricis facultatis ventriculi imbecillitas, & flatulenti spiritus inter concoquendum alimentum ex vaporibus crassis generati, qui ubi nec per eructationem, nec per ventris crepitum excernuntur, ventrem inflant & dolorem generant.

Προκαταρκτικαὶ causæ sunt alimenta flatuosa omnia præter modum ingesta, & poros obstruentia, veluti sunt mel crudum, pisa, fabæ, rapæ, olera & fructus dulces, hisque similia, sicuti & recens cerevisia.

Signa. Signa intumescentiæ ventriculi manifesta sunt: Tumor enim conspicuus est renitens cum dolore, etsi digito imprimatur, non, ut in œdematoso tumore, vestigium vel cavitatem relinquit, sed renititur. Et hæc quidem intumescentia per ventris crepitum aut eructationem ut plurimum levatur.

Signa Præsagientia.

Prognostica. Si flatulenti tumores ventris in tempore curare negligantur, in hydropem degenerant, difficultatem respirationis inferunt, & appetentiam prosternunt.

Curatio. Curatur intumescentia ventriculi bona victus ratione, & medicamentorum tum internorum tum externorum applicatione.

Diæta. Alimenta autem debent esse concoctu facilia & boni succi. Parum autem in hac affectione comedendum est, siquidem inedia plurimum levat hoc malum; ac post cibum quidem pro potu meraciori vino utendum est, sed moderatè; multus enim potus in inflatione ventris facilè patientem in hydropem conjicit. Confert huic malo & longus somnus, qui concoctionem mirifice juvat. Deinde solium calidum, hoc est, balneum in aqua alida **ein Wannen Badt**/ in qua incoctæ sunt radic. ebuli aut ejus folia, chamæmelum & semina cymini, mirifice confert mitigando dolorem, emolliendo tumorem, & flatus dissolvendo. *Solium aq. calida.*

Post institutam victus rationem, omnium primo crudi humores, crassique vapores ac flatus è ventriculo sequenti enemate subducendi erunt.

Enema ad discutiendos flatus.

℞. Flor. chamæmeli, anethi an. M. I.
Centaurii minoris, absinthii, Rutæ an. M. s.
Baccarum lauri ʒ I. sem. cymini, anisi, carvi an. ℥ s.
Corticum medianorum sambuci p. I.

Concisa & contusa coquantur in q. s. aquæ ad medias, colati liquoris sume ℥ XIV. eisque admisce benedictæ laxativæ ℥ s. hieræ simp. ℥ I. olei rutacei, anethini, de absinthio an. ℥ I. salis communis ʒ I. Misceantur, fiat enema, quod tepidum jejuno ventre recto intestino infundatur.

Si à pituita corrupta vel cruditatibus ventriculus infletur, ut curandus. Ubi vero inflatio ventriculi ex copia pituitæ corruptæ vaporibusque ejus in flatus resolutis, oboritur, aut ex crudis cibis atque flatulentis, statim aut per vomitum spontaneum, aut artificiosum, potionemque vomitoriam, (cujus conficiendi exempla supra de curatione imbecillitatis ventriculi posuimus)

ſuimus) deturbandi erunt, aut corrupta flatulentaque pituita ſi torminum acerbitas non obſtiterit, ſequenti decocto primum concoquenda, & ad eductionem præparanda erit.

Decoctum pituitam præparans.

℞. Rad. pimpinellæ, dauci Cretici, elenii an. ʒ II.
Sem. aniſi, cymini, carvi an. ʒ I. s.
Herb. calaminthæ, origani, ſaturejæ an. M. s.
Rutæ, Centaur. minor. an. P. I.

Conciſa & contuſa coquantur in duplici vaſe cum ℔ II. aquæ, decoquantur autem ad duas horas; deinde colentur & juſculo colato admiſceantur ſyr. de calamint. oxymel. ſcillitici an. ℥ III. fiat potio, de qua mane ac veſperi ebibat æger ℥ v. calefactas, idque per triduum: quarto tandem die evacuetur flatuoſa materia ſequenti hauſtu cathartico.

Hauſtus purgans.

℞. Diaphæniconis ʒ x. aq. rutaceæ ℥ v. commiſceantur, fiat hauſtus, qui tepidus in aurora offeratur, & æger abſtineat per ſex horas ab alimentis.

Carminativa ſeu flatus diſcutientia remedia.

Si vero acerbiora tormina, ad concoquendam & expurgandam pituitam, flatuumque copiam inducias non concedant, tum ſtatim ad remedia flatus diſſipantia & dolorem mitigantia accedendum erit. Plurimum autem confert, & inſtar incantamenti, ut Galenus teſtatur, dolorem omnem levat magna cucurbitula cum multa flamma ſine inciſione umbilico applicata ac ſæpius repetita. Aut intra corpus exhibeatur ʒ I. talorum ſuillorum aduſtorum & cum aq. rutæ præparatorum, cum hauſtulo vini. Aut

Cucurbitula magna. *Pulvis talorum ſuillorum.*

℞. Ol. vitrioli rectificati ℈ I. cum ℥ III. aquæ rutaceæ. Aut

Ol. carminativa quæ cum rotulis diacymini exhiberi poſſunt.

℞. Ol. cymini, aniſi & angelicæ chymica arte deſtillatorum, an. ℈ s. Aut exhibeantur ʒ II. elect. de baccis lauri cum hauſtulo aq. rutaceæ reſolutæ. Aut ſubſequentis pulveris ʒ I. ſingulis diebus bis exhibita, tormina & flatus omnes diſcutit.

Pulvis contra flatus.

℞. Pul. cymini præparati, Ariſtolochiæ rotundæ, Dauci Cretici, baccarum lauri an. ℈ I. fol. rutæ, cornu cervi uſti præparati, coralliorum rubeorum præparatorum an. ʒ. s. Tenuiſſime pulveriſata commiſceantur, & cum calida cereviſia aſſumantur.

Sacculus.

Foris vero diu fovendus eſt venter flatibus repletus calidis ſacculis ex æq. p. milii ſicci, ſalis, & cymini præparati, confectis, ſæpiusque recalefactis: deinde inungatur tumens venter ſequenti linimento.

Linimentum.

℞. Ol. laurini ʒ II. ol. rutacei, abſinthii an. ʒ I. ceræ parum, fiat linimentum.

Poſt inunctionem autem imponatur ventri ſubſequens cerotum.

Cerotum flatulentos tumores diſcutiens.

℞. Ol. rutacei, anethini, nardini, laurini an. ℥ s.
Sem. Apii, carvi, nigellæ an. ʒ s.
Baccar. lauri, centaurii minoris an. ʒ s.
Gummi amoniaci, opoponacis an. ʒ II.

Ceræ quantum ad indurationem oleorum ſufficit, quibus ad emplaſtri formam redactis, & adhuc tepentibus addantur præſcripti pulveres, & per alutam ſive corium inſtar emplaſtri extendantur, tumentique ventri applicentur.

Alii empl. ex Ladano confecto utuntur felici ſucceſſu.

Aut applicetur ventri ſequens ſacculus in cereviſia coctus & iterum expreſſus, applicetur autem quam calidiſſimè.

Sacculus.

℞. Rad. ebuli, elenii, bacc. lauri an. ℥ II.
Herb. vel fol. ebuli, rutæ, ſcordii an. M. II.
Flor. chamæmeli, anethi, centaurii minor. abſinthii an. M. I.
Sem. cymini, carvi an. ℥ s.

Contundenda contuſa, & concidenda conciſa, commiſceantur, & ſacculo inſuantur, neve concidant, interſuantur.

8. *Tumor præternaturalis ſive abſceſſus particularis ventriculi quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quibus præſidiis curandus?*

Apoſtema ventriculi quid.

Ἀπόστημα, Abſceſſus, ein Schwell/ eſt tumor præternaturalis in aliqua parte ventriculi collectus. Ut enim in cæteris corporis partibus externis & internis: ita ſæpe & in ventriculi tum externa tum gibba parte,

tum in interna capacitate inter tunicas ejus tumor oboritur; qui non raro indurescit, aut in ulcus transit, ut ruptum, in exteriore quidem parte ventriculi, pus in abdomen. Intrinsecus vero, in ventriculi capacitatem effundit, & varia excitat symptomata.

Causa. Causæ προηγουμέναι tumoris in ventriculo sunt, corrupti humores inter tunicas ventriculi collecti & impacti, aut tenuis feculentusque sanguis ex aliis partibus per venas in aliquam partem ventriculi confluens, ex quo ut plurimum calidus tumor excitatur.

Interdum etiam in re acuta, ut cultro, acicula vel spina per incuriam deglutita & ventriculi tunicis infixa abscessus excitatur.

Προκαταρκτικαὶ causæ sunt vitiosa & concoctu difficilia alimenta, doloremque in ventriculo excitantia: (dolor enim in qualibet parte excitat fluxionem, & ad se trahit humores vitiosos) violenta pharmaca & ictus violenti. Omnis autem tumor præternaturalis in qualibet parte inter duas contiguas partes oboritur, quas sua mole ab invicem distendit & dolorem excitat.

Signa. Locus affectus ut distinguendus. Signa apostematis ventriculi sunt, dolor in aliqua parte ventriculi, præsertim ad tactum & compressionem affecti loci prostratio appetentiæ, concoctionis frustratio. Si tumor in exteriore ventriculi parte hæreat, ad tactum & compressionem; si in ipsa capacitate sit situs, post assumpta alimenta maxime duriora, anxietas & doloris exacerbatio subsequitur. Si in orificio ventriculi tumor existat, sentitur dolor circa malum granatum, & exacerbatur inter cibum assumendum, adeo ut sæpe in syncopen conjiciat ægrotantem. Si tumor in fundo ventriculi sit compactus, dolor sentitur paulo supra umbilicum, & exacerbatur tribus à sumpto cibo horis.

Prognostica. Præsagire ex tumore ventriculi licet, tumorem ventriculi ex calidis putridisque humoribus, præsertim in interna capacitate ventriculi hærentem, raro in sanitatem, frequentissime in mortem, aut in schirrum, per totam vitam hominem infestantem terminari.

Curatio. Curatio tumoris ventriculi tentanda est per venæ sectionem, victus rationem, tumorisque per medicamentorum, intus forisque applicatorum, maturationem, ruptionem sive apertionem, mundificationem & consolidationem.

In calida itaque corporis constitutione, tumoreque calido existente, statim aut media aut jecoraria vena dextri humeri incidenda erit. Alimenta vero sint parca & quam tenuissima, concoctuque facilima, veluti sunt cremor ptisanæ, cremor avenæ, juscula pullorum gallinaceorum, pulmenta ex oryza tusa, ex amylo, & lacte caprillo confecta & sacchro dulcorata. Item lac caprillum fervefactum, & saccaro conditum, lac amygdalinum & similia. Potus vero ejus sit aqua hordei in qua cinamomum est decoctum. *In tumore calido. Vena sectio. Diata.*

Si itaque præter abscessum simul & vitiosi humores fluitaverint in ipsa capacitate ventriculi, hi lenissimis catharticis remediis expurgandi veniunt. Abstinendum tamen est ab omnibus violenter purgantibus remediis. Tuto vero exhiberi possunt vel ℥ i. s. pulpæ cassiæ una hora ante prandium; aut ℥ iiii. syr. rosati solutivi cum haustulo aquæ absinthii commixtæ, & in aurora exhaustæ aut infusionis rhabarbari ac foliorum senæq. s. cui admixta sit ℥ s. elect. lenitivi, aut ʒ ii. Diaphæniconis. *Purgantia lenitiva hic conveniunt.* Deinde cum interni abscessus ventriculi difficilius externis remediis, veluti sunt unguenta, cataplasmata & emplastra, curentur quam internis, interni abscessus internis remediis primum emolliendi, maturandique, deinde aperiendi & mundificandi sunt remediis in forma potionis & electuarii exhibitis, & interea tamen nec exteriora negligenda erunt. *Interni abscessus quibus remediis curandi.* Emollit autem atque ad maturitatem perducit tumorem ventriculi decoctum ficuum & sem. malvæ frequenter potum. Aut elect. ex mucaginibus rad. althææ, sem. fænugræci, sem. lini & malvæ cum saccaro albo instar pulmenti crassioris confectum & frequenter esitatum. *Emollientia & maturantia exhibenda.*

Foris autem primum inungendus est ventriculus abscessu affectus sequenti linimento.

℞. Ol. chamæmeli, rosarum, cytoniorum, absinthii, è mastich. an. ʒ ii. Ceræ albæ q. s. fiat linimentum, quod *Linimentum.*

quod cum aceto rosaceo eluatur, & tandem admisceantur tenuissimi pulveres coralliorum rubeorum & mastiches an. ʒ I. ol. cinamomi gr. v. & inungatur locus affectus singulis diebus bis. Post inunctionem imponatur cataplasma tumorem simul emolliens ac maturans, & ventriculum corroborans, quod ita concinnari potest.

Cataplasma emolliens & ventric. roborans.

♃. Pulpæ malorum cytoniorum in cineribus coctorum & pulpæ prunorum dulcium an. ℥ I. Mucaginis ex sem. lini, fænugræci, rad. Althææ, & ficubus simul contusis, ac in tepida aqua maceratis, confectæ ℥ II. Ol. amygdalarum amararum, chamæmeli, violarum, pinguedinis gallinarum an. ℥ s. quibus liquoribus simul probè commixtis, admisceantur pulveres sem. malvæ, flor. absinthii an. ℥ I. calami aromatici ℥ s. croci ʒ s. mastiches ℥ s. farinæ hordeaceæ q. s. ad justam condensationem, ut reddatur simile pulmento crasso. Tandem admisceantur quoque ovorum lutea n. III. & fiat cataplasma, quod calefactum affecto loco bis per diem imponatur.

Ad æstuantem tumorem remedia.

Ubi autem æstuans & vehementer calidus est tumor, inungendus est oleo rosaceo, & sequenti emplastro fervor mitigandus, quod simul & refrigerat & emollit.

Inunctio. Emplastrum refrigerans & molliens.

♃. Ol. rosarum, cytoniorum an. ℥ II. è mastiche ℥ I. Mucaginis ex sem. cytoniorum cum aq. absinthii paratæ ℥ I.

Ceræ q. s. fiat emplastrum, cui tepido admisceantur pul. sandali rubei, rosarum rubearum ʒ III. flor. absinthii ʒ I. mastiches, coralliorum rubeorum an. ʒ II. rad. althææ & farinæ hordeaceæ q. s. fiat emplastrum.

Ubi abscessus maturus quid agendum.

Porro ubi tumor ad maturitatem est perductus, hoc est, concoctum est pus in tumore quod in abscessu continetur, id quod ad septimum circiter diem contingit, quæ pelliculas tumoris incidant & rumpant, intra corpus exhibenda erunt. Id autem commodissime præstabunt ℈ s. ol. vitrioli rectificati, aut ℈ I. tincturæ coralliorum rubeorum, cum vini quinque cochlearibus commixtus, & quotidie assumptus.

Rumpentia abscessum.

Rupto apostemate ut pus educendum.

Rupto apostemate & effuso pure in capacitatem ventriculi, ut plurimum anxietatem & vomitionem excitat. Tum itaque vires reficiendæ sunt, & sedanda anxietas assumptis ℥ II. aq. cinamomi, & si natura fert, pus per vomitum ejiciendum: verum ubi natura à vomitione abhorret, vel laboriose quis vomat, tum pus acri clystere subducendum erit, quod ita concinnari potest.

Enema.

♃. Malvæ, violariæ, mercurialis an. M. I. Flor. absinthii, chamæmeli, centaurii minoris an. M. s. concisa decoquantur in q. s. aquæ ad medias, cui in fine ebullitionis injiciatur pulpæ colocynthidos ℈ I. in linteolo ligatæ, quæ tamen inter percolandum rursus eximatur, hujus liquoris colati accipe ℥ XV. quibus admisce hieræ simpl. ℥ I. s. ol. de absinth. ℥ III. salis communis ʒ I. misceantur, fiat clyster, quod jejuno ventre recto intestino infundatur.

Subducto pure ulcus ipsum mundificetur sequenti potione.

Potio ulcus mundificans.

♃. Mellis rosati ℥ II. aq. absinthii ℥ IV. misceantur fiat potio, ex qua frequenter bibat: aut bibat hydromel vetus & clarum.

Consolidantia ulcus.

Ulcere mundificato, per unum & alterum diem, deinde exhibeantur conglutinantia, & ad cicatricem deducentia. Assumat itaque mane ac vesperi ℈ s. ol. mastiches cum haustulo hydromelitis, aut ʒ II. terebinthinæ cum aq. symphyti novies ablutæ, cum haustulo hydromellis resolutæ.

9. *Cruditas ventriculi quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curanda?*

Vitia coctionis ventriculi ut

Ἀπεψία id est concoctricis facultatis ventriculi labefactatio & amissio, Δυςπεψία id est difficultas concoctionis, & βραδυπεψία id est

inter se differant. id eſt tarditas concoctionis, extenſione & remiſſione tantum differunt. Eſt autem concoctio alimenti ejus ab innato calore ventriculi in ſubſtantiam cremori ptiſanæ ſimilem converſio. *Varia alimenti coctio & alteratio.* Porro alimentum antequam in corporis naturam & partium ſubſtantiam convertatur, quatuor ſuſtinet concoctiones ſive alterationes, primam in ventriculo, ſecundam in epate, tertiam in venis, quartam in ipſis membris, ad quæ in forma ſanguinis per venas deferuntur alimenta. Sed hoc loco de vitiata concoctione ventriculi loquimur tantum.

Cauſæ. Cauſæ cruditatis ſive vitiatæ concoctionis in ventriculo προηγȣμέναι ſunt, aut intemperies frigida vel calida ventriculi, aut humores vitioſi in ventriculo collecti, aut abſceſſus in ventriculo.

Προκαταρκτικαὶ cauſæ ſunt, cibi potuſque aſſumpti vitioſæ qualitates, aut nimia durities, & velox corruptibilitas, aut aſſumptorum immodica copia, aut intempeſtiva aſſumptio. Item vigiliæ & lucubrationes intempeſtivæ, quæ perpetuo cruditates & appetentiæ proſtrationem generant.

Signa cruditatis generalia. Signa cruditatis perpetua ſunt, eructationes crebræ, nauſea & gravitas ventriculi, vitioſique corruptorum ciborum in ore ſapores, fœdi coloris ac graveolentia excrementa, *Nidoroſus ructus quid denotet.* ſpeciatim autem nidoroſæ eructationes, aut intemperiem calidam ventriculi, aut vitioſorum humorum in ventriculo inflammationem, aut alimenta calidæ qualitatis aſſumpta eſſe docent. *Acidus ructus quid ſignificet.* Acidæ vero eructationes generantur aut ob frigidam ventriculi intemperiem, aut humores frigidos & pituitoſos in ventriculo collectos, aut alimenta frigida, & ad pituitam generandam apta aſſumpta. *Quis humor in ventriculo.* Præterea oris humiditas & continua expuitio, pituitoſa excrementa: oris autem amaritudo & ſiccitas linguæ, bilem flavam in ventriculo contineri oſtendunt. Alia ſigna cruditatis ventriculi ex relatione ægrotantis inveſtigari poſſunt.

Curatio. Curatio pro cauſarum diverſitate variabitur. Ac primum cognita intemperie, aut vitioſorum humorum qualitate, remedia ſunt adhibenda; frigidæ intemperiei calida, calidæ frigida, & vitioſi humores convenientibus remediis evacuandi, quorum copiam paulo ante in curatione imbecillitatis ventriculi enumeravimus. Generatim autem, ſi hominis natura ſit prona ad evomitionem, vomitus præſentiſſimum eſt remedium omnis cruditatis ventriculi. *Vomitus cruditatis remedium præſentiſſ.* Procurabitur autem vomitus aut hauſtu aq. tepidæ, aut pulviſculi florum juglandium ʒ I. in aqua tepida aſſumpti. *Vomitoria. Decoctum aſari quoque in hoc caſu valde juvat.* Poſt evacuationem autem per vomitionem, corroborandus eſt ventriculus, & calor ejus nativus reſtaurandus, præſertim in frigida intemperie, id quod probe præſtat ſemiſcrupulus olei vitrioli cum vini hauſtulo commixtus, & jejuno ventriculo per paucos dies ebibitus, aut ſi jejuno ventriculo quotidie aſſumantur tria cochlearia aq. juniperi aut aq. cinamomi. *Ventriculum roborantia.*

Ubi vero intemperies calida ventriculum infeſtat, loco prædictorum remediorum calidam intemperiem mitigantia quotidie ſunt aſſumenda, qualis hæc eſt potiuncula. *Potio ventriculum calidum alterans & corroborans.*

℞. Syr. granatorum, acetoſitatis citri an. ℥ I. s.

Aq. ſtillat. abſinth. ℥ VII. commiſceantur & fiat potio.

Acida omnia cum edulia tum medicamenta, ac potiſſimum omphacia in juſculis cocta, calidam intemperiem mitigant, & cruditatem inde ortam auferunt. *Acida ventriculum roborant. Conſerva roſarum cum ſpir. vitrioli, ut & conſerva citri eodem modo conveniunt.* Reliqua remediorum genera huc transferenda ſunt pro cauſarum varietate, ex curatione imbecillitatis ventriculi.

10. *Appetentiæ proſtratio quid, quæ ejus cauſæ, quæ ſigna, & quæ ratione curanda?*

Appetitus læſio quid. Ἀνορεξία, id eſt appetitionis amiſſio, ſive cibi faſtidium, eſt ubi homines ad cibi mentionem exhorreſcunt, aſpectumque cibi averſantur, & nauſeabundi efficiuntur.

Cauſæ interna antecedentes. Cauſæ hujus ſymptomatis προηγȣμέναι infinitæ fere ſunt: Omnis ſiquidem morbus, præſertim interiorum viſcerum, & membrorum nutrititioni ſervientium; omnis denique dolor, per συμπάθειαν ac conſenſum proſternit appetentiam.

Proximæ. Præcipuæ autem internæ cauſæ, de quibus hic nobis ſermo, eſt orificii ventriculi & ve-

& venarum meſaraicarum intemperies & à vitioſis humoribus obſtructio. Venarum enim meſaraicarum actio eſt chyli ex ventriculo & inteſtinis ſuctio, & ad epar delatio, quæ ubi à crudis alimentis obſtruuntur, amittitur appetentia.

Externa. Προκαταρκτικαὶ cauſæ ſunt plerunque omnes accidentales, veluti ſunt ingluvies, ebrietas, & contrectatio rerum abominabilium, veluti cadaverum, item ciborum venenata qualitate imbutorum aſſumptio.

Signa. Signa proſtratæ appetentiæ manifeſta ſunt, ejuſque cauſæ ex ægri narratione explorari poſſunt. Communiter tamen perpetuo ad ciborum mentionem & oblationem nauſea ſubſequitur.

Prognoſtica. Signa prognoſtica ſunt, ſi appetentiæ proſtratio in principio alicujus morbi aut acerbioris doloris accidat, nihil aut parum mali ſignificat: Tum enim modico alimento natura indiget. At ſi vero in morbi declinatione, aut poſt diuturnam imbecillitatem, aut poſt violentam evacuationem amittatur appetentia, tum periculo minime vacat.

Curatio. Curatio hujus ſymptomatis conſiſtit in cauſarum, hoc eſt, morborum præcedentium ablatione. Quomodo autem & quibus remediis ſinguli morbi perſanandi ſint, ſuis in locis indicabitur. At ſi ex orificii ventriculi aut intemperie, aut vitioſorum humorum impactu, aut meſaraicarum venarum obſtructione, amittatur cibi appetentia, pro ratione intemperiei, & vitioſorum humorum qualitate, curatio inſtituatur, & remedia ex imbecillitate ventriculi huc transferantur. Utiliſſimum autem eſt ſtatim ventriculum venaſque meſaraicas vomitoria potione, quæ ſupra commemorata eſt, evacuare: aut potiuncula ex ℥ I. hieræ & ℥ ſ. caſſiæ recenter evulſæ cum hauſtulo aq. abſinthii commixtæ, ſubducere. Egregie autem venas meſaraicas ab obſtructione liberat ſequens Clyſter.

Vomitoria. Horum formulas vide ſect. hujus q. 5. de ventr. imbecillitate. Hac potio cum admodum ingrata ſit, ſcrup. ſemis gummi gutta noviter ex India allati cum ſyr. roſato vel ex infuſione violarum hic poſſet exhiberi.

℞. Flor. chamæmeli, abſinthii, centaurii minor. menthæ an. M. I. concisa decoquantur in q. s aq. ad medias, colentur, & colati juris accipiantur ℥ XIV. eiſque admiſceantur hieræ ſimp. ℥ I. ſ. ol. abſinth. ℥ III. ſalis ʒ I. fiat enema, quod jejuno exiſtente ventriculo tepidum recto inteſtino infundatur.

Enema.

Appetitum excitantia. Poſt ventriculi venarumque meſaraicarum evacuationem, exhibeantur ægro guttulæ XV. ol. vitrioli rectificati, aut guttulæ IX. tincturæ corall. cum hauſtu vini generoſi. Aut ſi non obſtet calida corporis intemperies mane ac veſperi exhibeantur 2. cochlearia aquæ cinamomi, aut aq. juniperi, aut ſequens tragea.

Tragea ſtomachalis. ℞. Cinamomi electi ℈ II. macis, cardamomi, galangæ, zinziberis an. ℈ I. coralliorum rubeorum præparatorum ʒ I. ſaccari albiſſimi ʒ II. pulverata commiſceantur, fiat tragea, cujus unum cochlear ſuper laminam panis ſimilacei toſtam, & in vino generoſo maceratam inſpergatur, & ægroto edendum offeratur.

Diæta qualis inſtituenda. Hipp. aph. 38. l. 2. In appetitus proſtratione fercula varia, ſed modica, & exquiſite apparata ægroto offerantur. Et ſi quæ expetat, etiamſi ſint paulo deteriora, & naturæ minus convenientia, edere tamen concedantur.

Inunctio ventriculi. Foris ventriculus & dextrum hypochondrion inungendum eſt oleis ac linimentis ſupra in imbecillitate ventriculi commemoratis, & imponendum ventriculo emplaſtrum de cruſta panis, cujus conficiendi ratio in myropoliorum diſpenſatoriis libellis extat.

II. *Voracitas ſive canina appetentia quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quomodo curanda?*

Appetentia canina Die Schlinksucht/ noſtratibus, qualis affectus. Κυνώδης ὄρεξις, Canina appetentia eſt inſatiabilis vorandi cibi cupiditas: Qui ea laborant, iis ventriculus ab aſſumpto cibo gravatus, alimenta adhuc cruda evomere coguntur, nec tamen inde remittit fames vel vorandi deſiderium, & ita alternatim vorando ac vomendo ſemper occupati ſunt, veluti canes aut lupi cadaveribus incumbentes. Mihi per 40. annos jam Medicinam factitanti nullus unquam in hiſce ſeptentrionalibus regionibus hujuſmodi affectione laborare viſus eſt.

Vnicum

Vnicum tamen exemplum anno 1616. in fœmina quadam ego M. B. observavi, quæ post febrim continuam misere per aliquot septimanas hoc molestissimo affectu afflicta fuit, tandem tamen Dei beneficio remediis à me præscriptis integræ sanitati fuit restituta.

Quam plurimi autem, maxime in nobilium conviviis & heluationibus, canina laborare ingurgitatione visi sunt, qui vomendo & regurgitando integras noctes consumebant.

Causa. Causæ προηγουμέναι Caninæ appetentiæ sunt, acidus aliquis humor ac tenuis, veluti sunt serosa pituita, & tenuior pars melancholici humoris, ventriculi orificio, tanquam aqua spongiæ impactus, continue orificium ventriculi vellicans. Alii falso addunt frigidam intemperiem ventriculi.

Προκαταρκτικαὶ causæ nullæ possunt dari, nisi forsan sint venenatæ potiones, ventriculi tunicas vellicantes atque corrugantes.

Signa. Signa caninæ appetentiæ ex ipsa descriptione manifesta sunt, & post vomitum ut plurimum acidi ructus subsequuntur.

Curatio. Curatio consistit in moderatione ingerendi alimenta, victus ratione & medicamentorum adhibitione.

Diæta. Cibi appetitum sedantes. In victus ratione conveniunt iis quæ cito saturare possunt, veluti sunt alimenta pinguia, carnes & sorbitiones pingues aut butyro, aut oleo copioso conditæ. Potissimum autem conveniunt oryza cum multo butyro cocta, & ova in sartagine cum butyro cocta.

Vinum generosum. Et quia Hippocrates 2. Aphor. 21. dicit, famem vini potione solvi, præstantissimum remedium est in canina appetentia frequenter micam panis vino generoso imbutam, vacuato ventriculo devorare, & haustum vini tepidi assumere.

Remedia. Medicamentis catharticis in tali affectione parum efficere possumus: præstat tamen *Evacuantia.* quotidie jejuno ventriculo assumere ℥ i. specierum hieræ simpl. cum haustulo vini; aut elect. hieræ simp. ℥ s. in aqua tepida resolutam, propinare. Hiera enim, Galeno teste, præterquam quod ventriculum mirifice corroboret, etiam exsiccat & absumit vitiosos humores ventriculi tunicis impactos. Sed longe efficaciora remedia sunt ad profligandum hoc malum, si indies guttulæ VII. ol. vitrioli, aut ℈ s. tincturæ coralliorum cum haustulo vini generosi commixtæ & post vomitum assumendæ offerantur. Compescit quoque vomitum post saturitatem ℈ s. ol. caryophyllorum aut ol. è mastiche chymica arte destillati, & cum haustulo vini assumpti. *Vomitoria eradicativa, quæ impactam acidam materiam plane tollunt, magis hic conveniunt.* Neque negligenda est externa inunctio ventriculi. *Inunctio ventriculi.* Inungendus autem est ol. è mastiche, citoniorum & myrtillorum aut sigillatim aut simul mixtis.

12. *Pica ventriculi quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curanda?*

Pica qualis affectus. Κίττα, pica est vehemens appetentia insuetorum & vitiosæ qualitatis eduliorum, aut rerum talium à quibus edendis alias natura sana abhorret, veluti sunt argilla, carbones, pix liquida, carnes crudæ, frustula humanæ carnis & similia. Et tanta est vis hujus fatuæ appetitionis in quibusdam mulierculis, ut nisi satisfiat earum desiderio, aut abortiant, aut stigmata rei desideratæ fætui imprimantur. *Gravidis familiaris quamvis & in viris quibusdam etiam observetur.* Solet autem gravidis hoc malum accidere quadragesimo die à conceptu, & durare ad quartum usque mensem ac tandem cessare.

Causa. Causæ προηγουμέναι sunt humores excrementitii sanguini menstruo commixti, in ventriculum ascendentes & orificio ventriculi impacti: προκαταρκτικὴ causa in fœminis plerunque est seminis in utero conceptio.

In viris si contingat, uti Fernelius etiam observavit, ex humore præternaturali, sui similis rei appetitum excitante oritur.

Signa effectus. Signa picæ sunt manifesta; & ut plurimum pica laborantes mulierculæ crebro exspuunt, morsiones circa orificium ventriculi, nauseam & anxietates sentiunt, quandoque etiam evomunt. *Signa materiæ peccantis.* Vitiosi vero humoris genus & qualitas ex iis, quæ per vomitum sunt ejecta, deprehendi possunt. Serosi enim humores & pituitosi ex albo, biliosi ex croceo atque viridi, melancholici & menstruosi ex nigredine dignoscuntur.

Curatio

Curatio.

Curatio in hoc malo instituenda est victus ratione, & usurpatione medicamentorum. Omnium autem primum ad evellendos vitiosos humores vomitus facilis haustu aquæ tepidæ aut haustu hydromelitis, in quo decoctæ sunt radices raphani assumpto proritandus erit.

Vomitus provocandus.

A purgantibus enim medicamentis per inferiora in gravidis penitus abstinendum est, monente Hippoc. l. 4. Aphor. 1.

A validioribus quidem, sed à benignis & lenioribus, quales jam in usu sunt, non adeo abstinere oportet, cum eorum usu sæpe pica tollatur & rectius degant gravidæ, sicuti sæpius ipsemet expertus sum. Quod & Fernelius suadet l. 5. Phisiol. c. 19.

Post vomitum offeratur patienti buccella panis tosti, in succo cytoniorum aut in succo granatorum macerata.

Cibi offerendi pica laborantibus.

Cibis utatur qui non facile putrescant ac corrumpantur in ventriculo, tales sunt pedes suilli, & tali ovium probe cocti, & aceto conditi: conveniunt & pisces saxatiles atque squamosi: convenientissimum autem edulium est picæ laborantibus pulmentum ex amylo recenti factum, & sæpe esitatum. Ex fructibus conveniunt fructus olivarum immaturarum muria conditarum. Item amygdalæ amaræ frequenter esitatæ. Pro claudendo autem ventriculo post cibum assumptum utatur prunis sylvestribus saccaro conditis, aut cytoniis conditis. In potu utatur vino moderatè austero ac potissimum rubeo, aut si vinum aversantur, convenientissima potio est aqua, in qua cinamomi frustula, & semina coriandri sunt incocta.

Oliva.

Potus.

Loco remediorum utantur mane ac vesperi radicibus cichoreæ conditæ aut sequenti electuario.

Electuarium ventriculum post evacuationem roborans.

℞. Cytoniorum conditorum, rad. cichoreæ conditarum an. ℥ 1. carnis prunorum silvestrium ℥ s.

Concidantur minutissime & cum q. s. Rob. è ribes, fiat electuarium, cui admisceantur coralliorum rubeorum præparatorum, cornu cervi usti & præparati an. ʒ s. ol. caryophyllorum ℈ s. fiat electuarium, de quo assumat ægra mane ac vesperi q. semijuglandis.

Topica.

Interim nec topica externaque remedia in hoc malo prætereunda erunt. Inungatur itaque ventriculus oleis ex cytoniis aut nardino aut mastichino, sive solis, sive inter se mixtis, foveaturque ventriculus sacculo ita concinnato.

Inunctio ventriculi.

Sacculus.

℞. Menthæ, rosarum an. M. 11. absinthii M. 1. mastiches ℥ s. caryophyllorum ʒ 11. concisa & contusa consuantur in sacculum, & concoquantur cum vino rubeo, & exprimatur, tepidusque ventriculo imponatur.

13. *Intolerabilis & cito in syncopen conjiciens fames quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus remediis curanda?*

Bulimos quid.

Βούλιμος, ingens & subita fames est: λιμὸς enim famem significat, βου autem particula extendit & auget significationem vocabuli. Differt autem βουλιμία à canina appetentia. Non enim in βουλίμῳ assumpta removet æger, nec ita diu, ut in canina appetentia, perseverat fames, sed nisi statim alimento convenienti aut remediis succurratur, paulo post prosternitur appetentia, & aversatur oblata cibaria, ita ut nec coacti assumere queant, ac deinde incidunt in animi deliquium, quo & sæpe extinguuntur. Βουλιμία & canina appetentia in borealibus regionibus rarissima sunt, & mihi quidem nunquam visa symptomata.

A canina appetentia differt.

Memini tamen aliquot exempla bulimo laborantium, unicum tantum canina appetentia.

Causa.

Causam τῆς βουλιμίας omnes ferè Medici unam tantum eamque προκαταρκτικὴν ponunt, orificii videlicet ventriculi ab externa aëris frigiditate vel nivis vel glaciei, refrigeratione; ajuntque iis præsertim accidere, qui iter in Alpibus nivosisque locis faciunt, quod sane mihi verisimile non videtur, cum quotidiana experientia testetur, quod ii, qui in Alpibus aut frigidis locis iter faciunt, vehementer refrigerati non fame, sed potius profundissimo & inevitabili sopo-

Opinio aliorum.

Hæc causa si admittenda, bulimon ex-

 re op-

citat calorem intro propellendo ibique augendo, ut eo citius assumpta concoquat, & novi alimenti appetitus consequatur.

Authoris opinio.

re oppressi extinguantur. Ego vero hujus mali causas προηγουμένας putarem esse humorem gypseum aut acidum, eumque venenata qualitate imbutum, ventriculi interiorem tunicam convellentem, aut lumbricos ventriculi orificio inhærentes idque erodentes & vellicantes, teste Alexandro Tralliano l. 7. c. 6.

Signa.

Signum hujus symptomatis est repentina & intolerabilis fames, quæ non usque adeo diu durat, sed nisi statim convenientibus alimentis odoramentisve, aut medicamentis succurratur, repente prosternitur appetentia, & in animi deliquium incidit æger: quod subsequitur externarum partium refrigeratio & sudor frigidus. Si lumbrici βουλιμίας causæ sunt, erosio orificii ventriculi semper adest.

Curatio.

Curatio. Ni subito huic malo occurratur, actum erit de salute patientis. Statim itaque & victus ratio, & medicamenta calefacientia, gypseumque humorem resolventia, & venenosam qualitatem discutientia adhibenda erunt.

Remedia famis syncopalis.

Præstabit itaque patienti statim ubi conqueritur, buccellam panis in vino generoso sive Cretico maceratam offerre, & paulo post exhibere tria aut quatuor cochlearia aq. juniperi chymica arte destillatæ, aut duo cochlearia aq. cinamomi, aut ʒ I. Theriacæ Andromachi. Hæc enim omnia frigidos & venenosos humores recalefaciunt, extenuant & discutiunt.

Cibi.

Postea cibare eos convenit, si adhuc fames eos urgeat, carnibus porcinis assatis, ovis sorbilibus & caseo, non tamen rancido, nec recenti, aut nimia vetustate corrupto, sed paululum subduro & bene odorato, quales sunt casei Helvetici aut Rugiani.

Lotio manuum ac pedum.

Præterea utile est in hoc symptomate pedes ac manus aqua calida, in qua incoctæ sunt mentha, pulegium & folia rorismarini, lavare ac fovere.

Odoramenta naribus adhibenda.

Naribus autem admovenda sunt odoratissima quæque, veluti sunt ol. spicæ, nucum moscatarum, moscus, & acetum in quo pulegium & caryophylli sunt incocti. Sed mirifice confert & nidor recenter pisti panis. Notandum quod nihil æque celeriter vires collapsas reficere & spiritus vitales dissolutos potest colligere quam bonus suavisque odor.

Hippoc. l. de alimento.

Restaurant quoque vires collapsas rotula una aut duo confectionum diamoschi, diambræ, aromatici rosati, & similium bis terve in die assumptæ.

Si ol. cinamomi irrorentur, efficacius vires reficient.

Post vires aliquantulum restauratas, præsertim in gypseo humore discutiendo præsentissimum remedium est, singulis diebus gutt. x. ol. vitrioli aut tincturæ corall. chymica arte confectæ & cum haustulo vini assumptæ.

Pro ol. vitrioli spiritus assumendus.

Ad prostratam appetentiam.

Ubi prostrata est appetentia, varia cibaria optimè condita sæpiuscule sunt offerenda.

Foris inungendum est orificium ventriculi calidis oleis aut Nardino aut Masttichino, aut è mentha, quibus pauxillum aq. juniperi est admixtum.

Evacuantia.

Viribus tandem paululum refectis, expurgentur è ventriculo vitiosi ac venenati humores potiunculis vel vomitoriis paulo ante aliquoties commemoratis aut seq. bolo.

Bolus.

℞. Cass. recenter evulsæ ℥ s. cui admisce ʒ II. spec. hier. simpl. & devoretur in aurora.

Haustus catharticus.

Aut si propter amarorem comedi nequeat, resolvatur cum haustulo aq. absinthii & ebibatur tepidus.

Lumbrici quibus expellendi.

Si vero βουλιμίας causam lumbricos esse suspicio est, exhibeatur per triduum mane ac vesperi ℈ II. aut ʒ I. spec. hier. simpl. quibus admixtæ sint olei vitrioli guttulæ VI.

Possunt & turpethi mineralis aliquot grana exhiberi in hoc casu.

10. *Nausea & vomitus quid, quæ horum symptomatum causæ, quæ signa, & ut curanda?*

Nausea quid.

Ναυτία καὶ ἔμετος sunt symptomata cognata, in quibus ventriculus depravato motu conturbatur; & nausea quidem est vomendi desiderium & conatus, quæ ut plurimum præcedit vomitum, quamquam sæpè non subsequitur vomitus, sed est sterilis & inanis vomendi appetentia, & nihil præter aquam pellucidam ex ore profluit.

Vomitus quid.

Vomitus autem est eorum, quæ in ventriculi capacitate continentur, violenta per os rejectio & expulsio.

Horum symptomat. differentia.

Nausea itaque & vomitus extensione tantum & remissione differunt, ex iisdem enim causis oboriuntur.

Causa interna.

Causæ horum symptomatum προηγουμέναι

ναι quidem ſunt diſſolutio & lubricitas ventriculi ab aliquo vitioſo humore venenato peſtilentique in ventriculo contento, ſive is humor ſit pituitoſus, ſive bilioſus, ſive melancholicus, ſive ſimul mixtus. Tales autem humores aut generantur in ipſa capacitate ventriculi ex intemperie aliqua, aut in ventriculum aliunde ex aliisque viſceribus, ex capite, epate, liene, matrice & inteſtinis influunt.

Cauſæ externæ.

Προκαταρκτικαὶ cauſæ ſunt cibi facile corruptibiles ut anguillæ, aut venenata acrique qualitate imbuti, aut majori copia quam natura tolerare poteſt ingeſti & in ventriculo corrupti in bilemque praſſinam aut pituitam vitioſam converſi. Item horribilium rerum aſpectus, & totius corporis gyratio diuturnior circularisque motus, & inſueta navigatio.

Signa cauſarum diverſarum. An ex primario ventriculi affectu.

Signa nauſeæ vomitionisque conſpicua ſunt: ex quibus autem cauſis oboriantur, varia ad earum cognitionem ſigna ſunt conſideranda. Ut primum, ſi diſſolutio ventriculi ex intemperie aliqua, cauſa eſt humorum vitioſorum, quos natura per vomitum expellere conatur, ventriculi moleſtiæ ac dolores manifeſte ſentiuntur. Ubi vero per συμπάθειαν ventriculus conturbatur, id eſt, ubi ex aliis viſceribus profluunt humores vitioſi in ventriculum, aut præceſſit aut ſimul adeſt partium illarum gravitas & ægritudo, & ſentitur dolor aut capitis aut dextri hypochondrii, ut in epatis affectione, aut ſiniſtri in lienis debilitate. Humores autem vitioſi in ventriculo contenti & vomitum proritantes cujuſnam ſint generis, cum ex ructu, tum etiam ex colore evomitorum internoſcuntur. Ructus ſiquidem acidus pituitam, nidoroſus aduſtam materiam, amarus bilem flavam, in ventriculo hærere indicat; ita color albus pituitam, flavus bilem flavam, praſſinus bilem viridem inhærere ventriculo ſignificat.

An per ſympathian alterius partis.

Qualis humor peccans.

Prognoſtica.

Prognoſtica ſigna & breves hæ præceptiones in vomitionibus ſtudioſe ſunt obſervandæ. A vomitu ſingultus & oculorum rubor malum, id eſt, perniciosum eſt ſignum; Hippocrat. Aphor. 3. l. 7.

Vomitus quinam pernicioſus.

Item vomitus à tuberculorum id eſt apoſtematum interiorum viſcerum ruptione, & in febribus peſtilentibus, & in ilio morbo communiter pernitioſus eſt; Hippocrat. 8. Aph. l. 7.

Vomitio ſalutaris eſt ſi pituita non adeo craſſa bile permixta evomatur; deterior autem ſi ſincera bilis, aut praſſina aut colluvies humorum nigra lividaque projiciatur.

Omnis ſupputris & fœtida vomitio exitioſa habenda eſt; Hippocrat. l. 2. prognoſtic.

Quiſnam vomitus ſit reprimendus.

Si vomitiones ſpontaneæ ſint, ac potiſſimum à cibis, æger melius habet. Vomitio in initio morbi accidens, aut die critico, aut in repletione ventriculi minime eſt reprimenda, niſi vires nimium proſternat. Nam, Hippoc. l. 1. Aph. 2. teſte, in vomitionibus ſpontaneis ſi talia evacuentur, qualia purgari oportet, confert plurimum, & leniter fuerunt, ſin minus contra.

Unde vomitus ſalubris agnoſcendus.

Tempus conveniens vomitioni.

Qui facile vomunt, ii ſi vere & autumno ventriculum per vomitum evacuent, plurimum conducit ad valetudinem: crebro autem qui vomunt, cloacam ex ventriculo faciunt, & citam ſenectutem adſciſcunt, Avicenna & Celſo teſtantibus. Immoderata vomitio ſi vires proſternere incipiat, ſtatim cohibenda erit.

Crebræ vomitionis incommoda.

Curatio.

Curatio pro cauſarum diverſitate varianda erit. Si igitur ventriculus vel colluvie vitioſorum humorum, vel alimento à peſtilenti qualitate imbuto vel corrupto gravatur, non modo non cohibenda eſt vomitio, ſed & mox per hauſtum aq. tepidæ cui ſal ſit admixtum, aut hauſtulo decocti rad. raphani epoto, ac paulo poſt digito in fauces immiſſo, vomitio irritanda erit. Vomitus enim vomitu frequentiſſime curari ſolet.

Vomitus vomitu curandus.

Poſt ſufficientem vitioſorum humorum evacuationem, ſi & intemperies ventriculi ſit frigida, & evomiti humores ſint pituitoſi, plurimum conferunt guttulæ 5. aut 7. ol. vitrioli aut tinctura coral. cum hauſtu vini generoſi, aut aq. ſtillat. menthæ commixta & exhibita.

In bilioſa conſtitutione poſt

Verum ſi corrupti humores calidiores atque bilioſi extiterint, abſtinendum eſt à ſupra dictis liquoribus, & loco eorum quo-

vomitum exhibenda. tidie post vomitionem offerenda est patienti ʒ I. sequentis pulvisculi commixti cum haustulo aq. menthæ.

Pulvis. ℞. Aloës puriss. ʒ I I. Mastich. corall. rub. præparat. an. ʒ I. Misce tenuissime pulverata, cujus ʒ I. cum cremore ptisanæ, aut jusculo in quo uvæ immaturæ sunt incoctæ ebibenda propinetur.

Vomitionis, per consensum alterius partis, curatio. Porro si humores vitiosi ex toto corpore in ventriculū defluentes sint vomitionis causæ, tum per humoris vitiosi speciem quæ ex urina & colore corporis internosci potest, ejus humoris vitiosi methodica curatio suscipienda concoquendo, & ex universo corpore evacuando convenientibus remediis, quorum copia ex generalibus tabellis supra annotatis, & ex his quæ infra in universalibus morbis curandis dicentur, petenda est. Simili ratione si vomitionis materia vel ex cerebro vel ex epate, liene aut matrice vel intestinis defluant, primum affecta pars quæ materiam in ventriculum ablegat, diligenter curanda est remediis in particul. singularum morbis curandis descriptis. *Partes mittentes primum curandæ.* Nisi enim partes corporis quæ vomitionis causam vitiososque humores in ventriculum demittunt prius probe purgentur, frustra vomitum compescere conamur.

Ventriculo convenientia remedia. Interim tamen dum vel universum corpus vel partem affectam curare studemus nec ipse ventric. negligendus erit. In vomitu itaque ommium primum victus ratio conveniens & causæ contraria concoctu facilis, *Diæta.* & à qua debilis ventriculus minime offendatur, instituenda est. Conveniunt autem *Cibi salubres.* potissimum cremor ptisanæ, carnes pullorum, vitulorum, columbarum, & leporum, jusculaque, quæ omnia pro qualitate vitiosi humoris, aromatibus, aceto, melle defæcato, vel saccharo condiri, vel non condiri debent. His addi possunt & pruna Ungarica vel Damascena & lac amygdalinum. *A cibo assumenda.* Post cibum sumptum utatur æger pyris moscatellinis conditis, aut cytoniis, aut diacytonite simp. ex succo confecto. Corroborant enim ventriculum & claudunt ejus orificium. *Naribus adhibenda in nausea.* Prodest & odoramentis suavioribus naribus admotis frequenter uti, præsertim ubi nausea infestat hominem, inter quod præstantissimum est panis tostus aceto rosac. & pulvere caryoph. aut menthæ siccæ aut rosarum conspersus. Odor quoque mali cytonii confert plurimum. Foris autem semper ante cibi assumptionem inungatur ventriculus, *Inunctio ventriculi.* in frigida quidem ejus intemperie, ol. è mentha, absinth. mastich. nard. similibus singulatim per se aut simul mixtis. In calida vero intemperie ol. rosarum, ex myrtillis, cyton. ac similium. Post sumptum cibum applicentur orificio ventriculi emplast. scutiforme de crusta panis, *Emplast. de crusta panis.* cujus descriptio extat in lib. pharmacopolorum, quos dispensatoria vocant. Aut imponatur crusta panis tosti digiti crassitiem *Aliud epithema.* æquans vino generoso imbuta, si intemperies adest frigida; aut aceto rosac. si caliditas in ventriculo sentitur, cui pulvis menhæ, rosar. mastich. & caryophyl. inspersus.

In frigida ventriculi intemperie remedia. In frigida intemperie ante cibi assumptionem utiliss. exhiberi possunt 2. cochlearia aq. cinamom. aut I. cochlear. aq. juniperi, aut guttulæ 5. ol. caryophyl. cum haustulo vini mixtæ. Omnium autem præstantissimum remedium omne genus vomitionis compescens est sequentis potiunculæ duo cochlearia à cibo sumpto ebibita.

℞. Caryophyl. crassiuscule concisorum ʒ I. Mastich. ʒ s. Ros. p. I. simul mixta cum vini rub. ℔ s. In olla sub operculo coquantur ad medias, fiat potiuncula. In vomitionibus unice procurandum est ne alvus sit adstricta, *Alvus ne sit adstricta.* sed alternis ad minimum diebus vel arte vel natura dejectio alvi est procuranda.

15. *Cruenta evomitio quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & qua ratione curanda?*

Vomitus cruentus quid. Ἁιματηρὸς ἔμετος, sanguinea evomitio est, ubi quis cruenta vel cruorem sincerum per os cum vomitu projicit. Differt ab *Differentia ab hæmoptysi.* αἱμοπτυϊκῆς id est sanguinis cum tussi rejectione, de quo symptom. supra in morbis thoracis ac pulmonum curandis tractatum est.

Vomi-

Duplex vomitus cruentus. Vomitio enim est ventriculi actio, sicuti tussis pulmonum ac thoracis. Contingit autem ut ventriculus sanguinem evomat, aut per ἰδιοπάθειαν id est propriam affectionem, aut per συμπάθειαν id est sanguinis in ventriculum vel ex epate vel ex liene vel ex matrice influxionem.

Causa. Causæ προηγούμεναι sunt venarum in ipsa ventriculi capacitate sitarum, aut venarum communium cum visceribus ventriculo connexis ruptiones ex lapsu vel casu motuque alio violento, aut apertiones & erosiones ex redundantia, tenuitate & acrimonia sanguinis in ipsis venis contenti.

Causæ προκαταρκτικαὶ sunt violenta viscerum commotio, lapsus, acres erodentesque cibi, & venena assumpta, venas viscerum aut ventriculum vulnerantia. Quomodo autem & quibus indiciis internoscenda sit, utrum sanguinolenta vomitio per ἰδιοπάθειαν aut συμπάθειαν fiat, supra in tractatione de αἱμοπτύσεως abunde declaratum est.

Signa. Vomitus cruenti per sympathiam. Signa autem certiss. sunt ventriculum per συμπάθειαν affici, quando per vomitum grumus, id est, concretus sanguis niger, lividus, & corruptus evomitur. Perpetuo enim ubi sanguis ex propriis vasis elabitur, concrescit, niger ac lividus redditur, ac corrumpitur.

Curatio. Venæ sectio præcipuum hic remedium. Curatio semper à venæ sectione auspicanda est, ac si dolor punctionesque in sinistro hypochondrio sentiantur, vena sinistræ manus inter parvum & annularem digitum secanda erit; si in dextro hypochondrio malum percipiatur, dextræ manus vena est aperienda. *Sanguinem grumosum dissolventia.* Et quia ut plurimum sanguis in crassos grumos in ipsa capacitate ventriculi concrescere coagularique solet, ad dissolvendos grumos exhibenda erit ʒ 1. coaguli leporis, & tandem vomitio cienda.

Sanguinem sistentia. Ac post vomitionem & internis & externis remediis apertæ, ruptæ erosæque venæ consolidandæ, sanguinisque stillatio in ventriculo restringenda. *Optimum ad vomitum cruentum juvamen.* Quibus autem remediis perfici ea queant, supra in curatione αἱμοπτύσεως ostensum est, ubi remedia cum interna tum externa certa experientia comprobata sufficienter sunt enumarata. *tum præstat, si essentiæ croci Martis drachma 1. cum gelatina cydoniorum & conf. rosæ veteris uncia exhibeatur.*

16. *Cholera ventriculi quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus remediis compescenda?*

Χόλερα quid denotet. Χολέρας vocabulum propriè bilem flavam significat, sed apud Medicos nonnunquam pro morbo ventriculi, quem bilis rubra aut prassina in ventriculo contenta, ut plurimum excitare consuevit, usurpatur. *Cholera morbus quid:* Est autem cholera ventriculi vehemens perturbatio, & acutus morbus ventris, in quo natura & vomitu per gulam, & alvi excretione per intestina simul noxios humores immoderatius propellit & excernit.

Causa interna. Causæ προηγούμεναι choleræ sunt corrupti vitiosique humores, veluti sunt bilis rubra sive vitellina & bilis prassina ex cibis corruptis in ventriculo generata, qui vel sua copia vel pondere vel acrimonia vel mordicatione utrumque ventriculi orificium, stomachum videlicet & pyloron dilatant, & ad excretionem concitant.

Causa externa. Causæ προκαταρκτικαὶ sunt alimenta facile corruptibilia & in bilem prassinam degenerabilia, copiosius assumpta, veluti sunt anguillæ, & mollis carnis pisces, mala persica, cerasa, nuces juglandes recentes, allia, cæpæ, & venenata cum edulia tum pharmaca, veluti est scammonium (quod malignam, nisi probe corrigatur, & adversam principalibus visceribus qualitatem continet.)

Signa affectus ipsius. Signa choleræ sunt satis manifesta, videlicet vomitus immoderatus, & alvi egestio copiosa simul vomitui juncta, in quibus vel aquosa, vel nidorosa, vel acida, vel amara, vel flava viridisque materia projicitur, & tales quidem egestiones ad plures horas perseverant, quas sequitur vehemens sitis & sudoris eruptio. Item musculorum in brachiis & pedibus acris tensio & laceratio, & tandem subsequitur virium prostratio & syncope.

Signa causarum. Signa externarum causarum, videlicet cibi ac potus vitiosi, dignoscuntur ex relatione patientis: corruptorum vero humorum species ex colore excretorum deprehendi possunt.

Prognosticon. Signa prognostica observanda erunt, cholera morbus celerrimam postulat curationem: neglecta enim, aut per crebram syncopen subito extinguit, aut in tabem conjicit patientem.

Curatio. Curatio itaque statim in initio est auspicanda, quæ in cita evacuatione noxiorum humorum, & in victus ratione convenienti consistit. *Ab astringentibus in initio abstinendum.* Cavendum autem ne vomitus aut alvi egestio statim in principio cohibeatur. Nihil enim perniciosius vomitus aut egestionis in cholera cohibitione, donec prius noxii humores ventriculi inhærentes probe sint evacuati atque purgati.

Vomitoria primum exhibenda. Quare si nausea continua à vomitione infestet ægrum, quod vitiosum humorem in orificio ventriculo impactum esse ostendit, statim haustu largiori aq. tepidæ assumpto, aut ʒ I. julorum, id est, florum juglandis cum mulsa epota, ac paulo post digito faucibus inserto vomitus est proritandus & affatim vomendum. Vomitus enim sæpe non nisi per vomitum sisti potest.

Purgantia lenitiva. Ubi vero in capacitate ventriculi corrupti humores contineantur, quod ex dolore totius ventriculi agnoscitur, remedia levissima purgantia, veluti sunt ʒ x. pulpæ cassiæ recent. evulsæ, aut ʒ I. aloës puriss. aut ʒ I. spec. hieræ simpl. cum haustu aq. absinth. aut menthæ commixta exhibeantur. Si vero Πυλόρῳ inhæreat vitiosus humor, id quod ex mordicatione paulo supra umbilicum deprehenditur, sequens enema commodissime applicari potest.

Enema. ℞. Flor. chamæm. anethi an. M. I.
Herb. Mercurial. malvæ, violariæ an. M. s.
Hordei excorticati & crassius moliti p. I.
Coquantur ad medias cum q. s. aq. & colentur, colati juris accipe ℥ XIIII. quib. admisce hier. simpl. ℥ II. ol. viol. ℥ III. salis ℈ II. fiat enema, quod jejuno patienti tepidum infundatur.

Inunctio ventriculi. Post evacuationem vitiosorum humorum, venter & hypochondria inungantur ol. mastich. cyton. rosar. nard. aut absinthii, singulatim acceptis aut simul commixtis, ac deinde somnus & quies præcipiatur patienti: demum conveniens victus ratio, quæ & corroboret & moderate constringat ventriculum, & simul vires reficiat, instituatur. *Victus ratio.* Probe autem faciunt in victu exhibere cholera laborantibus lac amygdal. cum aq. in qua candens ferrum est extinctum, præparatum, item amygdalæ excorticatæ per se comestæ, similiter & juscula prunorum, pullorum cum aq. chalybeata, & cum uvis immaturis cocta. *Cibi adstringentes.* Panis quoque tostus, & in vino rubro maceratus, conducit plurimum, similiter & ova duriuscula, pullorumque & columbarum caro assa. *Potus.* In potu vitandum est vinum: In cerevisia autem semper maceretur crustula aut lamina panis tosta. *Fructus in cholera convenientes.* Ex fructibus maxime conveniunt mespila & mala cytonia saccaro condita, similiter & diacytonion simplex ex succo & saccaro confectum; Item mala punica & pyra astringentia post & ante cibum assumpta conveniunt. Si autem à bilis flavæ seu rubeæ aut prassinæ copia oboriatur cholera, plurimum confert cremor ptisanæ cum aq. chalybeata paratus.

Remedia adstringentia & refrigerantia. Ex remediis prosunt in cholera syrup. acetositatis citri, syr. granorum granatorum, syr. ex immaturis uvis, ex Rob. è. ribe cum haustu aq. plantag. commixtum. Sed vomitui & alvi immoderatæ dejectioni nullum præsentius remedium inveniri potest, quam crocus Martis à Paracelso inventus & ritè præparatus, *Crocus Martis.* aut decoctum caryophyll. & mastich. cum vino rubeo ante & post sumptum cibum bibitum, ut paulo ante in vomitionis curatione commemoratum est.

Topica. Porro topica sive externa remedia subsequentia choleram mirificè compescunt.

Cataplasma admodum adstringens. ℞. Limi in vasis fabrorum ferrariorum, in quibus ferrum candens extinguitur, reperti, qui cum pauxillo aceto vini mixtus tepidus ventriculo instar cataplasmatis imponatur.

Epithema. Aut panis tostus cum succo polygoni sive sanguinariæ, quam & corrigiolam vocant subactus, qui tepidus ventri simili modo imponatur.

Cataplasma vomitum compescens. tur. Item præstat & epithema ex succo prunell. sylvest. & pulvere boli Armeni permixtis confectum, & dupl. linteolis exceptum ventrique impositum. Item fermentum acre cum succo menthæ in formam cataplasm. redactum & ventri impositum sistit choleram, ac potissimum vomitionem.

Si vero vomitus sit sublatus, alvus autem adhuc immoderatius egerat, clyster hujusmodi alvi infundendus.

Enema alvum sistens. ♃. Lactis chalibeati in quo amylum & sem. papav. albi contusa sunt incocta ℥ xv. quæ tepida recto intestino infundantur.

Prodest quoque sequens cerotum ventri impositum.

Cerotum pro ventre adstrictivum. ♃. Ol. rosar. cyton. myrtill. è mastiche an. ℥ s. Ceræ q. s. fiat emplast. sive cerotum, cui antequam indurescat refrigereturque, admisce pul. acatiæ, hypocistidos, mastichis an. ʒ II. cornu cervi usti, boli armeni, sanguin. Dracon. balaust. an. ʒ I. fiat ceretum, quod per alutam extensum sindone obducatur, ventrique imponatur.

Symptomata cholera præcipua. Symptomata hujus mali, veluti sunt sitis & musculorum lacerationes, hisce præsidiis mitiganda veniunt.

Sitis remedia. Sitim sedat commasticatio trifolii acidi, succus arantiorum & syr. acetositatis citri vel granatorum, &ea remedia quæ in sequenti sitis curatione descripturi sumus.

Dolores musculorum ut sedandi. Dolores musculorum levant calidæ inunctiones cum ol. Irino, anethino, rutæ, castor. & similibus.

17. *Singultus quid, quæ ejus causa, quæ causarum signa, & quibus mediis sistendus?*

Singultus quid. Λυγμὸς, singultus, nostris **der Schnucklauff** / est motus præternaturalis & violentus ventriculi, quo expultrix & retentrix facultas inter se pugnant, quove natura in ventriculo noxia contenta propellere & extrudere conatur: Et hic quidem motus similis est convulsioni, quæ in musculosis partibus accidere.

Causa. Causæ προηγούμεναι singultus sunt, aut frigida aut calida intemperies ventriculi; aut humores calidi acresque; aut humores frigidi ac serosi ventriculi tunicis impacti, aut flatulenti spiritus in ventriculi capacitate excitati. Προκαταρκτικαὶ sunt cibi potusque corrupti frigidi flatusque generantes. Hippocrates causas omnes ad duo genera refert, 6. Aphor. 39. inanitionem videlicet & repletionem.

Signa causarum. Signa sunt manifesta. Causæ autem προηγούμεναι calidæ ex mordicatione orificii ventriculi, frigidæ ex eructationibus dignoscuntur. Προκαταρκτικαὶ vero ex patientis relatione intelligi possunt. Et quidem si singultus causa est inanitio, tùm copiosa præcessit evacuatio, aut alvi, aut sanguinis profluvium. Si ex repletione singultus sit obortus, repletionis signa præsto sunt, & à vomitu statim liberantur, id est, post vomitum liberantur à singultu.

Prognostica. Prognostica signa in singultu hæc observanda veniunt. Singultus post vehementes evacuationes, veluti in dysenteria, in vomitu perseverante, in sanguinis profluvio, similiter & in morbis acutis, in quibus vires sunt delapsæ, aut in ilio morbo, in colica, in cerebri inflammatione, in caro, in tetano, in animi deliquio, perpetuo præsentem mortem significat: Hippoc. l. 5. Aphor. 3. & 4. A singultu sternutatio superveniens, cessat singultus: Hipp. 6. Aphor. 13.

Curatio. Curatio pro causarum diversitate dirigenda est.

Si à repletione vomitus excitandus. Vomitoria. Si itaque adsint in singultu signa repletionis, aut obortus sit singultus ab acribus mordicantibusque cibis, statim vomitio est excitanda, aut per largum haustum aq. tepidæ, aut per assumptionem oxymellis scillitici, aut assumpta ʒ I. pulveris julorum sive florum juglandium, aut aliorum remediorum supra de vomitione descriptorum.

Singultus ex inanitione ut curandus. Ubi vero per inanitionem singultus est excitatus, omnis cura ad evacuationis cohibitionem ac repressionem est convertenda, cujus remedia partim supra, partim in

in sequentibus suis in locis commemorabuntur.

Ex frigida causa si oriatur, quæ conveniant. Si ex frigiditate ventriculi, frigidisque humoribus ventriculo impactis excitatur singultus, vomitum quoque adhibere oportet, aut, si qui vomere nequeant, ventriculum evacuare ʒ I. *Pillulæ.* pillularum ex hiera cum agarico confecta, & mane deglutita. *Enema.* Aut per Clysterem ex decocto absinthii & hiera picra confecto, alvum subducere. Postquam autem pituita est educta, utatur *Vinum Creticum.* æger haustulo vini Cretici, aut assumat sequentem pulvisculum.

Pulvis contra singultum. ℞. Pul. rutæ, cymini præparati, cynamomi an. ℈ I. castorei ℈ s. commisceantur, fiat pulvis, propinetur cum vino. Aut

Ol. Cymini. ℞. Ol. cymini ℈ s. misceantur haustulo vini & tepidum exhibeatur. Aut *Rot. diatrion pipereon.* devoret patiens rotulas 2. diatrion pipereon.

Inunctio ventriculi. Foris vero inungatur ventriculus sequentibus oleis.

℞. Ol. è mastiche, ol. nardini, è mentha an. ʒ II. ol. castorei ʒ I. commisceantur, quo tepido fiat inunctio.

Sacculus. Utilissime quoque ventriculo sacculus ex foliis menthæ, pulegii, florib. absinthii an. M. II. & cymini ℥ I. consutus & in vino calefactus & expressus, imponitur.

Ex causa calida orti singultus remedia. Porro in calida ventriculi intemperie, aut biliosis humoribus ventri impactis, primum infusione Rhabarbari, & electuario lenitivo bilis subducatur. Deinde in ratione victus utatur cremore ptisanæ, lacte amygdalino, jusculis ex carnibus pullorum *Laudanum opiatum hisce pill. præferendum.* contusis &c. Deinde frequenter utatur rotulis diatrion sandalon, aut ebibat pulverem seminum portulacæ cum haustulo aq. cichoreæ, & si æstuet ventriculus exhibeatur ʒ I. pillularum de cynoglossa. *Inunctio ventriculi.* Foris vero inungatur ventriculus oleis sequentibus.

℞. Ol. rosar. nymphææ, cytoniorum, è mastiche an. ʒ I. commisceantur.

Sacculus. Post inunctionem imponatur ventriculo sacculus ex rosis, floribus absinthii, spica celtica an. M. II. & caryoph. contusorum ℥ I. confectus, ac cum aceto rosaceo madefactus.

Laudatur in singultu & lac caprinum recens emulctum & jejuno ventriculo haustum. Item diacytonium ex succo confectum.

In omni autem singultu præsentiss. adfert remedium ʒ I. pulveris cornu cervini adusti cum vino rubro exhibita. In levioribus singultationibus spiritus retentio & sternutatio sistunt singultum.

Galenus generale remedium contra omnis generis singultum commendat l. 8. compos. medic. local. c. 3. ex costo, spica nardi, chrysobalano, rosis, mastiche, aloë, asaro & opio, ex quibus cum succo psyllii pastillos format, eosque singultientibus offert.

18. *Sitis vehemens quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo sistenda?*

Δίψος σφοδρὸς, siticulositas seu intolerabilis sitis, est humidi ac frigidi assidua ac vehemens appetentia. *Sitis immoderata quid.* Nam juxta Galenum in comm. aphor. 19. l. 4. Hipp. Sitis oritur ob penuriam humiditatis & abundantiam caliditatis. Sitis multorum morborum, *Quorum morborum symptoma sit per sympathiam.* potissimum autem ex caliditate & siccitate ortorum, veluti sunt ardentes febres, jecinoris ac pulmonum inflammationes, item hydrops, diabetes. i. e. urinæ continua fluxio, qui omnes per sympathian sitim inferunt, symptoma & comes est. Verum hoc *De siti ex ventriculi intemperie hic agi.* loco de siti potissimum, ex caliditate siccitateque ventriculi oborta, nobis sermo est.

Causæ internæ. Causæ sitis vehementioris προηγουμέναι sunt, ventriculi aut œsophagi, aut oris ventriculi calida & sicca intemperies, vel humores calidi & salsi, veluti sunt bilis & salsa pituita prædictis partibus impacti.

Externæ. Causæ προκαταρκτικαὶ sunt salsi & exiccantes cibi, vini veteris aut plenioris cerevisiæ immodica helluatio, corporis fatigatio, in æstu calidioribusque locis conversatio, aq. marinæ potatio, medicamentorum impensius calidorum aut veneni calidioris assumptio.

Signa diversarum Signa sitis ex querimonia ægrotantis dignosci possunt: causarum vero internarum diver-

Sitis causarum. diversitatem hisce notis deprehendimus. Signa caliditatis siccitatisque ventriculi & quæ per συμπάθειαν sitim inferunt, affectiones, ex æstu ventriculi dignoscuntur. Signa vero sitis quæ comitatur alios morbos, ex eorum morborum descriptionibus peti debent. Humoris biliosi copiam in ventriculo sitim referentem, linguæ siccitas & amaritudo indicant, sicut & salsi humoris salsedo linguæ ostendit.

Curatio. *Sitis ex causis externis orta ut propellenda.* Curatio immoderatæ sitis pro diversitate causarum varianda erit. Si itaque sitis sit superficialis tantum ex causis procatarcticis, veluti ex ciborum calidorum salsorumque assumptione, uberiori helluatione, similibusque oborta, huic largior somnus medicamentum erit, testante Hippocr. lib. 6. de morbis vulgaribus sect. 4. aph. 23. ubi inquit: siti superficiali, quæ ex vigilia oritur, somnus medela est, siti vero quæ ex somno, vigilia nonnullis. Item l. 5. Aphor. 27. Qui noctu bibere appetunt, si superdormierint, sitis sedabitur.

Sitis omnis contrariis curatur. *Humectantia & refrigerantia alimenta.* *Iulapium ad sitim restinguendam.* In genere autem sitis ex siccitate orta, humectantibus; ex caliditate, refrigerantibus; ex nimia evacuatione, refectione ex refrigerantibus alimentis, curabitur, in quem usum præsidio sunt cremor ptisanæ, juscula ex contusis pullis, aqua hordei, lac amygdalinum, & ℥ I. syrup. violacei cum ℥ VIII. aut aq. frigidiss. aut aq. hordei, admixta & bibita.

Ex bilis copia. *Haustus cholagogus.* Porro si ex biliosorum humorum copia sitis sit exorta, sequenti potione bilis primum evacuabitur.

℞. Rhabarbari electi contusi ʒ II. macerentur in haustulo aq. cichoreæ per noctem, sequenti die leniter ebulliant, colentur, colato jusculo admisceantur elect. lenitivi ʒ II. fiat haustus, qui tepidus in aurora offeratur. Bilioso humore evacuato subinde bibat pitissando aquam hordei in hunc modũ præparatam.

Aqua hordei. ℞. Glycyrrhizæ, rad. cichoreæ an. ʒ II. sem. anisi ʒ III. cinamomi electi ʒ I. sem. portulacæ, plantag. an. an. ʒ I. & s. Conser. rosarum ℥ I. hordei M. I. cum aq. ℔. VIII. in duplici vase concoquantur ad 2. horas.

Emulsio 4. sem. frigid. Aut utatur lacte ex quatuor semin. majorib. contusis, & aq. stillatit. acetosæ commixtis, expresso.

Ex pituita salsa sitis ut curanda. *Vomitus.* Ubi vero pituita salsa ventriculum obsidens sitim excitet, tum si æger ad vomitionem est pronus, ebibat haustum aq. tepidæ, cui sal copiose est admixtum, & paulo post rursum evomat. Aut si non facile æger vomere queat, subducatur pituita sequenti haustu.

Haustus phlegmagogus. ℞. Fol. Senæ Alexandrinæ ʒ III. macerentur per noctem in haustulo aq. absinth. mane ebulliant, & colentur; colato jusculo admisceantur elect. Diaphæniconis ℥ s. fiat haustus, qui tepidus summo mane ebibatur. Ac tandem ad sitim sedandam præscriptis remediis, aq. hordei aut lacte seminum utatur. Aut aquâ hordei, cujus libræ admixtæ sint ℥ II. aceti rosacei. *Sitim sedantia.*

Ex serosis humoribus sitis orta remedia. Si vero serosi humores epar obsesserint, & sitim vehementem induxerint, veluti fit in hydropicis, hi humores sequenti potione detrahendi sunt.

Potio hydragogi. ℞. Iridis hortulanæ recentis ʒ II. rad. ebuli ʒ III. Cort. sambuci internorum, herb. cardui benedicti, cent. minor. an. M. s. sem. carthami ʒ III. decoquantur in ℔ I. & s. aq. absinthii ad semilibræ absumptionem, colentur, & in jusculo macerentur ʒ I. Rhabarbari & fol. senæ ʒ II. altero die ebulliant, colentur & iisdem admisceantur syr. Bysantini ℥ II. quæ in tres partes divisa, ternis diebus summo mane ebibatur.

Sitis in febribus qua ratione extinguenda. In febrium paroxysmis perpetuo sitis ægrum infestat, in qua potus non modo sitim sedat, sed auget plurimum & calorem accendit. Præstat itaque sitim levare aut suctione pulpæ arantiarum, aut collutione oris cum aq. hordei, cui acetum rosaceum ad libitum est admixtum. Aut arefactam linguam faucesque illinire mucagine

Laudanum quoque opiatum sitim restinguit in febribus.

ex sem. cytoniorum in aq. rosacea acetoque rosaceo pauxillo admixto maceratorum confecta.

Ex hepate obstructo.

Si sitis ex obstructo epate proveniat, præstat singulis diebus ol. vitriol. guttulas IX. exhibere.

Reliquos morbos si sitis ut symptoma sequatur, ex eorum morborum curatione remedia sunt petenda. Primum enim semper morbus curandus est, quo curato, symptomata facile cessabunt.

Generalia sitis remedia.

In universum autem omnibus sitis generibus sequentia remedia conveniunt.

Potio contra sitim.

℞. Succi portulacæ ℥ VI. succi cytoniorum ℥ IIII. aq. acetosæ ℔ I. aceti rosacei ℥ II.
Saccari candi in prædictis liquoribus resoluti ℥ III. Fiat potio, quæ pitisando assumatur.

Sedant sitim mirifice & sequentes pastilli.

Pastilli sublinguales.

℞. Sem. excorticatorum cucumeris minutiss. concisorum ʒ II. sem. lactucæ, portulacæ an. ʒ I. tragacanthi ʒ I. & s. mucaginis ex sem. cytoniorum in aq. rosacea maceratorum q. s.

Conficiantur pastilli, & in umbra exiccentur, qui sub lingua contenti paulatim resolvuntur, & sitim sedant.

SECTIO III.
DE INTESTINORUM MORBIS.

1. *Intestinum quid, & quibus morbis afficitur?*

Intestini descriptio.

ἜΝΤΕΡΟΝ, intestinum unicum ac continuum corpus est cum ventriculo, teres, cavum & in homine XV. ulnarum longitudinem æquans, quod ex pyloro, sive infimo orificio ventriculi exoritur, & in peritonæo in multiplices spiras & circumductiones convolvitur, ejusque extrema pars in podicem sive anum definit. Quod, quia ejus aliæ partes alias habent figuras aliamque crassitiem ac situm, eam ob causam in plurali numero intestina vocantur, & à Medicis in sex species seu partes dividuntur, quarum prima à pyloro progrediens duodenum, secunda jejunum, tertia ileos, quæ partes tenues sunt atque graciles; quarta cæcum, quinta colon, sexta rectum nominatur, quæ posteriores crassiores sunt prioribus: Rectum autem intestinum in anum definit.

Differentia intestinorum.

Morbi intestinorum præcipui sunt:

Morbi intestinorum præcipui.

1. Λειεντερία lævitas intestinorum,
2. Διάῤῥοια profluvium humorum ex intestinis,
3. Δυσεντερία Cruentum profluvium intestinorum,
4. Τηνεσμὸς Assidua sed inanis excernendi cupiditas & conatus,
5. Εἰλεὸς gracilium intestinorum cruciatus,
6. Κωλικὴ coli intestini dolor,
7. Ἕλμινθες lumbrici intestinorum.

Quia vero intestina in anum desinunt, ani quoque affectiones hoc loco subjungi non ineptè possunt. Ani autem sive podicis morbi ac symptomata sunt:

Ani affectus.

1. Ῥαγάδες scissuræ podicis,
2. Κονδυλώματα tubercula in ano sive sphinctere,
3. Αἱμοῤῥοΐς venarum in ano apertio & sanguinis ex eis effusio,
4. Πρόπτωσις σφιγκτῆρος procidentia ani.

2. *Lævitas intestinorum quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus præsidiis curanda?*

Lienteria quid.

Λειεντερία lævitas intestinorum est, quando aut in pyloro, aut in ipsis intestinis retentrix potentia adeo est debilitata & resoluta, ut ingestum alimentum retinere usque ad perfectam concoctionem nequeat, sed vel prorsus cruda vel semicruda dejicere cogatur. Et hinc hæc affectio jure celeris ciborum ingestorum egestio dici potest.

Cognati affectus.

Porro lævitas intestinorum, profluvium alvi, & cruenta excretio, intensione & remissione inter se differunt. Congeneres enim

nim sunt morbi, & alter alterius causa esse potest, & iisdem fere præsidiis tolli possunt.

Causa interna. Causæ προηγουμέναι lævitatis intestinorum sunt, frigida intemperies, & nonnunquam calida, sed raro, pylori & intestinorum: nonnunquam cum inpactione lentæ pituitæ. Item superficialis exulceratio ab acribus humoribus internæ tunicæ intestinorum, obstructio venarum Mesaraicarum à frigidis & crassis humoribus. Item hydrops per ventrem evacuata.

Externa. Προκαταρκτικαὶ causæ sunt, diuturna mora in aqua frigida, & cibi lubrici concoctuque difficiles copiose comesti, quales sunt nuces juglandium, pepones &c.

Signa. Signa lævitatis intestinorum manifesta sunt, vexatur siquidem æger assidua excretione ciborum adhuc crudorum, vel vix semicoctorum, quam deinde subsequitur appetentiæ prostratio, nutritionis frustratio, & malus totius corporis habitus cum extenuatione: adest nonnunquam & sensus ardoris circa hypochondria.

Signum debilitatæ retentricis potentiæ pylori aut intestinorum, item obstructarum venarum mesaraicarum est, quod excretio alimenti fiat sine dolore. Ubi autem exulcerata sunt intestina, cum mordicatione dejiciuntur alimenta, & tum subsequitur dysenteria, sive cruenta excretio.

Prognostica. Prognostica signa ex lienteria observanda hæc erunt. Lienteria diutius perseverans in corporibus cacochymicis in dysenteriam transit: In longioribus intestinorum lævitatibus si ructus acidus supervenerit, Hipp. l. 6. Aph. 1. teste, signum est bonum. Alimenti enim assumpti longiorem moram in ventriculo, & concoctionis inchoationem qualemcunque ostendit: Intestinorum lævitas cum ardore hypochondriorum aut punctura partium sub costis, & spirandi difficultate, in phthisin sive tabem ut plurimum desinit.

Curatio. Curandi ratio lævitatis intestinorum omnis dirigenda est ad retentricis atque concoctricis facultatis ventriculi, ac intestinorum corroborationem ac restaurationem, id quod perficitur aut convenienti victus ratione, aut aptis remediis.

Victus ratio. In victu itaque utatur æger paucissimis cibis eisque concoctu facilibus, quales sunt carnes avicularum montanarum, columbarum ac pullorum gallinaceorum, qui referti sint mastiche & caryophyllis cum eisque assati. Conveniunt præterea & carnes leporum, capreolorum, & vitella ovorum duriuscule assata & cum aceto rosaceo intincta, item oryza & milium lacte caprillo chalybeato cocta, item lac caprillum per se chalybeatum, panis sit bis coctus. Proderit & gustare pyra tosta, & assa cytonia. Potus sit exiguus, isque vinum rubeum tenue, in quo macerati sunt caryophylli.

Remedia. Corroborantia & adstringentia. Quantum ad medicationem attinet, utatur æger pro corroborando ventriculo & intestinis mane ac vesperi pro una vice syr. de absinthio, de mentha an. ℥ I. cum haustulo vini rubei commixta. Ante cibi vero assumptionem assumat seq. pulvisculi ʒ I. cum vino rubeo.

Pulvis adstrictivus. ℞. Mastiches, caryophyllorum, corn. cervi usti ac præparati an. ʒ s. Fabarum in aceto maceratarum & rursum siccatarum ʒ I. Fiat pulvis subtilissimus, & cum vino rubeo hauriatur.

Post cibum vero assumptum, rotulæ 2. aromatici rosati, aut frustulum cortic. citrii mali saccaro conditi devoretur.

Porro si intestina aut ventriculus frigidis & crassis humoribus refertus reprehendantur, sequenti haustulo primum concoquatur vitiosus humor per biduum, mane ac vesperi pro una vice assumendo.

Digestivum. ℞. Syr. è mentha, ex absinthio an. ℥ I.
Aq. menthæ & absinthii an. ℥ II.
Commisceantur, fiat haustus. Tertio tandem die subducatur pituitosus humor sequent. pillulis.

Pillulæ phlegmagogæ. ℞. Mass. pill. hieræ simp. è mastich. agar. trochiscati an. ℈ I. ex quibus conformentur pill. num. 27. & 6. horis ante cibum deglutiantur.

Post eductam pituitam exhibeantur remedia corroborantia & constringentia, qualis est sequens potiuncula.

Potio adstringens & roborans.

℞. Vini rub. ℥ IX. In quo decoquantur ad tertias caryophyll. mastich. an. ʒ I. De quo colato assumat æger ante cibum tria cochlearia: aut utatur sequentis pulvisculi ʒ I.

Pulvis stipticus. Pulvis scripticus.

℞. Seminis plantaginis, torrefacti, pul. rad. pæoniæ, corallor. rub. præparator. cornu cervi usti an. ℈ II. Commisceantur, fiat pulvisculus, qui cum vino, in quo chalybs extinctus, assumatur.

Opiatorum magnorum usus in hoc affectu.

Prodest quoque in lienteria ex causa frigida orta uti ʒ I. aut theriacæ Andromachi, aut Mithridatis, aut confectionis Micletæ per intervalla, quaternis quibuslibet diebus cum vino chalybeato.

Externa.

Extrinsecus vero totus venter sequenti linimento bis per diem inungi commode potest.

Linimentum pro ventre.

℞. Ol. è mastiche, absinthio, è mentha, nardini an. ʒ I. Ceræ candidæ q. s. fiat linimentum, cui admisceantur oleorum chymica arte paratorum è cinamomo guttul. II. è nuce moscata ℈ I.

Aut conficiatur sequens sacculus.

Sacculus.

℞. Herb. menthæ, absinthii an. M. II. rosar. rubearum M. I.
Fabarum crassiuscule contusarum ℥ s.
Caryophyll. mastiches, calami aromatici an. ʒ II. sem. cymini ʒ I. s.

Contundenda contundantur & conscindenda conscindantur, atque simul commixta in sacculum lineum quadratum imposita, intersuantur, fiat sacculus, qui cum vino Cretico aut Rhenano conspergatur, per calidumque laterem subinde calefactus ventri imponatur.

Empl. de crusta panis.

In eundem usum confert emplastrũ de crusta panis, cujus descriptio & conficiendi ratio extat in dispensatoriis lib. Myropolarum.

Remedia lienteriæ ex colluvie acrium humorum circa præcordia.

Porro si in lævitate intestinorum circa præcordia ardor sive æstus percipiatur, id quod ex colluvie actium ac putridorum humorum in ventriculo & intestinis hærentium contingere consuevit, antequam vires collabantur, præstat per biduum mane ac vesperi sequenti haustu exhibito humorum pravam qualitatem confringere ac præparare.

Digestivum purgans.

℞. Syr. rosar. myrtillorum, cytoniorum an. ℥ s.
Aq. plantaginis, foliorum querci an. ℥ II.

Fiat haustus, qui tepidus una vice ebibatur.

Diligenter hic observandum ne ante evacuationem humoris morbifici astringentia adhibeantur, plus enim nocent quam prosunt.

Tertio postea die subducatur humor putridus ʒ x. pulpæ cassiæ recenter evulsæ una hora ante cibi assumptionem devoratis.

Post evacuationem humorum ad egestionem irritantium sequentia alvum astringentia remedia plurimum opitulantur.

Pulvis astringens.

℞. Sem. plantag. acetosæ ad ignem torrefact. an. ʒ s.
Sem. papaveris albi ℈ I. Cornu cervi usti ℈ II.
Mastichis, corallor. rub. præparator. an. ʒ s.
Tenuissime pulv. commisceantur, de quo assumat æger ante pastum mane ac vesperi ʒ I. cum vino rubeo chalybeato; aut assumat ʒ I. Mororum Celsi, aut mororum rubei immaturorum, siccatorum & in pulverem redactorum, cum haustulo vini in quo incoctæ sint radices pentaphylli: Aut assumat ʒ I. Trochiscorum è spodio cum vino præscripto.

Alia astringentia. Crocus Martis cum essentia coral. rub. id præstat efficacius.

Inunctio ventris.

Foris autem illiniatur vent. & intestina atque hypochondria sequent. oleis simul commixtis.

℞. Ol. cytoniorum, è mastiche, è rosis an. ʒ II. Ac post inunctionem buccella crassa panis tosti calida & aceto rosaceo conspersa, cui pulvis mastiches & acatiæ est inspersus, loco inuncto alligetur.

Solenander consil. 9. sect. 4. emplast. describit, quod toti ventri imponitur, mira cum efficacia: qui videri poterit.

Reliqua remediorum genera ad profluvium alvi facientia ex sequentib. curationibus diarrhææ & dysenteriæ petenda sunt.

3. *Alvi profluvium quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quibus remediis sistendum?*

Diarrhæa quid.

Διάῤῥοια, Alvi profluvium est quando non

Vt differt à lienteria & dysenteria. non, ut in lienteria, crudum alimentum, nec, ut in dysenteria, cruenta colluvies, sed humor corruptus & liquidus circa intestinorum exulcerationem, per alvum intempestivius, & solito crebrius dejicitur.

Causæ. Sæpe etiam obstructio venarum mesaraicarum & viscerum naturalium diarrhææ causa est. Causæ προηγουμένης διαῤῥοίας sunt imbecillitas partium nutritioni servientium, aut unius aut omnium, videlicet ventriculi, intestinorum jecinoris & lienis: vel totius corporis κακοχυμία vel catarrhus capitis ex cerebro, aut ex toto corpore humor profluens. In pueris dentitio est causa profluvii alvi.

Προκαταρκτικαὶ sive extrinsecæ causæ sunt cibi potusque mali succi, venenati & facile corruptibiles, si ultra modum ingerantur. Cerevisia item recens minime defæcata & cruda.

Signa diversarum causarum. Signa causas distinguentia hæc sunt, si vitiosi humores ex toto corpore in alvum confluant, id ex habitu & colore corporis & κακοχυμίᾳ deprehendi potest, & quis *Cacochymia.* humor præternaturalis in corpore redundet, ex ipsius incrementi colore & qualitate cognoscimus. Si ex cerebro humorum *Catarrhi.* fiat in alvum defluxio, gravitas capitis & catarrhus procedunt, & excretus humor ut plurimum spumosus cernitur.

Imbecillitatis hepatis. Si vitio epatis contingat alvi profluvium, chylosus excernitur humor & biliosus, ac dolores punctionesque circa dextrum hypochondrion sentiuntur. Si à splene alvi *Imbecillitatis lienis.* profluvium contingat, aut fusca aut nigra apparent excrementa, & punctiones in sinistro hypochondrio sentiuntur. Ventriculi *Ventriculi & intestinorum.* autem & intestinorum imbecillitatem ventris tormina, nausea & eructationes ostendunt.

Prognostica. Signa prognostica in alvi profluvio observanda sunt: Alvi profluvio spontaneus vomitus superveniens morbum solvit: Hipp. lib. 6. Aphor. 5. In alvi profluvio excrementa nigra, livida, pinguia, & fœtida ut plurimum exitiosa sunt. Alvi dejectiones junctæ febribus difficilius curantur. Alvi pro- *Diarrhææ critica & periodicæ non sunt cohibendæ.* fluvia, quæ fiunt per crisin, id est, à natura excitantur, non sunt cohibenda: item alvi profluvia viribus consistentibus non temere sunt cohibenda: sæpe enim pro valetudine sunt, Celso teste.

Curatio diarrhææ biliosæ. Curatio alvi profluvii pro humoris profluentis natura varianda est. Si itaque biliosa aut crocea in fluore alvi excernantur, tum, nisi vires deficiant, non tam cito sunt sistenda: Cohibita enim ventriculum subvertunt, & viscerum interiorum inflammationem inferunt, & malum reddunt gravius. Itaque in biliosa alvi profluxione, in princi- *Admodum necessaria observatio.* pio præstat naturam ad biliosorum excrementorum perfectam expulsionem benignioribus remediis excitare: talia autem sunt hæc sequentia.

Bolus cholagogus. ℞. Pulpæ cass. recenter evulsæ ʒ x. quæ saccharo consperſa in aurora devoretur. Aut ℞. Rhabarbari electi *Haustus purgans.* ʒ ii. quod contusum maceretur per noctem in ℥ vi. aq. cichoreæ, tandem ebulliat leniter, exprimatur ac coletur, colatum jus dulcoretur ℥ ii. syr. rosar. solutivi, fiat haustus, qui in aurora tepidus ebibatur.

Aut biliosa excrementa tunicis intestinorum inhærentia sequenti enemate abstergantur.

Enema abstergens. ℞. Aquæ hordei ℔ i. ol. rosacei ℥ ii. Saccari crudi quod rubeum vocant ℥ ii. vitell. ovorum num. ii.

Commisceantur, fiat enema, quod tepidum recto intestino infundatur.

Post elutionem biliosi humoris, si absit febris, crebro potandum offeratur ægrotanti lac caprillum, in quo candens ferrum *Lac caprillum chalybeatum.* bis terve sit extinctum. Ubi vero adest febricula, lactis usus est vitandus, juxta Hipp. qui inquit, lac dare febricitantibus ac caput dolentibus, malum. Præstat itaque pro lacte *Lac amygdalinum.* uti amygdalarum dulcium contusarum emulsione cum aq. chalybeata, parata, quam lac amygdalinum vocant. Prodest & aqua hordei parata, in qua candens ferrum est extinctum. Pro corroboratione viscerum & obstructione meatuum frequenter in die commanducandum præbeatur ægrotanti sequentis electuarii semijuglandis magnitudo.

Electuarium viscera cor- ℞. Conf. rosarum, diacytoniton ex succo sine speciebus an. ℥ i.

roborans, & adſtringens.

Trochiſcorum è ſpodio, è terra ſigillata an. ʒ I. s.

Syr. è myrtillis q. s. fiat electuarium.

Extrinſecus vero totus venter inferior bis in die inungatur ſequentibus oleis ſimul mixtis.

Linimentum pro ventriculo.

♃. Ol. roſacei, cytoniorum an. ℥ s. è maſtiche ʒ II. miſceantur.

Enema ex lacte chalybeato.

Quin ad obſtruenda inteſtina in bilioſo fluore plurimum conducit ſi ℔ I. lactis caprilli in quo candens ferrum eſt extinctum, vel in quo ſuccus acatiæ aut hypociſtidos eſt incoctus, inſtar enematis inteſtinis infundatur.

Curatio diarrhϾ pituitoſæ.

Ubi vero excretus humor pituitoſus eſſe conſpicitur, tum prius viribus conſiſtentibus concoquatur & ad eductionem præparetur ſequentibus remediis.

Potio digeſtiva.

♃. Syr. de 5. radicibus, è cort. citri an. ℥ I s.

Aq. ſtillat. hyſſopi ℥ III. miſceantur, fiat hauſtus pro una vice, quem tepidum ebibat æger, utatur autem eo per 2. treſve dies mane ac veſperi ante ſubductionem pituitæ. Quarto autem tandem die impacta inteſtinis pituita detrahatur ſequenti hauſtulo.

Hauſtus phlegmagogus. Panchymagogon ſuum abſque omni moleſtia hoc præſtare teſtatur Crollius.

♃. Agarici trochiſcati ʒ II. fol. ſenæ Alexandrinæ ʒ I.

Spicæ Indicæ, cinamomi an. ℈ I.

Contuſa macerentur in aq. menthæ ℥ VI. per noctem mane ebulliant leniter, colentur, colati juri admiſceantur diaphæniconis ʒ III. fiat hauſtus, qui tepidus ebibatur in aurora.

At ſi vires debiliores exiſtant quam ut æger purgans remedium ferre queat, pituita tamen per enema ſequens ex inteſtinis omnino elicienda erit, alias enim fruſtra adhibentur aſtringentia.

Enema.

♃. Hyſſopi, centaurii minoris, majoranæ, rutæ an. M. s. aq. ℔ s. conciſa decoquantur ad media, colentur, colati juris accipe ℥ XIII. cui admiſce hieræ ſimpl. diaphæniconis an. ℥ I. mellis roſati ℥ s. ol. rutæ ℥ III. ſalis communis ʒ II. miſceantur, fiat enema, quod tepidum recto inteſtino infundatur.

Curatio diarrhϾ melancholicæ.

Simili quoque ratione ſi humor profluens ſubniger & melancholicus exiſtat, ante ſubductionem præparandus ac concoquendus ſequenti potione eſt.

Digeſtivum.

♃. Syr. de fumariæ, de epithymo, è lupulis an. ℥ I.

Aq. fumariæ, meliſſæ an. ℥ II.

Miſceantur, fiat hauſtus pro unica vice, quo per triduum aut quatriduum utatur mane ac veſperi: quibus peractis, evacuetur humor melancholicus ſequenti hauſtu.

Hauſtus melanagogus. Vinum Helleboratum Querceta ni non incommode hic quoque exhibetur.

♃. Epithymi ʒ III. hellebori nigri prius in aq. cocti atque ex eadem exempti ʒ I. cinamomi electi ℈ s. myrabalanorum Indorum ʒ I. s. contuſa macerentur per noctem in aq. fumariæ ℥ VI. tandem decoquantur leniter, colentur, colato juſculo admiſceantur diacatholici ʒ III. fiat hauſtus, qui mane VI. ante prandium horis, tepidus ebibatur. Aut evacuetur melancholicus humor ſequenti clyſtere.

Enema melancholicum humorem ſubducens.

♃. Rad. polypodii ʒ I. thymi, epithymi, fumariæ an. M. s. decoquantur in ℔ III juris pulli non pinguis ad medias, colati hujus juris accipe ℥ XIII. quibus admiſce diacatholici ℥ I. s. ol. anethini ℥ II. ſalis ʒ I. fiat enema.

Præparantia & evacuantia quando adhibenda.

Supra monuimus non eſſe alvi profluvium cito temereque ſiſtendum, ita hic hortamur tyrones, ut concoctiones & evacuationes humorum profluentium in initio ſtatim ægritudinis poſt alterum aut tertium diem antequam vires deficiant exhibeant. Ubi enim jam vires per patientis negligentiam ſunt penitus proſtratæ, à purgationibus abſtinendum erit, & omnis opera ad corroborationem viſcerum, & obſtructionem meatuum convertenda, cum ratione victus, tum remediis & intra & extra corpus adhibitis.

Corroborantia & obſtruentia. In omni genere diarrhϾ convenientia.

Corroborant autem & conſtringunt, fluoremque alvi cohibent in omni genere fluoris hæc ſequentia.

Victus ratio adparatis.

In victus ratione utatur æger pane biſcocto, aut placentulis ſpiriſve ex farina hordei paratis.

ſtringens & obſtruens. paratis. Item oryza cum lacte caprillo parata, lacte amygdalarum, ovorum luteis in duritiem aſſatis, & in aceto maceratis, item lacte caprillo in quo ferrum candens eſt extinctum. Carnibus veſcatur aſſis potius quam elixis, pinguia omnia vitet.

Deinde inteſtinis ſequens clyſter adſtringens infundatur.

Enema adſtringens. ♃. Rad. pentaphylli, tormentillæ an. ℥ s. Fabarum ʒ vi.
Balauſtiorum, ſumach an. ʒ II. Acatiæ, hypociſtidos an. ʒ I.
Plantaginis, roſarum an. M. s.
Contuſa coquantur in ℔ I. s. aq. ad tertias, colentur, colati juris accipe ℥ XIIII. olei cytoniorum ℥ I. ſucci plantaginis ℥ s. pul. trochiſcorum è terra ſigillata ʒ II. miſceantur, fiat enema, quod tepidum adminiſtretur. Per os ſequentis pulviſc. ʒ I. mane ac veſperi cum vino rubeo exhibeatur.

Pulvis obſtipans alvum. ♃. Cornu cervi uſti præparati ʒ s. ſem. plantag. torrefacti ℈ II. trochiſcorum è ſpodio, è terra ſigillat. an. ʒ s.

Commiſceantur optime pulverata. Die mane ac veſperi exhibeatur hauſtus lactis caprini, in quo incocta eſt ſtæchas citrina aut gnaphalion, aut auricula muris.

Foris autem totus venter inungatur ſequenti linimento.

Linimentum. ♃. Ol. è maſtiche, cytoniorum an. ℥ s. ceræ parum, fiat linimentum, huic admiſceantur pulveres trochiſcorum è ſpodio, è terra ſigillat. an. ʒ s.

Cataplaſma ſtipticum. Poſt inunctionem cataplaſma ventri imponatur ex farina fabarum, & limo ex aqua, in qua fabri ferrarii candentia ferra extinguere ſolent, excepto, ſimulque mixta atque calefacta.

Si vero adſint fluori tormina ventris, adjiciatur præſcripto cataplaſmati pulveris cymini & aceti nonnihil. Aut

Aliud cataplaſma etiam anodynon. ♃. Cytoniorum, meſpillorum an. ℔ s. cymini præparati ℥ I.

Contuſa coquantur in aceto ad pultis formam, quibus admiſceantur acatiæ pulveriſatæ ℥ I. maſtiches, caryophyllorum an. ʒ s. fiat cataplaſma, quod per duplicatum linteum extenſum, calidum ventri imponatur.

Reliqua conſtringentia alvi fluorem, in curatione dyſenteriæ enumerabuntur, quæ huc adferri poſſunt.

4. *Cruentum alvi profluvium quid, qua ejus cauſa, quæ ſigna, & quibus mediis cohibendum?*

Dyſenteria quid. Δυσεντερία eſt cruenta alvi cum dolore & torminibus ventris dejectio, ab inteſtinorum exulceratione orta.

Gradus dyſenteriæ 4. Hoc malum ut plurimum per gradus oboriri ſolet. Primum enim crebrius ex inteſtinis mucus egeritur; deinde pinguedo parvo ſanguine tincta; tertio in bilioſo excremento, aut varii coloris fibræ ac pelliculæ inteſtino abraſæ & cruentæ conſpiciuntur; quarto effluunt cum ſanguine & particulæ inteſtinorum exeſæ atque putrefactæ.

Cauſæ internæ. Cauſæ Δυσεντερίας ſive exulceratorum inteſtinorum προηγουμέναι ſunt acres, mordaces & erodentes humores, vel ab univerſo corpore, vel à viſceribus quibuſdam ut epate & liene in inteſtina profluentes, orificiisque venarum meſaraicarum inhærentes, aut in ipſis inteſtinis generati.

Externæ. Προκαταρκτικαὶ cauſæ ſunt venenatorum medicamentorum, veluti ſunt ſcamonium, colocynthis, euphorbium, imprudens uſurpatio, fructuum cito putreſcentium, ciborumque acrium & venenatorum copioſior eſus.

Signa. Signa ſunt: ante cruoris profluvium, excrementa bilioſa & acria, aut ſpumoſa exeunt, deinde pinguia, cruore tincta, tandem cruor ipſe, in quo nonnunquam aut ramenta, aut particulæ tunicarum inteſtini conſpiciuntur. Ubi autem ex epatis imbecillitate dyſenteria originem habet, tum excrementa diluta, tenuia & lotutæ carnium recens mactatarum ſimilia apparent, cum dolore & punctione dextri hypochondrii. *An ex hepate originem habeat.* Si vero cruor apparet & ſiniſtrum hypochondrium gravatur, fluxus eſt ſpleneticus, ex lienis imbecillitate ortus. *An ex liene.*

Quænam inteſtinorum pars ſit exulcerata. Porro cum ad felicem dyſenterias curationem plurimum faciat noſſe quæ inteſtini pars, ſuperiorne, quam tenuem; aut inferior,

rior, quam craſſum inteſtinum vocamus, ſit exulcerata, per haſce notas deprehendimus.

An craſſiora.

Si itaque raſura inteſtinorum & pinguedo excernatur, & dolor in hypogaſtrio, craſſiora; ſi vero cruor excernatur & excremento toti ſit permixtus, & dolor circa umbilicum percipiatur, graciliora inteſtina ulcerata eſſe ſtatuendum eſt. At vero ſi cruor excremento ſupernatet tantum, ulcus aut in recto inteſtino eſſe, vel venas hæmorrhoides in podice apertas eſſe oſtendunt.

An graciliora.

An inteſtinum rectum vel Hæmorrhoides.

Prognoſtica.

Prognoſtica ſigna hæc ſunt obſervanda. In dyſenteria ſi veluti carunculæ partes tunicæ inteſtinorum ſimul excernantur, lethale eſt ſignum.

In longa dyſenteria cibi faſtidium & febris & ſingultus pernicioſa ſunt ſigna, Hippocrat. 6. Aph. 3. teſte.

Viridia aut nigra excrementa in dyſenteria exitioſa judicantur.

Ulcere in craſſis inteſtinis exiſtente, facilius, in gracilioribus difficilius curatur dyſenteria.

Ab atra bile orta dyſenteria lethalis eſt, nam ut Hippoc. 4. Aph. 2. 2. inquit, morbis quibuslibet incipientibus, ſi atra bilis vel ſuperne vel inferne exierit, lethalis eſt, excipiendi tamen ſunt morbi lienis, ut obſtructio ejus, & febris quartana, in quibus interdum ſalutariter excernitur.

Curatio.

Curatio dyſenteriæ in venæ ſectione, victus ratione, & remediorum adhibitione conſiſtit.

Venæ ſectioni quando locus.

In initio itaque morbi, ſi corpus eſt plethoricum, aut ſi adſit febris, & vires adhuc conſtent, venæ ſectio eſt molienda, & epatica vena dextri lateris eſt aperienda: ſanguis autem nec ultra modum, nec confertim eſt detrahendus.

Diæta.

Quantum ad victus rationem, Aëtius principium curationis dyſentericorum à quiete, modico cibo & ſomno prolixiore fieri debere docet. Cibis veſcatur æger facile concoquibilibus & nonnihil adſtringentibus, tales ſunt carnes avicularum, columbarum, leporum & caponum, quæ aſſæ potius quam elixatæ edi debent, lac amygdalarum cum aqua chalybeata paratum, lac caprillum in quo aut lapilli ſilicesque igniti, aut ferrum candens aliquoties eſt extinctum: tale lac eſt cibus & remedium dyſentericis convenientiſſimum. In lacte panis bis coctus aut torrefactus comminuendus eſt. Conveniunt & pultes ex oryza & amylo, & pane contrito, & farina fabacea, cum lacte paratæ. Admiſceantur quoque lacti ovi lutea. Plurimum proſunt & pyra toſta & fructus meſpyllorum ac ſylveſtrium roſarum eſitati. Optime conſtringunt & ovorum aſſatorum lutea in aceto macerata.

Cibi eupepti aſtringentes.

Lac Chalybeatum.

Fructus aſtringentes. Pruna quoque ſylveſtria & corna condita pl. proſunt.

Potus ejus ſit aqua hordei, in qua candens ferrum extinctum eſt; & in qua ſemina plantaginis & ſumach incocta ſunt, ac ſi abſit febris concedi poteſt & vini rubei tenuis & aſtringentis uſus, ſimiliter & lactis caprilli chalybeati.

Potus. Vinum etiam Citoniatum vel cum ſucco granatorum immaturorum præparatum.

Quantum ad remediorum rationem attinet, primum conſiſtentibus adhuc viribus, antequam fluorem ſanguinis ſiſtere conemur, acres & erodentes humores cum ſanguine profluentes ipſis inteſtinis impactos detrahere & eluere oportet. Fieri enim nequit ut inteſtinorum ulcera curentur, aut ſanguinis profluvium ſiſtatur, donec cauſa exulcerans in inteſtinis hæreat. Commode autem acris eluvies per ſequentia pharmaca expurgabitur.

Remedia. Purgatio humoris erodentis ante omnia neceſſaria.

♃. Pulpæ caſſiæ recenter evulſæ ʒx. Quæ una hora ante prandium devorandæ offerantur: aut offeratur ſequens hauſtus.

Bolus.

♃. Rhabarbari electi ʒ I. fol. ſenæ ʒ II. Contuſa macerentur in aq. plantaginis ℥ v. per horas 12. deinde ebulliant leniter, & expreſſa colentur, colato juri admiſceantur (ſi profluvium eſt bilioſum) electuarii roſati Meſuei ʒ I. ſi pituitoſum, diaphænicônis ʒ III. ſi nigrum ac melancholicum, diacatholici ℥ s. fiat hauſtus, qui tepidus in aurora exhibeatur. Aut eluatur colluvies virulenta ex inteſtinis ſequentibus enematis.

Hauſtus catharticus.

Enemata eluentia inteſtina & aſtringentia.

♃. Herb. violariæ, malvæ, mercurialis an. M. s.
Roſarum rubearum, plantag. an. M. s.
Con-

Concisa decoquantur in q. s. aq. hordei ad med. colentur, colati juris accipe ℥ XIII. quibus admisce hier. simpl. ℥ I. s. ol. rosacei ℥ III. fiat enema, quod tepidum infundatur. Aut

♃. Lactis caprini ℔ I. cui tepido admisce lutea ovorum num. III. sacchari ʒ I. fiat enema.

Remedia ad exulcerationem crassiorum intestinorum.

Vitiosis humoribus evacuatis, tandem si crassiora sive inferiora intestina sint exulcerata, tum per inferiora medicamenta mitigantia, conglutinantia & astringentia instar enematum crebro sunt adhibenda: ut

Enemata mitigantia, conglutinantia & astringentia.

♃. Lactis caprini in quo ferrum candens est extinctum ℥ XIIII. cui admisce ol. rosacei, adipis caprini an. ℥ I. s. fiat enema. Aut

♃. Aq. hord. chalybeati ℔ II. in qua decoquantur rosarum rubearum M. I. sem. plantaginis, rad. symphyti majoris an. ℥ I. ad medias, decocti juris accipe ℔ I. cui admisce succorum polygonii, symphyti an. ℥ II. in eo liquore resolvatur boli armenii ℥ s. adipis caprini ℥ II. fiat enema, quod tepidum crebro infundatur.

Remedia ad exulcerat. graciliorum intestinorum.

At vero si graciliora intestina ulcere laborent, tum per os utilissimum erit exhibere sequentia remedia.

Decoctum pro potu, consolidans & astringens. Langius lib. 3. ep. medicinal. julapium describit dysentericis quoque similiter valde utile.

♃ Consolidæ majoris, polygonii, plantaginis omnium viridium an. M. III. contundantur minutissime eisque affundantur lactis caprini chalybeati ℔ II. quæ simul probe commixta per torcular fortiter exprimantur, in eo liquore concoquantur sem. plantag. myrtillorum an. ʒ II. rad. tormentillæ, Balaustior. an. ʒ I. s. herb. veronicæ, stæchados Arabicæ an. M. s. colentur & clarificentur, fiat potio, hujus potionis mane ac vesperi ebibat æger haustum unum, cui prius admisceatur ʒ I. sequentis pulvisc.

Pulvis stipticus.

♃. Gummi Arabici, Tragacanti, lapidum hæmatitis an. ʒ I.

Cornu cervi usti ac præparati, sanguinis draconis an. ℈ I.

Boli Armeni veri, rhabarbari probe torrefacti an. ʒ s.

Trochiscorum è carabe, de terra sigillata an. ℈ IV.

Commisceantur, fiat tenuissimus pulvisculus. Sæpe contulit pulvisculus stercoris canini, per triduum cum ossibus nutriti cum lacte caprillo haustus. *Experimentum singulare.*

Ad doloris & torminum mitigationem.

In vehementissimis cruciatibus ad stupefacientia remedia confugiendum est, sed intra corpus non temere administranda.

Suppositorium narcoticum.

Nos sæpissime glande sive suppositorio vocato, ex opio facto, & intestinis inserto, hæc tormina abstulimus, & dysentericum profluvium cohibuimus, & somnum ægroto conciliavimus. Crebro autem glans ex opio podici inseratur, sed ultra quadrantem horæ in intestinis non est dimittendus, sed rursum appenso filo eximendus.

5. *Continua excernendi inanis cupiditas quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curanda?*

Tenesmus quid.

Τείνεσμος, id est vehemens tensio recti intestini, quam Plinius Tenasmum vertit, alio enim vocabulo Latino destituimur. Est autem Tenasmos assidua cacandi cupiditas, sed inanis, cum dolore recti intestini: nihil enim aut perexiguum, idque mucosum aut cruentum aut biliosum egeritur. Quantum ad causas attinet, non dissimilis est affectio dysenteriæ, differt tamen loco affecto. Nam dysenteria in omnibus intestinis excitatur, tenesmus vero soli recto intestino accidit. *Differentia à dysenteria.*

Causa.

Causæ Tenesmi προηγούμεναι sunt, humores acres, erodentes ac titillantes, quales sunt pituita salsa, bilis flava, atra bilis corrupta, tunicis recti intestini impacta, eam erodens & exulcerans. Προκαταρκτικαὶ sunt vehemens refrigeratio podicis & recti intestini ex aëris ambientis frigiditate, aut ex mora longa in aqua frigida, aut ex sessione nudi podicis super frigidum saxum.

Signa hujus symptomatis manifesta sunt: *Signa.*

Perpetua enim punctione ac pruritu tensivoque dolore & desidendi cupiditate molestatur anus. Causarum προκαταρκτικῶν signa ex ægri relatione dignoscuntur. Speciem autem vitiosorum humorum, & causarum προηγουμένων ab excretis discere possumus. Excrementum enim exiguum si sit, album & mucosum salsæ pituitæ, flavum autem bilis corruptæ, saniosum vero & cruentum, exulcerationis est signum.

Prognostica.

Signum prognosticum Tenesmi. Uterum gerenti Tenesmos superveniens abortum facit, Hipp. 7. Aphor. 27.

Curatio.

Curatio pro causarum diversitate variari debet. Si itaque corpus laborantis plethoricum sit, & adsit simul inflammatio recti

Vena sectio.

intestini, vena est secanda epatica, & sanguis per vices repetitas aversionis gratia detrahendus.

Cathartica.

Corpore vero cacochymico existente, redundantis humoris vitiosi debet fieri evacuatio per convenientia pharmaca.

Haustus phlegmagogus.

Ut pituitam salsam egregie evacuant ʒ x. Diaphæniconis cum aq. stillatitiæ absinthii ℥ IV. solutæ, & sex horis ante prandium exhibitæ:

Cholagogus.

sic bilem flavam dejiciunt ʒ v. elect. rosati mesuæ cum ℥ IV. aq. cichoreæ commixtæ. Idem præstat & liquor in quo rhabarbari ʒ II. per noctem sunt maceratæ, cui ʒ III. elect. lenitivi sint admixtæ.

Molanagogus.

Melancholicus autem humor subduci potest ℥ VI. liquoris in quo coctæ sunt ʒ III. polipodii myrabulanorum nigrorum ʒ II. cui liquori admiscendæ sunt ʒ VI. diacatholici. Porro si humor putridus aut acris tenesmon inferens in solo recto intestino hæret, tum sequentibus enematis elui debet, ac si adsit inflammatio & intestini erosio,

Enemata.

Ad intestini imflammationem & erosionem.

℞. Aq. hordei ℥ XIII. in ea ebulliant rosarum siccarum, fol. plantaginis an. M. I. colentur, & admisceantur ol. rosacei ℥ III. fiat enema, quod tepidum recto intestino infundatur.

Aut infundatur lactis vaccini recenter mulcti ℔ I. cui admixtæ sint ℥ III. ol. rosacei.

Salsa vero ac putrida pituita eo in loco hærente, & tenesmon excitante, primum eluatur pituitosus humor sequenti clystere.

Ad eluendam salsam pituitam.

℞. Malvarum, violarum, Mercurialis an. M. s.
Flor. verbasci, chamæmeli, centaur. minoris an. M. I.
Pulp. colocynthidos in linteolo ligatæ, & in fine coctionis injectæ ℈ I.
Decoquantur cum aq. q. s. ad medias, colati juris accipe ℔ I. cui admisce hier. simpl. ℥ s. pulp. cassiæ ℥ I. ol. absinthii, anethini an. ℥ I. s. fiat enema.

Ad biliosum humorem abstergendum.

At si biliosus humor excitet tenesmon, omissis ex præscripta decoctione colocynthide & flor. centaur. ℔ I. liquoris præscripti admisce pulp. Cassiæ ℥ II. ol. violarum, rosarum an. ℥ I. s. fiat enema, quod perpetuo tepidum infundi debet.

Enemata mitigantia, adstringentia & consolidantia.

Subductis ex intestinis vitiosis humoribus, post unam & alteram horam rursum intestino infundantur mitigationis, constrictionis & consolidationis gratia hæc sequentia.

℞. Lactis vaccini ℔ I. cui admisce ℥ III. ol. myrtini, & infunde recto intestino. Aut

℞. Hordei, cicerum rubeorum an. ℥ s.
flor. verbasci M. I. Nucum cupressi, corticum granatorum an. ʒ I.
Furfuris triticei M. s. decoquantur in q. s. aq. pluvialis ad med. colati juris accipe ℔ I. admisce ol. anethini ℥ III. luteorum ovorum n. II. fiat clyster, quo crebrius est utendum. Et si exulceratio adsit, ut ulcus emundetur, adjici possunt ℥ II. mellis rosacei.

Topica.

His ita bene procuratis, ad topica remedia accelerandum erit, & si adsint exulcerationis notæ, sequens unguentum sedi est inferendum.

Vnguentum anodynum ano inferendum.

℞. Ol. rosacei ℥. s. mucag. tragacanti & gummi Arab. in aqua rosacea macerati ʒ III. pul. cerussæ, plumbi usti an. ʒ s. thuris, aloës an. ℈ I. Boli Armenii ℈ II. ceræ q. s. fiat linimentum, cui si dolor vehemens & cruciatus adest, admisceri potest, opii in aqua rosacea soluti ℈. s. hoc unguentum floccis à

linteo

linteo mundo abrasis exceptum ano intrudatur.

Περίνεον vero, hoc est interstitium inter anum & pubem & simul adjacentes partes sacrumque os oleo rosaceo & violaceo an ℥ s. simul commixto.

Si vero absit adhuc ulcus & exulceratio, & tenesmos ortum habeat à pituita aut frigore, æger insideat sacculo ex sequentibus herbis parato.

Sacculus in tenesmo à frigore & pituita adhibendus.

♃. Flor. verbasci M. III. chamæmeli, meliloti, anethi an. M. I.
Sem. Lini, Fænugræci an. ℥ I. Furfuris M. I.

Insessus utilis.

Contusa consuantur in sacculum, & decoquantur in vino rubeo, cui probe expresso & adhuc calente, insideat æger, & ubi refriguit rursum in eodem vino recalefiat. Possunt quoque ex præscriptis herbis in majori copia sumptis adjectisque radicibus ac foliis malvæ & altheæ balnea in solio parari, in quo æger quotidie insideat.

Suppositoria quoque cum ol. calidis, ut sunt menthæ, mastich. still. & similia prosunt.

6. *Gracilium intestinorum cruciatus sive volvulus quid, quæ ejus causa, quæ signa, & qua ratione curandus?*

Differentia inter ileum & colicam. Ileus qualis affectus.

Εἰλεὸς, Latinis volvulus, & κωλικὴ congeneres sunt intestinorum affectiones, nisi quod εἰλεὸς in gracilioribus κωλικὴ, in crassioribus intestinis oboriatur. Εἰλεὸς vero vocabulum derivatur ab εἰλέω id est volvo vel circumago. Est autem εἰλεὸς acutissimus & ut plurimum lethalis morbus, & tantos infert cruciatus, ut vulgus miserere mei appellare consuevit, in quo omnis excernendæ fæcis facultas per inferiora aufertur.

Causa.

Causæ προηγουμέναι sunt, aut intemperies extrema tum frigida tum calida, scirrhus & apostema gracilium intestinorum: item crassi & lenti humores, fæces induratæ, & stercus aridum ac compactum, meatus intestinorum obstruens, in eisque inflammationem ac flatus excitans.

Προκαταρκτικαὶ causæ sunt frigus vehemens, intestinaque constringens: cibus facilè corruptibilis & putrescens: carnes pingues rancidæ, ictus violentus gracilium intestinorum, venenata pharmaca ac potiones, veluti sunt colocynthis & esula.

Signa.

Signa volvuli sunt, ineffabilis dolor circa umbilicum & præcordia; tumor & extra cutem tenuiorum intestinorum instar chordæ eminentia, excernendi stercoris impotentia, crebræ sed nihil juvantes eructationes, vomitiones, & quandoque per os stercoris evomitio, & totius corporis frigiditas.

Prognostica.

Prognostica signa juxta Hippo. 7. Aphor. 10. sunt, ab ileo vomitus, singultus, desipientia & convulsio malum. Stercoris evomitio in volvulo semper est lethalis; sudor frigidus & urinæ suppressio, miseram mortem præcedunt.

Curatio.

Curatio pro diversitate causarum varianda erit. Atque si adsit inflammatio & corpus sit plethoricum, statim vena hepatica est secanda, & altero die pulpæ cassiæ ℥ II. sunt exhibendæ.

Vena sectio.

Si vero à corruptis putridisque alimentis aut venenatis pharmacis volvulus originem ducat, tum statim vomitio est procuranda, haustu aquæ tepidæ, aut remediis vomitum cientibus, quorum copiam supra in curatione affectionum ventriculi præscripsimus.

Vomitus quando provocandus.

Si vero intestina ab arido stercore sunt intercepta obstructaque, tum & excrementa & flatus ex gracilioribus intestinis subducenda erunt, & quidem primum in cibo exhibenda erunt, quæ ventrem emolliant, veluti sunt pruna, ptisana, & jus pingue gallinarum. Ac deinde in pueris quidem glandibus sive suppositoriis ex melle cocto, sale & pulvere colocynthidos factis: Aut rad. betæ instar suppositorii formatis, podicique insertis: in adultis autem sequenti enemate perfici possunt.

Obstructionis pertinacis remedia.

Emollientia.

Suppositoria.

Enema emolliens, flatusque educens.

♃. Fol. rutæ, mercurialis, malvæ, altheæ, flor. centaur. min. an. M. I.
Flor. absinthii p. I. rad. altheæ ℥ I.
Sem. fænugræci, cymini an. ʒ II.
Baccarum lauri ʒ I. Concisa & contusa ebulliant in q. s. aq. & in fine coctionis imponatur ℈ I. colocynthidos, ac post unam ebullitionem colentur, colati juris accipe ℥ XIII. Quibus admisce benedictæ laxativæ ℥ I. Ol. rutacei, anethini an. ℥ I. s. Salis ʒ I. Fiat enema,

Oleum diacolocynthidos Quercetani posset admisceri.

nema, quod tepidum recto inteſtino infundatur. Atque ſi neceſſitas expoſtulet, crebrius applicetur.

Poſtea ſi ventriculus adhuc bene ſe habeat, non erit alienum ægrotanti ℥ III. recentis butyri devorandum, aut ℥ III. ol. olivarum recentis exhauriendum præbere. Si autem hiſce remediis induratum excrementum protrudi nequeat, tum præſtat ex lenioribus purgantibus pharmacis, veluti ſunt ℥ I. S. pulpæ caſſiæ recenter evulſæ, aut ʒ X. elect. lenitivi vocati, aut ℥ IIII. ſyr. roſacei ſolutivi, cum hauſtulo decoctionis prunorum dulcium reſoluta, exhibere. Aut decoquantur prunorum dulcium num. X. & ʒ II. fol. ſenæ in ℥ VI. juris gallinacei, & colatum jus ebibatur.

Leniora purgantia.

A violentis enim & vehementer purgantibus in hoc malo omnino abſtinendum erit, quod hæc excitant flatus, & augent malum.

Quæ vehementer calida ſunt & tormina excitare ſolent purgantia vitanda.

Viribus adhuc conſiſtentibus convenientiſſimum erit ægrotantem in balneum aquæ calidæ locare, in qua decoctæ ſint malva, althea, flores chamæmeli, meliloti, anethi & mollis acanthi, ſingularum q. s.

Inſeſſus.

Si vero propter virium debilitatem balneum ferre nequeant, foveantur hypochondria ſacculis, quibus inſutæ ſunt ſequentes herbæ.

Sacculi pro hypochondriis & vent.

♃. Flor. chamæmeli, anethi, rutæ, malvæ, altheæ an. M. II.
Sem. lini, fænugræci, cymini an. ℥ I.
Baccarum lauri ʒ III. Conciſa & contuſa inſuantur ſacculis & interſuantur & ebulliant in aq. calidique hypochondriis applicentur.

Sequens pulviſculus ſæpe ſolus abſtulit malum.

Pulvis expertus ad dol. iliacum.

♃. Flor. luteorum chamæmeli, ſem. malvæ, an. ʒ I.
Pulveriſata commiſceantur, & cum hauſtulo decocti florum anethi tepide exhibeantur.

Spiritus ſalis aliquot guttulas exhibet cum Malvatico Crollius.

Si abſit inflammatio, commodiſſime exhiberi poſſunt ʒ I. aut ʒ I. S. Theriacæ andromachi cum hauſtulo vini tenuis, item guttulæ VII. aut IX. ol. vitrioli vino admixtæ, aut aqua ſcordii.

Experimentum ſingulare.

Sanguis veſpertilionis hypochondriis illitus mirifica experientia ilei dolores ſiſtere creditur.

Reliqua quæ ad hujus ſæviſſimi mali curationem ſpectant, ex ſequenti curatione colici doloris petenda erunt.

7. *Coli inteſtini cruciatus quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & qua ratione curandus?*

Colica paſſio quid.

Κωλικὴ διάθεσις, colicus affectus, ſive dolor craſſioris inteſtini, quod κῶλον nominatur, & inde vulgus colicam paſſionem vocat, eſt intolerabilis cruciatus in infimo ventre, in quo, quaſi inteſtina terebro perforarentur, aut palus infigeretur, dolorem infert: ileo morbo non diſſimilis.

Ut à Nephritide diſcernatur.

Et inde vulgus utramque affectionem confundens, colicam vocat. Vix quoque à nephritide morbo ſeu calculo in ureteribus hærente, hæc affectio diſcerni poteſt, niſi quod in nephritide dolor fixus eſt & ſtabilis; in coli autem affectione ut plurimum circuitionem habet, & modo in hac, modo in illa parte ventris vehementius affligit, & plerunque dolor coli altius percipitur quam ſunt renes ſiti: Item quod urinæ nephriticorum ſabuloſæ aut ſanguine tinctæ conſpiciuntur; in coli autem cruciatu, pro diverſitate cauſarum, aut humor craſſus ac pituitoſus hypoſtaſin præbet, aut bile tincta eſt urina.

Cauſæ.

Cauſæ cruciatus coli communes ſunt cum cauſis ilei, & quidem προηγούμεναι ſunt craſſi & pituitoſi humores, aut pituita vitrea intra membranulas coli inteſtini collecti & impacti, aut acres & mordicantes humores, veluti eſt bilis praſſina, in colo coacervati, & inteſtinum extendentes; aut inflammatio craſſiorum inteſtinorum, aut lumbrici in inteſtinis generati: προκαταρκτικαὶ vero ſunt cibi ac potiones frigidæ, craſſæ, obſtruentes flatusque generantes & facile corruptibiles, ut cereviſia recens, cruda & non defæcata.

Signa diverſarum cauſarum.

Signa cauſas colici doloris indicantia hæc ſunt. Quibus craſſus & pituitoſus humor,

Pituitæ vitreæ. mor, aut pituita vitrea cruciatum excitavit, iis dolor per totum abdomen ſeu ventrem extenditur & inteſtina quaſi terebro perforari ſentiuntur, & cum torminibus adſunt ructus, nauſea & vomitiones pituitoſæ, ſine tamen doloris mitigatione; per alvum nihil dejicitur, nec flatus quidem, & ſi quid dejiciatur excrementi, id parum eſt, & plenum flatibus. *Acrium humorum.* Ubi vero acres humores dolorem excitarunt, una cum acerbiſſimo dolore adſunt ardor ventris, ſitis & vigiliæ, nonnunquam & bilioſæ vomitiones, ac poſt alvi dejectionem majoribus infeſtatur æger cruciatibus. *Inflammationis.* Cauſa doloris colici inflammatione exiſtente, internus fervor in abdomine ſentitur, & urina alvusque ſupprimitur, & ſimul adeſt febricula & ſitis. *Flatuum.* Si flatus in colo coarctati, inteſtina extendentes & dolorem inferentes ſint cauſæ doloris, tum ventris rugitus frequentior adeſt. *Lumbricorum.* Propter lumbricos ſi coli dolor oriatur, per intervalla magis minusque affligit.

Prognoſtica. Signa prognoſtica in coli doloribus hæc obſervanda veniunt.

Inter omnes coli cruciatus graviſſimus eſt, qui ex inflammatione inteſtinorum originem habet.

In coli dolore, ſi clyſtere injecto, excrementa & flatus ſubducantur, dolorque poſtea mitigetur, minus erit periculi.

Curatio. Curatio pro cauſæ diverſitate varianda eſt, & cum victus ratio, tum medicatio cauſæ contraria erit inſtituenda. Verum cum cruciatus coli extremè affligant, eorum curatio moram & inducias non fert. Citiſſimè itaque, & antequam dolores vires proſternant, ad mitigandos leniendosque dolores properandum erit. *Colicæ à frigidis humoribus remedia.* Si itaque à craſſis pituitoſisque ac frigidis humoribus adeoque à vitrea pituita ortum ducant coli dolores, ſtatim ſequens enema recto inteſtino tepidum infundatur.

Enema. ♃. Malvæ, altheæ, origani, calaminthæ, rutæ Mercurialis an. M. s.
Sem. cymini, Baccarum lauri an. ʒ II.
Pulpæ colocynthidos ℈ I. in linteolo ligatæ.
Conciſa atque contuſa concoquantur in q. s. aq. ad tertias, decocti juris accipe ℔ I. Cui admiſce benedictæ laxativæ, elect. indi, hieræ ſimpl. mellis roſacei an. ℥ s. Ol. chamæmelini, rutacei, anethini an. ℥ s. Salis ʒ I. Commiſceantur, fiat clyſter, quo ſi neceſſitas poſtulat crebrius uti poſſumus, donec conquieſcant dolores, & pituitoſi humores detrahantur.

Foris autem abdomini applicentur ſacculi ex ſequentibus conſuti.

Sacculi ventri applicandi. ♃. Florum chamæmeli, anethi, meliloti an. M. II. rutæ, origani an. M. I. furfuris M. III. ſem. cymini ℥ I.
Concidantur & in ſacculum conſuantur, qui decoquatur in q. s. aq. & expreſſus calidus applicetur.

Sacculi ex milio & ſale. Commodiſſime quoque ſacculi ex milio & ſale ſimul mixtis, & in ſartagine calefactis applicari poſſunt.

Cataplaſma. Aut imponatur ventri cataplaſma ex ſtercore equino cum q. s. ol. rutacei confectum calidumque applicetur. *Inſeſſus.* His ſi non levetur dolor, tum præſtat ægrum in balneum aq. calidæ deducere in qua decocta ſunt flores chamæmeli, anethi, origani, malvæ & rad. altheæ atque ſemina fœnugræci. Sumantur autem ſingularum q. s. pro arbitrio Medici, & antequam deſcendat æger in balneum, exhibeantur ſequentia remedia.

Aſſumenda ante balneum. ♃. Elect. de baccis lauri ʒ II. Commiſceantur cum hauſtulo vini. Aut exhibeatur ʒ I. & s. theriacæ andromachi. Aut ʒ I. Pul. caſtorei. Aut ʒ I. Pul. Dauci Cretici.

Spiritus ſulphur. Ol. item cort. arrantiorum cum vino exhibitum ad gutt. IV. pl. juvat. Præſtat quoque poſt alvi dejectionem per clyſterem, IX. guttulas ſpiritus vitrioli cum hauſtulo vini generoſi ebibere.

Vinum abſinthite. Doloris tempore abſtineat æger à cibo ac potu, quieſcente autem dolore convenientiſſimus illi potus erit vinum abſinthite. Fugiat autem omnia alimenta refrigerantia & ſtupefacientia quæ in aliis ſpeciebus colici doloris exhiberi poſſunt.

Processu temporis ubi dolor conquieverit purgans pharmacum exhibeatur.

Bolus catharticus. ℞. Pulp. cassiæ ℥ I. pul. hieræ simpl. ʒ II. misceantur, fiat bolus, qui sex ante prandium horis devoretur.

Remedia colici doloris ab acribus humoribus. Acribus autem ac biliosis humoribus dolores in colo excitantibus, statim sequenti enemate humores eluendi ac subducendi erunt.

Enema emolliens. ℞. Violariæ, malvæ, altheæ, Mercurialis an. M. I.
Flor. chamæmeli M.s. sem. fænugræci, lini an. ℥ s.

Concisa & contusa coquantur in aq. q. s. ad tertias, ejus juris colati accipe ℔ I. cui admisce cassiæ fistularis ℥ I. hieræ picræ ʒ VI. ol. rosacei ℥ II. pinguedinis gallinæ, anseris an. ℥ s. vitellorum ovi n. II. commixta omnia tepida intestino infundantur.

Solium aq. calidæ. Convenit quoque ægrotantem in solium aq. calid. collocare in qua concocta sunt flores chamæmeli, malva, althæa, & violaria.

In cibo autem utatur patiens cremore ptisanæ, & piscibus saxatilibus.

Laudanum opiatum in forma pillularum ad gr. III. & IV. vel elect. Laudani Crollii ad trag. I. s. in vino vel alio liquore convenienti, multo tutius horum loco exhibetur. Sed ubi hisce dolor non remiserit, tum ad stupefacientia, quæ opiata dicuntur, confugiendum erit, quorum beneficio & sensus doloris aufertur, & acredo humorum extinguitur, tenuitasque crassior redditur, & calor immodicus penitus extinguitur. Inter opiata autem præstantissimum est in coli dolore ʒ I. aut ʒ I. s. philonii Romani, similiter pillulæ de cynoglossa, si ejus ʒ I. in globulos IX. conformetur, & ante cibum deglutiatur.

Doloris ex vitrea pituita intestinis impacta remedia. Si ex vitrea pituita intra tunicas intestinorum impacta, orti sint dolores coli, qui intensissimos acerbissimosque inferant cruciatus, & præsentissimum exitium minantur, tum juxta præceptum Hippocrat. extremis morbis extrema sunt adhibenda remedia. Sequens itaque enema statim est injiciendum.

Enema. ℞. Centaurii minoris, card. benedicti, fol. lauri, rutæ an. M. s.
Sem. carthami, urticæ an. ℥ s. pulp. colocynthidos in linteolo colligatæ ℈ I. concoquantur simul in ℔ III. aq. ad tertias, cujus liquoris colati accipe ℥ XIII. quibus admisce ol. laurini, rutæ, anethini an. ℥ I. diaphæniconis ℥ I. elect. de baccis lauri ℥ I. vitellorum ovorum num. II. salis ʒ I. misceantur, fiat clysterium quod tepidum infundatur.

Per os autem commodissime exhibentur ol. vitrioli guttulæ X. cum haustulo generosi vini mixtæ.

Foris venter & umbilicus illiniatur ol. ex euphorbio calido, cui oleum vitrioli est admixtum.

Remisso aliquantisper dolore, quotidie ægroto propinetur vinum in quo ramenta ligni guajaci hac ratione præparata sunt. *Vinum guajacinum.*

℞. Ramentorum ligni guajaci ℥ II. quæ in ℔ VI. vini Rhenani macerentur XXIV. horis, deinde in cantharo oblinito seu duplici vase per II. horas coquantur, ex quo mane ac vesperi ℥ VI. exhauriat. Alias in potu uti potest patiens vino absinthite.

Porro si colicus cruciatus ex lumbricis in alvo reptantibus excitetur, hæc conveniunt. Primum infundatur clyster ex ℔ I. lactis, & ℥ III. mellis confectum, ac post tres quatuorve horas, non obstante quod prius enema nondum sit excretum, aliud enema vermes enecans infundatur hoc modo paratum. *Colici doloris ex lumbricis remedia. Enema lumbricos alliciens.*

Enema vermes necans. ℞. Rutæ, absinthii, anethi an. M. I. decoquantur in q. s. aq. ad tertias, hujus decocti ℞. ℥ VIII. quibus admisce hieræ simplicis ℥ II. ol. rutæ ℥ III. salis ʒ I. fiat clyster. Verum lumbricos enecantia & exturbantia remedia in sequentibus enumerabimus.

Sunt præter hæc & remediorum quædam genera quæ ætherea sua qualitate occultisque viribus, vel, ut dicunt, tota sua substantia coli cruciatibus, quibuscunque ex causis ortis, mirifice opitulantur: inter quæ laudatur à Galeno stercoris lupini, in quibus *Remedia proprietate quadam occulta colicis conducentia. Stercus lupinum.*

bus ossa continentur, arefacti & in pulverem redacti, si ʒ II. cum vino crebro bibendæ offerantur ægroto. Celebratur & lorum *Cingulum.* sive cingulum ex corio cervi factum, cui stercus lupinum est insutum, si ileis & ventri circumligetur. Similiter mirificè confert *Alaudæ cineris.* ʒ I. cineris alaudæ avis cum vino exhibita. Sed si frigida ex causa obortus sit dolor colicus *Castoreum.* per aliquot dies ℈ II. pulveris castorei cum vino exhibere mirifice prodest.

Certa quoque experientia cum à veteribus tum recentioribus Medicis comprobatum est, si ʒ I. intestini lupini arefacti & pulverati cum vino Rhenano exhibeatur. *Intestinum lupi.*

Foris præsertim in frigida colica utilissime applicatur ventri cataplasma *Cataplasma.* ex stercore equino & floribus lavandulæ æ. p. simul mixtis, & in frixario sive sartagine cum q. s. ol. rutacei confectum.

8. *Lumbrici alvi quid, quæ causæ generationis eorum, quæ signa, & quibus remediis interficiendi & expellendi?*

Lumbrici quid. Ἕλμινθες lumbrici **die Spulworm**/sunt vermes in intestinis generati, differentes tamen ab aliis vermibus, qui nonnunquam & in aliis partibus corporis generari animadvertuntur. Quemadmodum enim in majoris mundi locis cænosis ex putri materia citra ullum seminale principium à solis calore vermes & alia animantia generantur; *Vermes in quibus partibus corporis generentur.* ita in hominis μικροκόσμου partibus cavis, raris calidisque & humidis, veluti sunt intestina, pulmones, renes, cavernosi dentes, pori cutis, & sordida ulcera in carnosis partibus, vermes diversi ex putrefacta materia, caliditate partium perfusa generantur; *Vermium diversa genera.* ejus generis sunt vermes dentium, pediculi & exilissimi ventriculi qui cuticulam erodentes pustulas excitant, à nostris **die Sühren** nominantur. Sed hoc loco nobis de lumbricis tantum alvi in intestinis generatis sermo erit. *Lumbrici in aliis quoque animalibus.* Generantur autem lumbrici non tantum in hominum alvis, verum & in brutorum quorundam corporibus, veluti sunt equi, boves, porci, oves, &c. *Lumbricorum tres species.* Lumbricorum porro tres species per alvum excernuntur, figura & generationis locis inter se differentes. *Species.* Quorum primi longi sunt & rotundi, *Rotundi.* lumbricis terrestribus similes, qui Græcis ἕλμινθες στρογγύλαι, id est teretes lumbrici nominantur, qui in gracilioribus intestinis generati, sæpe in ventriculum irrepunt, & gravissima inferunt symptomata, & nonnunquam per vomitum ejiciuntur. In ventriculo etiam hosce generari observatum à Johan. Jacobo Crafftio Medico Neocomense, ut testatur ejus epistola, centur. 2. obs. Chirurgicarum Fabricii Hildani, 70. Secunda species lumbricorum Græcis ἕλμινθες πλατεῖαι *Lati.* id est lati lumbrici dicuntur, qui breves sunt & lati, similes seminibus curcurbitæ, qui in colo intestino generantur. Tertia lumbricorum species Græcis ἕλμινθες ἀσκαρίδες, id est, tineæ alvi, qui & ipsi exigui sunt, & teretes, vermibus in caseis corruptis generatis non admodum dissimiles, qui in ano sive extremitate recti intestini quæ σφιγκτὴρ nominatur, pronascuntur, & cum excremento dejecti sua multitudine fæces conspergunt. Præter hæc tria lumbricorum genera, vidimus nos Rostochii in cujusdam honesti civis curatione excretum fuisse lumbricum trium ulnarum longitudinem æquantem latum, & instar fasciæ tenuem, mortuum tamen: erat enim disruptus, qui forsan ad latorum lumbricorum genus referri potest.

Quartum genus τινίαν vocant Græci, German. Den Fyck / de quo vide Guilh. Fabr. Hild. observ. Chirurg. 70. ex sequent. centur. 2. In Holsatia exhibito cuidam matronæ primariæ à me catarrho, excretus hujusmodi lumbricus fuit, 6. ulnarum longitudine.

Causæ. Causæ προηγούμεναι sunt caloris nativi & vaporosi in ventriculo & intestinis inæqualitas; qui alimenta assumpta non probe concoquit, sed potius corrumpit, & in cænosam materiam convertit, in qua tandem corpora conformat & vivificat copia materiæ cænosæ, pituitosæ, viscosæque intestinorum interioribus tunicis adhærescens. Προκαταρκτικαὶ sunt crapula, cruditas & alimentorum facile putrescentium, veluti sunt fructus dulces & fugaces, lac, caseus, & similium, crebrior & copiosior esus.

Signa generalia lumbricorum. Signa lumbricorum sunt ventris distensio, crebra tormina cum murmure, lientericum alvi profluvium, pallor oculorum, malæ crebro rubescunt, & statim rursus pallent, narium continuus pruritus per inediam,

diam, morſus inteſtinorum, tuſſis ſicca, punctiones oris ventriculi, nauſea, & aquoſi humoris ex ore profluvium, præſertim ubi lumbrici in ventriculum irrepſerunt, nonnunquam febricula adeſt & in ſomno aliena loquuntur, ſæpe & exclamant & è lecto exiliunt trementes. Porro ubi lumbrici in orificium ventriculi ſurrepſerunt, hæc graviſſima ſymptomata inferunt, λειποθυμίαν, συγκοπὴν & ἐπιληψίαν, quibus ſi adſit & febris, frequenter pueruli extinguuntur. Singulatim autem longorum ac teretium lumbricorum ſigna ſunt, morſus & vellicatio in inteſtinis: latorum vero famis intolerantia & vermium inſtar ſeminum cucurbitæ in excremento reptantium: ἀσκαρίδων ſignum, ingens in ano pruritus, & exigui vermiculi per totum excrementum.

Symptomata vermium ſtomachum arrodentium. Signa ſingulorum. Longorum. Latorum. Aſcaridum.

Prognoſtica ſigna notatu neceſſaria hæc ſunt. Lumbrici vivi per alvum dejecti minus ſunt periculoſi quam mortui. Extincti enim lumbrici, extremam putrefactionem & venenoſitatem humorum in alvo contentorum oſtendunt. Ex ore proreptantes lumbrici, in morbis gravioribus, vitæ periculum minantur. Sæpe tamen ita excretos vidi ægris reſtitutis.

Prognoſtica.

Curatio lumbricorum in eorum enecatione & exturbatione conſiſtit. Enecant autem communiter lumbricos omnes ſequentia remedia.

Curatio.

♃. Sem. ſantonici ʒ II. cornu cervi uſti præparati ʒ I. portulacæ ʒ ſ. Pulveriſentur tenuiſſime, & pro ætatis ratione vel ʒ I. vel ſ. cum hydromelite, aut lacte dulci per triduum mane ac veſperi exhibeatur.

Pulvis contra vermes omnis generis. Gillæ Theophr. vel ſalis vitrioli gr. VI. vel VIII. Chymici exhibent cum vino maltico. Spiritus vitrioli vermes necat. Idem præſtat ſpir. ſalis ad guttulas 6. cum aq. Athenaſea exhibetur.

Aut comedendum præſertim puerulis offerantur mane ac veſperi ſeminum ſantonici ſaccaro incruſtati ʒ II. aut plures. Præſentiſſimum remedium adverſus lumbricos eſt oleum vitrioli, ſi ejus guttulæ 5. 6. aut 7. pro ætatis ratione mane cum pauxillo vini præbeantur. Ubi ita enecati ſunt vermes, ſtatim ex alvo evacuari debent aut per electuarium diaphænicon, aut per pulpam caſſiæ, cum aq. abſinthii, pro ætatis ratione δόσει aucta aut detracta. Topicum autem & præſentiſſimum remedium eſt lumbricos enecans & expellens fel bubulum, cui nonnihil pulveris aloës & cymini eſt admixtum, quod calefactum & lino carpto exceptum umbilico applicetur. Præter hæc lumbricos alvi mirificè expellit ʒ I. pulveris lumbricorum terreſtrium cum hauſtulo hydromelitis ſumpta.

Evacuantia. Topicum umbilico applicandum. Pulvis lumbricorum terreſtrium.

Speciatim ad lumbricos latos ſeu cucurbitinos propellendos confert ʒ I. aut ſ. pro ætatis ratione ſequentis pulviſculi cum hydromelite ſumpta.

♃. Rad. filicis, ſem. ſantonici, fol. auriculæ muris, flor. centaurii minoris an. ℈ I. conterantur tenuiſſime, fiat pulvis.

Cucurbitinos expellentia.

Ἀσκαρίδες ſpeciatim vermiculos in ano interficiunt & extrahunt glandes ſeu ſuppoſitoria ex melle cocto & ſpeciebus hieræ ſimpl. & ſale confecta, crebroque podici inſerta, & paulo poſt rurſum extracta. Vel inſeratur podici ſuppoſitorium formatum ex caſeo Belgico & melle illinatur, ſubindeque alvo inſeratur & extrahatur. Ἀσκαρίδες enim catervatim caſeo adhærentes evelluntur.

Suppoſitoria ad aſcarides evocandos.

Porro ſi cum lumbricis & alvi fluxio adſit, tum utile erit frequenter exhibere lutea ovorum in cinericeo foco ad duritiem aſſatorum, cui admixtum ſit ſemen plantaginis.

Alvi fluxum ſedantia.

Evacuatis lumbricis & putrida eorum materia, prodeſt ʒ I. aut ſ. aut ℈ I. pro ætatis ratione exhibere theriacæ andromachi, & venenoſas qualitates per ſudorem diſcutere.

Theriaca.

SECTIO IV.

DE ANI AFFECTIONIBUS.

I. *Ani affectiones quæ?*

ANus, podex, Græcis σφιγκτὴρ eſt muſculoſa pars, ad extremitates inteſtinorum, in quam rectum inteſtinum & venæ hæmorrhoides terminantur, cujus præcipuæ affectiones aut ſymptomata ſunt:

I. Sciſſu-

1. Sciſſura ani,
2. Apoſtema ſeu tumor in Ano,
3. Ulcus fiſtulorum in ano,
4. Venarum hæmorrhoidalium apertio & fluor,
5. Ani procidentia.

2. *Sciſſura ani quid, quæ ejus cauſa, & quibus mediis curanda?*

Sciſſura ani quid. Ῥαγάδες, ſciſſuræ ſeu rimæ in ano ſunt ulcuſcula oblonga, quibus σφιγκτὴρ dilaceratur, acerrimum excitantia dolorem.

Cauſa. Cauſa προκαταρκτικὴ, id eſt primitiva vel externa eſt illapſus vel contactus venenati humoris in ano, aut inſeſſus nudo podice in locum virulenta contagione infectum. Cauſæ προηγουμέναι id eſt antecedentes ſeu internæ ſunt aut ſtercus extreme aridum, & cum ſumma difficultate excretum, aut humor ſalſus, acris & erodens circa anum collectus.

Signa. Signa ſunt evidentia. Adeſt enim dolor ardens in ano, & ulcuſcula intuitu deprehendi poſſunt.

Prognoſticum. Prognoſticum autem ſignum erit: ſi ῥαγάδες negligentius curentur, in fiſtuloſum ulcus degenerant.

Curatio. Curatio ῥαγάδων conſiſtit in cauſarum abolitione, dolorum mitigatione, & ulcerum conglutinatione.

Si itaque feces in alvo duriores exiſtant, inſtituenda eſt victus ratio alvum emolliens.

Emollientia & lubricantia alvum. Utatur itaque patiens & quidem crebro prunis dulcibus, quorum juſculum ſaccaro condiatur; item juſculis pinguibus, & oleribus, cum quibus concoctæ ſunt beta, malva & atriplex rubea hortulans: hæc enim emolliunt arida excrementa in inteſtinis. Aut concoquantur ℨ II. fol. ſenæ in linteolo ligatæ cum prunis Ungaricis, quorum juſculum dulcoretur ſaccaro, & pruna quidem eſitet, juſculum vero bibat patiens.

At ſi acres & erodentes humores cauſa ſint ῥαγάδων in ano, quales ſunt bilis exuſta & pituita ſalſa, tum ſalſa quidem pituita ſequenti potiuncula ſubducatur.

Hauſtus catharticus ad pituitam ſalſam evacuandam. ℞. Fol. ſenæ, agarici trochiſcati an. ℨ I. s. Contuſa macerentur in ℥ I. oxymellis ſimpl. & ℥ V. aq. hyſſopi per noctem, mane ebulliant leniter, colentur, & colato juſculo admiſceantur elect. diaphæniconis ℨ II. confectionis hamech ℨ I. fiat hauſtus, qui ebibatur tepidus in aurora, ſeu ſex horis ante prandium.

Si vero fervens bilis erodat anum, hæc ſequenti hauſtulo purgetur.

Hauſtus cholagogus. ℞. Rhabarbari electi ℨ II. fol. ſenæ ℨ I. Contuſa macerentur per noctem in aq. cichoreæ ℥ IV. mane ebulliant leniter: expreſſa colentur, colato juſculo admiſceantur ℨ III. elect. roſati Meſue, fiat hauſtus, qui tepidus in aurora ebibatur.

Reliqua remediorum genera, quibus ſalſi, acres, erodentesque humores evacuari debeant, ex tabellis remediorum purgantium, quibuslibet humoribus evacuandis deſtinatorum, peti debent.

Humoribus vitioſis evacuatis ſtatim ad mitigationem dolorum & ulcerum conſolidationem topicis remediis accedendum erit. Primum itaque fomentetur ac foveatur, laveturque locus affectus ſingulis diebus ad minimum bis ſequenti decocto.

Decoctum pro fomentatione loci affecti. ℞. Rad. altheæ ℥ III. ſem. lini, fænugræci an. ℥ II.
Flor. chamæmeli, meliloti, malvæ, violarum an. M. III.
Furfuris hordeacei M. I. Flor. verbaſci M. III.
Thuris, aloës an. ℥ I. aluminis ℥ II.

Contuſa & conciſa decoquantur in q. s. aq. ad tertias, cui nudo podice inſideat æger, ſubſtratis prædictis herbis. Aut ejus liquore ſpongia excepto abſtergat & eluat ſciſſuras ani.

Tandem ſciſſuris abſterſis & exiccatis inungantur ſciſſuræ ſequenti linimento, aut lana xylina exceptum imponatur.

Linimentum. ℞. Ol. lini, violarum an. ℨ II.
Mucilaginis ſem. cytoniorum cum aqua roſacea factæ ℨ I.
Ceræ albæ parum, fiat linimentum, cui admiſceantur tenuiſſimi pulveres thuris, maſtichis an. ℈ I. aluminis ℈ s.

Ol. ovorum. Præſtat quoque ſciſſuras illinire oleo ex vitellis ovorum, aut ol. lini, vel pſyllii, aut liliorum alborum. Aut

Emplastrum.

♃ Albuminis ovi unius, mucaginis, sem. psyllii cum aq. rosac. factæ ʒ II.
Medullæ ossium vitulinorum ʒ III.

Agitentur simul in plumbeo mortario, cum pistillo plumbeo, donec incrassescant nigrescantque instar unguenti, cui admisceantur cerusæ, lithargyrii tenuissime pulverati an. ʒ I. Tutiæ præparatæ, thuris an. ʒ s. fiat emplastrum.

Ol. Saturni hic à Chymicis adhibetur.

Addi quoque potest huic unguento vel emplastro, si acerbitas doloris efflagitet, opii thebaici ℈ I.

Si ulcuscula sive scissuræ humidiores extiterint, inspergatur scissuris sequens pulvis tenuissimus.

Pulvis scissuris inspergendus.

♃. Aloës, plumbi usti an. ʒ s. Thuris, tutiæ præparatæ an. ℈ I.
Cerusæ ℈ II. Fiat pulvis tenuissimus.

Vapor scoriæ ferri omnes scissuras sanat.

Porro ῥαγάδας omnes vel scissuras tam in manibus quam in ano aliisque partibus citissime persanat, fervens vapor scoriæ sive excrementi ferri candentis, in majusculam ollam positi, si subinde inspergatur vini rubei pauxillum, & vapor excitatus ex undique objecta olla in partes affectas excipiatur.

3. *Tumor circa anum quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & qua ratione curandus?*

Condyloma quid.

Κονδύλωμα, tuberculum, est tumor in margine ani excitatus, similis pugno digitorum, aut maturis moris, aut ficui, aut grano uvæ nigræ.

Causæ.

Causæ κονδυλώματος προηγουμέναι sunt, aut crassus, niger & melancholicus sanguis per venas ad anum derivatus ac collectus, aut sanguis fervens & biliosus.

Signa.

Signa tumoris in ano sunt evidentia, sed qui ex melancholico sanguine est generatus, nigrior est, & minus dolet: qui vero ex bilioso sanguine est excitatus, rubicundiore ac flaviore colore cum vehementi cruciatu & inflammatione conspicitur.

Prognostica.

Prognosticum hujus tumoris signum est, in condylomate semper adest alvi & urinæ suppressio. Condylomatis curatio si negligentius tractetur, tumor in ulcus fistulosum transit.

Curatio.

Curatio condylomatis per victus rationem, venæ sectionem, causæ ablationem, & topicorum remediorum applicationem perficitur. Si itaque tumor niger vel lividus apparuerit, in victus ratione cibi ac potiones sunt adhibendæ, quæ alvum emolliant, veluti sunt pruna dulcia, poma assata & saccaro conspersa, & juscula pinguia.

Victus ratio.

Venæ sectio.

Venæ sectio statim in initio est molienda, & lienis vena sinistri lateris est incidenda, deinceps causa tumoris, humor melancholicus sequenti potione sensim est evacuandus.

Potio melanagoga.

♃. Rad. glycyrrizæ, polypodii, fæniculi, petroselini an. ʒ III.
Cort. capparum ʒ II. sem. anisi, petroselini an. ʒ I. s.
Ceterach, scolopendriæ, scordii, Cardui benedicti an. p. I.
Conserv. Fumariæ ℥ II. fol. senæ ℥ s.
Myrabulanorum Indorum, chebulorum an. ʒ s. prunorum dulcium num. IX.

Vinum helleboratum Quercetani efficacius hoc præstat.

Concisa & contusa coquantur cum ℔ II. aq. in duplici vase seu cantharo ad duas horas, colentur: colati juris omni diluculo, donec potio durat, ebibat æger ℥ V. tepefactas.

Topica.

Interim vero dum hæc potio usurpatur tumori foris applicentur emplastra & cataplasmata maturantia & discutientia, ut

Cataplasma.

♃. Rad. altheæ ℥ s. sem. fænugræci, lini an. ʒ II.
Flor. chamæmeli, meliloti an. M. s.
Rad. liliorum albor. cæparum an. ℥ I.

Contusa omnia coquantur in q. s. aquæ ad molliciem usque, deinde per cribrum rarum transigantur, & ad pultis formam redigantur, quibus admisceantur sevi hircini ℥ II. fiat cataplasma, quod calidum per duplicatum linteolum extendatur, & bis singulis diebus tumori applicetur: aut imponatur emplastrum diachylon simplex vocatum.

Emplastrum.

Apertio tumoris.

Porro ubi emollescere incipit tumor, incidatur, & virus ac pus omne exprimatur, mundificetur, & emplastro tetrapharmaco vocato, unguentoque Apostolico imposito, artificiose curetur.

Reliqua remedia hujusmodi tumoribus convenientia, infra in curatione apostematum indicabimus.

Si

Si autem ex bilioso sanguine κονδύλωμα est progeneratum, & acerbum excitet dolorem, similiter utatur æger cibis lenientibus, & alvum facilem reddentibus, statimque in principio secetur vena epatica dextri lateris, & purgetur sanguis biliosus sequenti haustulo.

Vena sectio.

Haustus cholagogus.

♃. Rhabarbari elect. ʒ II. fol. senæ ʒ s. Contusa macerentur in aq. cichoreæ ℥ IV. horis 12. deinde leniter ebulliant, expressa colentur, colato juri admisceantur elect. rosati mesuei ʒ II. Fiat haustus, ebibatur in aurora tepidus.

Insessus ad doloris mitigationem.

Post evacuatas impuritates mitigetur doloris acerbitas, per insessionem calidæ aq. in qua incoctæ sint rad. altheæ, malvæ an. M. II. Fol. malvæ, violariæ, flor. chamæmeli, meliloti, an. IV. sem. lini, fænugræci an. ℥ I. Concisa & contusa coquantur ut dictum est.

Inunctio.

Post lotionem inungatur fervens tumor unguento populino, cui si vehementia doloris flagitet, admisceri potest aliquid opii thebaici in aqua rosacea soluti. Postea imponatur cataplasma refrigerans & repercutiens, veluti est:

Cataplasma refrigerans & repellens.

♃. Ovi unius luteum cum albumine, cui probe conquassato admisce ol. rosacei ℥ I. mucaginis psyllii, cum succo plantaginis & semper vivæ extractæ ℥ I. commisceantur, & duplicato linteolo excipiantur, locoque affecto applicentur tepida. Aut

Cataplasma anodynon.

♃. Medullæ panis similacei ℥ II. macerentur in lacte caprillo, ex quo exceptæ contundantur in mortario, & admisceantur cerussæ lotæ ʒ II. succi hyoscyami ℥ s. Albumen ovi unius, fiat cataplasma.

Maturans & emolliens.

Apertio tumoris non est negligenda si per se non rumpatur.

Sedato dolore cataplasma maturans & emolliens imponatur ex rad. liliorum alborum & ceparum assatarum, simulque contusarum cum q. s. ol. rosacei, in cataplasmatis formam redigantur & tumori imponantur. Aut applicetur diachylon simplex, & ubi ematuruit tumor, incidatur, pusque exprimatur, mundificetur, & consolidetur chirurgico processu.

Plura de tumoribus biliosis, Deo auxiliante, infra dicturi sumus.

4. *Fistula sive ulcus fistulosum in ano quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curandum?*

Ani fistula quid.

Σύριγξ τοῦ σφιγκτῆρος, ani fistula, est ulcus arctum & instar fistulæ oblongum atque callosum, sed non admodum dolorificum. Accidit fistula in partibus carnosis in quocunque loco, quæ foris quidem constricta coarctatur, intus autem latius se expandit & sinuosa redditur.

Causa.

Causæ προηγούμεναι sunt virulenti & erodentes humores, veluti est bilis flava adusta, aut atra bilis in cinerem conversa: προκαταρκτικαὶ sunt ineptæ aut neglectæ curationes apostematum, aut hæmorrhoidum apertarum & exulceratarum in ano.

Signa.

Signa sunt evidentia. Hoc enim ulcus arctum habet osculum ac rotundum, orificio fistulæ instrumenti simile, durum ac callosum.

Prognostica.

Prognostica signa hæc habentur. Fistulosum ulcus, si non in tempore curetur, excedit subjectas partes usque ad nervos & ossa. Fistula in ano neglecta penetrat aut cavitatem recti intestini, & tum excrementum alvi per ulcus prodit, aut penetrat in capacitatem cervicis vesicæ, & tum urina per fistulam profluit, aut pertingit ad os coccygis, & tales quidem fistulæ ut plurimum insanabiles sunt, frustraque eis admoventur manus Medicæ. Sed si sunt recentes, & nondum penetrantes, remediis convenientibus, & industria Chirurgica probe curari possunt.

Fistula quænam incurabiles.

Curatio.

Curatio ulceris fistulosi consistit in proba victus ratione, quæ instituenda est pro corporis intemperie, quæ ex superioribus curationibus morborum biliosorum & melancholicorum est petenda & huc adferenda. Vitent autem hoc malo affecti in universum omnia intensius calefacientia & acria. Vena secetur sub talo sinistri pedis. Postea virulentus humor, ac potissimum atra bilis adusta concoquatur, & ad eductionem præparetur medicamentis, supra in tabellis medicamentorum atram bilem extenuantium, descriptis, & statim evacuetur ℥ I. conf. hamech. cum haustulo aq. car-

Diæta.

Vena sectio.

Haustus melanagogus.

cardui benedicti mixta. Aut ʒ i. pill. è fumo terræ aut de lapide lazuli, aliiſque remediis vacuationi atræ bilis ibidem dicatis. Poſtea procuretur ut patiens quotidie exhauriat hauſtum unum vulneratiæ potionis, quæ ita confici poterit.

Potio vulneraria.

℞. Agrimoniæ, veronicæ, centaurii minoris an. M. i.
Plantaginis, fol. olivæ an. M. s. rad. chinæ ℥ i.
Rad. filicis, gentianæ an. ℥ s.

Contuſa coquantur in vini Rhenani ℔ vi. in duplici vaſe per 2. horas, colentur, cujus ſumat æger omni diluculo ℥ vi. in quibus tepidis reſolvetur ſpermat. Ceti ℈ i.

Topica. His ſtudioſe peractis, ad topica remedia & chirurgicam apertionem accedatur, ac primum ſtrictum os ulceris dilatetur, id quod confici poteſt, ſi in os ulceris inſeratur fruſtulum radicis Gentianæ aut Bryoniæ. *Fiſtuloſi ulceris os dilatantia.* Deinde quotitie bis ſordidum pus ex ulcere eluatur, abſtergatur, exprimatur, ac mundificetur, poſtea corrupta collapſaque caro extirpetur ac removeatur, dolorque, qui incidit, ſubinde leniatur, ac poſtremo ulcus ipſum conſolidetur ac conglutinetur.

Mundificantia & abſtergentia. Abſtergit & mundificat ulcus fiſtuloſum, vinum rubeum in quo incocta ſunt herbæ veronicæ, agrimoniæ, perſicariæ, & ſaniculæ, radixque chinæ, cujuſque colaturæ admixtum ſit nonnihil mellis roſacei, quo tepido ſingulis diebus bis eluatur vulnus.

Calloſam & corruptam carnem conſumentia. Spiritum ſalis Chymici adhibent. Turunda inſtar ſuppoſitorii. Porro corrupta & calloſa caro auferri poteſt ſequentibus remediis, illinitione unguenti Ægyptiaci, aut unguenti viridis, aut inſertione in ulcus radicum veratri nigri trib. diebus, aut inſperſione pulveris Ariſtolochiæ rotundæ, aut impoſitione ſequentis ſuppoſitorii.

℞. Aloës putiſſimæ, thuris, ſarcocollæ, ſanguinis draconis, antimonii, aluminis uſti an. ℈ i. pulverata miſceantur, quæ cum q. s. ſucci fumariæ, in quo nonnihil tragacanti reſolutum eſt, excipiantur, & pro amplitudine ulceris glandes formentur, ulcerique putrido inſerantur.

Anodyna. Dolorem, qui ex remediorum acrimonia in ulcere excitatur, ſubinde lenire poſſumus ac mitigare, externis illitionibus olei roſacei, aut populini unguenti, cui ſi neceſſitas exigit, admiſceri poteſt parum opii thebaici. *Conſolidantia.* Conſolidant & ad cicatricem deducunt omnia ulcera putrida & fiſtuloſa hæc ſequentia: *Mercur. præc. pulv.* Inſpergatur ulceri pulvis Mercurii præcipitati, & imponatur emplaſtrum commune: vel

Vnguentum.

℞. Terpentinæ in vino ſublimato ſepties elotæ ℥ i. Succi arnogloſſæ, veronicæ an. ℥ s. mellis roſacei ʒ iii. decoquantur ad ſuccorum adſumptionem, ac tandem admiſceantur pulveris ariſtolochiæ rotundæ, peucedani an. ʒ ii. ſarcocollæ, myrrhæ an. ℈ ii. fiat unguentum, quod tepidum ulceri inſtilletur. Aut

Balſamus egregius.

℞. Ol. laterini, terpentinæ, caryophyllorum chymica arte præparatorum, ol. è myrrha, è maſtiche deſtillatorum an. ʒ i. Commiſceantur & tepida ulceri inſtillentur, ac quidem bis in die, ſemper prius ulcus vino eluendo.

Foris autem applicetur emplaſtrum baſilicum vel Apoſtolicum. Porro auripigmentum præparatum ſolum omnia fiſtuloſa ulcera ſanare potis eſt. Hac autem ratione præparatur.

Auripigmentum præparatum.

℞. Auripigmenti ℥ i. tartari calcinati ℥ ii. Pulverentur, ac in crucibulo aurifabrorum comburantur in igni forti per horas xxiv. deinde excipiantur ex regula & conterantur, adfuſaque aqua ſufficienti concoquantur uſque ad evaporationem aquæ. *Ol. auripigmenti valde utile & anodynum.* Reperitur tandem in fundo illa calx albiſſima, quæ auripigmentum præparatum vocatur. Hujus pulveris juſta quantitas ulceri fiſtuloſo inſperſa mirifice ſanat: aut calcem auripigmenti vitro imponito in humidumque locum collocato, & reſolvitur calx in oleoſum liquorem, quem ulceri inſtillato, aut linteolis tenuiſſimis exceptum, imponito, emplaſtrumque præſcriptum, aut aliud transfixioni dicatum **Stichplaſter**/ ulceri imponito.

5. *Hæmorrhoidum apertio ac fluor quid, quæ ejus cauſæ, quæ ſigna, & qua ratione curandus?*

Hæmorrhois quid. Αἱμοῤῥοὶς eſt venarum in ſphinctere & margi-

margine ani terminantium, ex cumulato melancholico sanguine dilatatio primum & intumescentia; ac paulo post earum apertio, ex eisque sanguinis effluxio. Hæ venæ cum adhuc tument,& nec dum sunt apertæ,cæcæ hæmorrhoides nominantur, & vehementes inducunt dolores; quando vero apertæ sunt, in egerendi conatu, sanguinem copiose eructant: hic sanguinis profluxus, si sit moderatus, salutaris est, ac à gravissimis morbis hominem præservat. Sed si immoderate & præternaturaliter fluat, aut si fluxus consuetus supprimatur, varia inducit symptomata, & plurium morborum est causa.

Hæmorrhoides cæcæ. *Apertæ.* *Quanam salutares.*

Hæmorrhoidum nomenclatura & venis ipsis & earum affectionibus singulis attribuitur. Venæ hæmorrhoides sunt ramuli & propagines venarum, quæ ex porta vena ortæ in lienem implantantur, indeque veluti surculi quidam per mesenterium ad rectum intestinum descendunt, & in anum implantantur.

Causæ fluxus hæmorrhoidum. Causæ προηγούμεναι tum intumescentiæ, tum apertionis harum venarum, & profusionis sanguinis,sunt humores melancholici, sanguinisque melancholicus, fæculentus, adustus & acris, qui primum in epate conficitur, deinde in liene colligitur, hincque per venas prædictas ad anum defertur: προκαταρκτικαὶ, sunt cibi crassi ex quibus melancholicus sanguis generatur, & rerum erodentium naribus applicatio vel adhæsio, veluti sunt hirudines,& glandes ex melle adusto ac sale paratæ & naribus insertæ.

Causæ suppressionis. Suppressionis consueti fluxus hæmorrhoidum causæ sunt contrariæ, nimirum sanguis melancholicus crassus & refrigeratus, & refrigeratio ani ex rebus externis.

Signa cæcarum. Signa hæmorrhoidum sunt manifesta. Hæmorrhoides enim vel exuberantiæ quas cæcas hæmorrhoides vocant, intensissimos inter excernendum excitant dolores. *Apertarum.* Ex apertis autem hæmorrhoidibus sanguis cum excremento profluit, & excrementi superficies cruore conspergitur tantum. In aliis autem sanguinis ex alvo effluxionibus, cruor excretus toti excremento commiscetur. *Alia cæcarum signa.* Præterea cæcarum hæmorrhoidum signa sunt, verrucis similes tumores vel in sphynctere delitescentes, vel in margine ani conspicui, ut dictum est, cum acerbo cruciatu inter egerendum. *Suppressarum signa.* Suppressionis consuetarum fluxionum signa sunt malus corporis habitus, dolor lumborum & gravitas, ac intumescentia pedum. *Prognostica.* Signa prognostica sunt, hæmorrhoidibus immoderate fluentibus, nisi cohibeantur, succedit καχεξία, & deinde hydrops.

Suppressionum consuetarum moderatarumque fluxionum comites sunt fœdus & lividus color, corporis intumescentia, quartana, & alii morbi melancholici. Cæcas hæmorrhoides vel verrucæ instar intumescentes,nonnunquam lepra aut morbus Gallicus subsequitur.

Curatio cæcarum hæmorrhoidum sive tumorum aut verrucarum in ano. In tumoribus sive verrucis ani, primum omnium vena sub poplite, aut sub talo sinistri pedis est aperienda: *Victus ratio.* Deinde victus ratio alvum leniens est præscribenda; & procurandum, ne stercus in intestinis in σκύβαλα indurescat. Crebro itaque esitet æger juscula pinguia, pruna Ungarica, poma assata, pulmenta ex amylo & hordeo excorticato. Sint autem hæc omnia saccaro copiose conspersa. *Emollientia.* Ac si senserit æger constipatam alvum habere, ante prandium devoret ʒ x. pulpæ cassiæ recenter evulsæ & saccaro conspersæ.

Anodyna. Post victus rationem, venæque sectionem dolor omni curâ est leniendus. Nihil enim magis vires prosternit, quam dolor. Insideat itaque patiens in solium aq. calidæ, in qua concoctæ sint herbæ sequentes.

Insessus. ℞. Malvæ, altheæ, violariæ, flor. meliloti, chamæmeli, an. q. s. fiat balneum: aut insideat sacculo tepido in aq. s. cocto, in quo insutæ sint sequentes herbæ.

Sacculus. ℞. Herb. malvæ, altheæ, viol. an. M. II.
Flor. verbasci,meliloti,chamæmeli an. M. I.
Sem. Fænugræci, lini an. ℥ II.

Concisa & contusa imponantur sacculo, & consuantur. *Cataplasma.* Aut si in margine ani verrucæ promineant, cataplasma imponatur ex mica

 panis

panis ſimilacei in lacte macerata, cui ovorum duorum lutea ſunt admixta. Aut

Epithema.

℞. Muccilaginis pſyllii cum aq. roſacea & plantag. confectæ, quæ linteolis excepta tumoribus imponatur, aut per ſyringa in ſphyncterem infundatur. Aut

℞. Ol. roſarum, myrtillorum an. ʒ II. candidi ovorum n. I. Hæc ſimul in plumbeo mortariolo diutiſſime agitentur, donec incraſſeſcant, & nigrum acquirant colorem, & linteolis excepta, tumoribus applicentur, cui ſi extrema neceſſitas efflagitat, admiſceri poteſt ℈ I. aut ʒ s. opii thebaici, in aqua roſacea ſoluti.

Aperientia cæcas hæmorrhoides.

Mitigato dolore hæmorrhoidum, ſtatim in principio & aperiendi ſunt tumores, & ſanguis craſſus evacuandus. Aperiunt autem cæcos in ano tumuſculos hæc ſequentia.

℞. Succi cæparum, centaurii minoris, fellis bubuli an. ℥ I. Commiſceantur, & tenui lana excepta, tumoribus imponantur. Aut

Cataplaſma.

℞. Stercoris columbini ℥ s. ſem. ſtaphiſagriæ, lupinorum an. ʒ II.

Amygdalarum amararum ʒ I. pulp. colocynth. ʒ s.

Quibus commixtis admiſceantur olei amygdalarum amararum, & ſucci cæparum an. q. s. fiat cataplaſ. quod tepidum & per linteolum extenſum verrucis applicetur.

Hirudinum uſus commodiſſimus.

Aut applicentur tumuſculis hirudines in calamum arundinaceum inſertæ. Ubi vero verrucæ in ipſo inteſtino latitant, glans ſeu ſuppoſitorium ex radice cyclaminis formatum, in inteſtinum inſeratur, aut pulpa colocynthidos in ſindone ligata, & bubulo felle illita inteſtinis inſeratur. Aut infundatur enema ex ℥ II. fellis bubuli & ʒ III. hieræ picræ confectum.

Melanagoga.

Interim melancholicus ſuccus in corpore contentus extenuetur, concoquatur, deindeque evacuetur pharmacis ſupra cum in tabellis generalibus, tum in melancholicis capitis affectionibus præſcriptis. Probe autem evacuat aduſtam melancholiam ℥ I. confectionis hamech in q. s. aq. fumariæ reſoluta, tepidaque jejuno ventre exhauſta.

Hæmorrhoidum immodice fluentium mala.

Curatio præter naturam fluentium hæmorrhoidum. Ubi apertis venis hæmorrhoidibus, ſive ob fæculenti, ſive bilioſi ſanguinis copiam acrimoniamque, & ſanguine copioſius præter naturam effluente, niſi fluxioni intempeſtivæ cito occurratur, calor totius corporis, ac potiſſimum epatis extinguitur, hydropsque & ἀτροφία ſequuntur.

Curatio. Venæ ſectio.

Si itaque in hujuſmodi fluore corpus plethoricon fuerit, ſtatim vena epatica dextri humeri averſionis gratia ſecanda erit; aut ſi vires non ferunt, curcubitulæ cæcæ, id eſt ſine ſcarificatione, dextra hypochondrio applicandæ erunt, & ſi ſanguis ſit fæculentus, inteſtinaque excrementis ſint imbuta, ſequens enema infundatur.

Cucurbitula.

Enema.

℞. Fumariæ, ceterach, betonicæ, flor. chamæmeli, meliloti, malvæ, furfurum ſiliginis an. M. s.

Conciſa coquantur in q. s. aq. ad medias, colentur, colati juris accipe ℔ I. cui admiſceantur confect. hamech, mellis roſacei an. ℥ I. butyri recentis ℥ II. fiat enema, quo poſt dimidiam horam excreto, imperetur ægrotanti conveniens victus ratio, exſiccandi & conſtringendi facultate prædita.

Cibi aſtringentes.

Tales ſunt cibi ex oryza, lacte amygdalino cum aq. chalybeata parato, & ſimiles. Condiantur vero alimenta vel ſucco uvarum immaturarum, aut cytoniorum. Vinum bibat rubeum & aſtringens. Medicamenta ſint conſtringentia, electuaria vel pulveres, ut

Electuarium ſtipticum.

℞. Conſer. ſymphyti majoris, roſarum an. ℥ s. diacyton. ſimpl. ℥ I.

Pul. boli armeni, terræ ſigillatæ, ſang. draconis an. ʒ I.

Coral. rub. præparat. ʒ s cum ſyr. cyto. q. s. fiat electuarium, de quo crebro patiens devoret ſemijuglandis quantitatem. Aut

Sal coralorum cum aq. plantaginis ad ſcrup. I. vel II. exhibent Chymici.

Pulvis adſtrictivus.

℞. Croci Martis, coral. rub. præparati, paſtill. de ſuccino an. ʒ I.

Miſceantur, fiat tenuiſſimus pul. cujus ℈ I. alternis diebus cum hauſtulo vini rubei exhibeatur jejuno exiſtente patiente.

Inte-

Topica. Interim nec externa ac topica remedia negligenda erunt, sed quotidie bis hæc sequentia loco affecto applicentur. Si ardor & acredo quædam in fluore percipiatur.

Epithema anodynon. ℞. Muccilag. ex sem. lini & fœnugræci in q. s. aq. symph. aut plantaginis macerat. factæ ℥ s. album. unius ovi: hæc simul commisceantur, & in plumbeo mortario diutiss. agitentur, donec crassescant instar linimenti, & cum lana xylina excepta, apertis osculis hæmorrhoidum imponantur.

Dolore nonnihil mitigato, constringentia sanguinemque cohibentia applicentur, ut

Cataplasma sanguinis fluxum cohibens. ℞. Ovum in duritiem assatum, à quo testam cum pellicula detrahito, & in tenuiss. pul. conterito, eique admisceto ejusdem assati ovi dimidiam partem, admisce quoque pul. boli armeni, sang. dracon. terræ sigillatæ an. ʒ s. telæ aranearum mundarum ʒ I. suc. plantaginis q. s. quæ omnia in mortario plumbeo diligenter conterito instar cataplasmatis aut unguenti, locoque affecto applicato. Aut

Epithema. ℞. Succi plantag. polygonii, symph. verbasci an. ℥ II. quibus admisce tenuiss. pul. sang. dracon. boli armeni, terræ sigillatæ an. ʒ I. misceantur & incoquantur ad medias, fiat epithema, quod duplicatis linteolis exceptum affecto loco applicetur. Aut

Pulvis. ℞. Testæ ovorum tenuissime pulveratorum ʒ I.
Thuris, sang. dracon. an. ʒ s. aloës ℈ II. misce, & venarum fluentium osculis vel orificiis inspergantur, aut cum albu. ovi commisceantur, & cum q. s. sang. ex hæmorrhoidibus profusi, fiat linimentum, quod pilis albicantibus inter femora leporum hærentibus excipiatur, locisque fluentibus imponatur. Aut

Ramenta fungi betulini inspersa ad miraculum hoc præstant.

Linimentum.

Emplastrum. ℞. Plumbi usti, acatiæ, cerussæ an. ℈ I. psidiæ ʒ s. pulverisentur tenuissime & cum succi pentaphylli q. s. addita farinæ fabarum ʒ s. fiat emplast. Si autem apertæ venæ, intra intestina delitescant, & supra scriptis remediis suppositoria & linimenta, xylina lana excepta parari possunt, & intra anum inseri.

Ad internas hæmorrhoides apertas.

Insessus. Porro si vires ferant, collocetur æger in solio aq. calidæ, in qua sæpiusculè extincta sunt excrementa ferri candentia, & in qua incoctus sit sacculus ex sequentibus herbis concinnatus.

℞. Symphyti, plantag. polygonii an. M. III. rad. tormentillæ, verbasci an. M. II. veronicæ, stœchados citrinæ an. M. III.
Sem. vel baccarum rubentium ex rosis M. II.

Contundenda contundantur, & concidenda concidantur, fiat sacculus, cui in solio insideat æger.

Ligatura brachiorum. Facile quoque constringit apertas venas, & adfluentem sanguinem retrahit dolorifica colligatio cum fasciis brachiorum.

Curatio suppressionis consueti fluoris hæmorrhoidum. Qui fæculento melancholico sanguine redundant, & lienem habent imbecillem, si singulis aut alternis annis semel, bis terve fluore salutari & periodico laborant, in quibus effuso impuro sanguine sua sponte venæ rursum subsistunt, eas fluxiones leviter ferunt. Minime itaque medicamentis cohibendæ sunt. Reddunt enim eos tutos ac liberos à gravissimis melancholicis morbis, teste Hipp. Epidem. particula tertia Aphor. 19. inquiente: habentes hæmorrhoidas videlicet consuetas ac periodicas neque pleuritide, neque peripneumonia, neque depascentibus ulceribus, neque lepra, neque furunculis corripiuntur. Tuti quoque sunt à quartanis febribus & mania, aliisque melancholicis morbis.

Modicus & consuetus fluxus minime cohibendus.

Utilitates hæmorrhoidum periodicarum.

Incommoda suppressarum hæmorrhoidum consuetarum. Verum si hujusmodi consuetæ fluxiones ob crassitiem sanguinis aut constrictionem venarum consistant, præcitati morbi, & aliæ plurimæ affectiones melancholicæ subsequuntur.

Suppressæ hæmorrhoides ut provocandæ. Ubi itaque signa suppressarum hæmorrhoidum consuetarum comparuerint, venarum videlicet in cruribus & circa anum intumescentia, aut gravitas tibiarum, aut dolor circa lumbos, & pruritus in ano, tum

Purgatio. statim crassus & melancholicus humor post concoctionem cum ʒ x. diacathol. cum a-

qua

Venæ sectio. qua fum. solutis evacuetur, & vena sub poplite aut sub talo sinistri pedis aperiatur, aut ano, præsertim ubi venæ intumescentes *Hirudines.* conspiciuntur, hirudines applicentur, aut remediis paulo ante in curatione cæcarum hæmorrhoidum recitatis aperiatur.

6. *Ani procidentia quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curanda?*

Ani procidentia quid. Πρόπτωσις, prolapsus sphincteris est, ubi musculi rotundi in extremitate recti intestini, quibus intestina podici sunt colligata, extra anum elabuntur & invertuntur, ut per sese sursum retrahi nequeant. *Quibus frequentius accidat.* Elabitur autem sphincter aut sua sponte aut ob conatum vehementiorem inter egerendum, quod crebro gravidis parturientibusque, & puerulis accidere consuevit.

Causa. Causa communis est laxitas sive resolutio ligamentorum, quibus sphincter podici est alligatus. Causæ autem προηγούμεναι resolutionis ligamentorum sunt frigidi & pituitosi humores sphincteri impacti. Προκαταρκτικαὶ sunt extremum frigus aëris in anum illapsi, aut frigus aquæ in qua diutius commoratus est æger, aut contusio musculorum ani ex violento ictu casuque.

Signa. Signa prolapsi ani manifesta sunt, tactu enim visuque deprehendi potest.

Curatio. Curatio prolapsi sphincteris non patitur longas inducias ad remotionem causarum internarum. Statim itaque ad ejus impulsionem tum χειρουργικῇ industria, tum topicis remediis, antequam refrigeretur & intumescat, accedendum erit.

Modus reponendi sphincterem prolapsum. Elapso itaque ano, homine in ventrem prono decumbente, sphincter manibus studiose intrudatur. Sed si jam nonnihil refrigeratus intumuisse conspiciatur, lacte tepido, aut vino rubeo, aut cerevisia tepida in quibus cymini nonnihil, aut balaustiæ, aut rosæ siccæ sunt incoctæ, spongia excepto sedulo fomentetur sphincter, deinde digitis introtrudatur, aliquamdiuque patiens pronus quiescat.

Topica. At vero si surgenti aut obambulanti ægro to iterum anus prolabatur, uno de commemoratis liquoribus tepidus fomentetur, & sequens pulvisculus ante reductionem inspergatur.

℞. Acatiæ, hypocistidos, sang. dracon. an. ℈ i. fiat pulvis subtilissimus. *Pulvis adstringens.*

Si vero tumidior est sphincter quam ut commode reponi queat, & accessit aliqua inflammatio, primum fomentetur tumor sacculo ex sequentibus herbis concinnato. *Fomentatio.*

℞. Violar. mal. alth. an. M. i. plantag. rosar. chamæmeli an. M. s.
Sem. cymini, fænugræci an. ℥ s.

Concisa & contusa insuantur sacculo, qui cum q. s. vel vini rubei, vel cerevisiæ, vel lactis ebulliat, deinde expressus tumenti loco applicetur, & subinde in eodem decocto concalefiat. Tandem absterso sphinctere cum spongia, inungatur ol. rosaceo, aut cyton. & inspergatur sequens pulvisculus, & ita reponatur intra corpus. *Olea adstringentia.*

℞. Boli armen. acatiæ, sanguinis dracon. an. ℈ i.
Cort. granatorum, cornu cervi usti an. ℈ s.

Fiat pulvis tenuissimus. *Oleum de palmo nuper admodum ex Africa advectum propter vim adstrictoriam manifestam non inutile hic esset.*

Ubi vero sphincter ab humoribus frigidis impactis resolutus prolabatur, abstergendi erunt humores enemate ex ℔ i. decocti liquoris centaur. minor. & veronicæ, cui admixta sit ℥ i. s. hieræ simp. & salis ʒ i. quod recto intestino infundatur, & post impulsionem sphincteris prolapsi sequens emplastrum podici subinde applicetur.

℞. Resinæ, ceræ an. ℥ s. terpentinæ ʒ ii. liquefiant simul eisque tepentibus adhuc admisceatur sequens pulvisculus.

℞. Cort. granat. nucis cypressi, glandium, gallorum an. ℈ s. sang. dracon. acatiæ, albuminis ovi an. ℈ s.

Fiat pulvisculus tenuissimus, quo simul bene cum præscriptis commixto conficitur emplast. quod per alutam podici adaptatam, extendatur, eique imponatur.

FINIS LIBRI QUARTI.

FRAN-

FRANCISCI JOELIS

OPERUM MEDICORUM TOMUS QUARTUS,

In quo

LIB. V. VI. VII. VIII. IX. ET X.

De

MORBIS ET AFFECTIBUS HEPATIS, LIENIS, RENUM, VESICÆ, GENITALIUM MULIERUM, PUERORUM, ET EXTERNARUM PARTIUM.

SECTIO I. DE HEPATIS AFFECTIBUS.

1. *Hepar quid, & quibus afficitur morbis, symptomatibusve?*

Hepatis descriptio.



HECUR in infimo ventre principalissimum est organon nutritionis, cujus substantia concreto sanguini similis est, & est primum membrum quod in nobis gignitur, estque officina sanguificationis, fons sanguinis, & radicatio omnium venarum.

Situs. Situm est Epar sub diaphragmate, illi appensum, quod sua cavitate ventriculum in tota dextra & postica & antica media parte, tanquam manu complectitur.

Morbi atque symptomata Epatis sunt:

Hepatis affectus præcipui.

Imbecillitas Epatis ex aliqua intemperie,
Inflammatio,
Obstructio,
Intumescentia,
Corruptio substantiæ ejus seu ulcus vel exulceratio,
Cachexia,
Morbus Regius,
Hydrops,
Fluxus alvi Hepaticus.

2. *Epatis imbecillitas quid, quæ ejus causæ, quæ signa causarum, & quibus remediis succurrendum?*

Ἀτονία τοῦ ἥπατος est quanda facultates naturales in epate languescunt & minus probè suas exerunt actiones. *Atonia hepatis quid.* Sunt autem facultates epatis naturales, ut & aliarum partium omnium, Attractiva, Retentiva, Alterativa & Expulsiva. Propriissima autem epatis actio est αἱμάτωσις, id est alimentum in sanguinem convertere. *Propria hepatis actio.* Ubi itaque χύλος succus in epate ex ventre attractus, in purum & laudabilem sanguinem converti nequit, epar imbecille dicitur, & ita affectos homines Hepaticos nominamus. *Galen. lib. 8. medic. loc. cap. 6. ubi viscus nullo manifesto malo in ipso apparente ad actiones proprias invalidum est, tum laborantem Hepaticum nominant.* *Hepatici qui dicantur.* Qualis autem est temperies & distemperies jecinoris, talis quoque est sanguis in toto corpore. *Qualis temperies hepatis, talis in corpore sanguis.* Etsi autem in omni affectione jecinoris adest ejusdem imbecillitas: tamen hoc loco de illa duntaxat imbecillitate tractabimus, quæ ex

ejus intemperie calida, humida, frigida, siccave oboritur. Porro qualitates hæ jecinoris rarissimè in epate possunt hærere diu, sed mox humores in eo generati corrumpuntur, sustinentque intemperiem epatis. Antequam autem ad causas imbecillitatis hepaticæ numerandas accedam, signa imbecillitatem ostendentia commemorabo.

Signa facultatum in hepate læsarum. Attractivæ. Si itaque attrahendi facultas in epate debilitata fit, tunc per alvum excernitur humor cremori ptisanæ similis: Interim tamen ventriculus nihil sentit offensionis. Si vero *Retentivæ.* retentiva vis epatis est languida, per alvum rubescens humiditas loturæ carnis recens mactatæ similis profluit, & frequenter sanguis liquidior & dilutior aut per nares aut hæmorrhoides aut ex ore cum sputo erumpit. *Alteratricis.* Si autem alteratrix sive sanguificatrix ejus virtus est prostrata, tunc crudus & aquosus sanguis per corpus digeritur, ex quo primum pedes, deinde & reliquæ corporis partes intumescunt. *Excretricis.* *Excretrix si debilior, excrementitios humores, ut biliosum & faculentum, à sanguine non secernit, qui postea in hepate retenti illius temperiem immutant.*

Causæ. Causæ imbecillitatis jecinoris προηγουμέναι sunt, ejusdem intemperies calida, frigida, humida, sicca, cum quibus utplurimum conjunctus est vitiosus aliquis humor, ut supra dictum est, aut biliosus, aut serosus, aut pituitosus.

Προκαταρκτικαὶ sunt alimenta impensè calefacientia, refrigerantia & humectantia, venulasque epatis obstruentia, & intempestiva talium alimentorum usurpatio. *Huc pertinet nimia frigidi ingurgitatio, quævis larga sanguinis fluxio, & Venus nimia.*

Signa intemperiei calidæ. Signa calidæ intemperiei sunt totius corporis incalescentia, adest sæpè & febris ardens, item scabrities linguæ, squalor corporis, & ut plurimum per alvum fit excretio biliosa, crassa & graveolens, vomitu quoque prasina bilis sæpe evomitur; præterea quibus nimium calefactum est epar, iis ardent vel intolerabili æstu laborant volæ manus & plantæ pedum, quod certissimum est calidi hepatis indicium, ut & color corporis citrinus, sitis crebra, iracundia, urina biliosa & mordax.

Signa intemperiei frigidæ. Signa frigidæ discrasiæ jecinoris sunt totius corporis frigiditas cum quadam intumescentia, excrementa liquida sunt variique coloris & nonnunquam vini rubei feci similia, minus tamen fœtida, quæ primum quidem diu in alvo detinentur, postea vero copiosius profluunt. Appetentia in frigida intemperie Epatis non prorsus aufertur. *Vrinæ albæ sunt & tenues.*

Siccæ intemperiei. Signa siccæ intemperiei Epatis sunt corporis habitus squalidus & siccus, excrementa pauca & indurata, linguæ labiorumque ariditas & asperitas, sitis continua, cruor ex venis emissus ubi concrevit, siccus prorsus conspicitur.

Humidæ intemperiei. Signa humidioris intemperiei Epatis sunt, humiditas linguæ, sitis nulla, nulla faciei collapsio, & dejectiones ventris crebræ, liquidiores aquosioresve. *Prognostica.* Prognostica signa hæc sunt observanda. Calidum Epar χύλον attractum statim in bilem convertit, ideo calidum Epar habentes biliosi sunt. Calida intemperies Epatis nisi cito tempestivéque curetur, totum Epar colliquatur & universum corpus absumitur. Frigida intemperies Epatis diutius neglecta in hydropem conjicit.

Curatio. Curatio pro specie intemperiei varianda erit, & semper cum alimentis tum medicamentis præsenti intemperiei aut superanti qualitati contrariis succurrendum erit. *Remedia calidæ hepatis intemperiei.* Si itaque intemperies calida labefactet actiones Epatis, & hujus caliditati adjunctus sit humor biliosus, tum omnium primum bilis sequenti haustulo per biduum mane ac vesperi tepido exhausto diluatur & obtundatur.

Potio bilem alterans. ℞. Aq. cichor. card. bened. Absinth. an. ℥ I.
Syr. è succo cicho. Acetos. citri. an. ℥ s.

Misceantur, fiat haustus pro una vice. *Cholagoga.* Tertio tandem die biliosus humor evacuandus est, aut ℥ III. syr. rosar. solutivi, aut ℥ s. *Extract. rhabarbari hic quoque utiliter usurpari potest.* Elect. rosati mes. aut ʒ x. pul. cassiæ fistularis recenter evulsæ, cum haustulo aq. cichor. commixtis, fiat haustus, qui tepidus ebibatur, abstineatque æger à cibo potuque per 6. horas. *Diæta refrigerans.* Tandem instituatur victus ratio refrigerans & epar corroborans. Vitentur autem omnia aromata & alimenta calefacientia, ac in-

ac imprimis vini *meracioris* potio & quicquid melle *&* *saccharo* est conditum. Convenientissima alimenta sunt cremor ptisanæ, pruna Ungarica acida, cerasa cum recentia tum arida cocta & saccaro conspersa, lac amygdalinum, & ex piscibus percæ aculeatæ, caro pullorum & avicularum. Sint autem alimenta condita uvis passis Corinthiacis & aceto aut omphaceis. Potus in epatis recalefactione convenientissimus est aq. hordei cum pauxillo Cinamom. cocta, cui admisceatur aceti vini paululum, aut offeratur sequens potio.

Potus.

Emulsio refrigerans.

♃. Amygdal. dulcium excorticatarum ℥ II. sem. 4. frigid. major. an. ℥ s. Saccari candi in syrup. violar. concreti ℥ I. s.

Contundantur simul in mortario minutiss. quibus admisc. aq. stillat. cich. endiv. veræ an. ℔. I. s. & probè agitata exprimendo colentur, fiat lac refrigerans quo pro potu utatur. Aut

Aqua hordei composita.

♃. Conf. rosar. violar. nymph. an. ℥ I. quæ commixta in colum ponantur per easque ℔. III. aq. hord. ferventis transcolentur ac refrigerentur, fiat potio. Interim quotidie bis terve assumat æger frustulun unum aut plura rad. cicho. condit. aut rotulas duas diatragan. frig. aut diatrion sandalon, aut sequent. electuar. semijuglandis quantitatem.

Electuarium.

♃. Conf. rosar. nymph. an. ℥ s. rad. cich. condit. citrinati condit. an. ℥ I. concidantur minutissimè, eisque admisc. spec. diatrion sandalon, diatrag. frig. an. ʒ I. & cum syr. acetos. citri, fiat electuarium.

Topica.

Extrinsecus topica remedia refrigerantia dextro hypochondrio applicentur, veluti sequens Epithema, unguentum & cataplasma.

Epithema.

♃. Aq. rosar. cichor. plantag. an. ℥ III. mucag. sem. psylii cum succo semper vivi confectæ, ℥ I. Aceti rosac. ℥ II. spec. diatr. sant ʒ II.

Commisceantur & excepta duplicatis linteolis tepida applicentur: Aut

Linimentum.

♃. Ol. rosar. nymph. violar. an. ʒ II. cyton. absinth. an. ʒ I. ceræ albæ q. s. fiat unguentum, quod ter cum succo rosarum eluatur, tandemque admisc. mucag. psylii cum aceto rosar. facti, fiat unguentum, quo inungatur epatis regio & vertebræ dorsi: Aut

Cataplasma.

♃. Fol. cich. acetosæ, plantag. omnium viridium an. m. I. contusis admisceantur farinæ hordei q. s. & aceti rosar. parum, fiat cataplasma, quod dextro hypochondrio applicetur tepidum.

Remedia siccæ intemperiei hepatis.

Curatio siccæ intemperiei epatis qua ejus actiones vitiantur. Sicca epatis intemperies comes est caliditatis, ex frigiditate enim nunquam in epate sine interitu animalis oboriri potest. Siccitatis causæ sunt vapores sicci & venenati, febres ardentes, cibi potusque exsiccantes & medicamenta exsiccantia. Si itaque ex inflammatione redditum sit epar siccum, eadem victus ratio, & eadem remedia quæ in calidæ intemperiei curatione commemorata sunt, usurpanda erunt. Humectantia quoque talia erunt, lac caprinum quod per conser. rosar. borag. & violar. colatum est, & cremor ptisanæ. Plurimum convenit balneum in solio aq. dulcis, in qua incoctæ sunt rad. alth. fol. mal. & violarum: à balneo inungendum dextrum hypochondrium, sive regio epatis, sequenti linimento.

Humectantia.

Insessus.

Linimentum.

♃. Ol. rosar. violar. amygd. dulcium an. ʒ II. mucag. alth. ʒ I. ceræ q. s. fiat linimentum.

Intra corpus mirificè epar corroborant & humectant sequentes morsuli.

Morsuli.

♃. Carnium cancrorum benè coctorum & incisorum ℥ II. pinearum, amyg. dul. concisarum an. ℥ I. 4. sem. frig. major. incisorum an. ʒ II. conser. rosar. ℥ s. cinam. el. pul. epatis lupini an. ʒ I. sacc. albi in aq. cich. soluti, & ad sufficientiam cocti ℔ I. fiant morsuli juxta artem. Plura remediorum genera epati siccanti conferentia, ex curatione febris hecticæ, quam infra traditurí sumus, huc transferenda erunt.

Frigida hepatis intemperies ut curanda.

Frigiditas epatis rarissimè & non diu persistit sine frigidorum pituitosorumq; humorum præsentia, & sine obstructione venula-

 rum

rum per substantiam epatis dispersarum, cui & statim accedit tumor & gravitas epatis, nisi hæc intemperies frigida à causa aliqua externa, videlicet applicatione frigidorum remediorum oboriatur. Curatio frigidæ intemperiei epatis consistit in victus ratione & medicatione. Plurimum confert uti vino Malvatico aut alias vino generoso, aut clareto vocato vino, quod Plinius sacharatum vinum appellat, in quo buccellæ panis sunt madefactæ, item jusculo carnibusque gallinarum, caponum, perdicum, vitulorum & similium. Pisces autem omnino vitandi erunt, *nam pituitosum suppeditant alimentum.* Alimenta condiantur cinamom. zinzib. croc. mace. & caryophyl. aut coquantur cum alimentis rad. petrosel. fol. major. satur. & uvæ passæ. Porro quantum ad medicationem attinet, si frigiditati subsit lenta crassaque pituita, eam extenuare, incidere & calefacere oportet, & ad eductionem præparare, id quod sequenti potione commodissimè effici potest.

Diæta calefaciens.

Spiritus vini cum mica panis assumptus valde etiam confert.

Potio pituitam digerens.

℞. Rad. petrosel. fænic. apii, cichor. an. ℥ s. Asari, dauci cretici an. ʒ II.
Pimpinellæ ʒ III. herb. hyssop. card. bened. flor. centaur. minor. rorismar. an. M. s. sem. santonici, fænicul. anisi, carvi an. ʒ II.
Cinam. ʒ I. spicæ Indicæ ℈ II. Granorum Juniperi ℥ s.

Contundenda contundantur & concidenda concidantur & concoquantur in duplici vase sive cantharo benè oblinito cum vini ℔ III. ad duas horas, postea refrigerata colentur, colaturæ admisc. syr. de eupatorio ℥ II. de absinth. ℥ I. de succo card. bened. ℥ I. s. fiat potio, de qua sumat æger diluculo, & tribus à prand. horis ℥ IIII. tepefactas. Qua potione exhausta subducatur pituitosus humor sequenti haustu.

Phlegmagogon.

℞. Agaric. trochisc. ʒ II. contusa macerent. per 24. hor. in aq. absinth. ℥ IIII. deinde leniter ebulliant, colentur, & exprimantur, liquori colato admisc. diaphæn. ℥ s. ol. anisi gutt. v. fiat haustus, qui tepidus 6. horis ante prandium ebibatur.

Corroboretur, & obstructione venarum exilium liberetur epar sequentibus pharmacis alternatim assumptis, mane ac vesperi devoretur aut ℥ s. rad. pimpinellæ condit. aut cort. arantiorum condit. aut zinzib. conditi, aut rotulæ duæ tresve diacinam. aut Ther. androm. aut guttulæ 7. ol. vitriol. cum haustulo vini generosi mixtæ, aut cochlear unum aquæ juniperi.

Aperientia & corroborantia epar frigidum.

Crollius utitur etiam hic specifico suo ad septem membra principalia.

Topica vero calefacientia jecur minimè negligenda sunt. Inungatur itaque dextrum hypoch. mane ac vesperi sequenti linimento.

Linimentum.

℞. Ol. absinth. mastich. nard. an. ℥ s. in quib. ebulliant spicæ Indicæ, celticæ, cinamom. contusi an. ℈ I. exprimatur & oleo colato adjiciatur q. s. ceræ, fiat liniment. cui rursum admisc. ol. anisi ℈ I. aqua Juniperi gutt. x. fiat linimentum.

Sacculus sequens epar refrigeratum mox calefacit & corroborat.

Sacculus.

℞. Rad. capparum, filicis an. ʒ II. cicho. ℥ s. flo. chamæmeli, Meliloti, majoranæ, Rorisinar. schordii, chamædris, camepityos an. M. I. sem. fænicul. anisi, fænugræci an. ℥ s. spicæ Celticæ ʒ v. Bach. juniperi M. s.

Concidenda concidantur & contundenda contundantur, & in sacculo linteo consuantur, intersuanturque, qui in Vino rubeo decoctus & rursum expressus subindeque calefactus in eodem Vino dextro hypochondrio imponatur.

Curatio humidæ intemperiei epatis sumenda est ex curatione hydropicorum, quæ paulo post recitabitur.

Humidæ intemper. remedia unde petenda.

In genere, omni epatis intemperiei & inde obortæ imbecillitati mirifice conducunt ʒ I. pul. epatis lupini recte exiccati & præparati, & ʒ II. rad. aut sem. cicho. cum haustulo aq. stillat. Card. bened. crebro usurpatæ: *uvæ item passæ longiores quas zibebas vocant, crebro comestæ, & senecionis decoctum de quibus vide Gal. l. 8. med. loc. c. 7. & 8.*

Hepatica remedia generalia.

3. *Inflammatio jecinoris quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quomodo curanda?*

Φλεγμονὴ τοῦ ἥπατος est ubi primum sanguinea massa in ipso epate, deinde & ejus sub-

Inflammatio hepatis quid.

substantia effervescit & accenditur. Differt ab ejusdem simplici calida intemperie, & intensione & materiali Causa.

Causa. Causæ inflammati jecinoris προηγουμέναι sunt copiosior & crassior sanguis in epate generatus, per ejusdemque membranas exudans, quem ut plurimum sequitur Venularum epatis obstructio, obstructionem putrefactio, putrefactionem inflammatio & febris ardens. Προκαταρκτικαὶ sunt meracioris vini, aromatum, pharmacorumque calidorum crebra usurpatio, & intempestiva immoderataque in Venere lascivia. *Vehemens etiam commotio humorum ab animi affectibus ut iracundia, agonia, consternatione, amore.*

Signa. Signa communia inflammati jecinoris sunt, urina rubea seu flammea cum dolore & tumore dextri hypochondrii, linguæ primum rubedo, deinde & nigricies cum scabricie, appetentiæ prostratio, sitis vehemens, quibusdam vomitiones vel flavæ vel vitellinæ vel æruginosæ bilis, adest & febris acuta: habitus corporis squalidus ejusdemque color ad flavitiem vergens, & gena dextra rubore perfunditur. Signa vero quibus dignoscimus quænam jecinoris pars inflammata sit, hæc sunt: ubi gibba pars epatis magis laborat, tum adest tussicula sicca, spirandi difficultas & dolor ad tactum dextri hypochondrii, *ad jugulum ascendens & magis punctorius:* sed ubi concava epatis pars magis inflammata est, tum dolor magis est gravans, majus cibi fastidium, crebrioresque vomitiones, singultus & vehementior sitis molestat patientem.

Prognostica. In epatis inflammatione singultus pessimum est indicium, teste Hipp. lib. 7. Aphor. 12. Tum enim ventriculus simul est affectus, & ut plurimum pernitiem adfert.

Curatio. Curatio inflammati jecinoris victus ratione convenienti, venæ sectione, & remediorum administratione feliciter perficitur.

Diæta. Victus ratio debet esse tenuis, alimentaque prosunt, quæ nec obstruunt, nec mordicant, sed corroborant & refrigerant: Talia autem sunt ptisana & cremor ejus, item avenæ, jusculaque & carnes pullorum, avicularum, columbarum, perdicum, vitulorum, & ex piscibus soli melanuri comedantur. Concoquenda autem sunt in alimento rad. cichor. & passulæ minores. Potus sit aq. hordei, in qua saporis gratia pauxillum cinamom. incoctum sit, & rad. cichor. glycyrrhizæ & passulæ. Utilissimum quoque est lac sive liquor lacteus ex sem. frigidis majoribus hunc in modum confectus.

Emulsio 4. sem. frig. majorum. ℞. 4. Sem. frigid. major. an. ℥ s. contundantur tenuissimè, eisque admisceantur ℥ I. saccari candi pulverisati, ac deinde adfundantur ℔ III. aq. cicho. stillat. simulque omnia coagitentur, transcolentur & exprimantur, fiat lac, quo vice potus utatur.

Venæ sectio. Venæ sectio statim in principio inflammationis, si ætas & vires patiuntur, magnum adfert ad curationem momentum; secanda autem est epatica dextri humeri, aut si ea visu deprehendi nequit, mediana ejusdem lateris. Præstiterit autem una vice parum sanguinis detrahere, ac deinde alternis diebus venæ sectionem terve quaterve reiterare. Post venæ sectionem, si cava epatis pars sit inflammata, & vent. simul compatiatur, tum biliosa eluvies primum per clystere sequens, deinde per subsequentia cathartica remedia est subducenda.

Enema. ℞. Fol. Malvæ, alth. violar. Mercur. centaur. minor. an. M. s. decoquantur concisa in q. s. aq. ad med. colentur, colati juris accipiantur ℥ XIIII. cui admisceantur hieræ simpl. ʒ VI. cass. extractæ ℥ I. s. elect. rosat. mes. ʒ III. mellis rosati ℥ s. ol. absinth. ℥ III. salis ʒ I. misceantur fiat enema quod tepidū recto intestino infundatur: altero vel tertio tandem die exhibeatur sequens bolus.

Bolus cholagogus. ℞. Pulp. cassiæ recenter extractæ ʒ VI. elect. rosat. mes. ʒ I. misceantur, fiat bolus, qui saccaro conspersus diluculo devoretur: aut exhibeatur sequens haustulus.

Haustus. ℞. Rhabarb. el. senæ Alex. an. ʒ I. s. spicæ Indicæ ℈ s. contusa macerentur per noctem in aq. cicho. ℥ V. mane vero leniter ebulliant, expressaque colentur, colato jusculo admisceantur aut electua. lenit. ʒ III. aut elect. rosat. mes. ʒ I. aut syr. de cicho. cum rhab. ℥ II. fiat haustus, qui tepidus in aurora 6. ante prand. horis ægrotanti propinetur.

Inflammati hepatis ex nimia Venere remedia. Porro ubi inflammatio epatis ex immoderata Venerea salacitate est oborta, cui nisi tempestive occurratur, subsequuntur epatis corruptio & resolutio. Quare statim post venæ epaticæ sectionem & colluviei in epate coacervatæ per præscripta remedia expurgationem, sequens haustus est exhibendus.

Experimentum singulare. ℞. Gallum nigrum viventemque per medium pectus dissecatum, jecurque ejus adhuc calens in ℥ v. aceti rosat. conjicito, ac minutiss. conterito, ut tota ejus substantia in acetum resolvatur, tandem coletur & tepidum laboranti propinetur. Deinde sequentis potionis quotidie haustulus tepidus summo mane offeratur.

Potio. ℞. Rad. Glycyrrhizæ, cichor. an. ℥ s. Rhabarb. ʒ II. Flo. cent. minor. epaticæ an. M. s. cort. interiorum samb. M. I. contusa cum aq. ℔. III. in canthato obturato sive duplici vase decoquantur per 2. horas, cujus colati liquoris singulis diebus accipe ℥ IIII. in quibus dissolvito sperm. ceti ℈ I. vel si desit, adipis suilli recentis ʒ II. fiat haustus. *Insessus.* Interim prodest ægrotum aliquoties in solium aq. dulcis, in quo incocta sunt fol. mal. violar. rosar. rub. introducere & lavare.

Topica. Nec topica negligenda erunt videlicet inunctiones vel cataplasmata. Verum in topicorum remediorum applicatione perpetuo hæc duo sunt observanda: I. Ut remediis admisceantur astringentia. II. Cavendum diligenter ne remedia actu frigida, sed semper prius nonnihil calefacta applicentur. In inflammatione itaque epatis singulis diebus inungatur dextrum hypochondrion usque ad spinam dorsi, ac ξυφοειδὴς cartilago sequenti unguento.

Vnguentum. ℞. Ol. Rosa. Nymph. an. ʒ II. cyton. è mastich. an. ʒ I. ceræ candidæ q. s. fiat unguentum, quod ter eluatur cum aq. rosacea & postremo cum succo cytoniorum: inungatur autem ad calidum focum parumque calefacto unguento: aut applicetur sequens cataplasma.

Cataplasma. ℞. Carnium cytonior. ℥ II. farinæ fabarum ℥ I. Farinæ fænugræci, sem. lini an. ℥ s. Mastich. ʒ II. Decoquantur simul in acet. rosa. & aq. rosa. p. æq. usque ad pultis formam, fiat cataplasma, quod per linteolum extensum, singulis diebus bis calidum applicetur. In penuria autem aliarum rerum commodè applicari possunt dextro hypochondrio fol. viridia plantag. cicho. & acetosæ simul contusa addito parum aceto rosaceo, quæ calida applicentur: aut applicetur sequens epithema.

Epithema. ℞. Aq. solani, rosar. cichor an. ℥ IIII. succi plantag. ℥ II. aceti rosa. ℥ I. spec. diatrion sandalon ʒ III.

Commisceantur, fiat epithema, quod calidum duplicatis linteolis exceptum hypochondrio dextro applicetur.

Hepar refrigerantia & corroborantia. Per os autem in inflammatione epatis utilissimè exhiberi possunt singulis diebus remedia epar refrigerantia & simul corroborantia, veluti sunt ℥ s. rad. cicho. conditæ, aut conser. cicho. aut rosatum, aut rotulæ diatrion sand. aut ℥ s. sequentis electuarii.

Elect. hepaticum. ℞. Rad. cicho. conditæ concis. pyrorum moscatelli condit. cons. cichor. rosa. an. ℥ s. concidantur eisque admisceantur spe. diatrion san. ʒ II. pul. epatis lupini, sem. cicho. pul. an. ʒ I. syr. acetos. citri q. s. fiat elect. de quo in die bis semijuglandis q. assum. æger. *Spirit. vitrioli vel sulphur. aliquot guttulæ possunt addi, ut efficacius operetur.*

4. *Obstructio epatis quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quomodo curanda?*

Oppilatio hepatis quid. Ἔμφραξις τοῦ ἥπατος, oppilatio jecinoris est ubi vasa instar capillorum exilia, ex radicibus aut venæ cavæ aut venæ portæ exorta, & in substantiam epatis sparsa, aut ubi ipsæ radices venarum id est initia cavæ aut portæ venæ obturantur & intercluduntur, ut chymus per ea liberè profluere nequeat. *Differentia.* Fit autem obstructio epatis aut in ejus cava parte, aut in gibba.

Causa. Causæ obstructionis epatis προηγουμέναι quidem sunt χύλος aut χύμος id est liquor in vent. coctus & per venas mesaraicas in epar deductus: aut sanguinea massa in ipsa substantia epatis confecta. *Chymici à Tartaro hasce oppilationes fieri asserunt.* Utraque si lenta, tenacia aut crassiora exstiterint: aut vapores, flatusque crassiores arteriolas opplentes.

Προκαταρκτικαὶ sunt omnia alimenta crassum, glutinosum & pituitosum sanguinem vel

vel χόλον reddentia. Item alimenta in ventriculo parum benè concocta: præterea exercitia commotionesque corporis vehementiores statim à sumpto cibo: similiter & balnea ante perfectam cibi concoctionem. Item vinum meracius largiter bibitum post esum crassiorum & facile corruptibilium ciborum, ut sunt caseus, anguillarum caro, & pisa. Vinum enim bibitum citissime meatus penetrat, ad eparque & renes defluit, secumque crudiores partes & semicocta alimenta per venas mesaraicas ad epar defert, *quæ obstructionis postea causæ sunt.*

Idem facit vinum saccharo copioso mistum & largius exhaustum, pro pessimo nostri seculi more.

Signa.

Signa obstructi jecinoris communia sunt, coloris faciei in pallorem commutatio, quod ut plurimum flavæ bilis est indicium; aut in albidiorem, quod obstructionem à pituita & frigiditate ortam indicat. Si venulæ in gibba epatis parte, quæ propagines sunt venæ cavæ, sint obstructæ, dolor & quandoque tumor dextri hypochondrii sentitur: si autem venulæ in cava epatis parte, quæ soboles sunt venæ portæ, tum nec dolor nec tumor persentiscitur sed appetentiæ prostratio, & fluxus alvi chylosus ut plurimum subsequitur, gravans dextri hypochondrii dolor crassitiem obstruentis humoris, tensivus vero crassos vapores & flatulentos spiritus sub membrana epatis collectos obstruentesque ostendit.

Quæ pars hepatis sit affecta, ut dignoscendum.

Prognostica.

Signa prognostica sunt. Obstructio epatis diuturna si in scirrhum convertatur, ut plurimum lethale est: obstructionem & in epate & in reliquis visceribus comitatur putrefactio, putrefactionem calor febrilis. Diuturna obstructio epatis, obstruente materia calida existente, aut febrim aut ἀτροφίαν macilentiam, nutritionis frustrationem; frigida vero hydropem, aut alvi fluorem concitat. In omnibus epatis affectionibus, potissimum autem in febribus calidis semper adest obstructio epatis. *Hinc Paracels. l. 1. de tartaro; quæcunque medicina tartarum resolvit, vel expellit, curat febrim.*

Curatio epatis obstructi, venæ sectione, convenienti victus ratione, & remediorum usurpatione perficitur. Venæ sectio non in omni genere obstructionum epatis molienda est, sed in corporibus plethoricis tantum, & ubi febris obstructioni est adjuncta, aut ubi humores obstruentes calidiores biliosioresque extiterint, secanda erit vena.

Venæ sectio quando locum habeat.

Si obstructio gibbam epatis partem occupavit, cubiti dextri quam hepaticam vocamus; ubi vero cavæ partis venulæ sunt oppilatæ, aut ubi obstructioni adjuncta est mensium suppressio aut hæmorrhoidum, tum præstat venam talarem interna pedis parte, quam saphenam Arabes vocant, incidere.

Quæ vena aperienda.

Victus ratio statim in principio præscribenda est pro ratione intemperiei totius corporis: In universum autem alimenta omnia debent esse aperientia & abstergentia. Frigida itaque existente materia obstruente, & cibum & potiones convenit esse incidentes & extenuantes, talia autem sunt omnia calida: ex carnibus offerenda est caro pullorum, avicularum, hædina & vitulina, quæ ut magis extenuent, aromatibus, pipere, croco, zinzibere, cinamomo, & herbis culinariis, veluti sunt rad. & fol. petrosol. pastinacæ, fol. majoranæ, satureæ acetoque sunt condienda & coquenda.

Victus ratio.

In causa frigida.

Potus autem ejus sint vinum Rhenanum, & aromaticum, atque hydromel. A sumpto cibo frequenter utatur radice pimpinellæ condita, vitet pisces & omnia refrigerantia & incrassantia, ut lac, pisa, & quicquid concoquitur difficulter. Moderato ante cibum utatur corporis exercitio, & alvi obstructionem præcaveat diligenter. Porro calida existente materia obstruente, & apparentibus signis ex urina calefacti epatis, refrigerantia minime tamen obstruentia alimenta sunt offerenda, in quibus præcellit ptisana, in qua passulæ & cinam. frustul. est incoctum, pruna acida Ungarica, caro vitulina, avicularum & pullorum, sine aromatibus cocta, quæ commode condiri possunt aceto, ex piscibus percæ aculeatæ quas melanuros Græci vocant. In potu conveniunt aq. hordei, in qua cinamom. & rad. cichor. sunt incoctæ. Aut loco potionis utatur lacte ex 4. sem. frigid. majoribus, cum aq. card. ben. cujus parandi rationem in superioribus commemoravimus. Vix autem aliud

Diæta in causa calida.

Potus.

Decoctum rad. cichor. cum sero lactis insigne quoque adjumentum hic præstat.

aliud salubrius in calida obstructione experimur, quam ante prandium ac cænam uti ℥ s. rad. cichor. conditæ.

Remedia. Quantum ad medicamentorum rationem attinet, statim in initio habenda est ratio alvi, quæ si sit sicca & obstructa, sequenti Clystere aut prunis Ungaricis comestis lenienda erit.

Enema emolliens. ♃. Malvæ, viol. Alth. Mercur. an. M I. flor. chamæ. anethi, centaur. minor. an. P. I. concisa coquantur in q. s. aq. ad medias, colentur, colati juris accipe ℥ XIII. in quibus dissolve hier. simpl. ℥ I. s. ol. chamæ. ℥ II. salis ʒ I. quod tepidum recto intestino infundatur ventriculo jejuno existente.

Bolus lenitivus. Altero tandem die exhibeatur hora ante prandium pulpæ cassiæ ℥ I. s. vel ℥ I. cui admixti sint pulv. rhabarb. ℈ II.

Decoctum aperiens & extenuans. Si vero obstruens materia sit pituitosa, admisc. ℥ I. cass. ʒ s. Trochis. ex Agarico. In obstructione enim initio violentiora pharmaca sunt vitanda. His peractis utatur æger in frigidâ obstructione sequenti haustu obstruentes humores extenuante.

♃. Rad. cichor. petrosel. fænic. glycyr. an. ʒ III.
Sem. anisi, apii, petrosel. an. ʒ I.
Herb. card. bened. agrimon. centaur. minor. an. M. I. pass. min. ℥ s. pruno. Ungar. dulc. n. x. fol. senæ ʒ II.
Sem. carthami ʒ III. cinam. ʒ I.

Neoterici tartari vitriolati ℈ s. cum aq. convenientibus hujus loco utuntur.

Concisa & contusa in aq. & aceti vini an. ℥ XVI. in duplici vase seu cantharo oblito in lebete ad 2. horas concoquantur, deinde refrigerata colentur & admisceantur syr. de succo cichor. & card bened. an. ℥ III. Hujus potionis ebibat æger ℥ v. tepidas mane & tribus horis ante cænam. Hæc potio mirabiliter solvit obstruct. & leniter educit materiam obstruentem.

Porro si obstructionis causa sit calida & biliosa, hac ratione potio est præparanda.

Decoctum aperiens in causa calida. ♃. Rad. cichor. Glycyrrh. an. ℥ s. herb. cichor. card. bened. rad. graminis an. M. s. sem. 4. frig. minorum an. ʒ I. tamarindorum ℥ I. pass. min. ℥ s. epat. M. s. rhab. ʒ I. hord. M. II. coquantur cum aq. & aceti vini an. ℔. I. in duplici vase per duas horas, colentur, colato admisc. syr. bisantini, de cichor. an. ℥ III. fiat potio, usus ejus est ut superioris.

Evacuantia in obstructione cavæ partis hepatis. Post exhaustam potionem si adhuc obstruentis materiæ reliquiæ in epate hærere videantur, hæ sequentibus catharticis, id est purgativis subducendæ evacuandæque veniunt. Ubi itaque obstructio in cava epatis parte hæret, & materia est pituitosa,

Phlegmagogon. ♃. Fol. senæ ʒ I. Agar. trochis. ʒ I. s. contusa macerentur in ℥ v. aq. absinth. per noctem, mane leniter ebulliant, expressaque colentur, colato admisceantur diaphæ. ʒ III. fiat haustus qui tepidus ebibatur in aurora.

Si vero colluvies biliosa venas obstruat, sequenti haustu expurgetur.

Cholagogon. ♃. Rhab. ʒ II. fol. senæ ʒ I. contusa macerentur per noctem in aq. cicho. ʒ v. mane ebulliant & exprimantur, colato jusculo admisceantur, aut elect. lenit. ʒ III. aut rosati Mes. ʒ II. fiat haustus.

Diuretica in gibba Hep. parte obstructa usurpanda. Verum ubi obstructio in gibba epatis extiterit, præstat medicamentis diureticis, quam per alvum purgantibus uti.

Specifica aperientia. Subductis humoribus obstruentibus, sequentia medicamenta cum suis specificis virtutibus, tum compositionis temperatura epatis obstructionem tollunt.

In obstruct. frigida. In frigida obstructione mirum in modum conferunt singulis diebus jejuno vent: 9. gut. ol. seu spiritus vitrioli, cum 2. cochlearib. vini generosi assumtæ, quæ & aperiunt venulas obstructas & materiam crassam in gibba epatis parte incidunt & per urinam evehunt. Idem præstant 3. cochlearia aq. Juniperi hausta ventriculo jejuno. Gibbam epatis partem obstructam frigida crassaque pituita, sequẽs confectio brevi temporis spatio reserat.

Ejusdem efficacia est spiritus tartari, cum liq. convenienti exhibitus.

Tragea hepatica aperiens. ♃. Gent. pimp. rhab. an. ʒ II. Zinzib. Cinamom. an. ʒ. I. Rad. Asari, Dauci cretici an. ʒ s.

Concidantur crassiusculè eisque admisceantur Confect. Anisi, fænic. carvi, an. ℥ I.

Ex hac mixtura mane ac vesperi assumat æger quantum 4. digitis comprehendere potest.

In

In obstruct. calida quæ usurpanda. In calida obstructione præscripta remedia omitti debent, & eorum loco utendum est rad. Cichor. condit. aut rotulis Diarhodon abbat. aut Diatrion sandalon, cum ante cænam tum ante prandium: laudatissimus autem est sequens pulvisculus in aperienda calida obstructione.

Pulvis. ℞. Rhab. ʒ s. sem. fuma. ℥ I. s. Glycyr. ʒ I. Pulverisent. tenuissimè ac commisceantur, ejusque ʒ I. singulis diebus jejuno ventriculo, aut cum haustu aq. Cichor. aut Card. bened. exhibeatur.

Crollius præmissis attenuantibus utitur essentia croci ♂ gr. 8. vel ℈ s cum aq. conven. in deploratis obstructionibus. Mirum in modum omnia obstructionum genera Epatis specifica virtute tollere expertum est ʒ I. pul. hepatis lupini arefacti cum decocto centaur. minor. sumta. Utilissimè quoque adhibetur ʒ I. Trochis. de Rhab. vel de Eupato. in pul. redactorum, & cum haustulo decocti Agrimon. bibita.

Alii limatura chalybis feliciter utuntur, & confect. diacurcuma. Interim nec Topica externa negligenda erunt, sed singulis diebus bis ante pastum dextrum hypochondrion inungendum erit. In frigida quidem obstructione sequenti linimento.

Topica. Linimentum in frig. obst. ℞. Ol. Absinth. è Mastich. Nardi an. ʒ III. Ceræ parum, fiat linimentum, quod ter eluatur cum aq. Juniperi. In calida verò obstructione,

Epithema quoque ex spec. diarhod. diatrion sand. & aq. Cichor. endivia agrimon. hic valde juvat. ℞. Ol. Rosar. Nymph. Cyton. an. ʒ II. Ceræ parum, fiat linimentum, eluatur ter cum aceto rosaceo. Plura remediorum genera ad hoc malum facientia in curatione obstructionis Lienis commemorabimus.

5. *Corruptio epatis quid, quæ ejus causa, & quibus remediis succurrendum?*

Corruptio hepatis quid. Corruptio sive putrescentia Epatis est, ubi ipsa substantia Epatis, quæ nihil ferè est aliud quam concretus sanguis, resolvitur, & in saniem convertitur, cui nisi tempestivè succurratur, primò in καχεξίαν, deinde in præsentissimam mortem conjicit.

Causa. Causa προηγουμένη est obstructionis aut tumoris Epatici neglecta aut perperam adhibita curatio; virulenti humores ex morbo Gallico in Epate collecti.

Προκαταρκτικαὶ causæ sunt violenta percussio, aut vulneratio in dextro hypochondrio, & intempestiva immodicaque Venus, item venenum haustum.

Signa. Signa corrupti Epatis sunt, decoloratio & extenuatio totius corporis, appetentiæ prostratio, fœtida respiratio, crebriores sudores per totum corpus erumpentes, lenta febris, virium debilitas, urina fæculenta, cujus sedimentum simile conspicitur bolo Armeno contrito, vel substantiæ hepatis, & alvi excrementum sanguinolentum ac saniosum est, & recentis carnis diluto simile. *Prognostica.* Prognostica signa sunt: In corruptione Epatis si sudores perseverent, viresque magis ac magis debilitentur, & accedat in somnium, propinquæ mortis sunt indicia. Si Epatis substantia exulceretur, ejusque membrana rumpatur, id lethale est.

Curatio. Curationem corrupti Epatis, partim in superioribus, in curatione inflammationis ejus, partim in sequentibus, de ejusdem tumoris curatione tradituri sumus. *Cujus corruptionis hic curationem tradat.* Hoc loco satis est repetivisse curationem, quando corruptio Epatis ex colluvie venenatorum humorum aut ex Venere originem habet; hæc enim in initio facile curari potest. *Venæ sectio.* Statim itaque ubi primum notæ putrefactionis Epatis comparuerint, incidenda erit vena hepatica dextri lateris, & subsequens potio, cujus antea meminimus, quotidie bis usurpanda erit.

Decoctum ad corruptelam hepatis. ℞. Rad. glycyr. cicho. an. ℥ s. rhab. ʒ II. flo. centau. minor. Hepati. an. M. s. concisa & contusa coquantur in duplici vase cum ℔. III. aq. stillat. card. bened. per 2. horas, cujus colati juris ℥ IIII. in quibus ʒ s. sperm. ceti est resoluta, mane 2. horis ante cænam exhibeantur, ʒ I. subsequentis pul. quotidie cum haustulo aq. card. bened. ebibatur.

Pulvis. ℞. Jecinoris lupini ʒ III. rhab. ʒ II. coral. rub. præpar. ʒ I. glycyr. ʒ I. s. fiat pulvis tenuissimus.

Experimentum singulare. Indubitatum quoque in corruptione epatis auxilium adfert, Epar galli nigri vivi exemtum, & in haust. aceti rosar. vel aceti simp. adhuc tepens resolutum contritumque & à fibris colatum tepidumque exhibitum.

Insessus. Conducit plurimum corruptione epatis laborantem in solium seu balneum aquæ dulcis, in qua concocta sunt fol. salicis, violar. Malvæ & flo. rosarum, & chamæmeli deducere. Indies autem spina dorsi & hypochond. dextrum inungatur bis sequenti linimento.

Linimentum. ℞. Ol. rosar. nymph. cyton. an. ℥ III. Mucag. ex sem. psylii contusi in pauc. rosa. aq. confectæ ʒ II. ceræ albæ parum, quibus simul bene commixtis & subactis fiat linimentum.

Ante prandium & cænam devoret æger sequentis electuarii semijuglandis quantitatem.

Electuarium. ℞. Conser. Rosar. symph. an. ℥ s. spe. Diatrion sandalon ʒ I. pul. jecinoris lupi, coral. rub. præparat. an. ʒ I. s. Boli Armen. veri ʒ I. cum syr. violarum, fiat Electuarium.

Paracelsus cheiri metal. seu Mercur. vitæ cum vino vitæ exhibet ad corruptionem hepatis tollendam, illudque à putrefactione præservandum.

6. *Tumor epatis quid, quæ ejus species, causa, causarumque signa, & quid in ejus curatione tentandum?*

Tumor seu abscessus quid. Ἀπόστημα, tumor & abscessus significat omnem elevationem ac distensionem cutis, aut superficiei alicujus partis sive visceris, ac divulsionem ejus à subjecta substantia cum qua prius unita & continua erat, idque vel interventu alicujus humoris vel flatulenti spiritus. Tumorum quatuor sunt genera, sumpta differentia à materia interveniente.

Tumorum differentiæ 4. Φλεγμονὴ tumor est ex copioso & ferventi sanguine ortus ein Blutschwer / Ἐρυσίπελας, ex bilioso sanguine die Rose oder das heillige Dinck / οἴδημα ex pituitoso sanguine & flatulentis spiritibus ein weich geschwel. Σκίῤῥος, durus tumor ex feculento & melancholico sanguine ein Stein hart Geschwel. Hi omnes juxta magnitudinem rursum distinguuntur. In Jecinore enim duplices tumores oboriuntur:

Hepatis tumores duplices. Parvi & bullis seu vesiculis similes, ὑδατίδες Græcis dicti, qui ut plurimum complentur flatulento spiritu aut seroso humore. Alii majores totam superficiem vel aliquam ejus partem, cavam videlicet, aut gibbam occupantes.

Causa. Causæ pustularum vel exiguorum tumusculorum in Epate περιγγμένων quidem sunt sanguis serosus aut biliosus, aut flatulenti spiritus sub tenuiss. pellicula, qua vestitur Epar, collecti sicut cernere est in jecinore mactatarum pecudum malè habentium.

Προκαταρκτικαὶ, vero sunt creber usus alimentorum acrium ac flatus generantium, veluti sunt cæpe, piper, pisa, sinapi, salsamenta. Item ictus violentus in dextrum hypochondrium: Signa pustularum Epatis in gibba seu exteriori parte excitatarum sunt dolores pungentes dextrum hypochondrion, qui usque ad claviculam sursum protenduntur: Nonnunquam internus pruritus, quibus ut plurimum sicca tussis, & totius corporis macilentia supervenire consuevit. *Signa tumorum in gibba hepatis parte.*

Signa apostematum vel pustularum in concava Epatis parte sunt dolores pungentes in dextro hypochondrio, qui deorsum versus Ilia se extendunt, præsertim ex decubitu in dextrum latus, appetentiæ prostratio, crebræ eructationes, nonnunquam singultus, corporis extenuatio, & si digiti hypochondrio dextro sub costis mendosis inferi tententur, præ dolore id fieri nequit. Omnibus autem tumoribus Epatis adest continua & lenta febris. Signa prognostica: Pustulæ ruptæ Epar exulcerant, & nisi maturè succurratur priusquam substantia Epatis consumatur, lentam mortem adferunt. Omnis enim continui solutio sive vulnus (*si nempe vulnus altius penetret, alioquin exempla sunt restitutorum*) Epatis, testificante Hippo. 6. Aphor. 18. lethale est. Is enim inquit: vesica aut cerebro aut corde aut ventriculo aut aliquo ex tenuioribus intestinis aut jecinore vulnerato lethale est. Alvi fluxus tumoribus Epatis superveniens mortis signum est. Apostematum Epatis comites sunt ἀτροφία, hydrops & tandem lenta mors. *Signa tumorum in cava ejus parte.* *Prognostica.*

Curatio. Curatio Apostematum jecinoris difficilima ac periculosa est. In ejus itaque curatione principio consideranda est intemperies & totius corporis & ipsius Epatis: sed præstat Medico aut prorsus abstinere à curatione Apostematum jecinoris; aut curationem ordiri cum prædictione periculi. Ubi enim eorum curatio est neglecta, & Epar

Epar jam est exulceratum, curari nulla industria potest: (*refert tamen Cornelius Gemma hepatis magnam portiunculam per ilii dextri vulnus cuidam juveni Hispano exsudasse, & tamen ægrum decoctis vulnerariis & manuali industria salvum evasisse.*) Et tum, si consolationis gratia ad curationem urgeatur Medicus, victus rationem præscribat primum convenientem naturæ corporis, frigidæ calidam, calidæ frigidam, & abstinere præcipiat à salsis, pipere, & crassis alimentis: tandem instituatur venæ sectio Epaticæ in dextro humero, deinde corpus ipsum à vitiosis humoribus evacuetur, si apostema in cava parte Epatis extiterit, per Clysteria, aut per potionem catharticam: si vero gibba pars Epatis est affecta, magis per urinam moventia debet fieri evacuatio. Clystere itaque in hunc modum parari potest.

Diæta.

Evacuationes in cava hep. parte affecta.

Enema.

℞. Mal. Mercu. Violar. an. M. I. Flor. Chamæm. Absinth. an. M. s.

Coquantur in q. s. aq. ad medias, colati juris accipe ℔. I. cui admisce, si calor adsit, Elect. lenit. ℥ II. Ol. rosa. ℥ III. Si vero frigidum corpus extiterit, hier. simpl. ℥ I. s. Ol. absinth. ℥ III. Salis ʒ I. fiat Enema, quod tepidum recto intestino infundatur.

Haustus purgans.

Aut in calido corpore ℞. Rhabar. ʒ II. Macerentur in aq. cichor. per noctem, manè leniter ebulliant, & expressa colentur, colato juri admisceantur Elect. Rosa. Mes. ʒ I. fiat haustus, qui jejuno ventriculo 6. horis ante prandium ebibatur.

Si vero frigida sit corporis constitutio, nullaque adsit febricula, ℞. Diaphæn. ℥ s. aquæ stillat. absinth. ℥ IIII. Commisc. fiat haustulus. In gibba parte Epatis existentibus apostematib. post levem purgationem alvi, præscripta remedia urinam moventia administranda erunt. Pro detrahenda itaque impuritate Epatis per urinam plurimum conducit in calidis corporibus sequens pulvis.

Remedia apostematum in gibba hep. parte.

Pulvis diureticus.

℞. 4. Sem. frag. maj. minutiss. concisorum, an. ℈ I. pul. succini albi. Sem. Alkakengi an. ʒ I. lapil. Cancrorum ʒ s. lapillorum ex capitib. melanuri piscis ℈ II. Misceantur exquisitissimè pulverata, & ejus ʒ I. cum aq. petros. haustulo, exhibeatur per aliquot dies.

Terebinthina.

Urinam movent & ulcera Epatis conglutinant ʒ II. Terebinth. claræ, & septies in aq. petros. elotæ, cum haustuloque aq. petros. ebibitæ.

In frigida Epatis constitutione prodest exhibere ol. succini gutt. 7. cum tenui vino.

Ol. succin. Paracels. l. 2. de vir. membror. liquorem alchaest h. e. Mercurium vitæ præparatum commendat magnopere ad omnia hepatis mala.

Verum inter omnia medicamentorum genera nullum præclarius humores & flatus in tumoribus & vesiculis contentos exiccasse & discussisse experientia deprehendimus, quam decoctum sudorificum in hunc modum paratum.

Sudoriferum decoctum utilissimum.

℞. Rad. chinæ ℥ I. cichor. ℥ s. minutissimè concisa coquantur in ℔ 4. aq. in duplici vase per 2. horas. Tandem cantharo refrigerato colentur; hujus decocti singulis diebus per spacium 4. dierum mane ebibat æger ℥ VI. calidas, & bene coopertus sudet per horulam. Id tandem observet patiens ut per totum hoc tempus nec cerevisiam, nec vinum, aut alium liquorem gustet, ac pro potu admittat, nisi secundarium decoctum præscriptarum rad. quod ita præparari potest.

Secundum decoctum pro potu.

℞. Easdem rad. antea semel decoctas, quib. saporis gratia admisce ℥ II. uvarum pass. minor. & in aq. ℔. 8. ut prius in cantharo per 2. horas. coquantur ac colentur: Qua potione pro siti sedanda subinde utatur. Deficientibus autem præscriptis potionibus, rursus eadem ratione præparatio reiteretur.

Topica.

Quod ad topica remedia attinet, utilissimum est dextrum hypochondrion singulis diebus bis, mane videlicet & vesperi, in calida quidem intemperie, sequenti linimento inungere & confricare.

Linimentum.

℞. Ol. rosa. è mastic. Cyton. an. ʒ III. Ceræ albæ parum, fiat linimentum, quod ter eluatur cum aq. rosa. ac postremo cum acet. rosa. In frigida autem Epatis constitutione,

℞. Ol. absinth. de hypericone, Irini an. ʒ II. ceræ parum. Fiat linimentum, & eluatur ter cum vino Rhenano. Cætera Topicorum remedia ad tumores Epatis facientia

 in

in ſequenti tractatione de Epatis duricie commemorabimus. Pro corroboratione autem epatis quotidie guſtet æger, in caliditate epatis, rad. cicho. cond. conſer. Roſa. rotul. diarhodon Abbatis & diatrion ſantalon. In frigida ejus intemperie, deguſtet Aromaticum roſatum & aquam cinamomi.

Hepar roborantia.

7. *Durus tumor epatis quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quibus remediis perſanandus?*

Scirrhus hepatis quid.

Σκίῤῥος τοῦ ἥπατος, indureſcentia Epatis. Scirrhus in genere omnis durus tumor in qualibet parte nominatur, qui dum adhuc recens eſt & ſenſilis dolensque, ſcirrhoſus tumor nominatur, ſed ubi progreſſu temporis in lapideam duriciem eſt converſus, ac ſenſu omnique dolore caret, tunc exquiſitus ſcirrhus dicitur.

Hepar & lien ſcirrho obnoxia.

Inter omnia viſcera Epar & lien obnoxia ſunt duro Tumori ſive ſcirrho. Epar quidem, quia impuriori nutritur ſanguine & exiles habet venas, quæ facilè obſtruuntur; lien autem, quia fæculento & craſſo nutritur ſanguine. Omnis autem tumor durus prognaſcitur, aut exſiccatione, aut concretione, aut repletione humorum: Inſenſilis autem & doloris expers redditur ob materiæ frigiditatem.

Generatio ſcirrhi.

Paracelſi de ſcirrho hepatis ſententiam vide l. 1. de Tartaro tr. 2. c. 3. ubi ex tartaro oppilationem fieri aſſerit.

Cauſæ ſcirrhi ſeu Intumeſcentiæ epatis προηγούμεναι ſunt, magna & diuturna obſtructio, humores lenti ac craſſi, aut nimio calore exſiccati, aut nimia frigiditate indurati, intra membranulam epatis collecti. Tales autem humores magna ex parte ſunt aut pituitoſi aut melancholici. *Interdum etiam bilis ſenſim incraſſeſcens, ut in ſcirrho qui icterum inſequitur.* Προκαταρκτικαὶ ſunt alimenta obſtruentia & indurantia, qualia ferè ſunt omnium leguminum genera, præſertim piſa, fabæ & ſimilia: Item medicamenta Topica impensè refrigerantia & adſtringentia ſeu repellentia dextro hypochondrio quoque modo impoſita. Proinde perpetuo cavendum eſt, ne in inflammatione epatis hypochondriis actu frigida applicentur, ſed modice recalefacta aut tepida. *Oritur quoq; apoſtema ex caſu, aut violento ictu in dextrum hypochondrium illato.*

Cautela.

Signa.

Signa indurati Tumoris in qualibet parte manifeſta ſunt; tactu enim deprehenduntur. Ita & epatis ſcirrhus per extuberantiam duriciemque dextri hypochondrii deprehenditur, nec digiti tumeſcente epate ſub coſtas mendoſas immitti intrudique poſſunt. (*Vidi Lunab. in opifice quodam adeo tumidum & ſcirrhoſum hepar, ut coſtas mendoſas dextri lateris elevaret, & totum ferè abdomen excepto ſiniſtro hypochondrio compleret & in inſignem tumorem attolleret, qui affectus ex malè curato ictero à lithotomo quodam ſubſecutus eſt, ægrumque tandem ſuffocavit.*) Præterea color totius corporis defœdatur & ex nigro flavus conſpicitur, pedes & venter intumeſcunt, ſuperiores corporis partes gracileſcunt. Accedit nonnunquam ex alvo chyli profluvium. (*Nam hepar propter obſtructionem nihil attrahit.*)

Quis humor obſtructionis & ſcirrhi cauſa ſit.

Porro ex quo potiſſimum humore ſcirrhus in epate generatus ſit, ex colore totius corporis facilè deprehenditur. Albus enim color pituitæ, ſubniger & plumbeus fæculenti ſanguinis, nigræque bilis ſunt indicia. Cum enim Jecur fons ſit alimenti totique corpori ſanguinem diſtribuat, qualis fuerit ſanguis in Jecinore, talis erit & totius corporis color.

Prognoſtica.

Prognoſtica notatu digna ſunt: Scirrhoſus tumor omnis cum jecinoris tum aliarum partium difficilimam, & non niſi in morbi principio curationem admittit. Emollientibus enim ſolis magis augetur tumor. Exquiſitus autem Jecinoris Tumor qui ſine ſenſu perſiſtit, omnino inſanabilis eſt: proinde præſtat Medicum ab ejus curatione abſtinere, ac Deo naturæque curam committere.

Malum quando incurabile.

Tumorem epatis, ſi paulo diutius perſeveret, neceſſitate conſequitur hydrops, Ventris profluvium tumori Epatis ſuperveniens ut plurimum lethale eſt.

Curatio.

Curatio duri Tumoris Epatis ſtatim in morbi principio, antequam malum radices egit, tentanda eſt, (*tales enim ſæpius ſe curaſſe Galenus teſtatur; ubi vero ad plures dies extenſus eſſet ſcirrhus, nec ſe curare potuiſſe, nec alium qui potuerit vidiſſe:*) ac primum quidem Epatis obſtructio ſtudioſè eſt

est amolienda, cujus curationem paulo ante tradidimus; deinde universa curatio tumoris perficienda est venæ sectione, victus ratione, & remediorum tum intra tum extra corpus usurpatione.

Phlebotomia.

Venæ sectio in plethoricis corporibus est instituenda. Secanda est autem vena epatica dextri lateris.

Diæta.

In victus ratione cibi concoctu faciles, veluti sunt cremor avenæ & hordei, & carnes pullorum, avicularum, vitulorum, & reliqua, quæ in obstructione Epatis sunt commemorata, sunt offerenda. Condiantur autem alimenta rebus aperientibus & abstergentibus, veluti sunt acetum, (*ex optimo vino confectum, alioquin magis adstringit quam aperit*,) semen anisi, fæniculi & radices petroselini ac crocus. Vitanda autem sunt omnia dulcia, (*passulis majoribus exceptis quæ valdè hic prosunt*,) pinguia, viscida, crassa & concoctu difficilia. Pro potu vinum tenue reliquis liquoribus præstat.

Remediorum formula unde desumenda.

Medicamenta in scirrho Epatis ea omnia conveniunt, quæ supra in obstructione Jecinoris enumerata sunt, & quæ infra in lienis Tumore enumerabuntur. Principio itaque post venæ sectionem sequenti haustulo ex venis Mesaraicis & ipso epate vitiosi humores subducendi erunt.

Haustus purgans.

℞. Syr. rosat. solut. syr. de cichor. an. ʒ II. diacathol. diaph. an. ʒ III. aquæ cichoreæ absinth. an. ℥ II. Fiat haustus, qui tepidus in aurora ebibatur. Altero die rursum reliquiæ commoti humoris sequenti clystere ex intestinis eluantur.

℞. Mal. Alth. an. M. I. flo. absinth. centau. min. chamæm. an. M. s. coquantur in q. s. aq. ad medias, colati juris accipe ℔. I. in quo jure dissolve Diaph. hier. simpli. an. ℥ I. s. ol. chamæm. absinth. an. ℥ I. salis ʒ I. commisceantur, fiat Enema, quod tepidum recto intestino infundatur. Postea singulis septimanis bis utatur sequentibus pillulis.

Pillulæ aperientes.

℞. Myrrhæ el. styracis calam. an. ʒ I. spicæ Celticæ, schænantus an. ʒ s. Cinam. croci an. ℈ I. Tenuissimè pulverata excipiantur cum q. s. Terebinth. in aq. Agrimon. septies elotæ, conformentur pill. XV. & pro una vice in aurora deglutiendæ offerantur. Tandem intermediis, inter assumptionem pill. diebus, mane ac vesperi quotidie exhauriat æger ℥ IIII. sequentis potionis.

Idem præstant pill. ex Ammoniaco & mastice.

℞. Rad. Alth. Cichor. graminis, petrosel. Aspar. Iridis Eryngii an. ℥ s. Herb. Card. Bened. Cichor. Marrubii an. M. s.

Sem. petroselin. Halicacabi, viticis an. ʒ III. sem. Malvæ p. I.

Dactyl. passul. min. an. ℥ I. Quat. sem. frig. maj. an. ʒ II.

Conf. Rosar. violar. an. ℥ I. concisa & contusa decoquantur in duplici vase cum ℔ IIII. aq. colentur, & colato juri admisceantur ℥ IIII. aceti vini, syr. de cichor. de suc. card. benedict. an. ℥ III. fiat potio:

Decoctum aperiens, emolliens, & diureticum.

Essentiam Croci ♂ cum aq. cichor. vel endiviæ nonnulli hujus decocti loco exhibent.

Interim sequentibus Topicis commodè utimur. In Topicorum autem administratione diligenter cavendum est, ne vehementer calefacientibus & exsiccantibus nec nimium fortibus medicamentis, propter Jecinoris generositatem ac subtilitatem utamur, sed iis quæ udo tepore duriciem emolliunt & obstructionem reserant; qualia sunt hæc tria remediorum genera, Fomentum, Unguentum, & Emplastrum sive cataplasma. Fomentum ita parabimus.

Topica quæ conveniant.

Fomentum.

℞. Absinth. spicæ celticæ veræ an. M. I.
Rad. Alth. contusæ ℥ I. lilior. albor. ℥ I. ß.
Chamæmel. Rosar. an. M. s. Cyton. exsic. ℥ I. Rad. Asar. contusi ℥ s.

Concoquantur simul in q. s. aq. ad medias, cujus liquor colatus calefactusque spongia excipiatur, cum eoque mane ac vesperi tumor seu dextrum hypochondrion per semihoram fomentetur. Tandem ejus liquoris humiditate absterſa inungatur tumor sequenti unguento.

Emollientia & resolventia, quæ acetum quoque recipiunt, alternatim esse adhibenda Galenus suadet.

Linimentum.

℞. Ol. Absinth. è Masti. an. ℥ s. Nard. Cyton. an. ʒ II. Medul. vitulinæ ʒ III.
Mucag. rad. alth. cum acet. rosa. confect. ʒ II.

Ceræ q. s. fiat unguentum molle, & eluatur ter cum succo Absinth. Post inunctionem imponatur tumenti Jecinori sequens Emplastrum.

Adipem leonis etiam Galenus valdè commendat l. 2. art. curat. ad Glaucon.

 ℞. Gum-

Emplastrum.

℞. Gummi Ammon. Bdellii an. ʒ III. quæ cum aceto Rosa. ad ignem liquefiant ac resolvantur, postea misce. ol. Absinth. è masti. an. ʒ II. Ol. è croco, styracis liquidæ an ʒ I. quib. omnibus mixtis adde ceræ q. s. ad duriciem Emplastri & fiat Emplastrum, quod per alutam extensum dextro hypochond. alligetur, nec inde removeatur nisi cum tumor fomentatur atque inungitur. Vel imponatur sequens cataplasma.

Ol. ceræ quoque hic utile, si eo locus aff. inungatur.

Cataplasma resolvens & discutiens.

℞. Farinæ seu pul. Lupinorum, hordei, flo. Chamæm. absinth. an. ℥ s.

Croci ʒ II. spicæ nardi ʒ I. schænanthi ʒ s. commixta simul coquantur in q. s. aceti rosa. donec redeat in formam pultis. Quibus tandem admisc. ol nardi, absinth. & è mastic. an. ℥ s. fiat catapl. instar crassioris pultis, quod calefactum extendatur per duplicatum linteum, & mane ac vesperi recalefactum tumenti Jecinori alligetur. Cætera in scirrho Lienis commemorabimus.

Pareus etiam suffimigio utitur ex aceto acerrimo & aqua vitæ lateri ignito infusa, ad scirrhosos tumores resolvendos.

8. *Morbus Regius quid, quæ ejusdem causæ, quæ signa, & quibus præsidiis sanandus?*

Icterus quid.

Ἴκτερος Aurigo, & Celso Arquatus, quem vulgus corrupta Græca appellatione ictericiam, nostri **die Gelbesucht**/ vocant, est bilis vel flavæ vel nigræ per totum corpus effusio. Fit autem quando segregatrix facultas epatis debilior in purificatione sanguinis, vel bilem flavam in vesiculam fellis, vel nigram fecemque sanguinis ad splenem, tanquam ad propria receptacula, propellere nequit: vel quando meatus alteruter, tum qui ex Epate in vesiculam, tum qui in intestina protenditur: vel cum meatus qui ex splene in fundum ventriculi insertus est, obstruitur, & vel bilis flava vel nigra, vel simul utraque in epar regurgitant, sanguinemque in venas distribuendum suo colore aliisque qualitatibus inficiunt. Tres itaque species, à causa materiali & colore sumpta differentia, morbi Regii deprehenduntur. 1. Lutea ex flava bile. 2. Nigra seu fusca & atra. 3. Subvirescens, ex utriusque humoris commixtione. Hoc autem loco de Luteo tantum ex bile flava orto nobis sermo erit. De Nigro autem ictero in splenis affectionibus paulo post tractaturi sumus.

Ejus generatio.

Differentia.

Causæ προηγουμέναι Regii morbi sunt, epatis segregatricis facultatis imbecillitas, epatis inflammatio, obstructio, duricies, bilis flavæ regurgitatio in epar ob meatuum vesiculæ bilis obstructionem, quæ contingit à crassis humoribus in eis impactis, aut propter calculos qui frequenter in vesicula bilis generari solent: Item critica expulsio in febribus biliosis, & totius corporis calidior intemperies. *Causæ.*

Προκαταρκτικαί, crebrior & intempestivior usus alimentorum & remediorum facilè in bilem convertibilium, quale est mel, item venenum haustum, & virulentorum animantium serpentumque morsus.

Signa morbi Regii communia quidem manifesta sunt. Deprehendi enim possunt ex luteo aut virescente colore faciei totiusque corporis, ac potissimum albuginis oculorum mutatione in luteum colorem: præterea adest & pigrities ad motum corporis, quam semper sequitur difficultas respirationis, & urina extensissimè flavescit bileque tingitur, adeo ut in ea madefactum linteum aut charta prorsus croceo colore tingatur. *Signa morbi.*

Causarum vero & loci affecti signa hæc sunt potissima. Si icterus ex inflammatione epatis & segregatricis facultatis debilitate originem ducat, ex signis de inflammatione Epatis commemoratis, ex ardore videlicet dextri hypochondrii, siti & insolita flavedine excrementi, & crebra sudoris eruptione & febris præsentia deprehendi potest. Verum si morbus Regius ex vesiculæ bilis, quæ epati subjacet, obstructione, bilisque in epar regurgitatione ortum habeat, tum nulla adest febris, sed gravitas quædam in dextro hypochondrio percipitur, ac respirationis difficultas post corporis commotionem, dolores capitis & creber singultus, feces autem alvi albicantes excernuntur, Urina autem vehementer flavescit.

Signa causarum & loci affect.

Ex inflam. hepatis.

Ex obstruct. vesi. Fellis.

Si vero morbus Regius propter calidam & biliosam constitutionem sit generatus, tum

Ex calida & biliosa intemperie.

tum non repente ſed paulatim cutis corporis luteo colore defædatur & corpus totum pruriginoſum & aridum redditur. *Ex critica expulſione in febribus.* Ubi vero ex critica expulſione in morbis excitatur ἴκτερος, tum icterum præceſſit bilioſa febris aut alius morbus calidus, & color cutis non ſenſim, ſed repente immutatur, tumque excrementa alvi & urina naturaliter ſe habent.

A veneno. Ab Externis cauſis, videlicet à veneno hauſto aut morſu virulento ortum Icterum, ex relatione patientis & ſymptomatis diverſitate dignoſcere licebit.

Prognoſtica. Prognoſtica in Ictero hæc ſunt obſervanda. Criticus Icterus naturæ robur, vitioſi humoris concoctionem & antecedentis morbi finitionem oſtendit, & non eget curatione. Quibus in febribus, teſte Hipp. 4. Aphor. 62. morbus Regius ante diem ſeptimum accidit, malum; tum maximè ubi natura eſt imbecillis. Et ſane nec poſt ſeptimum diem Regius morbus in febribus exortus vacat periculo, niſi adſint alia ſigna concoctionis. *Nam tum interdum ut & in aliis morbis diuturnis icterus eſt prodromus mortis.* Item quibus in febribus morbus Regius 7. vel 9. vel 11. vel 14. ſupervenerit, bonum, niſi dextrum hypochondrion obduruerit, Hippoc. loco citato. Celſus febrim poſt morbum Regium ortam pernicioſam eſſe dicit.

Curatio Icteri critici. Curatio pro diverſitate cauſarum varianda eſt. Icterus itaque per criſin exortus, non medicamento, ſed naturæ beneficio facilè curabitur; fœdus vero color cutis balneis aq. dulcis, quibus incocti ſunt flor. chamæm. & Anethini, non difficulter diſcutitur.

Ejus morbi Regii qui ex obſtructione aut inflammatione epatis eſt obortus curatio, ex ſuperioribus peti debet. Similiter & ejus Arquati, qui ex veneno hauſto aut morſu venenati animantis contingit curationem infra ſuo loco deſcripturi ſumus.

Curatio icteri ex obſtructione. Porro curatio communiſſimi Icteri qui ex obſtructione meatuum veſiculæ & regurgitatione flavæ bilis in epar generatur, conſiſtit in venæ ſectione, victus ratione, & remediorum uſurpatione.

Vena itaque in corporibus plethoricis ſecetur ſtatim in principio jecoraria dextri humeri, & ſanguis nec ſemel aut affatim, ſed particulatim & per vices 3. 4. ve diebus, ſemper iterata ſectione detrahatur.

Diæta. In victus ratione non tantum cibi ac potus, ſed & affectuum animi & exercitiorum corporis habenda eſt ratio. Quantum igitur poſſibile eſt, ſerenitati mentis eſt ſtudendum, ægrotique animus ſubinde ludis, Muſicâ, jucundiſque confabulationibus amicorum exhilarandus erit. *Exercitatio corporis.* Corporis exercitatio conſiſtit in moderata obambulatione, & cutis univerſi corporis confricatione, & lavacrorum tepidorum in aq. dulci uſurpatione. His enim remediis obſtructiones aperiuntur, ſanguis infectus purificatur, & color cutis fœdus diſcutitur. Unicè autem procurandum eſt, ne alvus obſtruatur, ſed vel quotidie vel alternis diebus excrementa alvi dejiciantur.

Alvum ſolventia. Ubi vero alvus obſtructa fuerit, ſequenti Clyſtere commodè emolliri expurgarique poterit, quod & meatuum veſiculæ obſtructionem aperit.

Enema. ♃. Flor. Chamæm. Anethi, Roriſmar. centaur. min. Abſinth. an. M. s. Malvæ, Mercur. an. p. 1. conciſa coquantur in q. s. aq. ad medias, colentur, colati juris accipe ℔. 1. cui admiſc. hieræ ſimpl. Elect. de ſucco roſar. an. ℥ 1. s. Ol. chamæm. Anethi an. ℥ 1. s. ſalis ʒ 1. fiat enema, quod jejuno ventre recto inteſtino tepidum infundatur. In hunc quoque uſum conferunt pruna Ungarica cocta, ſæpeque eſitata.

Cibus conveniens. Cibi & fercula ſint, aviculæ montanæ, perdices, carnes pullorum, hædorum, capreolorum, leporum, ova recentia, ex oviſque parata juſcula. *Aperientia.* Ut autem magis extenuent & obſtructiones aperiant, cum eduliis concoquantur rad. petroſel. carotæ, fœnic. & cichor. ſemenque aniſi. Condiantur præterea edulia copioſo croco, pauxillo cinamom. paſſulis minoribus & amygdalis dulcibus. *Cibi evitandi.* Mel autem, fructus arborum crudi, piſa, caſeus & omnia obſtruentia, ſtudioſè vitentur.

Potus. In potu utatur æger vino tenui & ſubauſtero,

ſtero, & cereviſia probè lupulata, & in qua vel fol. Roriſmar. vel Abſinth. flor. ſunt macerata, non tamen ſit nimium amara. Poſt venæ ſectionem biliofus humor ad eductionem præparetur & obſtructi meatus ſequenti potione reſerentur.

Decoctum præparans & aperiens.

♃. Rad. cichor. Apii, Petroſel. an. ℥ II. Rad. vitis nigræ, Oxalidis ſive acetoſæ an. ℥ I. fol. Card. benedict. fragariæ cum radicibus Abſinth. an. P. II. Contuſa & conciſa coquantur in duplici vaſe cum ℔ II. aq. per II. horas & colentur, hujus colati juris per triduum mane & duabus ante cænam horis ebibat æger ℥ IV. calefactas: quinto tandem die flava bilis ſubtrahatur, & ad inteſtina derivetur ſemel atque iterum ſequenti cathartico hauſtu.

Hauſtus cholagogus.

♃. Rhab. el. ℥ II. Agarici Trochiſ. ℥ S. ſpicæ Indicæ ℈ S. contuſa macerentur in aq. Card. benedict. ℥ IV. per noctem, mane ebulliant leniter, colentur, colatoque juri admiſc. Elect. roſat. Meſ. ℥ S. fiat hauſtus, qui tepidus ſex horis ante prandium ebibatur.

Poſt purgatam bilem rurſus obſtructiones meatuum ſequenti potione magis aperiantur.

Decoctum magis aperiens.

♃. Flor. Roriſmar. M. I. Herbæ fragariæ cum rad. M. S. Schænoanthi, Nard. Indicæ an. ℥ I. Croci ℈ I. Rad. Ariſtoloch. rotundæ ℥ II. chamæpiteos P. I. conciſa & contuſa coquantur in ℔. II. vini in duplici vaſe per duas horas, colentur, colato juri admiſc. ℥ IV. ſyr. è ſucco Card. bened. fiat potio, ex qua bibat æger mane ac duabus ante cænam horis ℥ IV. tepefactas.

Experimenta authoris ſingularia.

Ego vero poſt bilis purgationem ſequentibus ſolum remediis Icterum ex bilis regurgitatione ortum ſemper feliciſſimè curavi.

Potus.

♃. Rad. chelidon. maj. recentis optimè lotarum & conciſarum M. II. Granor. Juniperi M. I. ſimul in mortario conterantur, contritiſque adfundatur vini Rhenani ℔. I. Quibus ſimul ſubactis, beneque agitatis, validiſſimè exprimantur & colentur, cujus ℥ IV. mane & ante cænam ebibantur. Aut

Euporiſton eſt optimum remedium.

♃. Croci pulv. ℥ I. cujus ſinguli ℈. in ceram novam & mundiſſimam, in tenuiſſimamque laminam extenſam involvantur & in globulum informentur, ſingulique globuli in pomum excavatum imponantur, & torreantur, vel ad ignem, vel in cacabo, donec cera ſimul & crocus in pomi carnem reſoluti fuerint. Ex his pomis unum per triduum mane devoret æger.

Pomum.

Topica remedia. Prodeſt plurimum, præſertim ſi calida intemperies adfuerit, inungere dextrum hypochondrium ol. roſar. cui pauxillum aceti ſit admixtum, aut, ſi nullus adſit ſenſibilis calor, inungatur ol. chamæm. cui admixtum ſit nonnihil aceti. *Oleum ceræ etiam propter inſignem vim penetrandi, emolliendi & diſcutiendi, hic utiliter adhiberi poteſt.*

Topica.

Fœdus totius corporis color per balneum aquæ dulcis in qua flores chamæm. Anethi & herba parietaria eſt incocta, facile diſcutitur. In facie autem flavum colorem tollit vapor aceti ferventis, ſi quis eo poſt lotionem utatur.

Coloris flavi remedia.

4. *Malus corporis habitus quid, quæ ejus cauſæ, quæ ſigna, & qua ratione curandus?*

Καχεξία eſt partium carnoſarum ſubcutanearumque univerſi corporis mollior laxiorque conſtitutio & quaſi inflatio cum fœdo colore totius cutis, quale corpus κακοχύμικον Medicis nominatur. Oritur enim hoc malum ex ſuffuſione vitioſorum humorum impurique ſanguinis in partes ſubcutaneas. Talis conſtitutio ut plurimum comitatur intemperiem aut ſcirrhum aut obſtructionem Epatis & lienis, præceditque aquam intercutaneam.

Cachexia quid. *Ejus origo.* *Quos morbos comitetur.*

Cauſæ hujus mali προηγουμέναι ſunt epatis aut lienis imbecillitas ex frigida intemperie aut ſcirrho aut obſtructione, facultatiſque ſanguificatricis & purificatricis ſeu ſegregatricis proſtratio: item ſanguinis undecunque uberior profuſio: aut ejuſdem conſuetarum fluxionum per hæmorrhoidas aut menſes ſuppreſſio.

Cauſa.

Προ-

Προκαταρκτικαὶ causæ sunt cibi mali succi & calorem nativum refrigerantes, crebra heluatio & ingurgitatio. Lucubrationes nimiæ & nocturnæ vigiliæ (*Qua de causa frequens literatorum malum est.*) Veneni haustus, & venenati animantis morsus.

Signa. Signa καχεξίας sunt, cutis sufflatio per universum corpus cum colore fœdo ex albo flavescente aut ex pallido virescente, carnis laxitas & virium imbecillitas pedumque inter ambulandum vacillatio: concoctionis alimenti primum, deinde & appetentiæ prostratio, & excrementorum alvi inæqualitas & dissolutio.

Prognostica. Prognosticum καχεξίας· Nisi malo corporis habitui tempestivè succurratur, in hydropem facilimè transmutatur.

Curatio. CURATIO. Cognita causa καχεξίας facilè curandi methodus se offeret. Semper enim in curando primum causæ remotioni suis contrariis studendum erit. *Unde remedia petenda particularia.* Malus itaque corporis habitus, qui ex imbecillitate frigidaque intemperie, aut sanguificatricis facultatis in epate debilitate, aut qui ex nimia sanguinis per menses aut hæmorrhoidas, per nariumque fluorem profusione ortum habet, earum affectionum curationem in superioribus tradidimus. Quæ vero curatio suppressioni Mensium debeatur: item quibus mediis externis causis subveniendum sit, infra suis in locis explicabimus.

Generalis curatio. Hoc loco satis erit notasse generalem καχεξίας curationem consistere in victus ratione, venæ sectione, vitiosorum humorum expurgatione, & remediorum epar lienemque corrobarantium usurpatione.

Victus ratio. In victus ratione præcipiatur patienti ut versetur in aëre moderatè calido & sicco, ut somnum fugiat diurnum ac longum, nocturnoque sit contentus, ut corporis exercitio moderato & frictionibus cutis cum calidis linteolis utatur, ut alvum studeat retinere lenem & apertam, & si obstructior reddatur, vel glande seu suppositorio ex melle, sale & pul. colocinth. confecto, aut communi aliquo enemate in superioribus sæpius præscripto alvus aperiatur subducaturque. *Cibi utiles.* Cibis utatur facilè concoquibilibus & purum sanguinem generantibus, veluti sunt Ova sorbilia & recentia, carnes pullorum, vitulorum & avicularum; ex piscibus melanuri & squamosi in rivulis degentes solum concedi possunt. *Cibi vitandi cachecticis.* Vitet fructus arborum & omnia edulia corruptioni obnoxia, flatulenta & obstruentia, veluti sunt lac, olera, pisa, caseus & piscium genera non squamata. Fercula condiantur croco, cinamom. macere, & zinzibere. Potus sit vinum album tenue & fragrans, vinum absinthite & cerevisia plenior & clara, & in qua macerata sunt flo. absinth. aut fol. rorismarini.

Venæ sectioni quando locus. Venæ sectio in his tantum καχεξίαις, quæ ex obstructis mensibus aut hæmorrhoidibus originem ducunt, convenit. Secandæ autem erunt venæ talares sub malleolis pedum, & quidem in hæmorrhoidum suppressione præstat magis, quam venæ sectio, hirudines ano applicare, in reliquis καχεξίας causis, commodè pro venæ sectione frequenter cucurbitulas cuti applicabimus.

Medicamenta. Ad medicamentorum rationem quod attinet, vitiosi humores sensim sequenti potione expurgandi subducendique erunt.

Decoctum sanguinem impurum subtrahens & evacuans. ℞. Cort. medianarum sambuci M. II. Rad. Cicho. Glyce. polypo. Ebuli an. ℥ s. sem. Anisi ʒ v. Herb. card. bened. Flor. centaur. min. an. M. I. sem. Cartami ʒ VI. Agar. Trochis. ʒ I. s. Rhab. ʒ II. fol. senæ ℥ s. cinamom. el. ʒ II. pass. min. ℥ I.

Concidenda concidantur & contundenda contundantur, simulque mixta macerentur in sero lactis caprini ℔ IIII. per integrum diem naturalem, deinde cantharo imponantur. Cujus junctura farinacea pasta sit oblita, & in duplici vase per duas horas coquantur, deinde colentur, hujus colati juris singulis diebus ebibat æger ℥ IIII. donec hæc potio durabit, ita tamen ut quarto quolibet die intermittat haustum. Mirum in modum conferunt quoque sequentes pillulæ.

Pillulæ cachecticis utilissimæ. ℞. Trochis de Rhab. ʒ I. Agar. Trochis. ℈ II. Trochis de Absinth. ʒ s. pul. pelliculärum internarum ex ventriculis pullorum detractarum ℈ IV. ex quibus omnibus formentur pillulæ cum q. s. syr. de absinth.

ex singul. ʒ xv. ex quibus deglutiatur ʒ I. singulis septimanis bis. Postea utilissimum erit semper altero die post purgationem patienti exhibere ℥ v. decocti rad. Chynæ in quo resolutæ sunt Ther. ʒ I. s. & jubere ut sudet per integram horam.

Decoctum Rad. Chynæ.

Corroborantia hepar & Lienem.

Corroborantia quoque jecinoris ac lienis singulis diebus exhibenda sunt, rotulæ videlicet II. dialaccæ aut diacurcumæ, aut diarhodon Abbatis. Verum inter reliqua remediorum genera vix aliud ad καχεξίαν tollendam salubrius est quam potatio aq. Thermarum aluminosarum & sulphurearum, quales habentur prope vallem Joachimicam, Carolinæ vocatæ.

Thermæ Carolinæ.

Topica.

Porro extrinsecus Topicis remediis hypochondria fovenda & inungenda sunt, inter quæ celeberrimum est sequens Linimentum.

Linimentum.

℞. Ol. Absinth. Nardi, è Mastich. Citon. an. ʒ II. ceræ parum, fiat linimentum, eluatur cum aceto Rosar. & deinde admisceatur pulvis trium sandalorum an. ℈ I.

Cum verò καχεξία principium sit aquæ intercutaneæ, ea remediorum genera, quæ in hydropis curatione commemorabuntur, huc commode transferri possunt.

10. *Aqua intercutanea quid, quot ejus species, quæ earum causæ, signa & quibus singulæ species curandæ remediis?*

Ὕδρωψ quid.

Hydrops est tumor vel intumescentia corporis, aut ab aquosa humiditate aut flatulento spiritu cutem corporis distendente obortus.

Ejus differentiæ.

Hydropis species omnes eruditi Medici tres constituunt, sumpta differentia à materia tumorem excitante, & loco tumescente, graduque frigiditatis Epaticæ. Prima est Ἀνασάρκα, ὑποσαρκίδιος, σαρκίτης seu λευκοφλεγματία. Albæ pituitæ in corpus perfusio dicitur, in qua universæ corporis partes intumescunt. Altera ἀσκίτης, in qua abdomen sive venter tantum ac pedes intumescunt. Tertia τυμπανίτης & τυμπανία in qua venter inflatur & extenditur, ut in ἀσκίτῃ, non tamen ab aquosis humoribus sed à flatulentis vaporibus; unde Hippocrates hanc speciem ὕδερον ξηρὸν, id est siccum hydropem nominat. Cum autem hæ intumescentiæ Hydropicæ species & causis & signis & curandi modis aliquo modo inter se differant, de singulis seorsim tractabimus, ubi prius, quæ earum omnium communes causæ, signa, & curandi modus sit, declaraverimus.

Causa communis omnis intumescentiæ.

Causa communissima efficiens omnium specierum hydropis est extinctio caloris nativi in Epate, & frustratio sanguificationis. Extinguitur autem nativus Epatis calor ab omni genere intemperiei, quam vel per se vel per consensum acquirit, ut ab intemperie lienis, ventriculi, pulmonis, septi transversi, vel Renum. Utrum autem in Hydrope Epar per ἰδιοπάθειαν vel συμπάθειαν laboret, & sanguificationis virtute destituatur, ita internoscitur. In propria Epatis affectione laborantes hydrope propensi sunt & subinde excitantur ad Tussim siccam, sed brevissime durantem, idque ex compressione diaphragmatis; item alvi excrementa ita laborantibus dura, pauca & arida sunt. Si vero epar per consensum sit affectum, tum alvus est fluida, & singulorum viscerum, lienis, pulmonum, diaphragmatis vel Renum morbi, dolores ac molestiæ, locum affectum declarant. Causa itaque efficiens omnis hydropis est caloris nativi in epate extinctio ac refrigeratio. Sine refrigeratione enim jecinoris impossibile est aquam intercutaneam generari. Extinguitur autem nativus jecinoris calor non tantum ab excellenti ejus refrigeratione, sed & ab ejus inflammatione ut in febribus accidere consuevit, & aliis acutis morbis, quæ refrigeratio accidentalis est: extincto calore nequit epar ex cibo potuque in ventr. in chylum converso & per venas mesar. attracto sanguin. conficere, sed id totum convertit tantum aut in pituitosam humiditatem, aut in serosum liquorem, aut in flatulentum spiritum. Per extensionem itaque frigiditatis epatis tres species Hydropis generantur, Ἀνασάρκα ex frigiditate epatis in summo gradu, Ἀσκίτης à medio gradu frigiditatis, Τυμπανίτης ab imbecilliore frigiditate.

An ex primario vitio hepatis vel secundario oriatur, unde cognoscendum.

Calor nativus in hepate quomodo vitietur.

Gradus refrigerationis hepatis 3. spec. hydropis constituunt.

Causæ itaque προηγουμέναι aq. intercutaneæ

Causa in-

terna antecedentes. taneæ ſunt epatis refrigeratio, epatis aut Lienis ſcirrhus, nimia profuſio ſanguinis per nares aut per vulnera, dyſenteria, fluxus immoderatus hæmorrhoidum, & menſium; conſueti fluoris eorundem diuturna ſuppreſſio, febris quartana, & morbi alii acuti.

Cauſæ externæ hydropis in genere. Προκαταρκτικαὶ ſunt intempeſtiva & nocturna heluatio, intempeſtivæ vigiliæ, ſtationesque nocturnæ, aq. frigidæ corpore æſtuante potatio, nocturnæ & à ſomno bibitiones, à balneo, æſtuante adhuc corpore, potatio.

Signa communia. Signa communia omnium ſpecierum hydropis ſunt, tumor pedum cum in tumeſcentia totius coporis, ut in Anaſarca, aut cum intumeſcentia abdominis ventriſque tantum, ut in Aſcite & Tympanite, reſpirationis difficultas poſt corporis commotionem, potus largioris intolerabile deſiderium, totius corporis decoloratio, & appetentiæ proſtratio.

Signa cujusque ſpeciei. Signa ſpecies hydropis diſtinguentia ſunt, in Tympanite & Aſcite ſolus venter & pedes intumeſcunt, *Anaſarca.* in Anaſarca vero univerſum corpus, in qua ex digitorum impreſſione cavitas, & digitorum veſtigium in cute remanet. *Aſcitis.* In Aſcite ſolus venter ab aqua ſubcutanea extenditur cum pedum tumore, in qua verſo corpore in alterutrum latus ſonus aq. fluctuantis, tanquam in utre ſemipleno hinc inde agitato, exauditur. *Tympanitis.* In Tympanite intumeſcit venter & pedes, & non ab aqua, ſed à collectis flatulentiſque ſpiritibus: quare digito percuſſus venter tumens tympani modo ſtrepitum edit.

Prognoſtica. Prognoſtica communia ſunt: Omnis hydrops in principio difficilis eſt curationis, inveteratus autem eſt inſanabilis. Tympanites periculoſior eſt cæteris ſpeciebus, dein Anaſarca; Aſcites vero in principio quandoque cum difficultate curari poteſt. (*Vbi vero ex fiſſura hepatis oritur, incurabile malum eſt, juxta aph. 55. l. 7. Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, iis venter aqua repletur, & moriuntur.*) Anaſarca, quæ & λευκοφλεγματία nominatur, correptis, ſi diuturnior alvi fluxus ſupervenerit, à morbo ſponte liberantur, Hipp. 7. Aph. 29. & 6. *Aphor.* 14. *Aqua intercute correpto, ſi aqua quæ in venis eſt ad ventrem defluxerit, mali fit ſolutio.*

Curatio. Curatio communis aq. intercutaneæ conſiſtit in victus ratione, venæ ſectione, & remediorum materiam tumefacientem & per alvum & per vomitum & per urinam ſudoremque evacuantium intra & extra corpus uſurpatione, & jecinoris lieniſque corroboratione.

Diæta. In victus ratione omnia debent eſſe exiccantia, ſomnus moderatus, exercitium & crebra commotio corporis, crebræ frictiones tumefactarum partium cum calidis & aſperioribus linteolis, ſitis tolerantia, frequentes ſudorum provocationes, vel in clibano, aut ſicco balneo, aut arena calida, cui ſal marinum eſt admixtum, qua obruenda eſt tumefacta pars. Nihil autem eſt in hydrope ſalutarius quam frequens ſudatio, & ſitis tolerantia: Alvus perpetuo ſit lenis, & ſi forte obdureſcat, ſequenti enemate eluenda erit.

Enema alvum ſolvens. ℞. Fol. Ebuli, Mercur. an. M. 1. Flor. chamæm. Abſinth. centau. min. an. M. ſ. Ficuum n. v. Fol. ſenæ ℥ ſ. conciſa coquantur in q. s. ad medias, colati juris accipe ℥ xiiii. Quibus admiſceatur hier. ſimpl. Benedict. laxativ. an. ℥ i. ol. rutæ, anethi an. ℥ i. ſ. Mell. roſar. ℥ ſ. ſalis ʒ i. fiat Enema, quod tepidum recto inteſtino infundatur.

Cibi hydropicis utiles. In cibo hydropicorum omnia debent eſſe concoctu facilia & exſiccantia. Conducunt itaque panis bis coctus, ſpiræ, & panis probe fermentatus, cui inſperſa ſunt ſemen Aniſi, carvi & cymini: Carnes ſalubriter adminiſtrari poſſunt aſſatæ potius quam elixæ, pullorum, perdicum, & avicularum montanarum, leporina, cervina, bovilla, capreolorum. Eſculenta condiantur rad. petroſel. ſem. carvi, fænic. Cymini, cinamom. caryoph. amygdal. & uvis paſſis. Concedi quoque poſſunt ova aſſata. *Cibi evitandi.* Piſces, legumina, lacticinia, & pinguia omnia atque humectantia, ſedulo ſunt vitanda.

Potus. Potus ſit vel vinum tenue & vetus, vel cereviſia lupuloſa & abſinth. condita. Ut autem dictum eſt in hydrope, quam minimum bibere ſalutare eſt.

Venæ sectioni quando locus.

Venæ sectio in iis tantum intercutaneis aquis conceditur, quæ originem ducunt ex suppressis mensibus aut hæmorrhoidum suppressione. Tum enim ante omnia fluxio per menses & hæmorrhoides per venæ sectionem ex talari vena est commovenda: & quando hydrops ex inflammatione Epatis, febribusque est orta, admittitur quoque in principio Anasarcæ. Porro medicatio à purgatione & ab ὑδραγωγοῖς remediis i. e. aquam ducentibus auspicanda est, & alternatim semper in 14. diebus, vel etiam citius pro virium ratione reiteranda erit purgatio & aq. subductio in omnibus hydropis speciebus. Hydragogæ autem purgationes præcipuæ hæ sunt.

Hydragoga Remedia.

Haustus.

℞. Agar. Trochis. Rhab. el. an. ʒ I. Fol. senæ ʒ II. contusa macerentur in aq. flor. sambuci ℥ V. post 24. horas ebulliant leniter, colentur, & colato jusculo admisc. diaphæn. Benedict. laxativ. an. ʒ II. fiat haustus.

Pulvis.

℞. Herb. Graciolæ ʒ II. cinamom. Anisi an. ℈ I. saccar. ℥ s. fiat pulvis, qui mane cum vino assumatur: Aquam enim validissimè educit.

Experimenta varia hydragoga Euporista.

℞. Graciliæ ℥ s. uvarum pass. absque acinis vel sem. ℥ s. Anisi, cinamomi an. ʒ s. coquantur in ℔. I. vini ad medias, exprimantur ac colentur, ac saccaro sufficienti dulcorentur, fiat haustus, & mane ebibatur.

Vel ℞. succi Rad. palmæ Christi ʒ II. vel ʒ II. ß. exhibeatur cum saccharo, vel sine saccharo: potenter enim aquas evacuat. Idem præstat succus cort. rad. sambuci, vel cortic. median. & florum ejus.

℞. Graciolæ ℥ s. Soldanellæ vel brassicæ marinæ ʒ I. pass. mi. ℥ s. coquantur in vini ℥ X. ad medias, expressa colentur ac ebibantur.

℞. Succi Ireos nostratis vel hortulanæ ℥ s. syr. rosar. solutivi ℥ I. Cinamom. el. ℈ I. misceantur, fiat haustus.

Hæc præscripta remedia omnia validissimè aquam educere possunt per alvum, & pro ratione virium semel aut bis in septimana eis uti licebit.

Antimonii vitrificati usus in robustis. Tartari vitriolati ℈ I. cum vino enulato: Item turpeti mineralis gr. IIII. ad 6. item Mercur. sublim. rub. gr. III. ad 5. cum theriaca: Item specificum suum hydropicum, Crollius ad eundem usum commendat. Quæ si ritè præparata sint, non infeliciter adhibentur.

Viribus adhuc consistentib. mirifice hydropicorum aquam evacuat Paracelsicum vitrum Antimon. si ejus III. aut IV. gr. minutissimè pulverata, & cum ʒ. I. Theria. Andro. commixta devorentur: Sed quia sævissima inducere consuevit symptomata, ut anxietatem, cordis compressionem, vertiginem & lipothymiam, non libenter, nisi in rusticis & rigidis corporibus eo utendum suaserim.

Postea in diebus liberis à purgatione prodest semel in septimana per vomitum corpus ab impuritatibus aquosis evacuare. Convenientissimus autem hic potus vomitorius erit.

℞. Cort. rad. sambuci, cort. rad. jugland. an. M. s. Concisa macerentur per noctem in haustulo vini: Altero die leniter ebulliant, colentur, & colatum jusculum tepidum ebibatur.

Reliquis diebus utatur æger alternatim aut urinam ciente remedio aut sudorem movente. Urinam autem probè movet, & aquam per vesicam evacuat haustulus vini, cui admixtæ sunt gut. 9. ol. vitr. aut si absit febris calorque præternaturalis, III. cochlearia aq. juniperi jejunè assumpta.

Elect. & flor. Antimonii hujus loco Chymici utuntur, uti & gissa. Theophr.

Sudor autem & simul Urina sequenti potione excitari possunt.

Diuretica. Spir. Tartari, cum ol. vitrioli, idem præstat.

℞. Cort. medianarum sambuci viridium, rad. asari, Dauci creti. an. ʒ. II. rad. Ebuli, elenii an. ℥ s. Bacca. lauri. sem. seselios an. ʒ I. Herb. scordii, card. bened. puleg. Flo. centau. mi. an. M. s. pass. min. ℥ I. cinamomi ʒ II.

Decoctum sudorificum.

Contundendis contusis & concidendis concisis coquantur in duplici vase per II. horas cum vini ℔. III. cui mellis puri & defecati II. cochlearia sunt admixta, deinde colentur, & colati juris ebibat æger diebus vacuis à purgatione ℥ V. mane & se ad sudorem componat. Efficacius autem erit remedium sudorificum, si illi ʒ I. Theriacæ admisceatur.

Experimentum aquam exsiccans.

Inter reliqua aquam intercutaneam exsiccantia remedia experientia comprobatum est lapis serpentis, qui hac ratione acquiri potest. Capiatur coluber aquaticus, hujus cauda funiculo constringatur ac suspendatur, cujus capiti deorsum pendenti

vas

vas aut pelvis aqua plena ſubjiciatur, in quam ſerpens lapidem evomet, qui aquam in pelvi breviſſimo tempore totam exiccat: hunc lapidem ventri tumenti alligari oportet, qui aq. intercutaneam cito abſumit. (*Hollerius idem aſſerit c. de hydrope. Aſt Geſner. l. 4. hiſtor. animal. c. de hydro. dubitat de hoc lapide an ex ſerpentis capite excidat. Exiſtimat potius eum eſſe qui in ericeto Luneburgenſi reperitur, & communiter à forma pyramidali* Nater Zunge *vocatur, à Plinio Gloſſopetra dictus l. 37. c. 10.*)

Topica communia in omni hydrope. Externa Topica remedia omnibusque ſpeciebus hydropis communia hæc ſequentia conveniunt.

Cataplaſma

1. ℞. Farinæ fabarum, lupinorum, fænugræci, pul. rad. Alth. an. ℥ II.

Pul. Abſint. Hyſſ. an. ℥ I. ficuum probe contuſorum ℥ III. Commixtis omnibus coquantur in aceti & aq. æ. p. ad pultis formam, fiat cataplaſma, quod in die bis per linteum duplicatum extenſum prius calefactum tumentibus partibus applicetur.

2. Aut fiat cataplaſma ex ſtercore armentarii bovis, cum quarta parte pul. ſulphuris admixti, & q. s. aceti. Aut

3. ℞. Stercoris caprini, columbarum an. ℥ III. Flor. Buphtalmi ℥ II. aceti & mellis q. s. fiat cataplaſma. Aut imponatur loco tumenti ſequens emplaſtrum.

Emplaſtrum. ℞. Thuris, Maſtic. Myrrhæ an. ℥ s. Granorum lauri ℥ I. Gran. Juniperi ℥ I. s. rad. Angel. ℥ I. s. mellis q. s.

Fiat emplaſtrum, quod per linteum extenſum loco tumenti applicetur. Aut ſequens ſacculus ventri imponatur.

Sacculus. ℞. Rutæ, flo. chamæm. Anethi, calamentæ puleg. Major. Roriſma. ſaturejæ, Hyſſo. an. M. I. ſulphu. ℥ VI. ſalis marini ℥ II. Baccar. lauri, Iuniperi an. ℥ I. s. rad. Bryoniæ, ireos an. ℥ I.

Contundenda contundantur & concidenda concidantur, & in ſaccum linteum tumenti ventri adaptatum conſuantur & interſuantur, fiat ſacculus, qui vel vino vel aceto irroratus, & per lapidem aut lateres calidos calefactus ſæpe tumori imponatur.

Veſicatoria. Plurimum conducit in loco tumenti veſiculas excitare rad. virid. ſcrophulariæ major. & rad. ranunculi ſeu flammulæ paluſtris ſimul aut ſingulatim cum pauxillo aceto contuſis, & emplaſtri modo tumenti loco per x. horas impoſitis; poſtea compungantur veſicæ & apertæ retineantur per 60. dies, ex iis enim indies aqua extillat.

Veſicarum autem foramina aperta retineri poſſunt, ſi eis radix Gentianæ foramini adaptata imponatur, & fol. braſſicæ butyro recenti illitum ſuperponatur, & ſingulis diebus bis Gentiana extrahatur, & poſt aquam extillatam rurſum imponatur.

Laudatur à plurimis, & frequenter quoque uſurpatur inciſio ſive vulneratio cutis & carnis uſque ad viſcera interiora. Magna enim ſtatim copia ex perforata cute profluit & omnis tumor paulatim reſidet, ita ut ſe patiens jam prorſus liberatum putet. Hanc inciſionem cutis Græci Medici παρακέντησιν vocant. Ego vero hanc curandi rationem minimè probare poſſum. Ex quam plurimis enim quibus hac ratione aquam detractam vidi, unicam honeſtiſſimam matronam D. Martini Hannemanni conjugem (quæ Hydropica utero gerebat, & poſt extractionem aquæ per vulnus Abdominis feliciter peperit) evaſiſſe ſanitatique reſtitutam eſſe, reliquos omnes tum viros tum mulieres ita curatos paulò poſt extinctos animadverti. *Vbi viſcerum adfuit integritas, nec malum diuturnitate radices egit, nonnullos reſtitutos fuiſſe experientia teſtatur. Vix autem unus è centum hoc remedio ſervatur, quod plerumque hepar corruptum eſt in hydropicis.* Etſi enim venter detumeſcat, & effluat aqua, tamen paulo poſt rurſum colligitur & redit Tumor. Qui vero authoritate Hippocratis & Galeni, qui nonnunquam in hydrope paracenteſi uſi ſunt, motus, hac ratione curari velit, ei cavendum eſt ne multum aquæ ſimul effluat, ſed ſenſim & ſingulis diebus aliqua portio detrahatur. *Paracenteſis ſeu ventris inciſio.* *Neceſſaria admonitio.* *Vide Paraum l. 7. chir. c. 12.*

Nam cum multa aqua & reliquiæ caloris nativi interiorum viſcerum & vitales ſpiritus elabuntur ac diſſipantur, moritur patiens. In pede tamen tumenti in plano pedis paulo ſupra digitos tutius inciſio fieri poteſt. *Scarificatio pedum.*

potest. *(Raro & hæc incisio feliciter succedit. Scio tamen tria exempla tali incisione restitutorum.)*

Toto curationis tempore quotidie præter enumerata remedia, interna viscera, ac potissimum Epar ac lien corroboranda erunt duabus pro vice rotulis diacurcumæ aut dialaccæ vel Diarhodon Abbatis & similibus devoratis. Sitis autem Hydropicorum, quod infestissimum est symptoma, sedetur continua in ore masticatione radicis Glycyrrhizæ. Nulla enim radix Glycyrrhizam facultate humectandi superat.

Sitis remedia. Cortic. Guajaci decoctum etiam sitim potenter restinguit.

Hæc de communi Hydropicorum curatione in genere sint satis, nunc pauca de singulis speciebus addam.

11. *Quæ sunt species aquæ intercutaneæ, & quid in singulis speciebus observandum?*

Ἀνασάρκα quæ & λευκοφλεγματία id est pituitosa aqua per se universam carnem diffusa, ut plurimum post alios graves morbos ex epatis imbecillitate generatur. In hac specie totum corpus intumescit, & ex impressione digitorum tumorem vestigium relinquit. Ejus curatio consistit in præscriptorum remediorum usurpatione, sed hæc propria habet, quod in sola Anasarca interdum venæ sectio concedatur, in aliis autem speciebus noxia est. Cum itaque Anasarca ex suppressione consuetorum mensium aut hæmorrhoidum originem ducit, & vires adhuc consistunt, secari potest vena jecoraria primum, deinde & vena talaris, eaque sæpius reiteranda, post venæ sectionem pituitosi simul ac serosi humores subinde expurgandi veniunt remediis paulo ante & in obstructi epatis curatione enumeratis: singillatim autem sequens potio pituitam aquosam simul concoquit & egregiè educit.

Anasarcæ peculiaria remedia.

Venæ sectio. Sunt qui decoctum rad. vincetoxici cum vino mira præstare in hoc affectu asserant.

Decoctum pituitosam materiam digerens & evacuans.

♃. Rad. Valerianæ, pimpinellæ, Elenii, Ebuli an. ℥ s. Medullæ Sem. cartami ʒ v. sem. anisi ℥ s. Veronicæ, scabiosæ, beton. Card. bened. flo. Genist. flor. sambuci an. M. s. Agar. Troch. ʒ II. fol. Senæ, Soldanellæ an. ℥ s. concidendis concisis & contundendis contusis decoquantur cum ℔. IIII. vini, & mellis puri ℔ s. in duplici vase ad duas horas, colentur & colato liquori macerandus imponatur nodulus ex ℥ ß. Rhab. parum contusi, & in sindonem colligati. Hujus potionis singulis ternis diebus ebibat æger haustulum tepidum ℥ IIII. reliquis diebus mane ac vesperi hauriat patiens unum aut duo cochlearia aq. Juniperi, aut gut. 9. ol. vitr. cum haustulo vini commixti. Hæc enim singulariter pituitam incidunt, obstructiones aperiunt, & urinam movent supra modum, *ea de causa & cicadarum præparat. pulvis exhibetur*, ut *aquam per urinam expellat.*

Spir. Junip.

Tympanites est ventosus hydrops aut aqua intercutanea, in qua intestina ex collecto nubiloso aëre aut flatibus repleto, distenduntur. Venter pulsatus in Tympanite sonum instar Tympani edit, & ut plurimum dolores circa umbilicum percipiuntur, qui nullis remediis applicatis mitigantur. *Hi dolores qui prodromi esse solent tympanitidis, ut plurimum lethalem & incurabilem morbum portendunt.* In Tympanitide uti licebit communibus remediis supra annotatis, quibus tamen cum foris tum intra ventrem administrandis admiscenda erunt flatus discutientia. Intra corpus itaque crebro assumat rotulas Diacymini; venter vero inungatur sequentibus oleis.

Tympanitidis singularia.

Ol. cymini stillat. multo id præstat efficacius.

♃. Ol. nardi, rutæ de Absinth. an. ℥ s. Post inunctionem ventri imponatur cerotum stomachicum, cujus descriptio in officinis extat. Paracentesis sive cutis incisio aut perforatio usque ad peritonæum, magis in Tympanite quam aliis speciebus hydropis convenit, sed cavendum ne intestina lædantur.

Paracentesis tympaniticis utilis.

Ascites est aquosi humoris plurima inter membraneam peritonæi tunicam & intestina collectio. Ab ἀσκίτῃ, id est, utre repleto nomen habet. Ad hanc speciem omnia remediorum genera, quæ supra annotavimus & ὑδραγωγὰ dicuntur, potissimum autem ex Gratiolæ herba confecta, conveniunt. *Quid enim hæc herba possit in ascitide præter experientiam etiam Ioh. VVierus in cura hydropis testatur.*

Ascitidis remedia.

12. San-

12. *Sanguinolenta Fluxio epatis quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curanda?*

Fluxus hepaticus quid.

Alvi profluvia, excepta Dysenteria, lienteria, & quæ ex corruptis cibis in ventriculo oriuntur, omnia ferè ex vitio Epatis originem ducunt. Ex ejus enim imbecillitate & vitiosorum humorum in eo redundantia profluit per alvum materia biliosa, mucosa & pituitosa, nigra & melancholica, & nonnunquam sanguinolenta. De qua alvi profluxione nunc nobis sermo erit. Differt autem plurimum sanguinolenta per alvum excretio, quæ ex imbecillitate epatis profluit, à cruento alvi profluvio, quod ex erosione intestinorum provenit & dysenteria nominatur. In Dysenteria enim una cum sanguine rasuræ quædam sive ramenta profluunt, *& quidem insigni cum dolore ventris*; sed in Epatico fluxu nihil tale conspicitur, sed profluit sanguis dilutus, tanquam aqua sanguine tincta, *maxime ex parte absque dolore, vel levi saltem cum dolore dextri hypochondrii*, & is fluxus nonnunquam per 2. vel 3. dies supprimitur, & rursum redit, quod in dysenterica fluxione minimè contingit. Est itaque sanguinis ex Epate fluor sanguinis nondum perfectè cocti & ob retentricis Epatis facultatis imbecillitatem excretio, primum per venas Mesaraicas ad intestina, ac deinde per alvum.

Quomodo à dysenteria differat.

Quid excernatur in hoc affectu.

Causa.

Causæ προηγουμέναι sanguinolenti ex Epate fluxus sunt, imbecillitas Epatis ex aliqua intemperie, aut imbecillitas & dilatatio venæ portæ & Mesaraicarum. Item venenosa qualitas in substantia Epatis aut venis ejus impacta. Προκαταρκτικαὶ causæ sunt violentæ Epatis compressiones & venenosa alimenta potionesque haustæ.

Signa.

Signa profluvii Epatici: Sanguis per alvum profluens dilutus est, & aquæ, in qua recenter mactatorum animantium carnes sunt elotæ, similis, nihilque abrasum in eo conspicitur, qui fluxus nonnunquam duorum aut trium dierum spatio supprimitur, deinde rursus redit malum, excernunturque cum sanguine excrementa prioribus multo pejora.

Curatio.

CURATIO Epatici fluoris potissimum consistit in remotione intemperiei Epatis & corroborationis facultatum tum sanguificatricis, tum retentricis. Quibus autem mediis & remediorum generibus utrumque perfici debeat, & quomodo singularum intemperierum contraria remedia sint adhibenda, supra in curatione imbecillitatis Epatis abundè declaratum est. In genere autem primum vena Epatica dextri humeri est secanda, deinde ex venis Epatis, vitiosi humores sunt subducendi sequenti haustulo.

Vena sectio.

Haustus purgans.

℞. Rhab. el. ʒ II. fol. senæ ʒ I. spic. Indic. ℈ I. contusa parum macerentur in aq. Veronicæ ʒ V. per noctem, deinde leniter ebulliant, & post unam ebullitionem exprimantur, liquorque percoletur, colato jusculo admisceantur Elect. lenit. ℥ s. Postea corroboretur Epar singulis diebus, devoratis duabus rotulis Aromatici rosati; ac tandem exhibeantur, supprimendi sanguinis gratia, ea remedia, quæ supra in dysenteriæ curatione sunt commemorata: aut exhibeatur sequens pulvisculus.

Epar roborantia.

Pulvis egregius. Sal corallorum & essentiam croci ♂ Chymici hic exhibent feliciter.

℞. Rhab. torrefacti ʒ I. visci quercini, coral. rub. an. ʒ II. cornu cervi usti præparati ℈ II. pulverata commisceantur, cujus ʒ I. mane ac vesperi cum aqua Veronicæ potanda exhibeatur & detur.

Topica remedia dextro hypochondrio applicanda, in curatione imbecillitatis Epatis sunt præscripta. Confert autem dextrum hypochondrium sequentibus oleis bis singulis diebus inungere & confricare.

Linimentum.

℞. Ol. cyton. è Mastic. an. ℥ s. ol. Absinth. ex flor. destillat. ʒ I. commisceantur, fiat linimentum.

SECTIO II.
DE MORBIS LIENIS.

I. *Splen sive Lien quid, qui ejus Morbi?*

Lien quale viscus.

SPlen est viscus ex terrestriori parte seminis concretum, & ad recipiendam terrestriorem partem sanguineæ massæ, qua plurimum delectatur & nutritur, in sangui-

nis

Ejus situs. nis purificationem conditum. Situm habet in ſiniſtro hypochondrio, ſuaque cavitate ventris ſiniſtram partem, tanquam manu complectitur, in ejuſque fundum inſignem meatum defigit, per quem aliquo modo ſuum nigrum excrementum exonerat. Afficitur autem omnibus fere morbis ac ſymptomatibus quibus Epar affici diximus. Sunt itaque Lienis præcipui morbi:

Affectus Lienis principales.

Imbecillitas Lienis,
Inflammatio,
Obſtructio,
Tumor durus,
Apoſtema,
Icterus niger,
Scorbutus.

2. *Imbecillitas lienis quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & ut curanda?*

Splenetici qui. Ἀτονία τοῦ σπληνὸς eſt ubi ſuis naturalibus facultatibus aut attractiva aut retentiva, aut alterativa aut expulſiva diminuitur ſplen: ita affecti σπληνικοὶ, id eſt lienarii nominantur.

Cauſa. Cauſæ προηγουμέναι imbecillitatis Lienis ſunt aut excellens caliditas, frigiditas, humiditas & ſiccitas: aut vitioſus aliquis humor cum hiſce intemperiebus junctus.

Προκαταρκτικαὶ ſunt alimenta συμμετρίαν ac temperiem nativam lienis deſtruentia, & remediorum inſigniter alterantium ſiniſtro hypochondrio applicationes.

Signa. Intemperiei frigidæ. Signa Δυσκρασίαν & inde natam imbecillitatem indicantia ſunt: Frigida intemperies, qua ut plurimum afficitur lien, eo quod natura ſit viſcus frigidum, & frigidiore parte ſanguinis nutriatur, dignoſcitur, quod ab omnibus alimentis & medicamentis frigidis læditur, & in eo moleſtus dolor excitetur, juvetur vero calidis. *Calidæ.* Calidam ejus intemperiem demonſtrat, alimenta & medicamenta calidiora ſi adhibeantur, itidem læditur Lien, frigidis autem juvatur. *Siccæ. Humidæ.* Similiter ejus ſicca intemperies ex offenſione ab exſiccantibus, & humida ab humidorum uſurpatione noxia, & contrariorum auxilio deprehenditur.

Signa humoris affluentis. Hæ intemperies Lienis ſi ſimul adfluentem ſibi habeant ex Epate ſuperfluum aliquem humorem, tum in dextro hypochondrio pro ratione quantitatis tumeſcentia percipitur, & ſiquidem bilioſior ſanguis in lienem defluat, tum totum corpus calidius ſqualidiuſve redditur, & laborantem ſubinde infeſtant ſitis moleſta, vigiliæ & oris amaror, proni que ſunt ad tertianam febrim. *Bilioſi.* *Melancholici.* Si vero copioſa ac vitioſa atra bilis in eundem profluat, lingua & facies ſubnigra apparebit, febrique quartana corripi apti ſunt. *Pituitoſi.* Pituitoſum ſanguinem in Lienem defluere arguit linguæ continua humiditas, cibique, potuſque faſtidium; & ſi febricitare eis contingat, quotidiana apprehenduntur.

Prognoſtica. Prognoſtica ſunt: Debilitas lienis, ſi ejus curatio tempeſtiva negligatur, in febrem quartanam vel Icterum nigrum aut ſcorbutum, vel Hydropem ægrotantem conjicit. *Sæpiſſimè & melancholiam hypochondriacam comitem habet.*

Curatio. Curatio Imbecillitatis Lienis pro diverſitate intemperiei & affluentis humoris ſpecie varianda erit. Porro in curatione omnium affectuum Lienis obſervandum eſt, curationem ſimilem eſſe debere curationi affectionum Epatis, niſi quod in Lienis curatione remedia tanto debent eſſe validiora & magis penetrantia, quanto Lienis ſubſtantia craſſior & rigidior eſt ſubſtantia Epatis. *Cautela.* Id quoque obſervatione dignum eſt, vehementer calefacientia & in alimentis & medicamentis, in Lienis curatione vitanda eſſe. Calida enim exſiccando facillimè indurare poſſunt materiam in eo contentam. *Unde remedia petenda.* Tota itaque curatio Lienoſorum conſiſtit in victus ratione, & medicamentorum, tum intra tum extra corpus, uſurpatione, & adfluentium humorum ſubductione, quæ omnia enumerata ſunt paulò ante in curatione imbecillitatis Epatis per diverſitatem intemperierum & humorum adfluentium. In univerſum autem imbecillitati Lienis ex calida intemperie ortæ perpetuo & alimenta & remedia refrigerantia ſunt adhibenda, ex frigida ortæ calida, ex ſicca humida,

Specificum ad 7. membra principalia, hic non inconvenienter adhibetur. ex humida ficca. Humores fimili ratione affluentes primum ad eductionem præparandi, deinde convenientibus remediis evacuandi funt, adjectis femper Lienem fua proprietate confortantibus atque refpicientibus.

Vide Tom. 1. p. 129. Talium remediorum copiam fupra in tabellis noftris medicamenta complectentibus, & in curatione imbecillitatis Epatis ex humorum coacervatione ortæ, & in fequentibus lienis affectionum curationibus præfcribemus & enumerabimus.

Venæ fectio. At ubi venæ fectione opus fuerit (opus autem eft in plethoricis corporibus) Imbecillitate Lienis laborantibus, vena Lienaria feu Epatica vocata, femper eft aperienda, & quidem in finiftro humero aut finiftra manu inter minimum & annularem digitum.

3. *Inflammatio lienis quid, quæ ejus caufa, quæ figna, & quomodo curanda?*

Φλεγμονὴ τ̃ σπληνός. Etfi rarius, afficitur tamen nonnunquam & Lien, uti reliqua vifcera, inflammatione.

Lienis inflammatio ut à calida intemperie differat. Differt autem inflammatio à calida intemperie extenfione & fymptomatum gravitate. Inflammatio enim magis urit & acerbat partes affectas, quam fimplex calida intemperies.

Caufæ. Caufæ προηγούμεναι funt maffæ fanguineæ in Epate ante fegregationem vel putrefactio, vel accenfæ bilis flavæ una cum terreftriori parte defluxio ad lienem: προκαταρκτικαὶ funt cibi ac potiones, aut etiam medicamenta impenfe calefacientia, fi potiffimum in imbecillitate lienis à calida intemperie orta ufurpentur.

Signa. Signa inflammati lienis funt, fervor, gravitas, diftenfio, intumefcentia, & dolor in finiftro hypochondrio, quæ figna, *uti & interdum delirium*, veluti fymptomata, inflammationi lienis per vices fuccedunt.

Prognoftica. Prognoftica in Inflammatione lienis: Si ex finiftro nare fanguis copiofe profluat, magnum adfert juvamentum, & plerumque morbum folvit. Si vero ex dextro nare paucus fanguis extillet, nullum adfert juvamentum, & ut plurimum pernitiofum eft fignum. Nifi inflammationi Lienis tempeftivè fuccurratur, in fcirrhum indurefcit Lien, & in perniciem vitæ vergit.

Curatio inflammati Lienis confiftit in victus ratione, venæ fectione, inflammatorum humorum evacuatione, & vifcerum adeoque lienis corroboratione, calorisque in eo mitigatione per remediorum & intra & extra corpus ufurpationem. *Curatio.*

Victus ratio inftituenda eft qualem in inflammatione Iecinoris præfcripfimus, nimirum refrigerans & corroborans. In cibo itaque potiffimum conveniunt cremor Ptifanæ, Pruna Ungarica acida, carnes pullorum, vitulorum, avicularum: Ex pifcibus melanuri & in faxofis rivulis degentes. Condienda funt alimenta uvis immaturis, pomis arantiis & Limoniis vocatis, atque aceto, quibus addi poffunt fructus capparum, cum aceto & pauxillo olei. In Potu concedi poteft vinum tenue aut Rhenanum cum aqua hordei probe dilutum. *Diata.*

Ante venæ fectionem non tantum in hoc malo, fed & in omnibus affectionibus venæ fectionem efflagitantibus femper alvus durior eft lubrificanda, & feces exturbandæ; fi id naturali expulfione perfici nequeat, faltem arte eft moliendum vel per glandes, vel per Clyfterem, vel bolum catharticum: Glandes autem ita confici debent. *Lenitiva ante venæ fectionem ufurpanda.*

℞. Mellis crudi ℥ s. coque in vafculo vel ferreo vel æneo donec ejus guttula in difcum ftanneum butyro inunctum projecta & forti inflatu per difcum extenfa refrigerataque rumpatur. Tandem adhuc calido melli admifceatur pul. Trochifc. Alhand. ʒ 1. ex quibus tepentibus glandes digiti longitudinem æquantes, & paulo craffiores calamo arundinaceo conformentur, quorum unus recto inteftino inferatur. Enema parari poteft hoc modo. *Suppofitoria acuta ut conficienda.*

℞. Malvæ, Violar. Mercur. an. M. 1. flor. Chamæm. rofar. an. P. 1. fol. fenæ ℥ s. concifa coquantur in q. s. ad medias, colentur, colati juris accipe ℔. 1. cui admifce

 diaca-

diacathol. ℥ I. Elect. rosar. Mes. ℥ s. ol. violar. ℥ II. salis communis ʒ I. fiat Clyster, ac recto intestino tepidus infundatur. Bolus autem catharticus ita parabitur.

Bolus. ℞. Pulp. Cass. recent. extractæ ʒ x. pul. Rhab. ℈ II. commisceantur & pulvere saccari conspergantur, fiat bolus, quem æger una ante prandium hora deglutiat.

Venæ sectio. Evacuato alvo, si nec ætas, nec virium imbecillitas obstat, statim vena lienaria sinistri humeri, aut ejus ramus inter minimum & annularem digitum sinistræ manus secetur. Sanguis autem per vices ter vel quater totidem diebus detrahatur. Sæpe enim sola sanguinis missione lienis inflammatio ablata fuit. Post sanguinis missionem humor melancholicus accensus (vel ex sanguine emisso, vel forte per nares erumpente, vel bilis flavæ vel pituitæ signa apparent) vel per pharmaca, vel per frequentem reiterationem Clysteris inflammati humores subducendi erunt: In hunc usum haustulus convenientissimus ita parari potest.

Haustus melanagogus. ℞. Rhab. ʒ I. Fol. senæ ʒ II. Ellebori nigri præpar. id est una ebullitione cocti & rursum exsiccati ʒ I. contusa macerentur per noctem in aq. fuma. ℥ v. deinde leniter ebulliant, & expressa colentur, colato juri admisceantur diacath. ʒ v. fiat haustulus, 6. horis ante prandium exhauriendus. Tandem rursus concoquatur, & extenuetur humor Melancholicus sequenti decocto.

Decoctum attenuans, abstergens & evacuans. ℞. Rad. Polypod. Borag. Cichoreæ an. ℥ s. ceterach. scolopendriæ Card. Bened. Centau. min. an. M. s. Epythymi P. I. conf. Borag. violar. fuma. an. ℥ I. hordei M. s. uvar. pass. exemtis sem. ℥ I. Ellebori nigri præparat. Rhab. an. ʒ II. concidendis concisis & contundendis contusis coquantur in duplici vase per 2. horas cum ℔. IIII. vel aq. puræ aut seri lactis caprini, refrigerata colentur, colato juri admisc. syr. è succo fumar. Borag. an. ℥ II. fiat potio, cujus ℥ v. calidæ singulis diebus mane ebibantur. Hæc enim potio in liene crassiores humores attenuat, abstergit, & simul subducit, æstusve eorum refrigerat. Si vero hæc ipsa potio validius purgare deprehendatur, & sit, qui alvum natura lubricam habeat, tum alternis tantum diebus patiens ea uti poterit. Interim Lien quotidie corroborabitur aut rotulis diatrion santal. aut diamargaritonis frig. mane ac vesperi devoratis, vel sequenti Elect. *Confortantia lienem.*

Electuarium. ℞. Conser. Borrag. Buglos. flor. fuma. an. ℥ s. spec. elect. de Gemmis, diarhodon. Abbat. an. ʒ s. pul. coral. rub. præpar. ʒ I. syr. acetos. citri q. s. fiat Elect. cujus semijuglandis q. devoret æger mane ac vesperi.

Topica. Interea & Topica remedia fervorem lienis mitigantia minimè negligenda erunt. Cavendum autem est studiosè, ne Topica pharmaca actu sive sensibiliter frigida lienis regioni applicentur. Facile enim lien à frigidis intumescit & scirrhum contrahit. Commodissimè autem sinistro hypochondrio applicari possunt linteola duplicata madefacta in vino tepido, eoque austero, cui admixta sunt ol. cyton. & Anethinum. Vel *Epithemata.*

℞. Ol. rosar. Masti. an. ℥ I. aceti vini ℥ s. misce, in quibus tepidis lana carpta imbuatur, quæ extensa fomenti instar sinistro hypochondrio imponatur: aut conficiatur sequens sacculus.

Sacculus. ℞. Fumar. Asple. Scolopend. Rosar. plantarum an. M. I. Flor. Absinth. Anethi an. M. s. Furfuris siliginei M. I. consuantur in sacculum & intersuantur, & in q. s. æ. p. aceti & aquæ, vel vino austero ebulliant, qui expressus ac tepidus sinistro hypochondrio applicetur. Aut inungatur regio lienis sing. diebus bis sequentibus oleis simul mixtis.

Linimentum. ℞. Ol. Rosar. cyton. è Mastic. an. ℥ s. Aceti Rosar. ʒ II. commisc. Reliqua remediorum genera cum interna, tum externa Topica inflammationi Lienis convenientia, ex curatione inflammati Jecinoris peti, & huc transferri possunt.

4. *Tumor durus lienis quid, quæ ejus causa, quæ signa, & qua ratione curandus?*

Scirrhus lienis quid. Σκίῤῥος τοῦ σπληνός, duricies splenis est, ubi post inflammationem aut obstructionem Lien in duriciem convertitur. Est enim Lien, cum

cum propter substantiæ suæ raritatem, tunc propter sanguinis quo nutritur feculentiam & crassitiem inter reliqua viscera maximè duro tumori obnoxius.

Causa. Causæ προηγουμέναι sunt humor melancholicus in lienis poris cavitatibusque collectus, flatulenti spiritus in liene coacervati, obstructio & inflammatio ejus diuturna.

Προκαταρκτικαὶ, crebrior usus crassorum alimentorum & leguminum, medicamenta impensius refrigerantia sinistro hypochondrio intempestivè imposita, & perversa inflammati Lienis ac imperita curatio, violentus ictus in sinistrum hypochondrium.

Signa. Signa indurati intumescentisque lienis sunt duricies sinistri hypochondrii, tumor oblongus & eminens per transversum hypochondrii, qui tumor, si ab humoribus melancholicis sit generatus, renitens & pertinax est, nec cedit impressioni digitorum, adest quoque gravitas & dolor. *Scirrhi ex humore melancholico.* Si autem flatus in liene collecti excitarunt tumorem, *Tumoris flatulenti.* tum impressioni digitorum non adeo renititur, nec gravitas in sinistro hypochondrio sentitur, sed distensio tantum. His signis processu temporis accedunt hæc sequentia. *Symptomata varia scirrhum lienis comitantia.* Inter ambulandum respirationis difficultas, fœtor oris, gingivarum exulceratio, & pedes quibusdam intumescunt, & color cutis convertitur in lividum, difficulter patientes in sinistro latere decumbunt, & decumbentes dolorem usque ad collum in sinistro latere protensum sentiunt.

Prognostica. Prognostica: Diuturnam Lienis duriciem, intumescentiamve utplurimum propter sympathiam cum jecinore sequitur hydrops. Exquisitus Lienis scirrhus incurabilis esse judicatur.

Curatio. Curatio intumescentiæ Lienis in victus ratione, venæ sectione, humorum terrestrium ac tenacium præparatione & expurgatione, topicorumque remediorum, duriciem emollientium, applicatione sita est.

Victus ratio. In victus ratione conveniunt ante alia fercula capparum ex aceto esitatio & aceti vinacei crebra gustatio. *Cibus conveniens.* Ex animalibus conducunt carnes boni succi, & facile concoquibiles, veluti sunt vitulorum, pullorum, avicularum, perdicum, oviculatum: & ex piscibus, melanuri seu percæ aculeatæ & grobi **Gründeling** ex sale cocti, & aceto vinaceo intincti. Condiri possunt edulia omnia aceto vini, zinzibere, cinamomo & macere, piperis autem usus parcior esse debet. Vitanda autem sunt omnia pinguia, dulcia, & concoctu difficilia. *Potus.* In potu vino utatur potius Rhenano, & diluto cum aqua, in qua chalybs vel candens ferrum aliquoties est extinctum. Cerevisia concedi potest absinthiaca, vel probe lupulata, aut in qua macerata sunt aut fumar. vel ceterach, vel scolopendria.

Venæ sectio. Venæ sectio administranda est in principio tantum intumescentiæ, & in plethoricis corporibus. Secanda autem est vena Lienaria sinistri humeri, aut ramus lienariæ inter minimum & annularem digitum protensus. Si quid autem venæ sectionem impediat, consultissimum erit, ut hæmorrhoides vel per medicamenta, vel per hirudinum applicationem aperiantur. *Hæmorrhoides aperiendæ.* Porro ante venæ sectionem, si alvus sit adstricta, in omnibus fere affectionibus semper vel glande vel clystere, quod in præcedente curatione descriptum fuit, lenienda & aperienda erit, ex eaque excrementa educenda, & venarum Mesaraicarum orificia eluenda.

Evacuantia. Post venæ tandem sectionem & vitiosi succi ex vena portæ, & ex venis quæ ex porta in lienem protensæ sunt sequenti bolo expurgandi.

Bolus. ℞. Cass. recent. extra. ʒ x. conspergantur pul. saccari, & hora una ante prandium devorentur. Aut

Haustus. ℞. Fol. senæ ʒ II. Rhab. ʒ I. Anisi ʒ s. contusa macerentur per noctem in aq. fuma. ℥ v. mane ebulliant, & expressa colentur, colato jusculo admisc. diacathol. ʒ v. fiat haustus.

In reliqua medicatione & remedia omnia, quæ in scirrho epatis sunt enumerata conveniunt, nisi quod quanto lien Epate est rigidior, tanto debent esse fortiora. *Vid. p. 365 sup. Sect. 1. hujus Libri.* Sequentibus tandem post lenem purgationem 4. vel 5. diebus extenuentur, conco-

quantur & præparentur craſſi, tenaceſque, & terreſtres humores lieni impacti. In quem uſum plurimum conducit mane ac veſperi uti hauſtu oxymelitis, non quidem ejus, quod in Myropoliis inter ſyrupos habetur, ſed parato ex puriſſimi mellis ℔. 1. & aceti vini ℔. 4. ſimul commixtis, decoctis, & ſubinde à ſpuma defecatis, ad potionisque formam redactis: aut ubi abeſt calor febrilis, convenit exhibere mane ac veſperi pro una vice 2. cochlearia aq. Juniperi, aut gutt. 9. ol. Vitriol. cum 4. cochlearibus aq. card. bened. aut ℥ v. mane ac veſperi, ſequentis potionis.

Oxymel.

Decoctum digerens & attenuans.

℞. Cort. Tamariſci, rad. Ebuli, polypod. an. ℥ s. Ireos, cort. rad. fraxini an. ʒ II. ſcolopend. ceterach. capil. Vener. roriſmar. centau. min. an. P. I. ſem. agni caſti, geniſtæ, ſem. periclymeni an. ʒ I. Epithymi, ſcordii, chamædris an. p. I. contuſa & conciſa macerentur per diem & noctem in ſeri lactis caprini ℔. 4. & aceti vini ℔. I. quibus addantur mellis puriſſ. & defecati ℔. s. & in cantharo probè obturato per duas horas coquantur, poſtquam refrixerint, percolentur, fiat potio. Exhauſta hac potione rurſum validiori purgatione terreſtres humores ex liene ſubducantur.

Hauſtus melanagogus fortior.

℞. Confect. Hamech ʒ VIII. aq. fumar. ℥ v. miſceantur, fiat tepida, ſex horis ante prandium ebibatur. Reliquis deinde poſt evacuationem diebus, iis remediis uti poſſumus cum ſimplicibus tum compoſitis, quæ ſpecifica proprietate lienis tumores extenuant, & corroborant ejus ſubſtantiam, inter quæ præſtantiſſimum eſt remedium ʒ I. Trochiſ. è cappare crebrò cum vino hauſta, aut ʒ I. ſequentis pulviſculi.

Lienem roborantia.

Pulvis.

℞. Rad. Tamariſci, Capparum, Herb. ſcordii, ceterach. an. ʒ I. ſem. hyperici, ſem. periclym. fol. cent. min. ſem. Agni caſti an. ʒ s. pulveriſentur tenuiſſimè, & commiſc. fiat pulvis, de quo una vice ʒ I. cum vino, in quo ferrum eſt extinctum, ebibatur. Similiter plurimum conducere creditur ʒ I. ramenti vel raſuræ ferri, cum aceto benè præp. Interea dum hiſce utimur remediis internis, Topica quoque foris lienis duriciem emollientia & reſolventia ſtudioſè ſunt uſurpanda, & quidem omnia tepida ſiniſtro hypochondrio applicanda. Inungatur itaque lienis tumeſcens regio ſingulis diebus bis ſequenti linimento.

Eſſen. croci ♂ à Crollio in hunc uſum commendatur.

Topica.

Linimentum.

℞. Ol. de cappare ℥ s. ol. ex fraxino per deſcenſum deſtillati ʒ II. medullæ crurum vituli ʒ III. mucag. ex ſem. lini, & rad. Alth. in aceto macerat. confecti ʒ III. Gummi Ammon. in acet. reſolut. ʒ I. s. commiſceantur, fiat linimentum. Poſt inunctionem imponatur Emplaſtrum tumori, ex gummi Ammon. cum aceto liquefacto, & per linteum inſtar Emplaſtri extenſo: aut imponatur crebro tumenti loco ſequens cataplaſma.

Emplaſtrum.

Cataplaſma.

℞. Rad. Malv. Alth. lil. alborum, Scyllæ, omnium viridium an. ℥ III. Ficuum n. x. conciſa coquantur cum aceti q. s. deinde contundantur, & in formam pultis reducantur, quæ per duplicatum linteolum tepida extenſa applicentur Lieni bis per diem.

In hunc ipſum uſum conveniunt Emplaſt. de Meliloto, & Emplaſt. Diachylon ſimplex. Prodeſt & lienem bubalum recenter exemptum & adhuc tepentem tumenti Lieni applicare. Sacculo quoque ita concinnato, & in aceto decocto tumor foveri utiliſſimè poteſt.

Splen bovis adhuc calidus applicandus.

Sacculus.

℞. Flor. ac fol. centau. min. ſcordii, ſcolopend. ceterach. an. M. II. Rad. Alth. ſem. Malvæ an. ℥ s. cort. rad. fraxini & cort. cappar. an. ℥ I. contuſa ſacculo inſuantur, & in aceto decoquantur.

5. *Obſtructio ſplenis ſive oppilatio quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quomodo reſeranda?*

Obſtructio lienis quid.

Ἔμφραξις τοῦ σπληνὸς eſt ubi vel venoſus meatus ex Epate in ſplenem implantatus per ejuſdem medietatem ad fundum ventriculi protenſus, vel cavernulæ ipſius Lienis (eſt enim ejus ſubſtantia inſtar ſpongiæ cavernoſa) terreſtri melancholicoque humore ſolo aut craſſa pituita commixto, infarciuntur obſtruunturque. Cauſæ προηγούμεναι, intemperies imbecillitasque ſegregatricis facultatis in Epate, & fæculenti melancholicique humoris copia & craſſities, vel pituita lenta huic admixta: προκαταρκτικαὶ ſunt alimenta craſ-

Cauſa.

craſſum terreſtremque ac pituitoſum ſanguinem generantia, & mœror animi ac triſtitia Lienem exſiccans ac refrigerans. *Hipp. lib. 4. de morbis aliam addit cauſam, videlicet nimiam aquæ ingurgitationem, quæ niſi expurgetur per veſicam & ventriculum, lienem obſtrui & attolli.*

Signa. Signa obſtructionis lienis ſunt, dolores ac punctiones in ſiniſtro hypochondrio, appetentiæ proſtratio, & ut plurimum urina apparet ſubnigra, reſpiratioque redditur difficilior, & pedes plerumque intumeſcunt.

Prognoſtica. Prognoſtica ſigna ex lienis obſtructione: Si ejus curatio diutius protrahatur, graviſſima infert ſymptomata, duriciem videlicet lienis, icterum nigrum & hydropem.

Curatio. Curatio obſtructi lienis per omnia ferè congruit cum curatione obſtructi Epatis, niſi quod hic remedia cum interna tum externa debeant eſſe paulo validiora. Conſiſtit autem curatio univerſa in venæ ſectione, convenienti victus ratione, & remediorum uſurpatione. Ante venæ ſectionem emolliatur alvus feceſque ſubducantur ſeq. Enemate.

Enema. ♃. Malvæ, Mercur. an. M. I. centau. min. fuma. an. M. ſ. conciſa coquantur in q. ſ. aquæ ad tertias, colato juri admiſceantur confect. hamech ℥ I. ſ. ol. chamæm. ℥ III. ſalis ʒ I. fiat Enema, quod recto inteſtino tepidum infundatur: aut exhibeantur una hora ante prandium caſſ. recent. extract. ʒ x. quæ ſaccaro conſperſæ devorentur.

Vena ſectio. Poſt fecum ex alvo eductionem, ſi ætas & vires tolerant, ſtatim in principio obſtructionis ſecetur vena lienaria, & ſanguis per intervalla venam ſubinde comprimendo, detrahatur, donec côloris ſanguinis aliqua alteratio compareat. Si autem vena lienaria in humero conſpicua non ſit, tum ea quæ inter digitos minimum & annularem conſtituta eſt, aut ſub talo ſiniſtri pedis commode aperiri poteſt.

Diæta. Victus ratio debet eſſe incidens & extenuans & boni ſucci, conducunt itaquê carnes pullorum, vitulorum, avicularum: & piſces Melanuri & ſim. Debent autem edulia condiri aceto vini & aromatibus extenuantibus, & modicè calefacientibus, ut croco, zinzibere, cinam. rad petroſ. fol. majo. & ſaturejæ. In potu vinum guſtare Rhenanum utiliſſimum erit.

Medicatio dirigenda eſt ad extenuationem craſſorum humorum, & potiſſimum melancholicorum lieni impactorum. Incidit craſſos humores & aperit viſcerum obſtructiones ol. vitriol. ejus gut. 9. aut paulo plures paucioreſve pro robore & conſtitutione corporis cum hauſtu aq. card. bened. mane ac veſperi per aliquot dies ebibantur. Aut ſi corporis intemperies ad frigiditatem vergat, commode ad extenuationem craſſorum humorum mane ac veſperi 2. cochlearia aquæ Juniperi exhiberi poſſunt: aut ſequens potio præparat craſſos humores in liene impactos ad eductionemque habiles reddit. *Remedia aperientia & extenuantia.* *Spir. Vitrioli.* *Spir. Juniperi.*

Decoctum digeſtivum. ♃. Rad. polypod. Glycyr. cappa. an. ʒ III. ſem. Aniſi, fæn. viticis an. I I. Ceterach. card. Bened. veronicæ, cent. min. an. M. ſ. Thymi, Epithymi an. ʒ I I. cinam. ʒ I. paſſ. min. ℥ I. Concidenda concidantur & contundenda contundantur, quibus admiſceantur conſer. fuma. ℥ I I. quæ in cantharo ſive duplici vaſe cum aq. ℔. I I. & aceti vini ℔. ſ. ad duas horas concoquantur, refrigerata colentur, & colato juri admiſc. Syr. è ſucco fuma. è ſucco Card. Ben. an. ℥ I I. fiat potio, de qua per 4. aut 5. dies mane ac veſperi ebibat æger ℥ v. tepefactas, ſexto tandem die extenuati humores detrahantur ex liene ſequenti hauſtulo. *Tartari Vitriolati ℈ I. cum aqua ſplenetica aliquoties reiterat. idem præſtat.*

Hauſtus purgans. ♃. Diacath. el. lenit. an. ℥ ß. confect. Hamech ʒ I I. aq. Card. Bened. ℥ I v. Miſceantur, fiat hauſtus, qui 6. horis ante prandium tepidus ebibatur. Tandem rurſum reliquiæ craſſorum humorum extenuentur, cum antea deſcripto remedio, rurſumque ſecundario purgentur: idque ſingulis ſeptimanis ſemel, donec lien ab omni liberetur obſtructione. *Reuſnerus in Tractatione de Scorbuto & alii diureticis hic multum tribuunt, uti ſunt, Sal parietariæ cum liquore oculorum cancri, liquor Cryſtalli, Sal ononidis & ſimilia.* Interim autem & Topica remedia foris ſtudiosè applicanda, & lien convenientibus remediis corroborandus erit: Foris itaque bis in die *Non confeſtim ſed lente & per intervalla purgandum.* *Topica.*

inungatur ſiniſtrum hypochond. ſequenti linimento.

Linimentum. ♃. Ol. è Cappar. hyperico. è maſtic. nardini an. ℥ II. ceræ parum, fiat linimentum, eluatur bis cum aceto roſar. aut foveatur ſiniſtrum hypoch. ſeq. remediis in oblongiuſculum ſacculum conſutis, in vinoque coctis expreſſis, calidiſque lieni applicatis.

Sacculus ſpleneticus. ♃. Flor. Abſinth. Chamæm. Meliloti, Malvæ an. M. I. Aſplenii, Scordii, Major. Valer. an. M s. Rad. Alth. Cappar. an. ℥ s. Baccarum Junip. ℥ I. Concidenda concidantur, & contundenda contundantur, fiat ſacculus.

Lienem confortantia. Porro inter potionem extenuatoriam & inter expurgantia pharmaca, pro corroboratione Lienis plurimum conducit mane ac veſperi duas rotulas devorandas ægroto exhibere, aut diacurcumæ, aut dialaccæ, vel ℥ s. Myrobal. chebulorum cond. Præter præſcripta remedia pro calida aut frigida intemperie Lienis uti licebit omnibus remediorum generibus quæ ſupra in curatione jecinoris obſtructi, & in curatione duri tumoris lienis paulo ante ſunt commemorata.

Vinum ſcolopendriæ & chamædrios admodum juvat ſpleneticos.

6. Icterus niger quid, quæ ejus cauſæ, quæ ſigna, & qua ratione curandus?

Icterus niger quid. Μέλας ἴκτερος, niger ſeu ater regius morbus. Quemadmodum obſtructo meatu veſiculæ bilis nequit in Epate flavæ bilis ſegregatio fieri, ſed ipſa regurgitat in Epar, ibidemque ſanguineam maſſam inficit, & inde in univerſo corpore flavus color extenditur: ita in obſtructione meatus, qui ex Epate in lienem, & inde in fundum ventriculi protenſus eſt, aut ubi venæ ac meatus in liene obſtruuntur, tum melancholicus humor in Epar regurgitat, & cum ſanguine in totum corpus diffunditur, totumque corpus ſubnigro colore tingit: quæ lienis affectio, Icterus niger ſeu morbus Regius ater nominatur.

Quomodo generetur.

Cauſæ. Cauſæ Icteri nigri προηγούμεναι ſunt ſegregatricis facultatis in epate ob ejus intemperiem, imbecillitas, aut attractivæ potentiæ in liene debilitas, aut copia & craſſities limoſi & melancholici humoris, meatum venaſque ac cavernulas lienis obſtruens: προκαταρκτικαὶ ſunt, frequentior uſus alimentorum ſanguinem craſſum generantium, veluti ſunt carnes, piſceſque fumo durati aut aridi, & leguminum genera crebrius eſitata, item morſus violentorum quorundam animalium.

Signa. Signa morbi Regii nigri manifeſta ſunt, univerſi enim corporis cutis præter conſuetudinem fuſca ſubnigraque conſpicitur: aliquando etiam propter mixturam flavæ bilis aut pituitæ color cutis ex nigro vireſcens aut lividus aut plumbeus apparet: His accedit & inuſitata animi triſtitia ſine cauſa, & nonnunquam Tumor & obſtructio lienis, dolor & gravitas ſiniſtri hypochondrii. Semper autem & urina ſubnigra apparet.

Prognoſtica. Prognoſticon in Ictero nigro: Ater morbus regius pernicioſior eſt Ictero bilioſo, qui ſi diu perſeveret, negligentius tractetur, in hydropem terminatur: *& pleramque eſt lethalis.*

Curatio. Curatio Icteri nigri in victus ratione, venæ ſectione, & medicamentorum atrum humorem extenuantium & evacuantium, lienemque & Epar corroborantium uſurpatione conſiſtit.

Diæta. Victus ratio univerſa dirigenda eſt ad lienis epatiſque intemperiei in contrarium ſtatum commutationem. Calido itaque liene exiſtente, refrigerantia; frigido vero calefacientia alimenta ſunt præſcribenda, quibus tamen ſemper extenuantia incidentiaq; miſceri debent; quæ autem talia ſint, ſupra in imbecillitatis cum Epatis tum lienis curatione enumeravimus, quæ huc referri debent: Inter ea autem maximè excellit crebrior eſitatio capparum ex aceto, & uſus frequens aceti.

Venæ ſectio. Vena in nigro morbo Regio ſecanda erit lienaria ſiniſtri humeri, aut ramus ejus inter digitos annularem & minimum, niſi forte ſegregatricis facultatis in Epate imbecillitas mali cauſa exiſtat. Tum enim jecorariam venam dextri humeri præſtat aperuiſſe. Verum ſanguis in hoc malo non confertim, ſed per vices detrahendus erit, & ante venæ ſectionem, ut & in reliquis morbis, ſemper alvus leni Clyſtere vel glande ſuppoſitorio exonerandus erit. Enematis autem glan-

glandiſque conficiendi rationem in ſuperioribus docuimus. Poſt venæ ſectionem humor ater ac melancholicus cum in liene tum in toto corpore extenuetur ac præparetur ſequenti potione.

Decoctum digeſtivum. ℞. Aſplenii, Scolopend. Fuma.an. M. I. veronicæ, centaur. min. Epithymi an. M. s. cort. cappar. Thamariſci an. ℥ s. veratri nigri in aceto prius macerati rurſumque ſiccati ʒ III. ſem. Aniſi, Viticis an. ʒ I. s. paſſ. min. ℥ I. contundendis contuſis & concidendis conciſis, coquantur ſimul in cantharo vel duplici vaſe cum ℔. 4. ſeri lactis caprini per 2. horas, refrigerata colentur, colato juri admiſce ſyr. è ſucco fumar. oxymel. ſimpl. an. ℥ II. fiat potio, de qua mane ac veſperi per 4. horas ebibat æger ℥ v. calefactas: tandem purgetur craſſus & ater humor ſequenti hauſtulo.

Hauſtus melanagogus. ℞. Fol. ſenæ ʒ II. epithymi, Rad. Ellebori nigri an. ʒ I. contuſa macerentur per noctem in aq. Fumar. ℥ v. mane leniter ebulliant, expreſſaque colentur & colati juri admiſceantur diacathol. ʒ III. confect. hamech ʒ I. fiat hauſtus, qui ebibatur tepidus in aurora ſex horis ante prandium. Porro præſcriptæ potiones tum extenuantes tum purgantes bis terve reiterari poſſunt, donec melancholicus humor probe fuerit eductus.

Vnde plura remedia petenda. Præter hæc autem remedia ea omnia uſurpari poſſunt, quæ in præcedentibus curationibus obſtructi lienis & indurati commemorata ſunt. *Cautela.* Nota autem ſi melancholico humori bilis flava pituita admixta ſit, id quod ex colore nigro in virorem aut cinericium vergente, dignoſcere licebit, ea remedia in purgationibus ſunt admiſcenda, quæ & bilem flavam, ut eſt Rhab. & ex compoſitis Elect. roſar. Meſ. aut pituitam, veluti eſt Agaricus & Elect. diaphæn. expurgant.

Inunctiones, Fomenta, Sacculi & alia Topica, item lienem corroborantia remedia ex ſuperioribus curationibus lienis petenda erunt.

Epithema. Rurſum notato, ſi Icterus ſive flavus ſive niger in reſolutione virium aut in mulieribus utero gerentibus oboriatur, quibus internis remediis uti non licet, iis utiliſſimum erit plantis pedum & carpis manuum ac volis imponere illigareque ſequens cataplaſma.

Experimentum ſingulare ad omnem icterum ſanandum. ℞. Fol. viſci quercini Eichenkinſter/ aut alterius arboris viridium, Marrub. virid. rad. chelid. maj. an. M. II. conterantur in mortario, adfuſo pauxillo aceti aut vini, fiat cataplaſma. Iiſdem herbis ſi duæ ℔. vini adfuſæ fuerint, ſimulque conterantur, beneque ſubigantur, tandem expreſſa colentur viribus adhuc conſiſtentibus, ſi ℥ 4. per quinque dies tepidæ aſſumantur, & cum eis ſudor eliciatur, omnem icterum diſſipat, ægrumque perſanat.

7. *Scorbutus quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & ut curandus?*

Scorbutus quid. Stomacace Barbaris Scorbutus, & quibuſdam ſatis ridiculè Gingipedium, eò quod in hoc morbo potiſſimum gingivæ & pedes afficiantur, nominatur, & ſanè nihil eſt aliud ſcorbutus, quam gingivarum exulceratio, & pedum circa poplites reſolutio, crurumque variis maculis defœdatio. Eſt autem Scorbutus ex genere morborum, qui *Quibus familiaris.* ἔνδημοι, id eſt, populares vocantur, & in certis tantum regionibus graſſantur. Ita enim Scorbutus omnibus ferè Medicis veteribus incognita eſt affectio, & nuſquam alias homines affligit, quam ſeptentrionalis Oceani accolas. *Quomodo generetur.* Quemadmodum autem ex effuſione bilis flavæ generantur Icterus flavus, & ex effuſione melancholici humoris Icterus niger, ita *ex effuſione ſanguineæ maſſæ, in qua potiſſimũ ſanguis putreſcit & corruptus eſt cum utraque bile & pituita mixta, per totum corpus effuſa, Scorbutus generatur.* Hujus rei indubitatum indicium eſt, quod *Cur gingivæ ſanguinem profundant in Scorbuto.* gingivæ potiſſimum in eo ulcerentur. Cum enim gingivæ inter omnes partes magis puriori ſanguine nutriantur, id quod color earum oſtendit, eò deſtitutæ, putrefactum attrahunt ſanguinem, à quo ſtatim exulcerantur. *Vnde maculæ in cruribus.* Quod vero & pedes in hoc malo afficiantur, inde contingit, quod cum ſanguine putrido bilis atra & pituita ſunt commixta, qui humores ſua gravitate deorſum

ad

ad pedes tendunt, & ligamenta nervosque in poplite gravant ac resolvunt, ac progrediendi facultatem impediunt, unde tandem ad tibias propulsi, in cute tibiarum maculas nigricantes, lividas ac flavas pro humorum commixtorum ratione excitant: Cum autem supra inter morborum gingivæ curationes Scorbuti causas, signa, prognostica & curandi rationem prolixè declaraverimus, ea hoc loco repetere supervacaneum ducimus, sed eo studiosos ablegamus.

Vide l. 2. S. 6. Q. 4. p. 241.

8. *Melancholia seu insania Hypochondriaca quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quomodo curanda?*

Quomodo hypochondriaca melancholia generetur.

Lien est receptaculum melancholici humoris feculentique sanguinis, ubi autem hic impurus & feculentus sanguis in liene corrumpitur ac putrescit, statim excitat præternaturalem calorem, quo & ipse lien & circumjacentia viscera inflammantur, primum quidem lien, deinde venæ Mesaraicæ ex porta epatis lieni implantatæ, tandem & epar & Diaphragma, quibus omnibus inflammatis excitantur in præcordiis flatus & dolores præcordiorum, inde deinceps excitantur fumi, vaporesque accensi, crassi & nigri ex Epate deferuntur primò in cavam venam, ex cava per jugulares in cerebrum, ubi conturbantes animales spiritus cerebrique substantiam inficientes ratiocinationem turbant, & delirii speciem quæ melancholia hypochondriaca dicitur, excitant. Cum autem melancholicæ insaniæ descriptionem & specierum causas, ejus signa & pro causarum varietate curandi modum, inter curationes morborum cerebri abunde tradiderimus, inde petant studiosi, quæ hic brevitatis studio omissa sunt.

Vide lib. 1. S. 2. p. 161.

PRACTICÆ FRANCISCI JOELIS LIBER SEXTUS.

DE RENUM ET VESICÆ MORBIS.

SECTIO I. DE RENUM AFFECTIBUS.

1. *Renes quid, & quibus morbis symptomatisve afficiuntur?*

Renum usus & situs.



Enes sunt duo receptacula ab Opifice in purificatione sanguinis ad attrahendas aquosiores sanguinis partes condita. Siti autem sunt Renes utrinque circa vertebras lumborum, eisque & spuriarum costarum initiis firmissimis membranulis annexi, in quos duo rami ex trunco venæ cavæ orti implantantur, qui venæ emulgentes nominantur.

Morbi eorum præcipui.

Morbi Renum ac symptomata memorabilia sunt octo:

Renum imbecillitas ex intemperie,
Renum obstructio,
Inflammatio,
Renum calculus,
Apostema Renum,
Exulceratio,
Sanguinis ex Renibus cum urina profluvium,
Diabetes.

2. *In Renum curatione quæ sunt observatu necessaria Medico?*

In Morbis Renum curandis semper lenis purgatio, aut Clyster, aut catharticum reme-

remedium præmitti debet, antequam Diuretica sive Renalia medicamenta urinam moventia adhibeantur.

Regulæ generales. Inter Diuretica remedia liquores tenuissimi, veluti sunt Chemici id est destillati, & pulveres exactissimè contriti, magis conveniunt.

Remedia Renum præstat jejuno ventriculo & in balneo seu lavacro exhibere.

In omni Renum affectione studiosè vitentur esitatio casei, pisorum & panis recenter pisti. Vitanda quoque pharmaca cathartica laboriosa, quæ vehementer conturbant.

Retentio excrementorum alvi & flatuum est perniciosa in affectibus Renum.

3. *Debilitas Renum quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quomodo curanda?*

Nephritis quid. Νεφρῖτις in latiori significatione ἀτονία τῶν νεφρῶν Renum imbecillitas est, quando Renes suas actiones non probè exsequuntur.

Renum officium. Sunt autem actiones Renum, aquosum sanguinem in purificatione sanguinis ex Epate per venas emulgentes attrahere, & attractum in se tam diu continere, donec reliquias sanguinis liquori attracto mixtas in sui substantiam convertant, ac deinceps sinceram aquam in vesicam destillare & ablegare.

Causa. Causæ debilitatorum Renum προηγούμεναι sunt aut calida aut frigida intemperies. Nam quæ imbecillitas eorum ex obstructione per crassos humores aut dilatationes oritur, seorsim in sequentibus tractabimus: προκαταρκτικαὶ sunt alimenta ac medicamenta diuretica aut intra corpus assumpta, aut foris applicata, quæ justo impensius aut calefaciunt aut refrigerant Renes.

Signa. Signa calidæ intemperiei Renum sunt urina vehementer rubicunda, caliditas lumborum ad sensum tactus, & frigidorum foris applicatione levamen. Signa frigidæ intemperiei Renum sunt urina ad albedinem vergens, frigiditas lumborum ad tactum, & à calidorum applicatione mitigatio.

Prognostica. Prognostica: Nephritici diu afflicti, ac præsertim quibus congenita est Renum intemperies, difficillimè curantur, & post annum 40. prorsus incurabiles evadunt.

Curatio. Curatio imbecillitatis Renum consistit in alteratione intemperiei contraria, cum victus ratione tum medicamenti. Semper enim in calida intemperie frigidis & in frigida calidis opitulandum erit. In imbecillitate itaque Renum ex calida intemperie orta primum eluatur alvus, fecesque subducantur sequenti Clystere.

In calida intemperie renum Enema. ℞. Fol. Malv. Alth. Violar. an. M.I. sem. Lini, fænugræci an. ℥ s. Flor. Rosar. Violar. capil. Veneris an. M. s. concidendis concisis & contundendis contusis, coquantur in q.s. aq. ad medias, colati juris accipe ℔.I. cassiæ recent. extract. ℥ II. ol. Viol. ℥ III. salis ʒ s. misce, fiat Enema, quod tepidum recto intestino, ventriculo adhuc jejuno existente, infundatur. Tandem si corpus est plethoricum, vena talaris interna incidatur. Tertio deinde die rursus exhibeatur cass. recenter extract. ℥ I. s. una duntaxat hora ante prandium, ac interea quotidie bis inungantur lumbi & regio Renum sequenti linimento.

Vena sectio.

Linimentum. ℞. Ol. Rosar. violar. myrtil. è mastiche an. ʒ II. ceræ candidæ parum, fiat linimentum, cui admisce ʒ II. muccilag. ex sem. cyton. & psylli, parum contusis, & in pauxillo aq. rosar. maceratis, confectæ. Post inunctionem imponatur lumbis cerotum infrigidans Galeni, vel cerotum sandalinum, quorum descriptiones extant in libris officinarum quos Dispensatoria vocant.

Ol. camphoræ etiam hic valdè conducit. *Cerota.* *Laminam plumbi tenuiss. & perforatam alii applicant renibus.*

Exhiberi quoque commode potest singulis diebus ʒ I. pul. Diuretici frigidi.

Pulvis diureticus frigidus. ℞. Sem. Alkakengi ʒ I. Medullæ sem. 4. frig. minutissimè concisorum, sem. lactucæ, cich. an. ℈ II. Rasuræ Eboris, Tragacanti, Corall. albi præpar. lap. ex capitibus melanurorum an. ʒ s. tenuissimè pulverata misceantur, cujus ʒ I. cum haust. aq. cicho. tepidè exhibeatur: aut simili ratione ʒ I. Trochis. Alkakengi detur.

Debilitatis Porro si imbecillitas Renum à frigida intempe-

renum ex intemperie frigida remedia. temperie sit oborta, primum alvus subducenda erit sequenti Enemate.

Enema. ℞. Malvæ, Flor. chamæm. Anethi, Meliloti, Absinth. an. M. s. carvi, Anisi an. ℥ s. Agarici in linteolo ligati ʒ II. concisa ac contusa coquantur in q. s. aq. ad medias, colentur, colati juris sume ℔. I. cui admisce Elect. Indi. major. hieræ simpl. an. ʒ VI. ol. rutæ ℥ II. salis ʒ s. fiat Enema, quod usurpetur ut paulò ante dictum est. Altero

Bolus. tandem die exhibeantur devorandæque præbeantur caff. recent. extractæ ʒ X. cui admixtæ sint gutt. III. ol. stillati Anisi. Tandem quotidie jejuno existente ventre exhibeatur ʒ I. sequentis pul. cum haust. aq. petrosel.

Pulvis diureticus calidus. ℞. Sem. Anisi, petrosel. ligustici an. ℈ II. fol. rorism. puleg. an. ℈ I. Galangæ, baccar. lauri an. ℈ ß. succini albi ʒ s. redigantur in tenuiss. pulver. & usurpetur ut supra dictum est.

Foris autem Renum regio bis in die inungatur, & quidem sequenti linimento.

Linimentum. ℞. Ol. rutæ ʒ II. scorpionum ʒ III. ceræ parum, fiat linimentum, cui admisce aq. Juniperi ʒ s. Illis ipsis intemperiebus Renum si humores putrescentes sint adjuncti, quâ ratione curari debeant, sequentibus curationibus obstructorum Renum & difficultatis urinæ fusius docebimus.

4. *Obstructio sive oppilatio Renum quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quomodo curanda?*

Renum obstructio. Ἔμφραξις τῶν νεφρῶν est ubi vel venæ emulgentes, vel cavitates Renum, vel ureteres aliqua dura crassaque materia infarciuntur, ita ut Renes vel non probe attrahant aquosum ex jecinore sanguinem, vel destillare ex cavitatibus, & expellere in ureteres, ex ureteribusque in vesicam propellere nequeant.

Causæ interna. Causæ προηγουμέναι oppilationis Renum sunt, aut lenti crassique humores, aut pus saniesve ex apostematibus aliorum viscerum in Renes defluens, aut calculus in Renibus concretus, aut flatulenti crassique vapores

Externa. in Renum cavitatibus inclusi. Προκαταρκτικαὶ sunt nimia corporis obesitas frigiditasque, fortes cincturæ lumborum, crassorum flatulentorumque alimentorum crebra esitatio, qualia sunt caseus ac legumina, potissimum ubi post eorum usum superbibatur forte vinum. Tum enim citissimè ante coctionem in ventric. partes alimenti crassæ cum urina ad Renes deferuntur, eosque infarciunt & obstruunt. *Cerevisia item crassa & non defecata.*

Signa: In obstructione Renum urina perpetuo est instar lympidæ aquæ tenuis & alba, nisi obstructio à sanie vel purulenta materia in Renes defluente ortum habeat. Item dolor & gravitas dorsi ac lumborum. Reliquarum causarum signa in calculi Renum & urinæ difficultatis curatione indicabimus. *Signa.*

Prognostica: Ex Renum obstructione, nisi tempestivè succurratur, necessario calculus generatur. *Prognostica.*

Curatio obstructorum Renum pro causarum varietate instituenda erit. Si enim calculus aut pus obstruxit meatus Renum, ejus oppilationis medicationem in seqq. videlicet in calculi, difficultatis urinæ, & exulcerationis Renum curatione propositi sumus. In obstructione vero Renum quæ ex lentis & crassis humoribus aut flatibus Renum meatibus infarctis originem habet, tali methodo est procedendum. Primo dolor lumborum mitigandus, flatus discutiendi & feces alvi subducendæ erunt, & quidem sequenti Clystere. *Curatio.* *Diligenter hic observandum, purgantibus prius utendum quam diureticis.*

℞. Malv. Alth. Mercur. an. M. s. Flor. Absinth. centaur. min. chamæm. Anethi an. P. I. pulp. colocinth. in linteolo raro ligatæ ℈ I. Herbis simul concisis, coquantur in jusculo carnis bovillæ non salito, neque valde pingui ad medias, colentur, hujus colati juris sumatur ℔. I. eique admisc. hieræ simp. ℥ I. ol. chamæm. scorpionum an. ℥ I. salis ʒ I. fiat Enema, quod tepidum recto intestino infundatur. Alvo ita probe exonerata, altero die, si corpus est plethoricum, secetur vena vel epatica, vel saphena, quæ habetur sub malleolo interni pedis. Tertio deinceps die præparetur crassus & lentus humor sequenti potione. *Venæ sectio.*

℞. Rad.

Decoctum digestivum. ℞. Rad. fænic. petros. Glycyr. an. ʒ III. Asar. Dauci cretic. filicis an. ʒ II. Eryngii, ononid. an. ʒ I. sem. petrosel. sem. mal. capil. Vener. an. M. s. Flor. centau. min. & sem. lutei chamæm. an. p. I. contundenda contund. ac concid. concidantur & coquantur in duplici vase cum ℔. III. aq. coquantur autem per 2. horas, tandem refrigerata percolentur, colatoque juri admisc. syr. è succo card. bened. & syr. de v. radicibus an. ℥ II. fiat potio, de qua singul. diebus mane ac 3. horis à prandio ebibat æger ℥ IIII. tepefactas, & ita tandem crassis humoribus extenuatis, & meatibus Renum nonnihil dilatatis, exhibeatur lenis purgatio hunc in modum parata.

Bolus. ℞. Cass. recent. extract. ℥ I. pul. Agar. Trochisc. an. ʒ s. spec. hieræ simp. ʒ I. commisceantur, fiat bolus, qui in aurora devorandus præbeatur: *Haustus purgans.* vel idem bolus resolvatur in aq. petros. ℥ v. fiat haustus, qui sex horis ante prandium exhibeatur.

Diuretica varia. Purgatis hac ratione crassis humoribus & liberatis meatibus Renum, tandem tuto uti possumus & diureticis remediis, veluti sunt gutt. 9. ol. vitr. cum hauft. vini generosi sumptæ, aut cochlearia duo aq. Juniperi, aut ʒ I. pul ex succino albo, aut ea quæ in curatione calculi & difficultatis urinæ commemorabuntur. *Tartari vitriolati ℈ ß. cum jul. rosati ℥ II. & aq. cinam. ℥. s. obstruct. renum efficaciss. tollit.*

Interim cum ad dolorum Renum mitigationem, tum ad meatuum dilatationem humorumque extenuationem, plurimum confert patientem in balneum aut solium aq. dulcis usque ad umbilicum aliquoties collocare, in qua aqua concoqui debent sequentes herbæ, avenarum aristæ, in quibus semina adhuc continentur, chamæm. Bethon. Malv. parietar. & similes herbæ. Prodest & post balneum & alias singulis diebus bis hisce oleis Renum regionem inungere. *Insessus admodum hic utilis.*

Linimentum. ℞. Ol. chamæm. Anethi, Scorp. an. ʒ II. misceantur.

5. *Inflammatio renum quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quibus præsidiis extinguenda?*

Inflammatio Renum quid. Φλεγμονὴ τῶν νεφρῶν est præter modum incalescentia Renum, adeoque sensu perceptibilis.

Causæ. Causæ προηγούμεναι inflammationis sunt adfluxus humorum corruptorum, præsertim sanguinis biliosi, in Renumque cavernulis collecti: προκαταρκτικαὶ sunt vehementiores commotiones lumborum & agitationes inter equitandum, medicamentorum potionumque valde calidarum crebræ potationes, plagæ attritionesque lumborum.

Signa. Signa inflammat. renum sunt lumborum caliditas ad tactum, dolor aut alterius, aut utriusque partis circa lumbos, pedum stupor, & extremarum partium frigiditas. Quin & laborantes Renum inflammatione difficulter se erigere ac progredi possunt, parum emingunt, urinaque in initio aquosa est & alba, progressu vero temporis rubescit & incrassescit, quibus accedunt nonnunquam & nauseæ, & vomitiones biliosæ & appetentiæ prostratio.

Prognostica. Prognostica: Diu perseverans inflammatio Renum in suppurationem seu exulcerationem terminatur, urinæ aquosæ semper permanentes in Renum inflammationibus pessimæ sunt; cruditatem enim humorum & morbi diuturnitatem significant.

Curatio. Curatio inflammatorum Renum in victus ratione, venæ sectione, & medicamentorum tum intra tum extra corpus adhibendorum sedula usurpatione consistit.

Diæta. In victus ratione conveniunt ptisanæ cremor, pruna Ungarica dulcia, ova sorbilia, juscula & carnes pullorum ac vitulinæ, ex piscibus melanuri. In potu convenit aq. hordei, in qua cinamom. est incoctum. Porro vitanda sunt studiose cum in victus ratione, tum in medicatione omnia calefacientia, acria, salsa, diuretica, omnia denique Renes obstruentia, ut sunt pisa, caseus, & carnes suillæ.

Venæ sectio. Venæ incisio statim in initio adhibenda erit. Secanda autem est vena talaris aut sub poplite sita ejusdem lateris in quo dolor & ardor maximè persentiscitur; ac si corpus sit plethoricum, utiliter & vena Epatica incidi poterit: verum ut in aliis affectionibus venæ sectionem efflagitantibus, monuimus,

ſemper ante venæ ſectionem alvus eſt evacuanda, aut glande ſuppoſita ex melle, ſale & pul. Alhandali conformata, aut leni clyſtere, quale hoc ſubſequens.

Enema evacuans & dolores leniens.

℞. Mal. violar. Mercur. an. M. I. Flor. viol. Nymph. an. M. s. ſem. lini ℥ s. ſem. cyton. ʒ II. Rad. Alth. ʒ III. contundendis contuſis & concidendis conciſis coquantur ſimul in q. s. aq. ad medias, colentur, colati juris accipe ℥ XIIII. quibus admiſc. pulp. caſſ. ℥ I. Elect. lenit. ℥ I. ol. violar. ℥ III. ſalis ʒ I. fiat Enema, quod tepidum recto inteſtino infundatur, ac, ſi neceſſitas expoſtulet, hic Clyſter per intervalla reiterari poteſt ob evacuationem humorum calidorum, & ob mitigationem dolorum in Renibus. Poſt venæ ſectionem ſanguis biliosſus calidusve temperetur ſequenti potione per triduum.

Emulſio refrigerans utiliſſima.

℞. 4. Sem. frig. ma. an. ℥ s. ſem. portulacæ ʒ II. Elota exactiſſimè contundantur, contuſis admiſceantur ſaccari candi in ſyr. violar. condenſati ℥ II. ſimulque omnibus probè ſubactis affundatur aq. cich. Alkakengi, aut in ejus penuria, lactucæ an. ℥ x. omnibuſque probe ſubactis & agitatis colentur per filtrum fortiter exprimendo, ut omnis lacteus liquor ex ſe. ſegregetur, fiat potio de qua mane ac veſperi ebibat æger ℥ v. quæ & Renum inflammationem & vitioſorum humorum fervorem lenit & mitigat mirificè.

Lenitiva.

Tandem mitigati humores vitioſi ex Epate & venis Meſaraicis ſubtrahantur. Epar enim omnium maximè vitioſos humores in Renum inflammatione communicat Renibus per emulgentes venas. Epar itaque purgetur ʒ x. caſſ. recent. extr. aut ℥ II. ſyr. roſar. ſolut. cum hauſtulo decoctionis prunorum.

Diágrydiata vitanda.

Violentiora autem cathartica remedia & quæ ſcammonium habent, in Renum inflammationibus, adeoque univerſis ejus affectionibus ſtudiosè vitanda ſunt.

Interim vero nec externa præſidia negligenda erunt.

Topica.

Topica itaque ſequentia commodè lumbis renumque laborantium regioni applicari poſſunt. Inungantur itaque ſingulis diebus bis Renes ſequentibus oleis ſimul commixtis.

℞. Ol. roſar. Nymph. an. ℥ s. cyton. ʒ II. Mucag. ex ſem. cyton. in aceto roſac. maceratorum factæ ʒ II. commiſceantur: Aut addita cera ſufficienti, fiat linimentum: poſt inunctionem imponatur lumbis ſive regioni Renum ſequens cerotum.

Linimentum.

Cerotum.

℞. Ol. Roſ. nymph. an. ℥ s. ceræ ℥ II. aut q. s. His ſimul reſolutis fiat cerotum, cui adhuc tepenti admiſc. mucag. pſylii cum ſucco portula. factæ ʒ II. omnibus inter ſe probè ſubactis extendatur per duplicatum linteolum & applicetur. Ubi dolor fervorque Renum nonnihil remiſit, prodeſt patientem includere in ſolium aquæ dulcis calidæ, in qua incocta ſunt flor. chamæm. Mal. Rad. Alth. ſem. lini ac fænugræci an. pro arbitrio, ſem. ac radicibus prius parum contuſis: poſt balneum applicetur cataplaſma ſequens.

Solium aq. dulcis.

Cataplaſma.

℞. Farinæ fabarum, fænugræci, ſem. lini, hordei an. ℥ I. pul. rad. Alth. ℥ s. cum æ. p. aq. & aceti, coquantur primum flor. chamæm. & cum ejus juſculo commiſceantur prædictæ farinæ, & pul. & coquantur ad formam cataplaſmatis, & expanſa per duplicatum linteolum, tepida Renibus affectis applicentur.

Diuretica temperata.

Remiſſis tandem doloribus tuto uti licebit & diureticis moderatis, id eſt, urinam benigne promoventibus, veluti ſunt rad. Eryngii conditi, rad. petroſel. & rad. paſtinacæ, quæ & in cibo concoqui poſſunt. Verum ubi inflammatio diuturna in ſuppurationem aut exulcerationem mutata eſt, tum eis utendum erit remediis, quæ paulo poſt in exulcerationis & apoſtematis Renum curatione commemorabimus.

6. *Calculus renum quid, quæ ejus cauſæ, quæ ſigna, & quibus præſidiis exturbandus?*

Calculus Renum quid.

Ἀιθίασις τῶν νεφρῶν, lapidoſitas ſive lapis ſeu calculus Renum eſt corpuſculum inſtar lapidis durum, aut in lacunis caverniſque Renum generatum ac concretum.

Differentia.

Renum porro calculus nonnunquam accidentarius

rius eſt, nonnunquam vero hæreditarius, & à parentibus calculoſis in liberos derivatus. *Quando hæreditarius.* Notandum autem hic eſt, ex iis tantum parentibus derivari calculum in liberos, quibus calculus non in cavitate Renum ſed in ipſa ſubſtantia generari conſuevit. Sunt enim quorundam Renes prorſus ſabuloſæ ſubſtantiæ. *Quomodo generetur.* Generationis autem calculi modus hujuſmodi eſt; cum Renes in purificatione ſanguinis ſeroſiorem crudioremque partem per venas ex Epate in ſe trahant, quicquid craſſius in ea eſt, & per ureteres percolari nequit, calore Renum condenſatur, aſſatur, induratur & calculi formam acquirit. *Chymici hanc limoſam materiam tartarum vocant, de cujus generatione videatur Paracelſ. lib.* 1. *de Tartaro, tract.* 3, *cap.* 1.) Efficiens vero eſt calor Renum exaſſans. Vel ut noſtro more cauſas partiamur, προηγούμεναι cauſæ calculi ſunt vehementior caliditas renum, craſſior pituitoſiorque ſanguis, & arenarum minutarum in cavernis Renum cohæſio: προκαταρκτικαὶ ſunt cibi ac potiones, ex quibus craſſus & lentus ſanguis, calculique materiæ aptus generatur. *Alimenta materiam calculi ſuppeditantia.* Tales ſunt carnes, piſcesque fumo durati, piſa & alia leguminum difficilis concoctionis genera, caſeus, panis recens piſtus & adhuc calens eſitatus, cerevifia vinumque turbidum ac feculentum: *Aqua item limoſa, uti in Hollandia & per calces ſeu terram albam decurrentes, uti in Anglia, & prope Luneburgum, quas Alkaliſatas Paracelſ. lib.* 1. *de Tartaro Tract.* 5. *c.*2. *vocat*, **die einen kalkichten grundt haben.** *Aqua tartarea & lapidoſa.* *Quæ quod multum faciant ad calculi generationem, patet ex copia calculoſorum in illis locis. Et manifeſtè elucet materiam calculi tartaream in aquis deliteſcere, ex fonte illo prope Francofurtum ad Oderam, qui ex vineis deſtillans, ſarmenta & quicquid lignoſi attingit, brevi tempore vel in lapideā planè ſubſtantiam convertit, vel lapidoſo cortice cingit.* *Fons lapides generans.*

Signa. Signa arenæ & calculi Renum ſunt, fixus & acris dolor circa regionem Renum, ſtupor femoris, vel alterius vel utriuſque, teſticulorum retractio, urina in initio tenuis eſt, & aq. ſimilis, deinceps vero turbida; fuſca, arenoſam habens ſubſtantiam. Arenulæ verò ut plurimum rubicundæ ſunt, (quanquam nonnunquam & albæ & flavæ appareant, qui colores redundantis humoris in ſanguine ſpeciem oſtendunt) nauſea & crebræ vomitiones, quandoque etiam cruenta mingunt, ubi aſperitas calculi venoſas partes exulceravit.

Prognoſtica. Prognoſtica ſigna ſunt: Calculus Renum adultos magis, quam pueros infeſtare conſuevit. Niſi calculi cruciatibus tempeſtivè ſuccurratur, dolor continuus vires proſternit, vigilias infert, & æruginoſas vomitiones excitat, in præſentiſſimumque conjicit periculum. Calculi inæquales æqualibus, aſperi lenibus, rotundi angulatis, majores minoribus, acerbiores inferunt cruciatus & difficilius excernuntur.

Curatio. Curatio calculi Renum conſiſtit in victus ratione, venæ conditionali ſectione, & remediorum calculum comminuentium ac propellentium doloremque mitigantium tum intra tum extra corpus uſurpatione.

Diæta. In victus ratione utatur æger moderata deambulatione motuque corporis. Deſidia enim auget dolorem; ſed cavenda eſt vehemens corporis commotio, qualis eſt equitatio & vectio in curru. Alvus ſit perpetuo lenis & aperta, ſive id natura, ſive glandibus ex melle factis ſubjectiſque, aut Enematibus, ſive victu perfici queat. Abſit omnis animi perturbatio. *Cibi utiles.* Cibi ſint concoctu faciles, qui moderatè aſſumantur. Hujusmodi ſunt juſcula & carnes pullorum, pulli contuſi, caro vitulina, cremor ptiſanæ, pruna, ova ſorbilia & juſcula ex ovis parata. Viteturautem ſtudioſè omnia dulcia, craſſa & glutinoſa, vitentur & ſatietas, ingluvies & & cruditas. *Potus.* In potu vinum non obeſt, quod tamen debet eſſe tenue, aut aq. hordeacea temperatum. Hydromeli quoque moderatè bibi poteſt. Ubi calculus à ſumpto cibo cruciatum infert, præſtat ſtatim vomitum ciere.

In initio doloris calculi protinus alvus eluatur ſequenti Clyſtere.

Enema dolores à cal- ♃. Mal. Alth. Merc. pariet. an M.s. Flor. chamæm. Anethi an. P.1. Bac. Halicacabi ℥s. fur-

culo mirifice sedans. furfuris siliginei M. I. Ficuum n. VI. concisa & contusa coquantur in q. s. aq. ad tertias, colati juris accipe ℔. I. cui admisc. ol. chamæm. violar. Scorp. an. ℥ I. pulp. cass. ℥ I. salis ʒ I. Misc. fiat Enema, quod tepidum infundatur, & si necessitas expostulat, crebrius & ad minimum singulis septimanis bis reiterari potest. Mirifice enim dolores calculi & cruciatus Renum mitigat. Si quis autem validius hoc Enema reddere cupiat, pro cass. admiscebit diaphæn. & Hier simpl. an. ℥ I. s.

Venæ sectio. Post subductam alvum, si corpus sit plethoricum, & vires ferant, aut si adsit calor præternaturalis, id quod ex urinæ rubedine cognosci potest, vena incidatur dextri cubiti, quam hepaticam vocant, primum, deinde alio die incidatur & ea quæ sub poplite aut sub malleolis sita est.

Porro si corpus patientis κακοχυμικὸν fuerit, vitiosi humoris species convenientibus remediis, quorum genera supra in tabellis medicamentorum enumeravimus, subducantur. In genere autem commodissimè sequenti potione in præparandis vitiosis humoribus uti possumus.

Digestivum. ℞. Rad. petrosel. fœni. Glycyr. pimpin. an. ʒ II. cort. rad. ononis ℥ ß. sem. ligustici, Anisi an. ʒ I. s. Bac. Alkakengi, lauri an. ʒ I. Herb. scord. Betho. Card. Bened. an. P. I. Flor. luteorum. chamæm. sem. malvæ an. M. s. contusa ac concisa coquantur cum ℔. III. aq. in canthato massa farinacea oblinito per duas horas, postea refrigerata colentur, cujus ℥ v. tepidæ mane & duabus horis ante cœnam ebibantur: absumpta hac potione evacuentur vitiosi humores sequenti haustulo.

Haustus purgans. ℞. Fol. senæ ʒ II. Rhab. ʒ I. sem. Anisi, Glycyr. an. ℈ I. contusa macerentur per noctem in aq. petrosel. ℥ v. & summo mane ebulliant leniter, expressaque colentur, colato jusculo admisc. Diacathol. Diaphæ. an. ʒ II. fiat haustus, qui tepidus ebibatur sex horis ante pastum.

Doloris à calculo cura. At vero ubi cruciatus calculi inducias usque ad humorum vitiosorum præparationem non ferat, tum omissa præparatione, si corpus sit biliosum, exhibeantur ʒ x. pul. cas. Aut si pituitosum sit, ʒ x. diaphæ. in haustulo aq. petrosel. resolutæ ac calefactæ, atque statim ubi æger à purgatione aliquantulum vires resumpsit, ad medicamenta cum Topica tum intra corpus remedia, quæ & dolorem mitigare & calculum comminuere ac propellere apta sunt properandum. *Evacuantia.*

Insessus admodum utilis. Primum itaque in calculi cruciatibus statim balneum in solio est instituendum, in eaque aq. dulci decoquendæ sunt sequentes herbæ, fasciculus videlicet aristarum avenacearum, Malvæque cum rad. pariet. bethon. Alth. flor. chamæm. anethi an. M. aliquot; in eam aquam adhuc calentem desideat æger, & prædictis herbis dorsum, & totum inferiorem ventrem involvat, & per horam, aut paulo diutius, si vires ferant, immoretur. Et tale quidem balneum, si necessitas postulaverit, sæpius reiterari potest, & ter quaterve in una coctione lavare potest. Mirifice enim & dolores mitigat, & meatus quibus calculi sunt impacti, emollit & dilatat.

Diuretica varia. Porro paulo ante priusquam patiens in hoc lavacrum descendat, unum aliquod ex sequentibus diureticis remediis ebibat.

- ℞. Ol. vitriol. ℈ s. Vini aut aq. petrosel. ℥ III. misceantur, & ebibat. Comminuit enim & propellit mirabiliter calculum Renum. Aut 1.
- ℞. Ol. de succino chymica arte destil. ℈ I. quo eodem modo utatur. Aut 2.
- ℞. Aq. Juniperi ℥ III. quas ebibat æger. Aut 3.
- ℞. Pul. leporis in olla exusti & in cinerem conversi, tenuissimeque pulverati ʒ I. & cum ℥ I. aq. junip. & ℥ III. aq. petros. simul commixtis ebibatur. Aut 4.
- ℞. Pul. succini albi ʒ I. bibat cum haustulo vini. Aut 5.
- ℞. Sang. hircini ex hirco juvene diebus aliquot herbis diureticis, ut Apio, Petrosel. & similibus nutrito, ac tandem jugulato, excepti, & in sole exsiccati, tenuissimeque pulverati ʒ I. s. & cum aqua Juniperi aut Petrosel. simul mixta haustulo ebibatur. Aut 6.

℞. La-

7. ℞. Lapidis Judaici, lapil. cancrorum an. ℈ II. conterantur tenuissimè, & prædicto modo exhibeantur. Aut

8. ℞. Aq. stillat. ex Terebinth. ℥ II. & ebibat. Aut

9. ℞. Ol. Terebint. gutt. x. & cum haust. aq. Genestæ aut Halicacabi assumantur.

10. Aut Terebint. decies prius in aq. petrosel. lotæ, ac deinde in aq. Juniperi probe agitatæ ʒ II. cui admisce ol. Vitriol. gutt. 7. ac simul resolvantur in vino calido & ebibantur. Aut

11. ℞. Succi rad. Rapha. ℥ III. aq. Juniper. ℥ I. commixta ebibantur. Aut

12. ℞. Sem. Alth. Lithospermi, sem. Hypericon. Asparag. an. ʒ s. Rad. Glycyr. cort. rad. ononis an. ℈ I. Lapil. cancrorum, sang. hirci præparati an. ℈ II. Lap. Judaici ʒ I. succini albi præparat. ℈ I. pulverata tenuissimè commisceantur, hujusque pulv. ʒ I. cum vino aut aq. Petros. ebibatur. Calculum enim frangit & propellit. Non inefficaciter quoque ante ingressum balnei exhiberi potest ʒ I. Ther. Androm. Præter hæc remedia prostant in officinis pulveres ad calculum confringendum & expellendum idonei, sub nomine pulveris Justini, ducis, & Lithontribon, quorum ʒ I. dicto modo propinari potest.

[P]ulvis [c]ompositus [d]iureticus.

[N]onnulli [a]quam Theriacalem hic feliciter exhibent.

Pulveres usuales contra calculum.

Ad calculum cum inflammatione remedia.

Verum si calculi cruciatibus admixta sit Renum inflammatio, tum præstat à vehementer calefacientibus abstinere, & patienti ante ingressum balnei ac singulis diebus bis ʒ I. s. Troch. de Alkaken. pulverati cum haustulo decocti rad. Glycyr. Ononydis, graminis & sem. Alth. exhibere.

Emulsio.

Singulis quoque diebus bibendæ erunt ægroto mane ac vesperi ℥ VI. lactis ex sem. 4. majoribus & nucleis persicorum an. ℥ s. simul probe contusis & cum aq. Halicacabi, Genestæ, & Petrosel. an. ℔. I. confecti, aut cum totidem ℔. decocti rad. Ononis, Glycyr. graminis & sem. Alth.

Topica.

Topica quoque remedia deinde non sunt negligenda, sed statim à balneo, & sing. dieb. bis Renum regio sequentibus oleis simul mixtis ad focum seu fornacem est inungenda.

℞. Ol. Scorp. ex Italia allati, ol. Anethi, chamæm. an. ʒ III. aq. Junip. ʒ I. commisceantur: post inunctionem applicetur loco dolenti sequens cataplasma.

Cataplasma.

℞. Rad. Alth. Malvæ an. ℥ I. sem. fœnugræci, lini an. ℥ s. Flor. chamæm. Anethi an. ℥ x. pulverentur, eisque admisceantur medullæ panis siliginei, & adfusis aq. & aceti ex cerevisia facti p. æ. coquantur simul, donec in pultis durioris formam redeant, quibus admisceantur ℥ II. butyr. rec. salisque experti, & calida per duplicatum linteolum extensa lumbis imponantur.

At vero ubi doloris vehementia vigilias continuas creet, & vires dejiciat, viribus adhuc constantibus, ne in vitæ periculum conjiciatur æger, pro somno conciliando & dolore mitigando ad Narcotica, id est, stuporem inducentia pharmaca confugiendum erit & exhibendæ ʒ I. s. Elect. à Philone descripti, aut Trochis. alkaken. cum opio confect. cum haustulo vini. Sed talia remedia prudenter, & non nisi summa urgente necessitate offerenda sunt.

Narcotica.

Hujus loco laudano opiato jam haud infeliciter utimur.

Præservativa remedia.

Præservare à generatione calculorum experientia comprobavit usum crebriorem rad. Raphani, & si quis singulis mensibus ipso die Novilunii esitet bulbum allii in aq. Juniperi per noctem maceratum, vitatis tamen vitandis, & servata bona inculpataque victus ratione, & simul adhibitis tempestivis vitiosorum humorum evacuationibus tum per vomitum tum per alvi dejectionem.

7. *Renum abscessus quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curandus?*

Renum Abscessus.

Ἀπόστημα τῶν νεφρῶν, Tumor sive Abscessus Renum, **Geschwulst der Nieren.** Afficiuntur Renes tumoribus veluti & alia viscera, qui varia graviaque excitant symptomata.

Differentia.

Secundum qualitatem duæ sunt differentiæ

tiæ tumorum Renum, calidus videlicet & frigidus, inter frigidos tumores & Scirrhus numeratur.

Causæ. Causæ προηγουμέναι sunt adfluentium in Renes vitiosorum humorum aut saniei collectio. Vitiosi humores sunt sanguis biliosus aut corruptus, qui calidos excitat tumores, aut sanguis pituitosus & melancholicus, qui frigidos generat tumores, expultricis facultatis imbecillitas, & calculus in renibus hærens. Externæ sunt violentus ictus, percussio aut ex alto delapsus in lumbos, & alimenta omnia sua tenacitate, crassitieque Renes obstruentia, veluti sunt caseus, pisa, anguillæ, feculentæque cerevisiæ.

Signa apostematis calidi. Signa apostematis calidi Renum sunt dolor tensivus continuus cum adjuncta febre, alvi, urinæque suppressio, ingens sitis, nausea, urina tenuis & flammea, calorque lumborum ad tactum sensibilis.

Signa frigidi tumoris. Signa frigidi Apostematis sunt dolor gravis & tensivus circa regionem Renum, cruris & coxæ infra Renem affectum stupor, tibiarum extenuatio, febris nulla adest nec sitis, urinæ color ad albedinem vergit.

Urina oleosa. In calido Apostemate Renum, si diutius duret, una cum urina pinguedo instar punctorum olei profluit & supernatat, quæ Renum liquefactionem ostendit, & quandoque pili rubei profluunt, & in urina conglomerantur, qui Renum substantiam assari significant.

Prognostica. Prognostica signa hæc præcipuè sunt notanda. Ubi Apostema Renum ruptum fuerit, & pus per ureteres in vesicam & ex vesica cum urina profluit, salutare est signum. In calido Apostemate, si adsit febris, & lingua nigricet, ratioque turbetur, est lethale signum. Scirrhosus sive induratus Renum tumor, si perseveret diutius, rarissimè curatur, atque si durities ex caliditate sit orta, conjicit ægrum in tabem; si à frigiditate, in hydropem. Quandoque rumpitur Renum Apostema, tum hominem rigor febrilis invadit. Pus cum urina rupto Apostemate profluens, si in matula subsideat, sitque album, leve, & non fœtidum, & sequatur mitigatio doloris, salutare est signum; secus se habens, malum; fœtor enim & color fœdus saniei, perseverantibus symptomatibus, mortale est signum.

Curatio. Curatio pro materiæ tumorem efficientis & qualitatis calidæ vel frigidæ ratione varianda erit. Perficitur autem Curatio Victus ratione, Venæ sectione, & materiæ subductione, qualitatisque Renum alteratione, symptomatumque mitigatione, cum remediorum & intra & extra corpus, quæ apostemata aut resolvunt aut ad maturitatem suppurationemque deducunt, ac indurationem prohibent, administratione.

Diæta. Victus ratio qualitati calidæ Renum frigida, frigidæ calida præscribenda erit. In universum autem alimenta omnia sint tenuia & concoctu facilia. In calida intemperie juscula, carnes pullorum, vitulorum, aviculatum, ex piscibus melanuri, ptisanæ cum hordeacea tum avenacea, cum uvis immaturis aut limoniis concocta conveniunt. In frigida intemperie vitentur pisces, & alimenta condiantur cinamom. zinzib. croco, & macere. In calido tumore potio sit aq. hordei: In frigida vinum tenue aut cerevisia clara.

Diuretica quando exhibenda. Diuretica omnia & materiam ad Renes promoventia, non antea sunt alimentis admiscenda, aut per se offerenda, donec Apostematis materia cum clysteribus tum catharticis remediis, sed lenibus subducta sit & expurgata: in urinisque signa maturitatis apparuerint.

Ante itaque venæ sectionem subducatur alvus, & attrahantur vitiosi humores ex venis Mesaraicis & Epate leni clystere, quod in hunc modum parari potest.

Enema. ℞. Malvæ, Mercur. violar. an. M. I.
Flor. chamæm. Anethi, an. M. s.
Flor. Absinth. centaur. min. an. P. I.
concisa coquantur in q. s. aq. ad tertias, colati juris accipe ℔. I. cui admisce cass. extr. ℥ II. Mellis rosar. ℥ I. Ol. Aneth. scorp. an. ℥ I. s. salis ʒ I. fiat Enema, quod tepidum recto intestino infundatur.

Evacuata alvo in plethoricis corporibus & a-

Venæ sectio. & apostemate calido existente, molienda est venæ sectio, & primo quidem incidatur vena Epatica dextri humeri, deinde & vena sub poplite, aut sub malleolo exteriori. Ubi verò ex aliqua occasione venæ sectio impediatur, applicentur coxis lumbisque cucurbitulæ cum scarificatione. *Cucurbitula.*

A venæ sectione humor vitiosus sive sit caliditati seu frigiditati junctus, præparetur ac subducatur convenientibus remediis, ac potissimum Clystere, qui magis conducunt quam pharmaca cathartica. Si itaque calidus sit humor vitiosus, præparetur sequenti haustu.

Digestivum in causa calida. ℞. Syr. de cichor. cum Rhab. ℥ II. Aq. Halicacabi, ononid. an. ℥ II. misceantur, fiat haustus pro una vice, qui subinde per quatriduum mane ac vesperi reiteretur, exhibeaturque tepidus. Quinto deinde die purgetur humor calidus aut ʒ x. pul. cass. aut sequenti haustulo.

Haustus purgans. ℞. Rhab. ʒ I. s. fol. senæ ʒ I. sem. Anisi ℈ I. contusa macerentur per noctem in ℥ v. aq. ononid. ac mane ebulliant, expressaque colentur, colato jusculo admisceantur ol. lenit. ʒ VI. fiat haustus, qui tepidus in aurora sex horis ante prandium exhibeatur. Alia verò violentiora remedia in Renum affectionibus studiose sunt vitanda. *Cathartica fortiora hic evitanda.*

Si sitis impensius urgeat ægrotantem, bibat aq. hordei cum pauxillo cinamom. coctam: deinceps quotidie mane ac vesperi bibat liquorem lacteum ex sem. frigid. hunc in modum confectum.

Emulsio refrigerans. ℞. 4. Sem. frigid. major. an. ℥ s. saccari candi ℥ II. simul tenuissime conterantur, misceantur, eis aq. Ononis & aq. cich. an. ℥ x. diligenter subigantur, & expressa coletur, fiat potio.

Frigidi abscessus remedia. Porro ad frigidum apostema sequentibus tum extenuantibus tum purgantibus uti licebit.

Digestivum. ℞. Syr. de succo Card. Bened. de Eupatorio an. ℥ I. s. Aq. Junip. ℥ s. aq. Bethon. ℥ III. fiat haustus, pro una vice, quo tepido per IIII. dies mane ac vesperi utatur æger. Postea subducatur alvus aut Enemat. ex decoct. rad. ononidis, petros. & fænic. an. ℥ I. Herb. absinth. card. bened. an. M. s. hujus liquoris decocti accipe ℔. I. in quo resolve hier. simpl. ℥ III. Ol. anethi, hyperici an. ℥ I. s. salis ʒ I. fiat Enema, quod tepidum recto intestino infundatur jejuno: aut subducatur alvus sequenti haustu. *Enema.*

℞. Diaphæ. Diacathol. an. ʒ x. aq. petrosel. ℥ v. fiat haustus, qui tepidus exhibeatur in aurora. *Haustus purgans.*

Interea nec Topica remedia, in quibus potissimum præsidium apostem. consistit, negligenda erunt. In calidis itaque Renum Apost. instituatur balneum aq. in solio, in ea aq. coquantur fol. salicis, Malvæ, lactucæ, solatri, flor. rosar. ac violar. similesque refrigerantes herbæ: In tali balneo tepido quidem, vel quotidie vel alternis diebus insideat æger. Post balneum autem & simul singulis diebus bis Renis affecti regio sequenti linimento inungatur. *Topica in causa calida.* *Insessus.*

℞. Ol. rosar. violar. Nymphea, mastich. an. ʒ II. Mucag. ex se. cyton. & psylii confectæ cum aceto rosar. ʒ III. ceræ albæ q. s. fiat linimentum. Post inunctionem semper affecto Reni imponatur cerotum sandal. aut refrigerans Galeni, quæ in Myropoliis prostant. Aut imponatur sequens Epithema. *Linimentum.* *Cerota.*

℞. Suc. lactucæ, solatri, semper vivi an. ℥ II. Album. ovi unius conquassati, ol. rosar. violar. an. ℥ I. species. diatriasandali ʒ II. commisce, fiat Epithema, cui addatur aceti rosar. ℥ I. s. & modicè calefactum excipiatur panno novo cæruleo & Renibus applicetur. Aut imponatur cataplasma ex virentibus herbis simul contusis. *Epithema.*

℞. Solat. portul. acetosæ an. M. I. Fol. salicis, lactuc. semper vivi an. M. s. contusis admisce Aceti rosarum ℥ I. s. fiat cataplasma, quod tepidum imponatur. Aut commodè imponi possunt fol. Nymph. in paludib. natantis, quod subinde commutandum est. *Cataplasma.*

Cautela. Cavendum autem diligenter ne præſcripta remedia ſpinæ vertebris imponantur, ſed circa latera tantum ubi hærent renes, ne ſpinalis medulla refrigeretur, & nervi debilitentur.

Sedato dolore calidi Apoſtematis, emollientia ad maturitatemque deducentia applicanda erunt, in quem uſum facit ſequens cataplaſma.

Cataplaſma emolliens & maturans. ℞. Pul. rad. alth. ℥ I. fænugræci, ſem. Malvæ, flo. viol. chamæm. ſine ſtipitibus, meliloti an. M. s. Hyperic. P. I. Omnibus his pulveratis coquantur ſimul in olla cum æ. p. aceti roſar. & aq. plant. ad pultis formam, fiat cataplaſ. quod tepidum duplicato linteolo exceptum reni affecto applicetur.

Topica in frigido abſceſſu. Inſeſſus. In frigido porro renum apoſtemate balneum paretur ex ſequentibus herbis.

℞. Faſciculum ariſtarum avenac. rad. alth. Malvæ an. M. IIII. flo. chamæm. melil. anethi an. M. IIII. ſem. fænugræci, lini an. ℔. s. flo. Hypericon. M. IIII. coquantur in aq. ſolio infundenda, cui tepido crebro inſideat æger: à lavacro & alias quolibet die bis inungatur affectus locus ſequenti linimento.

Linimentum. ℞. Ol. chamæm. anethi, Hyperico. è ſcorpio, ol. laurin. an. ʒ II. ceræ parum, fiat linimentum, quod eluatur cum aq. juniperi, fiat linimentum. Poſt inunctionem imponatur emplaſt. de Meliloto, aut ſequens cataplaſma.

Cataplaſma. ℞. Rad. alth. ℥ II. iridis illyr. bacca. lauri an. ʒ II. ſpicæ celticæ, major. meliloti an. M. I. Pulverata commiſceantur cum vino q. s. inſtar pulmenti, concoquantur, fiat cataplaſma, quod tepidum applicetur. *Cautela.* In curatione apoſtematis renum ſtudioſè cavendum eſt, ne vel nimium refrigerando, vel impenſius calefaciendo tumor in ſcirrhum convertatur. Scirrhoſum autem apoſtema renum, ſi cui Medico occurrat, præſtat eum ab ejus curatione abſtinere. Eſt enim ut plurimum incurabile. Verum ubi Medicus, ut aliquid tentet, rogando cogitur, uti eis poterit remediis, quæ in curatione ſcirrhi epatici & lienis ſunt commemorata.

Rupto apoſtemate quid agendum. Rupto apoſtem. renum, quod ex purulenta urina cognoſcitur, mundificantia & conſolidantia, ſimulque diuretica tuto ac commodè exhiberi poſſunt. Subinde itaque bibat hydromel, & cum hauſtulo vini aſſumat crebrius ol. Terebin. gut. 9.

8. *Vlceratio renum quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quibus mediis curanda?*

Renum ulcus. Ἕλκωσις τῶν νεφρῶν, ulcus renum. Ulcerantur renes, ut & reliquæ carnoſæ partes, maximè intra ſuas cavernulas, & ſicut omnia alia ulcera, ita & renum, ad continui ſolutionem referuntur. *Cauſa.* Cauſæ προηγούμεναι ſive internæ ſunt, aut apoſtematis antecedentis ruptio, aut acrimonia puris, aliorumque erodentium humorum in cavernulis renum collectio, aut diſruptio venularum & arteriarum in ipſis renibus, aut lapidis in ipſis renibus contenti aſperitas & inæqualitas: προκαταρκτικαί ſunt medicamentorum venenoſorum renesque erodentium, qualia ſunt cantharides, aſſumptio, & renum violenta compreſſio ac vulneratio.

Signa. Signa communia renum vel amborum vel unius exulceratorum ſunt, dolor erodens cum gravitate circa regionem renis affecti. Renes exulceratos habentes, liberè & ſine impedimento mingunt, id quod in veſicæ exulceratione minime contingit. Si exulceratio renum ex rupto apoſtemate orta ſit, cum urina pus, ſanies, aut ramenta, aut carunculæ parvæ & oblongæ, & nonnunquam pili profluunt, ipſo Hippocrate atteſtante *Hipp. Aph. 76. l. 4.* qui 4. Aph. 75. inquit; ſi ſanguinem aut pus mingunt homines, aut renum aut veſicæ exulcerationem ſignificat. Quibus ſtatim adjungit, ſi in urina craſſa exiſtente carunculæ parvæ aut velut capilli fluitent, ii à Renibus excernuntur. In ulcere ex eroſione rupturaque orto, ſimiliter ex calculi aſperitate, utplurimum ſanguis cum urina emingitur ſine difficultate.

Prognoſtica. Prognoſtica ſigna: Si ulcera Renum maligna fuerint, tum pus exit fœtidum & lividum, & rariſſimè curari poſſunt, præſertim in ſenibus. *Renum exulcerationi ſæpè veſicæ ulcus ſuccedit.*

Cura-

Curatio. Curatio consistit in proba victus ratione, puris humorisque erodentium expurgatione, in remediorum cum internorum tum externorum applicatione.

Diæta. Quantum itaque ad victus attinet rationem, diligenter vitandi sunt crudi & concoctu difficiles cibi. Vitanda & omnia acria impensius calida, & quæcunque bilem gignere possunt, potissimum autem vehementia exercitia, commotionesque Corporis & equitatio fugienda sunt. *Cibus conveniens.* In cibo conveniunt omnia, quæ carnem mollem habent, veluti sunt Volucrum montanarum, caro hædina, pullorum & vitulina, ex piscibus squamosi, veluti sunt percæ, melanuri & luci atque cancri. Omnium autem convenientissimum alimentum est exulceratos Renes habentibus cremor ptisanæ & puls ex amylo cum lacte confectus. Conducit quoque lac caprillum cum ovi luteo permixtum, jusculum gallinaceum, & ova sorbilia. Ex fructibus uvæ passæ & amygdalæ dulces excorticatæ prosunt. *Potus.* In potu aq. hordei, in qua uvæ passæ, glycer. & cinamom. incocta sunt, convenit. Concedi quoque potest Vinum dilutum, lac amygdalinum, caprinum & ovillum. Venus ulceribus Renum pestilentissima est.

Venæ sectioni quando locus. Venæ sectio in Renum exulceratione parum conducit nisi in corporibus plethoricis biliosis & recalefactis, in quibus si necessitas exigit, secetur vena epatica affecti lateris primum, deinde & talaris.

Porro ante venæ sectionem, quin & citra eam plurimum confert crebro alvum sequenti Clystere eluere.

Enema. ℞. Mal. Alth. violar. Mercur. an. M. s. Furfurum M. I. Concisa coquantur in II. ℔. juris gallinæ pinguis ad tertias, colentur, & colati juris accipe ℥ XIII. in quibus dissolve Cass. ℥ I. hieræ picræ ℥ I. s. ol. violar. chamæm. an. ℥ I. s. salis ʒ I. fiat enema, quod tepidum infundatur, cum quo supinus jaceat æger, cruribus paululum erectis.

Multum prædicatur & menstrua vomitio in curando ulcere Renum, & hoc unicè curandum est, ne alvus obstruatur; Si vero constricta fuerit, statim vel jusculo prunorum dulcium saccaro conditorum, aut jusc. ping. gallinæ, aut glandibus, aut leni enemate lenienda aperiendaque erit. *Alvus emollienda.*

Tandem studiosè consideretur, qui potissimum vitiosi humores in corpore redundent, salsane pituita, aut retorrida bilis ulcus exacerbans, & primum præparetur redundans humor ad eductionem, deinde evacuetur leniter solventibus pharmacis. Pituita itaque præparetur sequenti potione.

In pituitosa causa digestivum. ℞. Rad. Fæni. petrosel. glycer. an. ℥ s. Hyssop. card. ben. flor. cent. min. an. M. s. sem. Anisi, fænic. alkakengi an. ʒ III. pass. min. ℥ s.

Contusa ac concisa coq. in ℔. II. aq. in dupl. vase per 2. horas, colentur, colato juri admisc. syr. de bethon. de hyssop. an. ℥ III. fiat potio, de qua mane ac vesperi hauriatur haustulus tepidus ℥ v. Exhausta potione evacuetur pituita sequenti haustulo.

Haustus phlegmagogus. ℞. Diaphæn. ʒ x. aq. card. ben. ℥ III. misce, fiat haustus. Si vero biliosus retorridusque humor Renes molestet, sequenti potione præparetur.

In biliosa causa digestivum. ℞. Syr. de cichor. cum Rhabarb. violar. rosar. an. ℥ III. aq. stillat. cicho. petrosel. an. ℔. I. fiat potio simul commiscendo, qua mane ac vesperi ebibita, sequenti haustulo evacuetur.

Purgans. ℞. Rhab. ʒ II. fol. senæ ʒ I. Contusa macerentur per noctem in ℥ v. aq. cicho. mane leniter ebulliant, colentur & colato jusculo admisce, aut ʒ II. elect. rosa. mes. aut ʒ III. elect. lenit. fiat haustus, qui sex horis ante prandium tepidus ebibatur. Aut exhibeatur per se, bolus ex cass. ʒ x. confectus.

Evacuatis vitiosis mordicantibus humoribus, quotidie bis medicamenta sunt exhibenda, quæ ipsum ulcus abstergant & mundificent, conglutinent & persanent, inter quę probatissima sunt lac caprillum cum rosa. melle dulcoratum, quod mane ac vesperi bibatur, aut lac equinum recens emulsum, aut hydromel, aut sequens potio. *Mundificantia & consolidantia.*

Potus. ℞. Symph. maj. rad. glycyr. an. M. s. ſem. malvæ, Capill. Ven. hippuris, veron. an. M. s. Rad. gram. ſemin. Alkak. an. ʒ III.

Contuſa ac conciſa decoquantur in vaſe duplici cum ℔. III. aq. per duas horas, colentur, & jus colatum commiſc. cum ſemin. 4. frig. ma. an. ℥ s. tenuiſſimè contritis, ac tandem rurſum percolando fortiter expreſſis, fiat potio, de qua ſumat ℥ v. manè ac veſperi. Aut

Pulvis. ℞. Trochiſ. de Alkak. ſine opio ʒ I. pulveretur tenuiſſimè, & cum hydrom. hauſt. ebibatur ſingulis diebus bis. Aut exhibeatur mane ac veſperi ſequens e-lect. qu. ſemijuglandis.

Pulvis conglutinans. ℞. Pul. glycer. Tragac. an. ʒ II. Troch. de Alkak. ʒ III. conſer. ſymph. roſar. an. ℥ I. s. ſyr. de ſymph. Fernelii q. s. fiat electuarium.

Ulcere ſufficienter emundato, id quod deprehenditur, ſi non amplius pus cum urina profluat, tum ſeq. pulviſculo ulcus facilè conglutinari poteſt.

℞. Corall. rub. uſti & cum aq. plantag. ſexies eloti ʒ II. Hippuris aduſti & in cinerem redacti ʒ I. Maſtic. ſarcocollæ, ſang. dracon. an. ℈ II. ſacca. cand. ℥ II. Miſce tenuiſſimè pulverata, cujus ʒ II. aſſumantur mane ac veſperi cum cremore ptiſanæ. Omnium autem præſtantiſſimum eſt remedium ad renum ulcera perſananda, *Decoctum chinæ.* decoct. rad. chinæ, cujus conficiendi & utendi rationem infra in morbi Gallici curatione deſcripturi ſumus.

Topica. Nec interim Topica prætereunda erunt. *Inſeſſus.* Erit itaque commodiſſ. patientem crebro in lavacrum collocare, in quo concocta ſunt rad. Alth. Malv. cum rad. herb. chamæm. faſciculus avenæ, ſemen fænugræci, lini an. ad libitum, ac ita coquenda ſunt, ut aq. ipſa in ſe recipiat & vires & lentorem rerum præſcriptarum. Poſt balneum inungatur affecta regio oleis ſequentibus & non tantum poſt balneum ſed & ſingulis diebus bis.

Linimentum. ℞. Ol. roſar. violar. amygdal. dulcium an. ℥ s. Mucag. rad. Alth. cum aq. roſar. factæ ʒ III. Miſceantur. Poſt inunctionem imponatur loco affecto ſequens cerotum.

Cerotum. ℞. Ol. roſar. Myrtillo. amygd. dulcium an. ʒ I. ceræ q. s. Fiat cerotum, cui adhuc tepido admiſc. pul. maſti. thuris an. ʒ. III. farinæ hordei q. s. ad condenſandum cerotum, quod extendatur per alutam & ſyndone obducatur.

Reliqua huic affectioni convenientiſſima pharmaca in curatione exulceratæ veſicæ, (utrumque enim viſcus exulceratum iiſdem remediis curari poteſt) commemorabuntur.

9. *Sanguinis ex renibus mictio quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & qua ratione curanda?*

Mictio cruenta. Αἱμοῤῥαγία τ̃ νεφρῶν, ſanguinis ex renibus profluvium eſt, ubi ex Renibus per urinatorios meatus cum lotio ſanguis emingitur. *Unde ſanguis profluat.* Sciendum autem ſanguinem omnem per virgam profluentem, procedere aut ex renibus, aut ex ureteribus, aut veſicæ collo, aut pudendo, exulceratis aut vulneratis, id quod earum partium acrior dolor & purulentus ſanguis indicat. *Differentia loci affecti.* Dolor quidem adeſt in Renum exulceratione circa lumbos, in ureterum circa Ilia, in colle veſicæ circa pectinem, in pudendi verò in ipſa virga. Ubi vero ſanguis ſine dolore ac purulentia profluit, id contingit aut propter dilatationem venarum emulgentium ureterumque, aut propter retentricis facultatis in Renibus imbecillitatem, aut propter ruptionem venarum, aut propter διαπήδησιν *ſeu tranſudationem, aut propter* διάβρωσιν, id eſt eroſionem, aut propter ἀναστόμωσιν, id eſt orificiorum venarum apertionem in enumeratis partibus. *Differentia ſanguinis excreti quid denotet.* Omnis autem ſanguis emictus aut eſt ſincerus & repente profluens, qui ex dilatatione aut ruptione venarum oritur, aut eſt purulentus, & cum dolore excernitur, & exulcerationem dictarum partium oſtendit, aut dilutus ac ſeroſus, ſenſimque ac paulatim profluit & ἀναστόμωσιν, aut ſi adeſt in mejendo acredo διάβρωσιν indicat. Verum hoc

hoc loco nobis de ſanguinis mixtione ex Renum duntaxat affectionibus proveniente ſermo erit.

Cauſa interna. Cauſæ προηγουμέναι ſanguinis ex Renibus profluentis ſunt venarum emulgentium laxitas, facultatis retentricis in Renibus imbecillitas, Renum Ureterumque exulceratio, aſperitas calculi in Renibus aut ureteribus hærentis, humores acres ſanguini, qui ad Renes defluit, commiſti, orificia venarum in renibus aut aperientes aut erodentes.

Externa. Προκαταρκτικαὶ cauſæ ſunt alimentorum acrium ac potiſſimum vini meracioris immoderata uſurpatio, venarum orificia aperiens aut erodens; balnea calida crebriora venas laxantia, venenatorum remediorum, præſertim cantharidum, qui Renes & veſicam ſua ἀντιπαθείᾳ ac proprietate urenteque qualitate, reliquis partibus illæſis, exulcerant, aſſumptio, lapſus aut ictus lumbis illatus, ſaltatio & equitatio violenta, Venusque immoderata.

Signa cauſar. diverſarum. Signum ſanguinolentæ mictionis eſt evidens, ſed cauſarum ſigna ſunt paulo obſcuriora. Dignoſcitur tamen laxitas venarum emulgentium & retentricis facultatis Renum imbecillitas ex profluvio ſanguinis diluto ac ſeroſo, qui ſine dolore profluit, & quidem paulo poſt aſſumpta alimenta copiosè emingitur. In Renum exulceratione vero aut calculi aſperitate, ſanguinis mictioni adeſt acris dolor circa lumbos, & ſanguis profluit purulentus. In apertione orificiorum aut eroſione venarum ſanguis profluit ſeroſior ac aquoſior, & ſine quidem inſigni dolore. Ita & in ruptione purus ſanguis & confertim repentè mingitur. Externæ cauſæ ex ante actis vitæ actionibus, & relatione ægri inveſtigari poſſunt.

Prognoſtica. Prognoſtica ſigna ſunt: Sanguinis mictio non ſtatim curata in καχεξίαν, & totius corporis macilentiam conjicit. Hippocrat. 78. Apho. l. 4. Quicunque ſponte ſua repente ſine manifeſta cauſa ſanguinem emingunt, iis à renibus venula rupta eſt.

Curatio. Curatio pro cauſarum varietate variabitur. Conſiſtit autem in victus ratione, venæ ſectione, & medicamentorum cum internorum tum externorum adminiſtratione.

Diæta. In victus ratione uſurpanda ſunt alimenta quæ Renes corroborant, conſtringunt & conſolidant. Primum itaque ab omni vehementiori exercitatione ac potiſſimum à Venere & equitatione abſtineat ſe æger. *Cibus conveniens.* In cibis aſſa quam elixa magis conveniunt. Ex carnibus proſunt, capreolorum, Anſerina, anatina, pullorum, columbarum & aviculorum. Ex leguminibus oryza cum lacte ovillo aut caprino. Ex fructibus amygdalæ dulces, lac quoque caprillum aut ovillum in quo ferrum aut ſilices candentes ſunt extincti, eſitari ac bibi poteſt. *Potus.* Potio ſit vinum rubeum, cereviſia non adeo plena, probè tamen cocta, in qua macerati ſunt caryophylli. Omnia urinam moventia vitentur, item acria omnia & aromata exceptis caryophyllis: Alimenta aceto præſertim roſar. condiri poſſunt. Proſunt & ovorum lutea in aceto macerata.

Venæ ſectio. Venæ ſectio in ea ſanguinis mictione duntaxat eſt adhibenda quæ plethoricis corporibus contingit, & quæ ex ruptis venulis in Renibus profluit. Secabitur autem vena epatica aut mediana dextri humeri: debet autem ſanguinis emiſſio per venam ſectam per vices fieri, nimirum venam ſectam digito ſubinde comprimendo aliquandiu & rurſum laxando. *Cucurbitula.* Quin ſi calor circa lumbos ſentiatur in mictione urinæ, poſſunt cucurbitulæ lumbis commodè affigi.

Medicamenta. Quantum porro ad medicationem attinet, ſi ſanguis cum urina defluens ex eroſione aut apertione venarum à renibus ortum habeat, primum bilioſus aut acris ſalſusque humor venas erodens, neglecta ejus præparatione, leni purgante hauſtulo ſubducendus eſt, qui hoc modo parabitur.

Hauſtus purgans. ♃. Decoctionis florum ac fructuum, cujus deſcriptio parandique ratio extat in Diſpenſatoriis, ℥ v. in quibus macerentur per noctem Rhab. fol. ſenæ an. ʒ I. Mane ebulliant leniter, colentur, fortiterque exprimantur, expreſſo liquori admiſce el. roſati, Diacatho. an. ℥ I. & tepidus ſex horis ante prandium ebibatur.

Sanguinem cum urina profluentem sistentia. Potio.

Omne genus profluvii sanguinis cum urina reprimunt ac sistunt sequentia pharmaca.

♃. Succi Rad. symph. ma. polygoni sive corrigiolæ, lysimachiæ luteæ an. ℔. I. aut si tempore hyberno haberi nequeant succi, loco eorum ♃. Rad. symph. ma. ℥ I. corrigiolæ, veronicæ an. M. I. caryoph. ʒ II. coquantur cum vini rubei ℔. III. in duplici vase ad 2. horas, colato vino, aut succis præscriptis admisce saccari ℥ IV. simul ebulliant, ac rursum colentur, fiat potio, cujus mane ac vesperi ebibat æger ℥ IV. calefactas: aut apparabitur sequens pulvisculus.

Pulvis.

Essentiam croci ♂ Chymici hic exhibent.

♃. Rad. Symp. ma. veron. cornu cervi usti, corall. rub. præpar. an. ℈ I. Boli Armeni, lap. hæmat. Tragacanthi, sanguin. Dracon. an. ʒ s. omnibus tenuissimè pulveratis & commixtis, fiat pulvis, cujus ʒ I. mane ac vesperi cum haustu tepido vini rubei assumantur.

Simili ratione prodest ʒ I. Trochis. è succino cum ovillo lacte assumpta. Aut

♃. Fol. salicis, lysimach. glandularum an. ʒ I. fiat tenuiss. pulvis, cujus ʒ I. mane ac vesperi ebibatur.

Ad ardorem renum & mict. cruentam. Potio.

Si ardor Renum circa lumbos percipitur cum urinæ sanguinolenta mictione, tum

♃. Aq. stillat. rosar. plantagin. portul. an. ℥ I. quibus admisce philonii Romani ℈ I. fiat haustus. Aut

Electuarium.

♃. Mucilag. ex sem. papaveris albi cum aq. rosar. confectæ ʒ s. Dyacyton. ex succo sine aromat. confecti, conserv. rosar. an. ℥ I. Trochis. è carabe ʒ I. Rasuræ eboris, cornu cervi an. ʒ s. caryoph. ℈ I. fiat elect. cujus semper 2. horis ante prandium cæ namque assumat æger q. semi juglandis. *Hic unica cura est, inquit Paracels. l. I. de Tartaro tr. 3. c. I. ut urina fiat incarnativa, per ea quæ habent vim salis in se cum incarnatione, ut sunt potiss. thus, mastix, mumia, &c.*

Topica.

Interim nec Topica negligenda erunt remedia, sed subinde regioni Renum applicentur sequentia pharmaca. Si calor sentitur in Renibus, lumbis imponantur fol. querci aut rubi per se aut simul juncta, aut sequens cataplasma.

Cataplasma.

♃. Fol. querci, rubi an. M. II. rad. torment. Balaust. cort. granatorum an. ℥ I. gland. myrtill. an. ℥ s. Pulverata concoquantur in vino rubeo ad pultis formam, eisque admisce ol. rosar. cyton. an. ℥ I. farinæ hordei, fabarum an. q. s. ad formæ cataplas. inductionem, fiat cataplasma, quod bis singulis diebus recalefactum lumbis imponatur.

Porro si post cohibitionem sanguinolentæ urinæ maneat exulceratio in renibus, ipsa exulceratio methodo & medicamentis paulo ante in curatione exulcerationis renum dictis, persanabitur.

10. *Urinæ profluvium continuum seu Diabetes quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curandum?*

Diabetes quid.

Διαβήτης à Διαβαίνω id est transeo vel trajicio dicta, est potus ut assumptus est sine ulla alteratione per Renes & vias urinæ transmissio, cum vehementissima continuaque siti: Cognationem habet hoc malum cum hydrope & cum lienteria. Ut enim hydropi vehementiss. adest sitis, & in lienteria assumptus cibus nondum alteratus per alvum dejicitur: ita in Diabete semper adest intolerabilis sitis: & potus assumptus minimè alteratus per viam urinæ perfluit, unde hoc malum & ὕδρωπα τῶν νεφρῶν, & διψακὸν, id est siticulosam affectionem vocant. *Rarus est affectus, quem Galenus se tantum bis in vita sua vidisse testatur l. 6. de loc. affectis.*

Ejus cognati affectus.

Siticulosa affectio.

Causa interna.

Causæ προηγούμεναι sunt immoderata caliditas & sicca intemperies Renum aut sola aut conjuncta cum aliquo humore acri vel bilioso, vel pituita serosa ac salsa, quibus aut Renes aut totum corpus est imbutum: qua intemperie & humorum acrimonia labefactantur facultates naturales Renum; Attractiva & Expulsiva præter naturam

ram excitantur, Alterativa & retentiva prorſus extinctæ jacent. Προκαταρκτικαὶ ſunt vini meracioris immoderata potatio, & ſalſamentorum crebrior eſitatio.

Externa.

Modus generationis diabetes.

Generatur autem hoc modo diabetes. Renes ſicci & calidi extenſa nimium facultate attractiva citiſſimè ſerum ſanguinis vel aquoſam humiditatem, non tantum ex epate, ſed ex venis totius corporis & ex ventriculo attrahunt & ſugunt, ſenſimque ſitim in orificio Ventriculi ingentem excitant, oblatumque ventriculo hauſtum, ſtatim rapiunt, & per venas Meſaraicas & epar attrahunt, ſed attractam humiditatem propter Retentivæ & Alterativæ potentiæ extinctionem, nec retinere nec alterare poſſunt, ſed potum crudum ſtatim à ſumptione dejiciunt ac tranſmittunt. *Interdum etiam plus quam aſſumpſerunt, ſicuti Gatinaria meminit cujuſdam puellæ Mediolanenſis, quæ quotidie mingebat 16. lagenas urinæ, cum tamen vix unam potarat.*

Signa.

Signa Diabetis ſunt, pertinax & inſatiabilis ſitis, potioniſque deſiderium, multa & frequens urinæ crudæ ſtatim è potu ſumpto mictio, animi anxietas, lumborum coxarumque intumeſcentia, ardor ingens viſcerum, ſalivæ albæ & ſpumoſæ crebræ expuitiones, poſtea ſubſequitur totius corporis tabes.

Prognoſtica.

Prognoſtica ſigna ſunt: ſi Diabetes paulo diutius duret, ob exiccationem omnium venarum, tabes totius corporis, & tandem mors ſubſequitur. Diabetes febribus ardentibus ſuperveniens mortalis eſt. *Ubi tamen diligenter hic affectus à critica urinæ copioſa excretione diſcernendus eſt. Contingit namque interdum ut aliquot libræ urinæ paucarum horarum ſpacio excernantur, in febribus ardentium declinatione, abſque ulla noxa, ſed potius cum levamine & reſtitutione ægri.*

Curatio.

Curatio Diabetis etſi difficillima ſit, in initio tamen quidam curati ſunt, ſubſequentibus præſidiis adhibitis. Conſiſtit autem curatio in victus ratione, venæ ſectione, & remediorum cum internorum tum externorum adhibitione. Omnia autem hæc inſtitui ac dirigi debent ad refrigerationem ac humectationem renum reliquorumque viſcerum.

Diæta.

In victus ratione itaque aër in quo decumbit æger debet eſſe frigidus vel natura vel arte, ſomnus ægro imperandus eſt quam fieri poteſt longiſſimus, alvus ſit lenis, vitetur exercitium motuſque corporis & quicquid calefacit & exſiccat. Alimenta ſive cibi ſint craſſioris ſubſtantiæ, & qui difficilius concoquuntur, temperamento vero ſint frigidi & humidi, & qui in ventriculo diutius hærere queant. Laudantur itaque ſuillæ carnes macræ, potiſſimum autem pedes & roſtra ſuilla, item pedes vitulini & capita, caro leporina, caſeus recens ſine ſale compactus, lac per ſilices aut ferrum candens concretum, ſero abjecto, lac amygdalinum, oryza cum lacte cocta, ova dura, olera cocta ex intybo ac lactuca, ex piſcibus lupi, ſynodentes, & cancri fluviatiles, ex fructibus pyra, atque mala punica, caſtanea, & nuces avellanæ. Vitentur autem omnia ſalſa & acria atque diuretica.

Cibus utilis.

Potus.

In potu conveniunt vinum rubeum & craſſum cum aqua chalybeata, aut aqua hordei dilutum, & aqua hordei ex torrefacto hordeo confecta, item ſucci mali punici, pyrorum, pomorumque aq. hord. commixti. Sorbitiones quoque conveniunt cremoris ptiſanæ, in quo baccæ Myrtill. aut pyra aſtringentia ſunt incocta.

Venæ ſectio.

Venæ ſectio non niſi in morbi principio eſt adhibenda. Inveterato enim malo plus nocet quam conducit. Secanda autem erit vena epatica dextri humeri & ſanguis parce moderateque extrahendus eſt.

Frigida potus utilis.

Quantum autem ad medicationem attinet, aq. frigidiſſ. largius hauſta & ſtatim iterum per vomitum rejecta, idque crebro tentatum, refrigerando viſcera, plurimis auxilium tulit.

Theriaca ſitim hic ſedat.

Præterea, etſi rationi adverſum eſt, tamen in diabete ſitim mirificè ſedare creditur Theriacæ Androm. nonnihil, crebrò uſurpatum. In principio morbi ſi renes aut bile aut ſeroſa ſalſaque pituita imbuti eſſe deprehendantur, aut totum corpus iiſdem humoribus ſit refertum, bilis quidem acrimonia mitigetur, ſequenti pharmaco,

Potio temperans acrim. bilis. maco, ter quaterque assumpto. ℞. Syr. de Nymph. rob. de berberis an. ℥ I. ß. aq. card. bened. cichorii an. ℥ II. fiat haustus. Tertio deinde die subducatur biliosus humor sequenti haustu.

Haustus cholagogus. ℞. Rhab. ʒ II. sem. anisi ℈ I. contusa macerentur in ℥ v. aq. cichor. post 24. horas tepefiant, & fortissimè exprimantur ac colentur, cui jusculo admisc. elect. rosat. Mes. ʒ II. fiat haustus, & assumatur sex horis ante prandium.

Potio digerens pituitam salsam. At si pituita salsa infestet renes, præparetur primum ad eductionem sequenti haustulo.

℞. Syr. ex succo card. bened. ℥ II. aq. absinth. ℥ IV. misceantur, fiat haustus, qui quater reficiatur, & mane ac vesperi tepidus ebibatur per 2. dies, tertio die subducatur serosa pituita sequenti haustulo.

Haustus phlegmagogus. ℞. Agar. troch. ʒ I. s. fol. senæ ʒ I. sem. anisi ℈ I. contusa macerentur per noctem in ℥ v. aq. stillat. flor. sambuci, deinde expressa colentur, colato jusculo admisc. diaphæn. Fern. ʒ II. s. fiat haustus, qui tepidus in aurora 6. ante prandium horis ebibatur.

Balneum sudoriferum. Post subductos vitiosos humores utilissimum erit & sudorem prolicere in dolio per vaporem silicum candentium cum decocto chamæm. aspersorum. Inter sudandum autem caput dolio exerendum est, & frigidus aër per respirationem hauriendus. Post sudorem ac deinde mane ac vesperi offeratur bibendus haustus aquæ hordei torrefacti tepidus, in quo prius resolvantur ℥ I. s. conserv. rosarum, & rursum percolatus: aut offeratur frequenter sequens potio.

Potio à balneo usurpanda. ℞. Succi acetosæ ʒ III. syr. è succo borag. ℥ I. aq. cichor. ℥ II. misceantur, fiat haustus, qui crebro reiteretur.

Porro ad retentricis renum facultatis restitutionem valde conducere testatur Amatus Lusitanus, si singulis diebus in aurora sequens haustulus offeratur.

Potio retentricem renum facultat. roborans. ℞. Syr. myrtill. rosati, ex infusione rosarum siccarum facti, an. ℥ s. Pul. troch. è terra sigillata, de spodio an. ℈ I. aq. stillat. calicum rosarum plantaginis, polygoni an. ℥ I. ß. fiat haustus. Aut

℞. Succi corrigiolæ, symph. defecati, vini rubei austeri an. ℥ I. fiat haustus.

Philonium. Ubi vero hæc præscripta nullum adferunt præsidium, tum præstantissimum est pharmacum si ℈ II. aut ʒ I. elect. philonii Persici aut Romani vocati cum decoct. Polygoni cum vini nigri ℥ III. exhibeatur. Refrigerat enim & stuporem infert renibus, attractivamque ejus vim frænat.

Topica. Interea nec Topica negligenda erunt, sed Renum regioni subinde imponenda sunt sequentia remedia.

Indies inungantur lumbi bis sequenti linimento, ac non tantum lumbi sed & hypochondria & pecten.

Linimentum. ℞. Ol. rosar. Nymph. cyton. papaverini an. ʒ II. unguenti populini ʒ I. s. ceræ albæ parum. Fiat linimentum, quod eluatur cum succo plantaginis & postremo admisce parum aceti rosar. Tandem post inunctionem dextro hypochond. sive regioni epatis sequens emplastrum imponatur.

Emplastrum epati imponendum. ℞. Ol. rosar. Nymph. an. ℥ I. ceræ q. s. fiat emplastrum, quod tepidum eluatur in succo plantag. & cichor. & deinde admisceantur tepido pul. rosar. sandalor. omnium an. ʒ s. extendatur per alutam & syndone rubea obducatur, & artificiosè intersuatur epatique applicetur. Renibus autem & pectini, ureterumque regioni sequens cataplasma imponatur.

Cataplasma renibus & pectini applicandum. ℞. Suc. portulacæ, lactucæ, capitum papaveris, solani, polygoni, aceti rosar. an. ℥ I. in quibus macerentur sem. hyosci. Cyton. papav. an. ʒ II. tragacanti ʒ s. fiat mucilago quæ fortiter exprimatur, cui admisc. ol. rosar. ℥ II. farinæ hordei, quantum ad incorporationem sufficit, fiat cataplasma, quod quotidie bis per duplicatum linteolum extendatur, & tepidum prædictis locis applicetur. Aut

℞. Viridium herbarum videlicet hyosci. pa-

ci. papav. solani, pampin. sive fol. vitis, portulacæ, umbilic. Veneris, lentium aquaticarum an. M. s. contundantur eisque admisc. santalorum rub. balaust. an. ℥ s. farinæ hordei q. s. fiat cataplasma. Epati quoque præter supra scriptum emplast. commodè imponi possunt singulæ vel simul mixtæ sequentes herbæ.

Epithema pro hepate. ℞. Fol. Taraxaconis, cichor. Acetosæ an. M. 1. contusa imponantur. Renibus & ureteribus si alia ad manus non sunt, commodissimè imponi possunt fol. plantag. aut fol. Nymph. per aquas natantia. *Pro renibus.*

SECTIO II.

DE VESICÆ MORBIS.

1. *Vesica urinatoria quid, & quibus morbis afficitur?*

Vesica quid. VEsica, κύστις, est receptaculum urinæ, ex tribus membranis constructum, situm inter ossa pectinis, incumbens recto intestino, cujus cervix deorsum in meatum virgæ virilis inseritur, in fæmellis verò vesica inter matricem & os pectinis collocata est. Etsi autem longo intervallo distat à renibus, tamen per ureterum interventum eis colligata est, & per sympathiam semper affectis renibus & ureteribus, & ipsa simul afficitur. *Ejus sympathia cum renibus.* Variis afficitur morbis vesica, quorum præcipui sunt:

Vesicæ affectus præcipui.

- Inflammatio vesicæ,
- Ardor urinæ,
- Exulceratio vesicæ,
- Urinæ difficultas,
- Urinæ stillicidium,
- Urinæ suppressio totalis,
- Urinæ involuntaria fluxio,
- Calculus vesicæ.

2. *Inflammatio vesicæ quid, quæ ejus causa, quæ signa, & qua ratione curanda?*

Inflammatio vesicæ quid. Φλεγμονὴ τ̃ κύστεως est ubi ipsa vesica urinatoria per accidens incalescit. Natura enim sua, vel per se est frigida, sicca, ut omnes aliæ membraneæ partes.

Causæ. Causæ προηγουμέναι inflammationis vesicæ sunt urina ignea ex renibus inflammatis in eam defluens, aut crassus putridusque humor jamque inflammatus, vesicæ meatus occludens.

Προκαταρκτικαὶ sunt diuturna retentio urinæ fæculentæ, crassæ turbulentæque, & venenata pharmaca, ac calidiora diuretica, ut sunt cantharides & ol. vitriol. non probè præparatum atque rectificatum, si quis eo inconsultò utatur.

Signa. Signa inflammatæ vesicæ communia sunt cum his, quæ in calculo vesicæ & difficultate urinæ annotabimus. Semper autem ardor sentitur in hypogastrio & circa inguina, quibus accedunt & febricula & vigiliæ, & urina difficulter & cum summo ardore per virgam destillat aut effluit, alvus ut plurimum suppressa est.

Prognostica. Prognostica: Vesicæ inflammatio ut rarissima est affectio, ita periculosissima. *Hippocr. l. 2. Prognost. c. 14. vesicæ duræ & dolentes, perniciosæ sunt. Exitiales vero maximè, quæ cum febre continua fiunt. Corripiuntur hoc affectu potiss. pueri à 7. ad 15. annum.*

Curatio. Curatio inflammatæ vesicæ consistit in victus ratione, venæ sectione, & remediorum tum internorum tum externorum exhibitione.

Diæta. In victus ratione imperanda est ægroto moderata diæta, cibis utatur refrigerantibus, ut cremore ptisanæ, prunis Ungaricis & piscibus fluviatilibus, ut sunt gobii & melanuri seu percæ aculeatæ, & ea omnia alimenta conveniunt, quæ paulo ante in renum inflammatione sunt commemorata. Potus erit aq. hordei aut lac sem. frigid. maj. cum aqua lactucæ confectum: uti quoque moderatè poterit cerevisia clara & refrigerante, qualis est Brunsvicensis, & huic similibus.

Venæ sectio. Vena si vires & ætas tolerant secanda: verum ut in omnibus ferè morbis venæ sectio-

nem efflagitantibus admonuimus, ita & hoc loco alvus, quæ semper in hoc malo est obstructa, clystere prius est eluenda, qui hoc modo parari potest.

Enema. ℞. Violar. Mercu. an. M. I. sem. malvæ, alth. an. M. s. Lini ℥ s. psylii ʒ II. Concisa & contusa coquantur in q. s. aquæ ad tertias, colentur, colati juris accipe ℔. I. cui admisce el. lenit. ℥ II. ol. violar. ℥ II. anethi ℥ I. salis ʒ s. fiat clyster, qui tepidus recto intestino infundatur, & si dolor acerbior justo sit, leniendi ejus causa clysteri admisceri possunt gr. opii III. in aq. rosar. soluti.

Quæ vena incidenda. Post elotam alvum, statim, si corpus vel est plethoricum vel adsit febricula, & vires perferre possint, secetur vena epatica dextri humeri primum, deinde si necessitas exigat, tertio die & vena talaris in pede commodè incidi potest.

Evacuantia. Post venæ sectionem interna remedia sequentia adhibenda sunt, & primum devoret æger ʒ X. cass. hora una ante cibum, aut ℥ I. elect. lenit. assumat in haustulo aq. endiv. 6. horis ante prandium: postea utatur quotidie manè ac vesperi lacte sem. hac ratione præparato.

Emulsio. ℞. IIII. Sem. frigid. ma. an. ℥ s. sem. portulacæ, papav. albi an. ʒ III. contundantur tenuiss. eisque admisc. conser. rosa. viola. facca. candi an. ℥ I. aq. alka. cicho. an. ℔. I. s. subigantur omnia probè, & agitentur in mortario, deinde percolentur, exprimantur, fiat potio cujus ℥ V. aut VI. pro vice frigidæ ebibantur.

Topica. Quantum ad externa remedia retinet; statim post venæ sectionem applicentur hypogastrio & pectini sequentia Topica. Pri-*Insessus.*mum crebrius insideat æger solio aq. tepida repleto, in qua aq. sint incocta rad. ac fol. malvæ & alth. violar. fol. salicis & cap. papav. an. M. IIII. aut quantum sufficere videbitur. Insideat autem in hoc decocto æger per spacium unius horæ, aut quousque perferre potuerit, ita ut liquor umbilicum attingat: post balneum inungantur pecten, inguina & tota vesicæ regio sequent. oleis.

℞. Ol. chamæm. anethi an. ʒ II. violar. papav. an. ℥ s. Muccil. sem. lini, psylii & citon. simul contusorum & cum aq. solatri macerat. & conf. ʒ III. misce. *Linimentum.*

Postea si per hæc remedia nondum dolor mitigetur, seq. liquor apto instrumento sive siphone per virgam in capacitatem vesicæ impellatur.

℞. Cap. papa. cum seminibus, baccar. halicacabi, fol. solani an. ʒ III. concisa coquantur cum q. s. aq. malvæ. Hujus decocti liquoris accipe ℥ III. cui admisce ol. nymph. viola. an. ʒ II. ping. gallinæ resolutæ ʒ I. fiat enema, vesicæ infundendum. *Liquor per catheterem infundendus.* Quin & vesicæ regioni totique hypochond. commodissimè sequens cataplasma viridium herbarum crebro imponi debet.

℞. Fol. alkak. solani, hyosch. an. M. III. cap. papav. veris cum seminib. M. II. His omnibus contusis, succus exprimatur eisque admisce q. s. farinæ hordei, & concoquantur ad pultis crassitiem, fiat catapl. quod tepidum imponatur. *Cataplasma anodynon.*

Majori adhuc urgente necessitate, formetur suppositorium in crassitiem arundinacei calami & longitud. minimi digiti ex opio Theba. ad ignem calefacto, quod syndone involvatur, filoque appenso recto intestino inseratur, & post semihoram rursum eximatur, postea iterum inseratur, donec dolor cessaverit. *Non omnino tutum est hoc remedium, nam facilè stuporem & apoplexiam inducere potest.*

Porro si inflammatæ vesicæ superveniat & urinæ omnimoda suppressio, quod non caret periculo, tum cathetere urina est elicienda, & ejusmodi remediis, quæ suppressioni urinæ sunt dicata, exceptis tamen inflammationem augentibus. Reliqua remediorum genera ex curatione inflammationis renum & epatis huc transferri & accommodari possunt. *Ol. ♄ & saccharum ex eo confectum optimè dolorem sedat.*

3. *Ardor urinæ quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo extinguendus?*

Καῦσις τοῦ οὔρου est, ubi inter emingendum in cervice vesicæ & in meatu virgæ ardor & punctilis cruciatus persentiscitur, qui morbos vesicæ, ut inflammationem, exulceratio- *Ardor urinæ quid.*

tionem & calculum ut plurimum ſequitur.

Cauſa. Cauſæ προηγούμεναι: ardoris urinæ ſunt humores acres & acidi; veluti eſt bilis tenuis, & ſalſa acidaque pituita urinæ mixta ex renibus in veſicam profluens, aut ſanies ex ulcere renum, aut corruptum ſemen ex teſtibus in virgam defluens.

Προκαταρκτικαὶ ſunt eduliorum calidorum acriumque crebrior & intempeſtivus uſus, immoderata intempeſtivaque Venus, potiſſimum ubi mulierculæ menſibus laborant: item ſemen muliebre corruptum venenatum acre ſeroſumque glandi virili in actu Venereo adhærens, quale eſt mulieribus Gallica lue infectis. *Quæ cauſæ in curatione diligenter ſunt diſtinguendæ.*

Signa. Signa ardoris ex relatu ægri manifeſta ſunt, cauſſas vero indicantia ſunt; dolor circa Renes ac lumbos, ex renibus malum oriri: calculi excreti, gonorrhea, & ſanies per virgam prodiens ſine lumborum dolore, in veſica teſticulis vel paraſtatis mali cauſam eſſe oſtendunt.

Prognoſtica. Prognoſtica: Ardorem urinæ ex commercio impuratum mulierum contractum, ut plurimum Gallicus morbus ſubſequitur. Ardor urinæ niſi tempeſtivè reſtinguatur, brevi cervicem veſicæ & virgam exulcerat.

Curatio. Curatio pro cauſarum diverſitate varianda erit. In omnibus autem cauſis ardorum id conandum, ut cum alimentis tum medicamentis calidam intemperiem mitigemus.

Diæta. Primum itaque in victus ratione vitet æger omnia ſalſa,acria,diuretica&calefacientia, utaturque alimentis refrigerantibus ut cremore ptiſanæ, hordeo excorticato in juſculo carnium, prunis Ungaricis, ovis ſorbilibus, herbis acetariis ut lactuca, portulaca & ſtolonibus Aſparagi. Deinde ſi ardor urinæ ab acrimonia aut bilioſorum aut ſeroſorum humorum ſit ortus, & dolor in pene excitatur, tum omnium primum alvus ſubducenda erit hujusmodi clyſtere.

Enema. ♃. Fol. mal. alth. Mercur. viola. an. M. I. Conciſa coquantur in q. s. aq. ad tertias, colentur, colati juris accipe ℔. I. cui admiſce diacathol. hier. ſimpl. ℥ I. s. ol. violar. chamæm. an. ℥ I. ſalis ʒ I. fiat Enema, quod tepidum applicetur.

Venæ ſectio. Poſt ſubductam & exoneratam alvum, ſi corpus ſit plethoricum aut temperatura calidum, vena Baſilica ſive epatica dextri humeri incidatur,ac ſubſequenti deinde die *Purgantia.* bilioſior & ſeroſior pars ſanguinis ſequentibus remediis evacuetur.

Hauſtus. ♃. Rhab. el. ʒ I. fol. ſenæ ʒ II. ſem. aniſi ℈ I. Contuſa macerentur in aq. lactucæ ℥ v. per noctem, mane ebulliant, & expreſſa colentur, colato juſculo admiſceantur diacathol. Diaphæ. an. ʒ II. fiat hauſtus, qui tepidus 6. horis ante prandium ebibatur. Aut devorandæ offerantur ʒ x. caſſ. recent. extract. *Bolus.* aut ℥ III. ſyr. roſar. ſolut. in hauſtulo aq. cichor. reſolv. tepidæ ebibantur. Aut

Decoctum. ♃. Cort. ſambuci interioris M. I. Flor. centaur. mi. p. I. conſer. Roſar. Fuma. Nymph. an. ℥ s. Rhab. ʒ II. Conciſa contuſaque in duplici vaſe cum ℔. III. ſeri lactis caprini per 2. horas concoquantur, & refrigerata colentur, colati juris ebibat æger mane ac veſperi ℥ v I.

Alterantia. His ita peractis alteretur calida intemperies epatis ac renum ſequenti potione ſive lacte ſem. quod & ardorem urinæ extinguit.

Emulſio. ♃. IIII. Sem. frig. maj. an. ℥ s. ſem. papav. albi, portulacæ an. ʒ VI. contundantur tenuiſſimè, eisque admiſc. conſer. roſar. nymph. an. ℥ I. ſacca. candi ʒ VI. aq. lactucæ, endiviæ, cichor. an. ℔. I. diligenter ſubacta & commixta in mortario, exprimantur & percolentur, fiat lactea potio. Aut

Pulvis. ♃. Sem. melo. excorticati ℥ s. cucum. cucurb. citrul. portulacæ, papav. albi an. ʒ II. Tragacanti ʒ I. s. Gummi arab. ʒ s. ſem. maj. concidantur minutiſſimè, reliqua omnia pulverentur exactiſſimè, eiſque admiſceatur ſacca. cand. violar. pulverati ℥ I. fiat pulvis: cujus ʒ II. mane ac veſperi in aq. hordei aut plantag. ebibantur.

Aut

Trochisci Alkakengi.

Aut exhibeatur mane ac vesperi ʒ I. Trochisc. Alkak. in pulverem redactorum, qui sine opio sunt confecti. Quanquam si necessitas exigat, & cum opio confecti bis in septimana cum aq. lactucæ aut portulac. exhiberi possunt.

Topica.

Quod si vero dolor etiam post mictionem in virga perseveret, hæc Topica applicari possunt.

Liquor per catheterem injiciendus.

℞. Mucag. psylii cum aq. rosar. in qua camphora est macerata confectæ ʒII. lactis muliebris ʒ I. ol. rosar. ʒ I. s. Quæ commisceantur & per siphonem in meatum virgæ impellantur. Foris autem virgæ sequens epithema duplicatis linteolis exceptum circumponi debet.

Epithemata pro virga.

℞. Mucag. ex sem. cyto. & psylii cum q. s. aq. rosar. & plantag. confectæ, in qua madefiant, ut dictum est, linteoli & imponantur. Aut ovorum albumina cum aq. rosar. conquassata simili modo imponi possunt. ¶ Ardori autem urinæ, qui ex calculo aut inflammatione renum Vesicæque originem habet, quæ remedia conveniant, suis in locis commemorabuntur, similiter & ex Venerea contagione excitato ardori, in quo morbus Gallicus est metuendus, quibus præsidiis sit succurrendum, & ejus symptomatibus auxiliandum, in curatione morbi Gallici, & symptomatum ejus, quæ paulo post inter cutis affectiones describentur, petenda erunt.

4. *Exulceratio & scabies vesicæ quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quomodo curanda?*

Exulceratio vesicæ quid.

Ἕλκωσις τῆς κύστεως καὶ ψῶρα, vesicæ exulceratio & scabies. Exulceratio est continui solutio, scabies vero est pustularum species, utraque autem affectio cum ex iisdem causis ortum habeant & iisdem remediis curentur, earum tractationem hoc loco conjungendam esse duximus.

Quæ pars exulceretur.

In membraneo corpore vesicæ rarissimè accidit exulceratio aut scabies, frequentissimè autem in musculosa ejus cervice.

Causæ.

Causæ προηγουμέναι exulcerantes aut scabiosam reddentes vesicam sunt humores acres & erodentes, ut biliosi aut salsi & pituitosi, lotio in vesica collecto permixti, aut calculi asperitas in vesica generati, aut tuberculum abscessusque in cervice exortus: προκαταρκτικὴ est cantharidum assumptio, quæ vesicæ cervicem erodit reliquis partibus illæsis.

Signa scabiei.

Signa scabiosæ vesicæ Hippo. 4. Aph. 77. hisce verbis complexus est. Quibus cum urina crassa furfurea quædam excrementa simul prodeunt, his vesica scabie laborat.

Signa exulcerationis.

Exulcerationem autem vesicæ his notis deprehendendam docet 4. Aphor. 8. I. si quis sanguinem aut pus aut squamulas minxerit, & adsit gravis odor urinæ, vesicæ exulcerationem significat. Præter hæc signa & sequentia comparent, vehemens dolor circa pubem & infimum ventrem, difficultas urinæ, pus in fundo urinæ residens, cum dolore imi ventris, semper ulcus; furfures autem aut squamulæ, semper scabiem vesicæ significant.

An virga an vesica sit exulcerata ut discernendum.

Porro cum & ex ulcere virgæ sanguis & pus profluat, utrum virga aut vesicæ cervix sit affecta, hisce signis discernuntur. Ex ulcere vesicæ pus cum urina emingitur, & cum cruciatu infimi ventris continuo; ex ulcere vero penis pus ante urinam profluit, & inter mejendum in virgæ cavitate cruciatus sentitur. Præterea vesicæ exulcerationi ut plurimum adsunt febriculæ, vigiliæ, continui dolores, adeo ut æger vix se erigere queat. Notandum & hoc: Ulcere existente in capacitate vesicæ in fibris venosis, ramenta & mucosa una cum urina projiciuntur, & dolor continuus per totum infimum ventrem persentiscitur. Si vero ulcus est in cervice vesicæ, dolor circa pubem non perpetuus, sed tempore tantum excretionis urinæ percipitur.

Prognostica.

Prognostica Signa: Ulcus in capacitate vesicæ oboriens, propter membranosam ejus substantiam, rarò aut difficilimè curari potest. Facilè autem quod in ejus cervice hæret ulcus ex asperitate calculi in vesica exci-

excitatum poteſt curari, ſed non niſi calculo prius ſublato: calculi vero propulſio, propter ulcus, periculoſiſſima eſt.

Curatio. Curatio exulceratæ veſicæ conſiſtit in victus ratione & remediorum uſurpatione. Verum ut in aliis plurimis morbis, curatio ipſius morbi pauliſper intermitti, & ad ſymptomatum mitigationem omnium primum animus converti debet: Ita in exulcerationis Veſicæ Curatione primum ſymptota, deinde morbus eſt tollendus. Tria vero ſæva ſymptomata aut præcedere aut comitari conſueverunt veſicæ exulcerationem, calculus, veſicæ inflammatio, & cruciatus ſive dolor immenſus. Calculus autem qua ratione ſit evellendus vel repellendus, paulo poſt dicturi ſumus. Qua autem ratione inflammatio ſit mitiganda, paulo ante dictum eſt. Cruciatus vero ut ſit mitigandus nunc oſtendam.

Sympto-mata 3. primum curanda.

Dolorem ſedantia. Initio itaque in acerbatione doloris (fiunt enim exacerbationes per periodos in ulcere veſicæ) ſtatim dolor mitigandus eſt remediis Topicis, quæ foris infimo ventri ſive pectini imponi debent, in quem uſum plurimum conducit ſequens cataplaſma.

℞. Ol. roſar. myrtil. Cython. an. ℥ s. Album. ovorum n. III.

Probe ſimul conquaſſentur, eisque admiſc. pul. tenuiſſ. hordei & cadmiæ an. p. æ. & q. ad incorporationem ſufficiens, ut videlicet pultis craſſitiem conſequatur, fiat cataplaſma, quod duplicatis linteolis exceptum tepidum pectini imponatur. Aut applicetur ſequens epithema.

Epithema. ℞. Sem. cyton. pſylii, Alt. Malv. lini an. ʒ II. Contuſa parum macerentur per 3. horas in aquis plantag. roſar. an. ℔. s. cujus mucago percoletur, & duplicatis linteolis excepta inſtar epithematis applicetur: Præſtat ſimili ratione, ſi externis remediis dolor non ceſſaverit, ſequentem liquorem per ſiphonem ſeu catheterem argenteum meatui virgæ immiſſum in capacitatem veſicæ impellere.

Liquor per catheterem injiciendus. ℞. Lactis caprilli ℥ s. Candidum ovi unius, mucaginis pſylii cum aq. Roſar. factæ ʒ II. Commiſceantur, fiat liquor.

Vlceris curatio. Mitigatis cruciatibus tandem ulcus curandum eſt per victus rationem & medicamenta. In victus ratione nihil ſalubrius eſt ad ulcus veſicæ perſanandum quam crebrior potatio lactis caprilli, ſi modo abſit febris. Admiſcendum autem eſt lacti parum mellis roſacei, & nonnihil rad. glycyr. Proſunt & pruna Ungarica dulcia, item pulmenta ex amylo & lacte caprillo confecta: ptiſana cum hordeacea, tum avenac. Item piſces fluviatiles ſquamati. Vinum aut acetum, omniaque acria & impensè calida fugienda ſunt. Potus ſit aqua hordei, aut ſi abſit inflammatio, hydromeli. *Diæta.*

Medicamenta. Quantum ad medicamentorum rationem attinet, primum conſiderandum eſt ex quo humore lotio admixto, exulceratio ſit orta, ex ſalſane pituita, aut retorrida bile. Et ſalſa quidem pituita evacuabitur ſequenti hauſtulo.

Hauſtus phlegmagogus. ℞. Seri lactis caprini ℥ v. in quo macerenter per noctem Agarici, fol. ſenæ an. ʒ I. s. Mane leniter ebulliant, ac colentur, colatoque juſculo admiſc. diaphæ. ʒ v. fiat hauſtus, qui tepidus ſex horis ante prandium ebibatur. Bilis vero ſequenti hauſtulo ſubducatur.

Hauſtus cholagogus. ℞. Rhab. El. ʒ I. s. Fol. ſenæ ʒ I. contuſa parum macerentur per noctem in aq. cicho. ℥ v. manè leniter ebulliant, & colato juſculo admiſceantur El. lenit. El. roſar. meſ. an. ʒ I. s. fiat hauſtulus.

Lenientia & conſolidantia. Expurgato vitioſo humore remedia omnia cum aſſumenda tum foris applicanda debent eſſe talia, quæ veſicæ aſperitatem leniant, ſordesque abſtergant & eluant ac ſimul ulcus conglutinent. Hæc omnia autem præſtant ſequentia pharmaca.

Emulſio. Conficiatur lac ex IIII. ſem. maj. an. ℥ s. admixtis duabus ℔. aq. è malvis deſtillatæ, in quib. prius fuit incocta ℥ s. rad. glycyr. fiat potio, de qua crebrius aſſumat æger ℥ v. Aut

Decoctum. ℞. Rad. ſimph. maj. ℥ I. Hippuris ſive caudæ equinæ M. I. Ceterach. capill. Vener. Betho. an. M. s. Roſar. p. I. Rad. chinæ ℥ I. Contuſa ac conciſa coquantur in duplici

 vaſe

vaſe cum ſeri lactis aut hydromel. ℔. v. per 2. horas, quibus per ſe refrigeratis, colentur, fiat potio, cujus mane ac veſperi ℥ v. hauriat. Aut

Pulvis. ℞. Cineris priapi Taurini ʒ II. Vermium terreſtrium ſiccatorum ʒ I. Trochiſc. de Alka. ʒ I. s. Gummi ceraſorum, Amyli an. ℈ IIII. Pulverentur tenuiſſimè, cujus ʒ I. mane ac veſperi cum aq. ſtillat. Bethon. aſſumatur. Commodiſſimè quoque uti poterit æger balneo aquæ tepidæ in qua incocta ſunt rad. Alth. Betho. Malv. viola. pariet. & ſtramina fabacea. *Inſeſſus.*

Per catheterem immittenda in veſicam. Intra veſicam autem impelli debent ſingulis diebus bis per ſiphonem virgæ inſertum liquores abſtergentes & conglutinantes, qualis eſt lac caprillum recens mulctum cum pauxillo melle roſa. mixtum, hydromel tepidum, ovi candidum cum pauxillo aq. roſa. conquaſſatum & rurſum in aq. reſolutum, iiſque liquoribus, pro ulceris qualitate; admiſceri poſſunt commodè pulveres pompholygis, plumbi uſti, amyli, ceruſſæ, ſarcocollæ & thuris, quæ omnia pro arbitrio ſumi poſſunt; ſed providendum ut omnia ſint tenuiſſimè pulverata, & liquoribus probè commixta.

Enema anodynon. Quin etiam tempore exacerbationis, ut dolor mitigetur, commodè Enema in rectum inteſtinum, cui veſica incumbit, infundi poteſt ex cremore hordei aut mucag. ſem. lini & papa. cum lacte caprillo, dilutis, pauco viola. oleo admixto: infundatur autem tepidum.

Remedia exulc. ex cantharidibus. Si vero veſica eſt exulcerata ex aſſumptis cantharidib. aut aliis venenatis potionibus, quam exulcerationem ut plurimum ſanguinis mictio conſequitur, præſtat quotidie bis aſſumere ʒ I. pul. terræ Lemniæ, aut boli Armeni Veri, cum lacte caprillo. Aut bibere ol. amygd. dul. & lac ex amygd. confectum. Præter hæc omnia ea remedia conveniunt quæ ſupra in Renum exulceratione ſunt commemorata.

Scabiei remedia quæ. Scabies veſicæ cum ſit exulcerationis initium, ſimili modo, & iiſdem remediis, quibus ulcera veſicæ, curabitur.

8. *Vrinæ difficilis excretio quid, quæ cauſæ, quæ ſigna, & quibus præſidiis curanda?*

Dyſuria quid. Δυσουρία, difficultas urinæ eſt ubi veſica debilitata, laborioſè diuturniorique conatu, quandoque cum dolore hypogaſtrii, & nonnunquam nonniſi cum comprehenſione hypogaſtrii, urinam propellere poteſt.

Cauſæ. Cauſæ προηγούμεναι urinæ difficultatis, eſt expulſivæ facultatis in veſica debilitas, quæ propriè oritur à refrigeratione frigidaque intemperie veſicæ; ſive id contingat à nuda qualitate, ſive à conſtitutione corporis pituitoſa, craſſam pituitam in veſicam demittente. Reliquæ autem cauſſæ internæ per accidens inferunt urinæ difficultatem, veluti ſunt inflammatio veſicæ, exulceratio veſicæ, & calculus veſicæ.

Προκαταρκτικαὶ cauſæ ſunt diuturnior ob pudorem urinæ retentio, item intumeſcentia veſicæ ex caſu, plagis aut convulneratione, venenatæ potiones, veteriſque caſei crebrior uſus & ſimiles.

Signa. Signa ex ægri querela cognoſci poſſunt. Urinæ difficultas cum dolore, ſignum eſt eam oriri aut ex inflammatione aut ab exulceratione veſicæ; frigiditas & pituita veſicæ impacta ubi difficultatem urinæ excitant, tum urina alba & craſſa excernitur: puris quoque excretio in urinæ difficultate ſignum eſt exulcerationis colli veſicæ.

Prognoſtica. Prognoſtica ſunt: In ardentiſſ. febribus difficultas urinæ ſuperveniens, periculoſum eſt ſignum. Dolore carens urinæ difficultas, minus eſt periculoſa. In ſenibus urinæ difficultas frigidam intemperiem veſicæ oſtendit, & non caret periculo.

Curatio. Curatio Δυσουρίας perfici debet victus ratione, & remediorum adhibitione. Verum ubi urinæ difficultas vel ex inflammatione vel exulceratione veſicæ oboritur, earum cauſarum curatio ex præcedentibus petenda erit. Similiter ſi ex calculo veſicæ generetur, ejus medicationem in ſequenti tractatione dicturi ſumus. Hoc autem loco curationem duntaxat trademus ejus urinæ difficultatis, *De qua dyſuria hic agatur.*

quæ

quæ originem trahit aut ex frigida intemperie, aut frigidis lentisque humoribus vesicæ impactis: qua in curatione victus ratio temperata esse debet, cibisque utendum paucis & purum sanguinem generantibus moderateque calidis, ut sunt carnes hædorum, pullorum gallinaceorum, vitulorum, perdicum, & passerum: Item pruna Ungarica, ova sorbilia, juscula ex vino & cerevisia, & juscula carnium bovillarum, quæ omnia condiri possunt rebus aromatibusque diureticis, ut sunt rad. petrosel. pastin. Cariotæ, pimpin. & ex seminibus, semen Anisi, carvi, cymini & fænic. ex aromatibus autem cinamom. crocus, macis, galanga & Zinziber. In potu conveniunt Vinum Rhenanum, aromatite & hydromeli probè percoctum.

Diæta. *Cibus.* *Condimenta.* *Potus.*

Statim itaque in initio difficultatis urinæ collocetur æger in solio aq. calidæ, in qua incoctæ sunt sequentes herbæ puleg. sampsuc. origan. calamint. chamæm. parietar. malv. aristarum avenac. & straminum fabarum an. pro libitu. Ante vero ingressum balnei exhibeatur ægro ʒ I. s. The. Andro. cum haustulo vini Rhenan. dissolut. aut haustul. vini tepidi in quo coctum est scordium aut rad. Ononidis. Aut præbeantur binæ ternæque rotulæ Diagalangæ aut Dia anisi. Post balneum ad ignem luculentum inungetur pecten sive vesicæ regio sequentibus oleis.

Insessus. *Ante balneum assumenda.*

℞. Ol. rutæ, nardin. de castor. an. ʒ II. quibus admisce ʒ I. aq. stillat. Juniperi.

Linimentum.

Post hæc si & dolor & difficultas urinæ non leniantur, sed perseverent, recto intestino sequens clystere injiciatur.

Enema.

℞. Flor. chamæm. Aneth. centaur. min. puleg. parieta. origa. an. M. s. Ficuum n. v. Furfur. silig. M. I. sem. carvi, Bac. lauri an. ʒ I. Concidendis concisis & contundendis contusis coquantur in q. s. aq. ad tertias, colati juris ℔. I. admisc. hieræ simpl. Benedictæ laxativ. an. ℥ s. mellis rosati ℥ II. Ol. rutæ, scorpionum an. ℥ I. s. salis ʒ I. fiat Enema, quod tepidum applicetur.

Porro si corpus patientis existat pituitosum in Δυσουρίᾳ, indeque in vesicam viscida pituita confluat, ejus meatum obstruens urinæque projectionem impediens, tum convenit ut primum pituita lenta concoquatur & extenuetur per pauculos dies sequenti potione.

In pituitosa constitutione.

℞. Rad. Fænic. petrosel. ononidis an. ℥ s. dauci cretici ʒ II. Herb. puleg. Meliss. parieta. an. M. s. sem. Anisi, ligustici an. ʒ III. Contusa coquantur in duplici vase cum hydromel. ℔. II. ad duas horas, quæ postquam per se refrigerata sunt exprimantur ac colentur, colato juri admisc. syr. è Bethon. Oxymel. scil. simpl. ex v. rad. an. ℥ III. fiat potio, ex qua quotidie in aurora ebibat æger ℥ v. tepefactas, & totidem ℥. vesperi.

Digestiva potio.

Exhausta potione purgetur pituita seq. haustulo.

℞. Diaphæn. ℥ I. Troch. ex Agar. ℈ II. Aq. Fænic. ℥ v. fiat haustus, qui tepidus sex horis ante prandium ebibatur. Aut purgetur sequentibus pillulis.

Haustus purgans.

℞. Mass. pill. Aggre. fœtidarum, Agar. Troch. an. ℈ I. Diagrid. gr. III. cum q. s. mellis rosar. formentur pill. n. xv. quæ sex horis ante prandium deglutiantur cum pauxillo cerevisiæ tepidæ.

Pillulæ.

Post pituitæ evacuationem tutius fortiora diuretica, & urinæ propulsioni dicata remedia exhiberi possunt, qualia sunt hæc sequentia, quæ in præscripto balneo ex herbis facto exhibenda sunt.

Diuretica quando exhibenda.

℞. Aq. Junip. ℥ IV. & ebibatur. Aut

℞. Ol. vitriol. probè correcti gutt. 9. Vini Rhenan. ℥ III. misceantur & ebibantur. Aut

℞. Testarum ovorum ex quibus pulli sunt exclusi ab interna membrana purgatarum, sem. urticæ Roman. succini albiss. an. ℈ I. pulverentur tenuissi-

Pulvis.

nuissime & commisceantur, & cum haustulo vini aut cum pauca aqua Juniperi ebibantur. Aut

Tereb. septies elotæ in aq. Junip. ℥ II. Ol. vitriol. corr. gut. v. commixta resolvantur ad ignem in haust. vini Rhenani, & in solio ebibantur.

Meatus urinatorius ut aperiendus. Ubi vero lenta pituita meatui vesicæ aut virgæ tenacius inhæserit, urinæque fluorem impediverit, consultum est ut cathetere instrumento ex ære aut argento facto per virgæ meatum in vesicam immisso, aut cerea candela calami crassitiem æquante in meatum virgæ missa, pituita removeatur, & meatus aperiantur. Postea parum decocti glycyr. tepidum per siphonem in vesicam impellatur.

Quantum ad Topica attinet, præter balnea & inunctionem cum præscriptis oleis, sequens cataplasma pectini seu hypogastrio & regioni vesicæ commodè imponi potest.

Cataplasma urinam provocans. ℞. Rad. Alth. pastinac. sylv. Dauci sylv. Fænic. petrosel. an. ℥ s. Herb. Bethon. Origan. Major. Meliloti an. M.s. sem. lini. Fænugræci an. ℥ I. Hæc si viridia haberi possunt, contundantur tantum. Si vero aridiora sunt, pulverentur & concoquantur cum q. s. aq. ad pultis formam, quibus admisc. Ol. scorp. Anethi, chamæm. an. ℥ II. fiat cataplas. cujus aliqua pars & q. s. per duplicatum linteum extendatur & calidum sing. diebus bis regioni vesicæ imponatur. Reliqua remediorum genera pro causarum varietate suis ex locis huc transferenda sunt.

6. Urinæ guttatim exstillatio quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curanda?

Stranguria quid. Στραγγουρία, urinæ stillicidium est, ubi quis parum & frequenter guttatimque cum acerba mordicatione meatuum urinatoriorum emingit.

Causa. Causæ προηγουμέναι στραγγουρίας sunt humores acres, veluti sunt salsa pituita & torrida bilis, urinæ admixti, facultatem expulsivam vesicæ subinde irritantes, retentricem verò debilitantes, viasque urinæ in collo vesicæ constringentes, & vesicæ justo frigidior intemperies, sabulosaque urina.

Προκαταρκτικαὶ causæ sunt vini cerevisiæque feculentæ & in fundo residentis potatio, crudorum alimentorum, leguminumque & recens pisti adhucque tepentis panis, & veteris casei esitatio, præsertim si vinum superbibatur.

Signa στραγγουρίας manifesta sunt. Guttatim enim & cum acri cruciatu cum in collo vesicæ tum in pudendi apice extillat urina. Qualis vero sit acris humor urinæ admixtus, ita dignoscitur: rubedo urinæ biliosi humoris, albedo salsæ pituitæ, purulentia puris admixti, arenosa urina calculi sunt signa. Præterea & ex colore constitutioneque corporis, humores vitiosi facile dignosci possunt. *Signa.*

Prognosticon: Stranguria in senibus periculosa est, difficilime enim curatur, & ut plurimum commoriuntur. *Quibus ex stranguria volvulus succedit, intra diem 7. moriuntur, nisi febre accedente copiosa urina profluat: Aphor. 44. l. 4.* *Prognostica.*

Curatio pro causarum diversitate varianda est. Perfici autem debet curatio victus ratione, & nonnunquam venæ sectione, & medicamentorum convenientium usurpatione.

Si itaque Stranguria ob vesicæ intemperiem frigidam aut ob pituitosorum crassorumque humorum copiam in vesica collectam, sit excitata, id quod urinæ albedo & crassities facilè ostendit, tum cibi atque potiones ad caliditatem declinare debent. *Curatio stranguriæ ex causa frigida.* In cibo itaque utatur æger jusculis ex vino aut cerevisia cum luteis ovorum confectis, & carnibus pullorum vitulorum atque hædorum. Condiantur vero esculenta pipere, cinamom. Zinzib. croco, & similibus aromat. maximè vero radicibus petrosel. pastinacæ & cariotæ. Potus patientis sit vinum Rhenan. meracius, vinum aromaticum, quod claretum vocant, & hydromeli, & in summa in victus ratione omnia conveniunt, quæ *Diæta.*

pau-

paulo ante in curatione Δυσυρίας commemorata sunt. Initio itaque stranguriæ ex pituita, dolor est mitigandus hisce sequentibus remediis. Frustulum Zinzib. per flammam torreatur & minutim concidatur & cum tantillo salis commisceatur, simulque devoretur. Pubi verò & pectini subinde calefacta pulvinaria imponantur. Aut conficiatur sacculus ex sequentibus herbis.

Dolorem sedantia. *Nux moscata comesta idem præstat.*

Sacculus.

♃. Parietar. Origani, saturejæ, puleg. Bethon. Rutæ & Majo. an. M. I. cymini contusi ℥ II. simul mixta insuantur sacculo & in cerevisia ebulliat, exceptusque fortiter exprimatur & calidus imponatur. Postea tandem tota regio vesicæ inungatur ol. rutæ & scorp. simul mixtis. Ubi vero hæc non contulerint, consultum est, ut æger in solium aq. calidæ in qua coctæ sunt herbæ sequentes, chamæmelum, pariet. Orig. Bethon. Mentast. & stramina avenacea, ex quibus avena nondum est excussa, & per horam insidere permittatur. Antequam autem in tale lavacrum descendat, tria cochlearia aq. Juniperi aut 9. gutt. Ol. vitrioli probè correcti cum haustulo vini bibenda exhibeantur, aut ʒ I. s. Ther. Andro. cum haustulo vini.

Inunctio. *Insessus.*

Mitigato dolore subducatur alvus sequenti enemate.

Enema.

♃. Flo. Absin. chamæm. Aneth. cent. mi. Fol. Malv. Alth. an. M. I. Furfuris triticei M. s. coquantur in q. s. aq. juris colati accipe ℔. I. cui admisce diaphæ. hier. simpl. bened. laxat. an. ℥ s. Ol. rutæ, absinth. an. ℥ I. s. salis ʒ I. fiat clyster, qui tepidus jejuno ventr. existente in rectum intestinum infundatur. Vel loco Enematis à pituitosis humoribus universum corpus purgetur ʒ x. diaphæ. in haustulo aq. rutæ resolutis. Si vero pituita lenta in collo vesicæ impacta fuerit viamque urinæ obstruxerit, vel candela cerea, vel instrumento ex argento facto per virgam immisso extrahatur pituita.

Phlegmagogum.

Curatio

At vero si ab acrimonia biliosi excrementi aut salsedine urinæ stranguria excitata sit, id quod extillatæ urinæ rubedo ostendet, & corpus est plethoricum, statim vena epatica incidatur. In victu autem conveniunt lac caprillum decoctum, lac amygdalarum cum aq. stillat. halicacabi confectum, juscula gallinarum & pisces saxatiles, lactuca & portulaca in acetariis esitata. Potus sit aqua hordei in qua cocta sint radix glycyr. & sem. mal. Pecten vero fomentetur sacculo ex foliis malvæ, alth. viola. consuto, & in aq. cocto atque expresso, post fotum inungi commodè potest ol. violar. & amygdal. dulc. Mitigato dolore sequens clystere infundatur.

stranguria, ex causa calida. *Vena sectio.* *Victus ratio.*

Topica.

♃. Malv. Alth. viola. an. M. I. Coquantur in q. s. aquæ: colati juris accipe ℔. I. cui admisc. cass. extr. ℥ II. ol. viola. ℥ III. salis ʒ I. fiat Enema. Aut biliosæ feces subducantur bolo devorato ex recen. evulsæ cass. ʒ x. aut sequenti potione.

Enema.

Cholagoga.

♃. Rhab. el. ʒ I. s. contusum maceretur per noctem in aq. stillat. halicacab. ℥ v. Mane colato & expresso jusculo admisc. ℥ II. syr. rosa. sol. fiat potus, qui tepidus ebibatur.

Ubi redierit cruciatus, commodissimè uti poterit lacte 4. sem. frigid. in hunc modum confecto.

♃. 4. Sem. frigid. ma. an. ℥ s. Aq. Cicho. ℔. III. sacca. candi ℥ III. simul probè agitatis lacteus liquor efficitur, qui coletur & exprimatur, vesperi ac mane haustus ægrotanti offeratur. Prodest quoque in stranguria ex calidis excrementis orta, ʒ I. pul. Trochisc. Alkakengi.

Emulsio.

Stranguriæ ex reliquis recitatis causis ortæ Curationes, ex suis locis peti debent; & omnia quidem remediorum genera, quæ paulo ante in dysurias curatione sunt commemorata, ad stillicidium quoque urinæ commode referri & accommodari possunt.

Unde reliqua remedia petenda.

7. *Urinæ totalis suppressio sive omnimoda cohibitio quid; quæ ejus causæ, quæ signa, & quomodo curanda?*

Ἰσχουρία est quando vel vesicæ expulsiva facultas

Ischuria quid.

cultas ita est prostrata, vel ubi vesicæ meatus ad virgam ita est obturatus, ut prorsus nulla, & ne gutta quidem urinæ profluere queat, sed in capacitate vesicæ collecta exundet, ex qua urina non tantum vesica, sed & totum hypogastrion in tumorem elevatur, & ruptionem vesicæ minatur.

Causæ interna. Causæ προηγουμέναι ἰσχουρίας, sicut habet definitio, sunt aut prostratio facultatis expultricis vesicæ, quæ ut plurimum ex refrigeratione fibrarum transversalium in vesica provenit, aut colli vesicæ meatusque urinæ obstructio, quæ contingit ut plurimum à calculo, à lento & crasso humore, aut purulenta colluvie, aut sanguine concreto, aut à tuberculo apostemateque in collo vesicæ generato; fit & à γονοῤῥοίᾳ præcedenti.

Causæ externa. Προκαταρκτικαὶ sunt, refrigeratæ quidem vesicæ diuturna mora in frigida, diuturna ob pudorem urinæ cohibitio, quæ sanitatis studiosis in conviviis diligenter est cavenda. Retenta enim urina vesicam extendit, quæ quanto magis extenditur, tanto ejus meatus redditur angustior, & excitat ἰσχουρίαν: aut lapsus ex præcipiti loco, violentusque ictus, aut percussio lumborum aut pubis, lædens nervos vesicæ insertos, spiritumque animalem intercipiens. Obstructionis vero meatus προκαταρκτικαὶ causæ sunt, cibi crassi, ut pisa, panis recenter pistus & calens esitatus, cerevisia & vinum feculentum, & in fundo relictum, item potiones aut medicamenta violentius crassa excrementa ad vesicam propellentia.

Signa. Signa causarum suppressæ urinæ sunt: si labefactata est expulsiva vis in vesica propter refrigeratam vesicam, tum si homo corpus incurvet, ut vesica comprimi queat manibus, per compressionem nonnihil urinæ profluit, quod est signum facultatis expultricis læsæ: si vero compressa tumescente vesica nihil urinæ exprimi queat, obstructum esse meatum vesicæ arguit. Reliquæ vero causæ προηγουμέναι & προκαταρκτικαὶ ex totius corporis temperatura & symptomatum signis, suis in locis ostensis, & ex relatione ægroti

Prognostica. & administrorum dignosci possunt. Prognosticum id observetur: ἰσχουρία ex violento ictu aut dislocatione vertebræ in lumbis orta, curam non recipit. Urinæ suppressio ex grumo seu concreto sanguine orta non sanatur, nisi grumi prius resolvantur. *In morbis acutis si urina supprimatur, plerumque est indicium lethale.*

Curatio. Curatio pro causarum varietate disponi debet. Non multum autem ἰσχουρίας curatio differt à curatione Δυσουρίας & στραγγουρίας, ideo ex eorum symptomatum curatione & victus ratio & medicatio huc accommodari potest. Si itaque urina suppressa sit ob labefactatam vesicæ facultatem expultricem, in victu conveniunt alimenta & po- *Diæta.* tiones calefacientes, veluti sunt carnes pullorum vitulorum, & juscula ex cerevisia aut vino cum luteis ovorum confecta. Condiri autem alimenta possunt aromat. cinamom. croco, Zinzib. radicibus petros. & pastinacæ. Potus vero sit vinum Rhena. hydrom. & cerevisia plena beneque lupulata.

Post ordinatam victus rationem feces pituitosæ ac frigidæ ex intestinis seq. clystere eluantur.

Enema. ℞. Pariet. Orig. flo. absinth. cent. mi. an. M. I. concisa coquantur in q. s. aq. ad med. quibus in fine coctionis imponatur nodulus ex ℈ I. pulp. colocynth. factus, qui semel atque iterum cum reliquis ebulliat, deinde colentur, colati juris accipe ℥ XIIII. quib. admisce hieræ simp. ℥ II. ol. rutæ, absinth. an. ℥ I. s. salis ʒ I. fiat Enema, quod tepidum recto intestino infundatur.

Evacuantia. Quin & universalis purgatio fieri poterit pro corporis constitutione & temperamento, ut in pituitoso cum ʒ X. diaphæ. in bilioso ʒ V. El. rosar. Mes. in atrabiliario cum ʒ XII. diacathol. in haustulo aq. stillat. vel petrosel. vel parieta. resolutis, & sex horis ante prandium exhibitis.

Insessus. Purgato corpore collocetur æger in solium aq. calidæ plenum, in qua incoctæ sunt herbæ parietar. Origa. serpillum, calamentum, betho. artemis. ruta, chamæm. aneth. malv. & alth. an. M. II. & fasciculus straminis avenacei ex quo avenæ grana non-

nondum ſunt excuſſa: huic balneo inſideat æger per horam unam, ſed paulo ante inſeſſum exhibeantur patienti aut gutt. 9. ol. vitriol. cum hauſtulo vini mixtæ, aut 4. cochlearia aq. ſtillat. ex baccis Junip. aut g. VI. ol. è ſuccino albo cum hauſtulo vini mixti, aut ʒ II. Ther. Andro. cum hauſtulo aquæ petroſel. reſolutæ, aut ʒ I. pul. ſuccini albi. Aut

Diuretica varia.

♃. Lumbricorum terreſtrium n. V. qui in mortario contriti cum hauſtulo vini & fortiter expreſſi exhauriendi offerantur. Aut

Spir. ⊖ aliquot guttulæ cum aq. parietariæ exhibitæ idem præſtant.

♃. Carnis erinacei exiccatæ & in pul. redactæ ʒ II. & cum hauſtulo hydromel. ebibatur. *Sal ſuccini à gr. 6. ad 10. cum aq. ononidis exhib. mirabiliter pellit remoratam urinam.*

Ubi autem è balneo eſt egreſſus & medicamentorum vi nondum profluat urina, ipſe parum reclinato corpore hypogaſtrion & veſicam fortiter comprimat, & urinam extorqueat. Tandem à balneo inungatur ſingulis diebus mane ac veſperi veſicæ regio & peritonæum ſequentibus oleis.

Vrina exprimenda.

Topica.

♃. Ol. hypericon. Rutæ, Anethi an. ℥ s. Coſtini ʒ I. ex baccis Junip. ℈ I. Miſc. & calefiant, cujus momentum & in rectum inteſtinum immitti poteſt. Poſt inunctionem imponatur tumenti veſicæ vel Emplaſt. è Meliloto quod in myropoliis proſtat, aut ſequens cataplaſma.

Inunctio.

♃. Pul. fænugræci, lini an. ℥ I. Major. Origa. ſcord. parietar. an. ʒ III. Flo. chamæm. Melilo. Anethi an. ʒ II. Rad. Alth. ʒ III. Coquantur in q. s. cereviſiæ ad pultis formam, quibus admiſceantur ol. hyper. ſcorpii, lini an. ℥ s. ſingulis diebus bis hoc cataplaſma poſt inunctionem hypogaſtrio applicetur. Hæc præſcripta pharmaca, ſi parum juvamenti attulerint, ad catheteris uſum confugiendum erit. Eſt autem καθέτηρ fiſtula argentea craſſiori culmo avenaceo paulo ſpiſſior, oblonga & nonnihil incurva, quæ ol. ſcorpion. inuncta per virgæ meatum uſque in veſicam intrudi poteſt, & ea ratione urinam obſtruentes materiæ in cervice veſicæ collectæ removeri poſſunt. Poteſt & per meatum virgæ in ipſam veſicam per ſiphonem impelli parum ol. rutæ & ſcorp. & ſucci Raphani, quibus parum lactis in quo caſtoreum eſt decoctum ſit admixtum tepidum. Et hæc quidem in proſtrata expulſiva virtute veſicæ ad urinæ provocationem ſufficient.

Cataplaſma.

Catheter quid, & quomodo eo utendum.

Veſica injicienda.

Ubi vero craſſi & lenti humores veſicæ cervicem obſtruunt urinæque exitum cohibent, balnea, unguenta, cataplaſmata & omnia jam commemorata remedia foris commodè applicari poſſunt; ſed intra corpus medicamenta adhibere prius non licebit, quam pituita per clyſter. & per elect. Diaphæ. ʒ X. cum hauſtulo aq. petroſel. expurgata fuerit. Aliàs enim aſſumta urinam moventia remedia unà cum urina & pituitoſos humores in veſicam adveherent & augerent obſtructionem. Poſt expurgatam autem pituitam, ea omnia pharmaca urinam moventia, quæ paulo ante commemorata ſunt, utiliter exhibere poſſumus, & in tali quoque caſu magnus uſus eſt & utilitas catheteris.

Remedia ad obſtructionem colli veſicæ.

Purgantia.

Diuretica quando exhibenda.

Porrò ſi urina ſuppreſſa fuerit, aut ob tuberculum aut ob carunculam in cervice veſicæ, aut meatu virgæ obortam, id quod non raro morbo Gallico contingere conſuevit, & facilè dignoſcitur, ſi immiſſa candela cerea aut catheter per virgæ meatum ad veſicam penetrare nequeat, aut cum acerbo cruciatu ſanies ſanguisque poſt extractum catheterem conſequatur, tum talis curatio eſt inſtituenda. Primum utatur balneo in ſolio ex herbis emollientibus confecto, veluti ſunt malva, althæa, bethon. branca urſina, melilotum, flo. chamæm. anethi, ſem. fænugræci & lini. Poſt balneum injiciatur per ſiphonem in veſicam ol. chamæm. & hyper. cum mucagine ex ſem. lini facta. Mitigatis pauxillum doloribus ſolida curatio perfici poteſt cum rad. chinæ & Zarzæparillæ, cujus uſurpandi rationem in curatione morbi Gal-

Tuberculum in collo veſica ut removendum.

Inſeſſus.

Liquor injiciendus.

Gallici accuratius Deo juvante descripturi sumus.

Tubercula autem & carunculæ in urinæ meatu, sive in cervice vesicæ sive in meatu virgæ hæreant, sequentibus remediis exstirpanda veniunt. Emplastrum ab Amato Lusitano celebratum in exstirpando tuberculo aut caruncula.

Emplastrum Amati Lusitani carunculas absumens.

♃. Ol. Rosa. ℥ II. pul. tenuiss. Litharg. ℥ I. decoquantur simul ad ignem cum ferrea spatula subinde agitando donec crassam instar ceræ mollioris aut Emplastri duriciem consequantur, quibus deinde adhuc tepentibus admisceatur ℥ I. sequentis pulvisculi.

♃. Æruginis sive viridis æris, auripigment. Vitr. alum. an. ℥ s. aceto rosac. conspersa per lapidem marmoreum, quali pictores utuntur, tenuissimè per 2. horas terantur, & postea exiccentur, quæ conspersio & contritio hujus pulv. octies per octiduum reiteretur. Ita enim medicina omnem amittet acrimoniam, & exulcerandi vim; Hujus pulveris ℥ I. in præscriptum Emplastrum adhuc tepens probè commisceatur.

Quod quidem Emplastrum est nobilissimum ad omnia durosa tubercula & luxuriantes in ulceribus & vulneribus carnes exstirpandas non tantum in vesica & virga, sed in quovis corporis loco, & tollit polypum in naribus, abstergit sordes in ulceribus & exsiccat, quo emplastro in carunculis & nodulis vel in cervice vesicæ vel in virga hærentibus ita utendum erit. Candelæ cereæ culmo crassiori majores aliquot præparentur, quarum apici nonnihil præscripti Empl. apponatur & agglutinetur, ne decidere possit, aut plumbeæ virgulæ parentur earumque apici emplastrum agglutinetur, quarum sing. diebus duæ inserantur, ita ut attingant locum affectum, quæ brevi tempore nodulos carunculasque absumunt & exstirpant.

Vsus hujus Emplastri.

Obstructio a pure & grumo ut curanda.

Si vero meatus urinatorius à purulenta colluvie aut sanguinis grumis fit obstructus, & urina suppressa, tum præscriptis balneis est utendum, & cathetere argenteo, & patienti bibendum exhibeatur decoctum Artemisiæ in vino, aut coagulum leporis, aut hædi ad ʒ I. cum haust. aceti resolutum. Conveniunt in his obstructionibus, pul. succini albi, aut cineris cancrorum singulatim aut simul commixti, additoq; gummate cerasorum ʒ I. Per virgam verò glans ex melle & sale confecta, instar culmi arundinacei usque ad vesicam inseri potest, quæ urinam citissimè provocat.

Suppressionis ex aliis causis curatio unde petenda.

Ubi verò ex ulcere cervicis vesicæ vel virgæ suppressa erit urina, ejus curationem paulo post, in curatione exulcerationis virgæ traditu ri sumus. Similiter si ex calculi adhæsione in urinæ meatu cohibeatur mictio, ejus quoque curationem paulo post trademus.

8. *Vrinæ incontinentia sive involuntaria effluxio quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quibus remediis curanda?*

Vrinæ incontinentia quid.

Ἀκράτεια ἔκκρισις τῶν οὔρων, urinæ incontinentia est, ubi vesica urinam retinere pro voluntatis nostræ arbitrio nequit, sed præter voluntatem effluere sinit, quo malo laborantes Græci ἐνουροῦντας vocant.

Causa.

Causæ προηγούμεναι sunt, resolutio musculi in cervice vesicæ constituti, aut obliquarum fibrarum in eo musculo imbecillitas. Musculi enim voluntariis motibus obtemperant, fibræ vero motibus naturæ serviunt. Fit verò talis resolutio musculi in cervice vesicæ, ubi nervi huic musculo implantati aut refrigerantur aut læduntur, ita ut spiritum animalem intercipiant, quod contingit ubi obstruuntur frigidis humoribus aut imbuuntur intemperie frigida. Προκαταρκτικαὶ sunt lapsus vel ictus violentus, vertebrarum lumborum & ossis sacri, ex quibus nervi vesicæ prodeunt, aut luxatio, aut vehemens refrigeratio ex diuturna mora in aq. frigida, item vulnus cervicis vesicæ, & copiosior potatio liquorum penetrantium, mordicantium & inebriantium. *Item in fœminis difficilis & laboriosus partus, unde vicinæ partes urinariæ dilacerantur.*

Sphincter vesicæ ut resolvatur.

Externæ causa.

Signa.

Signa involuntariæ diurnæ, aut nocturnæ mi-

næ mictionis in lectum manifesta sunt. Causarum vero signa ex relatione ægri deprehendi possunt.

Prognostica.

Prognostica sunt: Pueri ut plurimum frequentius quam adulti hoc malo laborare solent. Involuntarius urinæ fluor à causis προκαταρκτικαῖς ortus, potissimum autem à refrigeratione, citius curatur quàm qui à causis προηγουμέναις sit ortus. Urinæ præter voluntatem effluxio à vertebrarum luxatione, aut vulnere cervicis vesicæ proveniens, periculosa & incurabilis est.

Curatio incontinentia ex refrigeratione sphincteris vesica.

Curatio instituenda est pro causarum diversitate. Si itaque musculus cervicis est refrigeratus aut humoribus frigidis imbutus, ejusque nervi sunt resoluti ut urinam retinere nequeat, tum victus ratio calefaciens est præscribenda. In cibo itaque conveniunt carnes pullorum perdicum, vitulorum & hædorum, quæ condiri possunt aromat. calidis, ut Zinzib. cinam. croco & foliis major. salviæ & saturejæ. Assa autem quàm elixa magis conveniunt. Potus esto vinum rub. aut hydrom. & cerevisia plena. Cavendum quoque ne alvus sit obstructa. Id si contingat, clysteribus calefacientibus utendum erit ex herbis sequentibus confectis;

Diæta.

Enema.

Betho. Salv. origa. Iva Arthetica, Rorism. Arthem. & similibus, quarum decocti juris accipiatur ℔. I. Ol. Rutæ ℥ III. Hieræ simpl. ℥ II. salis ʒ I. Quibus simul commixtis fiat Enema quod tepidum recto intestino infundatur: & si corpus sit pituitosum, purgetur ʒ x. diaphæ. in haustulo aq. Fæni. resolutis.

Topica.

Foris vero Topica remedia adhibeantur cervici vesicæ, & lumborum vertebris, & primum quidem loca prædicta quotidie bis inungantur sequenti linimento.

♃. Ol. rutæ, costini an. ʒ II. de casto. ʒ I. Lavand. ʒ s. ceræ q. s. eluatur cum aq. Junip. fiat linimentum. Post inunctionem imponatur vertebris lumborum Emplastrum oxycroceum, quod in Myropoliis prostat, per alutam extensum. Præterea in resolutione cervicis vesicæ urinam retinere nequientis, omnia ea remedio-

Emplastrum.

rum genera plurimum conferunt, quæ supra in curatione παραλύσεως commemorata sunt. Maximè autem confert, si quotidie patienti ituro cubitum ʒ I. seq. pul. cum vino, in quo decoctæ sunt rad. Enulæ, exhibeatur.

♃. Calaminth. Myrrhæ, castor. an. ʒ II. Glandium ʒ v. pulverentur subtilissimè.

Pulvis egregius ad resolutionem sphincteris.

Porro si non ex refrigeratione vesicæ, sed aliis ex causis urinam potissimum inter dormiendum inscii profluat, lectusque permingatur, tum sequentes pulvisculi cum rub. vino exhibiti maximè auxiliantur.

Nocturnæ permictionis remedia.

♃. Glandium ʒ II. Thuris ʒ III. sem. coriand. præpar. & torrefacti, Gummi Arab. lapidis Armeni an. ʒ II. Conterantur in tenuiss. pulverem, ex quo ʒ I. ituro cubitum cum vino rub. exhibeatur.

Experimenta.

Specifica autem virtute in lectum mingentibus conferunt seq. pharmaca, si eorum ʒ I. cum vino rub. potanda præbeatur: ut ʒ I. pulmo. hædi tosti, & in pul. redacti: aut ʒ I. cerebelli leporis exiccati & in pul. redacti: aut ʒ I. testiculorum leporis exiccatorum & in pul. redact. aut ʒ I. cineris vesicarum porcinarum aut ovillarum: aut ʒ I. terræ sigillatæ cum haustulo aq. parieta. exhibita.

Essentiæ croci ♂ ℈ ß. cum aq. plantaginis Chymici hic exhibent.

9. *Calculus vesicæ quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quomodo curandus?*

Calculus vesicæ.

Λιθίασις τῆς κύστεως, lapidatio seu calculus vesicæ. Ut in Renibus, ita & in vesica ex colluvie humorum lentorum cum urina in vesicam delatorum, calculus generatur & coalescit.

Causæ.

Causæ προηγούμεναι calculorum vesicæ sunt, Materialis quidem, lentorum humorum ex Renibus aut arenularum in vesicam confluxus & colluvies. Efficiens est calor vesicæ aut potius calor intensior urinæ. Προκαταρκτικαὶ causæ sunt cibi ac potiones crassum ac lentum sanguinem in nutritione generantes, ut sunt crebrior usus casei, pisorum piscium, anguillarum & similium esculentorum. Item crebra potatio crassioris ac feculentioris cerevisiæ & vini: & calculosa parentum natura. Est enim calculus ex iis affectio-

nibus,

nibus, quæ hæreditariæ nominantur, & à parentibus in liberos transplantantur.

Signa. Signa calculi vesicæ sunt, in pueris quidem crassa & colore lactea aut virescens urina, in adultis autem tenuis & instar aquæ limpida. In iis enim calculus obstruens meatum vesicæ, crassiorem urinæ partem profluere cohibet, quandoque urina conspicitur arenosa. Sunt & signa calculi, pruritus præputii, & crebra distensio virgæ, sive appetentia Venerea.

Quomodo calculus vesicæ à calculo renum distinguatur. Signa distinguentia calculum vesicæ à calculo renum. Calculi vesicæ figura ut plurimum rotunda est & dura, fluviatilibus calculis similis, & lentis figuram refert, colore albicans. Sed quando ex mutua cohæsione arenarum ex Renibus in vesicam defluentium compactus est calculus, tum rubicundior, aut flavior, aut asperior est, & intus nucleum habet. Renum vero calculus figura inæqualis est, asper, colore rubicundior & magis fricabilis. Si vero calculus in ureteribus est generatus, tum figura oblongiusculus est instar nuclei pinei.

Prognostica. Prognostica signa hæc sunt notanda. Calculus vesicæ pueros magis quam adultos & senes affligit. Qui calidam habent alvum ventriculumque, in iis magis generatur calculus vesicæ. Ut enim matula excipit excrementa urinæ adhærentia; ita contingit & in vesica. Non omnes, qui sabulum emingunt, calculosi sunt. Sabulum enim non coalescit, in calculumque concrescit, nisi interventu viscidorum humorum.

Curatio. Curatio calculi vesicæ communis ferè est cum curatione calculi Renum, nisi quod paulo validiora requirat remedia.

Diæta. Primum itaque instituatur ea victus ratio, quæ supra in calculi Renum curatione est præscripta. Vitentur autem omnes Occasiones & alimenta calculum generantia, ut sunt lac, caseus, pisa, anguillæ, panis recens pictus, vinaque & cerevisiæ crassæ ac fæculentæ, crebro autem bibat hydromel.

Insessus. Ubi jam calculus affligit, & in meatum urinæ aut virgæ est impactus cruciatusque excitat, statim ducatur æger in solium aq. calidæ, in qua incocta sunt fasciculus straminis avenacei cum granis, & herbæ pariet. malv. alth. chamæm. aneth. & similia. Atque si urina nondum est suppressa, tum nec ol. vitrioli nec alia remedia diuretica aut calculum propellentia exhibeantur, ne materiam crassam deducant in vesicam, & obstructioni addatur obstructio, dupliceturque malum, nisi prius evacuatis humoribus. *Vomitoria.* Si adsit nausea, vomitione spontanea, aut assumptione ℥ II. succi Rapha. cum haust. vini, in quo per noctem cortices rad. juglandis sunt macerati, & leniter ebulliti, quod tepidum haustum mitissimè vomitum cit. At, si dolor inducias perfert, sequens clyster recto intestino infundatur.

Enema. ℞. Flo. chamæm. Aneth. Cent. mi. Malv. Alth. Mercur. an. M. s. concisa coquantur in q. s. aq. ad medias, colati juris accipe ℔. I. cui admisce hier. simpl. cassiæ extr. an. ℥ I. Ol. chamæmeli, scorp. an. ℥ I. s. fiat enema.

Postea calculus ipse in vesicæ collo hærens repellatur in capacitatem vesicæ per usum catheteris. Remoto calculo ægrotanti exhibeantur quæ sua vi calculum atterere & confringere queant: *Calculum atterentia.* inter quæ præstantiss. est ol. vitr. rectificat. si singulis diebus gutt. 9. cum haustulo vini exhibeantur. Hoc enim medicamentum calculum durum in calcem convertit & absumit. *Experimenta singularia ad calculum vesicæ atterendum & propellendum.* Aut præbeatur ʒ I. Pul. succini albi cum haustulo aq. Juniperi, aut exhib. ℥ II. succi Rapha. cum aq. Juniperi ℥ I. mixtæ, aut ol. terebinth. ℈ I. vel è succino albo destillat. aut ʒ I. salis absinthii cum haustulo vini; aut haustus lixivii ex cineribus festucarum fabarum & rad. filicis factus; aut ʒ I. calculorum vesicæ ab ægro excretorum, aut in vesicis porcorum repertorum in tenuissimum pulv. contritorum, aut ʒ I. pul. lapidis Judaici cum haust. vini aut hydromel. aut ʒ I. lumbricorum terrest. n. v. cum aq. Juniperi contritorum & expressorum.

Reliqua remediorum genera vesicæ calculum & atterentia & propellentia ex curatione calculi Renum huc commodè adferri

ferri possunt. Omnia autem hæc remediorum genera præstat exhibere in solio sive balneo præscripto sedente ægro, sed, ut dictum est, non nisi evacuato per vomitum aut per clyster. aut per catharticum corpore. Ex catharticis autem lenissim. hæc sunt (validiora enim sunt vitanda) syr. rosar. solut. ℥ III. cum haust. aq. petros. commixtæ: aut ʒ x. cass. recenter extractæ: aut haustus aq. petros. in qua per noctem macerata fuere fol. senæ ʒ II. Rhab. ʒ I. mane autem liquore expresso admixtæ sunt syr. rosar. solut. ℥ II. Foris autem utiliss. est cataplasma vesicæ applicare ex farina fænugræci & lini q. s. cum sanguine hircino q. s. confectum.

Tempus exhibendi.

Evacuantia præmittenda.

Cataplasma.

Porro ubi calculus vesicæ majusculus fuerit, ut nec concussione crurum supino jacente ægro (qua sæpe calculus in capacitatem vesicæ recidit) nec catheterum usu retro trudi ex collo vesicæ queat, sed in plicis vesicæ firmiter hæreat, id quod peritus lithotomus facile digito in anum immisso, cui collum vesicæ incumbit, deprehendere potest, ad acerbum illud remedium, ad excisionem videlicet calculi, confugiendum erit. Incidet autem peritus lithotomus aut Chirurgus cervicem vesicæ musculosam, diligenter cavens ne membrana vesicæ vel sphyncter ani lædatur. Fiet autem incisio paulo supra anum, ubi musculi sphyncterum rectas habent fibras. Inciso collo vesicæ si calculus grandior sit, quam ut spontè excidere aut manibus exprimi queat, tum forcipe adaptato confringatur calculus, & ita particulatim eximatur. Exemto calculo curetur vulnus, & ejusmodi præscribatur victus ratio & remediorum usurpatio, quæ generationem calculi prohibere queant.

Chirurgia seu excisio calculi quando suscipienda.

Quomodo calculus excidendus.


Vide Chirurg. Paræi l. 16. c. 43. & seq.

PRACTICÆ FRANCISCI JOELIS

LIBER SEPTIMUS, DE VIRGÆ ET TESTIUM AFFECTIBUS.

SECTIO I. DE VIRGÆ MORBIS.

I. *Virga quid, & quibus afficitur Morbis?*



Vesicæ cervix vel collum in viris in ipsum virgæ meatum desinit, per quem & urina ex vesica projicitur, & semen ex testibus ejaculatur. Naturæ itaque ordo efflagitat ut post morbos vesicæ de affectionibus virgæ nobis sermo habeatur. Καυλός, coles, cauda, mentula, penis, priapus, virga seu membrum virile, synonyma sunt, quæ huic generationis organo attribuuntur. Est autem virga aptissimum ad semen ejaculandum in os uteri instrumentum, ex duobus nervosisque carnosisque corporibus & oblongis utrinque ex ossibus pectinis pronatis & inter se connexis, compactum, intus spongiosis cavernosisque meatibus plenum, cujus

Varia nomina membri virilis.

Virga quid.

jus cavernulæ, ubi flatulento ſpiritu replentur, turgeſcit & erigitur, in medio inſignem meatum habens, per quem urina, & in adultis ſemen profluit. *Sunt autem præcipuæ affectiones:

Ejus primarii affectus.

Virgæ tumor ſive apoſtema,
Virgæ exulceratio,
Verrucæ ac puſtulæ virgæ,
Virgæ pruritus,
Priapiſmus & ſatyriaſis,
Virgæ erigendæ impotentia.

2. *Virgæ tumor quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quibus mediis tollendus?*

Tumor virgæ quid. Ἀπόστημα, abſceſſus virgæ ut plurimum adjunctam ſibi habet inflammationem, & Græcis φλεγμονὴ τ̃ καυλȣ, id eſt calidus tumor virgæ; aut frigiditate, & οἴδημα τ̃ καυλȣ, id eſt, frigidus tumor virgæ nominatur, qui nonnunquam totum membrum, quandoque præputium tantum, & nonnunquam intrinſecam, quandoque externam ejus partem, occupat.

Cauſæ. Cauſæ προηγȣμέναι inflammati tumoris virgæ ſunt, aut bilioſus impuruſque ſanguis, aut venenoſa ſanies, aut calidi flatus in cavernoſis partibus virgæ collecti. Frigidi vero tumoris, (qui rariſſimè in hac parte ſolum; in hydropicis enim unà cum abdomine vel toto corpore etiam virga frigido tumore inflatur, contingit.) Cauſa προηγȣμένη eſt colluvies frigidorum pituitoſorumque humorum cum flatulento ſpiritu in ipſa virga collecta. Προκαταρκτικαὶ cauſæ inflammati tumoris ſunt, concubitus immoderatus & cum impuris & menſtruo laborantibus mulierculis, morſus venenatorum animantium, inunctiones calefacientes, ictus aut vehemens compreſſio virgæ. Frigidus tumor virgæ vix habet cauſas procatarcticas. *Refrigeratur tamen hæc pars incarceratis ſæpè & iter facientibus, indeque intumeſcit.*

Signa. Signa calidi tumoris virgæ manifeſta ſunt, & ex rubedine, dolore & crebra extenſione prurituque facilè deprehenditur. Signa frigidi ſunt albedo & indolentia.

Prognoſtica. Prognoſtica: Niſi ſcitè & artificiosè & citò curetur tumor virgæ calidus, facilè putreſcit, & in fiſtulam degenerat.

Curatio inflammati penis. Curatio pro cauſarum diverſitate inſtituenda eſt. In inflammato itaque tumore virgæ, primum incidatur vena talaris dextri pedis, & ſi corpus ſit plethoricum, & vena Epatica. *Diæta.* Deinde victus ratio inſtituatur refrigerans & humectans. Conveniunt itaque pruna Ungarica, cremores ptiſanæ & avenæ, juſcula & carnes pullorum cum uvis immaturis conditæ & piſces ſaxatiles. Potus ſit aq. hordei & cereviſia non adeo plena, vinum & aromata fugiant. In frigido tumore, quem rarum eſſe diximus, paulò calidiora alimenta aromatibus moderate condita, & vini moderata potio conveniunt.

Evacuantia. Poſt præſcriptam victus rationem humor vitioſus in virgam incumbens ſive ſit bilioſus, ſive ſalſus, ſive pituitoſus convenientibus remediis toties in ſuperioribus tum curationibus tum generalibus tabellis commemoratis ad evacuationem præparetur, & deinde evacuetur, &, ſi neceſſitas poſtulet, alvus lenibus Clyſteribus crebro ſubducatur. *Topica.* Quibus ita præmiſſis, mox ad Topica remedia virgæ tumorem ſedantia, dolorem pruritumque mitigantia, deveniendum erit.

Primum itaque inflammato tumentique pudendo imponatur tale epithema.

Epithema. ℞. Lutei ovorum cum album. n. II. ol. roſar. ℥ I. ſucci plantaginis, Solani, lactucæ an. ℥ I. Aceti roſar. ℥ s. ſimul conquaſſata probeque commiſta, cum panno novo aut duplicatis linteolis excipiantur tumentique virgæ imponantur.

Maturantia. Verum ubi Apoſtema à præſcripto Epithemate non detumeſcat, ad tumoris maturationem & in pus converſionem conſilium eſt convertendum, id quod ſequenti cataplaſmate perfici poteſt.

Cataplaſma. ℞. Fol. Malvæ, ſolani, violar. an. M. I. flor. verbaſci, roſar. an. M. s. coquantur in q. s. ac deinde herbæ concoctæ piſtentur in mortario, quibus admiſce farinæ hordeac. lini, fænugræci an. ℥ II. ol. violar. ℥ II. vitell. ovorum

rum n. II. commiſce, fiat cataplaſma, quod tepidum bis ſingulis diebus imponatur. Mitigat enim dolorem & ad maturitatem deducit tumorem.

Apertio Apoſtematis. Maturato apoſtemate incidatur ſecundum longitudinem tumoris locus, & emundato pure chirurgico artificio (de quo ſuo loco latius tractabitur) curetur.

Curatio tumoris frigidi. Porro tumor virgæ frigidus, qui raro & vix quam in hydrope contingere conſuevit, ita curandus eſt. Primum applicato ſequens cataplaſma.

Cataplaſma diſcutiens. ℞. Rad. Aſphodeli M. II. lilior. albor. M. I. conterantur in mortario, quibus admiſce fecis vini ℥ II. farinæ fabarum & pul. Cymi. an. ℥ I. mellis q. s. commiſceantur & fiat inſtar pultis cataplaſma. Aut maturetur tumor ſequenti cataplaſmate.

Aliud maturans. ℞. Vitelli ovorum n. III. far. vel pul. fænugræci, lini & farinæ volatilis in molendinis collectæ an. ℥ I. aq. decoctionis meliloti, & rad. Alth. q. s. ſimul coquantur in pultis formam, fiat cataplaſma, cui admiſce parum ol. chamæm. Aut

Aliud tumorem imminuens. ℞. Nucleorum dactylorum ℥ I. Aloës Epat. Aceti & aq. p. æ. q. s. fiat cataplaſma bis ſingulis diebus applicandum.

Maturato apoſtemate incidatur & curetur chirurgico proceſſu.

Tumoris intrinſeci remedia. Ubi autem tumor intrinſecus ad meatum Virgæ tendit, tum pro qualitate cauſæ, omnia præſcripta remedia commode adhiberi poſſunt, niſi quod liquidiora per ſiphonem impelli, duriora autem inſtar candelæ cereæ conformatæ inſeri debeant.

3. *Virga ulcus ſive exulceratio quid, qua ejus cauſa, qua ſigna, & quomodo curanda?*

Quæ partes pudendi exulcerentur. Ἕλκωσις τ̃ καυλȣ̃. Virga frequenter exulceratur cum externis tum internis ejus partibus; & externa quidem ejus ulcera excitantur aut in cute, aut in glande, aut in præputio. Interna vero ulcera contingunt aut ſub cute, aut in meatu urinæ, aut in interna parte præputii, aut circa radicem pudendi, id quod ex loci dolore facile deprehenditur.

Cauſa. Cauſæ προηγȣμέναι exulcerationis virgæ ſunt, putidi & venenoſi humores, ſalſa & aduſta villoſaque colluvies in cavernulis virgæ impacta. Procatarcticæ vero cauſæ ſunt, contactus ulceroſorum putrefactorumque locorum matricis infectarum mulierculatum aut menſtruo laborantium in fœdo coitu.

Signa. Signa exulcerationis virgæ ſunt evidentia, & cauſæ quidem procatarcticæ ex confeſſione ægri cognoſcuntur, ſed cauſæ proëgumenæ ex totius corporis habitu & intemperie dignoſcenda erunt. Prognoſtica ſigna notantur: Ulceri virgæ aut præcurſores aut comites ſunt morbi Gallici. Ulcera virgæ niſi tempeſtivè curentur, maligna redduntur, & vel in putrefactionem, aut in fiſtulam, aut in cancrum degenerant, maximè ea, quæ intra glandem, aut circa radicem virgæ excitantur. *Prognoſtica.*

Curatio. Curatio exulcerationis Virgæ conſiſtit in victus ratione, in vitioſi humoris evacuatione, in puris abſterſione, & ulceris per topica pharmaca conglutinatione. Si itaque vitioſi humores per totum corpus ſparſi ad virgam defluentes tumorem aut exulcerationem excitent, victus ratio ſemper contraria debet eſſe & vitioſis humoribus & intemperiei corporis. In genere autem conveniunt pruna Ungarica, poma aſſata, juſcula pullorum cum uvis immaturis & rad. petroſel. cocta, & ptiſana avenacea ac hordeacea, pulmentaque ex oryza & amylo. In potu conveniunt hydromeli, aqua hordei, cui incoctum eſt cinamomum, aut cereviſia tenuior. *Diæta.*

Venæ ſectio. Poſt victus rationem ordinatam, nec venæ ſectio prætereunda erit. Secanda autem erit primo vena epatica dextri humeri, & poſtea vena talaris interior.

Decoctum. Medicatio inter uſurpationem topicorum remediorum talis eſt. Bibat patiens mane ac veſperi hauſtum tepidum ℥ v. ſeri lactis caprini, in cujus ſemicongio in duplici

 vaſe

vase incocti sunt M. II. fumariæ viridis, aut ejus loco conf. fumariæ ℥ II. herb. Veronicæ M. I. rad. chinæ, polypodii an. ℥ I. post sufficientem cocturam percoletur.

Evacuantia. Interim & putidi venenosique humores singulis septimanis semel subducantur, aut bolo ex ʒ x. cass. fistul. devorato, aut ℥ I. Elect. diacatholici, aut ʒ v. confectionis hamech. cum haustulo aq. veronicæ, aut card. benedict. resolutis & ebibitis. Quin, si circa regionem Renum simul cum ulcere virgæ inflammatio percipiatur, aut ardor acrimoniaque urinæ inter mejendum, inungatur regio Renum sequenti linimento.

Linimentum. ℞. Ol. rosarum, nympheæ an. ℥ s. Mucaginis ex sem. cyton. contusis cum aq. solani confectæ ʒ II. ceræ q. s. fiat linimentum. Aut ex iisdem rebus conficiatur cerotum addita sufficienti cera, & Renibus imponatur.

Si ex virgæ inflammatione sit ulcus. Ubi vero in ipsa virga hæreat inflammatio, quæ maximè impedit curationem, (quia destruit naturalem calorem) ea citissimè restinguenda est sequenti Epithemate.

Epithema. ℞. Album. ovorum n. II. quibus admisceantur aq. Rosarum, solani an. ℥ II. & simul conquassentur, ac si ulcus sit extrinsecum, excipiantur duplicatis linteolis, & crebro inflammato loco imponantur.

Si vero intra cavitatem virgæ hæreat inflammatio & ulcus, hoc ipsum Epithema tepidum per siphonem intropellatur.

Omnia autem deinceps Topica remedia talia esse debent, quæ ulceris sordes abstergant, loci humiditatem exsiccent & simul consolident. *Ulcus abstergentia.* Si itaque ulcus virgæ sordida sanie redundet, abluatur, abstergaturque & mundificetur primum aut vino rubeo, in quo cocta sit herba Veronicæ, aut hydromelle tepido, aut lacte caprillo, in quo rosæ rubeæ sunt incoctæ. Qui liquores, si internum sit ulcus, per siphonem infundatur: si vero extrinsecum sit, tenui spongiola exceptis liquoribus abluatur, & mox post ablutionem externum quidem ulcus lana xylina, aut molliori spongia extergatur, ulcerique sequentium pulverum aliquis inspergatur, aut tenuissimi pulveris Aloës Epaticæ, aut fol. querci, aut rad. Aristolochiæ rotundæ, aut pul. plumbi usti & probè eloti, aut cadmiæ elotæ, aut thuciæ præparatæ, aut, quod mirificè exsiccat, conglutinat, & inculpatam carnem regenerat,

Pulveres exsiccantes & conglutinantes. Ol. Tartari ad hunc usum Chymici commendant.

℞. Thuciæ præparatæ, sarcocollæ, Thuris, Balaustiæ, Acatiæ, lapid. hæmat. an. ℈ I. Aluminis ℈ II. Omnia tenuissime pulverentur & commisceantur, ulcerique inspergantur. Aut ex ejus portione cum pauxillo ol. rosacei, & cera candida, fiat linimentum, quod ulceri illinatur. *Linimentum.*

Mirificè quoque sequens pulvisculus ulcera virgæ persanare consuevit. *Pulvis compositus.*

Pulvis. ℞. Scoriæ ferri præparatæ, plumbi usti, cineris chartarum lusoriarum, sang. Draconis, Aluminis adusti an. ʒ s. fiat pulvis tenuissimus, qui ulceri inspergatur: Aut cum ol. Rosaceo exceptus illinatur, & post illitionem remediorum, aut pulveris inspersionem, imponatur extrinseco ulceri Emplastrum de cadmia, quod in myropoliis Emplastrum Griseum nominatur. *Empl. griseum.*

Ad ulcera pudendi interna. Porro in internis pudendi ulceribus paulo difficilior est curatio. Itaque intra corpus quotidie bis exhibenda sunt remedia abstergendi & conglutinandi facultate prædita, veluti sunt sequentes pulvisculi.

Pulvis assumendus. ℞. Aristolochiæ rotundæ, Bacc. lauri an. ʒ II. sem. urticæ, Fol. sabinæ an. ʒ I. Glandium ʒ I. s. Gummi Arabici, Tragacanti an. ℈ II. pulverentur subtilissimè, cujus ʒ I. exhauriatur mane ac vesperi cum hydromelite, aut ʒ I. Trochiscorum Alkakengi cum aq. hippuris.

Topica. Interim & sordes ulceris interni cum supra scriptis liquoribus per siphonem impulsis quotidie bis eluantur, quibus si parum efficiatur, tum ceream candelam ex cera sigillatoria viridi confectam, & unguento Ægyptiaco vocato oblinitam per meatum virgæ in ulcus immitti prodest, cum candelæ & præscriptus pulvisculus admisceri potest.

Aut

Aut paretur cerea candela ex præſcriptis pulviſculis quæ quotidie bis inſeratur in ulceroſam virgam, & non eximatur niſi mejendi neceſſitas incumbat. Aut

Liquor infundendus.

♃. Pul. viridis æris ℥ s. aq. plantag. ℔. s. commiſceantur & ſimul macerentur per noctem, deinde coletur liquor viridis ab ærugine, in eoque liquore reſolvatur ℥ I. aloës puriſſimæ, ſarcocollæ ℥ s. qui calidus per ſiphonem in ulcus infundatur.

Et his quidem remediis eouſque eſt utendum, donec dolor ulceris non amplius perſentiſcatur, nec ſordes purulentæ cum urina profluant.

Si ulcus ſit putridum, quibus utendum.

Porro ſi ulcus putreſcere deprehendatur, utiliſſimum erit ſequenti liquore eluere.

♃. Auripigmenti ʒ II. quod tenuiſſimè pulveratum cum ℥ II. aq. roſar. reſolvatur, qui liquor per ſiphonem immittatur. Aut

♃. Aq. plantag. ℥ II. ol. vitrioli ʒ s. miſceantur & tepida per ſiphonem in ulcus impellantur. Quæ autem ulcera virgæ hac ratione & his remediis curari nequeunt, eis curandi ratio morbo Gallico dicata, quæ paulo poſt in curandis affectionibus cutis commemorabitur, adhibenda erit. Sunt enim hi morbi, utpote jam pertractatus, & ſequentes, præambulones & perpetui nuncii morbi Gallici.

Validiora remedia unde petenda.

4. *Puſtulæ & verrucæ in virga exortæ quid, quæ earum cauſa, quæ ſigna, & quomodo curandæ?*

Puſtula quid.

Ἐφήλιδες τȣ͂ καυλȣ, Puſtulæ virgæ. Puſtulæ generali ſignificatione dicuntur Chirurgis tumuſculi, vel extuberantiæ minores in cute excitatæ, quales ſunt ſcabiei tumuſculi, aut aduſtione aq. ferventis excitati, quorum materia utplurimum tenuior & flatuoſior eſt quam apoſtematum ſeu tumorum.

Puſtulæ virgæ in quo loco erumpant.

Puſtulæ autem virgæ ſemper oboriri ſolent in externa cute pudendi, aut in pellicula glandis. Duplices autem ſunt puſtulæ virgæ, Molliores alteræ & albicantes, Duriores autem & inæquales rubeſcenteſque aut liveſcentes alteræ. Quanto autem magis puſtulæ virgæ ab albo colore ad lividitatem aut nigredinem receſſerunt, tanto ſunt duriores. Duriores & ſcabræ puſtulæ liveſcenteſque Barbaris verrucæ, Arabibus Botores nominantur & ut plurimum præputio adhærent.

Earum differentiæ.

Cauſæ.

Cauſæ puſtularum virgæ ut plurimum procatarcticæ ſunt tantum, veluti ſunt contactus & conjunctio virgæ cum exulcerata parte uteri, aut illitio & defœdatio virgæ cum virulenta colluvie putidaque ſanie in utero contenta, & illitio menſtrui ſanguinis. Id autem non contingit, niſi concumbentibus cum impuris mulierculis & publicis ſcortis. Verrucæ vero ſive duriuſculæ puſtulæ virgæ ex iiſdem cauſis προκαταρκτικαῖς excitantur, potiſſimum accedente προηγουμένη cauſa, hoc eſt, ubi ſanguis in corpore aduſta melancholia eſt defœdatus.

Signa.

Signa puſtularum virgæ manifeſta ſunt, viſu enim ac tactu deprehendi poſſunt. Prognoſticon eſt: Puſtulæ & verrucæ virgæ præcurſores ſunt morbi Gallici, & niſi tempeſtivè curentur, in maligna ulcera degenerant.

Prognoſtica.

Curatio.

Curatio puſtularum virgæ tota ferè eſt chirurgica. Ut tamen in aliis morbis, ita & in hiſce affectionibus ratio habenda eſt victus, venæ ſectionis, & remediorum uſurpationis.

Diæta.

Victus ratio ordinanda eſt talis, quæ intemperiei corporis eſt contraria, ut calidis frigida, frigidis calida, ut ſupra ſæpè annotavimus.

Venæ ſectio.

Venæ ſectio in ſanguineis naturis, & corporibus plethoricis ſemper præcedere debet. Secanda autem eſt vena Epatica ſiniſtri lateris. Commode quoque adhibentur virgæ hirudines ſanguinem impurum elicientes, & ſcarificationes, & ſanguis impurus digitis per vulnuſcula exprimendus eſt. Remedia digerentia & evacuantia pro humoris redundantis in corpore conſtitutione adhibenda ſunt, quorum copiam ex ſuperioribus & ex tabellis medicamentorum habere poſſumus.

Hirudines.

Topica. Topica remedia, quibus pustulæ & verrucæ virgæ exstirpari curarique possunt, magis experta hæc habentur. Etsi autem valde sævum sit curationis genus, tamen breviori tempore pustulas & verrucas persanat, cauterium actuale ut vocant, hoc est, ustulatio pustulæ & verrucæ cum ferro candente: statim verò post ustionem toti virgæ sequens remedium inflammationem arcens est imponendum. *Cauterium actuale.*

Epithema refrigerans.

℞. Albuminum ovorum n. II. conquassentur eisque admisceantur ol. rosacei ℥ I. succi plantag. Solani an. ℥ s. commixta & parum calefacta duplicatis linteolis excepta bis per diem imponantur.

Incisio. At qui ustionem tolerare nequeunt, iis pustulæ aut verrucæ profundiori vulnusculo incidantur, vulnerique imponatur aut unguentum Ægyptiacum, quod in myropoliis prostat, aut pulvisculi Trochiscorum è Minio, quorum parandorum ratio ex Vigone Chirurgo ita habetur.

Trochisci è minio Vigonis.

℞. Medullæ panis bene fermentati ℥ s. Mercurii sublimati ℥ I. Minii ℥ s. Hæc tria simul in mortario diutissimè conterantur & cum q. s. mucaginis Tragacanti cum aq. rosac. facti, formentur exigui orbiculi, atque exsiccentur. Hoc medicamentum non modo pustulas & verrucas in virga, verum etiam corruptas carnes & excrescentias omnes in quibuscunque vulneribus partium absumit & erodit.

Post exesas pustulas atque verrucas, ulceri earum sequens cataplasma imponatur.

Cataplasma abstergens.

℞. Terebinthinæ ℥ I. Mellis rosar. ʒ III. succi Apii, Plantaginis an. ʒ II. simul ebulliant & defæcentur, eisque admisceantur farinæ hordei ʒ V. sarcocollæ ʒ II. croci ℈ I. fiat cataplasma, quod in die bis tepidum ulceri pustularum imponatur, cujus beneficio ulcus emundatur & abstergitur; & ubi satis emundatum est ulcus, tum eidem cataplasmati utiliter admiscentur ea quæ carnem generare & ulcus conglutinare queant, qualis est sequens pulvis. *Sarcotica.*

Cicatricem inducentia & consolidantia.

℞. Thuris ʒ II. Aloës Epaticæ ʒ III. Myrrhæ ʒ II. pulverentur tenuissimè ac commisceantur. Ut autem citissime ulcus ad cicatricem perducatur, inspergatur ei sequens pulvisculus.

℞. Lithargyrii utriusque an. ʒ II. Tuthiæ præparatæ ʒ I. Boli Armenii, Terræ sigillatæ an. ʒ s. Myrobalanorum citrinarum, aluminis usti an. ℈ II.

Omnia tenuissimè pulverentur, & commixta ulceri inspergantur.

Symptomata pustularum virgæ. Porro solent nonnunquam ulcera pustularum ac verrucæ virgæ continuo sanguinis madore ac fluxione affici, & inflammatione corrumpi, & simul pruritum excitare, quæ symptomata sequentibus remediis curari possunt.

Sanguinis fluxionem sistentia. Sanguinis fluxionem non modo in virgæ pustulis, sed & aliarum partium affectionibus mirifice constringit sequens hic pulvisculus, si ulceri inspersus fuerit.

Pulvis.

℞. Aloës Epaticæ, thuris, sarcocollæ an. ʒ I. Terræ sigillatæ, Boli Armenii, Lithargyrii utriusque an. ℈ I. Myrrhæ ℈ s. pilor leporin. minutissimè conc. ʒ s. farinæ volatilis vocatæ, quæ parietibus molarum adhærescit, farinæ fabarum, lentium, hordei an. ʒ s. commisceantur & inspergantur, vel albuminibus ovorum conquassatis in linimenti formam redigantur, & linteolis excepta affecto loco imponantur.

Inflammationem compescentia. Tumorem vero & inflammationem virgæ ac potissimum glandis sequens linimentum sedabit.

Linimentum.

℞. Ol. rosarum ℥ I. Succi plantaginis ʒ VI. Lithargyrii utriusque an. ʒ III. Tuthiæ ʒ I. s. Cerussæ lotæ ʒ I. Plumbi usti ʒ s. ex quibus omnibus probè pulveratis & commixtis fiat linimentum, quod linteolis exceptum, loco affecto imponatur. Idem præstat sequens liquor.

℞. Aq.

Epithema. ℞. Aq. plantag. rosarum an. ℥ II. sieph. albi sine opio facti, (quod est populare remedium Arabibus ita nominatum) ʒ II. commisceantur, fiat liquor sive collirium, & imponatur.

Pruritum sedantia. Pruritum vero qui ex acribus salsisque humoribus in pudendo excitatur, mitigabit hoc sequens cataplasma.

Cataplasma. ℞. Violariæ, acetosæ, meliloti, fumariæ, flo. rosarum, sambuci an. M. s. Concisis omnibus coquantur in q. s. aquæ, & abjecto liquore herbæ contundantur in mortario, quibus admisceantur aceti rosacei an. ℥ II. farinæ fabaceæ q. s. fiat cataplasma, quod tepidum imponatur. In leviori autem pruritu satis erit inungere unguento Populeonis vocato, cui nonnihil quoque aluminis usti sit admixtum, aut inungere medulla ex vitulinis ossibus exemta. *Linimentum.*

5. *Præternaturalis & continua Virgæ erectio seu extensio quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quibus remediis persananda?*

Priapismus quid. Πριαπισμὸς & Σατυρίασις sunt affectiones virgæ, in quibus virga præter naturam & præter voluntatẽ cum dolore continua erectione molestatur, sine omni Venereo desiderio & seminis excretione. Virga enim à Deo opifice ad seminis ejaculationem est condita, semen autem minimè ejaculari potest, nisi ipsa extendatur & turgeat, & ideo ejus artificiosa structura cavernosa est, & recipiendis spiritibus aptissima, constans ex validis nervis, eisque, exceptis opticis, solis cavis, & musculis amplis, arteriis ac venis intertextis. Cum itaque virgæ cavernæ & nervorum meatus spiritu replentur ac turgent, & calore nativo incalescunt, stimulatur animal ad libidinem, & erigitur virga, & excitatur ad semen ejaculandum cum summa voluptate, quæ affectio naturalis est. In priapismo autem nec desiderium adest Veneris, nec semen ejaculatur, sed riget virga cum dolore. Satyriasis ex iisdem causis oritur, & in hoc tantum differt à Priapismo, que in satyriasi sit non tantum continua erectio cum dolore, verum etiam continue palpitet, sursum deorsumque subsiliat virga. Ut autem raræ, ita fœdæ sunt hæ affectiones virgæ. Unum mihi per vitam adolescentem maritum inter longam profectionem hoc malo laborasse, videre & curare licuit tantum. *Naturalis virgæ usus.* *Differentia inter priapismum & satyriasin.* *Rara affectio.*

Causæ internæ. Causæ προηγούμεναι sive internæ priapismi atque satyriasis sunt vapores & ferventes spiritus ex arteriis dilatatis justo copiosius in cavernas virgæ, & cavitates nervorum profluentes, ibidemque collecti. Item seminis mala & venenosa qualitate imbuti destillatio ad meatum virgæ post longam retentionem. Acres & purulenti humores ex internis apostematibus in meatum virgæ profluentes. Hisce causis internis perpetuo conjunctus est flatus, sed in satyriasi major, quam in priapismo copia flatuum adest.

Externæ. Προκαταρκτικαὶ sunt calefactio nimia lumborum & inguinum, quæ calefactio ut plurimum ex insueta vectione aut equitatione oboritur, in qua semper dilatantur arteriarum orificia in virga sparsarum, item acria & calida pharmaca meatui urinæ intromissa.

Signa. Signa ex ægri querela haberi possunt, & per se manifesta sunt. Nam adest continua extensio cum dolore, ac sine titillatione ad libidinem, & in satyriasi continuè jactitatur subsilitque virga. Prognosticon hujus mali hoc est: Priapismus & satyriasis similis est spasmo seu nervorum convulsioni, & nisi maturè curetur, vitæ perniciem, ut spasmus, inferre consuevit, & mortuis non subsidet virga, sed rigida permanet; aut si flaccescat, venter ex flatu intumescit. *Prognostica.*

Curatio. Curatio hujus mali consistit in victus ratione, venæ sectione, & remediorum usurpatione; quæ omnia pro causarum diversitate, & corporum intemperie varianda erunt.

Diæta. Victus ratio moderata esse debet: Et præstaret patientem per triduum inedia macerari. Cum autem naturis siccis & calidis magna ex parte hoc malum accidat, ordinanda est victus ratio calidæ & siccæ intemperiei contraria. Conveniunt itaque ptisana, cremor ptisanæ, pulmenta ex amylo & farina avenacea, lac amygdalinum, lactuca, portu-

portulaca &c. quibus nonnihil admisceri possunt flatus dissipantia, veluti sunt semen carvi & cymini. Potus sit aqua hordei. Vitare autem convenit omnia calefacientia & flatus generantia.

Venæ sectio. Venæ sectio corporibus plethoricis & biliosis plurimum utilitatis adfert, ac primum quidem in sanguineis redundantia sanguinis per venæ Epaticæ incisionem, deinde & ejus quæ sub poplite habetur, diminui debet, sed præstaret arteriam tarsi pedis, quæ ex pulsu facile deprehenditur, incidere. *Arteriotomia in tarso.*

Purgantia. Verum ut in aliis morbis præcepimus, ita in hac affectione ante venæ sectionem biliosi flatuosique & inflammati humores subducantur, aut infusioni Rhabarbari, cujus parandi rationem jam sæpius commemoravimus, aut cass. pulp. ʒ x. aut ℥ III. syr. rosat. solutivi, aut leni clystere alvus eluatur.

Enema. ℞. Malv. violar. Mercurialis an. M. I. flor. Anethi M. s. decoquantur in q. s. aq. ad tertias, colati juris accipe ℔. I. cui admisce cass. extractæ ℥ I. syr. rosat. solutivi ℥ II. ol. violarum ℥ III. salis ℈ II. fiat enema, quod tepidum recto intestino injiciatur.

Evacuato corpore & flatuoso sanguine, spirituque ferventi per venæ vel arteriæ sectionem subtracto, quotidie patienti potanda præbeatur ʒ I. sequentis pulvisculi cum haustulo aquæ Rutæ.

Pulvis refrigerans. ℞ Rad. Nympheæ, sem. viticis an. ʒ II. fol. verbenæ ℈ II. Rutæ ℈ s. coral. albi præparati ℈ I. Trochisco. è camphora ℈ I. misceantur, fiat pulvis. *Sal ♄ idem præstat.*

Topica. Interim topica remedia sedulo usurpanda erunt. Si itaque calida intemperies corpus infestet, pedes & crura ægrotantis subinde in aquam frigidam sunt immergenda, virga vero percalefacta sequenti Epithem. est fovenda.

Epithema. ℞. Succi plantaginis, Hyoschiami, semper vivæ, solani, papaveris an. p. æ. aceti rosacei parum, fiat epithema, quod tepidum duplicatis linteolis exceptum, virgæ circumponatur. Iidem succi, aut lac ex sem. papaveris cum aq. rosacea factum, tepidumque per syphonem in meatum virgæ commode impelli potest. *Cataplasma.* Aut ex præscriptorum succorum herbis recentibus admixto ol. rosaceo & Nymph. an. q. s. & farinæ fabaceæ, ut pultis formam consequatur, fiat cataplasma, & virgæ imponatur. *Lumbis imponenda.* Ea ipsa pharmaca lumbis percalefactis utiliter imponi possunt. Aut inungantur lumbi ac plantæ pedum quotidie bis sequenti linimento.

Linimentum. ℞. Ol. rosarum, violarum, nympheæ, an. ℥ II. chamæmelini, unguenti populeonis an. ℥ I. Mucaginis ex sem. psylii cum aceto rosaceo factæ ʒ II. ceræ albæ q. s. fiat linimentum.

Si ex ulcere virgæ, quid agendum. At ubi hoc malum ab ulcusculo in meatu virgæ oborto & ex eo defluente sanie sit excitatum, ulcus ipsum mundetur, & pus acrisque colluvies cum tepida aqua rosacea per syphonem immissa eluatur, & eis remediis persanetur ulcus, quæ paulo ante commemorata sunt.

Flatulentos spiritus discutientia. Si vero Priapismus & satyriasis à copia flatulentorum spirituum sunt excitatæ, post usum præscriptorum remediorum, ea sunt adhibenda, quæ flatum discutiant, inter quæ præstantissima sunt ℈ s. ol. carvi, aut ol. Cymini cum haustulo aq. Rutæ quotidie exhibitus.

Satyriasis remedia. In satyriasi virgæ palpitanti, potissimum si absit vehemens caliditas, imponi commode potest vinum tepidum instar Epithematis, in quo concocta sint cyminum & fol. rutæ. Similiter & ruta viridis contusa, & cum pauxillo aceto & cymino additis, fiat cataplasma.

Si vero inflammatio virgæ prohibeat, tum mucaginem psylii cum aceto rosaceo factam, & linteolis exceptam, commodius imponere possumus.

6. *Impotentia erigendæ virgæ quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quibus remediis sublevanda?*

Impotentia quid. Ἀδυναμία ἐντάσεως τοῦ καυλοῦ, Virgæ ignavia seu erigendæ impotentia est, ubi in ætate

ætate connubio apta, virga ita enervatur, ut nullo conatu erigi, extendive queat. Quod in decrepitis naturale est, sed in mediæ ætatis hominibus, ac potissimum in conjugio degentibus tristis & ingratissima est affectio.

Causa. Causæ προηγουμέναι ignaviæ virgæ sunt, nervorum virgæ resolutio ex refrigeratione orta, penuria flatulentorum spirituum ex interceptis arteriis virgæ in nervos influere prohibitorum, cordis debilitas & palpitatio, seminis penuria & frigiditas, obstructiones nervorum & arteriarum, vasorumque spermaticorum per frigidos humores, Renum insignis refrigeratio. Προκαταρκτικαὶ sunt longa mora & conversatio in frigida aqua, locisque frigidis, victus ratio, & remediorum impensè refrigerantium, tum foris tum intra corpus usurpatio, nervorum & arteriarum virgæ convulneratio, fascina seu incantamenta diabolica, à sceleratissimis & extremo supplicio puniendis inducta virgæ ignavia.

Signa causarum diversarum. Signa ex relatione patientis haberi possunt. Causarum vero signa ita consideranda veniunt. Virgæ paralysin præcessit aut insignis ægritudo, aut extrema refrigeratio. *Refrigerationis.* Refrigeratio ex totius corporis, ac potissimum inferiorum partium frigida intemperie, deprehendi potest. *Spirituum inopiæ.* Flatulentorum vero spirituum & caloris nativi inopia, ac simul seminis penuria, ex virium naturalium imbecillitate, & corporis extenuatione dignoscitur. *Obstructionis vasorum.* Simili ratione & renum vasorumque spermaticorum obstructio ac debilitas ex propriis signis deprehenditur. *Incantationis seu fascini.* Ubi vero per diabolicam incantationem virgæ ignavia est introducta, id ut plurimum integra sanitate bene fruentibus in nuptiarum festivitatibus, & primo conjugali concubitu præter spem sponsus deprehendit, quod quidem malum quibusdam per totam vitam, aliis autem per plures menses durare solet.

Curatio. Curatio extinctæ aut impeditæ facultatis erigendæ virgæ pro causarum diversitate variabitur. Consistit autem potissimum in victus ratione, & remediorum excalefacientium, flatuosumque spiritum generantium & semen augentium usurpatione.

Diæta. In victus ratione conveniunt omnia, quæ probè nutriunt, & copiosum flatuosumque generant sanguinem, spiritusque vitales recreant, veluti sunt carnes gallinarum, caponum, perdicum, & potissimum eorum cerebra, columbarum & porcorum non castratorum recenter mactatorum, similiter & vitulina & avium montanarum. *Cibi Venerem excitantes.* Itidem præstant, & peculiari facultate ad Venerem excitant testiculi gallorum, porcorum & vulpium opipare cocti; Item ova recentia & dura. Ex leguminibus flatulentum spiritum generant fabæ, ciceres, pisa, & ex seminibus Erucæ, fœniculi & anisi, pastinacæque. Ex radicibus utiliter esitantur rapæ minores, quas napos vocant, Sternbergische Ruben / rad. pastinacæ, carotæ, eryngii, cepæ & porrum. *Congolatum quoque piperatum croceum, Galrey dictum, hic utile.* Ex fructibus vero prosunt nuces pineæ, avellanæ, amygdalæ, ficus, dactyli & uvæ passæ. *Fructus item seu capita cinaræ herbæ, quam artichoca ex Gallico vulgus nominat, de quo Poëta:*

Hunc tibi jus perpingue coquat: præstantior inde est,
Ibit & in numeros sic Venus apta suos.

Ex aromatibus conducunt cinamomum, zinziber, crocus, piper & cardamomum: Ex piscibus specifica virtute semen augent cancri, carabi & conchæ marinæ, præsertim ostreæ, ex quibus omnibus varia edulia parari, cum iisdemque condiri possunt. *Potus.* Potus illi sit vinum generosum aliquod, aut malvaticum aut aromatite, quod claretum vocant, & hydromeli. Verum ex iis quæ impensius exsiccant, eorum usus moderatior esse debet. Conducit præterea frequens exercitium, & agitatio inferiorum partium, & frictio moderata lumborum & inguinum. Pedes quoque calidis tegumentis muniendi sunt, & à refrigeratione arcendi. Conducit insuper nonnunquam lavare in balneo aq. dulcis, in qua cocta sint malva cum radicibus, flores chamæmeli, & semina lini atque fænugræci contusa.

Principes partes roborandæ. Ad medicationem quod attinet, causa primum est consideranda. Et si principes partes, veluti cor, cerebrum, renes, epar vel uni-

univerſum corpus aliqua intemperie potiſſimum frigida laborent, aut ſanguis in venis frigido humore ſit dilutus, earum partium nativo calori reſtituendo roburque inferendo diligenter eſt ſtudendum; & ea medicamenta adhibenda, quæ in curatione earum partium ſunt propoſita. Ac potiſſimum ſi ſanguis colluvie frigida eſt infectus primum calefacientibus remediis concoquendus eſt humor frigidus, deinde per hauſtulum ex ℥ I. diaphæniconis aut ℥ s. confect. hamech. aut ʒ x. Diacatholici cum q. s. aq. ſolutis, eſt expurgandus.

Evacuantia frigidam colluviem.

Proderit & Clyſterem alvo infundere ita paratum.

Enema.

♃. Herb. Malv. Mercur. flor. Anethi, chamæmeli an. M. s. Rad. Altheæ ℥ s. ſem. Fæniculi ʒ II. erucæ ʒ I. Conciſa & contuſa coquantur in juſculo galli q. s. ad tertias, colati juris accipe ℔. I. cui admiſce caſſiæ extractæ ℥ I. vitellorum ovorum n. II. ol. amygdalarum dulcium recentis ℥ II. fiat clyſter.

Pharmaca Venerem ſtimulantia.

Porro inter medicamenta ignavam virgam ad erectionem excitant, Venerem ſtimulant, ſemen augent idque fæcundum efficiunt hæc ſequentia: Ituro cubitum patienti exhibeatur devoranda ℥ I. electuarii Diaſatyrion in officinis vocati, inſuperque hauſtum vini generoſi Rhenani aut vini Cretici bibat. Aut exhibeatur quant. nucis juglandis ſequentis electuarii eodem modo uſurpati cum hauſtu vini generoſi.

Diaſatyrion.

Electuarium elegans & efficax.

Eſſentia ſatyrionis à ℈ I. ad ʒ I. cum vino generoſo, ituro cubitum exhibita præſtantiſſ. eſt confortativum.

♃. Sem. erucæ, napi, paſtinacæ, piperis albi & longi, zinzib. alb. an. ʒ I. ſem. fraxini, urticæ, lini an. ʒ s. ſtinci Ægygtiaci veri abjectis capitibus & pedibus n. III. teſticulorum vulpis, gallorum ſiccatorum an. ʒ II. ramenti priapi Taurini ʒ I. s. ſpec. Diamoſchi, diambræ an. ℈ IV.

Omnibus tenuiſſimè pulveratis ac commixtis excipiantur ſequenti ſyrupo.

♃. Succi cæparum viridium cum pauxillo vini generoſi conſperſarum. Succi rad. ſatyrii ſimiliter vino conſperſarum an. ℥ IV. Cum quibus ſuccis reſolvatur ſaccari ℔. s. fiat ſyrupus ad juſtam conſiſtentiam coctus, cui præſcriptus pulviſculus admiſceatur, fiat electuarium.

Aut devoretur mane ac veſperi ex ſeq. morſellis unus, & veſperi inſuper hauriatur hauſtus vini generoſi.

Morſuli confortantes egregii.

♃. Sem. erucæ, urticæ, aniſi, fæniculi, paſtinacæ an. ʒ I. Pul. priapi Taurini & cervini in Septembri capti & areſacti an. ʒ II. Nucleorum pineæ, amygdalarum dulcium, piſtacearum minutiſſ. conciſarum an. ʒ I. s. Nucis moſcatæ, cubebarum, cardamomi, Zinziberis an. ʒ s. Piperis longi ʒ I. s. ſtinci Ægypt. n. III. ſpec. diamoſchi ℈ IV. Saccari albiſſ. in aq. Cinam. ſoluti, & ad duritiem ſuffic. cocti ℥ X. Commiſceantur, & inter commiſcendum adjiciantur ol. cinamom. guttæ V. ol. fæniculi guttæ VII. fiant morſelli elegantes pondo ℥ I. Aut exhibeatur veſperi ituro cubitum cum hauſtu vini generoſi ſequens pulviſculus.

Pulvis.

♃. Teſticulorum galli aridorum, vulpis, priapi Cervini & taurini an. ʒ I. Stinci Ægyptiaci n. I. ſem. erucæ, lini an. ʒ I. s. Rad. Eringii, Ari an. ʒ s. Piperis albi & longi an. ℈ I. Tenuiſſimè pulverata commiſceantur, quibus admiſceatur Ol. fæniculi ʒ I. fiat pulvis, cujus δόσις eſt ʒ I. aut ʒ I. ß.

Topica.

Interim plurimum quoque ad virgæ erectionem faciunt & topica remedia Renes & membra genitalia calefacientia. Itaque inungatur virga, teſtes & peritonæum cum aq. ſtillat. ex ovis formicarum producta; aut inungantur partes prædictæ pinguedine leonis, quæ raro haberi poteſt: aut pinguedine quiſculæ avis: *Quiſcula avis coturnix eſt, cujus adipem cum pauco elleboro ad vim Veneris excitandam pudendo inungit Keuffnerus Medicus, teſte Geſnero.* Aut ol. nucis Indicæ, aut ſequenti linimento.

Spiritus formicarum.

Linimentum egregium.

♃. Ovorum formicarum ℥ s. conterantur, eiſque admiſceantur Ol. de caſtoreo,

Odoriferum suum specificum Crollius ad hunc usum itidem commendat.

reo, ol. de piperibus an. ℥ s. succi ceparum, succi rad. satyrionis sive orchidis an. ℥ I. ebulliant simul ad succorum absumptionem, colentur & colato oleo admisceantur coaguli leporis ʒ II. Ol. nucis moscatæ liquidi ʒ I. Cibeti gr.v. Moschi in vino resoluti gr. III. Ceræ candidæ parum, fiat linimentum, calorem enim nativum genitalium excitat, & miram voluptatem libidinis infert. Plura genera remediorum paulò post in curatione sterilitatis commemoraturi sumus. Ad idem efficacissimum est sequens linimentum.

Aliud efficacissimum.

℞. Ol. ex sem. erucæ stillatitii ℥ I. cui admisceantur ℥ s. ovorum formicarum contusorum, vini cretici ℥ I. macerentur simul per mensem in loco tepido, deinde in duplici vase aut vitro in aquam ferventem collocato, ferveant ad consumptionem vini & colentur, colato oleo admisceantur pinguedinis circa Renes vulpium exemptæ & liquefactæ ʒ III. ceræ albæ parum, fiat linimentum, cui rursum admisc. moschi gr. III. cibeti gr. IIII.

De incantamentis & diabolicis artibus quibus novelli mariti ligantur.

Hæc ut venena noscenda, non ut iis abutamur, sed ut ab iis caveamus, & per ea læsos juvemus; Deus enim justissimus vindex est talis malitiæ.

Impotentia vero erectionis virgæ & ejaculationis seminis, quæ inter novos conjuges ex Diabolica Φαρμακολογεία per organa Satanæ homines sceleratissimos introducitur, & nihil est aliud quam ligatio potentiæ naturalis nervorum virgæ, ut plurimum per filios incredulitatis rebus ridiculis, & talium virium nihil habentibus perfici solet, ut nuce juglandis, fabarum gramine, testiculis galli cum sanguine exemtis, acu qua cadavera mortuorum in linteamina sunt consuta: Certoque modo certis verbis pronunciatis in novorum conjugum cubiculis ea collocant ac disponunt. Quidam & characteribus ad suam hanc malitiam perficiendam utuntur. Hujusmodi autem maleficium cum prorsus sit trans naturam, & præstigium cacodæmonum, æque impii & superstitiosi homines quidam, æque ridicula remedia ad tollendum maleficium excogitarunt, ut nimirum Sathan impietatem & superstitionem in eis confirmaret. Inter tales Medicos principem locum obtinet Bombastus Paracelsus, ut videre est in archidoxis ejus magicis.

Quam impia autem & superstitiosa hæc sint Bombasti, aliorumque magiæ deditorum figmenta, quilibet sacris literis aliter edoctus, facilè æstimare potest.

Vulgi nugæ ad ligationem solvendam.

Ridicula etiam sunt ea quibus in hujusmodi maleficii aut ligationis naturæ solutione atque curatione rustici nostrates utuntur, naturalia quidem, & sine aliqua superstitione ab iis usurpata, sed talia tamen quæ per se nullarum sunt virium, nec eas in se continent δυνάμεις, ut maleficium solvere possint, nisi omnem salutis fiduciam & persuasionem in ea collocent, quod non caret impietate; talia autem sunt hæc sequentia.

Si sponsus vel novus maritus statim ubi sensit dolum, mingat per annulum, quem in copulatione à sponsa accepit, abluetur maleficium.

Item si quis fascinatus herbam quamcunque per scissuram aut foramen saxi aut alicujus lapidis enatam exiccatam & in pulverem redactam pondere unius drachmæ cum vino bibat, cessabit impostura & maleficium.

Item cor cornicis gestatum à fascino maleficioque liberare creditur.

Vera & naturalis ligatorum curatio.

Sed omissis superstitiosis nugis, qua ego curandi ratione feliciter usus fuerim & naturalem potentiam restituerim breviter commemorabo.

Primo cohortatus sum patientem, ne ob technas diaboli curis se maceraret, sed una cum conjuge per dies aliquot à Venere abstineret, & Deum Opt. Max. autorem conjugii ardentibus precibus fatigaret, ut ipse per Filium suum Dn. nostrum Jesum Christum destrueret opera diaboli propter suam ordinationem.

Preces.

Expurgatio cubiculi.

Secundo jussi ut diligenter materiam fascinii in lecto, sub lecto, in stragulis, cervicalibus, & tota lecti suppellectile inquirerent. Quin & ut terram sub postibus, limitibus januæ, cubiculi effoderent, & si quid materiei

teriei reperirent, igne comburerent, & cubiculum aut saltem lectum, stramina & lectisternia mutarent ac renovarent.

Evacuatio corporis. Tertio jussi patientis corpus pro ratione redundantis humoris convenientibus remediis, potissimum autem VII. ʒ. benedictæ laxativæ in vino resolutæ, ab infectis humoribus purgari, & purgato corpore, ut quoque spiritus naturales simul purgentur, suasi patienti ut intraret balneum sudorificum, assumeretque diaphoreticum sequens remedium.

Sudorifica. ℞. Theriacæ Andromachi ʒ I. Pul. scordii, zedoariæ, Aristolochiæ rotundæ, corall. rub. præparat. an. ℈ I.

Commisceantur cum haustulo aceti, & ante ingressum balnei ebibatur tepidus.

Confortantia. Ita purgatis humoribus & spiritibus, jussi ut singulis diebus ituri cubitum ambo conjuges devorarent juglandis quantitatem electuarii diasatyrii vocati, & superbiberent haustum vini generosi, ac tandem post horam in timore Domini operam darent liberis. Quo curandi genere ex benignitate Dei non tantum pristinas vires naturæ, sed & fæcunditatem brevi restituimus.

SECTIO II.

DE TESTIUM AFFECTIBUS.

1. *Testes & vasa spermatica quid, & quibus morbis infestantur?*

Testes quid. Ὄρχεις, testes, & δίδυμοι substantia constant glandulosa, alba & cavernosa, figura ex rotundo nonnihil oblonga. In viris infra virgam inter inguina propenduli sunt siti, seminificatrice facultate prædit. Nullum enim animal perfectum sine testiculis gigni potest.

Vasa spermatica quæ. Vnde oriantur. Vasa spermatica sunt duo canales, quorum singuli ex una grandi vena, & ex una insigni arteria simul copulatis ac conjugatis constructi sunt, quorum dextri vena exoritur ex trunco venæ cavæ, Arteria vero ex trunco Aortæ, quæ subjacet venæ cavæ. Sinistri vero vasis vena oritur ex vena emulgente, & arteria ex arteria emulgente eidem venæ subjecta. Hæc dico vasa sive ductus per peritonæum usque ad pubis ossa descendentes, per peritonæumque transeuntes in involucrum testium implantantur, testibus ipsis seminis materiam, sanguinem videlicet purissimum & spiritum vitalem subministrantibus. Testium autem & horum vasorum morbi præcipui sunt: *Situs eorum.*

Morbi testium.
- Seminis corruptio,
- Seminis involuntarium profluvium,
- Testiculorum tumor,
- Testiculorum contusio & vulneratio,
- Sterilitas.

2. *Seminis redundantis & diutius retenti corruptio quid, quæ ejus causa, quæ signa, & ut curanda?*

Διαφθορὰ τῆς γονῆς, Genituræ seu seminis corruptio. Γονὴ, genitura vel σπέρμα, semen, est sanguis exacte percoctus, & cum multo spiritu vitali perfusus per seminaria vasa ad testes delatus, ibidemque specifica virtute testium, eorumdemque alba substantia in semen, hoc est in materiam sanguine crassiorem, magis lentam albamque conversus. Quemadmodum enim lac in mammis ex sanguine, ita semen in vasis spermaticis & testibus conficitur. Utrumque autem & lac & semen excrementum est utile ultimæ concoctionis. Cum autem omne excrementum in partibus coacervatum diutiusque retentum, nisi tempestivè excernatur, naturam vel copia ac pondere aut vitiosa qualitate gravet, lædat, & destruat: vitiosam autem qualitatem acquirit aut per putrefactionem, aut per mixturam venenosorum humorum: itaque & lac & semen, illud quidem in mammis, hoc vero in testibus ac vasis exauctum, & diutius retentum, maximè in adulta ætate, gravissima & perniciosa infert symptomata, & teste Galeno, longè sæviora quam retentio menstrui sanguinis. Suo enim venenoso vapore ferit & inficit cerebrum, cor & epar, & agit homines in furorem, capitis continuos dolores & gravitatem infert, anxietatem cordisque palpitationem, & difficultatem respirationis parit, *Semen quid.* *Ejus coacervatio quantum noceat.* *Symptomata corrupti & retenti seminis.*

parit, tumorem & inflationem hypochondriorum & ventris inferioris excitat, appetentiam concoctionemque prosternit, & tandem in tabem hominem conjicit: Postremo autem ex corrupto semine intumescit hypogastrion, & sudor frigidus erumpit, & interit animal.

Quibus potiss. hæc mala eveniant.

Corripiuntur autem hoc malo viduæ continentes casteque viventes, virginesque nubilem ætatem excedentes, & adolescentes virique continentiores, qui semine abundant. Hisce autem periculosissimis symptomatibus cum colluvies monachorum & monacharum & tota caterva sacrificulorum, quæ castitatem spontaneam DEO voverunt, nunquam aut rarissimè corripiantur, qualis sit eorum castitas, quilibet conjicere potest.

Causæ.

Causæ προηγουμέναι redundantiæ & putrefactionis seminis sunt, seminis copia in vasis & testibus diutius retenta, impurus & vitiosus sanguis ex toto corpore ad vasa seminaria defluens, semenque inficiens, contemptus & neglectus conjugii in nubili ætate: voluntas pugnans cum natura & divina ordinatione, quæ conatur seminis cursum prohibere in iis in quibus non est donum continentiæ. Causæ προκαταρκτικαὶ sunt victus ratio lauta & opipara, vita otiosa, & medicamentorum semen augentium crebrior usus.

Signa.

Signa sunt, continua ferè ad libidinem titillatio, virgæque crebra extensio, inguinum intumescentia, ac tandem ubi corruptum est semen, prædictorum symptomatum consecutio.

Curatio.

Curatio. Nemo Medicorum, quod ego quidem sciam; curationem hujus mali præscripsit, & nec ego quidem attigissem, nisi sæva illa symptomata, ex corruptione seminis orta, sæpius conspexissem. Etsi autem Galenus lib. 6. cap. 5. de locis affectis ex seminis corruptione symptomata provenientia enumerat, curandi tamen rationem veram & legitimam non indicat. *Natura enim ipsa se gravatam sentiens seminis copia ea se liberat in somno gonorrhagia spontanea, quam pollutionem nocturnam vocant. Inde etiam raro admodum hæc symptomata à seminis retentione excitantur, nisi vi expultrice læsa. Tum Naturæ subvenire Medicus Naturalibus remediis debet.*

Naturalis excretio in somno.

Vera autem curatio consistit in præservatione, ne in vasis semen exuberet, &, si corruptum sit, in tempestiva & legitima seminis corrupti evacuatione. Regulare enim est, repletionis evacuationem, & evacuationis repletionem, esse remedium. Præservatio itaque sita est in victus ratione, venæ crebra sectione, & remediorum semen generari prohibentium ac diminuentium usurpatione. Porro ad seminis generandi prohibitionem inprimis temperantia, inedia, & tenuis victus ratio, & continuus labor plurimum conducit. Tota autem victus ratio debet esse refrigerans, & quæ parum sanguinis generet. In cibo itaque conveniunt cremor ptisanæ, usus lactucæ, portulacæ, bliti & atriplicis. In potu aqua hordei & tenuis cerevisia conveniunt. Sedulo autem vitanda sunt omnia calefacientia, lauta & opipara convivia, & inprimis vinum. Sine Cerere enim & Baccho friget Venus.

Præservatio.

Diæta.

Venæ sectio epaticæ crebra in plethoricis corporibus & otio deditis plurimum detrahit materiam seminis. Porro remediorum alia semen specifica facultate extinguunt ac diminuunt, veluti sunt semen viticis, mentha & ruta, per se pulverata aut simul mixta, & pondere ʒ I. cum aceto indies exhibita. Alia vero refrigerando seminis copiosi fervorem & titillationem extinguunt: talia sunt pulvis rad. ac sem. nymphææ, semen lactucæ, portulacæ & papaveris per se aut simul mixtis pondere ʒ I. indies cum aq. Plantaginis assumpta. Idem præstat & ʒ I. trochiscorum è camphora pulveratorum assumpta, & sequentis Electuarii semijuglandis q. devorata.

Venæ sectio.

Medicamenta semen extinguentia.

♃. Conser. rosar. flo. nymph. an. ℥ I. Rad. & sem. viticis an. ʒ I. Corallii albi præparati ℈ IIII. syr. è nymph. q. s. Fiat Electuarium.

Electuarium.

Quin & topica remedia externè lumbis & testiculis inguinibusque utiliter applicantur, quæ vasa seminaria & ipsum semen refrigerent, veluti est sequens Ephithema.

Topica.

 ♃. Aq.

Epithema. ℞. Aq. nymph. plantaginis an. ℥ III. Aceti rosacei ℥ VI. aq. rosarum ℥ II. Albuminum ovorum cum liquoribus concussorum n. II. Camphoræ pulveratæ ʒ s.

Commisceantur, fiat Epithema, quod duplicatis linteolis exceptum, partibus commemoratis applicetur.

Putridi seminis evacuatio. Ubi autem jam seminis copia in vasis spermaticis putrefacta est, ejusque vapores vitiosi cerebrum, cor, & epar ferire & turbare cœperint, & commemorata symptomata excitent, antequam labefactetur natura, corruptum semen omnino evacuandum est. Cum vero Deus severissimè prohibuerit seminis abusum & vagas libidines, & semper pœnæ horribiles subsequantur, ut exempla Sodomitarum ostendunt, unicum hujus mali salutare remedium est, conjugium. At cum quibusdam ob causas graves tam cito conjugium inchoare non liceat, antequam natura prorsus labefactetur, his remediis est utendum.

Spir. ⊕ Exhibeantur ægrotanti quotidie IX. gutt. ol. vitrioli, quod semen corruptum & glutinosum extenuet: deinde ducatur patiens *Insessus.* in balneum aquæ dulcis, in qua coctæ sunt rad. & herb. Alth. Mal. chamæmel. & Melilotum; in eoque balneo diutiusculè commoretur æger; ac post balneum cogatur ad *Motus vehementior.* equitandum aut saltationem violentiorem, qua commotione partium, semen corruptum excutitur. Id quod Hippocrates non tantum, sed & fætum hac ratione ejectum esse, scribit.

3. *Seminis involuntarium profluvium quid, quæ ejus causa, quæ signa, & qua ratione curandum?*

Gonorrhæa quid. Γονοῤῥοία, seminis profluvium. Vocabulum derivatum est à γονὴ vel γόνος genitura, ῥεῖν id est fluere. Est autem γονοῤῥοία seminis involuntaria & crebra effluxio, quandoque cum virgæ extensione, Venerea imaginatione, & cum quadam voluptate ac titillatione: nonnunquam verò sine sensibili perceptione virgæque extensione, nulloque insomnio Venereo antecedente.

Causæ. Causæ προηγούμεναι τῆς γονοῤῥοίας sunt aut imbecillitas potentiæ retentricis in vasis spermaticis; quæ imbecillitas oboritur aut ex humida, & calida intemperie vasorum spermaticorum; aut propter refrigerationem nimiam Renum ac vasorum; aut ob seminis humidioris & calidioris flatulentam copiam; aut ob ejusdem tenuitatem & acrimoniam vasa continentia aut gravantem aut violantem. Προκαταρκτικαὶ sunt longa continentia post consuetum usum Veneris, item immoderatus Veneris usus vasa dilatans, & retentricem facultatem prosternens, usus denique alimentorum calidorum & humidorum aut flatulentorum.

Signa diversarum causarum. Signa causarum: Si σπέρμα profluat cum Venerea imaginatione, & cum voluptate quadam erectioneque virgæ, ostendit copiam seminis & caliditatē acrimoniamque, & tum semen ut plurimum crassius est, & ad luteum colorem declinat. Ubi vero imbecillitas vasorum ex refrigeratione, aut ex nimia humiditate seminis profluat semen, tum sine sensu, sine extensione virgæ & sine voluptate profluit, & semen est aquosum.

Prognostica. Γονοῤῥοία utrique sexui contingit; omnium maximè autem adolescentibus, virginibusque adultis, & viduis continentibus. Si seminis profluvium diutius perseveret, fœdum & pallidum colorem infert, universumque corpus in tabem conjicit. Gracilescunt enim partes, præsertim circa lumbos, & oculorum cavitas subsequitur.

Curatio. Curandi modus τῆς γονοῤῥοίας secundum diversitatem causarum cum per victus rationem, tum per medicationem instituendus erit. Debent autem esse & alimenta & medicamenta, quæ exiccandi, & semen condensandi ac constringendi facultate sunt prædita.

Diæta. Quantum ad victus rationem spectat, partium superiorum exercitium & frictiones humeri non quidem mane sed vesperi plurimum conferunt, studiosè autem vitetur decubitus supinus. Et præstat semper in dextro, quam sinistro latere cubare. Absint quoque cogitationes, lectiones & collocutiones Venereæ. In alimento præstat *Cibi convenientes.* tem-

temperantia, & cibis uti tardè concoquibilibus, & paucum ſanguinem generantibus, veluti ſunt carnes bubulæ fumo duratæ, carnes leporinæ, ac cervinæ: magis autem aſſa, quam elixa, conveniunt. Pane bis cocto utatur. *Potus.* Potus ejus ſit tenuis cereviſia, aut lac ex ſemine canabis cum aqua, in qua candens ferrum ſæpius eſt extinctum, confectum. Vinum meracius, & omnia, quæ calefaciunt & humectant, flatus & copiam ſeminis generant, diligenter ſunt vitanda, de quibus paulo ante dictum eſt.

Ubi cauſa adeſt calida qua conveniant. Cholagoga exhibenda. Porro quantum ad medicationem attinet, corporis temperies & natura omnium primum eſt conſideranda. Et ſi corpus ægrotantis ſit calidum & bilioſum, ſemineque abundet, & quod profluit ſit tenue, flatulentum & ad libidinem titillans, bilioſus humor primum purgetur per Rhabarbari infuſi liquorem cum ſyr. roſaceo ſolutivo mixtum, aut pulpæ caſſiæ aliisque remediis cholagogis, quorum copiam & parandi modum, quantitatemque exhibendi, creberrimè in ſuperioribus indicavimus. *Refrigerantia & condenſantia.* Deinde exhibeantur remedia refrigerantia, & ſemen condenſantia, veluti ſunt pulveres rerum ſubſequentium aut per ſe, aut inter ſe commixtarum, pondère unius aut ſeſquidrachmæ, mane ac veſperi cum hauſtu lactei liquoris ex ſeminibus canabis confecto, radicis nimirum aut ſem. nymphææ, ſem. viticis, ſem. rutæ, rad. tormentillæ, coral. rubei præparati, aut ex his concinnetur talis pulviſculus.

Pulvis. ℞. Rad. nymph. ʒ II. ſem. ex roſis luteorum, quæ Anterabarbaris vocatur ʒ I. Boli Armenii, corallii albi præparati an. ℥ s. ſem. viticis. fol. rutæ an. ℈ I. fiat pulvis. *Electuarium.* Huic pulveri ſi admiſceantur ℥ II. conſer. roſaceæ veteris, fiet nobile Electuarium ad compeſcendum fluorem ſeminis, cujus ſemijuglandis q. mane ac veſperi devorari poteſt. Aut exhibeatur patienti mane ac veſperi hauſtulus tepidus IV. ℥. ſequentis potionis.

Decoctum. ℞. Polygoni ſive ſanguinariæ, Acetoſæ, Plantaginis an. P. I. Portulacæ, capreolorum vitis, umbilici Veneris, ſarmentorum rubi viridium, & ſurculorum viridium prunorum ſylveſtrium an. M. s. Fructuum mirtyllorum, ſem. coriand. præparat. papa. albi an. ʒ III. Conſer. nymph. boraginis, violarum an. ℥ s. ſem. rutæ, viticis an. ʒ II. Mentæ, calaminthæ an. ʒ I. Contuſis contundendis & concidendis conciſis, in cantharumque poſitis adfundantur aq. pluvialis, in qua ferrum candens ter eſt extinctum ℔. IIII. Succorum granatorum, Cytoniorum, roſarum an. ℥ IIII. oblito cantharo & in ahenum aq. plenum collocato, per duas horas coquantur, deinde per ſe refrigerata colentur, colatum jus dulceſcat per admixtionem ſyr. Cytoniorum ℥ VI. fiat potio. *Poſſet & extractum ex hiſce parari in eundem uſum conducens.* Aut ſi cui potio adverſetur, utatur ſequentibus morſellis.

Morſuli. ℞. Sem. rutæ, agni caſti, Plantaginis an. ʒ s. ſem. lactucæ, portulacæ, papaveris albi an. ℈ I. ſem. Coriandri præparati, canabis torrefacti an. ʒ I. Cornu cervini uſti & præpar. Coral. albi præpar. ſuccini alb. præpar. an. ℈ II. Spec. Diacalaminthæ ʒ I. ſaccari alb. cum aq. roſar. diſſoluti ℥ VI. Fiant morſuli ſecundum artis legem pondere ʒ I. de quibus unam devoret patiens mane ac veſperi.

Topica. Interea nec applicatio remediorum topicorum prætereunda erit: Lumbi itaque & inguina ac teſtes inungantur quotidie bis ſequenti linimento.

Linimentum. ℞. Ol. roſarum, Cytoniorum, Myrtillorum, nymphææ an. ʒ II. Mucag. ex ſem. Cyton. contuſis & in ſucco polygonii maceratis ʒ II. Ceræ parum, fiat linimentum, cui admiſceri poſſunt commodè pulveres boli Armenii, ſanguinis draconis an. ℈ II. Aceti roſacei pauxillum.

Quin & ol. nymph. & cytoniorum ſimul mixtorum poſt evacuatam alvum commo-

dè recto intestino per siphonem infundi possunt. Incumbit enim rectum intestinum vasis semen deferentibus.

Lamina plumbea. Extinguit quoque fervorem seminis & condensat lamina tenuis ex plumbo formata & lumbis applicata alligataque: aut folia viridia nymphææ lumbis inguinibusque imposita. Aut prædictis partibus applicetur sequens cataplasma.

Cataplasma. ℞. Dactylorum contusorum ℥ IV. farinæ fabarum ℥ I. Pul. Acatiæ, hypocistidos an. ℥ s. Boli Armenii ʒ s. Ol. cytoniorum ℥ II. vini rubei q. s.

Coquantur simul ad pultis formam, fiat cataplasma, quod bis singulis diebus imponatur tepidum.

Balneum. Præter hæc in calidis naturis & ferventiori semine plurimum confert sequens lotio, crebraque balneatio in frigida aq. aut in thermis ex alumine & sulphure aut ferre constantibus.

In frigida causa quid agendum. Verum ubi corporis temperies frigida & vasorum spermaticorum retentrix facultas ex frigiditate labefactata est, vel semen fit justo frigidius & instar seri aquosius redditum invitis profluat, cumque semen subinde extillet sine sensu & omni ad libidinem titillatione, præscripta remedia omnia cum interna tum topica, (exceptis seminibus rutæ & viticis) adeo nihil conferunt ut etiam noxam inferant, & malum exacerbent.

Curatio priori contraria hic instituenda. Quare tum postpositis omnibus præscriptis remediis, curatio contraria est instituenda alimentis & medicamentis moderatè calefacientibus & exiccantibus.

Primum igitur si corpus patientis frigidis humoribus redundet, ii concoquantur & evacuentur per convenientia remedia in superioribus toties repetita & præscripta. Prodest autem maxime sequenti clystere à frigidis humoribus inferioris ventris viscera eluere.

Enema. ℞. Rutæ, Menthæ, calaminthæ an. M. I. viticis ʒ I. Mercur. Malvæ, flor. chamæmeli an. M. s. Concisa coquantur in q. s. aq. ad medias, colati juris accipiatur ℔. I. eique admisceantur hieræ simpl. ℥ I. Benedictæ laxativæ ℥ s. ol. rutæ ℥ II. salis communis ʒ I. fiat clyster, qui tepidus recto intestino, ventriculo adhuc jejuno existente, infundatur.

Victus ratio calida & sicca. Subductis frigidis humoribus victus ratio præscribatur moderatè calefaciens, & exiccans, tenueque semen condensans, ex quibus sunt caro bubula assa, caro anserina & cervina, vitella ovorum duriora, panis bis coctus & cum sem. carvi conditus, offula ex tosto pane & vino cretico parata: potus sit moderatus vini cretici, aut alterius generosi.

Frictio. Omni mane corporis partes superiores, ut brachia & pectus donec incalescant exerceantur aut confricentur calidis linteolis. Ventriculi cruditas & omnia alimenta pituitam aut flatum gignentia sedulò vitentur. Et si cruditatem aut flatus collectos esse suspicio sit, prodest singulis septimanis ante prandium ʒ s. aut ℈ II. pillularum hieræ simpl. deglutire. *Hiera.* Deinceps utatur singulis diebus seq. pulvisculi ʒ I. cum haustu vini ante cænam ebibita, qui & semen condensat, & profluvium ejus cohibet, & ventriculum corroborat.

Pulvis corroborans & constringens. ℞. Cineris intestinorum gallinæ prius probè mundatorum, & in vino elotorum ac deinde combustorum ℥ s. sem. agni casti, rutæ an. ʒ II. Mentæ, cornu cervi usti ac præparati an. ʒ s. Pulverata tenuissimè commisceantur, quo commodè utatur paulo ante prandium, & simul post cænam ubi non amplius bibere velit patiens. Aut ejus loco assumat cum vino mensuram cochlearis sequentis tragematis.

Tragea. ℞. Cineris intestinorum Gallinarum, pelliculatum lutearum ex ventriculis gallinarum detractarum an. ℥ s. sem. anisi ʒ II. Galangæ ʒ I. corallii præp. sem. agni casti an. ℈ IV. saccari candi pulverati ℥ I. s. Omnibus tenuissimè pulveratis commisceantur, fiat Tragea. *Topica.* Topica quoque remedia desiccantia & constringentia foris appli-

applicari debent: Alvo itaque prius expurgata per commemoratum Enema, sequenti liquoris ℥ I. aut II. in intestinum rectum per syphonem infundantur.

Liquor per clysterem infundendus & extrinsecus applicandus.

♃. Iridis Illyricæ ʒ II. Myrtillorum ʒ I. s. Mastiches, caryophyllorum an. ʒ s. Nucum cypressi, sem. rosarum, agni casti, rutæ an. ℈ IV. Contusa crassiusculè coquantur in ℔. I. vini rubei ad tertias, deinde colentur, & colatum jus in rectum intestinum impellatur, cujus reliqua parte tepida panno aut linteolis duplicatis excepta inguen & testes fovendi sunt: Liquore autem injecto cubet æger pronus super ventrem.

Aut inungantur lumbi & inguina sequenti linimento tepido singulis diebus bis.

Linimentum.

♃. Ol. myrtillorum, è mastiche, Irini an. ʒ II. ol. stillat. ex caryophyllis, nucibus moscatis an. ʒ s. Ceræ parum, fiat linimentum, cui admisceantur tenuissim. pul. agni casti, seminis rutæ an. ℈ II. fiat unguentum.

Admisceri possunt ol. mastichini stillat. gutt. aliquot ad majorem efficaciam.

Ad exulcerationem ductus urinarii.

Ubi vero ex acrimonia profluentis seminis internus virgæ meatus, ut sæpe contingit, exulceratus fuerit, tum seq. pulvis cum lacte muliebri temperatus ac commixtus singulis diebus quater per syphonem intra virgam usque ad locum affectum impellatur.

Pulvis optimus.

♃. Tutiæ præparatæ ʒ II. sarcocollæ lotæ, Aloës Hepaticæ, saccari candi an. ʒ I. s. Pulverentur tenuissimè ac commisceantur: & præterea consu latur curatio exulceratæ virgæ paulo ante tradita.

4. *Testiculorum tumor quid, quæ ejus differentiæ causæ, quæ signa, & quo pacto curandus?*

Tumor testium quotuplex.

Ἀπόστημα τῶν ὄρχεων, tumor testium. Intumescunt in viris crebro testiculi non secus ac in mulieribus mammæ. Differentiæ tumorum quæ testiculis accidunt, (præter illum qui ex hydrope nascitur, de quo ante disseruimus, & Ramicum species de quibus paulo post, in Inguinum morbis, tractaturi sumus) quinque sunt, φλεγμονώδης tumor inflammatus sanguineus, οἰδηματώδης tumor frigidus & pituitosus, σκιρρώδης tumor durus & melancholicus, ὑδατώδης tumor aquosus, πνευματώδης tumor flatulentus. Hi tumores aut in scroto, id est capsula sive externa cute testiculorum, aut inter alia duo eorum involucra, aut in ipsa testiculorum substantia, (qui omnium est periculosissimus) excitantur.

Ubi contingat.

Causæ tumoris inflammati.

Causæ inflammati tumoris προηγούμεναι sunt sanguineæ massæ accensæ & inflammatæ ad scrotum aut testes copiosa defluxio ibidemque collectio. Προκαταρκτικαὶ sunt lapsus ex alto, aut testium violenta contusio compressioque.

Signa.

Signa tumoris inflammati seu sanguinei sunt πληθώρα, totius corporis vehemens dolor: si ex puro sanguine excitatus sit tumor, est extensivus; si vero sanguis biliosior sit, dolor est acris, & totius corporis habitus est biliosior, urens testium caliditas, & rubedo excellens in summa cute testium.

Prognostica.

Prognostica: Diutius neglecta curatio inflammati & sanguinei tumoris testium, pessima infert symptomata, ut intolerabilem dolorem testium, mortificationem & lapideam duritiem: Celsus lib. 6. cap. 18. inquit; inflammatio testiculorum febres adfert, nisi celeriter conquieverit, & nervi, ex quo testiculi dependent, simul intumescunt.

Curatio tumoris ex inflammatione.

Curatio inflammati tumoris testium in victus ratione, venæ sectione, & remediorum convenientium applicatione consistit. Primum itaque si alvus est adstricta, statim subducatur leni clystere ex ℔. I. aq. hordei, cui admixta sint ℥ II. cass. & ℥ III. ol. viol. & ʒ I. salis confecto, & recto intestino infuso Deinde si ætas & vires ferant, retractionis sanguinis adfluentis causa secetur vena epatica dextri lateris, aut affigantur cucurb. hypochond. cum scarificatione. Humeri autem calidis linteolis subinde confricentur, nimirum versus brachia deorsum revulsionis causa, aut sæpè strictius ligentur fasciis.

Enema.

Vena sectio.

Tan-

Dieta. Tandem præscribatur ægroto victus ratio refrigerans & humectans, veluti sunt cremor ptisanæ, lac Amygd. pruna Ungarica, & reliqua alimenta aceto condiantur.

Potus ejus sit aut cerevisia clara & tenuis, qualis est Brunswicensis & Eimbeccensis, quæ melior, aut aq. hordei in qua cinamom. pauxillum est incoctum. *Evacuantia.* Postea purificetur massa sanguinea in plethoricis quidem corporibus cum ℥ I. s. pulp. cass. recent. extractæ devorata, aut cum haustulo decocti Tamarind. paulo ante prandium ebibita. Si vero corpus fuerit biliosum, purgetur haustulo infusionis Rhab. ʒ II. in aq. cichor. q. s. per noctem maceratarum, in qua dissolutæ sunt ℥ II. syr. rosarum solut.

Dolorem sedantia. Purgato corpore statim vel etiam ante purgationem animus ad doloris mitigationem est convertendus. Dolor enim vires prosternit, curationem impedit, & fluxum sanguinis allicit. Initio itaque imponantur inflammatis & tumentibus testibus remedia caliditatem repellentia, id est frigida & astringentia, veluti est sequens Epithema.

Epithema. ♃. Aq. stillat. rosar. plantag. aceti rosarum an. ℔. ß. Album. ovor. N. III.

Conquassentur simul & panno laneo aut linteo duplicato excepta, tumentibus partibus imponantur. *Cataplasmata anodyna.* Idem præstat doloremque aufert vinum rub. austerum eodem modo applicatum. Aut

1. ♃. Ol. rosar. ℥ III. lutei ovorum n. III. Micæ panis similacei, in ferventi aq. maceratæ & rursum expressæ.

Contundantur simul in mortario, fiat catapl. & tument. testibus bis singulis diebus imponatur. Aut

2. ♃. Herb. ac. rad. hyoschi. coquito sub calidis cineribus, deinde contunde in mortario ac admisce adipis recentis suillæ, fiat cataplasma. Aut

3. ♃. Fol. Plantag. solani, semper vivi an. M. I. conterantur una cum aceto, aut vino in quo cocti sunt cortices granatorum & sem. sumach. an. ℥ s. & addita farinæ hordei q. s. fiat cataplasma, quod tepidum singulis diebus

4. bis applicetur. Præterea in genere tumori testiculorum & mammarum inflammato convenientissimum cataplasma fit ex q. s. farin. fabar. cum aq. sufficienti in pultis formam cocta, eidemque admixta q. s. ol. rosar.

Dolorem mitigat & inflammationem compescit mirifice sequens linimentum inflammatis testibus illitum.

♃. Ung. popul. Ol. rosacei an. ℥ s. Mucilag. ex ʒ I. sem. psylii & tantundem sem. hyosch. contus. & cum pauca rosar. aq. macerat. confectæ ʒ II. ceræ albæ parum, simul resoluta ac commixta illiniantur. Omnia hujusmodi repellentia ac refrigerantia sæpius reiteranda & renovanda erunt, usque ad tumoris decrementum. *Linimentum egregium ad dolorem & inflammationem.*

Post doloris & inflammationis sedationem vel mitigationem, magis digerentia & linientia applicare conveniet, veluti est sequens cataplasma Avicennæ.

♃. Pul. fol. Malvæ, Absinth. Rosar. an. ℥ s. Croci ʒ I. farinæ hord. ℥ I. coquantur ad pult. formam cum vini rub. q. s. cui admisce ol. chamæm. q. s. fiat cataplasma, quod tepidum per duplicatum linteolum extensum singulis diebus bis tumori imponatur. *Cataplasma digerens.* Deinde in statu tumoris, id est post sex aut septem dies, si dolor extensivus urgeat, rursus sequens cataplasma imponatur.

♃. Medullæ panis ℔. s. & cum liquore mucoso muccilaginoso aq. in qua decoctæ sunt rad. Alth. Malv. an. ℥ s. Flo. Chamæm. Melilo. an. M. I. q. s. maceretur panis, & rursum expressus admisc. Ol. rosar. q. s. fiat Cataplasma. *Ad dolorem extensivum.* Sed subsequens magis etiam per halitum tumorem digerit.

♃. Pulv. parietar. Malv. an. ℥ I. furfur. tritic. farinæ volat. in parietibus molendinarum collectæ an. ℥ s. pulv. fænugræci, anethi an. ʒ III. Croci ʒ I. coquantur in vino ad pultis formam, eisque admisce ol. chamæm. q. s. fiat cataplasma.

Efficaciss. quoque est Empl. ex medulla panis *Aliud efficaciss.*

panis siliginei q. s. in ferventi aq. per horam macerata, tandemque probè expressa, eique q. s. mellis rosa. admixta, & in Emplastri formam redacta, quæ semel in die applicare satis erit. Tumorem enim discutit & dolorem mitigat.

Discutientia. Porro in declinatione morbi post 9. aut 10. dies ubi nonnihil tumor diminuitur, tum sufficiet solis discutientibus uti, veluti sunt far. hord. cum melle temperata, & instar cataplas. applicata, aut vinum calefactum & lana succida exceptum testibus applicatum.

Suppurantia. Ubi verò tumor digerendo discuti nequeat, sed ad suppurationem ac saniem tendere videatur, ad ea remedia transeundum erit, quæ materiam tumoris maturant & pus generant: Id autem probè præstat cataplasma ex triticea farina in aq. decoct. rad. Alth. decoctæ, & q. s. ol. Chamæmeli admixta, bisque in die admota. Tale Empl. confici quoque commodè potest ex far. hordei aut medulla panis. Sed præstantius cataplasma tale confici potest.

Cataplasma maturans apostema. ℞. Rad. Alth. rad. lil. alb. Herb. senecionis, fol. malv. omnium viridium an. M I. Contundantur exactissimè & cum q. s. aq. ad pultis formam coquantur, eisque admisc. ℥ II. far. tritic. pul. se. lini ℥ I. Axungiæ suillæ recen. ℥ III. fiat catapl. quod singulis diebus bis applicetur.

Tumor aperiendus. Ubi materia tumoris maturuit jam, & in pus est conversa, si scrotum sive cutis testiculorum exterior ultro non perrumpatur, scalpello est aperiendum, & pus omne evacuandum, abstergendum & ulcus ipsum convenientibus chirurgicis Emplastris, de quibus suo loco dicturi sumus, consolidetur & ad cicatricem deducatur.

Tumor œdematosus testium quid. Ὀιδηματώδης testiculorum est tumor frigidus & laxus. Ὀίδημα enim omnem tumorem laxum & doloris expertem significat.

Causa. Causa frigidi & laxi tumoris testiculorum proëgumena est adfluxio pituitæ frigidorumque humorum in scrotum, aut ipsos testiculos. Procatarcticæ sunt casus ictusque violentus & dolorificus, frigidos humores alliciens, & alimentorum frigidorum & pituitosorum frequens usurpatio.

Signa. Signa pituitosi tumoris sunt: Tumor est laxus & mollis dolore carens, & qui prementi digito cedit, & cava digitorum vestigia relinquit, colorque tumoris ad albedinem vergit. *Prognostica.* Prognosticon tumoris testiculorum pituitosi: Tumor pituitosus, si non auferatur per resolutionem seu exhalationem, in abscessum & saniem convertitur. Ubi tumor testiculorum citra remediorum applicationem repentè evanescit, metuendum est, ne ad supernas partes deferatur & brevi periculosos excitet morbos.

Curatio. Curatio in victus ratione & remediorum applicatione consistit. *Diæta.* Victus rationem oportet esse moderatè calefacientem & pituitosos humores extenuantem. Conveniunt itaque in cibo panis bis coctus, cui admixtæ sunt sem. coriandri & carvi; ex carnibus prosunt ovilla, bovilla, & avicularum campestrium, assa quam elixa magis sunt comedenda: Vitandi sunt pisces, lacticinia, & fructus fugaces. Præstat autem condire edulia pipere, croco, Zinz. cina. & satureja. Potus sit vinum tenue, aut cerevisia probè defecata atque plenior.

Ad medicationem quod attinet, primum subducatur alvus seq. clystere.

Enema. ℞. Flo. chamæm. centaur. absinth. an. M. I. se. carvi, anisi an. ℥. I. coquantur in q. s. aquæ ad tertias, colati juris accipe ℔. I. cui admisc. hieræ simpl. ℥ I. Diaphæn. ℥ I. s. Ol. absinth. ℥ III. salis ʒ I. fiat Enema, quod tepidum recto intestino infundatur.

Ficus laxativi. Ubi vero post clysterem alvus obstructa fuerit, ægrotanti comedendi offerantur ficus n. VI. medulla se. cartami concisa infarcti ac repleti & ad ignem calefacti. Deinde si corpus universum pituitoso humore redundet, pituita extenuetur & ad eductionem præparetur per V. dies assumptis ℥ V. calefactis mane ac vesperi seq. potionis.

Decoctum pituitam extenuans. ℞. Rad. fænic. petros. pimpin. an. ʒ III. Angelic. ʒ II. sem. Anisi, fænic. carvi

carvi an. ℥ s. Bac. Iunip. ℥ s. Herb. hyſſopi ſatur. Card. bened. roriſmar. an. M. s.

Concidenda concidantur & contundenda contundantur, & cum hydrom. ℔. 4. in duplici vaſe ſive cantharo oblinito concoquantur per 2. horas, refrigerata colentur & colato juri admiſceantur oxymel. ſimpl. ℥ vI. fiat potio. Aut paretur extenueturque craſſa pituita potionibus ſupra in pituitoſis capitis affectionibus, & in tabellis medicamentorum pituitam præparantium præſcriptis: tandem per intervalla bis terve evacuetur pituita ſeq. hauſtulo.

Hauſtus phlegmagogus.

℞. Fol. ſenæ, Agarici Troch. an. ʒ I. s. macerentur in aq. fænic. ℥ v. per noctem, mane autem leniter ebulliant, exprimantur ac colentur, colato juſculo admiſc. Diaphæ. ʒ III. fiat hauſtus, qui tepidus in aurora ebibatur. Aut

Pillulæ.

℞. Maſ. pill. aurear. aggregat. agarici troch. an. ℈ I. Troch. alhandal. gr. v. ex quibus probe contuſis cum q. s. mellis roſarum formentur pill. n. xv. & inungantur Ol. carvi; hæc in diluculo deglutiantur 6. horis ante prandium. Plura pituitam ſubducentia remedia ex ſuperioribus curationibus & tabellis remediorum peti poſſunt.

Topica.

Interea tumentibus teſtibus applicentur ſequentia topica. Primum manè ac veſperi abluantur tumentes teſtes ſpongia nova in lixivio & aceto æ. p. ſimul mixtis imbuta, in quibus reſoluta ſit nitri & ſalis an. ℥ I. Deinde tumens locus confricetur leniter calidis linteaminibus, & inungatur ſeq. oleo.

Linimentum.

℞. Ol. roſac. ℥ II. Aceti roſac. ℥ s. in quibus reſolvatur ſalis ℥ s. fiat linimentum: aut applicetur ſequens cataplaſma.

Cataplaſma ad tumorem œdematoſum reſolvendum.

℞. Aloës, Myrrhæ, Lycii, Acatiæ, Glaucii, Cyperi, Boli Armeni an. ℥ I. Croci ℥ s. omnibus pulveratis commiſceantur cum ſucco braſſicæ & aceto, & ad ignem redigantur in pultis formam, fiat catapl. quod tepidum bis in die imponatur. Aut

℞. Alum. rotundi, ſulph. myrrhæ, ſalis an. æ. p. ex quibus pulveratis ſimulque commixtis fiat linimentum, aut cataplaſma, adfuſa q. s. olei & aceti roſac. Aut

Aliud.

℞. Stercoris vaccini ℔. s. exiccat. & pulv. Olibani, ſtyracis liquidæ, muſci quercini, calami aromat. ſpicæ celticæ, abſinth. an. ℥ s. pulverata omnia coquantur cum decocto braſſicæ ad pultis formam, cui admiſce nonnihil aceti roſarum, fiat cataplaſma.

Per hæc remedia ſi pituitoſus tumor non reſolvatur, ſed ad ſuppurationem declinare videatur, quod ex mollitie partis tumentis deprehendi poteſt, tum, ut cito ad maturitatem deveniat, applicetur Empl. Diachylon compoſ. aut ſequens cataplaſma.

Cataplaſma maturans.

℞. Fol. Malvæ, Acanthi id eſt Brancæ urſinæ an. M. I. Rad. Alth. lil. alb. Ceparum, ſem. lini pul. an. ℥ I. coquantur ſimul cum q. s. aq. & in mortario contuſa ſubigantur in pultis formam, additaque fermenti & axungiæ porcinæ an. q. s. fiat cataplaſma.

Tumor quando aperiendus.

Maturato tumore, ſcalpello ſive cuſpide ferreo tenui aperiatur tumor, & pus quotid. exprim. & abſterg. & in ulcus unguentum Apoſtolorum vocatum cum ramento lintei immittatur, & ſeq. Empl. donec conglutinetur ulcus, imponatur.

Emplaſtrum conſolidans.

℞. Galbani, Ammoniaci, Reſinæ, picis, ſevi bovini, ol. veteris an. p. æ. ex his Galbanum & Ammoniacum macerentur per noctem in aceto & per linteum tranſigantur. Reſina autem, pix & ſevum una cum oleo ad lentum ignem reſolvantur ac ſimul commiſceantur, fiat Emplaſtrum.

Scirrhoſus tumor teſtium quid.

Σκιρρώδης, Durus tumor teſtium eſt quando ſcrotum vel aliæ corporis partes non tantum intumeſcunt, ſed & in duritiem lapideam ferè convertuntur, & prementi digito non cedunt, qui nonnunquam hebe-

hebetem doloris sensum retinent, nonnunquam vero prorsus sine sensu deprehenduntur, & tum ut plurimum incurabiles sunt.

Causa. Causæ προηγουμέναι sunt confluxus ad testes melancholici sanguinis. Item sanguis ex vehementi compressione testium in scroto collectus & induratus, item intestini portio aut perruptum peritonæum aut laxatum in scrotum delapsa & indurata; idque in ramice, de quo paulo post tractaturi sumus, contingit. Προκαταρκτικαὶ sunt violenta testium compressio, medicamentorum vehementius refrigerantium aut exiccantium in calidis tumoribus testium imprudens applicatio, qua humores concrescunt in tumorem, aut subtiliores eorum partes exiccantur & duriores redduntur.

Signa. Signa duri tumoris testium sunt, ipse tumor durus & renitens, doloris sensu aut exiguo aut prorsus nullo præditus, cujus color est lividus seu fuscus ex rubro & nigro constans, item totius corporis habitus melancholicus. *Prognostica.* Prognostica signa sunt: Nisi tempestivè & ritè duri tumores tractentur, incurabiles evadunt, & ut plurimum in cancrum aut ferocia ulcera terminantur. Scirrhus exquisitus, id est qui omni prorsus sensu caret, curari nequit; præstat itaque ab ejus curatione abstinere.

Curatio. Curatio duri tumoris testium in principio, & nondum omni sensu privato consistit in venæ sectione, victus ratione, humoris melancholici subtractione, & Topicorum applicatione.

Vena sectio. Vena secanda est ubi vires & aliæ circumstantiæ permittunt & corpus est plethoricum melancholicoque sanguine redundans, sinistri humeri, vel ea quæ inter annularem & minimum digitum est sita in sinistra manu, quam spleneticam vocant.

Diata. Victus ratio moderatè calefaciens & humectans præscribatur; conferunt itaque ova sorbilia, juscula carnium, carnes pullorum & vitulorum. In potu utatur vino tenui aut cerevisia clara & probè lupulata. Vitet omnia leguminum genera; fugiat iram atque mœrorem.

Deinde concoquatur extenueturque melancholicus humor, & tandem evacuetur convenientibus remediis, tum aliis in locis tum in mammarum duri tumoris curatione à nobis descriptis. *Remedia unde petenda.*

Topicis similiter iisdem, quæ in curatione scirrhosi tumoris mammarum sunt annotata, commode uti possumus: studiosè autem cavendum est, ne tumoribus duris topica remedia vehementer trahentia aut nimium digerentia atque vehementius excalefacientia applicentur; sed sint omnia mediocria. Ubi enim ab excellentibus qualitatibus melancholici humoris tenuiores partes prorsus dissipantur aut exiccantur, reliquiæ ejus deinceps in lapideam duriciem convertuntur. Initio itaque quotidie inungantur tumescentes testes fece ol. lil. alborum, aut ol. Irino aut Hypericon. Post tres autem dies tumor fomentetur vapore aceti vinacei in particulas lapidis molaris candentes infusi; deinceps applicetur cataplasma emolliens hac ratione confectum. *In topicis observanda.* *Inunctio.* *Vapor aceti.*

℞. Fol. Malv. hortulan. quam arborescentem vocant, fol. Malvæ vulgaris, Alth. an. M. 1. Flo. Anethi M. s. Rad. Alth. contus. ℥ 1. Concoquantur in aq. ad mollitiem, & ex liquore exempta, contundantur in mortario ad pultis formam, eisque admisceantur ping. anserinæ & galli; aut earum loco suillæ salis expertæ q. s. fiat cataplasma, quod bis in die tepidum imponatur. *Cataplasma emolliens.*

℞. Ammoniaci, galbani in acet. resoluti & per linteum transacti, styracis liquidæ an. ℥ 1. Medullæ bovillæ, ceparum an. ℥ s. Ceræ q. s. fiat cerotum. Aut concoquito rad. Alth. contusam in q. s. aq. & cum butyro contundatur & instar cataplasmatis tumori imponatur. *Cerotum malacticum.*

TUMOR aquosus Testium Græcis ἀπόστημα ὑδατῶδες est ubi serosa aut aquosa humiditas in scroto colligitur, qualis tumor contingere solet in hydropicis ac potissimum in ea specie quæ Ascites dicitur. *Tumor aquosus testium quid.*

Causa. Causæ προηγȣμέναι, ut & hydropis sunt, frigida intemperies epatis & sanguificationis frustratio. Προκαταρκτικὴ est alimenti refrigerantis immoderatus usus, & multa heluatio.

Signa. Signa sunt: Tumor aquosus testium paulo laxior est quam pituitosus, ac si tumor agitetur fluctuans sonus exauditur, & incensa candela tumori opposita tumor transparet. *Prognosticon.* Prognosticum: Tumor aquosus testium ut plurimum hydropem præcedit, & præterea in capite infantum, & scroto duntaxat contingit.

Curatio. Curatio aquosi tumoris testium in scroto, ex curatione Ascitis peti debet. Satis autem hoc loco erit pauca quædam remedia *Topica.* Topica in scroto collectam aquam exiccantia & resolventia præscribere. Scrotum itaque aqua refertum primum calido & acri lixivio ex cineribus faginis facto novaque spongia excepto per singulos dies sæpius abluatur ac fomentetur. Deinde seq. linimento inungatur.

Linimentum. ℞. Ol. rosar. ℥ II. Aceti rosar. ℥ s. In quibus simul commixtis resolvantur salis nitri ℥ I. Alum. crudi ʒ III. eisque admisc. ol. sulph. ℥ s. ol. vitr. ʒ I. fiat linimentum. Tandem post sufficientem inunctionem imponatur tumenti scroto seq. Emplastrum Avicennæ.

Emplastrum. ℞. Pul. se. stapidis agriæ, sinapi, urticæ an. ʒ II. sulph. citrini, spumæ maris an. ℥ s. Aristol. rot. ʒ V. Bdellii, Gummi Ammon. in aceto resoluti an. ℥ I. ol. antiqui ℥ II. Ceræ q. s. fiat Emplast.

Cautela. *Diligenter tamen hic considerandum, ne hisce topicis tumorem ex scroto in abdomen sursum propellamus, & difficultatem respirationis aliaque symptomata molesta augeamus, quod sæpè contigisse memini in ascíticis. Ideo simul interna hydragoga exhibenda.*

Præscriptis Topicis si tumor non dissipetur, nihilque impedimenti obstiterit, ad *Apertio scroti.* paracenthesin est confugiendum. Incidenda autem erit acuto scalpello ima pars scroti, ut commode aquosus humor omnis effluere queat.

Tumor testium flatulentus quid. TUMOR flatulentus testium, Græcis ἀπόστημα πνευματῶδες est ubi in scroti capacitate flatulentus spiritus est collectus.

Causa. Causæ flat. tum. προηγȣμέναι sunt nativi caloris imbecillitas, hærens agensque in pituitoso humore (flatus enim in corpore *Generatio flatuum.* excitantur neque ab extenso calore, neque à vehementer debilitato, sed ab eo qui languide agitat pituitosum humorem, eum tamen conficere nequit) & meatuum cutis obstructio. Προκαταρκτικαὶ sunt crebræ & immoderatæ helluationes & alimentorum crudorum refrigerantium & pituitosum sanguinem generantium crebrior esitatio.

Signa. Signa flatulenti tum. test. sunt, dolor extensivus in scroto, & splendor transparentiaque tumoris luci objecti, scrotum præterea instar vesicæ inflatæ tumescit.

Curatio. Curatio ad causas προηγȣμένας potissimum est dirigenda. Cum itaque in flatulento tumore tria concurrant, pituitosi humoris copia, caloris nativi debilitas, & pororum scroti obstructio.

Digerentia pituitam. Primum pituitosa materia, per triduum oxymelite aut syr. de V. rad. cum decocto rad. sem. & herb. incidentium extenuantium & calefac. aut medicamentis supra in tabellis pituitosum humorem concoquentibus ostensis, coquatur, ac deinde aut dia- *Purgantia.* phæn. ʒ X. aut Bened. laxat ʒ VII. cum haust. aq. menthæ solutis aut ʒ I. pill. Aggreg. expurgetur.

Calorem nativum roborantia. Deinde nativus calor corroboretur, porique obstructi reserentur & cutis rarificetur victus convenienti ratione & medicamentis flatulentum spiritum dissipantibus. *Diæta.* Victus itaque ratio præscribatur calefaciens, extenuans & flatus dissipans. Conducunt itaque panis hord. cui sem. cymini, carvi & fænic. admixta sint. Ex carnibus utiles sunt, colum. gall. bovilla & vitulina, quæ magis assa quam elixa prosunt. Potus ægri esto vinum alb. ac tenue, aut cerevisia clara. In poculo semper imponendus est nodulus ex sem. cymini & Zinzib. confectus.

Viten-

Flatus generantia vitanda. Vitentur omnia crassa, viscida, cruda & flatulenta alimenta, veluti sunt dulcia omnia, item legumina, fructus fugaces, rapæ & castaneæ. Reliqua curatio ex curatione tympanitis peti debet. *Remedia flatus discutientia.* Omnium maxime autem prodest singulis diebus gustare jejuno ventr. aquam Juniperi ℥ I. aut vini cretici haustulum, & devorare Rotul. II. Diacymini, aut Diagal. aut aromat. rosat. aut manus Christi vocatas rotulas cum ol. Cymini atque carvi confectas: Aut devoret æger laminam assati panis in vino macerati, cui inspersa est ℥ s. sequentis Trageæ.

Tragea carminativa. ♃. Pul. sem. Anisi, carvi, fænic. dauci, cymini, bacc. lauri an. ʒ I. Glycyr. galangæ, Zinzib. an. ℥ I. s. Caryoph. cubeb. piperis longi, sem. rutæ an. ʒ s. sac. albiss. ℥ v. Confect. anisi ℥ II. misceantur, fiat Tragea. Hæc enim omnia præscripta non tantum scroti flatulentum tumorem, sed totius corporis discutiunt, & calorem nativum restituunt, totumque corpus corroborant.

Topica. Topica remedia foris imponenda sunt quæ meatus aperiant, & flatus evocent. Primum itaque tumentes testes foveantur acri lixivio calido, nova spongia excepto, deinde inungantur ol. calente Anethino, aut chamæm. aut hypericon. per se aut simul mixtis, eisque additis gutt. x. ol. vitriol. Hæc omnia olea lana succida excipienda sunt, & calida testibus applicanda. Prodest & Oesipum humidum per linteolum extensum testibus imponere.

Cauterio scrotum aperiendum. Porro si discuti flatus ea ratione nequeunt, confugiendum est ad causticum remedium, scrotumque diligenter ligandum & candenti auro inurendum; ac deinde plaga bolo Armeno cum aq. rosacea mixto inungi debet; ac post triduum vulnus instar aliorum vulnerum ad cicatricem deducendum.

5. *Testium contusio quid, quæ ejus causa, quæ signa, & qua ratione curanda?*

Testium contusio quid. Συντείβωσις τ᾽ ὄρχεων est ubi ipsorum substantia confringitur, aut conteritur.

Causa. Causa comp. testium περιηγμένη nulla est. Ex solis igitur causis procatarcticis contingere consuevit, quales sunt lapsus aut casus è sublimi, in quo testes in durum corpus impinguntur: violenta compressio ab equitatione vehementiori: ictus à re contundente in pugna: & grandium animalium morsus.

Signa. Signa sunt manifesta. Fit enim eorum contusio cum intolerabili dolore & animi deliquio, & perit ovalis eorum figura.

Prognostica. Prognostica: Quibus ambo testiculi sunt contusi, iis in totum perit gignendi facultas, & si solus dexter est contusus, nunquam masculos; si sinister, nunquam fæmellas generant.

Curatio. Curandi ratio contusorum testium tota est chirurgica: opus tamen habet Medica præcautione, ne contusioni accedant sæva symptomata, animi nimirum deliquium, tumor & inflammatio, quorum curatio in superioribus est tradita. Satis itaque erit hoc loco pauca quædam Topica remedia annotasse. Primum itaque acerbus dolor testium mitigetur sequenti Epithemate calefacto, & duplicatis linteolis aut lana succida excepto & testibus obvoluto.

Epithema dolorem mitigans. ♃. Ol. viol. nymph. Rosar. an. ℥ I. Mucag. ex rad. Alth. & flo. chamæm. simul macerat. in vino confect. ℥ II. Misce, fiat Epithema. Aut, si tumor adsit, fiat catapl. ex ℥ III. farinæ fab. *Cataplasma.* & q. s. lactis vaccini simul commixtis, & in formam pultis concoctis, testibusque circumpositis.

Sedato dolore sublatoque tumore, testes contusi quantum fieri potest, digitis rursum in unam massam colligantur, & in propriam formam redigantur, ac tandem sequenti cataplasmate singulis diebus bis imposito calente consolidentur.

Cataplasma consolidans. ♃. Pul. sem. lini, fænugræci, rad. Alth. far. fab. an. ℥ I. Herb. veronicæ, saniculæ, Comarum Hypericon. an. ℥ s. Myrrhæ, Thuris an. ℥ I. Coquantur, & in q. s. vini rub. ad. pultis formam, cui admisc. nonnihil ol. Hypericon. fiat cataplasma.

6. Teſtium pruritus & exulceratio quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quomodo curanda?

Pruritus teſtium. Κνισμὸς καὶ ἕλκωσις τῶν ὄρχεων eſt quando ſcrotum ſive exterior tunica teſtium pruritu, & continuo ſcalpendi ardore moleſtatur, ſcalpitationemque poſtulat, unde ut plurimum cutis exulceratio ſubſequitur.

Cauſæ. Cauſæ προηγούμεναι ſunt aut pituita ſalſa, aut acris erodensque bilioſus ſanguis, aut aduſta melancholia ad ſcrotum defluens. Προκαταρκτικαὶ ſunt ſalſus humor aut acris & fœda colluvies ſcroto in fœdo concubitu illita, in ejusque poros infarcta.

Signa. Signa cum pruritus tum exulcerationis ſenſu percipiuntur, cauſarum vero ſigna ex habitu & colore totius corporis, adeoque ex ægri relatione deprehenduntur.

Curatio. Curatio conſiſtit in victus ratione, venæ ſectione, & humoris vitioſi, ſive is ſit pituita ſalſa, ſive bilis acrior, ſive aduſta melancholia, præparatione & evacuatione, & topicorum remediorum pruritum ſedantium & exulcerationem ſanantium applicatione.

Diæta. Victus ratio debet eſſe cauſæ efficienti contraria, ac diligenter vitanda ſunt omnia alimenta impensè calefacientia, ſalſa & acria. Cremor itaque ptiſanæ, avenæ, piſces friabiles, ut lucii, percæ, maximè ſunt convenientia alimenta. Potus conducit cereviſia clara & probè lupulata, qualis eſt Brunſvvicenſis.

Venæ ſectio. Venæ ſectio moliatur; atque ſi corpus eſt plethoricum aut bile refertum, ſecetur vena epatica dextri lateris; ſi melancholico humore corpus rėdundet, ſiniſtri lateris: Tandem vitioſus humor, qualiscunque etiam is ſit, convenientibus remediis, quorum formulas ſupra tradidimus, præparetur, & artificioſè evacuetur.

Topica. Deinde Topica remedia pruritum ſcroti ſedantia & exulcerationem ſuperficialem perſanantia hujusmodi applicari poſſunt.

Ablutio. Primum abluatur ſcrotum pruriginoſum aut vino in quo coctæ ſunt roſæ rub. fol. veron. & plantag. Aut ſi ulceratio ſcroti adſit, lacte tepido: poſt ablutionem abſtergatur leni ſpongia, aut lana xylina, & inungatur aut Unguento populino, aut è ceruſſa.

Ubi vero pruritus hiſce remediis non ſedetur, imponatur tale Epithema.

Epithema. ♃. Mucag. ex ſem. cyton. & ſem. pſylii cum aq. roſar. factæ ℥ II. Aq. plantag. ℥ VI. Aceti roſar. ℥ I. tenuiſſ. pul. ſulph. citrini litharg. an. ℥ I. campho. reſol. ʒ s. Fiat Epithem. quod tepidum linteolis exceptum crebrius imponatur.

Plurimum confert pruritui non tantum ſcroti ſed & reliquarum partium, ſequens Unguentum.

Vnguentum ſingulare ad pruritum ſedandum. ♃. Pul. ſulph. vivi ℥ s. camph. ℈ I. Bac. lauri ʒ II. ſalviæ, fol. major. an. p. II. Butyri ℥ II. ſucci Apii, ſuc. rad. lapa. acuti an. ℥ II. ſimul concoquantur ad ſuc. evaporationem, colentur & infrigidentur, vel in aq. frigidam infundantur, & refrigerata conſerventur, fiat unguentum. Tollit quoque pruritum confricatio cum ſucco Apii & lapatii acuti.

7. Sterilitas quid?

Quanquam ſterilitatis naturales cauſæ tam ratione virorum quam muliercularum contingere queant; tamen ut plurimum & crebrius ex vitioſa matricis conſtitutione, quam culpa virorum evenire, quotidiana docet experientia; quare ſterilitatis cauſas, ſigna & curandi modum inter matricis affectiones paulo pôſt declarabimus. *Vbi de ſterilitate agatur plenius.*

8. Teſticuli fæmellarum quibus morbis afficiuntur?

Teſtium neceſſitas in fæminis. Ut fiat imprægnatio, liberorumque propagatio, neceſſarium eſt ut utrumque ſemen & viri & fæmellarum in matricis capacitate eodem tempore confluat & juſta proportione ac temperamento commiſceatur.

Cum autem ſemen perfectum ſine beneficio teſticulorum confici nequeat, conſequens eſt & fæminas ipſas teſtes & ſeminaria vaſa poſſidere.

Te-

Differentia inter virorum & mulierum testes. Testes tamen muliebres & magnitudine & figura & situ à virorum testiculis plurimum differunt. In fæmellis enim siti sunt utrinque ad latera Matricis circa Ilia, ubi nimirum matrix cornibus ita dictis alligata est Iliis: Magnitudine minores sunt & paulo compressiores virilibus: Figura quoque paulo oblongiores.

Vasa spermatica. Vasa autem semen deferentia utrinque per cornua matricis in os uteri protensa sunt, ex quorum orificiis muliebre semen in capacitatem uteri ejaculatur & influit.

Porro afficiuntur Testiculi & vasa seminaria muliebria, ut & virorum variis morbis: maximè vero obstructione, & seminis corruptione, quam sæva sequuntur symptomata, veluti sunt Matricis suffocatio, animi deliquium, furor uterinus. *Morbi testiculorum in fæminis.*

Eorum itaque affectiones inter morbos matricis paulo post explicabuntur.

PRACTICÆ FRANCISCI JOELIS LIBER OCTAVUS, DE MULIERUM MORBIS.

Sectio I. DE UTERI AFFECTIBUS.

1. *Vterus quid, & quibus afficitur morbis?*

Vterus quid. HTPA sive ὑστέρα, uterus, est nostræ germinationis & propagationis hortulus.

Vteri cum genitalibus virilibus comparatio. Matrix persimilis est scroto & pudendo virili inversis. Capacitas enim scroti, si δίδυμοι excipiantur, respondet capacitati matricis, & cavitas virgæ cavitati cervicis uteri. Partes enim generationis, quæ in viris extra corpus propendulæ sunt, eas Naturæ opifex non sine sapienti consilio in fæmellis intra corpus delitescere voluit.

Situs. Situs autem est uterus intra os sacrum & ossa Ilii, tanquam in minutissima cistula, quæ sua postica parte recto intestino incumbit, anteriori vesicæ corpori contigua est.

Figura. Figura Matricis, ubi repleta fuerit, rotunda est, & similis vesicæ inflatæ. Ejus autem interna capacitas referta est exiguis & lentis figuram referentibus foraminulis, quæ Græcis κοτυληδόνες *Cotyledones.* id est acetabula, nominantur, & non sunt aliud nisi oscula venarum & arteriarum in uterum desinentium, per quæ menstruus sanguis in adultis purgari consuevit. Fundus uteri ad umbilicum, cervix verò ad vulvam protenditur.

Variè agitatur & commovetur matrix in corpore tum ad dolores cum ad odores, tum ad visus objecta, cum etiam ad animi affectiones: Hinc est quod Plato in Timæo uterum animal esse contendat. *Motus uteri varius & mirabilis.*

Nulla autem ferè humani corporis pars tam multiplicibus ac sævis morbis & symptomatibus tentatur, quam ipsa Matrix seu uterus.

Sunt autem præcipui morbi & symptomata Matricis: *Morbi ac symptomata uteri præcipua.*

Uteri intemperies & imbecillitas,
Uteri impuritas,
Uteri suffocatio,
Uteri procidentia,

Uteri

Uteri inflammatio,
Uteri inflatio ſeu intumeſcentia,
Uterinus hydrops,
Uteri exulceratio,
Uteri cancer,
Uteri durus tumor,
Vulvæ conſtrictio,
Vulvæ ſciſſuræ,
Vulvæ pruritus,
Menſium immoderatum profluvium,
Menſium ſuppreſſio,
Albæ colluviei ex utero profluxio,
Sterilitas uteri ſeu conceptionis difficultas,
Conceptio vitioſa ſive Mola,
Gravidarum tractatio tempore geſtationis,
Pariendi difficultas,
Fætus præternaturalis in utero ſitus ante partum,
Abortus,
Fætus emortui & ſecundinæ tunicæ in utero retentio,
Sanguinis poſt partum nimia profuſio,
Sanguinis concreti poſt partum in utero detentio,
Recens in lucem editi infantis tractatio.

Symptomata vero gravidarum & ante & poſt partum ſunt:
Febres,
Ventris inflatio,
Dolor uteri,
Dilaceratio matricis,
Nauſea & vomitus,
Syncope,
Capitis dolor,
Appetitionis abolitio,
Pedum intumeſcentia.

2. *Vteri intemperies quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quibus remediis emendanda?*

Cur in uterinis morbis verſatus eſſe debeat Medicus.

In curandis morbis uterinis oportet Medicum ſagacem eſſe, & morborum differentias & cauſas ſedulo & ſumma cura explorare. Uteri enim nomine fæmineum genus miſerrimum eſt, & imbecille magis quam maſculinum, & infinitis ferè morbis obnoxium. Siquidem uterus tanquam ſentina & receptaculum eſt omnium vitioſorum ac venenatorum humorum totius corporis, & tamen commercium & ſympathiam habet cum nobilioribus & principalioribus partibus, cerebro, nervis, corde, epate, Diaphr. ventriculo, inteſtinis & veſica: quæ partes, utero affecto, facillimè læduntur. Et hinc eſt, quod mulierculæ ex levi occaſione ſæpe Epilepſia, animi deliquio, ſuffocatione, cordis palpitatione, appetentiæ proſtratione, nauſea ac vomitione, reſpirationiſque difficultate, colicis doloribus & dorſi cruciatibus tententur, & excrucientur: Adde quod uterini morbi curatu difficiliores ſunt quam reliquarum partium, non tamen per ſe, ſed pudoris ratione. Malunt enim plurimæ mulierculæ potius emori, quam uteri ſui affectiones revelare.

Vteri ſympathia cum partibus principalibus. *Fæminæ variis affectibus obnoxiæ.* *Cur uterini morbi curatu difficiles.*

Δυσκρασία Matricis eſt, ubi vel caliditas vel frigiditas vel humiditas vel ſiccitas, vel earum qualitatum συζυγίαι juſtam commoderationem tranſgreſſæ ſunt. Porro omnis intemperies cujuſcunque partis ſemper ejus actiones tam naturales communeſque quam actiones cuilibet parti proprias, lædit & imbecilles reddit, morboſque efficit. Sunt autem communes & naturales omnium partium actiones, attractio, retentio, & alteratio & expulſio: Propriæ vero ſunt, ventriculi quidem converſio alimenti in Chylum, epatis ſanguificatio, oculorum viſio, manuum apprehenſio. Ita & matricis propriæ actiones ſunt, ſeminis conceptio, fætus formatio, & ſanguinis menſtrui in adultis ſingulis menſibus effuſio, quæ actiones omnes ex intemperie debilitantur & morbos inducunt.

Intemperies uteri quid. *Actiones partium communes.* *Propriæ.* *Vteri functiones propriæ.*

Omnis vero intemperies hæret in aliquo ſubjecto, aut in partium ſubſtantia, & tum nudæ intemperies nominantur; aut in colluvie humorum in ipſis partibus contentorum, & tunc intemperies cum materia nuncupatur.

Intemperiei differentiæ.

Cauſa προηγουμένη nudarum intemperierum eſt à nativitate congenita, & à parentibus

Cauſæ.

bus contracta δυσκρασία. Intemperiei vero cum materia est colluviei aut vitiosi sanguinis, aut alterutrius, bilis aut pituitæ, collectio in Matrice.

Causæ προκαταρκτικαὶ nudæ intemperiei sunt, medicamentorum impensius calefacientium exicc. refrigerant. aut humectant. hypogastrio, lumbis & pudendo muliebri applicatio. Intemperiei vero cum materia sunt, alimentorum & aliarum rerum naturam conservantium, quas res non naturales vocant, intemperatos humores generantium, crebra & immoderata usurpatio.

Signa intemperiei calida. Signa nudæ intemperiei calidæ sunt, hypogastrii, lumborum, & pectinis ad tactum caliditas, & à calidis remediis applicatis offenduntur, frigidis vero juvantur. *Sicca.* Siccæ nudæ intemperiei sunt continua uteri interioris siccitas, mensium paucitas, squalor totius corporis. *Frigida.* Frigidæ intemperiei signa sunt continua pedum & hypogastr. frigiditas & mensium suppressio. *Humida.* Humiditatis nudæ in utero nota est continuus mador & fœtor uteri.

Signa cacochymia uterina. Intemperies uterina ex vitiosis humoribus intra Matricem detentis dignoscitur primum ex totius corporis constitutione & colore. Qui enim humor in toto corpore redundat, is in Matricem quoque confluit & colligitur, & quali quilibet humorum in corpore colore est tinctus, talis est & faciei & totius corporis cutis color. *Ex sanguine vitioso.* Sanguinis itaque vitiosi in utero redundantis intemperiem, quæ calida est & humida putrefactaque, indicat faciei rubedo & crebriores mensium effluxiones, & si menses fluentes pannum linteum attingant, rubeo colore inficiunt. *Ex bilioso humore.* Si vero intemperiei subsit biliosus humor, tum uterus calidus & siccus est, & iis mulieribus totius corporis constitutio gracilis est, colorque faciei ad flavedinem vergit, ac subinde in ore amarorem sentiunt. Menses vero paucæ, acres & erodentes cum pudendi muliebris prutitu sunt, & si in linteum incidant, subflavo tingunt colore. *Ex pituitosa colluvie.* Ubi vero pituitosæ colluviei insidet intemperies, ea erit frigida & humida, & facies est subtumida coloreque ad albedinem declinat, à Venere abhorrent, mensesque ut plurimum subsistunt, aut crebrius albo fluore uterus infestatur, ac dolores lumborum, tumoresque pedum percipiunt: menses linteis incidentes ea tingunt cinericeo colore. *Ex melancholica face.* At vero si Melancholico humore imbuta sit Matrix, tum ejus intemperies aut calida erit & erodens, nimirum si Melancholicus humor ex bilis adustione sit genitus, & tum ut plurimum exulcerat eroditque matricem, & hujusmodi mulieres salaces sunt & libidinosæ. Si vero ex naturali Melancholia, color faciei ad fuscedinem vergit, aut plumbeum præ se fert colorem; menses vero in linteum prolapsi maculas nigras relinquunt.

Prognostica. Prognostica nudæ intemperiei uteri sunt: Intemperies quæ in substantia uteri hæret, curatu est difficilior, quam quæ in humoribus in Matrice contentis delitescit. Inter omnes autem intemperies sicca omnium difficilimæ est curationis.

Curatio. Curatio intemperiei uterinæ consistit in victus ratione, venæ sectione, ubi nimirum natura intemperiei eam concedit, & remediorum tum internorum tum externorum applicatione. Tam vero victus ratio, quam medicatio semper intemperiei debet esse contraria, ut calidæ frigida, frigidæ calida, humidæ sicca, & siccæ humida.

Venæ sectio. Venæ sectio non est molienda, nisi ubi intemperies vel in putrido sanguine, vel in bile flava continetur. Semper autem vena secanda est primum epatica, deinde & sub malleolis primum dextri pedis, deinde & sinistri pedis, interposito unius diei spatio.

Praparatio & evacuatio humoris peccantis. Quantum ad medicationem attinet, si intemperies uteri in vitioso aliquo humore hæreat, sive is sit biliosus, pituitosus, sive melancholicus, sive sanguis putridus ac serosus, is humor primum concoquatur & ad eductionem præparetur, ac deinde ritè expurgetur remediis singulis humorum vitiis dicatis, quorum sylvam in superioribus de curatione Intemperierum reliquarum partium, & in tabellis medicamentorum supra proposuimus. Subductis humoribus tandem quælibet intemperies

periesin contrariam temperiem, contrariis remediis deducenda erit, & talia quoque multa remediorum genera in superioribus proposuimus, in curatione videlicet intemperierum Epatis, Lienis & ventriculi, quæ huc accommodari possunt.

Calidam intemperiem alterantia. In genere autem uteri intemperiei calidæ adversantur & in contrarium statum reducunt portulaca, plantago, semper vivum, oxalis, Rosæ, Violæ, & malva. Ex compositis vero philon. Rom. syr. ex portul. ex oxalide, ol. Ros. Nymph. & Myrtillorum.

Frigida remedia. Frigidam vero intemperiem uteri, qua omnium frequentissime matrix afficitur, emendat ex simplicibus Flor. chamæm. Anethi, Bethon. fol. & bac. lauri, parthenic. Major. Origanum, Scord. Rad. Asari, dauci cretici, Dictamni Gentianæ, Rubeæ, ma. Aristol. utriusque, sem. pastinacæ, Nuces Moschat. Maces, cinam. cardam. castor. Myrrh. sagapen. galbanum, Asa fœtida, Benzoi, Moscus, Aq. Juniperi, ol. cymin. Angel. vitriol. Ex compositis sunt, Theriaca, Musa Ænea, troch. è Myrrha.

Siccam intemperiem corrigentia. Siccitati vero matricis prosunt, mucago ex sem. lini, fænugræci, rad. alth. cum aq. Meliss. & Malvæ, rad. satyrii & eryngii conditæ, & Diasatyrion, atque omnia quæ tabidis conveniunt.

Humidam intemper. emendantia. Humidam intemperiem uteri emendant & exiccant rad. Nymph. Balaust. decoctum surculorum Rub. cornu cervinum ustum & præparatum. Coral. utrumque præparat. Terra lemnia, Nigella & radix Bistortæ. Ex compositis, Troch. è spodio, è terra sigillata, & è succino. Ex his omnibus enumeratis remediis, non tantum ad uteri intemperiem quamlibet, verum & ad alias quasvis Matricis affectiones concinnari possunt pul. potiones, electuaria, Rotulæ, suffitus, fotus, Balnea, clysteres, Unguenta, empl. cataplasin. & pessi; quorum formulas, dosin, utendi rationem in curatione sterilitatis paulo post indicabimus.

3. *Impuritas matricis quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo abstergenda ac emundanda?*

Uterus sentina omnis impuritatis corporis. Ἀκαθαρσία τῆς μήτρας· cum Matrix in fæmellis sit tanquam sentina in navibus, totius corporis impuritates in se recipiens, & ubi naturaliter se habet, singulis mensibus excernens; *De qua uteri impuritate hic agatur.* hoc loco nos non eam uteri impuritatem, quæ à confluxu in utero menstrui sanguinis, aut albæ colluviei contingit, sed eam duntaxat intelligimus, quando uteri interna tunica viscida humiditate est oblita & lubrica, orificiaque & cotyledones seu acetabula uteri, quæ non sunt aliud quam oscula venarum & Arteriarum in uteri capacitatem desinentia, hujusmodi humore ita sunt infarcta, ut uterus nec menstruum sanguinem ritè ac debito modo profundere, nec semen conceptum diu intra se continere possit.

Causa. Causæ προηγουμέναι hujusmodi impuritatis & lubricitatis uterinæ sunt, imbecilla concoctio chymi seu sanguineæ massæ in venis, in qua redundat pituitosus humor, & universi corporis pituitosa constitutio. Προκαταρκτική est alimentorum pituitosorum intempestivior usurpatio.

Signa. Signum infirmæ concoctionis & pituitosæ corporis constitutionis est, pallidior & ad albedinem vergens corporis color. Lubricitatis autem uterinæ signa ex confessione patientis mulierculæ explorari debent, utrum videlicet lento humore semper madeat uterus, item utrum menses parcius quam par est profluant, & utrum in uterum projectum semen paulo post rursum procidat.

Prognostica. Prognosticon est; nisi talis impuritas & lubricitas Matricis tempestivè auferatur, sterilitatem certam infert.

Curatio. Curatio hujus uterini madoris & lubricitatis consistit in victus ratione, lenti & pituitosi humoris præparatione & evacuatione, capacitatisque uterinæ absterfione & exiccatione.

Diæta. Primum itaque præscribatur diæta moderatè calefaciens & abstergens: Qualia alimenta in superioribus pluries sunt proposita. Con-

Conveniunt enim aromatis condita fercula, & vini aut hydrom. in potu usurpatio.

Deinde pituitosus totius corporis humor ad Matricem defluens sequenti decocto ad eductionem præparetur.

Decoctum digestivum.

℞. Rad. Apii, fœni, pimpi. an. ℥ s. dauci cretici, Asari an. ℥ II. sem. fœnic. pasti. an. ʒ III. Herb. Melissæ, Bethon. Origan. Rorismar. an. M. s. Schænanthi, cinamom. cardam. an. ʒ I. Concidenda concidantur & contundenda contundantur, ac in duplici vase sive Cantharo cum ℔. 4. vini Rhena. ad 2. horas coquantur, deinde refrigerata colentur & colato juri admisc. syr. de Arthemi. è Card. Bened. an. ℥ III. fiat potio, de qua bibat mulier mane ac vesperi ℥ IIII. calefactas.

Absumpta hac potione, evacuetur lenta ac pituitosa materia seqq. haust.

Haustus phlegmagogus.

℞. Fol. senæ ʒ II. Agar. Troch. sem. cartami an. ʒ ß. spicæ Indic. ℈ s. Contusa macerentur per noctem in ℥ III. aq. puleg. mane leniter ebulliant & fort. expressa colentur, colato jusc. admisc. elect. Diaphæ. Indi ma. an. ʒ II. fiat haustus, qui tepidus ebibatur in aurora sex horis ante cibi potusque assumptionem. Aut exhibeantur eodem tempore ac modo seq. pill.

Pillulæ.

℞. Mas. pill. agg. de sagapeno, Troch. de Agar. an. ℈ I. diagrid. gr. v. simul contusa cum syr. de Arthemis. formentur pillulæ n. xv. & inungantur Ol. fœnic. Hæ præparationes & purgationes pituitosi humoris bis aut ter reiterari debent per 3. menses, paulo ante excretionem mensium.

Quo tempore purgantia exhibenda.

Corpore probè purgato singulis septimanis bis assumat ægra haust. diaphoreticum hac ratione paratum.

Diaphoreticus haustus.

℞. Theriacæ Andr. ʒ I. pul. Trochisc. è Myrrha, pul. rad. chinæ an. ℈ II. Ol. fæn. gutt. v. aq. puleg. ℥ III. Fiat haustus, qui tepidus ebibatur, & corpore benè tecto ægra se ad sudorem componat, sudetque per unam aut sesquihoram.

Interim & Matrix corroboretur quotidie & exsiccetur II. rot. diamargar. calid. mane ac vesperi devoratis. *Corroborantia.*

In impuritate Matricis præstaret mulierculam ad Thermas sulphureas & aluminosas post corpus purgatum confugere, quales sunt thermæ Carolinæ, prope vallem Joachimicam. Sed quia ob itineris longinquitatem non quibuslibet eas accedere datur, thermarum loco balneum seu lavacrum ex seq. herbis confici potest, in eoque alternis diebus mulier collocetur. *Thermæ Carolinæ hic utiles.*

Insessus seu thermæ artificiosæ.

℞. Arthem. Betho. serpill. chelidon. cum rad. melissæ, puleg. Origa. lavand. Hyperico. an. M. II. sem. carvi, cymini, anisi an. ℥ II. Radicib. valer. ℥ III. sulph. citr. ℔. I. s. Alu. ℥ IIII. salis ℥ II.

Concisa ac contusa in sacculumque consuta coquantur in q. s. aq. id est tanta ut patiens in ea usque ad umbilicum mergi queat; in eoque lavacro commoretur ægra ad sesquihoram, & sacculus hypogastrio circumponatur. Si vero nec hæc commoditas hujusmodi balneum conficiendi adsit, ex iisdem herbis parari possunt fomenta & vapores Matrici quotidie supponendæ. *Fomentatio.*

Tandem commodissimè uteri capacitas elui poterit, & à lento madore abstergi sequenti Enemate uterino matrici per siphonem injecto.

℞. Rad. valer. Gentianæ an. ℥ s. Aristo. rot. ʒ II. scoriæ ferri ℥ II. Origa. Matrica. puleg. an. M. s. Myrrhæ ʒ II. sulph. ʒ III. Coquantur in ℔. IIII. hydr. simpl. cujus ℥ IIII. tepidæ pro vice matrici infundantur. Deinde exsiccationis uteri causa hianti matrici tale suffumigium subjiciatur.

Suffumigium per infundibulum in uterum excipiendum.

℞. Myrrhæ, Thuris, Benzoi, caryoph. an. ʒ I. Nucis Mosch. ʒ II. Fol. lauri, major. spicæ celticæ an. P. I.

Conterantur crassiusculè, & carbonibus semiextinctis in olla inspergantur, & fumus inde elevatus per infundibuli apicem in os matricis recipiatur. Vel inseratur per no-

ctem utero Glans uterina, quam Græci peſſum vocant, qui hoc modo conficiatur.

Peſſus. ℞. Pul. Acat. Balauſt. calicum glandium an. ʒ I. Maſtic. Thur. an. ʒ s. ſtrobillorum cupreſſi, Myrrh. an. ℈ I. corn. cer. uſti, Alum. an. ℈ s. Ex quibus tenuiſſimè pulveratis ac commixtis cum pauca Tereb. & cera, fiat peſſus, & formetur in digiti longitudinem, & paulo craſſiorem pollice, ſyndoneque obducatur, & per noctem Matrici inſeratur, maneque rurſum extrahatur. Plura in ſterilitatis curatione huic affectioni conducentia commemorabimus.

4. *Vteri ſuffocatio ſeu ſtrangulatio quid, quæ ejus cauſæ, quæ ſigna, & ut curanda?*

Vteri ſuffocatio quid. Πνὶξ ὑστερικὴ eſt ubi Matricis capacitas, flatulentis tetriſque vaporibus in ea excitatis inflatur & diſtenditur, & ſurſum elevatur, & primum ventrem ac inteſtina, mox ventriculum, ac deinde ipſum diaphragma, quod principaliſſimum eſt reſpirationis organum, coarctat, & multo flatu comprimit, & reſpirationem vocemque intercipit; ita ut miſera mulier inſtar mortuæ jaceat. Non diſſimilis eſt hic morbus & ſyncopi & epilepſiæ, niſi quod non convellitur corpus quemadmodum in epilepſia. *Interdum tamen propter uteri inquieti motum leviter convelli quaſi videntur hyſtericæ fæminæ. Sed tum manifeſtè motus incipit ab inferiori ventre & ſurſum ad jugulum ſeſe extendit, ut caput in poſticam partem inclinetur, & thorax per intervalla elevetur.* *Differentia à ſyncope & Epilepſia.*

Cauſæ. Cauſæ προηγούμεναι ſunt, menſtrui ſang. aut ſem. ex vaſis ſpermat. in capacitat. uteri illapſi, aliorumque putridorum humorum in ea coacervatorum putrefactio, ex quibus halitus tetri ac flatus uterum diſtendentes excitantur: aut ſanguinis copioſi in plethoricis corporibus in venas infarctio & refrigeratio. Προκαταρκτικαὶ ſunt animi extenſiores perturbationes, veluti ſunt excandeſcentia, mœror ac Zelotypia; Et in quibuſdam malam uteri conſtitutionem habentibus, ſuaviores odores. Matrix enim natura cum ad ſuaves odores tum ad tetros afficitur, & ſurſum deorſumque commovetur. *Vterus odore movetur.*

Accidit ſuffocatio Matricis potiſſimum in viduis juvenculis quæ antea conſuetudini virorum aſſuefactæ fuerunt, jam vero ſe continere coguntur: Et virginibus adultioribus generationi aptis. *Quænam fæminæ huic malo obnoxiæ.*

Accidit hoc malum creberrimè & puerperis paulo poſt partum, aut ob nimiam ſanguinis effuſionem, aut ob ejusdem in utero retentionem ac putreſcentiam, de qua ſuffocatione paulo infra in ſympt. gravidarum tractabimus.

Admiratione autem dignum eſt quod intercepta reſpiratione in hoc morbo mulierculæ vivere queant; cum impoſſibile ſit non ſpirantem poſſe vivere, aut reſpirantem non vivere: ſed vivunt ratione caloris nativi in corde & arteriis nondum extincti; & per poros arteriarum tranſpirabilis, etiamſi totum corpus ſit refrigeratum. *Hyſtericæ quomodo abſque reſpiratione vivant.*

Signa paroxyſmi uterinæ ſuffocationis manifeſta ſunt. Intercipitur enim aut omnino aut magna ex parte & reſpiratio & vox, & refrigeratur corpus, mortuæque ſimilis jacet muliercula. Paroxyſmum autem antecedunt torpor mentis, faciei pallor, crurum pigritia, & quandoque deſipientia cum riſu aut lachrymis ſine manifeſta cauſa, quam tandem mox articulatæ vocis & reſpirationis interceptio ſubſequitur. *Signa paroxyſmi.*

Cauſæ verò ſuffocationis uterinæ hiſce notis deprehenduntur. Si ex retentione ſuppreſſiſque menſibus originem ducat ſuffocatio, id ex narratione patientis cognoſci poteſt. At ubi menſes probè fluunt, certum eſt malum ex ſeminis aut alterius vitioſi humoris in utero putrefactione ortum trahere. *In puerperis itidem ex relatione cauſa conſtare poterit.* *Signa cauſarum.*

Ubi mulier mortuæ ſimilis ſine ſenſibili reſpiratione ac motu decumbit, & ab omnibus extincta judicatur, tum, utrum adhuc vita ſuperſit, explorari debet per admotionem ori ac naribus terſi ac puri ſpeculi, quod admotum ſi udo vapore inficitur, *Exploratio an fæmina ſit hyſterica vel mortua.*

vita

vita adhuc in corpore delitescit: Alii plumas aut lanam puram ori naribusque admovent, ex cujus commotione vitam restare prædicunt, aut vitrum aqua repletum pectori imponunt, & ex aq. tremore vitalem adhuc spiritum superesse deprehendunt.

Prognostica.

Prognostica: Quæ ex retentione seminis oboritur uteri suffocatio longè est periculosior curatuque difficilior, quam quæ mensium aut aliorum vitiosorum humorum putrefactione generatur. Strangulationes uterinæ maxima ex parte Autumno & hyeme infestant mulierculas.

Curatio.

Curatio uterinæ suffocationis bipartita est, cujus prima pars in paroxysmo, altera in causis suffocationis tollendis occupata est.

Statim itaque ubi futuræ suffocationis signa comparuerint, ac inprimis insultus & intumescentia hypogastrii, mulierculæ ebibendus præbeatur sequens haustus tepidus.

Remedia in paroxysmo adhibenda.

℞. Sterco. rec. caballi avena nutriti M. II. coquantur in vino Rhenano, exprimantur ac colentur & ebibenda præbeantur. Aut

Ol. castorei stillatitium, item ol. succini admodum hic utile, si gr. II. vel III. exhibeantur.

℞. Casto. ʒ II. fol. Mentæ crispæ p. II. gran. Junip. parum contusorum n. XXX. Bac. lauri contus. n. III. croci ℈ s. coquantur in vini ℔. I. ad med. colentur, fiat haustus: aut resolvatur ʒ I. diacasto. in haust. aq. puleg. & tepidus exhib. Aut deglutiendæ præbeantur pill. v. ex ℈ I. Asæ fœtid. formatæ.

Venter restringendus.

Ubi vero uterus jam turget & ascendere incipit, statim uterus manibus supprimatur, & violentius deorsum repellatur, ne ventricul. in diaphragma cogere & sursum compellere queat. Venter autem circa umbilicum fascia linea latiore *aut cingulo ex corio cervi in ipso coitu cum cerva necati confecto, quod singularis efficacia esse in hoc casu experientia testatur*, vinciatur ac subligetur, & hypogastrio sequens sacculus calefactus imponatur.

Sacculus hypogastrio imponendus.

℞. Arthem. Origa. Betho. Calam. pulegii, Rutæ an. M. II. sem. cymini, carvi an. ℥ I. Bac. lauri ℥ II.

Herbæ concidantur & reliqua contundantur, mixtaque sacculo insuantur, qui vino conspersus, & per lateres ignitos calefactus imo ventri imponatur, deinde mox acerrimo aceto & sale simul mixtis tarsum & plantam pedis atque circa malleolos, item manus palmam & carpum fortiter fricato, & mulieris nomen cum valida inclamatione exprimatur. Deinde & dolorifica ligamenta circum coxas, pedibus & humeris injiciantur, atque mox naribus teterrimi odoris res quæque admoveantur, hujusmodi sunt casto. asa fœtida, sagapenum, oppopanax & bitumen, quæ ut gravius oleant, nonnihil calefacienda aut incendenda sunt, aut fumus lapidis Gagatis, aut ol. petrolei, *aut nucis moschata, qui admodum hic efficax.* Hæc si in promptu non sint, admoveantur naribus fumi ex incensis coriis veterum calceamentorum, aut ex cornubus caprinis accensis, aut fumus plumarum perdicum pilorumque accensorum, aut si nihil aliud ad manus sit, matula ex corrupta urina fœdè olens, aut nonnihil humani stercoris, aut si quid his abominabilioris odoris sit, naribus admoveatur. Ex tali enim odore fœdo excitantur spiritus animales, & uterus cum tetros aversetur odores, refugit ac subsidet: aut fiat hujusmodi fœtidum suffumigium, naribus admovendum.

Frictio pedum & manuum.

Ligatura dolorifica.

Odoramenta fœtida.

Modus tamen hic servandus, ne nimio fœtore vel spiritus vitales extinguantur vel apoplexia inducatur.

Suffumigium compositum.

℞. Casto. Galba. in aceto resoluti an. ʒ II. sulph. citrini ℥ s. Asæ fœtid. ʒ I. ex quibus contusis, fiat massa cum ol. petreoleo, & formetur aut pomum olfactorium, aut Troch. qui carbonibus accensis imponantur, & fumus ad nares ægrotæ demittatur.

Suaviter olentia ut usurpanda.

E contra vero removeantur ex cubiculo omnes res suaviter spirantes, & nonnisi contectæ & munitæ, (ne earum odor ad nares ægrotæ deferatur) vulvæ matricis vel cervici uteri per fæminas admoveantur vel indantur, ut suavitate odoris matrix deorsum redeat. Mirum enim est quam uterus oblectetur, & quam avidè se convertat ad suaves, & aversetur fugiatque tetros odores. Ex his autem odoratissima, quæ Matrici sub-

Odorata pudendis admovenda.

subjici possint hæc, Moscus, Zibetum, Ol. caryoph. Ol. Benzoi, styrax calam. Ol. spicæ, Ol. ex gran. Junip. ol. ex nuce muscat. ol. Angelicæ, Sambucus, Major. ocymum sive Basilic. quæ lana xylinâ excepta sindone obvolvi matricique commodè inseri possunt. Aut ex iisdem Unguenta concinnari, & ori matricis inungi possunt, ut

Pessus odoratus ad uterum retrahendum.

♃. Galliæ Moschatæ ℨ II. cinam. el. caryophyll. Macis an. ℨ I. Moschi gr. v. styra. calam. ℨ II. terpen. q. s. formetur Glans uterina seu pessus, & inungatur gutt. III. ol. Angelic. & syndone obvoluta matrici inseratur. Aut

Linimentum.

♃. Ol. lilior. alb. ℨ III. Ol. Angelicæ ℈ s. ceræ albæ parum, fiat linim. cui admisc. pul. Galliæ Mosch. ℨ s. Moschi in aq. ros. sol. gr. v. fiat linimentum.

Ubi hac ratione iisque remediis ex paroxysmo suffocationis excitata est mulier, & vires nonnihil rursum collegit, ad alteram curationis partem, id est causæ sublationem, & ab ampliori insultu præservationem animus est convertendus. *Præservatio & causæ sublatio.* Ac primum si alvus est obstructa, & intestina fecibus repleta, clystere convenienti, cujus formula ex colici doloris curatione peti potest, subduci debent. *Enema.* Deinde sedulo considerandum, quis potissimum humorum præsertim vitiosorum in corpore redundet. Ex eo enim ut plurimum inficitur sanguis ad uterum fluens. *Evacuatio.* Is statim concoquatur & evacuetur convenientibus remediis toties jam in superioribus commemoratis. Aut si corpus plethoricum existit, aut suffocatio ex menstrui sanguinis suppressione originem trahat, vena secanda est, in plethoricis primum epatica, deinde & sub malleolis sparsa: *Venæ sectio.* In suppressis mensibus sola ea quæ sub malleolis habetur; in ceteris autem suffocationum causis semper vitanda est venæ sectio.

Menses provocandi. Si itaque suffocatio originem ducat à mensium suppressione, convenienti tempore menses provocentur ea ratione & iis remediis quæ paulo post in curatione retentorum mensium propposituri sumus.

At si ex seminis in utero corruptela, in conjugatis malum hoc oriatur, nullum est præsentius remedium quam concubitus & debiti conjugalis solutio. Verum si patiens sit virgo, corruptum semen remediis & rationibus in curatione γονοῤῥοίας præscriptis discutiendum erit. *Vide lib. 5. sect. 3. q. 2.*

5. *Uteri procidentia quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quomodo curanda?*

Πρόπτωσις τῆς μήτρας. Varie movetur uterus; nunc enim sursum se erigit, ut in suffocatione; nunc ad latera contorquetur; nunc deorsum, & prorsus extra corpus prolabitur. Quando itaque vel ejus fundus invertitur, & deorsum in cervicem uteri prolabitur, vel quando sola ejus cervix per rimam vulvæ extra corpus procedit, prolapsio seu procidentia uteri nominatur. *Uteri procidentia quid.* Quemadmodum enim nonnunquam musculi Ani sphyncteres dicti, & Intestina, & omentum è suo loco deorsum delabuntur, ut in Ramice contingere consuevit; ita & Matrix sæpe deorsum ruit, & è corpore propendet.

Causæ προηγούμεναι procidentiæ uteri sunt, ligamentorum membranarumque quibus uterus cum peritonæo, cum intestinis & cum ossibus sacro & Ilii colligatus est, relaxatio & ruptio; *Causæ internæ relaxationis ligamentorum.* Relaxationis eorum rursum causæ interiores sunt, mucosa matricis humiditas, mensium præternaturalis aut albæ colluviei aut sang. post partum defluxio: item extensior refrigeratio.

Προκαταρκτικαὶ autem causæ relaxatarum membranarum sunt, diuturna mora in aquis frigidis, & ambulatio nudis pedibus per frigida loca, remedia impensius refrigerantia lumbis applicata, aëris frigidi in alvum uterumque, dum aut excrementa alvi ejiciuntur, aut mensium fluore detinetur uterus, irruptio, & vehemens conatus in excernendo. *Externæ.*

Ruptionis vero ligamentorum uterinorum causæ προηγούμεναι sunt difficilis partus & abortus & ruptio peritonæi. *Causæ ruptionis.* Προκαταρκτικαὶ vero sunt ponderis gravioris sublatio, casus è sublimi, violenta percussio, ossis sacri vel lumborum secundinæ post abortum,

ortum, aut fœtus mortui ex utero violenta evulſio.

Signa. Signa prolapſi uteri manifeſta ſunt, & ex relatione patientis intelligi poſſunt. *An ex relaxatis an ruptis ligam. uterus procidat.* Utrum autem membranæ ac ligamenta relaxatæ tantum aut ruptæ ſint, oſtendit materia cum utero prolapſo profluens. In relaxatione enim ligamentorum uterus eſt alba & mucoſa materia defecatus: ſi vero rupta ſint vincula, ſanguis & deinde pus profluet, & urina ſanguinolenta apparet. *Quæ pars prolapſa ſit ut dignoſcendum.* Utrum vero cervix aut fundus uteri è corpore ſit elapſus, his notis dignoſci poteſt: cervice prolapſa caro rubens glandi virili cum foramine ſimilis extra corpus ante pudendum propendet: ſi vero fundus matricis eſt inverſus ac prolapſus, tum caro propendula ſcroto virili eſt ſimilis ovi anſerini magnitudine.

Symptomata. Præterea in omni prolapſione Matricis dolor lumborum & pectinis ſentitur, & fit recti inteſtini, & veſicæ compreſſio & difficultas egerendi.

Prognoſtica. Prognoſticum: Uterus in ſenili ætate prolapſus, maximè ſi diutius reſtauratio negligatur, incurabilis eſt. Difficillimè intra corpus retinetur uterus elapſus quando ex partus difficultate, aut peritonæi ruptione, aut ex abortu orta eſt uteri procidentia.

Curatio. Curatio pro lapſu uteri in repoſitione matura, & in proprium locum reſtitutione, & in eodem retentione conſiſtit. Cum itaque adhuc recens eſt affectio, uterus prolapſus ſagacis obſtetricis induſtria rurſum in ſedem ſuam reponatur. *Repoſitio uteri ut peragi rite debeat.* Antequam autem id moliatur obſtetrix, neceſſarium erit ut & urina ex veſica, & excrementa ex recto inteſtino, inter quas partes matrix ſita eſt, per lenem clyſterem evacuetur ac proliciatur. Deinde decumbat ægra ſupina coxis elevatis poplitibuſque reflexis, & ab invicem dilatatis, & ita tandem obſtetrix dependentem uterum primum foveat, abluat & abſtergat, ac demum in ſuum locum reponat. Fomentum autem & lavacrum tale conficiatur.

Fomentum. ♃. Fol. betæ, malv. alth. arthem. an. M. s. ſem. fœnugræci, lini an. ℥ s. Bac. lauri ʒ II. conciſa & contuſa coquantur, in q. s. aq. ad tertias, colentur, & in eo aliquamdiu foveatur uterus prolapſus. Aut ſi recens excidit Matrix, ſufficiet foviſſe in lacte tepido. *Decoctum aſtringens pro ablutione uteri.* Poſt ſufficientem irrigationem, antequam in locum ſuum reponatur, abluatur & abſtergatur vino rubeo auſtero, in quo decocta ſint flor. roſ. balauſt. bacc. roſar. rub. in quibus ſemen continetur, gallæ, myrtill. & glandes an. ʒ II. vinum autem ſit ℥ XVI. & decoquantur ad tertias, ac tandem abſterſus uterus imponatur in proprium locum, vulvæque peſſulus aut ferula, pro foraminis uterini capacitate ex molli & carpta lana vel ſubere formetur, & ſequens pulviſculus lanæ inſpergatur. *Peſſus.*

Pulvis ad peſſum. ♃. Balauſt. pulv. nuc. cupreſſ. roſar. acaciæ, ſang. draconis an. ʒ s. fiat pulvis. Deinde ea ferula ſyndone aut linteolo molli involvatur & conſuatur, cui filum ſit appenſum, & in præſcripto vino madefiat, & ſinui uterino inſeratur. Ne autem hic peſſulus ab incumbente utero retrocedat aut elabatur, præſtat ſubligaculo arte parato uteri foramen & perinæum contegere ac colligere. *Proceſſus mulierculaurum in repoſitione uteri.* Mulierculæ noſtrates uterum prolapſum ita reſtituunt. Primum allium in aq. tepida, aut in lacte minutiſſimè conterunt, & expreſſum colant, in eoque partem propendulam fovent & abluunt, & ſeq. pulviſculo conſpergunt, & ita in ſuam ſedem reponunt.

♃. Pinearum combuſtarum, corn. cervi uſti, thur. Maſtic. acat. an. ß. ℥. Fiat tenuiſſ. pulvis; & utero repoſito, imo ventri urticam cum radicibus probè contuſam inſtar cataplaſmatis imponunt.

Ventoſæ umbilico imponendæ. Porro utero ita in ſuam ſedem repoſito, ſtatim umbilico & ilibus cucurbitulæ magnæ cum multa flamma ſine tamen ſcarificatione imponantur, & ſæpe repetatur impoſitio. Earum enim attractione uterus ſurſum

ſurſum trahitur & retinetur. Hypogaſtrio vero ſive imo ventri imponatur emplaſtrum contra rupturam, aut emplaſtrum comitiſſæ in officin. vocatum, aut tale conficiatur.

Emplaſtrum adſtringens.

℞. Maſtich. Thur. ſang. draco. Ladani an. ʒ III. Galliæ moſc. ʒ I. Tenuiſſimè pulverata commiſc. ad ignem cum reſolutis Reſinæ & ceræ an. ℥ I. & Terebinthinæ q.s. fiat emplaſt. & extendatur per alutam, pubique imponatur. Aut

Cerotum.

℞. Opopa. Galbani, ſerap. Colophoniæ, Reſinæ, pini an. ʒ II. Maſtich. Thur. an. ʒ I. ſtyra. liquid. ℥ I. ceræ q. s. Pulver. pul. reſolvenda reſolvantur, fiat cerotum quod per alutam extendatur: ita tandem per triduum quieſcat ægra decumbens per dorſum: ac interim naribus quæque ſuaviter olentia, veluti eſt Moſcus, Benzoi, ſtyrax calamita, cariophyl. & ol. Angel. admoveatur. Pudendo vero fœtidiſſima quæque ſubjiciantur, veluti eſt Aſa fœtida, caſtoreum & ſimilia, ſtudioſeque caveat patiens à nimia corporis commotione, tuſſi & ſternutatione. Poſt triduum tandem extracto peſſulo uterino, in ſequens balneum per horam uſque ad umbilicum collocetur.

Naribus odorata admovenda. Inferius fœtida.

Inſeſſus.

℞. Rad. biſtortæ, Bacc. Myrtil. ſumach an. ℥ II. Muſci arbor. quercini, quem Arabes uſneam vocant, Fol. roſar. meſpil. fol. prun. ſylveſtr. lyſimach. an. M. III. cort. querci contuſar. glandium an. ℔. s. Balauſt. & ſpongiarum quæ per frutices roſaceas naſcuntur an. M I. Alum. ℥ II. Radic. ſymphyti ℔. I.

Sacculi.

Contundenda contundantur & concidenda concidantur, coquantur in q. s. aq. fiat lavacrum. Ex iiſdem rebus ſacculi quoque confici poſſunt, & cum vino acerbo rubeo concoqui rurſumque expreſſi lumbis & imo ventri imponi.

Procidentia uteri ex ruptura remedia.

Cæterum ubi uterus ex ruptione ligamentorum prolapſus eſt, ad aſtringentia remedia non ante eſt properandum, niſi prius grumi ſanguinis & ſanies ex uteri ſinubus eſt expurgata & abſterſa ſequenti decocto.

Decoctum abſtergens.

℞. Roſ. rub. plantag. Veron. corrigiolæ an. M. II. Conciſa coquantur ad tertias in ℔. III. vini rubei, & colato juri admiſc. mell. roſ. ℥ II. cujus ℥ III. per ſyphonem utero impellantur, eouſque donec in urina nulla appareant veſtigia vel ſanguinis vel ſaniei. Deinde repoſito utero fiat progreſſio cum præſcriptis remediis.

Si uteri pars prolapſa putreſcat quid agendum.

Accidit autem nonnunquam, ut ob neglectam diutius curationem, pars elapſa uteri computreat, quod ubi contingit, putrefacta particula omnis ſine metu periculi tutò abſcindi poteſt, & rurſum chirurgica induſtria curari.

Tempore curationis, ſi alvus adſtringatur, ut plerunque fit, ʒ X. caſſ. recent. evulſ. devoratis, vel leni clyſtere ex Arthem. Bethon. & centau. in jure pulli coctis, & cum ſufficienti caſſia commixtæ, ſcivala alvi producantur. Victus interim ratio valde parca & tenuiſſima præſcribatur.

6. *Vteri inflammatio quid, quæ ejus cauſæ, quæ ſigna, & qua ratione curanda?*

Vteri inflammatio quid.

Φλεγμονὴ τῆς μήτρας eſt ubi vel tota Matrix, vel ejus aliqua pars urente qualitate obſeſſa eſt. Inflammatur enim uterus nonnunquam non ſecus ac ventriculus, Renes, par, lien & reliqua viſcera.

Cauſæ.

Cauſæ προηγούμεναι uteri inflammati ſunt, copioſi ſanguinis ex plethor. corpore in venas uteri defluxio, & diutius ibidem, per menſes non expurgati detentio, aut ſanguis in uterum affluens juſto bilioſior, qui eryſipelata excitat; item tumor præternaturalis aut exulceratio in aliqua uteri parte exorta. Προκαταρκτικαὶ ſunt violentus caſus, ictus, percuſſio in imum ventrem, creber coitus, abortus, præternaturalis partus, acrium

acrium & calidorum remediorum in uterum infusio.

Signa. Signa causarum præcip. ex relatione ægrotantis innotescere possunt. Semper autem ardens dolor in ventre imo circa pubem: *Dignotio loci affecti.* Et si in collo Matricis tantum hæreat inflammatio, igneus calor obstetricis digito dignoscitur; si vero posterior uteri pars inflammata est, tum dolor & caliditas circa lumbos persentiscitur & alvus difficulter egerit; si anteriori in parte inflammatio consistat, dolor & ardor circa pubem sentitur & urinæ stillicidium adest; si laterales partes ejus sunt inflammatæ, inguina calent ac dolent & crura gravantur.

Ubi vero fundus uteri inflammatione laboret, paulo infra umbilicum dolor & ardor sentitur. In qualibet autem inflammatione uterina subsequitur febris, & si vehementius uteri fundus est inflammatus, tum difficultas respirationis, & nonnunquam suffocatio uteri accedunt, & dolor usque ad jugulum extenditur propter uteri connexionem cum diaphrag. per interventum peritonæi. *Prognostica.* Prognosticon: Inflammatio uteri si in sola cervice hæreat, minus est periculosa. Ea vero quæ totum uterum occupat, ut plurimum periculosa est. Uteri inflammatio aut erysipelas in gravidis lethalis est.

Curatio. Curatio consistit in victus ratione, venæ sectione & remed. cum intra tum extra corpus uteri adhibitione. *Diæta.* Victus ratio debet esse refrigerans & humectans; quemadmodum in Renum & aliorum viscerum inflammationibus sup. annotavimus. Maximè autem conveniunt in cibo ptisanæ cremor, & pruna acida & pisces saxatiles. In potu vero aq. hordei cum cinam. & passulis parata utilissima est, deinde cerevisia clara, qualis est Brunswicensis.

Evacuatio per clysterem. Alvus in hoc malo cum plurimum sit adstricta, proderit eam crebrius per lene enema exonerare, cujus formula ex superioribus peti potest. *Venæ sectio.* Venæ sectio in plethor. corpor. potissimum locum habet, deinde & in quibus menses sunt suppressi. Fugienda autem erit venæ sectio in iis quæ post abortum aut plurimam sanguinis effusionem in inflammationem uteri inciderunt. Secetur autem vena epatica dextri humeri primum, deinde & quæ sub malleolis sita est.

-Post venæ sectionem biliosi humores seq. haustulo subtrahantur.

Haustus cholagogus. ℞. Fol. senæ ʒ I. Rhab. ʒ I. s. Macerentur per noctem in aq cicho. ℥ IIII. & mane expressa & calefacta fortiter exprimantur & percolentur, colato jusculo admisc. syr. ros. sol. aut syr. ex multis infusionibus violar. ℥ II. elect. ros. Mes. solut. ʒ I. commisceantur, fiat haustus, qui in aurora tepidus exhauriatur. Aut purgetur bolo devorato ex ʒ x. cas. recent. evul. facto.

Post expurgationem vitiosorum humorum refrigerandæ inflammationis gratia bis singulis diebus ebibat ægra seq. liquoris lactei haustum unum.

Emulsio. ℞. Quatuor sem. frig. majo. an. ℥ IIII. sacca. cand. ℥ II. contundantur in mortario exactissimè, eisque admisc. aq. cichor. & plantag. an. ℔. II. deinde expressa colentur fortiter, fiat lacteus liquor.

Topica. Tandem quod ad topica remedia attinet, equidem in magna inflammatione fundi uterini sola radice hyoscyami cum pauxillo aceto rosac. contusa, & instar cataplasmatis umbilico impositæ felici successu sum usus, *Rad. hyoscyami opt. inflammationis remedium.* quæ & aliis partibus uteri inflammatis ac dolentibus ac toti imo ventri commodè imponi potest: Idem præstat succus semper vivi aut ipsa herba cum aceto ros. contusa & loco dolenti instar catapl. imposita. Aut inungatur locus affectus sequenti linimento.

Linimentum. ℞. Ol. rosa. Nymph. cyton. an. ℥ s. Mucag. ex sem. psylii & aceto rosac. factæ ʒ III. ceræ albæ q. s. fiat linimentum, quod & in sinum uteri mollissimæ lanæ illitum imponi potest. Aut applicetur affecto loco sequens epithema.

Epithema. ℞. Suc. semper vivi ℥ III. suc. hyoscy. ℥ I. Aq. rosar. plantag. solatri an. ℥ II. Aceti rosa. ʒ I. Misceantur & duplicatis

linteolis excepta imponantur. Aut ſequens cataplaſma tutò imponi poteſt.

Cataplaſma. ♃. Umbilici Veneris, polygoni, plantag. ſemper vivi, capitum papav. omnium viridium an. M. I. contundantur eisque addantur far. hordei M. II. ol. viola. q. s. fiat cataplaſma. Quin & pampini ſeu fol. vitis, folia Nymph. in aceto roſa. madefacta, utiliſſimè dolenti loco imponi poſſunt. In ipſum vero uterum inſeri *Peſſi.* poſſunt ex lana aut lino formati peſſi, & ſuccis prædictarum herbarum aut Mucag. pſylii, aut ol. roſa. viola. imbuti.

Porro ubi cruciatus intolerabilis & dolor immenſus ſomnum turbat, & omnem re- *Narcotica.* quiem adimit, reſolvatur ℈ I. opii Thebaici cum paux. aq. roſa. eisque admiſc. mucag. ex ſem. cyton. factæ ℥ s. & peſſis inungantur, uteroque inſerantur.

Cautela admodum utilis; nam à refrigerantibus nimium continuatis, ſæpe inflammata pars in ſcirrhoſam duriciem convertitur. Verum ubi dolor remiſit, non amplius vehementer refrigerantia, ac multo minus ſtupefacientia, quale eſt opium, ſed mollificantia & diſcutientia tantum ſunt adhibenda.

Proderit itaque patientem in ſequenti lavacro tepido uſque ad umbilicum collocare.

Inſeſſus emolliens. ♃. Fol. malv. alth. cum rad. arthem. puleg. chamæm. an. M. III. ſem. lini, fænugræci an. ℥ VI. Ariſtarum avenacearum ex quibus ſemina nondum ſunt excuſſa faſciculum unum, quæ ſimul coquantur in q. s. aquæ, fiat balneum. Deinde applicetur lumbis & pectini ſequens cataplaſma.

Cataplaſma. ♃. Rad. alth. mal. fol. viola. flo. viol. chamæm. Meliloti, Anethi an. M. II. Contuſa coquantur in q. s. aq. uſque ad pultis formam, cui admiſce far. hordei, ſem. lini, ol. roſa. q. s. fiat catapl. Aut maceretur micæ panis ſiliginei q. s. in lacte, & concoquantur in formam pultis, admiſc. nonnihil ol. chamæ. fiat cataplaſma.

7. *Vteri ex flatibus intumeſcentia quid, quæ ejus cauſæ, quæ ſigna, & qua ratione curanda?*

Πνευμάτωσις ὑστερικὴ, inflatio uteri eſt, *Inflatio uteri quid.* ubi matricis cavitas aut interſtitium inter membranam uteri, & eam quam habet ſibi connexam ex peritonæo, flatulento ſpiritu inflata intumeſcit, & totum ventrem ſecum diſtendit.

Cauſæ προηγούμεναι ſunt, humores pitui- *Cauſa.* toſi aut in ipſa Matrice generati, aut ex toto corpore in uterum defluentes, & caloris nativi in utero debilitas, qui humores concoquere non valet, ſed eos in flatus reſolvere tantum. Προκαταρκτικαὶ ſunt largior frigidi liquoris potatio in balneo, aut pedum ac totius corporis refrigeratio. In partu autem & paulo poſt partum hoc malo corripiuntur mulierculæ ex recitatis procatarct. cauſis, ut frigida potione, refrigeratione pedum ac ventris: contingit quoque hic tumor ex frigida potione tempore fluentium menſium, & ambulatione nudis pedibus per frigida pavimenta.

Signa uterinæ intumeſcentiæ ſunt mani- *Signa.* feſta, ut quæ viſu tactuque deprehendi poſſunt. Hæc ſi in capacitate uteri excitetur, ſine dolore perſeverat, & frequenter per uteri cervicem ſtrepitus non ſecus ac ex podice erumpit, in inflexione corporis rugitus ac ſonitus exauditur. Ubi vero flatulenti ſpiritus in interſtitio uteri & membranæ quam à peritonæo habet collecti ſunt, dolores punctivos & inſtabiles afferunt, quæ & difficilius curari poteſt. Prognoſticon: Uterina infla- *Prognoſtica.* tio, quæ ex mala tractatione aut refrigeratione in puerperio mulierculis contingit, ſine dolore permanet, & rariſſimè detumeſcit, & tamen præterquam quod corpori deformitatem adfert, nec nutritionis nec generationis actiones lædit, & difficulter curatur. Ex hac affectione mulieres ſæpe abortiunt, & tunc abortum præcedunt flatus crepantes per vulvam.

Curatio magna ex parte ex curatione *Curatio.* ejus ſpeciei Hydropis, quæ Tympanites nominatur, peti debet. Conſiſtit autem potiſſimum in victus ratione, cucurbitularum ad-

admotione, & medicamentorum tum intra tum extra corpus adhibitione.

Diata. In victus ratione offerenda sunt ea, quæ flatus discutiunt & dissipant. Condiantur itaque fercula sem. cymini, carvi, Zinzib. & croco. Vitentur autem legumina, & omnia flatus generantia, Potus sit vinum absinth. aut cerevisia absinthiaca. Omnium autem convenientiss. ferculum erit jusculum ex cerevisia cum pauxillo butyro cum sem. cymi. præpar. conditum.

Ventosæ. Cucurbitulæ circa initium inflationis prope umbilicum & Ilia sine scarificatione crebro applicari possunt.

Medicatio hujusmodi est instituenda. Primum acriori clystere pituitosa materia ex intestinis eluatur, quod ita parari potest.

Enema. ℞. Fol. rutæ, ebuli, anethi, chamæm. flo. centaur. min. an. M. s sem. cymini, carvi, Apii an. ʒ III. pulpæ colocynth. ʒ s. coquantur concisa & contusa in q. s. aq. ad medias, juris colati accipe ℔. I. cui admisce hieræ simpl. ℥ I. Benedictæ laxat. ℥ s. ol. lauri ℥ s. ol. rutæ ℥ I. salis ʒ I. fiat enema, quod tepidum infundatur.

Altero tandem ac tertio die concoquatur humor pituitosus totius corporis sequenti potione.

Decoctum digestivum. ℞. Rad. Apii, fænic. pimpin. dauci creti. an. ℥ s. Herb. mentæ, rutæ, puleg. meliss. an. ℥ s. Bacc. laur. Junip. an. ℥ II. sem. cymini, carvi, Anisi an. ʒ II. Concisis concidendis & contund. contus. coquantur in duplici vase cum ℔. IIII. vini Rhenani per 2. horas, deinde colentur, & colato juri admisc. syr. de Arthemisia ℥ VI. fiat potio clara, ex qua mane ac vesperi bibat ægra calefact. haustum.

Phlegmagoga. Potione exhausta, subducatur pituitosa materia, à qua flatum excitari diximus, aut sequenti haustulo.

Haustus. ℞. Diaphæn. ʒ I X. aq. Rutæ ℥ IIII. commisceantur, fiat haustulus, qui tepidus sex horis ante prandium ebibatur. Aut seq. pillulis.

Pillulæ. ℞. Mas. pill. Agg. Aga. Troch. an. ʒ s. diagr. gr. III. ex quibus simul contusis cum q. s. mellis rosacei fiant pill. n. XV. quæ inungantur ol. cymini, & devorandæ præbeantur in aurora, 6. horis ante prandium. Evacuato corpore præstiterit, ut octavo quoque die patiens deglutiat seq. pill.

Alia pillula. ℞. Mas. pill. de bdell. de sagap. Agar. Trochisc. an. ℈ I. pul. castor. ℈ s. Cum syr. de Arth. formentur pill. n. 9.

Flatus discutientia. In reliquis intermediis diebus offeratur omni mane aut ℈ s. ol. cymini cum haustu vini mixtus, aut ʒ I. Theriacæ Androm. cum aq. rutæ commixta.

Vesperi vero cubitum itura devoret 2. aut 3. rot. confect. diacym. aut devoret sequent. elect. semijugl. quantitatem.

Electuarium carminativum. ℞. Cort. Arant. condit. cort. citri mali condit. an. ℥ I. s. Conser. Anthos. meliss. an. ʒ III. Concidantur minutissimè & contund. in mortario additis rot. Diacym. ℥ II. & cum q. s. syr. condituræ cort. citri, fiat electuarium.

Topica. Ad Topica quod attinet, inungatur pecten pudend. & ilia quotidie mane ac vesperi seq. linimento.

Linimentum. ℞. Ol. Nardi, Rutæ, Anethi an. ℥ s. Irini ʒ II. ex gr. Junip. ℈ I. ceræ q. s. fiat linimentum, eluatur cum aq. Junip. ac deinde admisc. ol. vitr. ℈ s. fiat liniment. Post inunctionem inflato utero sive ventri ab umbilico usque ad pudendum imponatur emplast. de bacc. lauri per linteum duplicatum aut alutam extensum, aut seq. cataplasma.

Potest etiam addi ol. cymini, carvi, propter majorem efficaciam.

Cataplasma. ℞. Sterc. capri ℔. II. contund. & concoq. cum vini albi q. s. ad pultis formam, cui admisc. pul. cymini præpar. Bacc. lauri an. ℥ III. sem. Apii ℥ I. mell. q. s. fiat cataplas. bis per diem imponendum.

Sacculus. Non incommode quoque tumenti utero sacculus calidus ex torrefacto Milio & sale æ. p. simul mixtis imponi potest. Aut fasciculus

culus filorum lineorum in aq. & cinere coctus, ac rursum expressus, **gestochet leinen Garn.**

Observatio necessaria de puerperiis. Observato tamen, in utero inflato in puerperio contracto, nec purgationes, nec clyster. nec alia interna remedia adhibenda esse, donec ægra ex puerperio prorsus convaluit; sed sufficiet in puerperio, si sanguinis colluvies ex utero eluatur & cum mensibus profluat; quod fit, si tumens uterus fasciis subligetur.

8. *Uteri aquosa intumescentia quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quomodo curanda?*

Hydrops uteri quid. Ὕδρωψ ὑστερικός, Aqua intercus matricis est, ubi ex refrigerato epate, (hydrops enim non potest generari, nisi præcedat epatis refrigeratio & sanguificationis frustratio) crudus aut aquosus chymus, aut in ipsam uteri capacitatem per cotylodones, vel inter substantiam uteri & ejus externam tunicam, quam à peritonæo habet, aut sub interna ejus tunica colligitur, & secum uterus imum ventrem non aliter ac in ascite in tumorem extendit. Ætius aquam uterinam scribit in utero colligi in quasdam vesicas in capacitate uteri genitas. De hydrope uteri nec veteres nec recentiores practicantes Medici quicquam memoria dignum scripserunt, præter unum Hippocratem, qui in libris de natura mulierum, causarum & signorum ejus ita meminit. *Hypocratis locus de hoc morbo.* Aqua intercus in utero oboritur, menses pauciores & deteriores fiunt, id est aquosiores, deinde repente deficiunt & venter intumescit, & mammæ siccæ fiunt, ita ut fœtum utero gerere suspicentur. Et paulo post; successu dolor imum ventriculum, lumbos & ilia occupat.

Causæ. Causæ προηγούμεναι sunt frigida intemperies tum epatis tum uteri, & flatulenti spiritus in utero coacervati, & mensium post uberiorem fluxionem, repentina diuturnaque suppressio. Προκαταρκτικαὶ sunt cibi & potus refrigerantes, & omnia quæ epar & uterum impensius infrigidare possunt, quæ in hydropis curatione supra commemorata sunt.

Signa primæ speciei. Signa ostendentia qua in parte uteri aqua sit collecta, hæc sunt: si inter externam uteri membranam, quam à peritonæo habere diximus, est coacervata aqua, tum per poros facilè ea in peritonæum permeat, & instar Ascitis, totus venter intumescit.

Exemplum hydropis uteri curati. Tali hydrope uterino correpta erat anno Christi 1560. honesta Matrona Martini Hannemanni conjunx, cum jam per 7. menses gravida extitisset, quæ tandem, cum remedia nulla ferret, per παρακέντησιν, id est sectionem cutis Abdominis curata fuit, & aq. subtracta & brevi convaluit, sanumque enixa est puellum.

Signa 2. speciei. Si vero sub interiori tunica uteri aqua sit coacervata, nullus tumor notabilis, nisi forte circa pectinem ventris consequitur, sed in commotione corporis, fluentis aq. sonitus ac murmur auditu percipitur. Hujusmodi hydrope ante sexennium laboravit nobilis juvencula, conjunx viri nobilis Christiani Winterfelt. Hæc species hydropis uteri conceptionem impedire consuevit.

Signa 3. speciei. Ubi vero in uteri capacitatem confluit aqua, cum mensibus fluentibus & aqua effluit, & non eget alia curatione nisi mensium provocatione, & epatis ac uteri corroboratione. Sed si diutius in utero detineatur, putrescit & dolores excitat, mensesque supprimuntur. Prognostica in signorum enumeratione commemorata sunt.

Curatio. Curatio perficitur hydragogis seu aquam elicientibus remediis, eparque & uterum calefacientibus & corroborantibus, quæ omnia in curatione Ascitis, quæ species est hydropis, abundè enumerata sunt, & hoc loco repeti possunt.

Evacuantia. Singillatim autem aquosus humor primum acri clystere in præcedenti curatione præscripto eluatur: deinde totum corpus ibidem descriptis catharticis purgetur, ac si adsit dolor, fomentis & cataplasmatibus ex fol. ebuli, pulegio, meliss. & chamæm. floribus confectis, aut inunctionibus dolor mitigetur. Sedato dolore, imo ventri imponatur cataplasma, aquam per poros alliciens, quod ita parari potest.

Cataplasma. ℞. Stercoris vaccæ virentibus herbis nutri-

nutritæ, saponis nigræ & fermenti p. æ. misceantur cum pauxillo aceti, fiat cataplasma & tepidum imponatur circa pectinem & inguina.

Vesicatoria. Non incommodè quoque Vesicæ excitari possunt, quibus perforatis, profluet aqua imposito pastillo molli, ex pul. ʒ I. canthar. & fermenti ℥ s. simul cum pauxillo aceti mixtis.

Intra vero corpus indies mane ac vesperi sequens pulvis cum haustulo vini calef. ʒ I. exhibeatur.

Pulvis hydragogus. ♃. Grano. fruticum ebuli aut sambu. exiccatorum ʒ II. Medul. sem. cartami, sem. Mercur. mar. sem. pæon. an. ʒ I. cinamo. ℈ II. Fiat pul. tenuissimus. Porro commodissimè utero infundi possunt per syphonem ℥ IIII. seq. liquoris.

Enema uterinum. ♃. Fol. Meserii, Rad. Iridis nostratis an. M. I. decoquantur in q. s. aq. ad medias, colentur, & ℥ IIII. utero infundantur.

Pessus. Aut inserantur utero pessi ex rad. Gentia. aut iridis nostratis facti, aut ex seq. pulv.

♃. Rad. Thitymalli, colocynt. an. ʒ I. Gran. cnidii n. x. Ellebo. albi ʒ s. cum q. s. mellis, formetur pessus, & in syndonem involutus oleoque irino oblitus utero inseratur.

Prodest quoque uterino hydrope laborantem fæmellam frequentius cum viro concumbere, & menses congruo tempore provocare medicamentis paulo post describendis. *Menses provocandi.* In gravidis (quæ non ferunt medicamenta) curatio per Paracent. cutis vel abdom. incisionem circa umbilicum est auspicanda. *Paracentesis quando locum habeat.* Observandum tamen ne aq. affatim & copiosè, sed sensim ac per vices educatur.

9. *Exulceratio uteri quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quomodo curanda?*

Uteri exulceratio quid. Ἕλκωσις τῆς μήτρας est ubi aliqua pars uteri lacerata aut rupta, & continuitas ejus soluta est.

Causæ. Causæ προηγουμέναι uterinæ exulcerationis sunt, inflammatio, acres & erodentes humores in ea collecti, partus difficultas, fætus aut secundinæ violenta ex utero evulsio, aut apostematis alicujus in utero distruptio. Προκαταρκτικαὶ sunt acrium medicamentorum in uterum insertio, contactus & concubitus violentus & cum morbo Gallico laborantibus, vel morbus Gallicus hæreditarius.

Signa. Signa exulcerati uteri sunt, dolor acris & punctivus in affecta parte uteri, sanies & pus per intervalla ex utero aut per se aut cum urina profluens, dolor syncipitis, & urinæ acredo; atque ubi una adest & inflammatio uteri, tum pauca sanies cum cruciatu profluit. Si verò sordidum est ulcus, copiosior sanies, & minori cum dolore exit.

Prognostica. Prognostica: Ex utero exulcerato pus fœtidum & nigrum profluens, ulcus malignum ac depascens significat. Si vero pus album, paucum & æquale crassumque ac non fœtidum profluat, minus est periculosum, & facilius curari potest. Uteri tamen exulceratio omnis semper suspecta esse debet, & ejus curatio acceleranda. Cum enim uterus totius corporis excrementorum sit receptaculum, facilè incrudescit & exacerbatur.

Curatio. Curatio consistit in victus ratione, venæ sectione, & remediorum vitiosos humores in corpore redundantes præparantium & subducentium, Topicorumque pharmacorum adhibitione. *Diæta.* Victus ratio debet esse tenuis & parca, quæ ex Renum exulceratorum curatione peti potest, aut pro humoris vitiosi in corpore specie præscribi debet.

Venæ sectio. Vena, si inflammatio adest, aut acres biliosique humores corpus infestant, aperienda est sub malleolis pedum. Deinde medicatio instituenda est pro ratione humoris sive is sit sanies salsæ pituitæ, sive biliosus, sive retorridus & cinereus melancholici excrementi. Ac primum convenientibus remediis humor vitiosus concoquendus & præparandus, ac deinceps subducendus est: quo-

quorum remediorum sylvam in tabellis medicamentorum, & in aliorum viscerum curationibus supra annotavimus. Vel in genere fiat hujusmodi vitiosi humoris præparatio.

Digestivum.

℞. Rad. fænic. glycyr. apii, polypod. an. ʒ III. cort. internarum de baculis sambuci M. I. Rhab. ʒ II. centaur. min. sem. malvæ M. s. Melis. puleg. veron. an. p. II. Conf. fumar. ℥ II. concisa & contusa coquantur in canth. cum q. s. aquæ ad duas horas, deinde colata exprimantur & juri admisceantur syr. è fumo terræ, de Arthemisia an. ℥ III. fiat potio, de qua mane ac vesperi ebibat ægra ℥ IIII. calefactas. Potione exhausta purgetur corpus sequenti haustulo.

Haustus purgans.

℞. Elect. hamech ℥ s. diacathol. ʒ III. commisc. cum ℥ 4. aq. melissæ, fiat haustus. Corpore repurgato, si adsit inflammatio, lac ex sem. 4. frig. cum aq. plantagin. confectum mane ac vesperi bibendum præbeatur.

Si vero absit inflammatio, seq. pulvisculus cum haustulo aq. Arthemis. mane ac vesperi exhiberi potest.

Pulvis.

℞. Pulv. Aristol. rot. ʒ II. Myrrhæ ʒ I. rad. asclep. ℈ IIII. misceantur, ex eoque ℈ II. exhibeantur.

Purgato corpore applicentur utero sequentia Topica medicamenta. Porro medicamenta omnia, quæ applicantur utero, debent esse validè constringentia & exiccantia, cum propter loci scilicet uteri continuam humiditatem, tum propter nervosam ejus substantiam, quæ exiccantia efflagitat. Si itaque exulceratio levior sit, hujusmodi elotio utero infundi potest.

Topica.

Enema uterinum.

℞. Herb. veronic. plantagin. corrig. rosar. rub. Balaustiar. sem. lentium, saniculæ an. M. s. decoquantur in aq. q. s. fiat liquor, ex quo eluatur locus affectus.

Ubi vero ulcus in conspectum est subjectum, & manibus contrectari potest, ulceri seq. pulvisculus post ablutionem inspergendus erit.

Pulvis consolidans.

℞. Pulv. Thuris, Mastich. Boli Armen. sang. dracon. an. ʒ s. misceantur.

Remedia ulceris profundi.

At vero si in profundo delitescat ulcus, præscripta remedia per syphonem injicienda erunt. Si vero ulcus putidum & sordidum existat, primo cremore ptisanæ & melle rosac. mixtis tepidisque infusis abstergatur, ac deinde fiat decoctio præscriptarum herb. in hydromel. q. s. quibus addantur rad. Aristol. rot. Iridis illyr. herb. persicar. & myrrhæ an. ad placitum, & decoquantur ad medias, quo liquore abluatur uterus singulis diebus bis per syphonem infuso: ac tandem sequens linim. pessulo ex syndone facto illitum usque ad locum affectum injiciatur, aut calefactum per syphonem impellatur.

Emundantia & abstergentia.

Linimentum.

℞. Mell. rosar. terpent. butyr. recent. non saliti an. ℥ s. misce, fiat linimentum, cui admisceatur seq. pulvisculus tenuissimè contritus.

℞. Rad. Aristol. rot. Iridis Illyr. an. ʒ s. croci ℈ s. Mast. Thur. an. ℈. I.

Vlceris maligni cura.

In malignis autem & serpentibus uteri ulceribus præstat astringentia magis injicere. Eluatur itaque uterus sequenti.

Enema uterinum.

℞. Bac. Myrth. cort. granat. sem. lentium an. ℥ s. Rad. Aristol. rot. Torment. Iridis Illyricæ, strobillorum cupress. an. ʒ III. Herb. veron. persicar. maculatæ an. M. s. Alum. ʒ I. concisa & contusa coquantur in hydrom. ℔. III. ad medias, fiat Enema, quod tepidum utero injiciatur: atque si ex hujusmodi elotione dolor aliquis excitetur, cremore ptisanæ cum ol. rosar. mixto rursum eluatur, aut lacte rec. mulcto, cui nonnihil mellis rosati sit admixtum; ac postea supra scripto lin. admisc. pulv. Acatiæ, Hypocist. & lycii nonnihil an. ℈ I. qui pulveres vel præscripto vel melli ros. admisc. & cum pessulo aut per syphonem ad locum affectum impellatur.

Dolorem lenientia.

Chymici hic Balsamum ♄ singulari cum efficacia adhibent.

Ubi

Vlceris putridi remedia. Ubi autem in utero pars affecta putrescere & corrumpi inceperit, præstabit præscriptæ decoctioni nonnihil æruginis addere, vel in eadem ℨ II. Ung. Ægypt. resolvere, & in locum affectum imponere. Quin & foris qua in parte uteri dolores percipiuntur, ut aut paulo infra umbilicum aut ilibus aut pectini aut coxis, empl. topica foris applicari commodè possunt, quale est subsequens.

Emplastrum extrinsecus abdomini applicandum. ℞. Ol. rosar. ℨ II. Adipis anser. ℥ I. ceræ albæ parum, liquefiant, fiat linim. quod cum refrigerari incipit, eluatur 7. cum lacte mulieb. aut si id desit, caprillo: ac deinde rursum leviter resolvatur, eique admisc. ceræ alb. liquefactæ ℥ II. ac tandem seq. pulvis tenuiss. contriti admisce.

Emplastrum sticticum Crollii etiam in eundem usum commodissimè applicatur. ℞. Tutiæ præpar. Litharg. an. ℥ I. cerusæ ℥ ß. sarcoc. ℨ II. camphor. ℈ s. fiat juxta artem Empl. quod per alutam extensum loco dolenti imponatur, inuncto prius loco cum ol. rosar. ℥ I. & è Mastich. ℥ s. simul commixtis.

Hisce remediis si uteri substantia exiccari nequit, tum suffumigiis sequentium pastillorum est utendum, quorum fumus in uterum exceptus mirificè omnem colluviem exiccat.

Pastilli pro fumo ad exsiccandum uteri ulcus. ℞. Sandalor. succini an. ℥ I. Ladani, hypocist. an. ℥ II. Thur. Mastic. Myrrhæ an. ℨ s. Auripigment. rub. ℨ III. fiat pulv. tenuiss. & cum q.s. Terpent. formentur pastilli; quorum unus aut alter carbonib. ignitis in olla injiciantur, & fumus per apicem infundibuli in uterum recipiatur. Si autem uteri exulceratio à Morbo Gallico est orta, ejus curationem infra inter cutis affectiones commemorabimus.

10. *Vteri cancer quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quæ curandi ratio?*

Cancer uteri quid. Καρκίνωμα τῆς μήτρας, est tumor livescens & aspectu teter, nucis juglandis magnitudinem nonnunquam excedens, in ipso utero vel circa uterum generatus, in quo, quia venæ circumcirca tument ac rubent vel livescunt, instar pedum in cancris fluviatilibus, nomen habet. *Ejus differentia.* Eorum quidam citra exulcerationem, alii autem cum ulcere conspiciuntur. Ulcerosus cancer ut plurimum in sinu uteri exoritur, aut in collo ejus; qui vero sine ulcere est, in labiis pudendi muliebris circa inguina excitatur.

Causa. Causa προηγουμένη est humor Melancholicus adustus & in erodentem cinerem conversus, qui & scirrhi est causa, qui processu temporis convertitur ut plurimum in cancrum. Προκαταρκτικαὶ sunt venenata aut adurentia remedia utero applicata, præsertim in curatione scirrhi uterini.

Signa cancri non ulcerati. Signa cancri cum ulcerosi tum delitescentis, si in externa uteri parte existat, manifesta sunt; visu enim tactuque deprehenditur. Tumor siquidem lividus est, rubeus aut livescentes radices ex se in adjacentes partes projiciens, inestque dolor punctivus, punctioni acuum similis. *Exulcerati signa.* Exulceratus vero cancer aspectu quidem abominabilis est, & quanquam mollis appareat, tamen tangentibus labra potissimum ejus durissima sunt & continuè lancinantibus doloribus sævit, ac semper madet virulenta sanie, instar sudoris tenuis, cujus color aut subniger, aut flavus, odor vero fœtidus est. *Interni & delitescentis.* Cancri autem in abdito loco confinibusque uteri exorti signa, non nisi conjectura, & ex sævis doloribus lancinantibus non procul intra umbilicum ac pudendum coxasque deprehenduntur.

Prognostica. Prognostica: Hippoc. 6. Aphor. Cancros occultos, id est qui in abdito loco hærent, vel qui nondum sunt exulcerati, melius est non curare. Curati enim cito pereunt, non curati vero longius perdurant.

Curatio. CURATIO. Nullus cancer penitus extirpari aut curari potest. Ne autem latius serpat, aut magis intumescat, prohiberi potest, & dolores ejus mitigare non est impossibile. *Cancer cur incurabilis.* Causæ vero cur curari nequeant, prima est, quia in principio cum nondum in justum tumorem excrevit, exiguam molestiam adfert, ideoque negligitur. Secundo, quia sola eradicatione, id est, omnium vena-

venarum tumori adjacentium & melancholico humore infarctarum exciſione & evulſione ac deinde candenti ferro vulneris inunctione curari poteſt, quos cruciatus nemo patitur. Tertio, quia levia medicamenta admota hoc malum contemnit, validioribus vero magis exacerbatur. Ut vero non in ampliorem tumorem increſcat, aut latius exulceratio ſerpat, inhiberi poteſt his mediis, victus ratione, venæ ſectione, hæmorrhoïdum apertione, menſium, ſi ſuppreſſi ſunt, provocatione, & aduſti melancholici humoris concoctione, crebraque evacuatione, & quod primum, doloris per applicationem Topicorum mitigatoriorum ſeu blandientium continua impoſitione.

Remedia cancrum mitigantia.

Diæta.

Victus ratio qualis conveniat, ſupra in cancri mammillarum curatione prodidimus. Id monuiſſe ſat ſit, vitanda eſſe omnia acria, ſalſa & melancholicum ſuccum generantia.

Vena ſectio.

Venæ ſectio, & quidem ſingulis quadrantibus anni, primum in ſplenetica ſeu interna cubiti ſiniſtri vena, deinde ſub poplite aut ſub malleolis exiſtente molienda erit. Hæmorrhoides venæ quibus remediis aperiri debeant, in ſuperioribus dictum eſt. Menſes ſuppreſſi quomodo ſint provocandi, paulo poſt in curatione ſuppreſſorum menſium docebimus. Quibus vero remediis melancholicus humor aduſtus ſit concoquendus & evacuandus, ſupra in morborum melancholicorum, & in cancri mammillarum curationibus oſtenſum eſt, quæ huc commode referri poſſunt. Verum ne quid deſiderent Tyrones, ſequens potio probè extenuat aduſtum humorem per octiduum mane ac veſperi bibita.

Vnde remedia petenda.

Digeſtivum atrabiliarii humoris.

℞. Rad. polypodii ℥ I. Ellebor. nigri, Aſari an. ℥ III. Myrabal. Indorum ʒ II. Ceterach. Epith ſcord. an. M. s. conſ. fumar. Roriſmar. an. ℥ I. Contuſa coquantur in canth. oblinito cum ſeri lactis caprini ℔. IV. per 2. horas, deinde refrigerata colentur & colato juri admiſceantur ſyr. de fumo terræ, de epithy. an. ℥ II. fiat potio, ex qua mane ac veſperi ℥ IV. calefact. exhauriantur. Abſumpta potione fiat evacuatio cum extractionis ellebori gran. VII. aut ℈ ß. in formam pill. confectis, aut pill. de lap. Laſuli ʒ I. cui admiſc. grana III. Elleb. extract. fiant pill. XV.

Evacuatio.

In Topicis remediis caveantur acria & calefacientia. Sequentia autem prohibent tumoris incrementum & ulceris dilatationem, & blandiſſimè mitigant dolores in tumore atque ulcere. Primum ulcus in abdito loco exiſtens eluatur crebro lacte muliebri tepido, & ſi vehementer dolor excruciet, in lacte muliebri, aut caprillo ebulliant, Roſar. violæ, Nymph. fol. ſolatri an. M. s. calicium hyoſchy. n. III. cap. papaveris n. II. coquantur ad tertias, & per ſyphonem utero infundantur. Aut

Topica.

Dolorem mitigantia.

Enema uterinum.

℞. Suc. plantag. ſola. ſemper vivi an. ℥ I. plumb. uſt. Antimon. an ℥ s. utrorumque exactiſſ. pulveratorum & ſepties cum aq. roſar. elotorum, qui deinde in plumbeo mortar. & cum piſtil. plumb. cum prædictis ſuccis tam diu conterantur, donec nigreſcant & incraſſeſcere incipiant, ac tandem ſi ulcus eſt occultum per ſiphonem impellantur: Si vero in loco manifeſto hæreat, linteis excepta aut tumori aut ulceri imponantur. Mitigant quoque dolorem mirificè in cancro, fol. tenera ſolani in lacte muliebri madefacta, & tumori ulcerique impoſita. Idem efficiunt inſeſſiones in tepidam aq. uſque ad umbil. in qua incocta ſunt capita papav. rad. Alth. fol. Mal. flor. roſar. & violar. an. ad placitum.

Linimentum anodynum.

Fol. ſolani.

Inſeſſus.

Tumores inungi commode poſſunt ol. violar. nymph. & roſac. an. ℥ s. ſimul mixtis, aut unguent. populino. Aut imponatur Empl. de pomphol. & è ceruſſa. Aut ℞. Ciner. cancro. fluv. cum aq. ſolani quater elot. ℥ I. Antimon. 7. cum aq. roſar. elot. ℥ s. quæ cum q. s. ſucci ſolani agitentur in plumb. mortario, donec in linimenti craſſitiem redeant, & linteolis excepta cancro imponantur. Reliqua remediorum genera ex curat.

Olea.

Emplaſtra.

Linimentum ſingulare. *Vide l. 3. ſ. 3. Q. 8.*

rat. cancri mammillarum huc transferenda sunt.

II. *Durus uteri tumor particularis quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quomodo emolliendus sanandusve?*

Scirrhosus tumor in utero. Σκίῤῥος τῆς μήτρας κατὰ μέρη. Tractabitur hoc loco non de uteri totius indurescentia, sed tantum ubi apostema durum in aliqua parte uteri excitatur. Totius enim uteri substantiæ durities ut plurimum insanabilis est. *In qua parte excitetur.* Oritur autem plerunque scirrhus vel in uteri fundo, aut in latere, aut in cervice sive osculo. Est itaque scirrhus uteri tumor durus ac renitens: Verum non ut in reliquis partibus dolore prorsus caret, sed dolet, moderatè tamen in cervice, sed vehementius in fundo; idque propter annexarum partium compressionem ac tractus.

Causæ. Causæ προηγουμέναι sunt uteri inflammatio & sanguinis melancholici aut pituitosi nondumque prorsus exusti in aliqua parte uteri collectio. Duæ enim affectiones ex melancholico & crasso humore oriuntur: Ex frigido quidem & nondum perusto scirrhus, ex adusto vero cancer. Προκαταρκτικαὶ sunt violenta percussio aut compressio uteri, & præpostera medicatio inflammationis, aut alterius apostematis uteri. *Cautela in curatione apostematũ & inflammationũm observanda.* Ubi enim uterus vel alia quælibet pars corporis inflammatione vel apostemate laborat, & indoctus Medicus pharmaca adhibet impensius vel refrigerantia & constringentia, vel nimium calefac. & exiccantia, quæ materiam in tumore collectam totam discutere aut resolvere nequeunt, sed tantum ejus subtiliores tenuioresque partes absumant, exiccent & cogant, tum materia tumoris indurescit & in scirrhum convertitur, malumque pejus redditur; id quod in curationibus inflammationum & apostemat. studiosè notandum.

Signa. Signa scirrhi seu duri tumoris uterini visu tactuque deprehendi possunt, & dolor his accedit, & tumor qui in fundo uteri hæret magis dolet & ab eo totus venter intumescit, & in omnes partes pigritiem & pedum tumorem infert. *Prognostica.* Prognostica: Scirrhi interim curatio neglecta aut perperam curata in καχεξίαν aut hydropem ægram conjicit. Scirrhus ubi exulceratur aut inflammatur, in cancrum degenerat. Scirrhi uterini in collo existentes facilius, in fundo vero difficillimè curari possunt.

Curatio. Curatio perficitur victus ratione, Venæ sectione, humoris vitiosi præparatione, subtractione, & convenientium Topicorum applicatione.

Diæta. Victus ratio instituatur temperata, & si adsit inflammatio, nonnihil refrigerans. Pruna itaque, cremor ptisanæ, ova sorbilia, caro vitulina, pullorum, piscesque saxatiles conveniunt. Potus esto tenue vinum, aut Cerevisia lupulosa & clara. Reliqua ex scirrhi Epatis & lienis curatione huc transferenda sunt. *Vide l. 5. s. 1. q. 7. & s. 2. q. 4.*

Venæ sectio. Venæ sectio, si in principio adsit simul & inflammatio, primum molienda est lienaria sinistri humeri, postea & quæ sub poplite existit. *Cucurbitulæ non adhibendæ.* Cucurbitularum ad tumorem applicatio, quam suadet Ætius, mihi non probatur. Tenuem enim materiam evocant & reliqua pars incrassatur.

Medicatio: Humor melancholicus aut crassa pituita si redundet in sanguine, primum extenuetur & concoquatur, ac deinde evacuetur supra in epatis lienisque scirrhi curatione commemoratis remediis, aut qui in præcedenti tractatione cancri uterini sunt præscripta. Aut

Digestivum. ♃. Rad. fænic. petros. asari an. ℥ s. polypod. ℥ I. Aristol. rot. ʒ III. Fumar. Scordii, Cardui Bened. an. M. s. Flor. centaur. min. æ. p. II. Epithy. ceterach. an. p. I. Agar. Troch. & in linteolo ligati ʒ II. Concisa & contusa coquantur in ℔. 4. seri lactis caprin. in duplici vase per 2. hor. dein colentur, & collato juri admisc. syr. è fumar. ℥ VI. fiat potus, cujus ℥ IV. calefact. ægra ebibat mane ac vesperi.

Purgantia. Exhausta hac potione purgetur vitiosus humor ʒ VI. aut VII. confect. hamech in aq. puleg. haustulo solutis calefactisque,

Mmm &c.

& 6. horis ante prandium ebibitis. Aut deglutiat sequentes pill.

Pill. tartareæ Querc. etiam hic utiles.

℞. Mas. pill. è fumo terræ, Aggreg. an. ℈ I. Agar. Troch. ℈ s. extract. Ell. nig. gr. III. cum aq. puleg. formentur pillulæ n. XV.

Corpore evacuato, scirrhus cum seq. remediis Topicis emolliatur ac discutiatur. Primum fomentetur tumor sequenti lavacro, in quo usque ad umbilicum insideat ægra, aut ejus liquor calidus subinde spongia exceptus Tumori imponatur: aut ex iisdem herbis conficiatur catapl. & quotidie tumori imponatur.

Topica.

Fomentatio.

Cataplasma.

℞. Rad. alth. malvæ, lilior. alb. Achanti mollis, id est Brancæ urs. an. ℥ II. Fol. Arthem. Nepetæ, flor. chamæm. Melilot. Anethi an. M. II. Sem. lini, fænugræci an. ℥ II. Grumi avenæ M. II. Contusa & concisa coquantur in q. s. aq. & fiat vel insessio vel balneum quod Græcis ἐγκάθισμα vocatur. Aut fiat fomentum ex ejus liquore, aut expressæ herbæ atque contusæ ol. chamæm. addito & ping. suilla q. s. fiat cataplasma. Post fotum balneumque semper inungatur tumor seq. liniment.

Linimentum emolliens egregium.

℞. Buty. sine sale, axung. porci. an. ℥ s. Pingued. gallin. anser. anatis, leporis an. ʒ II. ol. amygd. dulc. lilior. albor. an. ℥ I. Mucag. ex sem. fænugræci & lini cum vino confectæ ℥ s. Terebint. ℥ V. ceræ q. s. fiat linimentum.

Post inunctionem duro tumori imponatur Emplast. diachyl. vel si absit calor, Emplast. de Meliloth. aut sequens Emplastrum.

Emplastrum.

℞. Galba. Ammoniaci, oppopo. an. ℥ s. contusa macerentur cum ℥ III. vini in tepido loco, donec resolvantur, deinde per linteum exprimantur & ad pultis formam coquantur, admisceantur mucag. ex sem. althe. & fænugræci cum vino albo factæ, ac omnia probè commisceantur. Tandem

℞. Ol. lil. albor. anethi an. ʒ III. ping. anser. leporis an. ℥. s. Terpent. ceræ albæ simul ad ignem resolutæ q. s. Quæ cum infrigidari incipiunt cum præscriptis gummat. diligenter commisceantur, fiat Empl. Aut imponatur duro tumori uterino sequens cataplasma.

Cataplasma.

℞. Medul. panis silig. in decocto dactylorum ac ficuum per noctem maceratæ ℥ IIII. quæ in mortario conteratur, eisque admisc. Rad. Alth. sem. fænugræci, lini, fl. chamæm. Melilot. omnium bene pulv. an. ʒ I. quibus admisce vini albi q. s. & decoq. ad pultis formam, cui tandem admisc. Ol. Aneth. q. s. fiat cataplasma.

Pessus.

Pessus quoque ex præscriptis emollientibus Empl. si loci affecti constitutio ferat, utero inseri potest. Hisce remediis si uteri scirrhus emolliri aut resolvi nequeat, sed magis atque magis intumescat ac doleat, certum est in cancrum terminari, mortemque citam adferre.

Cura aliorum uteri apostematum unde petenda.

Præter scirrhum, & alia Apostematum genera & calida & frigida infestare solent uterum. Verum cum curationem Apostematum supra in ventric. & aliorum viscerum tumore affectorum cura tradiderim, ea huc transferri possunt.

Puris in utero collectio unde percipiatur.

Hoc loco conveniet omnibus abscessibus unum atque alterum Utero conveniens adjecisse. Quando in uteri Apost. sive tumore pus generatur, tum ægra sentit ac potiss. circa vesperam dolores punctorios, & tumorem percipit increscere: præterea supprimitur aut alvus aut vesica aut utraque: Quæ symptomata per leviores clysteres primum sunt removenda; deinde quo citius pus ad maturitatem pervenire queat, sequens catapl. Apost. imponatur.

Cataplasma maturans apostema.

℞. Pul. sem. lini, fænugræci, far. hordei, rad. alth. an. ℥ I. Ficuum coctorum & in mortario benè contritorum ℥ III. Quæ omnia simul commisceantur, & cum q. s. aq. ad pultis formam coquantur, quib. deinde admisc. Temp. ℥ II. fiat cataplasma. Aut.

℞. Ster-

℞. Stercor. columb. q. s. Mellis & ol. Aneth. an. p. æ. & q. s. ex quib. conficiatur cataplaſma lumbis & ventr. tumenti imponendum.

Ex præſcriptis quoque rebus fomentationes & inſeſſiones ſive balnea confici poſſunt.

Anodynon. Porro ſi dolor vehementius urgeat, cap. papav. in aq. concoquito & contuſa inſtar cataplaſmatis dolenti loco imponito.

Rupto apoſtemate quid agendum. Cum vero apoſtema rumpitur, & pus ad veſicam profluit, quod plerumque contingit, aut ſero lactis capr. aut lacte ex ſem. 4. frigidis major. præſertim ſi adſit inflammatio, cum q. s. aq. Alkakeng. facto, in potu utendum eſt, & ſinus uteri decocto lentium ſubinde eluendus, oleoque roſaceo inungendus.

12. *Anguſtia ſive occluſio uteri quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quomodo aperienda?*

Anguſtia matricis. Φίμωσις τῆς μήτρας, connaſcentia uteri eſt, ubi os uteri ita eſt coarctatum, ut pudendum virile inſeri nequeat, & mulier plane ſit ad conjugium inepta.

Cauſa. Cauſæ προηγουμέναι ſunt aut callus & durities ex inflammatione aut tumoris mala curatione in utero relictus, aut à nativitate inſita anguſtia, aut caruncula membranaque ante oſtium uteri pronata. Cauſæ προκαταρκτικαὶ ſunt violenta contuſio aut vulneratio.

Signa. Signa ſunt ipſis maritis nota, & ex fæmellarum querelis dignoſcuntur. *Prognoſtica.* Prognoſt. Si ſemen per anguſtiſſimum orificium uteri illabatur, gravida quidem fit mulier, ſed quia fætus exire non poteſt, mortem adfert præſentiſſimam parturienti.

Curatio. Curatio conſiſtit in mollificatione & dilatatione anguſtiæ foraminis, & in ſectione carnis aut membranæ in utero genitæ.

Si ex callo oriatur. Si itaque anguſtia uteri contingat ex callo aut induratione, tum inſeſſiones ſeu balnea ex ſeq. herb. confici poterunt.

Inſeſſus emolliens. ℞. Herb. malv. althææ, Mercur. puleg. an. M. III. Rad. Alth. Malv. an. ℥ IV. Flo. chamæmeli, Meliloti, Anethi an. M. III. ſem. lini, fænugræci an. ℔. s. Contundendis contuſis & concidendis conciſis in q. s. aq. coquantur donec aq. mucaginoſa reddatur, ex quibus fiat inſeſſio ſive balneum, in quo ſedeat ægra uſque ad umbilicum per unam aut ſeſquihoram. Hæc decoctio quater aut quinquies recalefieri cum eisdem herbis poteſt, & commodè uſurpari.

Fomentatio. Ex iiſdem herbis commodè & fomentationes & vapores fieri poſſunt, quarum vapor per canalem operculo ollæ inſertum in uterum excipi poteſt; aut idem liquor tepidus per ſiphonem inſtar Enematis utero infundi poterit. Poſt fomentationem inungatur adhuc uterus ſeq. linimento.

Linimentum. ℞. Ol. lil. albor. Aneth. an. ʒ II. Adipis anſer. Urſin. an. ʒ I. terp. ʒ s. Mucag. ex ſem. lini, fænugræci cum vino confect. ʒ III. ceræ q. s. fiat linimentum. Aut

℞. Mucag. ex ſem. fænugræci cum vino factæ, ſtyra. liqui. an. ℥ I. Gum. Ammon. Myrrhæ an. ℥ s. quæ gummata in vino diſſolvantur & per linteum tranſprimantur, reliquiſque admiſceantur, quibus adde ol. Irini ʒ VI. ceræ q. s. fiat linimentum.

Peſſus. Poſt inunctionem formetur peſſus pro menſura foraminis uteri ex empl. diachylo vocato, cui filum appendatur, & ſindone involvatur, ol. lilior. alb. inungatur & calloſo utero inſeratur.

Naturalis anguſtia ut corrigenda. Ubi vero nulla in utero durities aut ſcirrhus adeſt, ſed naturalis eſt à prima nativitate ſimul connata foraminis uterini anguſtia, dilatetur hoc modo. Primum in præſcripta inſeſſione ſedeat ægra, deinde formetur ex arida ſpongia vel ſubere peſſus, cui filum alligetur, & arctè in anguſtiam uteri intrudatur, & quotidie talis ſpongia renovetur, & major majorque efficiatur ex ea peſſus. *Peſſus uterum dilatans.* Aut paretur peſſus ex rad. craſſiore Gentianæ, qui cum filo appenſo quotidie utero inſeratur. Sed omnium efficaciſſ. eſt remedium in dilatatione uteri mari-

 ti

ti opera, si crebro & tamen cum ratione concumbat cum conjuge.

Occlusio uteri a pellicula vel caruncula.

Porro si uteri foramen omnino est occlusum, aut propter pelliculam aut carunculam ori uterino pronatam, (*hunc affectum Arabes Abraticam seu clausuram vocitant, & hoc malo affectæ ἀτρήται, id est imperforatæ dicuntur*) tum chirurgica industria est utendum, & novacula aut specillo, aut alio convenienti instrumento ad naturalem dimensionem est incidenda, aut prorsus caruncula præcidenda; id enim sine metu periculi à perito artifice perfici potest. Incisa pellicula, aut præcisa caruncula, sanguis ex vulnere manans totus profluere permittatur, spongiaque in vino tepido madefacta abstergatur atque eluatur. Deinde vulneri linimenta, unguen. aut ol. rosar. cum vino mixto & calefacto imbuta imponantur, eisque vulnus repleatur, & si natura patitur loci, empl. vulnerarium imponatur, decenterque obligetur, donec vulnus consolidetur, semper diligenter prospiciendo ne foramen sectum rursum connascatur. Id quod præcaveri facile potest, si fistula aut canalis ex stanno paratus, foramini inseratur, aut radix, ut diximus, Gentianæ.

Vide Paræum l. 23. chirurg. c. 42. & 43. Item Roderic. à Castro de morbis mulierum l. 2. c. 18. ubi de operatione hac chirurgica pluribus agitur.

Ubi renascitur, quid agendum.

Ubi vero caro aut membrana incisa recrescere conspicitur, imponatur Ung. Apostol. vocatum, aut inspergatur pulvis ex ʒ I. Alumin. usti, ærug. & thuris an. ʒ s. concinnatus. *Interdum autem caro hæc, quam Nymphæam Rod. à Castro vocat, non solum renascitur, sed in tantam excrescit molem, ut non tantum orificium matricis occludat, sed etiam progredi fœminas nullo modo patiatur, sicuti in fœmina quadam Holsatica, Anno 1607. observavi: quæ massa licet bis per Chirurgum sectione auferretur, tamen renascebatur, & quidem adeo excrescebat, ut miserè contabescens reliquo corpore fœmina, tandem in vivis esse desineret.*

13. *Scissuræ seu rimæ uteri & Condylomata id est carnei tumusculi uteri quid sunt, quæ eorum causæ, quæ signa, & qua ratione curanda?*

Scissuræ uteri quid.

Ῥαγάδες τῆς μήτρας, sunt oblongæ rimæ laceratæ in membranulis orificii uteri. Condylomata verò sunt tubercula instar verrucarum in orificio uteri genita. Raro autem rimæ sine condylomatis, vel condylomata sine scissuris existunt. Fiunt autem rimæ non tantum in uteri osculo, sed in aliis plerisque partibus, quæ tenui membrana sunt vestitæ, veluti sunt labra, papillæ mammarum, anus & glans pudendi virilis: ita & in labiis vulvæ oriuntur, de quibus hoc loco nobis sermo erit. Quæ enim scissuræ in manuum ac pedum plantis oboriuntur, hæ validiores habent causas, quarum curationem inter affectiones cutis describturi sumus.

Quæ partes huic malo obnoxiæ.

Causæ.

Causæ προηγουμέναι tum rimarum tum condylom. sunt acres salsique & ignei humores ad vulvam confluentes, siccitas membranæ uterum vestientes, aut violentus partus ob magnum caput fœtus. Προκαταρκτικαὶ sunt, concubitus cum morbo Gallico conflictantibus viris, & pharmaca acria vehementerque exiccantia in utero diutius retenta.

Signa.

Signa & scissurarum & condylom. sunt manifesta. Dolor enim acris, si locus affectus palpetur, aut in ipsa Venerea actione percipitur, & dilatatis ab obstetricibus labris uteri rimæ aut verrucæ per ambitum vulvæ visu deprehenduntur.

Curatio.

Curatio in victus ratione, venæ sectione, & acrium humorum subductione, & Topicorum remediorum adhibitione consistit.

Diæta.

In victus ratione vitentur omnia acria & salsa, cremor ptisanæ & pruna sunt aptissima fercula.

Venæ sectio.

Venæ sectio, si corpus est plethoricum, fiat primum ex Epatica dextri humeri, deinde & sub poplite.

Salsa pituita acresque humores & adusti subducantur seq. haustulo singulis mensibus epoto.

Evacuatio.

℞. Conf. hamech ℥ s. diacatho. ʒ III. elect. rosar. ʒ I. cum haustulo aq. puleg. resoluta & calefacta ebibatur 6. horis ante prandium.

Aut purgentur humores aliis convenientibus singulis vitiosis humoribus dicatis remediis,

mediis, quæ supra in tabellis nostris sunt præscripta.

Porro ubi simul & condylomata & ῥαγάδες sunt conjunctæ, primum condylomata sunt auferenda, ac deinde rimæ curandæ. Possunt autem tubercula, si majuscula sint, & conspectui evidentia, novacula abscindi, ex quibus deinde sanguis omnis virulentus exprimendus est, vinoque tepido vulnus eluendum & chirurgico artificio consolidandum. *Tubercula exscindenda.*

Aut possunt quælibet condylomata, sicuti & verrucæ, filo interligari & intercipi, ut eorum alimentum intercipiatur, quo destituta brevi spacio decidunt & exarescunt. Minora autem tubercula & pustulis similia seq. Topicis auferri possunt, ut: Inungantur ung. Ægypt. aut Apost. vel illiniantur paucæ gutt. ol. vitriol. & si natura loci patitur, imponatur eis emplastrum Diachylon, vel inspergatur seq. pulvis. *Pustulæ minores ut auferendæ.*

Pulvis. ♃. Fol. sabin. ʒ I. rad. hermodactyl. ustorum ʒ s. alum. usti ℈ I. Auripig. rub. ℈ II. Mercur. præcip. ℈ IIII. misc. fiat tenuiss. pulvis. Aut illiniatur sequens liquor. ♃. Aq. plantag. rosat. an. ℥ I. in quibus resolvantur Mercur. sublim. cerussæ an. ʒ s.

Sublatis condylomatis, scissuræ seq. Topicis curari possunt. Crebro insideat ægra usque ad umbilicum balneo dulcis aquæ in qua decocta sint malv. cum rad. alth. cum rad. sem. lini, fænugræci an. q. s. Tandem post balneum fiat fomentatio cum vapore vini rubei per candens excremento ferri in ollam positum vino inspersо, & vapore excitato, quæ fomentatio debet fieri per I. horam. Deinde formetur pessus ex linteo, qui sequenti unguento imbuatur, ut utero rimoso scissove inseratur. *Scissuræ remedia. Insessus. Fomentatio.*

Linimentum. ♃. Antimon. plumbi usti, pompholig. an. ʒ II. quæ tenuiss. pulverata cum aq. rosar. quater eluantur eisque admisce Acatiæ, sanguin. draconis an. ʒ I. Thur. Mastic. Myrrhæ an. ʒ s. Alumin. Opii an. ℈ I. conterantur omnia cum vino rubeo, & in linimenti formam reducantur. Aut

Aliud. ♃. Litharg. plumbi usti, cerussæ an. ℥ s. stibii, pomphol. an. ʒ III. cadmiæ ʒ II. hæc omnia cum aq. veronicæ tenuiss. pulverisata conterantur, ac rursum exiccata denuo in pul. redigantur, & cum q. s. ol. rosar. commisc. fiat liniment. quod pesso exceptum inferatur. Aut

♃. Ol. Myrtil. rosar. an. ℥ I. suc. plantag. consol. maj. an. ℥ II. commisc. ac decoq. ad succi evaporationem, cui tandem addatur ceræ albæ q. s. fiat linimentum, cui admisc. plumbi usti, Antimonii probè pulverat. & cum aq. rosar. elotorum ℥ s. fiat unguentum. Reliqua curandi ratio cum condylomatum tum Rhagadarum ex curatione affectionum ani huc accommodari potest.

14. *Pruritus uteri quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo sistendus?*

Κνησμὸς τῆς μήτρας est affectio non dissimilis satyriasi in pudendis viri, nisi quod in satyriasi nullum adest Veneris desiderium: in prurigine vero uteri ex pruritu & confricatione pudendi excitatur insatiabilis libido, quæ tamen ex concubitu & consuetudine virorum minimè levatur, sed magis magisque excitatur, eam ob causam, quia semen excerni nequit, propter vasorum infarctionem atque tumescentiam; & in Venerea consuetudine nihil agitur aliud, quam quod major copia humoris titillantis attrahatur. *Pruritus uteri qualis affectus.*

Causæ προηγουμέναι sunt acres, salsi aut adusti humores, & ferventes spiritus ad uterum defluentes, & pustulæ ex iisdem causis in utero exortæ. Causæ προκαταρκτικαὶ sunt pessi & acria erodentia pharmaca diutius in utero retenta, & continua confricatio titillatioque pudendi cum Venerea imaginatione. *Causæ.*

Signa ex querela patientis cognoscit maritus, & ægra semper admotas habet ma- *Signa.*

 nus.

nus pudendo, & ſalaciſſima eſt, coëundique deſiderio contabeſcit, & tamen nunquam ſaturatur Venere. Signa vero humoris pruritum excitantis cognoſci poſſunt ex habitu coloreque corporis & menſtrui ſanguinis colore linteo excepti & exiccati: Albus enim & calcis color ſalſam & nitroſam pituitam, flavus retorridam bilem, niger aduſtam melancholiam pruritus cauſam eſſe oſtendit.

Curatio. Curatio perficitur victus ratione, venæ ſectione, vitioſorum humorum remotione, localiumque pharmacorum applicatione.

Diæta. Victus ratio debet eſſe tenuis & parca, refrigerans atque humectans; tales ſunt cremor ptiſanæ, pruna, lactuc. portulaca, piſces ſaxatiles & ſimilia: Potus ſit aq. hordei, cum uvis paſſis & pauco cinamom. cocta, quam præſtat calidam bibere: aut bibat lac ex amygd. & 4. ſem. frig. cum aq. plantag. confectum. Vinum autem & omnia ſalſa, acria & calefacientia vitentur ſedulo.

Venæ ſectio. Vena, ſi corpus eſt plethoricum, ſecetur primum hepatica dextri humeri, deinde & ea, quæ ſub poplite habetur. Poſt venæ ſectionem & cucurbitulæ cum ſcarificatione circa inguina & lumbos commodè applicari poſſunt.

Evacuantia. Vitioſus humor pruritum excitans, qualiſcunque is ſit, ſuæ naturæ convenientibus remediis, quæ ſupra toties in tabellis medicamentorum, & in curationibus morborum ex certis vitioſis humoribus ortorum commemorata ſunt, primum præparari extenuarique, deinde & expurgari poteſt. Ne quid autem deſideretur, pituitam ſalſam concoquit & temperat ſerum lactis caprini, in quo concocta ſunt centaur. min. hyſop. puleg. & Mel. rad. Aſari, & ſimiles, ſi ejus ℥ IIII. mane ac veſperi per 4. aut plures dies ebibantur. *Digeſtivum ſalſæ pituitæ.* Eandem pituitam poſtea probe expurgat hauſtulus ex ʒ IX. diaphæn. & ℥ IIII. aq. centaur. minor. confectus, & mane calidus ebibitus. *Phlegmagogum.*

Bilem flavam retorridam contemperat & ad eductionem præparat potio ex decocto radic. glycyr. cichor tamarind. & capill. Ven. hisque ſimilibus artificiosè confecta, ſi ejus ſumantur ℥ III. eisque admiſc. ℥ I. ſyr. roſar. aut violar. & mane ac veſperi per tres quatuorve dies tepidè ebibatur. *Bilem præparans decoctum.* Leniter autem expurgat hanc ipſam bilem el. roſar. ſol. Meſ. ℥ ſ. cum hauſtul. aq. cichor. mixtum & calefactum, exhauſtumque. *Cholagogum.*

Melancholicus humor aduſtus concoquitur, & habilis ad eductionem efficitur decocto polypod. ceterach. veratri nigri præparat. & fumar. cujus decocti ℥ IIII. admiſc. ſyr. de epithym. ℥ I. & per quinque dies mane ac veſperi ebibatur. *Melancholic. ſuccum præparans.*

Poſtea ℞. Diacath. confect. Hamech, Elect. ſenæ an. ʒ II. Aq. fumar. ℥ III. miſce, fiat potio. *Melanagogum.*

Vitioſo humore pruritum excitante expurgato, ſalutare eſt ſingulis diebus exhibere ʒ I. rad. nymph. cum aq. roſar. ℥ II. aut ſuc. fol. ſalicis ℥ II. cum ſyr. violar. mixtum. *Rad. nymphaa.*

Topica. Deinde procedatur ad Topica: ac primum, caput quotidie perfundatur aqua roſac. cum pauco aceto roſa. mixta. Prodeſt autem uterum quotidie eluere aq. quæ effluxit ex inciſis palmitibus vitis. *Aqua vitis.* Lumbi vero & loca circa pudenda inungantur indies ung. popul. cui parum acet. roſar. & nonnihil camphoræ ſit admixtum. Avicenna vehementer laudat vinum in quo decocta ſunt fol. mentæ, fol. roſ. & cort. malorum granatorum ac lentes excorticatæ, ſi eo pruriginoſus uterus fomentetur laveturque. *Pruritum ſedantia epithemata.* Aut prurienti loco imponatur ſuc. ſolani, portul. lactu. & fol. ſalicis an. ℥ III. quibus admixta ſunt granat. quinque camphoræ.

Reliqua remediorum genera in curatione priapiſmi ſupra tradita, & in curatione inflammationis uteri, commemorata ſunt.

SE-

SECTIO II.

DE AFFECTIBUS QUÆ CIRCA UTERI PURGATIONEM CONTINGUNT.

1. *Menses muliebres quid, & quæ circa menses consideranda?*

Miseria fœminei sexus.

MIserum fragileque genus fœmineum, ut corpora habet virorum longe frigidiora, ita & imbecilliora, & vitiosis humoribus excrementisque magis referta, qui vitiosi humores nisi singulis mensibus à natura, à Deo opifice corporibus indita, evacuarentur, necesse foret fœmellas perpetuis morbis conflictari. Horum vitiosorum humorum receptaculum est uterus, in quem tanquam in sentinam totius corporis impuritas confluit, & per lunæ periodos stataque tempora excernitur, ex cujus humoris constitutione ac colore redundans in corpore humor certius, quam ex urinæ inspectione dignoscitur. Sanguine enim menstruo linteolus tinctus & exiccatus si sit floridus, bonam intemperiem & corporis salubritatem sanguineæque massæ puritatem; si albidior pituitæ; si flavidior aut citrinus, bilem flavam; si niger aut lividus, melanchol. hum. in corpore muliebri, redundare significat. Hujus sanguinis ex utero profluvium Græci ἐμμήνια, Latini menses, menstrua, & menstruum sanguinem, nostrates autem mulierculæ honestiore ac verecundiori Vocabulo per metaphor. flores ac rosas muliebres **die frewliche Blumen / Rosen oder frewliche Zeit** nominant. Menses autem duplici ratione profluere solent, secundum naturam, & præter naturam. Secundum naturam se habens mensium profluvium est causa valetudinis & fæcunditatis. Impossibile est enim sine naturali sanguinis menstrui excretione mulierculas aut bene valere, aut conceptioni idoneas esse. Præternaturale menstrui sanguinis profluvium est, ubi vel ejus copia seu quantitas excedit; aut qualitas ejus vitiosa est; aut ubi intempestive, & non ad periodos Lunæ profluit; aut ubi prorsus supprimitur ex causis morbificis, quæ multorum symptomat. gravissimorum est causa.

Vterus receptaculum impuritatis corporis.

Sanguis menstruus humoris redundantis indicium præbet.

Menses quid.

Eorum differentia.

Menstruæ purgationis vitia.

Circa menstrui sanguinis effusionem octo sunt consideranda.

Circa menstruæ purgationem consideranda.

I. Menses in salubribus & bene temperatis corporibus virginum fluere incipiunt in hisce borealibus regionibus ut plurimum circa annum ætatis 16. & fluere desinunt anno ætatis 50. Verum hæc regula sæpe fallit. Nam pro ratione temperamenti victus & vitæ genere, aliis citius, aliis tardius fluere incipiunt & desinunt.

1. Tempus quo incipiunt & desinunt menses.

II. Virginibus quibus menses primum erumpunt, paulo ante ubera intumescunt, & papillæ pruriunt, capiteque dolent, & tunc primum aptæ sunt conjugio, & nunquam sine sanitatis dispendio ante mensium cursum concipiunt. Nam veluti arbores non ferunt fructum, nisi primum producant flores, ita nec virgines ante mensium profluvium concipere possunt, & omnium convenientissimum est conceptionis tempus post purgatos menses.

2. Signa primam eruptionem præcedentia.

Virgines quando nubiles.

III. In salubribus corporibus, (*viraginibus exceptis, & illis quæ calidioris naturæ sunt, vel duris exercentur laboribus*) singulis mensibus profluunt menses, nisi tempore gestationis in utero & lactationis. Tum enim sanguis menstruus in alimentum fætus cedit.

3. Quando naturaliter fluant & cessent.

IV. Profluvium sanguinis menstrui perdurat ut plurimum ad sex septemve dies. Interim Deus & Natura prohibet complexum muliebrem. Sicuti videre est *Levitici c.* 18. *v.* 19. *Ad mulierem quæ patitur menstrua non accedes, nec revelabis fæditatem ejus. Ibid. c.* 20. *v.* 18. *Qui coierit, ait lex, cum muliere in fluxu menstruo, & revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui.* Verum hæc regula variatur pro temperamenti ratione, aliis vix per 3. dies durat, aliis ad 8. usque diem extenditur profluvium.

4. Tempus durationis purgationis menstruæ.

V. Regulare est virginibus & juvenculis in prima quadratura, mediæ ætatis muliercu-

5. Quo mensis

tempore cuique fluant. lierculis circa oppositionem vel plenilunium; provectioris ætatis, in ultima quadratura ut plurimum menses profluere.

6. Mensura seu quantitas. VI. Mensura quoque menstrui sanguinis profluentis non est in omnibus æqualis. Sed pro temperamenti ratione in aliis plus, in aliis minus excernitur: Sed tamen ut plurimum capacitatem testæ ovi anserini complet.

7. Quis sanguinis menstrui usus. VII. Usus menstrui sanguinis in utero adhuc existentis est, ut fit unà cum semine parentum, materia partium fœtus. Nam tempore gestationis in utero, ejus benignior pars cedit in alimentum fœtus, impurior autem ejus pars digeritur in totum corpus, & vel absumitur à calore nativo, vel per urinam excernitur.

8. An venenata qualitate sit imbutus. VIII. Plinius lib. 7. cap. 15. Nihil magis monstrificum sanguine menstruo esse scribit, ejus enim attactu dicit vina acescere, fruges sterilescere, hortorum gramina & plantas exuri, ferrique aciem hebetari asserit, & mulierculas fluore mensium laborantes solo intuitu tersis speculis cruentas maculas inducere dicit. *Plinii locus ut intelligendus.* Quæ Plinii sententia simpliciter vera non est. Si enim tam horrendum esset venenum, eo sine pernicie fœtus in utero ali non posset. Eatenus itaque vera est sententia, ubi menses in utero detenti putrescunt, & vitiosis venenatisque humoribus commiscentur. In sanis autem corporibus fæmellarum nihil tale deprehenditur. *Quoniam verò plerumque corpora earum impura sunt, sæpè fit, ut superventu earum salsamenta, vina, & condita corrumpantur & putrescant, uti experientia testatur.*

2. *Præternaturalis & immoderata Menstrui sanguinis profusio quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quomodo supprimenda?*

Præternaturalis sanguinis menstrui evacuatio quæ. Ἄμετρος αἱμοῤῥοΐς, sive ὑπερκάθαρσις τῆς μήτρας, præternaturalis Matricis evacuatio est, ubi præter consuetam mensuram aut copiosius aut præter consuetum tempus diutius crebriusque & intempestivus sanguis menstruus ex utero profluit cum variis symptomatibus.

Causæ immoderati mensium fluoris προηγμέναι sunt corporis plenitudo, nimia incalescentia uteri, aperiens cotyledones, & orificia venarum in uteri capacitatem desinentium. Item sanguinis tenuitas & acrimonia venas erodens, qualis est sanguis aut bile aut seroso humore aut salsa pituita mixtus, ruptio venarum in utero existentium, quæ contingit ex casu, percussione vel aliis causis externis. Causæ procatarcticæ immoderati fluoris sunt cibi & potiones & balnea impensius calefacientia, sanguinemque extenuantia pharmaca venas erodentia utero inserta diutiusque in eo retenta. *Animi item consternatio & nimia iracundia.* Ruptionis venarum in utero causæ externæ sunt, vehemens frigus, aut violentus corporis motus. *Causæ.*

Signa immoderati fluoris mensium ex querelis muliercularum, & fœdo corporis colore, pedumque intumescentia & virium appetitionisque prostratione deprehendi potest. *Signa.* Causarum vero signa sunt: *Diversarum causarum indicia.* Si venarum orificia in utero hient, tum sanguis non affatim profluit, sed tantum continuè extillat, & æstus ingens in utero præsentiscitur. Si erosæ sunt venæ, ostendit biliosa constitutio corporis, & flavus faciei color tenuitasque excreti sanguinis, & dolor acris in excretione sanguinis. Si salsa pituita sit causa erosionis, sanguis profluens pallidior est, & dolorem non adeo acrem infert. Si ruptæ sunt venæ uteri, sanguis confertim & copiosè erumpit.

Prognostica: Nisi tempestivè immoderato fluori menstrui sanguinis succurratur, uti reliqua sanguinis undequaque nimia profusio, ita & immoderati menses in hydropem tandem conjiciunt, & crebra animi deliquia inferunt. *Prognostica.*

Curatio immoderati profluvii sanguinis menstrui dirigenda est pro causarum diversitate, & quidem perficitur venæ sectione, victus ratione, & medicamentorum convenientium usurpatione. *Curatio.*

Venæ sectio in calidis causis & corporibus plethoricis multoque sanguine refertis locum habet: In aliis corporibus non item. *Venæ sectioni quando locus.*

Vena

Vena itaque epatica vocata in dextro humero averſionis ſive revulſionis cauſa incidenda erit, & pro una vice non multum ſanguinis detrahendum, ſed alternis diebus ſectio reiteranda. Poſt venæ ſectionem, aut ubi locum non habet venæ ſectio, ejus vice plurimum prodeſt ſub utriſque mammis cucurbitulas apponere, & utrumque humerum dolorifica ligatione conſtringere.

Revulſio per cucurbitulas & ligaturas.

Diæta.

Victus ratio convenit refrigerans & exſiccans. Exhibendus itaque eſt panis bis coctus, ova dura in aceto macerata, oryza cum lacte chalybeato cocta, pyra cocta & aſſa, carnes avium ſylveſtr. cervina, leporina, eaque omnia aſſa magis quam elixa conveniunt. Item pulmenta ex amylo, & lac amygd. Omnia autem alimenta coqui debent cum aq. chalybeata. Potus eſto cereviſia clara, in qua macerata ſunt lamina panis toſti cum nuce moſcata confricata, aut aq. hordei in qua candens ferrum eſt extinctum, aut in qua rad. Tormentill. & Balauſt. & paucum cinamom. eſt decoctum. Prodeſt quoque, & vice medicamenti erit, ſi mulierculæ menſtruo præternaturali affectæ, quotidie jejuno ventric. aſſumant panem ſiligineum recens piſtum, & in minutas partes conciſum atque in butyro probè frixum (**geſkrintelt oder geröſtet Warm bier**) ſi primum ejus mediam partem ſine liquore edant, & alteri parti cereviſiam adfundant & calefactum eſitent.

Hæc omnia poſt evacuationem humoru morbifici conveniunt.

Remedia.

Quod ad medicationem attinet, in tota curatione eſt cavendum ne alvus ſit obſtipata, quod ſi contingat, leni clyſtere, aut ſuppoſitoriis ſubducenda erunt excrementa: Deinde ſedulo conſiderandum eſt, qui vitioſi humores in corpore redundent, id quod tum ex urina tum ex totius corporis habitu ac colore, omnium vero maximè ex colore menſtrui profuſi linteo excepti & ſiccati deprehendere licet. Si enim pallidior & albus color appareat, pituita; ſi flavior bilem flavam; ſi niger aut lividus melanch. hum. redundare in maſſa ſanguinea oſtendit.

Evacuantia.

Indicia humoris peccantis.

Purgantia.

Primum itaque vitioſus humor præparetur & ad evacuationem habilis reddatur, deinde leniter & per vices convenientibus remediis ſupra commemoratis, ut pituita, liquore in quo maceratus eſt agaricus, addita diaphæn. q. s. Bilis flava cum liquore in quo maceratum eſt Rhab. addita q. s. ſyr. roſ. ſolut. Melancholic. humor cum diacatholicæ ſufficienti q. ſubducatur.

Purgatione peracta, propinanda ſunt hujuſmodi remedia, quæ ſanguinem infrigidare ac condenſare, & venas conſtringere fluxionemque cohibere queant, ut ſunt hæc ſequent. ad cohibitionem fluoris menſium multiplici experientia comprobata.

Adſtringentia & fluxum ſupprimentia.

℞. Suc. plantaginis polygoni defecatorum, Burſæ paſtor. an. ℔. ß, in quibus ebulliant Acatiæ conciſæ & Balauſt. an. ʒ II. colentur, & fiat potio, cujus ℥ IIII. mane ac veſperi ebibendæ præbeantur. Magis aſtringit fluoremque menſium cohibet, ſi huic hauſtulo admiſc. ʒ I. pul. Trochiſc. è carabe, aut ʒ I. Troch. è terra ſigill. aut è ſpodio, aut ʒ I. corall. rub. præparatorum. Plurimum quoque à veteribus in ſiſtendis menſibus celebratur ʒ II. elect. Micletæ, aut Athanaſii, ſi cum hauſtul. vini rub. in quo candens ferrum eſt extinctum, exhibeatur, aut ℈ I. Electuar. philonii Perſici.

Decoctum.

Veterum remedia.

Potentiſſimè quoque ſanguinis menſtrui fluorem ſiſtit ſequens potio, ſi ejus ℥ IIII. mane ac veſperi exhibeantur.

℞. Croci Martis, id eſt ferri concremati & in crocei coloris pulviſculum converſi, aut ſcoriæ ferri concremati, & ſæpiuſculè in aceto extincti, lapid. hæmat. an. ʒ II. fiat pulv. tenuiſſ. & commiſc. cum ſyr. è cyton. & papav. an. ℥ I. eiſque admiſce ſuc. polygoni defecati ℥ III. fiat hauſtulus, qui, ut diximus, mane ac veſperi reiteretur. Aut

Potio validiſſ. fluorem ſiſtens.

Chymici hujus loco eſſentia croci ♂ & tinctura corallorum utuntur.

℞. Sang. Dracon. Boli Armen. ſuccini citr. corall. rub. præp. an. ℥ II. corn. cervi uſti & præparati, ſpicæ indicæ an. ℈ I.

Pulvis.

Huic ſimilis & ma-

foris efficacia est pulvis dysentericus Crollii. an. ℈ I. fiat pulv. tenuiss. & pro vice una ʒ I. cum ℥ III. suc. polyg. calida exhibeatur, indiesque bis reiteretur. Aut

Potio alia. ♃. Rad. symphyti ℥ I. Balaust. Acatiæ concisæ an. ℥ s. coquantur in vini rub. astringentis ℔. II. ad med. colentur, & ejus ℥ IIII. mane ac vesperi tepidæ exhibeantur. Aut

Massa. ♃. Coaguli hæd. aut leporis cui admisc. coral. rub. præp. Gummi Arabici torrefacti & probe pulverisati, sang. Dracon. an. ℈ I. Thuris ʒ s. fiat massula, cujus ʒ I. resolvatur in ℥ III. suc. rad. symph. depurati, fiat haustus, qui mane ac vesperi reiteretur, donec subsistant menses. Aut

Pulvis. ♃. Semen poeon. testarum ovorum ustulatarum, sulph. citr. an. ʒ II. fiat pulv. ten. cujus ʒ I. cum vino chalybeato aut suc. polyg. ℥ III. tepefactis exhibeatur. Aut

Electuarium constipans. ♃. Rad. virid. symph. maj. plantag. an. M. I. quæ minutim incisa coq. in aquæ chalybeatæ q. s. ad molliciem, deinde adfusa aq. rad. probè contundantur, & per cribrum transigantur instar pultis, cujus accipe ℥ VI. quibus admisce sacch. albi in q. s. succi corrigiolæ soluti ℥ IIII. concoque simul ad lentum ignem, donec elect. formam consequatur, cui admisc. pul. sang. Dracon. Tragacanti, Acatiæ an. ʒ I. s. succini flavi, cornu cervi usti ac præpar. coral. rub. præpar. lap. hæmat. an. ʒ I. commisc. fiat elect. cujus ℥ s. mane ac vesperi devoretur, aut cum vino rub. chalybeato ebibatur. Aut

Electuarium aliud. ♃. Conf. rof. antiq. pluriumque annorum ℥ II. pul. rad. symph. corall. rub. præpar. an. ʒ II. Troch. è succino ʒ I. commisc. & cum q. s. syrup. è papav. fiat elect. de quo assumat ægra mane ac vesperi semijugl. q. Aut

Pulveres adstringentes varii. ♃. Spongiæ probè elotæ, deindeque in cinerem exustæ, ac rursum in aq. rosarum elotæ ʒ III. cor. cervi usti ac præp. cortic. granat. an. ʒ I. coral. rub. præp. ʒ s. misc. fiat pul. de quo mane ac vesperi ʒ I. exhib. cum suc. polyg. aut vino rubeo chalyb. Aut ♃. Thur. mastich. nucum cupr. rad. bistortæ an. ℈ II. fiat pulv. ten. cujus ℈ ovo sorbili admisc. ac edatur. Aut ♃. Pellicul. rubearum immediate nucleos nucis avellaneæ tegentium ℥ s. exiccatæ redigantur in tenuiss. pul. cujus ʒ I. cum vino chalyb. exhibeatur.

Topica. Porro inter Topica remedia foris applicanda, conveniunt balnea sive insessiones, Epithemata, unguenta, catapl. Emplastr. pessi. Balneum hac ratione præparari potest.

Insessius. ♃. Polygoni, lysimachiæ sive salicariæ utriusque an. M. IIII. veron. stæchad. purpur. fol. querci, fol. prunellæ sylv. fol. pyri sylv. an. M. III. Rad. symph. Bistortæ sive Tormentill. cortic. radic. prunellorum an. M. I. glandium & fabarum an. M. III. Concidenda concidantur & contundenda contundantur ac coquantur in q. s. aq. cujus tanta debet esse copia, ut ægra usque ad umbilicum insidere queat. Postea in ea aqua exting. ferri excrem. candens & fiat balneum, cui insideat ægra per unam aut sesquihoram, & sæpius reiteretur. Eadem aqua calefiat cum candentibus excrementis ferri.

Thermæ hic conducentes. Plurimum quoque conferunt ad sistendum menstruum profluvium thermæ aluminosæ & sulphureæ, quales habentur prope vallem Joachimicam.

Fomentatio. Aut loco balnei non incommodè ad restringendum menstruum profluvium uti possumus fomentatione cum iisdem rebus in balneo commemoratis, si in minori aq. in olla majuscula cum vino rub. concoq. & ferventis ejus vini vapor ex olla cum infundibulo obtecta in uterum recipiatur, muliercula undique bene obtecta. Quin solo *Experimentum simplex.* vapore vini rubei in candens excrementum ferri vino cum spongia inspersso vaporeque per horam in uterum excepto quaſ-

dam

dam miseras mulierculas profluvio mensium laborantes feliciter curavimus.

Suffumigium. Eadem ratione & suffumigationes uteri fluorem sistere possunt, quales sunt ℞. Colophon. ℥ I. Eboris usti sive spodii, cor. cervi usti, sem. papav. nigri an. ℥ s. quæ crassiusculè contusa commisceantur, & spacio unius horæ carbonibus ignitis, in olla quæ pudendo muliercularum subjecta, subinde inspergantur, & fumus per infundibulum in uterum recipiatur: Mirificè quoque retrahendo sistit fluorem mensium, si acetum vini calefactum duplicatis linteolis exceptum, mammis subinde imponatur, aut eisdem sequens cataplasma imponatur. ℞ Chelidon. major. cum rad. ad placitum, quod cum pauxillo aceto vini contundatur, & instar cataplasmatis mammis imponatur.

Revulsorium epithema pro mammillis.

Præstiterit quoque imum ventrem circa pudenda & lumbos quotidie bis inungere unguento comitissæ, aut sequ. unguento.

Unguentum pro ventre & lumbis. ℞. Ol. myrtill. à mastice an. ℥ I. suc. corrig. suc. rad. consolidæ maj. suc. plantag. an. ℥ I. s. Gallarum & sumach crassiusculè contusar. an. ℥ s. commisc. ac coquantur ad suc. absumptionem, colentur, & colato oleo addatur ceræ ℥ s. & reducatur in formam linimenti, cui admisc. tenuiss. pulv. Mast. Acat. Hypocyst. an. ʒ I. Troch. è terra sigill. è spodio an. ℈ IV. commisc. fiat unguentum. Deinde imponatur imo ventri & lumbis sequens Epithema calefactum.

Epithema. ℞. Succ Corrigiolæ, suc. pentaph. suc. symph. suc. plantag. an. ℥ V. Aceti vini ℥ II. quib. admisc. boli Arme. sang. dracon. Balaust. tenuissimè pul. an. ℥ s. fiat Epithema, & duplicatis linteolis exceptum locis prædictis imponatur, subindeque reiteretur. Aut conficiatur sequens cataplasma.

Cataplasma. ℞ Cor. cervi usti, cineris chartarum lusoriarum, scoriæ ferri prius inflammatæ, & in aceto vini sæpius extinctæ, Gallarum an. ℥ s. fuliginis ex ahenis detractæ ʒ III. Acatiæ, Hypocyst. an. ʒ II. strobill. cypressi combusti ʒ I. s. redigantur omnia in tenuissimum pulverem, ac deinde cum alb. ovorum cum pauxillo aceti rosar. concussorum q. s. in catapl. sive pultis formam redigantur, & tep. duplicato linteol. except. lumbis & imo ventri imponantur. Idem præstat & seq. Emplast.

Emplastrum. ℞. Pul. Masti. ʒ s. Laudani, Thuris, Gallarum, Nucle. cupressi, Rad. Bistortæ an. ʒ II. Myrrhæ, Galbani an. ʒ I. Ter. sigill. ℈ IIII. ceræ parum. Quæ omnia in cal. mortar. diu contund. addito pauxillo ol. è Mastic. & in Emplast. formam redigantur, atque per alutam extendantur, imoque ventri & lumb. applicentur continueque gestentur.

Cataplasma. Vel fiat catapl. ex pulv. gypsi adusti & pilis leporinis ustis simul mistis, & cum alb. ovorum pauxilloque aceto vini fiat cataplasma lumbis & imo ventri imponendum. Maximi quoque momenti est cataplasm. ex far. fab. & hord. & pul. rad. symph. p. æ. cum albumin. ovorum & pauxillo aceto confectum, modoque supra dicto usurpato. Inter alia remedia quæ intra corpus sumuntur, excellentissimus est seq. pulvis.

Pulvis excellentissimus. ℞. Musci seu usneæ Arabibus dictæ per calvas mortuorum pronatæ, & nucl. ex Tamarindis exemptorum an. ʒ II. torrefacta, tenuiss. pulverentur, & jucundi saporis causa admisc. pulv. caryoph. ℈ II. cujus ʒ I. ante cænam & prandium cum haustulo vini rub. in quo extinctus est chalybs candens, exhibeatur.

Caseus vetus. Caseus quoque vetus & exiccatus in rub. vino ad pultis formam coctus & esitatus fluorem mensium constringit: deinde pudendo indatur pessus sequens.

Pessus. ℞. Elect. Micletæ & Athanasiæ an. ʒ VI. quibus in mortario admisc. pulv. Acatiæ Hypocist. bol. Arme. sang. Draco. Gallarum an. ʒ V. cor. cervi usti, Balaust. an. ℈ II. Commisc. probè & formetur pessus, qui sindone involvatur, alligato serico filo, ut quovis tempore eximi queat, & indatur per noctem. Proderit dein-

Emplastrum. deinde imo ventri sequens Emplastrum & lumbis applicare. ℞. Pulv. Mastic. ℥ s. Ladani, Thuris, Gall. Nuc. cupressi, Bistortæ an. ʒ I I. Myrrhæ, Terræ sigillat. an. ℈ I I. Galbani ℥ s. Ceræ q. s. ad formam emplastri, quæ omnia in calido mortario diu conterantur, addito pauxillo ol. Mastich. fiat Emplastrum, quod per alutam extendatur & applicetur.

Cucurbitulæ revellentes. Sistit quoque menses, si per 14. dies singulis diebus per unam horam cucurbita sine scarificatione dextro hypoch. applicetur. Quin & sequens epithema convenientiss. est, quo mane ac vesperi plantæ pedum fortiter confricentur. *Epithema plantis pedum alligandum.* ℞. Suc. plantag. semper vivæ, solani, polygon. an. ℥ II. quibus admisceantur, coral. Thur. Mastic. sem. ex calicibus rosar. hyoscy. cort. Mandragoræ an. ʒ s. Aceti rosar. ℥ I. probe commisc. & fiat epithema, quod & duplicatis linteolis excipi potest, & plantis pedum alligari.

Hæmorrhoides uteri à fluxu menstruo immoderato discernendæ. Porro cavendum ne in dijudicatione fluoris menstrui aberret Medicus. Non rarò enim ex utero profluit sanguis ex hæmorrhoidibus, ita ut & mulierculæ & Medici imperitiores menstruum sanguinem esse putent. Nam ex ramo Ilii venæ cavæ quidam surculi venarum uteri labris sive valvis inserti sunt, qui instar venarum hæmorrhoidum in ano existentium aperiuntur, & per eos crassus sanguis profluit, cujus profusio non temere est restringenda. Ejus autem curatio est facilis, & ex curatione hæmorrhoidum peti debet.

3. *Alba colluviei ex utero profluvium quid, quæ ejus causa, quæ signa, & qua ratione curandum?*

Albus fluxus mulierum quid. Ῥοῦς γυναικεῖος, muliebre profluvium, nostratibus mulierculis, **der weisse Fluß**/ id est alba profluxio, est ubi colluvies alterius substantiæ quam est menstruus sanguis, ex utero profluit, quæ colluvies pro redundantis in corpore humoris nunc alba & pituitosa, nunc flava & biliosa, nunc livida aut cinericea ac melancholica apparet. *Ejus differentia.* Substantia ejus est aut crassa mucosaque & albumini ovorum similis, aut tenuis & sero lactis non dissimilis. Hæc profluvies quibusdam mulierculis quotidie, nonnullis post mensium evacuationem, aliis inter duas mensium effluxiones contingit. Defluit autem in uterum aut ex toto corpore, aut ex vitiosa constitutione Epatis.

Causa. Causæ προηγουμέναι albi profl. muliebris est retentricis facultatis in venis imbecillitas, & copia imperfecti aut pituitosi sanguinis, aut emulgentium venarum attractivæ potentiæ imbecillitas. Procatarcticæ sunt alimentorum frigidorum & humid. crebræ esitationes, & spinæ dorsi lumborumque aut aëre ambiente, aut lotione aq. frigidæ refrigeratio.

Signa. Signa ex relatione muliercularum intelligi possunt. Matrix enim continuo madore lubrica est. Humoris vero profluentis signa ex habitu totius corporis & colore vel etiam certius ex colore colluviei linteolo exceptæ & rursum exiccatæ deprehenditur. Si enim linteolum albicat, serosum ac pituitosum humorem, si flavo colore tinctum est, bilem; si nigro aut livido, melanch. humorem ostendit. Et colluvies quidem alba aut serosa, ex frigida constitutione corporis; flava vero ex biliosa & calida profluere consuevit; & pituitosus humor sine sensu doloris; biliosus vero & serosus cum acrimonia quadam profunditur. Præter hæc signa, in albo fluore facies dedecoratur, spina dorsi dolet, appetentia prosternitur, oculi intumescunt, pedesque tumore afficiuntur.

Prognosticon. Prognost. Provectioris ætatis mulierculæ magis quam juvenculæ albo profluvio infestantur. Donec colluvies alba in utero hæret, uterus est lubricus, semper hians, & ad impprægnationem ineptus. Profluvium album, nisi diutius perseveret, antequam totum corpus à vitiosis humoribus est expurgatum, & Epatis imbecillitati consultum, non temerè est restringendum. Obstructio enim, capitis dolores & nervorum

rum læsionem infert, & hydropi occasionem præbet.

Curatio. Curatio venæ sectione, humorum vitiosorum evacuatione & exsiccantium restringentiumque medicamentorum tum intra corpus assumptorum, tum extra applicatorum usurpatione perficitur. Si itaque plethoricum sit ægræ corpus & facies rubicunda existat, effluensque colluvies nonnihil sanguine sit tincta aut bilioso colore imbuta, venæ sectio adhibeatur. Secetur autem vena epatica dextri lateris. Ante venæ sectionem si alvus sit adstricta, leni enemate aut glande feces subducantur. In corporibus autem frigidioribus, & albo existente profluvio, venæ sectio frustra adhibetur. *Venæ sectioni quando locus.*

Diæta. Victus ratio pro corporis temperamento frigido sit calida, & calido frigida: In universum tamen debet esse humores incrassans, exsiccans, & venarum orificia constringens, qualem in præcedenti curatione constituimus. Potus, quatenus fieri potest, sit paucus & parcissimus, in quo constringentia & exiccantia sunt cocta aut macerata.

Frictiones. Post victus rationem quotidie universum corpus linteolis calidis & asperioribus ante prandium confricetur, intacta & relicta regione uteri, id est infimo ventre.

Deinde considerato humore redundante in corpore, id quod ex habitu corporis & ex colore colluviei profusæ deprehendi diximus, redundans & vitiosus humor præparetur, & ad evacuationem extenuetur convenientibus remediis, deinde evacuetur. Et serosus quidem humor & biliosus nulla indigent præparatione, sed evacuatione tantum: commodè autem evacuari potest serosus quidem humor, cum pill. ex hiera picra & Agar. Troch. an. ʒ s. additis gr. IIII. Diagrid. conformatis, aut ℥ III. rosa. sol. cum haust. aq. ebuli mixtis. Pituita vero crassa post præparationem purgetur pill. ex sagapeno & fœtidis vocatis an. ʒ s. admixtis gr. III. Troch. Alhand. Aut ʒ x. Diaphæ. in haustu aq. centaur. solutis. Biliosus vero humor educatur cum infusione Rhab. ʒ II. in haust. aq. cich. cui admixtæ sint Elect. rof. Mes. ʒ III. Melancholicus humor si redundet, educi potest pill. è fumaria ʒ I. cui admixta sint gr. III. extracti Ellebori nigri. *Evacuantia serosum humorem.* *Phlegmagoga.* *Melanagoga.*

Diuretica. Corpore purgato, per aliquot dies mane haustulus est exhibendus, qui venas emulgentes ac renes aperiat, & per urinam colluviem deferat & expellat, ut est vinum in quo rad. seminaque Apii & rad. Asari & gr. Juniperi sint incocta.

Mulier alba fluxione laborans, à balneo & vehementiori motu prorsus abstineat. *Balneum noxium.*

Demum albam colluviem uteri exsiccant probè, & constringunt ʒ I. Troch. è succ. cum vino chalyb. quotidie mane exhibito, aut ʒ I. pulv. corn. cervi usti. Aut ♃. Gum. Arab. Tragac. Amyli an. ʒ I. Mastic. ʒ I. corn. cervi usti ʒ s. commisc. fiat pulv. cujus ʒ I. cum vino rub. chalyb. mane exhibeatur. Aut ♃. Ejusdem pulv. ℥ s. saccari cum succo cydon. soluti ℥ III. conficiantur rotulæ pondo ʒ II. cujus mane ac vesperi una devoretur. Aut ♃. Scoriæ ferri probè in aceto præp. ʒ III. Troch. è suc. ʒ II. Diacyt. ex suc. simplici facti ℥ II. pulveratis aridis commisc. fiat elect. cujus semi juglandis q. mane ac vesperi devoretur. Efficacissimum quoque remedium est mane ac vesperi ebibere ℥ IIII. vini rub. in quo pluries sit extinctus candens chalybs, quod efficacius redditur si eidem admisc. ʒ s. pulveris Tragacanti. *Adstringentia.*

Porro in temperie calida corporis uteri alba colluvie laborantis, præstantiss. adfert remedium, si mulier quotidie albumen I. ovi cum pauxillo aq. rosarum concussum & tepefactum, cui nonnihil pulv. Mastic. ac thuris sit admixtum ebibat. Aut ℥ s. mucag. sem. cyton. cum aq. rosac. factæ, cui ʒ I. seq. pulv. sit admixa devoret. ♃. Sem. portulacæ, hypocyst. antheræ & herb. hippuris an. ℈ I. Omnia simul tenuiss. pulverisentur. Potest etiam cum succo polygoni assumi. Idem præstat & coagulum hæd. aut leporis, si ejus ʒ I. cum vino assumatur. Præterea ad exiccandam albam colluviem omnia ea remedia quæ in profluvio sangui- *In calida constitutione quæ juvent.*

 nis

nis menstrui sunt commemorata, commodè exhiberi possunt.

Topica. In Topicis vero remediis plurimum conferunt, præsertim si colluvies acris fuerit & erodens, ut quotidie uteri sinus aq. tepida chalybeata eluatur & abstergatur. Aut si hæc colluvies sit pituitosa & frigida sine acrimonia, præstat cum vino rub. tepido, in quo scoriæ ferri candentis ter quaterque sint extinctæ, uterum eluere. Post elotionem fomentetur uterus vapore aceti vini, in quo cortices pineæ sunt incoctæ. *Fomentatio.* Excitetur autem vapor per candens ferri excrementum in olla positum, & vapore per infundibulum ollæ impositum in uterum recepto. Quin & *Experimentum.* aqua destillata ex Antheris & herba polygoni simul mixtis destillatisque, haustulus omni mane assumptus, colluviem albam mirifice sistit.

4. *Mensium præternaturalis suppressio sive retentio quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quomodo curanda?*

Mensium suppressio quid. Ἐποχὴ τῶ ἐμμηνίων, cessatio mensium statis temporibus (ut paulo ante diximus) profluere consuetorum, est quando post annum ætatis 16. sive in ætate florenti usque ad annum 40. seu circiter, solita singulis mensibus sanguinis ex utero fluxio cessat & intercipitur. *Ejus differentiæ. Naturalis.* Dupliciter autem subsistunt menses: secundum naturam, ut ante pubertatem, in gravidis ac lactantibus, & in senili ætate post 50. annum. Aut in iis, quæ obesa habent corpora. *Item in viraginibus, & quæ fortibus exercitiis utuntur, teste Aëtio.* Et in iis omnibus frustra & non sine periculo mensium provocatio tentatur. *Præternaturalis.* Præter naturam autem, quando ex causis morbificis intra tempus fluxionis consuetum impeditur, solitoque parcius fluit, aut prorsus intercipitur sanguinis menstrui fluor. Quibus secundum naturam supprimuntur menses, illæ nullam ex ea suppressione sentiunt molestiam, *si cuti & quæ ob morbum antecedentem graciles redditæ nihil sanguinis superflui habent. Ideo que in illis mensium provocatio non accelerandæ.* Quibus vero præter naturam ex aliis causis morbificis subsistunt, hæ variis symptomatibus afficiuntur.

Causæ. Causæ προηγούμεναι aliæ consistunt in uteri aut totius corporis, aliæ in sanguinis in venis uteri contenti prava constitutione ac qualitate. Supprimuntur autem menses aut propter venarum in uterum desinentium angustiam: aut ex cotyledonum, id est orificiorum venarum cum lentis humoribus infarctione: aut uteri totiusque corporis intemperie calida, frigida & sicca. Item ex obesitate corporis, & ex imbecillitate facultatis expultricis in utero, atque ex cicatrice aut callo uteri cervici obducto.

Causæ antecedentes & externæ. Causæ προκαταρκτικαὶ suppress. mensium sunt assidui labores, ac validi animi mœrores, repentina expavescentia, sanguinis ex quacunque parte copiosior profusio, aut menstrui sanguinis ad alias partes conversio, per quas evacuatur, ut per nares, per hæmorrhoides aut os, alimentorum & pharmacorum constringentium mensesque prohibentium usurpatio, pedum refrigeratio in aq. frigida, quæ puellis lotricibus familiaris est. Porro in universum ex frigida causa crebrius, ex calida rarius obstruuntur menses.

Signa. Signa suppressionis mensium, cum ex confessione muliercularum, tum ex fœdo faciei colore, pallido, albo, lividoque cognosci possunt. Præterea in mensibus suppressis, mulierculas cibi fastidium, gravitas totius corporis, dolores syncipitis, lumborum & crurum, tormina imi ventris, & tumores pedum infestant, & quandoque accedit & febris ardens, urina ex rubeo nigricat, præsertim si ex caliditate orta sit suppressio: nonnunquam vero eadem cruda & alba cernitur, ubi ex refrigeratione originem ducit suppressio. *Diversarum causarum indicia.* Insuper ex caliditate obortam mensium retentionem, gracilitas corporis ostendit, quam & febris, & alii morbi præcesserunt. Ex refrigeratione, tumor pedum, & laxitas corporis, colorque faciei pallidior indicat.

Prognostica. Prognostica notatu digna sunt: In quibus mensium suppressionem nulla comitantur symptomata, facilius tolerant, sed diffici-

difficilius curantur. Multæ ex mensium suppressione in insaniam melancholicam prolabuntur ob vapores ex utero ad cerebrum delatos, spiritusque animales turbantes.

Curatio. Curatio pro causarum diversitate instituenda erit, & potissimum dirigenda ad calidam aut frigidam intemperiem totius corporis aut uteri tantum, & sanguinis tenuitatem & crassitiem & cotyledonum reserationem. Perficitur autem curatio victus ratione, venæ sectione, & medicamentorum menses moventium, crassitiem sanguinis incidentium, & obstructas venas aperientium convenienti applicatione.

Cautela diligenter observanda. Quanquam autem & ex calida intemperie seu causa calida, per accidens, ut in febribus & acutis morbis menses sistantur: non tamen in ea causa ad mensium productionem frigida victus ratione aut remediis utendum erit. Frigida enim sanguinem incrassant & venas constringunt, sed calefacientibus mediocriter & sanguis extenuantibus, ita tamen, ut plurimum calidi morbi auferantur & calidi humores subducantur.

Diæta in causa calida. In calida itaque corporis constitutione, qualis est, ubi bilis flava in corpore redundat, primum ea bilis & victus ratione temperanda & convenientibus remediis evacuanda erit. Victus ratio in calida intemperie sit humectans & moderatè refrigerans, ejusmodi sunt cremor ptisanæ, pulmenta ex lacte & amylo, carnes gallinarum & caponum, agnorum, hædorum & vitulorum, pisces quoque saxatiles & squammatæ, & ova sorbilia recentia addi possunt. Potus sit aq. hordei in qua sem. anisi, *Prodromus curationis in causa calida.* rad. glycyrrh. & cinam. sunt incocta. Vinum quoque, præsertim ubi ventriculus imbecillis est, tenue & album, cum prædicta aq. dilutum exhiberi potest. Conferunt *Insessiones.* & somnus longior & balnea, insessionesque crebræ aq. dulcis, in qua malva & violaria sunt incocta. Confert quoque plurimum *Linimentum.* à balneo, si inguina inungantur linim. ex ol. ros. amygd. dulc. & mucag. sem. lini *Cholagoga.* an. ʒ III. & ceræ pauxillo confecto. Deinde biliosus humor subducatur ʒ V. elect. ros. Mes. aut ʒ X. cass. recent. evulsæ cum haust. aq. melissæ solutis. Aut ♃. Rhab. ʒ II. contusa macerentur per noctem in aq. cichor. ℥ IV. mane ad fervorem usque calefiant, exprimantur ac colentur, & colato liquori misceantur ʒ III. aut IV. elect. lenit. fiat haustus: aut eidem liquori admisce ℥ II. syr. è cich. aut syr. ros. sol. quæ calefacta ebibantur 6. horis ante prandium. His ita peractis tandem ad menses cientia, quæ omnia calefaciunt, accedendum erit.

In causa melancholica quæ potiss. conveniant. Ita si menses supprimantur ex melancholico humore in corpore redundante, ante mensium provocationem humor melancholicus concoquatur primum, ac deinde educatur. In hujusmodi corporibus victus ratio calefaciens & extenuans instituatur, qualis supra in melancholicis morbis adnotata est; deinde præparetur melancholicus succus seq. potione: ♃. Polyp. Borag. *Digestivum.* Bugloss. Glycyr. an. ℥ s. Elleb. nigri præpar. id est prima decoctione abjecta, & rursum exiccati, cortic. Cappar. an. ʒ II. Herb. ceterach. lupuli, Camædrios an. M.s. Thymi, Epithymi an. ʒ II. Schoenanti ʒ I. conserv. Melissæ, fumar. borag. an. ℥ I. passul. min. ℥ I. s. cinam. el. ʒ II. contundantur contundenda & concidantur concidenda, & cum ℔ III. seri lactis caprini & ℥ IV. aceti vini concoquantur in canth. ut supra sæpe docuimus. Coquantur autem per 2. horas, ac tandem per se refrigerata colentur, colato juri admisc. syr. de calamintha, de Epithymo an. ℥ III. fiat potio, cujus ℥ IV. tepefacta ebibantur mane ac vesperi. Exhausta hac potione subducatur humor melanch. aut cum ʒ I. pill. Indar. cui adjectum est gr. I. extracti elleb. nigri. Aut subducatur seq. haustulo. ♃. Confect. hamech ʒ VI. dissolve in aq. lupuli ℥ IV. fiat haustus, qui calefactus in aurora ebibatur.

In causa frigida quæ præmittenda. Cum verò, quod freq. accidit, menses supprimuntur ex frigida causa, & pituitosi humoris cum sanguine admixtione, simili ratione pituitosus humor ante mensium provocationem extenuandus & exonerandus erit, tum victus ratione, tum med. calefacientibus & extenuantibus. Oportet ita-

que

Diæta. que totam victus rationem calefacientem, incidentem & extenuantem esse. Conveniunt itaque aromatibus condita alimenta; lac vero, pisces, & omnia refrigerantia vitanda sunt. In potu utile est vinum generosum Rhenanum, Creticum & aromatite, quod claretum vocant: nec ab hydromellis veteris potione arcenda est ægra. *Digestivum pituitæ.* Pituitam concoquunt, extenuant & ad evacuationem præparant, adeoque expurgant sequentia remedia. ♃. Rad. Apii, Dauci Creti, Asari, Valerianæ, Rubeæ tinctorum an. ℥ II. Fænic. petros. an. ℥ s. sem. fænic. pastinacæ, Anisi, Amios an. ʒ II. fol. Rorism. pulegii, Melissæ, scordii, Dictamni Cretici, calaminthæ, Arthemisiæ, origani an. M. s. Gran. Junip. ℥ I. zinzib. cardam. an. ʒ I. Croci ℈ I. conservæ melissæ ℥ II. contund. contund. & cum ℔. IV. hydrom. in duplici vase concoquantur per 2. horas, refrigerata colentur, colato juri admisc. syr. è calamint. de Arthem. an. ℥ IV. cujus potionis ℥ IV. calefactæ, ebibendæ offerantur, & ubi media pars ejus potionis fuerit exhausta, semel purgetur pituitosus humor, deinde rursum ea utatur potione, donec tota fuerit absumpta. Tandem rursus evacuetur pituita sequentibus remediis.

♃. Mas. pill. aggr. fœtid. Agar. Troch. an. ℈ I. Diagrid. gr. IV. formentur pill. n. XV. cum aq. Junip. & inungantur ol. fæniculi, & mane deglutiantur sex horis ante prandium. Aut

♃. Diaphæn. elect. Indi maj. an. ℥ s. hieræ picræ Galeni ʒ II. pul. Agar. Troch. ℈ I. dissol. in haust. aq. calaminthæ aut centaur. min. fiat haustus, qui tepidus in aurora ebibatur.

Præscripta concoquentia & evacuantia remedia vitiosorum humorum non tantum in mensium suppressionibus, sed & in aliis morbis & humoribus vitiosis ortis locum habent.

Remedia menses provocantia. Corpore evacuato, recta ad remedia menses producentia transeundum erit, adhibendaque ea tum intra corpus tum extra, quæ & calefacere & extenuare, & obstructas venas aperire & colluviem sanguinis evacuare queant. *Quo tempore adhibenda.* Verum non quovis tempore menses provocantia pharmaca administranda sunt, sed ea tantum Lunæ periodo, qua menses in sanitate fluere solebant. Fluunt autem aliis circa novilunium, aliis circa plenilunium, aliis in prima, aliis in postrema quadratura Lunæ, id quod ex patiente sedulo investigandum erit. Congruo tandem tempore cognito, tandem hac methodo retentum menstruum sanguinem provocare licebit.

Insessio utilis. Primum quarto aut quinto die ante statutum tempus solitæ fluxionis collocetur ægra in solium aquæ dulcis calidæ paulo ultra umbilicum per unam aut sesquihoram. In ea autem insessione sive aqua sint concoctæ seq. herbæ, quæ & sanguinem extenuare & venas uteri emollire dilatareque, & oscula earum aperire queant.

Herba pro balneo. ♃. Malv. cum rad. Alth. cum rad. Valer. cum rad. Flor. chamæmeli, Anethi Bethon. Arthemis. calamentæ, serpilli, pulegii, melissæ, an. pro arbitrio, sem. lini, fænugræci an. ℥ III. herbæ & rad. concidantur, semina vero contundantur, eisque admisc. bac. Junip. lauri an. M. II. omnia concoquantur in q. s. aquæ, fiat insessio, quæ ter quaterque recalefieri potest.

Ante & post balneum quid agendum. Semper autem antequam in lavacrum descendat mulier, vel ubi egreditur, aliquid remedii menses moventis est offerendum, quæ remedia paulo post commemorabimus. Egressa ex lavacro mulier & calidis linteolis abstersa, ventrem, lumbos, inguina & fæmora sequenti linimento inungi curet.

Linimentum. ♃. Ol. chamæm. Anethi, amygd. dulc. lilior. alb. an. ʒ II. ceræ parum, fiat linimentum, quod eluatur ter cum aq. Juniperi.

Saphenæ sectio. Postquam autem ægra usa est ter quaterque lavacro præscripto, tandem secetur vena poplitis aut malleoli dextri pedis quam saphenam vocant. *Frictio.* Antequam autem venæ sectio peragatur, prius oportebit pedes ab

ab inguinibus usque ad talos vel malleol. aspero ac calido linteolo probè confricare. Opportunissimum tempus secandæ venæ est primus dies ante tempus consuetæ fluxionis; si prima vice sectio venæ non succedat, id est, si nihil sanguinis aut parum profluat, & secundo & tertio reiteranda erit, cum ex dextro, tum ex sinistro pede. Si autem tenuioris naturæ virgines venæ sectionem non ferant, cucurbitulæ per mulierculas subinde inguinibus sunt sine scarificatione applicandæ, & cum scarificatione etiam utroque pede sub malleolis, aut hirudines in calamis arundinaceis collocatæ eminentibus capitibus venis talaribus sunt admovendæ.

Frictio. *Vena quando aperienda.* *Cucurbitulæ.* *Hirudines.*

Post venæ sectionem rursum per quatuo r dies in præscriptum lavacrum deducenda est ægra, & semper vel ante descensum, vel ubi egressa est ex lavacro, & in mollem lectum collocata, remedia menses ducentia sunt offerenda, semper incipiendo à lenioribus, veluti sunt III. cochlearia aq. Juniperi, in qua per triduum maceratæ sunt rad. Asar. Valer. Dauci Cretici, castorei an. ℈ II. simul contusa: Aut exhib. 4. cochl. vini Rhenani generosi, quibus admixtæ sunt 7. gutt. ol. vitrioli, aut 9. gutt. ol. fænic. Aut ʒ I. seq. pulveris cum haust. vini generosi Rhenani.

Balneum reiterandum. *Remedia interna.* *Potiuncula.*

Pulvis. ♃. Troch. è myrrha, ʒ II. pulv. Dauci Creti. Asari, Sabinæ an. ʒ I. Castorei ℈ II. tenuissimè pulverisata commisceantur. Aut ♃. Troch.

Pillulæ. è myrrha ℈ II. Asæ fœtid. ℈ I. ex contusis formentur pill. n. XV. & inungantur ol. Vitr. ituræque cubitum deglutiendæ exhibeantur. Eodem tempore & pessi seq. utero commodiss. injici possunt.

Pessi. ♃. Pul. Gentianæ, sem. Nigellæ an. ʒ s. colocinth. ʒ I. scammon. ℈ I. Asar. ʒ I. cum felle taurino probè conterantur, deinde, ut cohærere queant, addatur q. s. hier. picræ, & formentur pessi, paulo crassiores pollice, & involvantur sindone, eisque fila appendantur, ut quovis tempore pro arbitrio extrahi queant, & unus utero inferatur mane in lecto, in eoque relinquatur ad 3. aut 4. horas, deinde rursum eximatur. Fel quoque taurinum cum succi Mercurialis æ. p. mixtum, in quo colocynt. pulpa est incocta lana xylina exceptum & syndone involutum cum filo appenso, utilissimè utero inseri potest, statim enim menses movet. Si à pessis incalescere uterus percipiatur, extrahi debent, & uterus vino calido, in quo puleg. est incoctum, elui. Porro si primo mense curatio non succedat, nec menses elici queant, seq. mense, ubi tempus profluvii consueti instat, eadem remedia reiterari debent. Intermediis autem temporibus, seq. remediis commodè mulier uti poterit, quæ suppressa habet menstrua. Quotidie mane 3. aut 4. cochle. aq. Iunip. ebibat, aut bibat haust. calefact. seq. potionis mulierculis Pomeranicis usitatissimæ, quam illæ **den Tranck von den 9. Kräutern** vocant, qua frequentissime utuntur, ubi aut Uterus est refrigeratus, aut ubi menses in totum sunt suppressi, aut ubi non satis ac sufficienter fluunt.

Remedia hac reiteranda. *Decoctum muliercularum ex 9. spec. ad menses provocandos.*

♃. Zinz. alb. cinamo. Croci, cardam. granor. paradisi, piper. longi, castorei, Myrrhæ, & sem. fænic. an. ʒ I. Contusa coq. in dupl. vase per 2. hor. cum vini Rhenani ℔. I. Aut

♃. Asari, Dauci Cretici, pimpin. an. ʒ II. puleg. Melis. an. M. s. sem. fænic. pastin. Dauci sylv. an. ʒ I. croci ʒ s. schænanthi ℈ II. cicerum rubeor. ℥ s. contusa concisaque cum vini Rhenani ℔. III. additis mellis ℥ II. in cantharo per duas horas coquantur, ejusque ℥ IIII. mane ac vesperi ebibantur.

Pedes quoque vesperi seq. lavacro ablui possunt. ♃. Calaminthæ, pulegii, salviæ, Arthemi- *Lavacrum pro pedibus*

themisiæ, Rorismar. an. M. II. Rad. Ebuli, Elenii an. ℥ I. Gran. Juniperi M. III. Concisa & contusa in lixivio q. s. aut in vino albo decoquantur, & per unam aut dimidiam horam pedes in eo laventur.

Commodè & vesperi ituræ cubitum ʒ I. diacastor. aut ʒ I. Troch. è myrrh. cum haustu vini Rhenani exhiberi possunt. Plurimum quoque confert, si vesperi itura cubitum muliercula linteis calidis & asperis confricet crura ab inguinibus usque ad talos.

SECTIO III.

DE AFFECTIBUS QUÆ CIRCA GENERATIONIS ACTUM CONTINGUNT.

I. *Sterilitas seu generandorum liberorum impotentia quid, quæ causæ, signa sterilitatis, tum causarum ejus, & quomodo liberorum generatio procreanda?*

Sterilitas quid. Ἀγονία ϰ̀ ἀτεκνία, infæcunditas est, ubi homines generativa potentia destituuntur. Ideo enim Deus utrumque sexum, masculum & fæmellam condidit, eisque sua benedictione vim generativam indidit, ut ex mutuo complexu genus humanum ad ultimum diem propagaretur & conservaretur: ut ex eo Filius Dei Ecclesiam suam, in qua sola Deus verè cognoscitur & invocatur, plantaret. *Ejus differentia. Supernaturalis.* Duplex est autem sterilitas: Una supranaturalis, & à solo omnipotenti curari potest. Talis fuit sterilitas Abrahæ, Annæ matris Samuelis Prophetæ, & parentum Johannis Baptistæ, Zachariæ & Elizabethæ, quæ ex sterilibus per omnipotentiam Dei solam, redditæ sunt ultra naturam fæcundæ. *Naturalis.* Altera est quæ vitio naturæ accidit, & habet causas physicas, quæ à perito Medico tolli possunt, ut fæcundæ reddantur fæminæ. Accidit autem sterilitas physica, tam ratione viri, quam ratione mulieris.

Causæ generales internæ & proximæ. Causæ proëgumenæ sterilitatis cum in masculis, tum in fæmellis sunt, aut totius corporis, aut membrorum generationi servientium ac potissimum uteri, aut seminis utriusque sexus notabilis intemperies, aut justo calidior, frigidior, siccior aut humidior. *Semina minus analoga.* Semina certè utriusque sexus, sunt materia fætus, quæ nisi sint temperata & ad invicem analoga, tam in substantia quam in qualitate, & nisi proba fiat eorum commixtio in utero, fætus ex eis conformari nequit. *Vteri nimia humiditas.* Quemadmodum autem in vehementer humida, aut nimium arida terra, ex semine injecto germen produci nequit, ita nec in humido squalidoque utero fieri potest fætus conceptio, idque Hipp. 5. Aph. 62. & in aliis plerisque Aphor. luculenter testatur: ita nimia corporis obesitas, nimiaque gracilitas, & pudendi virilis brevitas impedit conceptionem. Similiter in fæmellis mensium immoderatum profluvium, & longa mensium retentio obsunt conceptioni, *quibus enim menses non fluunt, eæ non gignunt, inquit Plinius lib. 7. cap. 15.*

Causæ antecedentes externæ. Procatarcticæ causæ sunt, victus ratio & remediorum usurpatio, temperiem totius corporis aut seminis aut partium generationi servientium destruens, pharmaca fætum in utero corrumpentia, aut conceptionem impedientia utero inserta, aut intra corpus sumpta, quæ scire nec utile est, nec ea edere boni viri erit. Fascinia per Diabolorum mancipia inducta, (*de quibus supra lib. 7. s. 1. Q. 6. de impotentia*) involuntarius concubitus, deformitas & aversio à Venere, intempestivus coitus, ut tempore fluoris mensium, & justo crebrior complexus, uteri refrigeratio ob longam moram in aqua frigida vel aëre frigidiore.

Signa subjectum sterilitatis indicantia. Signa utrum viri an fæminæ culpa sterilitas contingat, tali experimento deprehendi possunt. Granorum hordei manipulus, seorsim & in viri & in fæminæ urina per noctem maceretur, ac deinde in terram seratur, & cujus hordeum germinat, hunc fæcundum esse ostendit; cujus non germinat, sterilem. In viris talis fieri consuevit sterilitatis ac fæcunditatis exploratio. Semen viri

viri in aqua conjectum si supernatat, sterilem; si fundum petat, fæcundum esse arguit. Mulier autem utrum sit fæcunda vel sterilis, ita experiri docet Hippoc. 5. Aphor. 59. Mulieri undique tegumentis probe munitæ, suffitus aromatum ejus utero subjiciatur, & si dolor ac sapor aromatum, usque ad os & nares per corpus feratur, sensuque gustus & olfactus percipiatur, eam fæcundam esse arguit, sin minus sterilem. Idem documentum præstat si non obtecta mulier allium contusum, & in sindone involutum utero inserat, si ejus sapor ad linguam, & odor ad nares ascendat, fæcunda est.

Signa causarum diversarum. Frigiditatis. Causarum signa sunt, si sterilitas ex frigida intemperie vel totius corporis vel uteri tantum, quod ut plurimum contingit, accidat, dignoscitur ex longa suppressione, & non sufficienti mensium fluxione, & sensu stupiditatis circa pectinem, lumbos & circa crura. *Humiditatis.* Si autem nimia humiditas causa sit infæcunditatis, tum menses plus justo fluere consueverunt, & uterus continua humiditate madet stillatque. *Caliditatis.* At ubi uteri præternaturalis calor est causa sterilitatis, tum calor & in toto corpore & in utero potissimum persentiscitur, & menses *Siccitatis.* sunt pauciores & nigriores. Ariditas vero si causa est sterilitatis, totum corpus gracile & squalidum, uterus vero siccus est, & plerunque scissuris laborat, & menses pauci cum cruciatu profluunt. Ut plurimum autem hisce præternaturalibus qualitatibus copulantur vitiosorum humorum redundantia. Quis autem humorum in corpore redundet, sterilitatemque efficiat, tum ex habitu & colore corporis, tum ex aliis indiciis in superioribus à nobis toties commemoratis facilè deprehendi potest. Reliqua signa ex relatione conjugum dignosci possunt.

Prognostica. Prognostica: Ætas 30. annorum in viris, & 18. in mulierculis aptissima est ad liberorum procreationem. Tempus conceptionis maximè idoneum est, secundus aut tertius dies post mensium purgationem. Semina utriusque quanto sunt temperatiora & eodem momento simul ex vasis cum voluptate in uteri capacitatem infusa, tanto sunt aptiora ad fætum concipiendum & conformandum. Amor inter conjuges quanto est arctior & ardentior, cæteris paribus, (*si nempe in utero vel in ipso semine nullum est vitium*) tanto sunt fæcundiores & aptiores ad liberorum procreationem. Ætas nimium juvenilis & senilis secundum naturam inepta est ad liberorum generationem.

Curationis scopus generalis. Curatio pro causarum diversitate varianda erit, & potissimum consistit in causarum Proëgumenarum sublatione, & generativæ potentiæ corroboratione, quæ perficitur proba victus ratione, & remediorum cum intra tum extra corpus applicatione. Omnium itaque primum consideranda venit corporis infæcundi constitutio secundum intemperiem, & secundum humoris exuberantiam, & tum omni cura adnitendum, ut redundans humor è corpore subtrahatur, & intemperies ad æqualitatem reducatur victus ratione, & remediis cuilibet vitioso humori & intemperiei contrariis.

In frigida causa remedia. Quia vero omnium frequentissimè sterilitas ex frigidi & pituitosi humoris redundantia, & frigida intemperie partium generationi servientium oboritur, primum de curatione sterilitatis ex frigida causa ortæ acturi sumus. Initio itaque si universum corpus aut partes generationi ministrantes pituitosa colluvie gravantur, aut intemperie frigida laborant, tum humor pituitosus concoquatur & extenuetur, tandemque artificiose subducatur remediis convenientibus paulo ante in curatione suppressorum mensium ex frigida causa commemoratis, & præscribatur victus ratio calefaciens & extenuans, veluti sunt *Diæta.* carnes pullorum, caponum, vitulorum, hædorum & similium, multis aromatis conditæ cum iisdemque alimentis crebro concoquantur rad. fænic. petrosel. pastinacæ & cariotæ. In potu commodiss. uti possunt vino generoso & aromatite, cerevisiaque pleniore & bene defecata. Post purgationem autem corporis singulis diebus mane *Malvaticum vinum.*

& vesperi haustulum vini cretici, & portiunculam panis in eo macerati edere ac bibere possunt. Præstat quoque si mane ac vesperi ebibantur 2. cochlearia aq. Juniperi. A sumpto cibo præstat confectiones, sem. fœniculi, sem. carvi & cinamom. saccaro obductorum, simulque commixtorum, 2. aut 3. pugillos devorare, aut ℥ s. zinzib. conditi edere. Tempore purgationis mensium prodest per 4. aut 5. dies seq. pulv. cum haustu vini mane ac vesperi mulierculis exhibere.

Pulvis tempore mensium assumendus.

♃. Castorii Myrrhæ, sem. Mercurial. an. ℈ I. Cinamomi, croci, an. ℈ s. Fiat pulv. tenuiss. pro una vice. Post mensium purgationem, eliciendi sudoris gratia, resolvantur in vino generoso, vel in aqua pulegii, Theriacæ Andromachi & Mithridatii an. ℈ II. & in tepida ebibantur, sudetque mulier ad I. vel sesquihoram, eodemque die sequenti utatur lavacro seu insessione, quæ alternis diebus repeti ac renovari potest quater aut quinquies, & ex sequentibus herbis concinnetur.

Sudoriferum.

Insessus.

♃. Arthemisiæ, Bethonicæ, Chelidoniæ cum rad. Malvæ, Melissæ, Majoranæ, Nepetæ, Origani, pulegii, Rorismarini, Mentastri, Chamæmeli, Meliloti, Hypericonis, Hissopi an. M. II. sem. anisi, Fænic. Carvi, Cymini an. ℥ II. sem. lini, fænugræci an. ℥ I. s. Rad. Althææ, Valer. consolidæ major. an. ℔. s. sulph. ℥ VI. salis ℥ III. Alum. ℥ I. s. concidenda & contundenda contundantur, atque in quantum sufficit ad insessionem usque ad umbilicum aq. coquantur, & calidæ insideat mulier. Idem præstarent, & forsan majori cum utilitate Thermæ Sulphureæ & aluminosæ, quales sunt Carolinæ non procul à valle Joachimica sitæ, si cuilibet eas accedere daretur. Diebus autem intermediis inter lavacra, utantur mulierculæ mane jejuno existente ventriculo fomentis ex vapore herbarum præscriptarum in minori quantitate decoctarum, aut herbar. seq. qui vapor ex olla obtecta, perforato operculo cui siphon est impositus in uterum recipiatur.

Thermæ Carolinæ.

Vapor utero excipiendus.

♃. Rorismar. Majoranæ, pulegii, serpilli, Arthemis. Bethonicæ, Melissæ an. M. I. coquantur in vini q. s. & fiat fomentatio, ut dictum est. Vesperi vero ejusdem diei recipiat mulier in uterum rerum seq. suffitum, sive fumum per canalem in uterum directum.

Fumus pro utero exsiccando.

♃. Cinam. caryoph. an. ℥ II. sem. anisi, Thuris, Myrrh. mast. an. ℥ I. Benzoi, styrac. calam. Galliæ Moschatæ an. ʒ I. s. Fol. Rorismar. Majoranæ an. ʒ s. crassiusculè concidantur, & ignitis carbonibus in olla repositis inspergantur, & fumus in uterum recipiatur. Præstat quoque ad recalefactionem uteri refrigerati seq. pessus utero insertus. ♃. Castor. Myrrhæ, Mastich. Aristol. rot. an. ʒ I. s. Galbani ʒ III. Theriac. q. s. quæ in mortario cal. contusa conformentur in pessum, qui sindone involutus, cui filum sit appensum, ol. lilior. albor. inungatur & utero inseratur.

Pessus pro utero calefaciendo.

Post hæc omnia, si uterus amplior justo sit & nimium dilatatus, ut conceptum semen retinere nequeat, seq. pesso indito arctior reddi potest.

Pessus constringens uterum laxum.

♃. Acatiæ, Balaust. calicum gland. Nucis Cypress. scoriæ ferri, Mastich. cortic. Oliba. an. ʒ s. Alum. ℈ II.

Misc. & cum suc. prun. sylv. non indurato q. s. conficiatur vel pessus vel nodulus, & hianti utero inseratur.

Porro si non modo simplex adsit uteri refrigeratio, sed conjuncta ei sit quoque humiditas supervacanea, aut alba colluvie ita madeat, ut semen illapsum retinere nequeat, præter remedia, quæ supra in curat. albæ colluviei, & paulo ante recensita sunt,

In nimia humiditate uteri quæ adhibenda.

ſunt, uterum ſeq. decocto frequenter eluere, ac poſt abſterſionem, ſubſcripto ſuffitu frequenter deſiccare utiliſſimum erit.

Decoctum ad uterum eluendum. ℞. Gallarum, Nucis moſchat. an. ℥ II. caryoph. ℥ I. Bal. Nucum cupreſſi an. ℥ s. Alum. ℈. II.

Contuſa coquantur in vini rub. ℔. II. ad tertias ſub operculo, & tranſcolentur, quo tepido molli ſpongia aut linteolis excepto, eluatur cervix uteri: aut lintei ex eo madefacti utero imponantur, in eoque aliquandiu retineantur. Proderit quoque plurimum, ſi uteri refrigeratione laboranti mulierculæ devorandæ præbeantur mane ac *Rotulæ.* veſperi 2. rotulæ Diamb. Diamoſch. aut pliris ſarcotici: aut una morſella ſeq. Electuarii.

Morſuli. ℞. Cinamom. El. ℈ II. Caryoph. Cardamo. an. ℥ s. Galang. Zinzib. an. ℈ I. Macis, Conſ. Roriſmar. Borag. Diaſatyr. an. ℥ s. ſpec. Diamb. Diamoſchi an. ℥ I. ſacca. alb. in aq. Junip. reſoluti & rurſum ad juſtam duriciem cocti ℔. s. fiant morſuli pondo duarum triumve drachmarum. Non erit abs re, ſi mulier ſingulis ſeptimanis cum vini hauſtu ℥ I. *Theriaca.* Theriacæ ebiberit, purgato tamen prius corpore, & deſudaverit. Hæc ſufficiant de frigida & humida intemperie uteri, quæ ut plurimum & frequentiſſ. eſt cauſa ſterilitatis, emendanda dixiſſe.

In calida & ſicca uteri conſtitutione quæ remedia conveniant. Ubi autem calida & ſicca uteri intemperies (quod tamen rariuſcule contingit) aut bilioſorum humorum copia & bilioſa corporis conſtitutio conceptionem impediat, poſt bilis ſubductionem & alterationem, cujus remedia ſuperius toties ſunt propoſita, veluti ſunt Rhabarb. infuſum, pulpa caſſiæ, ſyr. roſat. ſol. Elect. roſar. meſuæ.

Diæta. Victus ratio inſtituatur moderate refrigerans & humectans, qualis eſt cremor ptiſanæ, pruna acida ſicca, lac amygdal. & lac ſem. frigid. major. cum aq. cichor. confectum, acetaria ex lactuca, & portulaca, & piſces ſaxat. ac ſquamoſi, ſomnus ſit diuturnus, à vino, Venere & valida corporis exercitatione vigiliisque abſtineat. In potu hauriat aq. hordei, cum cinamom. & Glycyr. & paſſulis parvis. Aut ſtillat. aq. cichoreæ cum pauxillo ſyr. acetoſitatis citri dulcoratam, aut lac ex ſem. & aq. cichoreæ & ſaccaro confectum: aut aq. hordei per conſervam roſarum ferventem percolatam. Utatur quoque crebrius & ſingulis ſeptimanis bis ſequent. inſeſſione ſive lavacro.

℞. Herb. Malvæ, Altheæ cum radicibus, *Lavacrum.* Violarum, fol. ſalicum, Betulæ an. M. v. ſem. fænugræci ℔. s. flor. Nymphææ, Roſarum an. M. II. coquantur in q. s. aquæ, fiat lavacrum, cui inſideat ægra, totumque corpus madefaciat.

Deinde ſi totum corpus exuctum aridiusque fuerit, aut uterus tantum, poſt balneum inungatur tota ſpina dorſi, lumbi, & imus venter atque hypochondria ſeq. linimento.

℞. Ol. Roſar. violar. Nymph. an. ℥ III. *Linimentum.* Mucaginis ex ſem. cytoniorum cum aqua roſacea paratæ ℥ II. Ceræ albæ parum, fiat linimentum. Hoc linimentum & viris & mulierculis calidioris ſicciorisque temperaturæ probè facit.

At ſi uterus tantum aridior exiſtat, quod dignoſcitur, quod concubitum vix & non niſi cum dolore ferat, & viri quoque pudendum offendatur, tum utero illiniatur mucago ex ſem. cyton. cum aqua roſacea facta. Aut imponatur linteolis ſuccus umbilici Veneris cum aq. roſar. ad placitum commixtus, & nodulo ex lana xylina confecto & ſindone involuto exceptus. *Epithema.* Cavendum tamen ne diutius quam par eſt refrigerantia pharmaca in utero retineantur. Reliquorum humorum redundantia aut in toto corpore, aut in partibus generationi ancillantibus tantum, ſi cauſa ſit ſterilitatis, earum curandi rationem ex ſuperioribus, ac potiſſimum ex curatione intemperierum uteri & ſuppreſſionis menſium, albique fluoris uterini petant ſtudioſi.

Specifica contra sterilitatem. Nunc reliquum est ut remedia quædam experientia comprobata subjiciamus, quæ & suis primis qualitatibus & specificis proprietatibus naturalem sterilitatem removent & conceptionem efficiunt.

Porro diximus sterilitatem maxima ex parte oriri ex intemperie frigida & humida, rarissimè autem ex calida & sicca. In frigida itaque intemperie hæc seq. plurimum faciunt ad concipiendum fætum.

Electuarium in causa frigida. ℞. Rad. Iringii condit. zinz. Cond. cort. Arant. cond. conf. Rorismarin. an. ℥ I. Pul. sem. urticæ Romanæ, sem. Mercurialis an. ʒ II. pulv. priapi Taurini ʒ I. pulv. Matricis leporis ʒ I. s. spec. Diamosc. Diambræ, an. ʒ II.

Concidantur minutiss. & cum q. s. syr. conditura zinzib. aut cort. arantiarum fiat Elect. cujus semijuglandis quantitas mane ac vesperi à conjugibus sterilibus devoretur, & superbibatur haustus cretici vini, aut alterius generosi. Aut

Morsuli. ℞. Testiculorum dextrorum apri sylv. Testiculor. vulpis, Testic. gallorum an. ℥ s. Quibus omnibus exiccatis, & in pulv. redactis, admisce scobis eboris ʒ II. sem. Melonum concisorum ʒ I. s. coag. leporis ʒ I. Nucl. nucis Indicæ ʒ III. sp. Diambræ, Diamosch. an. ʒ II. saccari albiss. cum vino cretico soluti ℥ XII. decoquatur saccar. ad justam consistentiam, cui admisc. præscriptum pul. & artificiosè conficiantur morsuli pondo ℥ s. cujus una à sterilibus devoretur mane ac vesperi, & bibatur insuper vini cretici haustus. Aut

Pulvis 1. ℞. Sem. seseleos, sem. urticæ Rom. pastinacæ an. ʒ I. sem. Mercurialis maris. ʒ II. priapis. taurini, testicul. galli, Matric. leporin. an. ʒ I. s. coag. lepor. ʒ s. Cinamom. ℈ IIII. tenuiss. pul. misceantur, & ejus ʒ I. assumant steriles ituri cubitum cum haust. vini generosi. Aut

Pulvis 2. ℞. Cinamom. el. Cardamomi, Cubebar. an. ʒ II. sem. lini, urticæ Rom. an. ʒ I. Zinzib. albi, piperis longi, Erucæ an. ℈ I. Rad. Glycyrrhiz. Eryngii an. ʒ II. stinci Ægypt. ℥ s. Mosch. ℈ s. pulverentur tenuiss. cujus ʒ I. ebibatur mane ac vesperi cum vino generoso. Aut

Pulvis 3. ℞. Castor. piperis nig. an. ℈ I. Matr. lepor. ℈ II. fiat pulv. quem ebibat mulier cum haustu vini cui succus pulegii est admixtus, itura cubitum. Mas vero devorabit iturus cubitum semijuglandis q. confect. Diasatyrii.

Essentia satyrionis Crollii quoque mira hic præstat.

Topica. Fomentatio uteri. Præterea nec Topica sunt prætereunda. Itura itaque cubitum mulier sterilis, fomentet uterum seq. rerum vapore. ℞. Puleg. Orig. Melissæ, an. M. I. Moschi, gr. V. decoquantur in olla, cum q. s. vini, & vapor ferventis liquoris per canalem in uterum demittatur. Postea per horas 3. utero imponatur Pessus ex Electuario quam Mesue & Arabes sazeneam, Antidotaria vero usualia Musam Eneam, sed falso, vocant. Mirum enim in modum teste Mesue & Manardo prodest ad sterilitatem arcendam & in potu assumpta & supposita. Post fomentationem quotidie itura cubitum, maximè si metuit mulier matricis suffocationem, seq. suffitu foveat uterum.

Suffitus pro utero. ℞. Nuc. cupressi, Mastic. oliba. ladani, Myrrhæ an. ʒ I. Galbani ʒ II. Pulverata crassiuscule misc. & carbonibus ignitis inspergatur, quorum fumus per canalem in uterum demittatur. Aut si immunis est mulier à suffocatione Matricis,

℞. Nucis Moschatæ, Macis, Benzoi, styracis calamithæ an. ʒ II. Ladani, Galliæ moschatæ an. ʒ I. Flor. lavand. fol. Rorismarin. spic. celticæ an. ʒ s. fiat pulv. crass. pro suffitu.

Venerem stimulantia. Quia vero absque Venerea voluptate conceptionem fieri impossibile est, suavem excitant in membris generationi servientibus utriusque sexus voluptatem hæc sequentia Topica. Ante congressum glans virilis

virilis inungatur Zibera odorata, aut felle leporino aut aprino, aut inungatur ſucco ex ovis formicarum expreſſo, cui pauxillum ziberæ eſt admixtum. Aut maſticentur in ore cubebæ, & una cum ſaliva glandi inungantur. Utero vero præſtat illinire nonnihil ol. caſtor. aut caryophyllor. aut nucis moſch. expreſſi. Porro notandum, præſcripta remedia omnia ad liberorum procreationem ſervientia uſurpanda eſſe tribus aut quatuor diebus à menſium purgatione exacta. Opportuniſſima autem hora eſt liberis operam dandi matutina.

Hiſce nemo abuti ad illegitimam & illicitam Venerem debet.

Tempus Veneri aptiſſimum.

Prodeſt autem plurimum ad citam conceptionem, ſi uterque per octiduum à Venere abſtineant, priuſquam procreandis liberis operam dent, & interim veſcantur opiperis alimentis bonum ſanguinem ſemenque fæcundum producentibus, & vinum bibant creticum & generoſum.

2. *Imprægnatio ſeu fætus conceptio ac formatio in utero quomodo fit, quæ ejus cauſa, quo tempore movetur & in lucem editur, quæ ſigna conceptionis, & quomodo procurandum ut maſculi concipiantur?*

Conceptio ut fiat.

Ἐγκύησις, Fætus conceptio ac formatio in utero hoc modo perficitur. In commixtione maris & fæmellæ ſemina amborum ut plurimum eodem ferè momento ex vaſis ſpermaticis in uterum cum voluptate confluunt, quæ ſi ſunt fæcunda, mutua quadam amicitia ita commiſcentur, ut unica fiat maſſa & natura, quæ maſſa eſt materia noſtræ propagationis ac principium. Ineſt autem in hac maſſa & materia ſeminis, cæleſtis calor & ſpiritus æthereus, *proportione reſpondens elemento ſtellarum, uti Ariſtoteles lib. 2. de generat. animal. eum deſcribit. Calor enim ignis nullum animal generat, ſed ſolis calor & animalium.* Qui cauſæ ſunt conformatrices & elaboratrices omnium partium humanæ naturæ, adeoque motus ac vitæ. Hic ſpiritus & calor in ſeminibus contentus, ab uteri innato calore, à quo ſemen arctiſſime undique concluditur, ad agendum excitatur: qui primis tribus diebus ſeminis materiam in tres partes ſegregat ac diſponit. Puriorem nimirum & tenuiorem partem, ſicut in ovo luteum, in centrum cogit, craſſiores autem, ut albumen in ovo, ad circumferentiam pellit, & aquoſiorem partem ad ſuperficiem, ex qua, tanquam in ovo ſub teſta, tenuiſſima pellicula à calore uteri condenſatur. Tales autem tunicæ circa fætum tres paulatim generantur. Ex partibus autem craſſioribus deinceps ſub pelliculis paulatim & ſucceſſivè omnes corporis noſtri partes generantur ac formantur, quæ tandem proceſſu temporis à ſanguine menſtruo, *id eſt, à ſanguinis illius, qui per venas & arterias ad uterum defertur, & extra tempus imprægnationis ſingulis menſibus expurgatur, puriori portione*, vegetantur & vivificantur. Defluit enim ex utero per venas ex cotyledonibus ortas & per membranas fætus uſque ad cor protenſas, quo vivificantur omnes partes. Intrant autem & venæ & arteriæ in corpus fætus per umbilicum. Vita autem datur infantibus circa diem 45. circa quod tempus & anima rationalis à Deo infundi creditur, & non amplius fætus ſed infans nominatur. *Advenit enim à cælo nova creata anima, inquit Scaliger exer. 290. d. 2. poſt fætus articulationem, qua anima tunc maſſa illa homo fit.*

Spiritus æthereus in ſemine primarius opifex.

Calor uteri cauſa adjuvans.

Fætus delineatio prima.

Vivificatio.

Situs eſt in utero fætus, maſculus quidem in dextra, fæmella in ſiniſtra uteri regione, & inſtar oblongæ ſphæræ involutus calcibus ad nates contractis, volis autem manuum genibus impoſitis, & capite ita genibus incumbente, ut oculis pollicem manus attingere videatur, conſidet, ac dorſo quidem ad maternum ventrem ſive umbilicum, ventre vero ad dorſum maternum verſo, collocatus eſt.

Situs fætus in utero.

Movetur in utero infans primum pro ratione roboris, quandoque tertio, nonnunquam quarto menſe. Maxima tamen ex parte matres infantis in utero motum perſentiſcunt præcisè circa medium geſtationis tempus.

Motus ſenſibilis.

In lucem vero prodeunt regulariter nono vel decimo ut plurimum à conceptione

Tempus partus naturalis.

ne mense. Verum ut non omnis fætus eodem tempore suam recipit perfectam conformationem: ita nec eodem tempore vel movetur vel in lucem editur, quam diversitatem & motus & partus sequens ostendit tabella.

Tabella diversitatem formationis, motus & partus fœtus indicans.

Masculi formati die à conceptione	30	Moventur die	60	In lucem prodeunt mense	7	vivunt,
	35		70		8	Intereunt,
	40		80		9	vivunt,
	45		90		10	vivunt:
Fæmellæ formatæ die à conceptione	35	Moventur die	70	Nascuntur mense	7	vivunt,
	40		80		8	Intereunt,
	45		90		9	vivunt,
	50		100		10	vivunt.

Octimestris partus cur lethalis. Octavo mense à conceptione infans editus interit, cum propter imbecillitatem ex valida commotione in præcedenti septimo mense contractam, & quod octavo mense sol oppositum signum occupat, ejus in quo erat tempore conceptionis.

Causa diversi sexus. Sexus discriminis causa principalis est libera Dei voluntas: minus principalis causa est seminis concepti temperies & consistentia, & regio uteri, in quam semen conceptum est illapsum. Ex semine enim calidæ & siccæ temperiei & crassioris consistentiæ in dextrum uterum illapso ut plurimum masculi: ex frigidiore autem & humidiore semine in uteri sinistri partem illapso fæmellæ conformantur ac generantur. *Ætatis quoque & cæli ratione sexus discrimen oritur. Nam juxta Aristotelem l. 4. de generatione animalium c. 2. Admodum tenera & senescens ætas magis quam consistens & florida fæmellas generat. Et cælo aquilonari magis quam austrino mares gignuntur.*

Signa conceptionis. Signa concepti fætus & sexus gestati in utero præcipua hæc sunt: si semen utero illapsum per 7. dies ex utero non refluat, signum est conceptionis. Siccitas uteri post concubitum, conceptionis est argumentum. In mulieribus benè se habentibus, mensium ultra consuetum tempus suppressio, est signum impraægnationis. Iis quæ conceperunt circa nonum diem à conceptione, subsequuntur albæ colluviei ex utero profluxio, ac tandem capitis dolores, vertigines, nauseæ, vomitiones, ciborum aversiones & absurdorum alimentorum naturæque minus convenientium appetitiones. Iis mulieribus quæ conceperunt, oculi in profundum delabuntur, albugoque in oculis dilatatur cum venulis sanguine turgentibus. Gravidis ut plurimum solitus color faciei immutatur & venustas perit, & in facie rubeæ maculæ & papulæ excitantur. Utero gerentibus venæ sub lingua constitutæ virides & turgidæ apparent. Quæ conceperunt mulieres, paulo post eis mammæ intumescunt, & solito duriores redduntur cum livescentibus venulis, & papulæ magis rubent cum corona fusca subnigra. Ventris sensim accrescens insolita intumescentia est certiss. concepti fætus signum. Quibusdam gravidis & tibiæ intumescunt.

Hæc signa non seorsim sed conjunctim plæraque impragnationem denotant.

Urina gravidarum qualis. Urina prægnantium in primo secundoque mense, pallido cernitur colore, deinde in aureum colorem & subrubeum vergit cum hypostasi alba, & lanæ minutiss. carptæ aut tenui farinæ simili, & si commoveatur urina, resolvitur hypostasis, & per totam substantiam urinæ instar atomorum in jubare solis volitantium fluitare conspicitur.

Observatio singularis. Urina gravidæ in matula probè obturata per triduum in tepido loco conservata, ac demum per linteolum colata, si in linteolo exigua animalcula instar pediculorum conspiciantur, eam concepisse ostendunt, ac si vermiculi rubentes appareant, masculum, si albicantes fæmellam utero gerere significant. Exploraturus utrum mulier concepit, ituræ cubitum præbeto tepidum haustum hydromel. aut aq. cum melle coctæ, quæ si paulo post tormina Ventris sentiat, concepit; si vero non, libera est.

Signa

Signa sexum fœtus indicantia.

Signa concepti sexus: Si mamma dextri in gravidis turgeat & intumescat magis quam sinistra, masculum gerere arguit; si sinistra fæmellam. Lac prægnatæ mulieris emulsum & in aquam effusum si fundum petat, masculum gerere; si in aq. resolvatur, fæmellam arguit. Masculum utero gerentes floridioris ac rubicundioris in facie sunt coloris, fæmellam pallidioris. Masculi ut plurimum à die concept. 60. moventur in dextro latere, fæmellæ die 90. in sinistro. Gravida masculum gerens ubi inambulat, aut è sella surgit, aut januæ postes transgreditur, semper dextrum pedem prius promovet ac præponit & se dextra manu fulcit. Lac aquosum è mammis si sponte profluat, imbecillitatem fætus in utero arguit. Salubritatem fætus in utero ostendit, mammæ turgidæ & duriusculæ, & lactis ex eis emulsi inculpata consistentia & albedo. Quibus enim, ut inquit Hippo. gravidis mammæ flaccescunt aut graciles redduntur, hæ abortiunt.

Interdum tamen fæmellæ citius moventur, ubi calidioris naturæ sunt.

Masculorum generatio ut procuranda.

Etsi & generationis & formationis nostræ causa efficiens principalis sola Dei benignitas sit: tamen cum sexus diversitatis causæ physicæ reddi queant, quod nimirum ex sem. calido & moderatè crasso in dextram partem uteri delapso ut plurimum masculi generentur, non est à ratione alienum posse procurari, ut cum victus ratione & remediis semen vitiosum corrigatur, & ad masculi generationem aptum reddatur. Ut itaque fæcundæ mulieres masculos concipiant, primum utantur victus ratione calefaciente & exiccante; sanguinemque purum ac crassum, qui materia est seminis, generante: qualem supra in curatione sterilitatis ex frigida & humida causa præscripsimus. Ituri itaque cubitum conjuges vel uterque vel alteruter, cujus semen frigidius & fluidius est, assumant vel Diasatyrii ℥ s. vel Mithrid. ʒ I. cum vino generoso, ac deinceps mane ac vesperi edant 2. vel 3. rotul. Diamb. vel Diamosch. vel Diamargariton. cal. & bibant haust. vini Cretici aut alterius generosi, & tempore matutino dent operam liberis procreandis. *Mercurialem marem, item cratæogonum herbam Diosc. in hunc usum valde commendat. Alii dextrum porci testiculum pulverisatum exhibent.* Ut autem semen in dextram partem uteri confluat, cum ut plurimum à conjugali consuetudine peracta mulierculæ se à viris avertant, multum conducit ad masculi generationem, si lectus conjugalis ita sit dispositus, ut se mulier statim à concubitu in dextrum latus vertere, in eoque cubare ac indormire queat.

Diæta.

Remedia.

Tori conjugalis dispositio.

3. *Ne fætus in utero offendatur qua ratione tractandæ sunt Gravidæ, & quibus potissimum morbis & symptomatis infestantur?*

Quando fætus facilè lædatur.

Veluti tenerrimi arborum fructus suis nondum pediculis satis firmati, ex quavis levi occasione decidunt & corrumpuntur; ita fætus conceptus, præsertim in primis tribus mensibus ex levissimis quibusque causis lædi, corrumpi & ad abortum propelli potest. Quare singularis prudentiæ, pietatis & humanitatis est, & reverentiæ, ita tractare uterum habentes, ne ulla occasione offendantur ac lædantur. Omnem enim læsionem sentit fætus, omnemque & animi & corporis affectionem maternam, & cum matre compatitur. Qui itaque uterum gerentes offendunt & abortui aut corruptioni fætus occasionem præbent, in judicio Dei ab homicidii crimine non absolvuntur.

Gravidæ non offendendæ.

Salubritas matris & fætus in quibus consistat.

Consistit autem & matris & fætus salubritas in causarum naturam nostram conservantium seu alterantium, quas recentiores Medici res non naturales minus propriè appellant, convenienti usurpatione. Sunt autem numero sex: Animi affectiones, Aër, cibus & potus, Somnus & vigilia, Motus seu exercitium corporis & quies, Excretio superfluitatum & retentio convenientium: in quibus hac ratione gubernandæ sunt gravidæ.

Animi pa-

Quantum ad animi perturbationem attiner,

themata & perturbationes quænam evitandæ gravidis. net, vix alia re magis afficitur fætus, quam materni animi affectione. Lætante enim matre lætatur & exultat ipſe fætus, contriſtante & fætus triſtis contrahitur ac marceſcit. Quare curandum eſt ut quantum fieri queat, *Gravidæ exhilarandæ omni modo.* ſemper læta & hilaris & quieto animo permaneat gravida, & jucundis ſenſuum objectis, ut aſpectu rerum pulchrarum, auditione ſuavium colloquiorum & harmoniæ muſices, odoratione rerum fragrantium, guſtu rerum dulcium, molli & ſuavi contrectatione ac complexu ad læticiam excitetur. Contraria autem omnia objecta ſenſuum, quæ triſtitiam, mœrorem, iram, timorem, ſollicitudinem inducere gravidæ *Res monſtroſæ & terribiles removendæ.* poſſunt, procul ſunt removenda. Inprimis autem ſtudioſè cavendum, ne res aſpectu horribiles, monſtroſæ & inuſitatæ, ex quarum viſu expaveſcere terrefierique queat, gravidæ offerantur aut demonſtrentur, præſertim incendia & monſtroſa animalia. *Mira vis imaginationis.* Talibus enim conſpectis repentè perterrefactæ gravidæ quamcunque ſui partem manibus attigerint, rerum viſarum indelebilem imaginem fætui inurunt. Simili ratione & hiſtoriarum horribilium deſcriptiones & narrationes procul ſunt arcendæ à *Fœtor noxius.* gravidis. Ita & odores graves & fœtidi ſunt vitandi; nam quaſdam ex ſolo odore lucernarum extinctarum abortiviſſe hiſtoriæ teſtantur.

Aer qualis eſſe debeat. Aër in quo verſatur gravida & quem per inſpirationem perpetuo haurire cogitur, debet eſſe purus, nulla excellenti qualitate aut virulenta contagione aut fœtore infectus. Præſtat itaque odoratis ac jucundis ſuffitibus ſubinde aërem in cubiculo corrigere. In frigidiori vero aëris conſtitutione corpus & maximè Venter gravidarum calidis tegumentis muniendus erit.

Alimenta convenientia. Alimentis utantur gravidæ ſuæ naturæ convenientibus, concoctu facilibus, & probum ſanguinem generantibus. Inter alia alimenta maximè eis proſunt ova ſorbilia, & carnes pullorum ac vitulorum & ſi- *In Pica quid agendum.* milia. Hoc tamen cavendum, ubi gravidæ nonnunquam alimentorum abſurdorum & naturæ minus convenientium vehementi appetentia tenentur, etiamſi ea ſint minus ſalubria, ne talia iis prorſus denegentur. Quæ enim ipſæ vehementer appetunt, facilè etiam conficiunt; Sed ſi earum appetitioni reſiſtatur, in graviora incidunt ſymptomata, *& rerum deſideratarum ſigna ſæpè fætui imprimuntur, vel admodum male habent gravidæ, & in animi deliquium incidunt, niſi adipiſcantur, quæ appetunt.*

In potu autem maximè convenit vinum *Potus.* lene & ſuave, aut cereviſia clara, quandoque & vinum aromatite quod claretum vocant, aut vinum creticum utiliter guſtare poſſunt. Aſſumto cibo claudant orificium Ventriculi aut fruſt. cyton. ſacc. condit. aut pugill. ſem. fænicul. & coriand. ſacc. obducti eſitatione.

Somno & vigilia moderatè utantur, & *Somnus & vigilia.* earum voluntati ſatisfacienti, nec ipſæ gravidæ à ſomno meridiano, ſi appetant, arcendæ ſunt.

Motiones & exercitia corporis in gravi- *Motus corporis.* dis debent eſſe levia ac moderata, veluti ſunt leves & breves deambulationes per loca amæna. Vitanda autem ſunt omnia laborioſa exercitia, vectiones vehementes in curru, ſaltationes, rerumque ponderoſarum lationes, & corporis inclinationes, extenſiones in altum ac compreſſiones. Omnium autem maximè ſibi cavere debent gravidæ, ne per imprudentiam cadant aut è ſublimi delabantur.

Quantum ad excretionem & retentio- *Alvus quibus ſolvenda.* nem ſpectat, ſtudioſe procurandum eſt, ne naturales excretiones alvi potiſſimum ac veſicæ ſupprimantur: id ſi contingat, cibis potius, quales ſunt juſcula pinguia, pruna ungar. & ſimilia, & balneis alvum emollientibus excrementa alvi & veſicæ ſubducenda erunt, magis quam medicamentis. A pharmacis autem omnibus, exceptis fætum corroborantibus ac potiſſimum in primis tribus menſibus abſtineant. Poſtea ve- *Lenitiva.* ro ſi neceſſitas urſerit, levioribus remediis veluti ſunt caſſ. pulpa, Manna & ſyrup. roſat. ſolut. tutò uti poterunt.

Quin & quotidie uterus & fætus in utero, *Corroborantia calida.* ſi frigida ſit temperies fæmellæ, hiſce remediis

diis corroborari poteſt, duab. rot. Diamarga. calidi; aut 11. pug. ſem. fænic. ſaccaro obducti devoratis; aut hauſt. vini generoſi vel aromat. in quo nonnihil panis eſt maceratum. At vero ſi gravida præternaturali calore infeſtetur, quod ut plurimum accidere conſuevit, utatur ſing. diebus, Diamarg. frig. rot. 11. aut rad. cichor. aut fruſtulo cyton. ſaccar. condito. Aut bibat hauſt. lactis, ex ſem. frig. majorib. & aqua hordeacea, aut aq. cichor. confecti, cujus parandi rationem ſupra aliquoties propoſuimus.

Confortantia frigida.

Morbi autem & ſymptomata quibus potiſſimum infeſtantur gravidæ, præcipua hæc ſunt:

Fatua imprægnatio ſive Mola,
Pica,
Tumor tibiarum ac pedum,
Febricula,
Abortus.

4. ***Fatua imprægnatio quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quomodo curanda?***

Inter fatuas imprægnationes, & à natura abhorrentes ſunt Mola, Monſtra, & Animalia diverſi generis. Μύλη, Mola ſeu fatuus conceptus, eſt informis, inanima & conglobata caro, dura & pellicula obducta, intus rubea ac ſanguinea, foris vero ex albo rubeſcens, figura ex rotundo oblonga, magnitudine nunc ovo nunc cucumeri aut ovino Ventriculo perſimilis, in utero concepta, fœtum ſeſe mentiens. Noſtrates mulierculæ triplicem ſtatuunt Molæ differentiam. Et primam quidem minorem & ovi magnitudinem referentem vocant Ein Sonnenkindt/ id eſt ſolarem fœtum, aliæ eine faule Geburt/ quæ ut plurimum circa tertium geſtationis Menſem ab expultrice facultate expellitur. Secundam vocant Ein Mohnkindt/ id eſt Lunæ fœtum, quæ major eſt & ovis Ventriculo ſimilis, quæ & ipſa poſt quartum aut quintum menſem propellitur. Tertia nomen germanicum non habet (*nonnulli tamen* ein Gewerchs *vocant*) quæ ſæpe per integrum geſtatur annum, & crebro quoque per totum vitæ curſum. *Vti apud Ambroſ. Pareum lib. 23. chirurgiæ cap. 34. fœmina quædam per 17. annos molam ſcirrhoſam 9. librarum uſque ad vitæ exitum geſtavit, quæ poſtea per ſectionem exempta eſt.*

Mola quid.

Ejus differentia.

Cauſæ προηγουμέναι Materialis quidem eſt ſemen utriuſque parentis effœtum, & vel qualitate vel quantitate vitioſum, in concubitu in uterum illapſum, & ab uteri aviditate conceptum ac retentum, à caloreque uteri induratum, in quam materiam ſanguis menſtruus per cotyledones influit, eoque nutritur & augeſcit, ſed nullus influit ſpiritus vitalis ex cotyledonibus ſeu orificiis arteriarum, imo in eo extinguuntur à menſtruo ſanguine, & calor nativus & facultas formatrix, ita ut maneat maſſa tantum carnea, informis & mortua, (in comparatione nempe ad fœtum. Nam alias inſtar fungi augetur & creſcit, interdum ad tantam magnitudinem, ut Venter molem hanc capere non poſſit, & miſeræ mulierculæ tandem ſuffocentur ejus pondere. Non enim ut perfectam, nec ut omnino alienam habet Naturam, teſte Ariſtotele lib. 4. de generatione animal. c. 7.)

Cauſæ.

Ex eadem materia concepta pro ſua fœcunditate & qualitate, generantur & monſtra & animalcula, veluti ſunt Ranæ, ſerpentes, & alia: adfluente ad illam non tantum ſanguine menſtruo, ſed & ſpiritu vitali, ex arteriis maternis. *De hiſce videatur Pareus l. 24. chirurgiæ, & Marcell. Donatis in hiſtor. Med. mirabili l. 4. cap. 25.*

Monſtra & animalcula.

Signa in conceptione molæ omnia ea apparent quæ in veri fœtus conceptione evenire ſolent. Nam menſes intercipiuntur, appetentia vitiatur, ſubſequuntur nauſeæ & vomitiones, mammæ intumeſcunt, ac poſt medium geſtationis tempus, vel circa 4. menſem fit tremula commotio, non quidem Molæ, ſed uteri, gravantem molam excutere conantis: Proceſſu vero temporis, ſi non dictis temporibus expellitur à natura, intumeſcit & Venter.

Signa.

Diſtinguitur autem à vera conceptione, quia in mola ex mammis tumentibus nullum lac exprimi poteſt, quemadmodum fit in vera conceptione; deinde decum-

A naturali fœtu ut diſcernenda mola.

bente muliere in alterutrum latus mola non ut infans ſuavi motu movetur, ſed ut lapis gravis ex uno latere in aliud moleſtè ruit. Et in mola poſt octavum geſtationis menſem Venter ita intumeſcit, ut hydropis ſuſpicionem inferat. Duricie tamen ab hydrope dignoſcitur; & quod in hydrope & Venter & pedes ſimul intumeſcunt: in mola vero Venter quidem intumeſcit, ſed pedes & manus gracileſcunt. Præterea molæ id proprium eſt, quod per manus compreſſionem pondus ex uno latere in aliud protrudi poteſt, quod in fœtu geſtato minimè contingit. Deinde in geſtatione molæ vehemens commotio in Ventre ante tertium menſem perſentiſcitur, in fœtu ante quartum menſem nunquam. Prognoſtica: Nullum animal, excepta muliere, molam concipit aut gerit, teſte Ariſtotele. Non poteſt generari mola niſi ex concubitu viri aut mulieris.

Ab hydrope ut differat.

Prognoſtica.

Naturalis molæ excretio.

Curatio molæ eſt ſalutaris; ſi à natura mola ut pondus inutile & noxium ejiciatur. Id quod, ſi virtus uteri expulſiva robuſta ſit, poſt decimam tertiam aut certè poſt 19. ſeptimanam contingit. Projicitur autem ſimiliter ut fœtus, cum dolore & difficultatibus, quin & ea ſubſequuntur ſymptomata propulſionem molæ, quæ verum partum ſequi conſueverunt, & ſanguis impurus ſimiliter ut in partu profluit.

Curatio artificialis.

At ubi ob expultricis facultatis imbecillitatem mola expelli dictis temporibus nequeat, aut remediis aut chirurgica operatione (quod tamen non caret periculo, ideoque nec temere tentanda) producenda venit. Et nunquam chirurgica operatio tentanda, niſi certo conſtet molam eſſe, & poſt exactum XI. menſem à conceptione, ultra quod tempus fœtus in utero nunquam deliteſcere poteſt.

Vt molam enixæ tractandæ.

Quæ igitur mulieres naturæ beneficio enixæ ſunt molam, hæ tractentur & per omnia ſimili ratione victus utantur, qua uti ſolent mulierculæ quæ naturalem fœtum pepererunt, ut nimirum calida edant juſcula & concoctu faciles cibos, & vitent omnia frigida, refrigerantia & concoctu difficilia.

Quando remedia in hoc affectu tuto adhibenda.

In quibus autem mulierculis mola ultra XI. menſem retenta fuerit, hæ ſi corpus habent plethoricon, primum venæ talares utriusque pedis aperiantur, quo modo menſes provocare ſolent; deinde frigida pituitoſaque colluvies, quæ in utero plerunque circa molam hæret, remediis convenientibus concoquatur & expurgetur, quorum copiam in ſuperioribus, in ſterilitatis nimirum curatione, & menſium ſuppreſſorum provocatione præſcripſimus. Purgato corpore collocetur ægra in lavacrum ſive inſeſſionem ex fol. & rad. Alth. Malv. Brancæ Urſinæ, parietar. chamæmeli, Meliloti, & ſeminibus lini & fœnugræci an. q. s. conciſis ac contuſis præparatam. Ex iiſdem quoque herbis & ſemin. ſacculus confici poteſt, qui decoctus & expreſſus, Ventri tumenti imponendus eſt, quo emolleſcat & Venter tumens & ipſa materia molæ. His ita peractis exhibeantur ea remedia omnia, quæ paulo poſt in fœtus mortui aut ſecundinæ in utero retentæ expellendi curatione tradituri ſumus, cujus hoc loco unum & alterum exemplum adjeciſſe ſatis erit.

Inſeſſio.

Sacculus.

Molam expellens pulvis.

℞. Cinamo. el. Ariſtol. long. an. ʒ I. Fol. ſabinæ ʒ II. Rad. Aſari, Croci, Laccæ an. ʒ s. ſem. Rutæ ℈ II.

Tenuiſſimè pulverata commiſceantur, cujus ʒ I. mane ac veſperi cum hauſt. vini Rhenani exhibeat. Aut loco pulveris devoranda præbeatur ſeq. pill. mane ac veſperi ʒ s.

Pillulæ.

℞. Nigellæ, Ariſtol. long. rad. Dictamni, ſem. Thlaſpi, baccarum ſabinæ, fol. ſabinæ an. ʒ I. ſem. Rutæ, Rubeæ tinctorum, Gummat. Serapini, Amoniaci, Myrrhæ, Caſtor. an. ʒ s. His omnibus pulveratis cum ſucco radiculæ culinariæ Merretig / conformentur pill. in calido mortario. Tandem utero inſeratur per noctem ſubſeq. peſſus.

Peſſus.

℞. Naphtæ ſeu Aſphalti (pix concreta in mari mortuo) caſtor. Ellebori albi, Gentianæ, Galbani, Opopanacis, ſerapini, Scammoneæ, ſabinæ an. ʒ s. Ex his omnibus pulveratis

for-

formetur pessus cum succo Rorif. aut Mercurialis herbæ.

Extractio per chirurgiam. His & similibus si mola prolici nequeat, ad chirurgicam operationem accedendum, & convenientibus instrumentis mola comminuenda frustulatimque extrahenda erit. Quanquam Plin. lib. 7. cap. 15. asseveret omnem ferri ictum & aciem respuere. Dicit autem Plinius hoc propterea, quod non facile comprehendi potest mola instrumentis, sed cedit retrorsum: si tamen rectè comprehendatur, instrumentis evelli potest. *Vide Pareum l. 23. chirurg. c. 35.*

5. *Pica gravidarum quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quæ medicatio?*

Pica quid. Κίττα, Pica gravidarum est rerum absurdarum, & à quibus alioqui natura abhorret, veluti sunt carnes piscesque crudi, anguillæ, pix liquida, creta, carbones & similia, ad vescendum desiderium. De causis, signis & curandi ratione Picæ supra in curatione morborum Ventr. abundè nobis tractatum est. *Vide supra l. 4. s. 2. q. 12.* Hoc loco satis fuerit monuisse, ut & antea factum est, ut si aliquando gravidæ hujusmodi vitiosa appetentia tententur, id quod ut plurimum tertio quartoque mense contingit, eas non prorsus esse arcendas ab esu rerum desideratarum, quia hæc ut plurimum vel abortum, vel alia incommoda, si eis denegentur, inferre solent. *Desiderata gravidis non deneganda.* *Evacuatio.* Quia vero pharmacis purgantibus causam mali auferre minimè licet (præter enim Mannam & cassiam exhibere gravidis tutum non est) ideo laborandum est, ut orificium Ventric. corroboremus & abstergamus tantum: Nam post mensem ut plurimum spontè cessabit hæc affectio. *Inunctio ventriculi.* Prodest itaque foris Ventr. inungere ol. Mastich. & Nardino mixtis, quibus pulvis radic. polipodii & suc. granatorum est coctus, & post inunctionem imponenda est Ventriculi orificio lamina panis tosti, & aut vino Malvatico, aut succo granator. conspersa: aut imponantur Ventriculo pampini seu fol. vitis cum aceto contusa, aut imponatur Emplastrum de crusta panis, quod in lib. dispensandi officinarum præscribitur. Intra corpus vero assiduè assumat gravida suc. uvarum omphac. aut offulam panis in vino granatorum aut vino Rhenano aut Malvatico madefactam, & subinde esitet pulpam Tamarindor. aut cortices Arantiorum condit. aut rad. calami Aromat. conditas, aut pruna sylvestria condita, aut mala cum persica tum cytonia condita. *Confortantia ventriculum.* Inter edulia autem utilissimè uti poterit condimentis acetarii loco, olivis maturis & fructibus capparum conditorum & synapi cum aceto contriti, cujus tamen usum, statim ubi cessat vitiosa appetitio intermitterere debet. *Condimenta.* In pica gravidarum id commemoratione dignum est, quod si à rebus desideratis prorsus arceantur, ejus rei imago & vestigium capiti infantis imprimitur, teste Hippocrate in libello de superfætatione.

6. *Pedum intumescentia in Gravidis quomodo discutienda?*

ΟΙΔΗΜΑ τῶν ποδῶν ἐν γαστρὶ ἐχουσῶν. Intumescunt pedes gravidarum ut plurimum in tribus primis gestationis mensibus, cujus causæ προηγουμέναι sunt pituitosi humores ex Epate, Ventric. & utero, sua gravitate in pedes decumbentes. *Causa intumescentia pedum.*

Verum ut cætera Oedemata sine noxa pharmacis curari non potest. Eam ob causam sufficiet, Ventric. & Epar, si robusta est gravida, primum ℥ 1. s. mannæ à pituita liberare, postea eadem viscera convenientibus alimentis & medicamentis corroborare. *Curatio.* Tumentib. autem pedibus post frictionem calidis linteolis, proderit inungere seq. linimentum. ℞. Ol. Aneth. chamæm. Hyperico. an. ℥ s. ol. vitr. ʒ 1. commisc. fiat liniment. *Linimentum.* Deinde Aëtius jubet Brassicæ fol. imponere, sed magis probatur catapl. caulicum nigricant. in æ. p. vini & aceti decoctis, quibus contusis admisc. far. fabar. q. s. fiat cataplasma. *Cataplasma.* Aut

℞. Ol. rosar. q. s. in quo resolvatur ac conteratur Terra sigillata, addatur aceti rosarum parum, fiat unguentum quod tumori illinatur.

7. *Febris gravidarum quomodo Mitiganda?*

Πυρετὸς τῶν ἐν γαστρὶ ἐχουσῶν. Tentantur mulier-

lierculæ utero gerentes & febribus ex putrido humore genitis, quæ plenæ sunt humoris superflui. Sæpe & feb. occasio sunt aut abortus aut internecionis fætus, teste Hippoc. Et minimè licet Medico Gravid. febres methodo & convenientib. remediis ut alias febres auferre. Febrium vero caussas, signa, differentias & curandi rationes infra in lib. XI. Deo juvante fusius tradituri sumus. Hoc vero loco, quomodo febrientes gravidæ sint tractandæ, succinctè tantum perstringemus. In gravidis itaque febricitantibus primum instituatur victus ratio conveniens, refrigerans & humectans. In cibo convenientiss. sunt cremor ptisanæ hordeaceæ aut avenæ, pruna, lac amygd. & sem. frig. ma. caro pullorum & avicularum cum uvis omphac. cocta, lactuca cum aceto. In potu vero utilis est aq. hord. hac ratione parata. ℞. Hord. el. M. I. sem. Anisi ℥ s. passularum min. id est Corinth. ℥ II. cinamo. el. ℥ s. Excepto hordeo reliqua contundantur & cum semicongio aq. fluentis in cantharo probè oblito per 2. horas coquantur. Atque si gravida delectetur potione acida, addi possunt Tamarind. ℥ I. s. & simul concoqui. Sitis vero in ipso paroxysmo sedari potest aut succo Arantiorum, aut mal. punicorum aut Tamarind. in ore retentis. Ariditas autem linguæ atque faucium humectetur crebra elotione oris, cum aq. hord. cui parum aceti rosarum sit admixtum. Et post elotionem, linguæ & faucibus illiniatur mucago ex sem. cyton. contusis & in aq. rosar. maceratis expressa. Prospiciendum quoque diligenter ut constipatus Venter reseretur Glande seu suppositor. ex sapone candido formato & ol. chamæmel. inuncto anoque inserto. Aut inseratur podici vitellum ovi cum sale mixtum, & in rarum linteol. instar noduli colligatum. Et si febris in 5. aut 6. gestationis mensem incidat, tuto potest ℥ I. s. Mannæ in haust. prun. decoctorum resolutæ ac colatæ exhiberi, aut syr. ros. sol. sine scammo. ℥ II. aut ʒ X. pulp. Cassiæ. Dolori capitis in feb. Epithema seq. dupl. linteolis exceptum temporibus imponatur.

Febres gravidarum methodicè non curantur.

Diæta.

Decoctum hordei.

Acida.

Suppositoria.

Lenitiva.

℞. Aq. rosar. ℔. s. papav. ℥ IIII. Aceti rosar. ℥ II. Albumin. ovorum n. II. simul conquassentur ac commisc. fiat Epithema. Æstus febrilis in toto corpore extensus mitigetur seq. liniment. quo inungatur spina dorsi usque ad lumborum vertebras & dextrum hypochondr. ℞. Ol. rosar. nymph. an. ʒ III. cyton. ʒ I. Mucag. ex sem. psylii cum suc. semper vivæ parat. ʒ I. s. ceræ cand. q. s. f. linim. cui admisce aceti rosar. parum. Quin & Epatis regioni ac cordis & tarso pedum & carpis manuum commodiss. seq. Epithema duplicat. linteol. exceptum imponi potest. ℞. Aq. rosar. ℔. I. aceti rosar. ℥ III. suc. semp. vivæ, suc. trifol. acidi an. ℥ II. muc. ex sem. cyton. cum aq. ros. factæ ℥ I. spe. Diatriasand. Diamarg. frig. an. ʒ II. album. ovi n. I. fiat Epithem. Præscriptis omnibus tuto uti poterunt gravidæ, ab aliis autem validioribus pharmacis prorsus abstineant. Nam febris ut plurimum à partu statim extinguitur. Verum si post partum in puerperio contingat feb. & vires constent, præter prædicta aliis quoque remediis causam febris tollentibus uti possumus, quæ libro undecimo describentur.

Epithema pro capite.

Linimentum.

Epithema pro carpis.

Valida purgantia noxia.

8. *Abortus quid, quæ ejus causæ, quæ præcedentia signa, & qua ratione præcavendus?*

Ἄμβλωσις sive ἔκτρωσις, ejectio fætus, Abortus, q. d. intempestive ortus, est ubi fætus ante legitimum tempus, id est, ante septimum gestationis mensem in lucem editur. Et si quidem primo aut secundo mense, antequam fætus perfectam nactus sit conformationem, abortus contingit, ad molæ speciem primam à mulierculis refertur. At vero si post exactam conformationem fætus excidat, Abortus propriè dicitur. Similiter si septimo vel octavo mense fætus mortuus prolabatur, inter Abortivos numerabitur. Si vero supervivat post partum,

Abortus propriè quid.

tum, inter partus tempestivos vel legitimos referendus est.

Causæ proxima & interna. Causæ Abortus προηγούμεναι sunt, retentricis facultatis uteri imbecillitas, ex aliqua excellenti intemperie orta, relaxatio vasorum, id est venarum & arteriarum ex cotyledon. uteri progenitarum, & in corion, id est, secundinam implantatarum, quibus fætus utero est alligatus, amplitudo, nimiaque humiditas, & lubricitas interioris orificii uteri.

Causæ antecedentes & externæ. Προκαταρκτικαὶ sunt vehementiores perturbationes animi, ut repentina expavescentia, excandescentia, metus, tristitia, odores fœdi ac graves, labor vehemens & violenta corporis commotio, saltatio, ictus, casus & percussio, flatus Ventrem distendentes, tusses violentæ, & sternutationes crebræ, sanguinis ex venis præsertim talaribus aut ex quavis corporis parte immoderata profusio, mensium uberior in gravidis eruptio, pharmaca violenter purgantia & menses moventia, (*ideo hæc non temerè exhibenda, nec absque discrimine cuivis vendenda*) morbi acuti, veluti sunt Tenesmus, Apoplexia, febres acutæ, alvi fluor immoderatus, fætus in utero imbecillitas, & rerum appetitarum denegatio.

Signa prognostica. Signa futuri abortus sunt, si gravidis ubera, quæ prius plena & tumida erant, repente, aut etiam sensim subsidant ac flaccescant, abortum præsagiunt aut fætus extinctionem. Ubi repente in utero intempestivi dolores excitantur & prægnans contremiscit, facieque rubet, abortum minitatur. Repentina in gravidis copiosior mensium eruptio, abortum instare significat. *Cum gravidis menses fluunt, invalidi aut non vitales partus eduntur, aut saniosi, uti ex Nigidio asserit Plinius l. 7. c. 15. & experientia verum esse testatur. Interdum tamen gravidis semel atque iterum fluunt menses, absque detrimento fætus, in naturis nempe robustis & plethoricis.*

Curatio seu præservatio abortus. Curatio maxima ex parte in prævisione seu præcautione, ne abortus contingat, & causarum internarum emendatione externarumque evitatione, & retentricis facultatis uteri corroboratione consistit. Quomodo autem vitandæ sint procatarcticæ causæ, in tractatione gravidarum paulo ante docuimus. Causæ vero Proëgumenæ abortus crebriores & periculosiores, hac ratione præcavendæ & emendandæ veniunt.

In lubricitate uteri. Si uteri orificium nimium sit amplum & lubricum, viscidaque humiditate oblitum, remediis topicis paulo ante in curatione sterilitatis ex nimia humiditate ortæ dictis, exiccandum & constringendum erit.

In flatulenta affectione. Si flatus copiosos in utero collectos abortum inducere metuatur, ipsa gravida quotidie utatur jusculis in quibus pul. cymini præparati est incoctus & admixtus: aut crebro assumat ol. cymini gut. v. cum haust. vini: aut devoret mane ac vesperi II. rot. Diacymini aut Diagalangæ, donec dissipentur flatus. Foris autem utero imponatur sacculus, cui insuta sint baccæ lauri, cyminum, piper, ruta & mentha an. ad placitum, qui subinde vino conspersus, & per tegulam ignitam calefactus, utero imponatur: aut inungatur Venter ol. liliorum alb. cui nonnihil ol. cymini aut carvi sit admixtum.

In alvi constipatione. Si ob alvi obstructionem aut tenesmum metuendus sit Abortus, Venter glandibus ex sapone albo formatis & ol. chamæm. inunctis anoque insertis subducatur. Aut si superavit gravida tertium mensem à gestatione, sine metu injici poterit clyster ex pingui jure carnis bubulæ & pulpa cassiæ oleoque communi confectum: aut per os assumat ℥ I. s. mannæ in jusculo prunorum resolutæ ac percolatæ. In Tenesmo autem proderit lac bubalum recens emulctum potitare: aut jusculum piscium coctorum, in quo radic. glycyr. sint incoctæ.

In diarrhœa. Ab alvi vero fluore si metuatur abortus, pulverem frumenti ocymoidis vel ocymastri, quæ nostrates **Bockweiten** vocant, in butyro frixum, cui hypocyst. pulv est admixtus, instar pulmenti, crebro esitet, subinde vinum bibat rubeum, in quo pruna sylvestria sunt incocta.

In febribus. In febrilibus æstibus, si abortus metuatur, & corpus sit plethoricum, post quartum gestationis mensem, venam medianam vocatam.

vocatam dextri humeri tutò incidere licet, & corpus à putridis humoribus vel manna vel pulpa cassiæ purgetur, & his topicis utendum, quæ paulo ante in febribus gravidarum commemorata sunt. Inprimis vero utile est lumbricos terrestres cum aceto rosaceo contusos instar catapl. imponere arteriis in carpa, aut Epithema ex succo rutæ, aceto rosaceo & albugine ovorum confectum, linteolisque exceptum applicare, aut cataplasma ex hordeacea farina & succo semper vivi Ventri imponatur.

In morbis periculosis aliis. Si vero aliorum graviorum morborum occasione abortus timeatur, veluti tussi, lienteria, Epilepsia, mensium fluore, sanguinis profluvio, tum ad eorum morborum curandi modum in superioribus traditum confugiendum erit, & iis remediis utendum, quæ fætui nullam noxam inferant.

Retentricem uteri corroborantia. Mulierculæ quæ crebro abortire consueverunt, hæ studebunt sedulo, ut & internis remediis retentivam vim uteri corroborantibus subinde utantur: tales autem sunt rotulæ Diamarg. vocatæ, rad. zedoariæ, cancri fluviatiles cum jusculo pullorum contusi. *Balsamus quoque puerorum, dicta aqua stillaticia pretiosa, insignem vim habet & fætum & matrem confortandi, sicque abortum prævendi, si ejus cochleare 1. assumatur, & linteum eo madefactum umbilico imponatur.*

Experimenta singularia. Pro præsenti experimento autem utuntur nostrates mulierculæ ossiculis leporum in articulatione cruris & tibiæ repertis, quæ nostris **der Hasensprung** vocantur, si ea pulverata cum vino crebro bibantur, aut etiam collo appensa gestentur. Similiter & ungulæ ursinæ in collo gestatæ & lapis Aëthites, **Adelerstein**/ in collo gestatus, & cinis Erinacei cum pauxilla pinguedine scrophæ, quæ nondum peperit, in linimenti formam redactus & utero illitus. Reperiuntur & vermiculi sub rad. graminum majorum evulsis colore subrubicundi, qui sindone illigati, & in collo gestati specifica virtute prohibent Abortum. Quin & fætum legitimo tempore nascentem eniti prohibent, donec removeantur. Ventri autem commodissimè attrahentia & constringentia Empl. imponi possunt, qualia sunt hæc sequentia.

℞. Pulv. Tragacanti, Gummi Arabici torrefacti, Bdellii mollis & subalbidi an. ℥ s. Acat. Thur. Hypocyst. sandaracæ an. ʒ I. Boli Armeni com. sang. Dracon. succini citrini an. ʒ II. Ceræ ℥ s. Glutinis usitati, in aq. plantag. resoluti q. s. *Emplastrum ventri & lumbis applicandum.*

Omnibus in calido mortario probè contusis, fiat Emplastrum, & per alutam extendatur, & instar ceroti Ventri lumbisque imponatur. Aut

℞. Pulv. Thuris masculi, sang. Dracon. Boli Armen. an. ʒ III. Balaust. nucum Cypressi an. ʒ II. Picis navalis ℥ I. s. Ceræ q. s. *Cerotum.*

Fiat l. a. Cerotum, & per alutam extendatur. Quin & lumbi abortum metuentium sequent. linimento utiliss. quotidie inungi possunt.

℞. Ol. rosac. myrtill. è mastich. an. ℥ s. ol. caryoph. destillati ʒ I. Coag. leporis ʒ II. Ceræ q. s. *Linimentum.*

Fiat linimentum, cui admisc. pulv. tenuiss. eboris, cornu cervi usti, spodii, Boli Armen. an. ʒ s.

Porro gravidæ abortum passæ per omnia ut puerperæ sunt tractandæ, viresque earum convenienti victus ratione corroborandæ. *Sæpius enim magis debilitantur abortientes, quam tempestivè parientes & gravioribus affliguntur symptomatibus.* De puerperarum autem tractatione paulo post disseremus.

SECTIO IV.
DE PARTURIENTIUM ET PUERPERARUM AFFECTIBUS.

I. *Partus quid, quæ partuum differentiæ, quæ instantis partus signa, quomodo dolor parturientium intermissus rursum excitandus, & quibus affectibus parturientes & puerperæ potiss. affliguntur?*

Τόκος, τέξις, partus, est ipsa tota pariendi actio & fætus enixio. Utero e- *Partus quid.*

nim

nim gerentes 7. menſe raro, ſed tamen vitalem, 8. menſe rariſſ. & ſemper vel mortuum, vel paulo poſt moriturum, Nono menſe ſive 40. à conceptione ſeptimana ſuperata, frequentiſſ. communiter & ſecundum naturæ curſum, fœtum in lucem edunt. Tum enim fœtus grandior & robuſtior factus violentius ſe commovendo & calcitrando membranas duas Amnion Agninam; & Farciminalem perrumpit ac lacerat, & tertiam quæ ſecundina nominatur, & exterior eſt, à cotyledonibus, quib. venis & arteriis alligata eſt, ſolvit & laxat, ac inde admirabili ac planè divina manuductione ac ope per anguſtiſſ. viam inter duo oſſa pubis tanquam per rimam anguſtam inter duos ſcopulos ſitam, in hanc ærumnarum vallem cum lachrymis & ejulatu progreditur, ſupinus cælum verſus aſpiciens; in qua actione niſi auxiliator Deus adeſſet, & infantis & matris vita tanquam in tenuiſſ. filo pendens, in extremo eſſet diſcrimine conſtituta. Differentiæ partus ſunt duplices: Naturales & Præternaturales. Naturalis partus fit, quando fœtus legitimo tempore ruptis ſuis involucris hoc modo in lucem progreditur, ut primum caput exerat ſupinus, deinde cervicem & humerum, tandem thoracem, ventrem ac pedes, manibus lateribus applicatis, & uſque ad genua protenſis.

Cauſa partus tempeſtivi.

Admirandum Dei opus.

Partus differentia.

Naturalis.

Præternaturales partus habentur, quicunque à naturali jam deſcripto, quoquo modo recedunt, id eſt, quando vel non legitimo tempore fœtus elabitur, vel ubi primum pedes aut manus ex utero exerit, aut quando uno pede aut una manu aut dorſo aut cervice, aut pectore ad os uteri devolvitur ac prodit: tum enim ſemper pariendi difficultatem adfert. Ubi maximè induſtria obſtetricis deſideratur, quæ ſciat molliſſ. manibus oleo liliaceo inunctis fœtus in utero præternaturalem ſitum iterum in naturalem aptiſſimè deducere, dirigere ac conformare, & ita tandem enitente matre fœtum molliter excipere.

Præternaturalis.

Obſtetricis perita induſtria.

SIGNA inſtantis partus omnibus gravidis communiſſima, ſunt vehemens dolor & anxietas, non tamen in omnibus æqualis, qui dolor parturientium nominatur, & omnibus parturientibus accidere conſuevit, exceptis pleriſque meretriculis, quæ Sathanæ ope ac ſuaſu, ne ſuam impudicitiam prodant, fœtum prodeuntem horribili parricidio extinguere conantur. Dolor autem hic ſentitur in lumbis, pectinis oſſibus, imo Ventre, in inguinibus ac cruribus, denique ſuperior Venter contrahitur, in imo vero gravitas & tumor perſentiſcitur, adeoque tota moles in pudendum decumbit; cervix uteri dilatatur & inflammatur, & quibusdam primum alba colluvies ex utero prolabitur, & aſſidua mejendi cupiditas gravidam infeſtat, poſtremo ubi jam ruptæ ſunt membranæ fœtum involventes, ſtatim profluit aqua ſatis copioſa, eaque ſeroſa vel ſanguine diluta, quæ nihil eſt aliud quam lotium fœtus in membrana farciminali tempore geſtationis collectum, cujus effuſionem ſtatim ſubſequitur infans in naturali partu, qui ſi diutius remoretur, partus difficultatem ſummam efficiet.

Signa partus inſtantis.

Dolor & anxietas.

Aqua ſeu ſeroſi humoris ante partum profluxus.

Dolor parturientium ubi ceſſaverit, fœtum imbecillem & uteri expulſivam facultatem proſtratam arguit. Poſt paucas enim horas hic dolor recurrit. Verum ubi totum ceſſent hi dolores, nec poſt multas horas redeant, & parturientibus oſcitationes, pandiculationes & horrores ſuperveniant, certiſſima ſunt indicia fœtum in utero extinctum eſſe.

Doloris ceſſatio, malum.

Indicia fœtus extincti in utero.

Ut vero parturientium dolor ob fœtus aut expulſivæ virtutis imbecillitatem intermiſſus excitetur, utiliſſimum eſt parturienti ʒ I. pſeudo chamedrios, quæ herba cum cæruleis floſculis in vepretis naſcitur, quam noſtrates **Lopkraut** vocant, vel etiam verichamedrios cum hauſtulo vini propinare; ſtatim enim, ubi non eſt extinctus fœtus, dolores parturientium rurſus excitabuntur.

Dolores partus quibus renovandi.

Affligunt autem potiſſ. parturientes & puerperas hæc ſymptomata.

Partus difficultas.

Secundinæ in utero retentio.

Fætus in utero extinctio.
Sanguinis post partum nimia effusio.
Cruoris concreti in utero retentio.
Ventris post partum inflatio, &
Febris.

2. Partus difficultas quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quibus remediis partus facilior reddendus?

Δυστοκία pariendi difficultas est, ubi fætus legitimo tempore instante impeditus, cum difficultate in lucem progreditur. *Causæ difficilis partus.* Causæ difficult. partus προηγουμέναι sitæ sunt partim in vitiosa & inepta constitutione uteri, partim in membranarum fætum contegentium crassitie & tenuitate, partim in fætus imbecillitate aut extinctione, partim in matris ignavia aut debilitate. *Ratione uteri.* Ratione uteri difficilis fit partus, si cervix ejus sit angusta aut distorta aut multa pinguedine, aut inflammatione, aut apostemate obsessa, aut in utero vis expulsiva est labefactata.

Ratione membranarum. Ratione membranarum, si hæ, potissimum autem farciminalis, in qua continetur urina & sudor infantis, justo crassiores extiterint, ita ut ex calcitratione fætus rumpi nequeant: aut dicta farciminalis nimium sit tenuis, & perrumpatur antequam instet tempus motus infantis ad progressionem. Tum enim ex ea aquosus humor totus profluit & uterus exiccatur difficilemque efficit partum. *Ratione fætus.* Ratione fætus fit partus difficilis, si fætus justo grandior magnum habeat caput, aut præternaturali situ, utpote pedibus, manibus, dorso, clunibus, ad os uteri progrediatur, aut ubi fætus adeo sit imbecillis, ut movere se ad exitum nequeat, aut ubi prorsus est extinctus. *Ratione matris.* Ratione matris parturientis efficitur partus difficilis, si ea sit vel primipara, vel ætate tenella, vel per morbos antecedentes viribus exhausta, adeo ut inter parturiendum eniti nequeat, & fætum protrudere non valeat.

Causæ externæ & antecedentes. Προκαταρκτικαί. Causæ fætus progressionem impedientes sunt, ambientis aëris vehemens frigiditas aut vehemens caliditas, crebræ esitationes rerum constringentium & alvum obstringentium, crebræque balneationes in frigido constringente liquore.

Signa. Signa causarum recitatarum peritis obstetricibus manifesta sunt & facilè internoscuntur. Periculosi sunt partus in iis quæ fætum mortuum in utero habent: & difficultatis partis certissimum est indicium, si dolores non ad imum ventrem & inguina descendunt, sed supra umbilicum aut in tergo tantum perseverant.

Prognostica. Prognostica signa hæc sunt certissima. Pinguiores mulierculæ semper pariunt difficilius quam graciliores, & masculum gerentes facilius quam fæmellas. Difficultati partus sternutatio superveniens signum est exoptatum: promovet enim fætum ad exitum. Dolor parturientium cessans vel desinens ad multas horas, si superveniat rigor & pandiculatio atque oscitatio, fætum in utero extinctum esse arguit. Parturiens si viribus destituatur, & frigidum sudet, & pulsus arteriarum concitatiores reddantur, præsentem mortem matri minatur.

Curatio in quibus consistat. Curatio difficultatis partus ejusque alleviatio omnis consistit primum in industria & peritia obstetricis, secundo in parturientis obedientia, strenua tolerantia in laboribus parturiendi; tertio in remediis vim expultricem uteri excitantium, meatus uteri aperientium, fætumque promoventium exhibitione.

Obstetricem qualem esse conveniat. Quod ad obstetricem attinet, ipsa debet esse robusta, animosa & ad exhortandam & consolandam parturientem idonea, & quæ causarum difficultates internoscere, omniaque impedimenta amoliri sciat. Porro *Ejus officia circa parientes.* obstetricis officia circa parturientem hæc sunt. *Primum.* Primum oportet eam piam, gravem, & affabilem esse, quæ sciat parturientem exhortari ad patientiam, animique fortitudinem, doloris ac laborum tolerantiam. *Secundum.* Deinde instante partu, cavendum est, ne multis cibis gravetur parturiens, sed satis erit ova sorbilia degustare, & panis micam in vino cretico aut alio generoso imbutam comedere. Prospiciat deinde obstetrix ne alvus parturientis sit excrementis infarcta, & si id contingat, subducatur alvus glande ex sa-

pone

pone Venetiano confecta, & ol. chamæm. imbuta. *Tertium.* Tertio exploret obstetrix mitissima contrectatione manuum ol. liliaceo calente inunctarum, utrum uteri osculum sit apertum; quod si patet, collocet gravidam in subsellium conveniens aut pulvinare, & subinde illiniat lumbos & pudenda parturientis pinguedine gallinarum aut ol. liliaceo. *Quartum.* Quarto si obstetrix deprehenderit fœtum non naturali situ ad exitum properare, manibus molliss. dirigat, retrudat & attrahat eousque, donec situm naturalem nanciscatur. *Quintum.* Quinto si membranæ fœtum involventes crassiores extiterint, & ex calcitratione fœtus rumpi nequeant, apprehensas vel unguibus laceret, vel forcipe incidat. *Sextum.* Sexto si vero ob earum membranarum tenuitatem citius quam par est rumpantur, & aqua in eis contenta effluat, antequam fœtus ad exitum commoveatur, tum utero infundenda erit mucago ex rad. Alth. & Fænugræci confecta: aut ol. liliac. alb. tepidum: & ita mitissime infantem prodeuntem excipiat.

Parturientem quid facere deceat. Gravidam autem parturientem 1. Forti animo esse oportet. 2 Et omnem spem in benignitatem Dei paternam collocare, persuasumque habere, Deum in hisce angustiis opitulaturum, & suam creaturam conservaturum. 3. Tandem obediat sedulò obstetrici, administrantibusque mulierculis. 4. Atque strenuè enitatur, monente obstetrice, ad expellendum fœtum spiritum detinendo & ad inguina depellendo. *Intempestivè enim si id fiat, irritus labor est, & vires solummodo atterit, sed aperiente se utero, non cunctandum, sed Naturæ subveniendum omni conatu. Qua in re sæpe peccatur ab obstetricibus nimis citò urgentibus ad enitendi conatum.* Commodissimè autem & sternutatio per elleborum aut piper naribus inditum inter parturiendum excitari potest. *Exigente nempe necessitate, & Natura quiescente ultra tempus, ut fœtus eò citiùs propellatur.*

Remedia partum facilitantia. Remedia porro cum Topica & foris applicanda tum intra corpus assumenda, quæ difficultatem partus facilem reddunt, hæc sunt præcipua. Specifica proprietate partum facilem reddunt, lapis Aëtites, Smaragdus & Jaspis & corallia rubra, & herba viridis coriandri, & rad. polygonii contritæ, & arthemisia contusa, cruribus alligata. *Intra corpus exhibenda.* Intra corpus vero plurimum facit ad alleviandum partum, si pauxillum nidi hirundinacei in aq. coquatur & conteratur ac percolatum ebibatur. *Vide Consil. 363. Cratonis, ubi plura talia recenset.* Commendatur & aq. stillat. verbenæ, si ejus ℥ III, aut IIII. exhibeantur. Ineffabili experientia compertum est, facilem fieri partum si ʒ I. seq. pulvisculi cum aq. menthæ aut chamæm. ebibatur. ♃. Boracis ʒ s. croci, succ. albi an. ℈ s. fiat pul. tenuiss. aut ʒ II. ol. lauri cum jusculo cicerum epotæ. *Pulvis utilissimus.* Idem præstant & pill. ex Asa fætida conformatæ ʒ s. Utiliter quoque exhibetur pul. Bursæ pastoris ʒ I. cum vino, aut ♃. Troch. è myrrha ʒ s. croci gr. V. cinamom. ʒ s, fiat pulvis & ebibatur cum haust. aq. Arthem. aut pulegii. aut ♃. Gummi Bdellii, Myrrhæ, bacc. Sabinæ, castor. Agar. an. ℈ s. Diagrid. gr. VI. cinamom. ʒ s, fiat pulvis & ebibatur cum haust. aq. Arthemis. aut pulegii, aut ♃. Gummi Bdellii, Myrrhæ, sem. Sabinæ, castor. Agar. an. ℈ s. Diagrid. gr. VI. styrac. liq. ℈ s. formentur pill. cum pulpa cass. ciceris magnitudine, quarum ʒ I. exhibeatur. *Pulveres alii satis fortes.* *Luteum etiam liliorum alborum exhibitum cum aq. verbenæ, valdè prodest.* Præstat quoque II. cochlearia aq. cinamomi exhibere. *Vel ol. cinam. g. II. vel III. cum aq. lavendulæ, vel ol. succini g. VII. vel IX. cum aq. sabinæ vel verbenæ, quod potentiss. propellit fœtum. Observandum tamen hæc cautè admodum exhibenda, præsertim ubi fœtus naturaliter adhuc constitutus est, ne ei validioribus hisce pharmacis noceamus. Vbi autem suspicio est fœtus mortui vel aliàs malè dispositi, tuto exhiberi possunt. Sabina enim teste Galeno partum vivum enecat, mortuum expellit.* *Cautè fœtum expellentia exhibenda.* *Et sæpè absque omni causa præter rationem hisce remediis admodum torquentur ab imprudentioribus mulierculis parturientes, cum satius esset, balsamo puerorum supra dicto, vel haustulo vini matrem & fœtum roborare, & sic firma cum*

fiducia auxilium divinum expectare. In casu autem necessitatis, hæc & similia, summa tamen cum prudentia, nec coacervatim, propinari possunt.

3. Secundinæ sive membranarum Fœtum involventium in utero post partum detentio quid, ex quibus causis contingit, & qua ratione expelli extrahique debet?

Secundina quid. Τῶ χωρίȣ ἐν ὑςέρᾳ ἔκλειψις. Secundinæ in utero remansio. **Die Nachgeburt.** Secundina, est tertia & extrema fætus tunica, venis & arteriis à Cotyledonibus pronatis conspersa eisque connexa, quæ & umbilico infantis per vasa umbilici adhærescit, & quæ in naturali partu semper cum fætu excutitur: in præternaturali autem partu non nunquam post fætum enixum intra matricem remanet. *Causæ retentionis ejus.* Causæ autem detentionis hujus pelliculæ in utero προηγȣμ. sunt matricis imbecillitas in partu, & virium expulsivarum resolutio in matrice, valida connexio hujus membranæ cum Cotyledon. uteri, convolutio ejusdem ex calcitratione infantis, & in aliquam partem uteri detrusio, item repentina occlusio orificii uterini, & nimia exsiccatio uteri à partu, & tumor cervicis uteri ex difficultate partus.

Signa. Signa retentæ Secundinæ obstetrici manifesta sunt. *Debet enim diligentissime ea observare, an secundina etiam integra cum fœtu prodeat. nam vel minima ejus particula relicta, vitæ periculum inducere potest.* *Prognosticon.* Prognosticon notabile est. Relicta in utero Secundina, nisi maturè expellatur, brevi tempore putrescit, & suo tetro halitu Diaphragma, cor, Ventric. & cerebrum inficit, & perniciosa symptomata, veluti sunt strangulatio uterina, respirationis difficultas & animi deliquium, miseris mulierculis infert.

Curatio. Curatio consistit in causarum ablatione & emendatione, & relictæ secundinæ vel discussione, vel artificiosa extractione. Si itaque puerpera post enixum fætum secundinam discutere nequeat ob virium imbe- *Diæta.* cillitatem & virtutis expulsivæ debilitatem, primum convenientibus alimentis, veluti sunt juscula ex vino optimo & luteis ovorum, aut ex contusis pullis perdicibusque confectis, & pane vino cretico imbuto ac comesto restauretur & corroboretur, ac tandem puerpera spiritum cohibendo expellendæ membranæ adnitatur.

At vero si desiccata fuerit cervix uteri, aut propter tumorem angustior reddita, tum præstabit emollientibus lubricantibusque pharmacis, qualia sunt ping. Gallinarum, Anatum & Anserum & ol. liliac. & amygd. & mucaginib. rad. Alth. & Fænugræci tumentem uterum inungere & locellis uteri infundere, uterique cervicem humectare ac dilatare, aut fomento ex herba radicibusque Malvæ & Alth. in aq. decoctis intra cervicem uteri infundere, aut easdem herbas in sacculum consutas & decoctas tumenti loco imponere aut earum vaporem per canalem intra uterum recipere, aut vaporem seq. herbarum eadem ratione intra uterum recipere. *Emollientia & lubricantia.* *Fomentatio.*

℞. Arthemis. Marrubii, Abrotani, Puleg. Scord. ana M. I. Concisa in q. s. aq. coquantur & subjiciantur. Quin probè quoque eliciunt secundinam in utero retentam odorati suffitus ex Gallia moschata, Ambra, & Moscho ignitis carbonibus inspersis, & fumo intra uterum recepto, verum in hujusmodi odoratis suffumigiis, cavendum est sedulo ne fumi nares feriant. Tum enim uterus ad suaves odores sursum elevatur & labores facit. Ideo præstiterit tum naribus fætida quæque applicare, veluti sunt Asa fætida, castoreum, fumi incensarum plumarum aut veterum calceorum igni injectorum. *Suffitus pro utero.* *Cautela.*

Intra corpus vero assumenda sunt ad secundinæ expulsionem 9. gr. Juniperi contrita. aut ℈ II. Galbani contriti cum vini haust. & vinum in quo puleg. est coctum. *Secundinam expellentia.*

Dum hæc aguntur, puerpera subinde enitatur spiritum comprimendo, & secundinam deorsum pellendo. Proderit eodem tempore & momentum pul. Ellebo. albi aut piperis aut majoranæ singula aut simul mixta narib. indere ac sternutationem excitare. *Sternutamenta.*

Ubi

Ubi vero ea ratione commodè expellitur ſecundina, tum ol. roſac. tepidum per ſiphonem ad doloris mitigationem infundatur.

Protractio per obſtetricem. Verum ſi tenacius hæreat ſecundina, iiſdemque remediis propelli nequeat, tum ejus particula, quæ ex umbilico infantis prognati eſt abſciſſa, obſtetricis digitis apprehendatur, filoque ſerico alligetur & molliſſimè ſubtrahatur, hinc inde agitando, ut ſine dolore & uteri offenſione extrahi queat, quæ ſi tractionem ſponte non ſequatur, violenter minimè trahenda eſt, ſed ſericum filum crurib. eſt alligandum per aliquot horas, & iterum attractio molienda.

Pulvis ſecundinam expellens ſingularis. Seq. autem pulv. ℥ I. cum vino generoſo ebibita præclare expellit ſecundinam.

℞. Caſtor. Myrrhæ, ſtyra. liq. ana ℈ I. Cinam. & ariſtol. rot. an. ℈ s. Agar. Troch. ʒ s. Diagr. gr. v. croci, ſileris montani, ſabinæ an. gr. IIII. Opii Thebaici, Aſæ fætidæ ana gr. VI. fiat. pul. tenuiſſ.

Reliqua remed. genera ſecundinæ expulſioni opitulantia ex ſeq. curatione fætus mortui in utero, huc accommodari poſſunt.

4. *Fœtus in utero extincti Cauſæ quæ, quæ ſigna & quomodo expellendus?*

Fœtus mortuus quid. Εγκυ☉ νεκρὸς fœtus mortuus vitaque privatus. Sæpe extinguitur in utero fœtus, maximè tempore pariendi in partuſque difficultate, qui niſi ex utero ocyus expellatur aut eximatur, præſentiſſimum exitium & prægnanti infert.

Cauſæ. Cauſæ extinctionis in utero fœtus multiplices ſunt tum internæ, tum externæ, inter quas προηγούμεναι præcipuæ ſunt difficultas partus, ubi longa enixionis mora, ut quando parturiens per tres vel quatuor dies laborat, intervenit. Difficultatis autem pariendi cauſas paulo ante commemoravimus. Προκαταρκτικαὶ ſunt metus & conſternatio repentina, obſtetricis imprudens chirurgia circa extractionem fœtus, & violentorum remediorum ante & inter parturiendum exhibitio. *NB.* *Caſus item ex alto, contuſio ventris gravidæ, defectus alimenti fœtus ex nimio profluvio ſanguinis, calor præternaturalis in febribus, vel morbi maligni & alias fœtui noxii. Sæpè etiam dum nimis & inordinatè fœtus movetur, ſuffocatio ſuccedit, involvente ſe fœtu in ductum umbilicalem, ut vitalem ſpiritum ex arteriis uteri haurire nequeat, atque tum ductus umbilicalis exareſcit, uti experientia teſtatur.*

Signa. Signa fœtum in utero extinctum eſſe oſtendentia ſunt, ſi prægnans ambas manus in calentem aquam imponat, in eaque aliquandiu teneat, fœtumque non ſentiat, mortuum eſſe docet. Doloris parturientium in totum intermiſſio, eſt ſignum intermortui fœtus, præſertim ſi ſuperveniat horror & pandiculatio. Tum enim non amplius ſe commovere poteſt fœtus: Item moles in utero frigidior & gravior perſentiſcitur, quam dum viveret fœtus, & reclinante matre ex uno in alterum latus, fœtus inſtar lapidis convolvitur. Ubi fœtus in utero extinctus eſt, tum oculi gravidarum excavantur, & facies & totum corpus fœdo colore expalleſcit, & ipſa continua ſtranguria & teneſmo & inſomniis infeſtatur. Si fœtus mortuus ante tertium diem non eximatur expellaturque, ſubſequitur corruptio, & gravida tetrum reſpirat odorem.

Prognoſtica. Prognôſtica in fœtu mortuo in utero remanente. Si fœtu mortuo parturiens crebro in animi deliquium incidat, & acclamantibus nihil reſpondeat, nec oculos attollat, aut ſi crebrò ſpaſmo corripiatur, omneque alimentum averſetur, interibit & ipſa unà cum fœtu; ſi vero viribus conſtet, & alimentum admittat, & juſſis aſtantium obtemperet, bona ſpes eſt eam evaſuram, quare danda eſt opera, ut quam celerrimè ab emortuo pondere ac cadavere ipſa liberetur.

Curatio. Curatio ſive expulſio emortui fœtus duplici ratione perficitur, nimirum violenter expellentibus elicientibuſque remediis, & chirurgicis extractionibus. Quantum ad remedia attinet, quibus fœtus extinctus elici-

elici expellique debeat, hac ratione institui debet curatio. Initio si vires ferant collocanda est mulier in solium seu lavacrum in quo seq. herbæ sint incoctæ.

Lavacrum.

♃. Flor. chamæm. Abrotani, parietar. puleg. Arthemisiæ, Bethon. Malv. cum rad. Sabinæ an. M. II. Rad. Bryoniæ Aristol. long. filicis an. ℥ II. sem. fænugræci, lini, an. M. III. Concisa & contusa coquantur in tanta q. aquæ ut mulier usque ad umbilicum insidere queat. Aut si balneum perferre nequeat, consuantur eædem herbæ in sacculum, & in cerevisia concoquantur & imo Ventri ac lumbis circumponantur. Tandem inungatur pudendum mulieris & totus Venter ol. lil. & subjiciatur suffitus seu fumus rerum fætidarum, qualis est fumus ungulæ equi, aut Veteris calcei carbonibus ignitis impositi: aut excitetur fumus sequent. Trochiscis, & per canalem in uterum recipiatur.

Sacculus.

Trochisci pro fumo.

♃. Vernationem serpentis unam, Myrrhæ, Castor. an. ʒ I. Rubeæ tinctorum, stercoris columbini an. ℈ II. Contusis omnibus cum felle bubalo q. s. redigantur in Trochiscos, & carbonibus ignitis imponantur.

Pulvis fœtum mortuum propellens.

Intra corpus verò, si vires non sunt omnino prostratæ, commodè exhiberi potest ʒ I. seq. pul. cum haust. vini, in quo sabina est decocta, ♃. Asæ fætidæ ʒ s. sabinæ, Rutæ, Myrrhæ an. ℈ II. redigantur in tenuiss. pulverem. ℈ II. quoque Galbani aut Asæ fætidæ cum lacte alterius mulieris resolutæ ac bibitæ expellunt fætum mortuum. Similiter & ʒ I. seq. pulv. cum haust. vini in quo puleg. & sabina sunt cocta ebibita potenter fætum mortuum expellit, ♃. Sabinæ, Diptami Cretici, Rad. filicis, Boracis an. ʒ I. Asphalti ℈ I. misceantur fiat tenuiss. pulvis.

In ariditate uteri quæ conveniant.

Si vero ob ariditatem uteri fætus mortuus difficulter expelli queat, tum mulier bibat vini haustum in quo sabina, origa. puleg. an. p. I. & sem. fænugræci & rad. malvæ an. ʒ II. & ficuum n. III. sunt incoctæ. In uterum vero infundatur ol. lil. alb. Validissimè autem attrahit fætum mortuum seq. pessus cervici uteri insertus.

Pessus.

♃. Gummi Ammon. Opopa. Asphalti an. ʒ I. elleb. nigri. staphidisag. Aristol. long. pulpæ colocinth. an. ʒ s. scamo. ʒ I.

Ex quibus simul mixtis cum q. s. fellis bubuli conformetur massa & lanæ xylinæ involvatur, sindoneque obtecta & in tepido succo rutæ aut felle bubalo imbuta utero inseratur. Porro ubi his remed. fætus mortuus expelli elicique nequit, tum ad miserabilem illam carnificinam, ut mater salva conservari queat, confugiendum erit, & cadaver fætus, forcipibus, cultris & aliis ferreis instrumentis frustulatim incidendum, & uncis convenientibus sensim extrahendum, sine tamen læsione uteri, à perita obstetrice vel chirurgo. *Qua de re videatur Pareus l. 23. chirurg. c. 26.*

Extractio fœtus mortuus chirurgica.

Observandum quoque hoc loco erit, si mater, vivente in utero fætu, antequam in lucem edatur, emoriatur, tum statim os gravidæ mortuæ aperiatur, ut fætus liberius aërem haurire queat, ac deinde alterutrum latus imi Ventris recto vulnere novacula aperiendum, & deinde ipsa matrix incidenda venit, & infans vivus molliter eximendus. Qui autem ita nasci consueverunt infantes, à veteribus Cæsares nominabantur. *Vide Roussetum de Partu Cæsareo.*

Matre extincta ut fœtus vivus eximendus.

Cæsares.

5. Sanguinis ex utero immoderata post partum defluxio quomodo curanda?

Χορίων ὑπερκάθαρσις sive αἱμοῤῥαγία τῆς ὑστέρας μετὰ δυστοκίαν nimia sanguinis defluxio post partum. Crebro accidit puerperis, ut ex uteri Cotyledonibus dilatatis ex avulsione fibrarum venosarum, quibus connexæ erant cum secundina, sanguis justo immoderatius profluat, adeò ut nisi tempestivè cohibeatur, vires prosternat, & in animi deliquium conjiciat, cujus symptomatis curatio hac ratione instituenda est.

Sanguis qua de causa post partum immodicè profluat.

Ini-

Curatio. Initio dolorifica ligatio brachiis est adhibenda, & cucurbitulæ grandiores, sine tamen scarificatione, subinde infra mammas sunt affigendæ, ut nimirum sanguis ad superiora convertatur. Imo autem Ventri imponatur sacculus ex seq. herbis concinnatus.

Sacculus fluxum sanguinis cohibens.

♃. Corrig. Plantag. Amaran. purpurei, Rosa. rub. an. M. II. Balaust. Cortic. granat. Gallarum an. ℥ I. Acatiæ ℥ s. Contund. contusis, & concidend. concisis in sacculum Ventri adaptatum insuantur intersuanturque & in vino rubeo austero decoquantur, & expressa subindeque in eodem jusculo recalefacta Ventri imponantur. Ante verò sacculi applicationem exhibeatur ʒ I. seq. pulvisc. cum vino rub.

Pulvis restrictivus.

♃. Cornu cervi usti & præpa. pulv. corticis citri ana ʒ s. Troch. è Carabe, pul. Acatiæ an. ℈ II. Commisc. fiat tenuiss. pulvis.

Reliqua remediorum genera ad compescendum fluorem uteri facientia huc transferri possunt ex curatione superfluorum mensium in superioribus tradita.

6. Sanguinis in utero post partum retentionis Causa & signa quæ, & quomodo provocandus?

Qualis sanguis post partum evacuetur. Ἐποχὴ τῆς λοχείας sive καθάρσεως τῆς μήτρας μετὰ τὴν δυστοκίαν. Cessatio purgationis uterinæ à partu. Magna copia sanguinolentæ colluviei colligitur in capacitate uteri à partu, tum ex Cotyledonibus, tum ex ruptis secundinæ venis eo confluentibus, quæ secundum naturam statim à partu ex utero profluere consuevit, veluti menstruus sanguis. *Lochiorum retentorum symptomata.* At si talis colluvies diutius moretur in capacitate uteri, in grumos coalescit, deinde putrescit, & varia ac perniciosa symptomata, veluti Ventris tumorem, strangulationem uterinam, animi deliquium, febres & ulcerationes infert.

Causa. Causæ προηγούμεναι sunt expulsivæ facultatis uteri prostratio, & lentor crassitiesque colluviei. Προκαταρκτικὴ causa est ut plurimum pedum refrigeratio inter pariendum.

Signa. Signa obstetrici & administris mulierculis sunt manifesta.

Curatio. Curatio consistit in ejus colluviei suppressæ propulsione ac provocatione; sed singulari judicio ac prudentia opus est, ne per *Cautela.* medicamenta vehementia, nimium concitetur defluxio, *Vel calor præternaturalis excitetur.* Semper itaque medicatio à levioribus inchoanda est. Primum itaque sufficit in potu puerperæ nodulum seq. imponere, & ubi voluerit eum exprimere.

Pulvis Lochia provocans.

♃. Seseli cretici sive sileris montani ʒ I. cymini præparati ʒ s. Croci ℈ I. Castor. ℈ s. misceantur & colligantur in sindone, fiat nodulus.

Rad. Zedoariæ etiam in pulvere exhibita valdè prodest.

Ea ratione si non procedat fluxio colluviei, commodè exhiberi potest ʒ I. Troch. è myrrha, cum haust. vini tepidi.

Si grumi concreverint, quid agendum. Et si nec hac ratione discutiatur colluvies, & jam grumos concrevisse sit certum, tum ejus resolvendi causa applicetur sacculus ex seq. herb. confectus.

Sacculus.

♃. Malvæ. Alth. Flor. chamæm. puleg. calam. Bethon. Arthemis. an. M. II. Flor. lupuli M. I. Concisa in sacculo consuantur & intersuta cum q. s. aq. & aceti æ. p. mixtis decoquantur, & expressa subindeque recalefacta imo Ventri imponantur, & *Sternutamenta.* tum utile est sternutationem excitare momento piperis aut ellebori albi naribus inserto. Commodè & gutt. v. Olei vitrioli ante sacculi applicationem exhiberi possunt; & si ferant vires, corpusque sit plethoricum, vena talaris commodè incidi *Vena sectio.* potest. Quin & industria obstetricis, chirurgica apertione sanguis in *Exemtio sanguinis grumosi.* grumos concretus quoque eximi poterit. Huc referri possunt quæ supra in curatione suppressorum mensium proposuimus. *pag.* 470.

7. Inflatio seu intumescentia Ventris à partu quas habet causas, & quomodo curanda?

Inflatio ventris. Διόγκωσις τῆς γαστρὸς μετὰ τὴν δυστοκίαν, Ventris à partu intumescentia. Intumescit non raro Venter à partu, non secus ac in hydrope,

hydrope, & hinc ut plurimum hic tumor hydrops uterinus censetur.

Causa. Causa ejus προηγουμένη Retentio sanguinis in utero post partum. προκαταρκτικαὶ sunt frig. potiones in puerperio, quæ ut plurimum flatus distendentes in utero excitant, & pedum genitaliumque refrigeratio in partu.

Differentia. Signa sunt manifesta. Intumescit enim Venter nonnunquam duro, quandoque laxo tumore.

Curatio. Curatur internis & externis remediis. Initio si vires ferant totum corpus purgetur ʒ I. *Pillula.* pill. de hiera cum Agarico, cui adjecta sint gr. v. Diagrid. Deinde & in victus ratione & in medicatione adhibeantur, quæ flatus discutiunt, & serosos humores absumunt. Subinde itaque alimenta cymino, cinamomo, macere & croco condiantur. In medicatione autem, si absit febris, commodè *Condimenta.* exhiberi possunt, ʒ II. Ther. Andr. in haust. vini resolutæ. Et præstat sing. quoque diebus tum ante cænam tum ante prandium II. rot. diacymini aut Diagalangæ devorare, aut gutt. VII. ol. cymini quotidie cum trib. *Pulvis utilis.* cochlearibus vini ebibere. Aut utatur puerpera in jusculo cerevisiario mixto, ℞. Cymini præparati, zedoar. an. ʒ I. croci ʒ s. puleg. origani, scordii an. ℈ s. misce. fiat pulvis, cujus ʒ I. pro vice exhibeatur.

Topica. Foris vero utile erit Ventrem inflatum quotidie bis cum ol. Anethi cui parum ol. *Linimentum.* cymini sit admixtum inungere, & seq. sacculum in vino coctum & expressum tumenti Ventri imponere. *Sacculus pro ventre tumido.* ℞. Fol. Ebuli, flor. lupuli, rutæ, pulegii, artemis. calaminthæ, centaur. mino. Scordii an. M. II. Bacc. lauri, cymini præpar. an. ℥ II. concidend. concisis & contund. contusis, fiat sacculus, qui in cerevisia aut vino coqui potest. Ex iisdem herbis ac speciebus lavacra, insessionesque commodè concinnari possunt. Plura remed. genera ex hydropis curatione huc transferri possunt.

8. Febris Puerperarum causæ quæ & quomodo curanda?

Febris puerperarum. Πυρετὸς τῆς λοχοῦς μετὰ τὴν δυστοκίαν febris. puerperarum. Crebro à partu febribus corripiuntur puerperæ, cujus causæ προηγουμέναι sunt, non ritè ac sufficienter colluviei in *Causæ.* utero collectæ post partum purgationes, & cruoris in utero concreti putrefactio. Προκαταρκτικαὶ sunt vitiosa victus ratio, ut frigidæ aq. aut lactis potitatio, aut piscium concoctuque difficilium post enixum fætum esitatio.

Signa. Signa facile à quovis deprehendi possunt. *Adest enim calor præternaturalis, pulsus creber & vehemens, urina rubea, dolor capitis, sitis continua, & virium prostratio, aliaque febris symptomata.*

Curatio. Curatio consistit in causarum ablatione. Sed circumspectè remedia febrim mitigantia sunt adhibenda. Primum itaque si vires ferant, aut ʒ. x. pulpæ cass. aut ℥. I. s. Mannæ in pinguioris gallinæ jusculo resolutis corpus purgetur, & si id plethor. sit, vena *Diæta.* quoque talaris incidi commodè potest. In victus ratione puerpera cremore ptisanæ, aut aqua hordei, actu tamen calida, in qua cinam. & Thamarindi sint incocti, utatur. Spina dorsi & epatis regio inungatur seq. linimento.

Linimentum pro epate & dorso. ℞. Ol. rosar. Nymph. cyton. an. ʒ II. Ceræ albæ parum, fiat linimentum, cui admisce mucag. sem. psylii cum aceto rosac. factam. Cordi vero & carpis manuum seq. Epith. applicetur.

Epithema. ℞. Aq. rosar. plantag. acetosæ an. ℥ II. Meliss. Borrag. an. ℥ I. Aceti rosar. ℥ I. s. spec. Diamarg. frigid. Diatrion. santal. an. ʒ I. Commisc. fiat Epithema, quod linteolis exceptum applicetur.

Plura de curatione febrium libro undecimo Deo juvante dicturi sumus.

9. Recens Puerpera Quomodo tractanda?

Decubitus qualis esse debeat. Λοχὼ sive ἄρτι τεκοῦσα, Puerpera. Statim ubi peperit gravida in lectum mollem deducenda est, in eoque solito altius thorace & capite q. sedens collocanda, & eo usque quies est imperanda, donec sanguinea colluvies ex utero probè est purgata; fluorque ejus spontè cesset.

Vi-

Diæta. Victus autem ratio debet constare ex alimentis actu semper calidis & probè corroborantibus, similiter & potus calidus semper est adhibendus, nec à vino ei interdici debet. *Si nempe febris absit.* Fugiat omnia frigida cum actu tum potentia alimenta, & omnia concoctu difficilia, ut sunt lac, pisces, olera, carnes suillæ & aliæ fumo saleque conditæ.

Post 14. dies in balneum deduci commodè poterit. Interim provideatur ne alvus ei sit obstructa, & si id ei contingat esu prunorum Ungaricorum & glandibus rursum emolliatur. *Balneum.*

PRACTICÆ FRANCISCI JOELIS LIBER NONUS.


DE INFANTIUM ET PUERORUM MORBIS.

Sectio I.

DE RECENTER NATI INFANTIS CURA AC EDUCATIONE.

1. *Recens natus quomodo tractandus.*

Umbilicus à ligamentis solvendus.



Βρέφος sive ἀρτιπλαστὸς Infans & recens natus. Statim ubi in lucem prodiit infans, ab ejus centro, quod est umbilicus, ligamenta quibus involucra fætus umbilico sunt alligata, & non sunt aliud, quam vasa umbilicalia, abscindenda sunt. Debet autem hoc ligamentum priusquam abscindatur vinculo ex serico aut lineo facto intercipi constringi ac ligari per trium digitorum latitudinem à corpore infantis, & ita exterior à ligatura pars abscindi, quod ligamentum paulo post, & ut plurimum quarto die decidit sponte: Et si ex resectione umbilicus sanguine madeat tenuiss. pul. vel Boli Armeni vel cretæ vel argillæ inspergi debet, & imponi oleum olivar. rec. aut butyrum salis expers linteolis exceptum donec consolidetur. *Sanguinem sistentia & consolidantia.*

Observatio singularis ex ligamentis umbilicalibus. Circa resectionem umbilici infantis id notatu dignum ab obstetricibus observatum est, si in ligamenti umbilicalis ea parte quæ corpori est proxima rugæ aut nodi comparuerint, quotquot eæ fuerint, matri tot liberos adhuc procreandos pollicentur, quibus si careant, & planum prorsus ligamentum, matrem sterilem & sine liberis per mansuram indicat, & si rugæ rubeæ extiterint, masculos, si albæ fæmellas generandas restare arguunt.

Obligato umbilico tenerum corpus infantuli aqua moderatè calida diligenter abluatur, & obstetrix inter lavandum digito minimo, quantum fieri potest, vias excrementorum ac in primis nares & anum levissimè dilatet, & ad excernendum excrementa incitet: deinde ad lentum ignem infantem calefaciat mollissimisque linteis abstergat, & omnes corporis partes & coarticulationes in rectum situm figuret, ac reponat, fasciisque involvat ac colliget, colligatumque in cunas reponat; Et hujusmodi quidem balneatio infantis, & configuratio artuum per unum & alterum mensem singulis diebus ad minimũ bis reiteranda erit, & semper ab excretis sordibus emundandus. Neglecta enim regulari partium configuratione ac disposi- *Lavacrum.* *Emundatio & colligatio infantia.*

tione infantis, diſtortæ & deformes corporis partes naſcuntur, & ſi diutius in excrementis humidioribus jaceant, ut plurimum exulcerantur.

Inſtrumenta ſenſuum extergenda.

Quin & oculi & aures ſubinde tenuiſſimis linteolis aq. tepida aut lacte madefactis extergendæ & emundandæ veniunt, & veſicæ regio leniter demulcenda & ita ad urinæ expulſionem excitanda eſt, & inguina ſubinde ad ignem exiccanda veniunt, quod niſi fiat, putreſcunt facilè & exulcerantur.

Repoſitio in cunis.

In cunis autem obtecto capite ponendus eſt infans, capite paulo ſublimiori. Et lotio ſingulis diebus reiteranda eſt, ſemel ad minimum in die, & quidem ſemper à ſomno. Sed inter lavandum cavendum eſt, ne aq. in aures infantis influat.

Somnus quibus concilietur.

Poſt lotionem infanti ſomnus concilietur, quod his tribus remediis fieri docet Galenus, moderata cunarum agitatione, ſuavi modulatione, & papillarum ori inſertione.

Quoties lactandus infans.

Semper autem à ſomno peracto, & ſimul à balneo nutriendus eſt infans lacte materno. Sed cavendum ne in initio ad tertium uſque diem infans lac ſugat maternum; ſed alienum, donec coloſtrum id eſt lac concretum in mammis maternis vel emulſione vel exſuctione per organa vel inſtrumenta extractum ſit.

Coloſtrum exſugendum.

Nutritio infantis conveniens.

Porro quod ad recens nati nutritionem attinet, primis præſertim quatuor menſibus convenientiſſimum alimentum eſt lac, poſtea vero & pappa ſeu pulmentum liquidius ex micis panis ſimilacei minutim contriti, aut ex farina amyli & lacte vaccino confectum, adjecto non nihil ſacchari, ori infantis inſeri poteſt.

Pappa.

Lac maternum optimum.

Inter omne lac autem ad alendum infantem eſt ſaluberrimum naturæque infantis accommodatiſſimum lac maternum, utpote ad quod infans in utero ipſo jam dudum eſt aſſuefactus. Cum eo enim lacte ex uberibus matris ſimul & ςέργας & mores maternos imbibit infans, niſi forte mater adverſa debilique valetudine ſit adfecta, aut lacte prorſus deſtituta, aut papillas ſuctioni ineptas habeat, tum enim ex neceſſitate nutrix eſt adhibenda.

Nutrix qualis eligenda.

Deligenda autem eſt nutrix habitus inculpati, ætate mediocri, ſucci plena, floridi coloris, mundiciei ſtudioſa, moribus honeſta, & ab omni voracitate & ebrietate aliena, quæ ad minimum bis peperit, & liberos ſuos educavit.

Stultitia & mollities faminarum ſuos infantes lactare negligentium.

Principes autem mulieres & nobiliores opulentioreſque matronæ, ſi integra fruantur valetudine, & ob falſam quorundam medicorum adulatoriam perſuaſionem, ut ſi ſuos liberos lactent, formæ venuſtatem amittant, non tantum ſtultè, ſed & impiè agunt, quod ſuos liberos proprio & nativo, ab opificeque ordinato alimento ipſæ nutrire negligant, quæ id mercedis inde referunt, quod primum illa dulciſſima voluptate, quam honeſtæ matres ex lactatione percipiunt, fruſtrentur; deinde quod φιλοστοργία liberorum erga matres ſenſim imminuitur & extinguitur, ad alienamque nutricem convertitur.

Lac quale eſſe debeat.

Lac autem quo infantes nutriuntur debet eſſe inculpatum, & nulla vitioſa qualitate imbutum. Tale autem eſt ſi ſubſtantia inter tenue & craſſum mediocre ſit, & ſi ungui aut ſpeculo terſo ejus guttula inſtilletur, non defluat, ſed rotunda perſiſtat, ſitque colore candidiſſimum, ſapore dulciſſimum & odore jucundum.

Vitioſum lac.

Contra vero vitioſum eſt lac omne feroſum, aquoſum craſſum & caſeoſum. Colore autem ſi ad flavedinem vergat, bilis flavæ miſcellam continet, ſapore autem amarum itidem arguit; ſubnigrum vero cæruleum & acidum, melancholici humoris mixturam in ſe habet. Vitioſum quoque eſt acre ſalſum, alienique ſaporis particeps. Ex vitioſa lactis qualitate facilè conſtitutio & ægritudo matris cognoſci poteſt, & lac omne vitioſum offendit & noxam infert infantibus. Primum enim Ventriculum perturbat, tormina Ventris generat, alvum concitat, & alia ſymptomata infert, & ex lacte tenui feroſoque acquirunt infantes omne genus ſcabiei, ex caſeoſo, alvi obſtructiones, appetentiæ proſtrationem & vomitiones, ex flavo & acri lacte, alvi fluorem & puſtulas calidas, ex aquo-

Lactis vitioſi incommoda.

Vide l. 3. s. 3. q. 3. aquoſo, flatus & tormina. Quibus autem remediis & lactis in uberibus penuria reſtituenda ſit, & ejus vitioſa qualitas emendanda, ſupra inter mammarum morbidarum curationes indicavimus.

Quamdiu infans lactandus. Infantem per ſeſquiannum aut ad ſummum per biennium lactaſſe ſatis erit: & non ſunt adhibendi uberibus infantes, ubi mater denuo concepit, ſed ablactandi, ad ſolidioraque alimenta aſſuefaciendi.

2. *Quibus potiſſimum morbis infantes infeſtantur, & quomodo eos ægrotare agnoſcendum?*

Morbi ac ſymptomata, quibus infantes potiſſimum infeſtantur, hæc fere ſunt:

Infantium ſymptomata & morbi præcipui.

Epilepſia.
Capitis ardor.
Capitis intumeſcentia.
Capitis ulcera.
Vigiliæ continuæ.
Somnia terrifica.
Membrorum reſolutio.
Strabiſmus.
Pſorophthalmia.
Aurium purulenta fluxio.
Crebra ſternutatio.
Dentitio dolorifica.
Aphthæ.
Ranulæ ſub lingua.
Tonſillarum intumeſcentia.
Uvulæ elongatio.
Tuſſis, Aſthma.
Stomachi intumeſcentia.
Vomitus, ſingultus.
Ventris tormina.
Ventris inflatio.
Alvi conſtipatio.
Lumbrici.
Umbilici indecens magnitudo, Eminentia vel excreſcentia.
Calculus.
Urinæ difficultas.
Urinæ incontinentia.
Ramex.
Ani prolapſus.
Teneſmus.
Cutis excoriatio.
Cruſta, ſcabies.
Variolæ & morbilli.
Febris.
Corporis intumeſcentia.
Tabes ſive macilentia.

Infantum vero cum ſalubrem tum adverſam valetudinem oſtendunt coralli rubei collo pueri appenſi, qui donec florido rubore nitent, ſanum eſſe infantem oſtendunt, ſi vero decolorentur pallidioresque reddantur, affectum eſſe aliquo morbo infantem arguunt. *Indicia ægrotantium infantium.*

Recitatorum morborum ac ſymptomatum cauſas & ſigna cum partim in ſuperioribus commemoraverimus, partim in ſeq. tradituri ſimus, hic non apponemus, & ſatis hoc loco eſſe judicavimus, exceptis pauciſſimorum explicationibus, ſi ſingulorum curationi unum & alterum remedii juvantis genus adjecerimus. *Quomodo de inf. morbis agat.*

SECTIO II.
DE INFANTIUM AFFECTIBUS CAPITIS.

1. *Epilepſia infantium unde & quomodo curanda?*

Ἐπιληψία ſeu παιδίων νόσος comitialis & puerorum morbus, accidit infantibus ut plurimum, vel ob cerebri humidam & frigidam intemperiem, vel ob vapores ex inferioribus aſcendentes & cerebrum vellicantes. *Lumbrici enim in inteſtinis ſeſe moventes vel ſenſiles eorum partes arrodentes, Item lac vitioſum & acre, ſæpè epilepſiam excitant. Dentitio quoque difficilis, & morbi febriles, uti & variolæ ac morbilli ubi primum invadunt, haud rarò hujus mali cauſa ſunt.* *Epilepſia in infantibus unde.*

Arcent Epilepſiam infantium, ſmaragdus gemma, aut lapis in hirundinum Ventriculis circa oppoſitionem Lunæ & ſolis diſſectis repertus, aut ungula Alcis dextri pedis poſterioris, aut viſcus quercinus, & radix pæoniæ collo appenſa, aut in vola ma-

nus infantis complicato pugno retenta. Quin & ungula Alcis auriculæ ſiniſtræ inſerta, & cum ea titillatæ, paroxyſmum Epilepticum aufert.

Intra corpus ori ſubinde aut Syr. de Cichor. aut è card. benedicto illinitus magnum adfert præſidium. Aut

Pulvis egregius. ♃. Sem. pæon. n. IX. rad. pæon. viſci quercini an. ℈ I. Cranii hominis ſuſpenſi, ungulæ Alcis an. ℈ II. Cardamomi ℈ s. Moſchi gr. VI.

Succinum album cum aq. fl. tiliæ & ceraſorum nigrorum itidem valde juvat, præſertim in calidis affectibus. Redigantur omnia in tenuiſſimum pulverem, & infanti Epilepſia laboranti in lunæ magnis mutationibus ejus pul. ℈ I. aut ʒ s. pro ætatis ratione cum aq. lavendulæ aut liliorum convallium exhibe, aut commiſc. pul. cum ſyrup. è cichor. & ſubinde ori inſeratur. *Sal perlarum, & corallium etiam utiliter à Chymicis Neotericis exhibetur.* Foris autem plurimum conducit cervicem & ſynciput aq. lavend. confricare, *vel oleo ſuccini albi, quod efficacius paroxyſmum tollit.* In paroxyſmo eximatur digito ex ore infantis pituita ſeu ſpuma, & ſi commode fieri poteſt, penna ol. imbuta ori inſeratur, & infans ad vomitionem irritetur.

Vomitus. *Vomitus enim ſæpè juvat, ſi malum eſt ex ventriculo.*

2. *Capitis infantium ardor unde oritur, & quibus remediis ſedatur?*

Ardor capitis quid. Ardor capitis infantium aut puerorum Græcis Σειρίασις, eſt membranarum cerebrum involventium præternaturalis calor, qui, ſi modum excedat, in φρενίτιδα tranſit & infantem tollit.

Signa. Deprehenditur tactu ex ſyncipitis fervore, & rubedine aut flavedine faciei, ex vigilia & continua ejulatione.

Remedia. Curatur refrigerantibus ut ♃. Ol. roſ. unguent. popul. an. ℥ s. Alb. unius ovi, lactis ex ſem. papav. albi cum aq. roſar. expreſſi ʒ II. Subigantur ac probè commiſceantur, fiat Epithema, quod duplicatis linteolis exceptum ſyncipiti circa coronalem ſuturam, temporibus & arteriis carpi applicetur: *Epithema.* Aut eodem modo fiat pulmentum ex luteo ovi & inſtar catapl. locis prædictis imponatur, aut ♃. medullam cucurbitæ vireſcentis, & inſtar catapl. applicato. aut cucumerem recentem in craſſas laminas concidito, & præſcriptis locis imponito. *Topica refrigerantia.* Ex contuſis foliis ſolatri cum aq. roſar. Conſperſis fiat catapl. & imponatur. Mizaldus valde commendat catapl. ex fol. urticæ contuſis adjecta q. ſ. popul. confectum temporibus ſyncipiti & carpo impoſitum. Obſervandum autem præſcripta omnia actu quodam modo frigida admovenda eſſe, & ſubinde, antequam incaleſcant, renovanda. *Ubi tamen diligenter cavendum, ne actuali frigiditate contrarium inducamus affectum, & infanti exitium creemus.*

Saccharum ♄ cum aq. fl. tiliæ & ſambuci applicatum tepidè, idem præſtat efficacius.

3. *Capitis infantium intumeſcentia cum aquoſa tum flatuoſa unde, & quæ ejus ſunt Remedia?*

Intumeſcentia capitis duplex. Intumeſcit nonnunquam cutis capitis infantium ex collectis inter cranium & cutem aut aquoſis humiditatibus quod malum Græcis ὑδροκέφαλον dicitur, aut flatulentis ſpiritibus ibidem coacervatis, & ἐμφύσημα nominatur, quod crebro & adultis accidere conſuevit, & vulgus magno errore credit ſuturas calvæ in hoc malo ab invicem dehiſcere. *Aquoſa.* *Flatuoſa.*

Signa. Quæ ex aquoſa quidem collectione ſub cute oritur intumeſcentia, ea mollis eſt & œdemati ſimilis: Ex flatibus autem durior magis, renitens & majori cum dolore.

Curatio hydrocephali. Curatur ὑδροκέφαλος per ſeq. remedia. Primum ſubinde ſternutatio eſt excitanda, inſerta radice Gentianæ naribus. Aut

Trochiſci ſternutatorii. ♃. Caſtor. rutæ, Major. an. ℈ I. Macis, Croci, an. ℈ s. ſaccari albi. ʒ s. Omnibus tenuiſ. pulveriſatis cum felle gruis conformentur Trochiſci, inſtar lentis & exiccentur, quorum unus ſingulis diebus una cum aq, roſac. diſſolvatur, & naribus inſtilletur. Deinde univerſum caput inungatur quotidie bis ſequent. linimento.

Linimentum.

Epithema. ♃. Ol. Chamæm. ℥ I. ol. ſulph. ℥ s. Commiſc. poſt inunctionem imponatur lana calida, aut imponatur capiti infantis ſeq. Epithema.

♃. Sem.

℞. Sem. nasturcii tenuiss. pul. ℥ s. Aq. major. ℥ vi. Commisc. & calida linteolis excepta imponantur. Aut capiti applicetur seq. Emplastrum.

Emplastrum.

℞. Origani, calaminthæ, sabinæ, stæchados, serpilli, Major, nucis cupressi an. ʒ ii. Cinam. nucis mosch. Macis, cortic. citri an. ʒ i. Ol. lil. è costo. an. ʒ vi. Ceræ q. s. Commisc. fiat Emplastrum.

Odoramenta exsiccantia.

Utile erit & odoramenta exiccantia subinde naribus admovere, quale ita parari potest.

℞. Castor. major. rutæ, nigellæ, an. ʒ s. contusa colligentur in sindone, & crebro naribus admoveantur.

Apertio pericranii.

Hæc si non contulerint (est enim difficilis curationis) præstat chirurgica industria aquam subtrahere, facta incisione, aut in syncipite aut in fronte, aut hoc causticum remed. syncipiti apponatur.

Vesicatorium.

℞. Rad. flammulæ ʒ i. canth. ℈ ii. pulverata cum fermento & acri aceto conformentur in massulam & syncipiti per plures horas imponantur. Excitant enim vesiculas, quib. apertis aqua profluit. Notandum autem aquam subducendam esse sensim & quasi exstillando.

Inflatio capitis ut curetur.

Porro si intumescentia capitis infantium orta sit ex collectione flatulentorum spirituum, quam Avicenna inflationem capitis vocat, curatur remed. flatum discutientibus capiti infantis applicatis. Prodest itaque infantulis lac præbere in quo cymin. præpar. est maceratum & castoreum, capiti vero imponatur mitra confecta ex sequentibus.

Cucupha.

℞. Cymin. præpar. ℥ i. Flor. anethi, major. orig. an. M. i. Rorism. M. i. s. Concisa insuantur mitræ.

Quin & quotidie inungatur caput seq. oleis.

Linimentum.

℞. Ol. Anethi, amygd. an. ℥ s. olei cymini ʒ i. Commisc. fiat linimentum.

Experimentum singulare.

Adultis simul & puerulis si oriatur intumescentia ex flatibus præsentissimum remed. est caput confricare allio cum urina infantis commixto.

4. *Vlcera scabies quæ Capitis Infantium unde, & quæ eorum sunt Remedia?*

Differentia scabiei.

Duobus potissimum generibus crustosæ scabiei sive ulcerum afficiuntur capitula & facies infantium, sicca videlicet, quæ ex retorrida bile & melancholia adusta originem ducit, & cum squamis decidit, & humida quæ ex pituita & impuritate sanguinis oboritur, & confricata semper saniem exsudat. Materia autem scabiei ex calore facilè dignoscitur. Unum genus Græci ἄχωρες & Arabes saphatum nominant, quod ad siccam scabiem refertur; Alterum Græcis κηρίον id est favum vocatur, quod nimirum sicut in favo mel, ita in foraminibus cutis humor glutinosus melli similis continetur. Nostrates mulierculæ hæc duo scabiei genera **den Erbgrind oder den brennenden Grind** vocant, & non tantum in capite sed & in facie & aliis partibus accidere solet.

Achores.

Curatio.

Curatio consistit in emendatione lactis nutricis cum bona victus ratione, & in Topicorum remed. infantis capiti vel partibus affectis applicatione.

Lixivium.

In ulcere itaque humidiore & purulento primum pili capitis sunt subinde novacula auferendi & sæpius caput lavandum lixivio calido in quo incocta sunt fol. Myrtil. Rad. lapatii, sem. lupini & lentium, ac post lotionem sanies diligenter exprimenda & abstergenda erit.

Cataplasma.

Nicotianæ fœminæ folia imposita valdè quoque prosunt.

Si autem ardor cutis adsit, vel inflammatio, cataplasma imponatur ex fol. salicis aut lentibus palustribus aut fol. atriplicis contusis, & cum aq. rosar. conspersis, quæ & dolorem mitigant, & saniem eliciunt. Sublato hujusmodi catapl. inungatur saniosa scabies leguminibus pisorum in ore jejuno probè masticatorum, aut confricetur frustulo succidæ cum pisis cocto. Aut illinatur seq. unguento.

Vnguentum.

℞. Cerussæ, litharg. an. ʒ v. Granorum Mezerei ʒ ii. Lixivii ex cinere vitis aut urticæ percolati, ol. rosar. an. ℥ s. Lutei unius ovi in duriciem assati & minutissimè con-

contriti. Omnibus probè commixtis fiat unguentum, & singulis diebus post ablutionem & expressionem scabiei, inungatur eo locus affectus.

Experimentum singulare. Porro certissima experientia comprobatum est ad omnia genera scabiei in capitibus infantium plurimum opitulari camphoram, si super ferrum candens aduratur & in pul. redigatur, & scabiei inspergatur, aut cum pinguedine veteri suilla commisceatur & capiti inungatur, aut abluatur

Lotio capitis. crusta capitis tepida aqua, in qua incocta sunt mentastr. majoran. Thymus & satureja, ac deinde pilis abrasis inungatur seq. linimento, ♃. Litharg. Cerussæ an. ℥ II. Flor. sulphur. hydrarg. in saliva jejuni hominis extincti an. ℥ I. omnibus tenuiss. pulveratis cum q. s. ol. rosaceo commisc.

Vnguentum. diutissimeque in mortario agitentur, & in unguenti formam reducantur, quo scabies inungatur.

In sicca scabie quæ adhibenda. Si vero arida fuerit scabies, & cum squamis decidat, pili abradantur & caput lavetur aq. calida in qua decocta sint fumus terræ, beta, chamæm. thymus, & Epithym. & rad. elleb. nigri, & tandem ex præscriptis unguentis, uno, quod ulceri accommodatum maximè videbitur, subinde inungatur.

Vernicis usus in scabie. Si vero crusta vel in capite vel in facie infantis tenaciter hæreat, præsentiss. remedium erit vernicem pictorum linteolis instar Emplastri illitum scabiei imponere subindeque renovare. *Lapis item medicamentosus Crollii in aqua nicotianæ dissolutus, & impositus vel inunctus valdè juvat.*

5. *Vigiliæ continuæ puerorum unde & quæ earum sunt remedia?*

Somnus infantulis secundum naturam est. Vigiliæ autem ubi modum excedunt, *Causæ vigiliarum continuarum.* valde sunt noxiæ, & parentibus molestæ. Pueri enim vigilantes indesinenter vagiunt. Longæ vigiliæ itaque ut plurimum à mala acri & calida qualitate lactis nutricis, aut nimia ejus copia ingestionevè, aut dolorificis symptomatibus infantium, oboriri solent.

Curatio. Curatio consistit in causarum sublatione, & ipsis infantibus remediorum somniferorum exhibitione & applicatione. Prava itaque lactis nutricis qualitas primum emendanda est. Deinde doloris causa removenda, & linteola lectisterniaque infantis quam mundissima substernenda. Atque si *Siccitatis cerebri remedia.* adsit, ut plerunque adest, in vigiliis continuis siccitas cerebri, quod facilè ex signis deprehenditur, tum linteolum mundissimum frigida aq. madefactum & expressum supra caput infantis, interposito ligneo semicirculo, expandatur. Naribus autem infantuli ol. viol. cum pauxillo succo lactucæ commixtum illiniatur. Tempora vero inungantur unguento populino, cui gutt. aliquot aceti rosarum sint admixtæ. Quod si vero quis illud unguentum *Vnguentum somniferum.* magis soporificum esse cupiat, ℥ I. unguenti popul. admisceat tria gr. opii cum aceti rosarum exiguo ad lentum ignem resoluta. Aut applicetur temporibus & syncipiti Epithema ex sem. papav. albi minutissimè contusis, admixtisque aquis q. s. *Epithema.* rosar. & solatri, & pauxillo aceto rosaceo. Aut fiat catapl. ex sem. papav. albi contritis & album. I. ovi, & pauxillo aceto rosarum, lacteque mulieb. & temporibus, *Cataplasma.* syncipitique applicetur.

Suffimigium quoque ex thure, mastice & absinthio utiliter in hoc casu adhibetur. Manus pedesque infantis aq. calida, in qua capita papav. cum sem. sunt cocta, ante somnum abluere utilissimum est. Intra os vero non erit inutile syr. è papav. aut viola. ori infantis subinde illinire. *Aut gr. I. vel II. Laudani opiati in lacte dissolvere & pro ratione ætatis pueri exhibere.*

6. *Pavores seu somnia terrifica infantium unde & quibus Remediis curantur?*

Causæ expavescentiæ in somnis. Sæpè expavescunt & cum tremore excitantur infantes è somno, quod malum ut plurimum in infantibus comitari solet Epilepsia, & contingit infantibus ut plurimũ, quando calidis affectionibus, veluti sunt febriculæ, morbilli &c. detinentur. Maximè autem ex corruptione lactis & alimenti in Ventriculo, unde halitus fœtidus & teter vapor ad cerebrum exha-

exhalat: Hinc plerunque infantibus ex ore fœtidus halitus persentiscitur. *Lumbrici quoque hoc malum sæpè excitare solent.*

Curatio. Curatio in emendatione lactis, & ne nimia copia alimenti Ventriculus gravetur, consistit. Quare cavendum ne parvuli terrifico somno laborantes pleno Ventriculo cubitum deferantur aut indormiant, sed eo usque gestentur, donec & concoctio prius sit peracta, & os Ventric. occlusum. At si adsit calida aliqua affectio, à lactatione aut sumpto alimento, præstiterit ori infantis nonnihil mellis purificati illinire. *Inunctio ventriculi.* Quin & orificium Ventric. ol. cyton. & masticis an. ʒ. I. *cum ol. nuc. mosc. expr.* ʒ. s. simul mixtis inungere non erit inutile. Ante vero somnum rotulam t. Diamosci cum lacte solutam infanti ingerere utiliss. est, & si absit præternaturalis calor, per septimanam simul ℈ I. Theriacæ Andr. *Theriace.* Sed si pavoris causa sit vel febricula vel alia calida corpusculi affectio, ejus curatio ex propriis locis petenda erit. *Succinum item album hic exhibere juvat.* *Lumbricis quoque sua, quæ infra proponentur, remedia opponenda.*

7. *Resolutio nervorum aut impeditus motus infantium unde & quæ ejus sunt remedia?*

Paralysis infantium unde excitetur. Παράλυσις, nervorum resolutio, nostris die Lhamheit oder der Schlag. Sæpenumero resolvuntur nervi in articulis puerorum, in quibus vis motiva impeditur. Notum autem est nervorum omnium originem aut cerebrum, aut ejus rivulum spinalem medullam esse, quorum initia si crassis humoribus obstruantur, intercipiuntur spiritus animales, & sic impeditur motus membrorum. *Differentia.* Porro resolutio fit vel in toto corpore, vel in quibusdam membris tantum.

Curatio. Curatio consistit primum in lactis nutricis emendatione. *Lactis nutricis emendatio.* Emendatur autem lac Victus ratione calefaciente & extenuante. Abstineat itaque nutrix ab omnibus refrigerantibus & pituitam generantibus alimentis, veluti sunt pisces, lacticinia, carnes fumo duratæ aut sale maceratæ.

Lavacrum pro infante. Infans autem singulis diebus lavetur bis aq. calida, in qua incocta sunt frondes Juniperi, fol. rorismar. sium aquat. nasturt. aquaticum, bethon. serpill. rad. Valer. pimpinel. &c. Aut in qua cocta sunt sem. & flor. ex fœno pratensi excussi Hewsamen.

Frictiones & inunctiones. Post lotionem & abstersionem infantis, confricentur membra resoluta. Et si manus sunt resolutæ, cervix, si vero pedes, lumbi & spina dorsi. Et inungantur ol. de castoreo, & ol. lumbricorum terrestr. cui nonnihil aq. Juniperi sit admixtum.

Electuarium antiparalyticum. Celebre est & seq. Elect. ℈. I. aut ʒ s. singulis dieb. cum lacte muliebri exhibere.

℞. Calami aromat. cinam. mastich. rad. Dauci cretici, zedoariæ, caryoph. an. ℈. I. ligni Aloës, sandali citrini an. ʒ. s. moschi ℈ s.

Pulverentur exactiss. & cum q. s. Syr. è. stœch. fiat Electuarium.

Lixivium pro membris. Præstat insuper in paralysi infantium partes resolutas lixivio calido, in quo baccæ lauri, & sem. pæoniæ sunt incocta abluere, & deinde ol. laurino, cui parum ol. vitr. sit admixtum, inungere.

8. *Convulsio infantium unde & quæ ejus sunt remedia?*

Convulsio quid. Σπάσμος Convulsio est ubi nervi in articulis manuum & pedum convelluntur, & à naturali sua positione musculi distrahuntur, nostri den Krampff vocant. *Unde oriatur.* Oritur ut plurimum à copiosa lactis nutricis vitiosi & crassioris ingestione. Infestantur ut plurimum hoc malo circa dentitionem infantes, ubi nempè ea difficilis est, nec facilè per gingivas dentes erumpunt.

Curatio. Curatio in lactis nutricis emendatione, & in exuberantis qualitatis frigidæ, calidæ, siccæ, in corpusculo infantis alteratione consistit. *Emollientia alvum.* Initio itaque alvus infantis subducatur ʒ. III. aut ℥. s. cassiæ evulsæ, quæ cum lacte soluta ori infantis illiniatur.

Lavacrum in causa calida. Deinde si adsit præternaturalis calor aut Febricula, lavetur pars affecta decocto verbasci, violariæ, rad. malvæ & altheæ, ac tandem inungatur cervix & articuli convulsi ol. violar. & amygd. dulc. simul commixtis. *Inunctio.* Aut si articulos in pedibus convelli contingat, lumbi ac pedes iisdem oleis inungantur.

Ubi

In causa frigida lavacrum. Ubi vero corpusculum infantis frigida intemperies occupavit, lavetur infans aqua cal. in qua decocta sunt fol. salviæ, beton. rutæ, chamæm. meliloti, flor. lavand. &c. *Inunctio.* Inungatur autem ol. Irino aut lil. albor. aut chairino, cui pauxillum aq. Juniperi sit admixtum. Et præstat plurimum *Cataplasma.* cervici vel lumbis, & simul articulis convulsis cataplasma ex major. & rad. lilior. albor. simul contusis & cum melle commixtis factum imponere.

Prognosticon. Notandum hoc loco, artus puerorum, si tremuerint, certo subsequi aut spasmum aut Epilepsiam.

9. *Crebræ vel continuæ sternutationes infantium unde & quibus Remediis sedantur?*

Sternutationes crebræ unde. Ex acrib. humoribus vaporibusque ad nares ex cerebro influentibus Continuo sternutant infantes, à qua sternutatione, quæ vehemens est commotio cerebri, valdè concutitur cerebrum, cui malo hisce remediis succurrendum est.

In causa calida. Primum consideretur utrum caput calidius aut frigidius existat, quod tactu deprehendi potest. Ac si præter naturam incalescat caput, naribus illiniatur momentum olei vel nenuph. aut Violar. cum lacte muliebri temperatum. *Cataplasma.* Capiti vero imponatur cataplasma ex foliis portulacæ & medulla cucurbitæ aut cucumeris viridis cum ol. rosac. & q. s. farinæ hord. subactis confectum. Aut inungatur caput oleo ex florib. *Epithema.* salicis confecto: Aut imponatur fronti aq. rosf. cui pulvis rosar. sandal. rub. & sang. Draco. vocati succi sit admixtum, quæ duplicatis linteolis excepta fronti applicentur.

In causa frigida. Si vero caput frigidius esse deprehendatur, succus ocymi naribus illiniatur & odores malorum Aurantiorum, & majoranæ naribus admoveantur, & subinde calidiora juscula ex cervisia facta, infanti offerantur. *Epithema pro fronte.* Caput vero lavetur aqua calida, in qua serpillum & fol. rorismarini sunt incocta. Absterso deinde capite, frons & nares inungantur ol. chamæm. aut anethino. Fronti vero applicetur Epithema ex aq. Majoranæ factum, cui thus, mastix & myrrha sunt admixta.

10. *Strabismus infantium unde, & quibus remediis emendandus?*

Strabismus & oculorum detorsio & obliquitas. *Strabismus unde.* Detorquentur autem oculi in strabismo vel ad superiora vel inferiora vel ad latera quæ detorsio fit, aut ob musculorum oculos moventium à loco proprio revulsionem, aut ob crystalloidis humoris inversionem. Hac molesta deformitate laborante, Græcis στράβοι, latinis strabones dicuntur.

Prognosticon. Strabismus in recens natis emendari, sed difficulter potest, in pueris aliquo modo corrigi, in adultis vero nunquam emendari potest.

Curatio. In infantia itaque talis est curatio tentanda. Primum musculi in ambitu oculorum, qui oculos circumagunt, mundissimis linteolis calefactis singulis diebus confricentur; deinde ol. chamæm. inungantur, præcavendo ne in oculos oleum influat. Et si caput infantis excrementitia humiditate redundet, id quod ex salivæ copia, & *Cerebrum exsiccantia.* narium pituitosa destillatione deprehendi potest, tum naribus subinde odoramenta exiccantia, veluti sunt majorana, nigella, lavand. caryoph. & fumus ex accenso succino admovenda, & excrementa exiccanda veniunt.

Repositio infantis necessaria. Deinde infantes perpetuo in cunis ita collocandi erunt, ut recta in lumen aut in accensam lucernam intueantur, quæ contractioni oculorum sive strabismo contraria sit, & panni rubei coloris oculis opponantur, ut radios visivos recta in eum dirigere, & intuitum in adversam partem flectere assuescant.

11. *Pruritus inflammatio ac tumor oculorum in infantibus unde excitatur & quibus remediis curatur?*

Ψωροφθαλμία scabies seu prurigo oculorum. In oculorum palpebris infantibus pronascuntur exiguæ instar arenarum vel milii, pruriginosæ scabiculæ, quandoque cum inflammatione, nonnunquam cum tumore

Hæ oculorum affectiones unde. more & non raro cum exulceratione, quæ originem ducunt ex adfluxu ad oculos salsi aut acris humoris, quod malum ex continuo pruritu, rubore palpebrarum & tumore dignoscitur.

Curatio. Curatio consistit in lactis nutricis emendatione, deinde in ocularium remediorum applicatione. Plurimum hoc in malo conducit sæpe lac muliebre in oculos infantis instillare, aut butyrum ex lacte muliebri confectum oculis scabiosis illinire. *Butyrum ex lacte muliebri.* Prodest præterea scabiosas palpebras infantium sæpiusculè abluere purissima spongia ex decocto parietariæ & chamæm. aut easdem herbas concoctas instar catapl. oculis imponere.

In rubore & tumore oculor. remedia. Si adsit rubor & tumor scabiei, multum conducit Aloën puriss. in lacte muliebri resolvere & parum aq. rosar. admiscere, oculisque illinire.

In ocul. inflammatione. In inflammatis oculis infantium conducit illinire vel instar catapl. oculis imponere succum solani cum aq. ros. mixtum, aut imponere album ovi cum iisdem liquoribus diu agitatum ac concussum linteolisque exceptum.

Ad palpebras tumescentes. Tumescentibus palpebris infantium utiliter imponitur seq. Epithema.

Epithema. ℞. Rad. Chelidoniæ, rosar. rub. an. ʒ II. Myrrhæ, croci an. ʒ I. Quibus tenuiss. pulveratis admisce lactis muliebris cum aq. rosar. mixti q. s. quæ linteolis excepta oculis tumentibus imponantur.

12. *Aurium Purulentia in infantibus unde, & quibus remediis curanda?*

Affectus aurium varii in pueris. Ἰχωῤῥοῦντα ὦτα purulentæ aures. Crebro ex infantium auribus profluit aut serosus sanguis, aut pituitosum excrementum, aut purulenta sanies, & quandoque una & vermiculi procidunt, significantque cerebri malam constitutionem & humidam intemperiem, aut ruptum in cerebro apostema ac putrefactionem.

Aurium fluxio non temerè supprimenda. Porro etsi omnis evacuatio cerebri quæ per aures & oculos fit præternaturalis & molesta sit, fluxio tamen aurium temerè non supprimenda, sed sensim & probè prius purgato cerebro.

Curatio. Curatio fluentium aurium hac ratione instituenda est. Si crassæ sordes meatibus aurium sunt impactæ, primum auriscalpio leniter eximantur, & lana mollissima acus nodulo obvoluta extergantur. *Auribus instillanda.* Deinde emundatis auribus mel purissimum, quod virgineum vocant, cum vino rubeo ad ignem solutum & licio aut lana xylina exceptum auri fluenti tepidum inseratur, aut instillentur tres quatuorve gutt. hydromellis simpl. tepidi, aut instilletur aurib. sequens liquor.

℞. Mel. purissimi, vini rubei, an. ℥ s. Alum. croci, nitri an. ℈ I. quæ contrita simul leniter ebulliant, & guttulæ tres fluenti auri instillentur, Aut lana xylina excepta tepidaque auri imponantur.

In vehementi autem fluxione, temporibus & auribus imponatur milium tostum, & in sacculo consutum subindeque calefactum. Exsiccat enim omnem effluxionem.

Sacculus ad fluxionem vehementem. In purulenta saniosaque aurium fluxione utilissimum existit ol. ex sem. canabis expressum, aut ejusdem herbæ succum tepidum, aut ol. amygd. amar. cum pauxillo vini mixtum instillare.

Inflammationis aurium remedia. Verum si fluori accedat inflammatio capitis, & dolores intolerabiles excitet, mitigetur dolor & leniatur inflammatio, granis duobus opii Thebaici *vel laudani opiati*, cum lacte muliebri resolutis & in aurem instillatis.

Inflatulenta affectione. Si purulentæ fluxioni adsint flatus, quod ex tensivo dolore circa aures, & aurium tinnitu dignosci potest, tum maximè proderit sacculum ex flor. chamæm. meliloti, & origani concinnatum, vinoque conspersum *Sacculus.* & per calidum laterem calefactum, auribus applicare, aut laminam recens pisti panis tolerabiliter calentis, auri admovere, aut gutt. I. aut alteram ol. castorei instillare.

13. *Dentitioni difficili infantium & ex ea ortis symptomatibus quæ remedia conveniunt?*

Tempus dentitionis ordinarium.

Ὀδοντίασις aut ὀδαξισμὸς dentitio. Infantibus ut plurimum emergunt ex maxillis, gingivas perforantes dentes circa septimum à nativitate mensem, & aliis difficilius, facilius aliis erumpunt.

Symptomata difficilis dentitionis.

Difficilem dentitionem præcedere consuevit alvi turbatio ac fluxus, aut ejusdem nimia astrictio, gingivarum pruritus, tumor & inflammatio, aut exulceratio, quibus nonnunquam accedit & febricula, quæ symptomata seq. remediis curanda veniunt.

Alvum solventia.

Si alvus excitetur, fluxio alvi non est cohibenda, donec sponte cesset. Si vero adstricta sit alvus, ori infantis ʒ III. aut ℥ s. cassiæ inferenda est, aut ℥ s. mannæ in lacte resoluta.

Fomentatio.

Et præstat in dentitione, ut infans quotidie lavetur, & maxillæ fomententur aq. calida, in qua cocta sunt malva, althæa, flor. chamæm. & anethi.

Pruritum gingivarum sedantia.

Prurientes gingivæ commodè digitis crebro confricari, aut ori infantis dens lupi argento inclusus, aut corculum ex argento factum mandendum masticandumque assiduè ingeri potest, aut ut Ægineta docet, frustulum salitæ carnis masticandum præbere.

Dentitionem promoventia.

Tumentes gingivas, & jam ruptionem minitantes utilissimum est inungi aut cerebro leporino cocto & elixato, aut pinguedine leporina, aut gallinacea aut butyro recenti. Quin & maxillis oleum chamæmeli calidum lana molli exceptum foris utiliter imponimus.

Pareus gingivas sectione aperiendas suadet, si hæc non profecerint, quod absque periculo fieri potest.

Linimentum ad inflammatas gingivas.

Si inflammatæ sunt valdè gingivæ, & vehementiores excitant dolores, inungi debent ex ol. rosac. & cera candida facto linimento, quod cum succo solani aut portulacæ aliquoties sit elotum.

Ad exulceratas gingivas remedia.

At vero si gingivæ sunt exulceratæ, præstat eis illinire exiguum butyri salis experti, cui nonnihil mellis & pul. thuris sit admixtum, aut sequens linimentum, ℞. Butyri salis experti, mellis rosac. an. ℥ I. Terebinth. cum aq. plantag. ter elotæ ʒ s. commisc. fiat liniment. & gingivis inungatur.

Si dentitioni adsit febricula, ejus mitigandi rationem paulo post docebimus.

14. *Vlcuscula oris ac linguæ infantium unde, & quæ eorum sunt remedia?*

Differentia aphtharum.

Ἄφθαι Arabib. Alkonæ, nobis autem **die Schwammen** vel **der Poß**/ sunt exigua ulcuscula, linguam, palatum, fauces, gingivas & totius Oris ambitum obsidentia, quæ quandoque albæ, & minus sunt periculosæ, nonnunquam rubeæ, & magis noxiæ, non rarò etiam subnigræ, quæ omnium sunt pernitiosissimæ, spectantur.

Quando lethales.

Atra enim ulcuscula si difficulter maturescant & abstergi nequeant, ut plurimum lethalia sunt.

Vnde generentur.

Generantur ἄφθαι ex lactis aut serosa substantia, aut vitiosa acri urenteque qualitate; aut ex urentibus vaporibus ex prava concoctione Ventriculi infantium delatis.

Curatio.

Curatio Aphtharum consistit in lactis nutricis emendatione & ulcusculorum oris abstersione, & cum convenientibus remed. consolidatione. Statim itaque à parentibus à lacte vitioso nutricis subducendus est infans, donec humor vitiosus lacti admixtus è corpore evacuetur.

Lac emendandum.

Lactis vitiosi nota.

Porro lactis biliosam constitutionem flavus color tum lactis tum ulcusculorum ostendit. Rubedo autem aphtharum retorridi sanguinis est argumentum, pituitosam vero nutricis constitutionem, lactis tenuitas & serositas ulcusculorumque albus color commonstrat. Aphthæ subnigræ & lac ad cæruleum vergens, melancholici humoris redundantiam ostendit.

Quibus autem remediis cujusmodi vitiosi humores sint evacuandi, in superioribus abundè proposita sunt. Et si corpus nutricis sit plethoricum & rubescant aphthæ, aut flavo colore sint tinctæ, sanguis quoque per venæ sectionem detrahendus est.

Venæsectio in nutricibus.

Aphthæ autem seu ulcuscula in ore puellorum seq. remediis abstergi & consolidari possunt.

Abstergentia.

Sing. diebus ter quaterque confricentur aphthæ

aphthæ fol. viridibus ſalviæ in aq. prius ablutis, ac deinde vino rubeo imbutis, aut hydromel. concoctis, aut ſi rubeſcant, aut flaviores appareant aphthæ, abluantur decocto roſar. violar. & lentium in vino rub. quibus ablutis ſeq. liniment. illiniantur.

Limentum.

℞. Mell. roſar. ℥ II. cui admiſc. pul. violar. & ciner. hippuris herbæ an. ℈ I. Cornu cervi uſt. ℈ s. fiat linimentum.

Refrigerantia.

In inflammatis ulcuſculis, poſt elotionem & abſterſionem aphtharum, commodè illiniri poteſt ſucco lactucæ, ſolani, aut portulacæ, aut ſucco mororum aut diamoron. Prodeſt & ulcuſculis inſpergere pul. glycyrr. aut cum melle roſar. mixtum illinire.

Ad aphthas humidiores linimentum.

Aphthis humidioribus exiſtentibus prodeſt ſeq. linimentum.

℞. Myrrhæ, Gallarum, Thuris, Rad. chelidon. maj. an. ℈ I. Croci ℈ s.

Cautè hoc uſurpandum.

Omnibus tenuiſſ. pulveratis cum melle roſar. pondo ℥ s. excepta commiſc. fiat linimentum. Præſtantiſſ. eſt & experientia comprobatum ad aphthas remedium ſi ℥ II. mellis roſacei ℈ s. aut ℈ I. ol. vitrioli admiſceatur, eoque illiniatur. Plura remedia aphthas ſanantia, ex curatione affectionum linguæ ex ſuperioribus petenda veniunt.

L. 2. ſect. 7.

15. *Ranulæ ſublinguis infantium unde naſcuntur, & quæ earum eſt curatio?*

Ranulæ quid.

Βάτραχος ὑπὸ τὴν γλῶσσαν ranula ſub infantium lingua eſt tumori parvus fabæ magnitudinis cum inflammatione, ſpeciem referens ranulæ animalis, ſub lingua infantium nonnunquam excitatus. Naſcitur talis tumor utplurimum ex pituitoſo ſanguine ad ligamenta linguæ defluente, & infert non leves cruciatus, quandoque febriculas, balbutionem & vocis titubationem, & niſi celeriter curetur, interitum quoque adfert.

Vnde oriatur.

Ejus incommoda.

Curatio.

Curatur primum venarum liveſcentium ſub lingua, & tumor adjacentium cum ſcalpello apertione, & tumuſculi quoque inciſione ſanguiniſque pituitoſi expreſſione, & crebra tumoris confricatione cum ſale Armoniaco, & inunctione mellis roſarum cui nonnihil ol. vitrioli ſit admixtum. Plura pete ex ſuperioribus in curatione morborum linguæ traditis.

16. *Labiorum rimæ & aſpredo in infantibus quomodo ſanatur?*

Rima labiorum quibus ſanentur.

Ῥαγάδες rimæ, & ſciſſuræ labiorum. Rimulas & aſpredines perſanant ſuccus plantag. in quo reſolutum eſt Tragacantum, carpto lino exceptus & labiis impoſitus. Item pinguedo gallinæ ſciſſis labiis illita. Item albumen ovi, & pulv. maſticis ſimul mixta labiiſque illita. Aut

Vnguentum pomatum etiam hic utile.

℞. Flor. lactis & ping. quæ cochlearibus inter agitandum carnes coctas, præſertim bubulas, adhæret an. ℥ I. commiſceantur, fiat liniment. & aſpredinibus labiorum illiniatur.

SECTIO III.

DE MORBIS FAUCIUM ET PECTORIS INFANTIUM ET PUERORUM.

I. *Tonſillæ & fauces infantium quibus afficiuntur malis & quæ ſunt eorum remedia?*

Angina quid.

SÆpe numero intumeſcunt incaleſcuntque tonſillæ & laryngis muſculi in infantibus, quod malum Græcis συνάγχη. Latinis Angina, noſtris **Geſchwulſt der Zoch haken oder deß Halſes** nominatur. Pernitioſum eſt Angina malum, præſertim ubi tumor extra non eſt conſpicuus, ſed intra fauces vergit. Intercipit enim reſpirationem, & ſpatio 24. horarum, ſæpè etiam citius, miſere ſtrangulat puerulos. Qui vero foras protruditur, minus eſt periculoſus. Angina correpti nonniſi erecta cervice, & cum ſtrepitu magnoque conatu reſpirare poſſunt.

Quando periculoſa.

Curatio Anginæ internæ. Alvus ſubducenda.

Curatio Anginæ occultæ fruſtra tentatur. Si tamen ſolatii cauſa aliquid tentare cogatur Medicus, provideat ne alvus infantuli ſit obſtructa, ac ſi fuerit, glande ſive ſuppoſitorio exiguo ex melle, ſale, & trochiſc.

chiſc. alhandali facto vel enemate reſeretur ſubducaturque. *Collo applicanda.* Collo vero infantis ol. hypericonis aut chamæm. calidum, molli lana exceptum circumponatur. *Sacculus pro capite.* At ſi caput ſit humidius, & ſaliva in fauces defluat, ſacculus ex milio & ſale factus, ſæpiusque calefactus capiti imponatur. Intra verò fauces Diamoron & mel. roſarum illiniatur, ac reliqua curatio optimo adjutore Medicorum Filio Dei commendetur.

Tumoris externi remedia. In eminentibus verò extra collum tumoribus anginæ, intra quidem fauces, ut dictum eſt, Diamoron aut mel. roſaceum cui cinis hirundinum eſt admixtus, illiniatur crebro, collum vero ac tumor externus foveatur ol. chamæm. aut anethi molli lana excepto. *Cataplaſma.* Aut conficiatur cataplaſma ex nido hirundinis in aq. & pauxillo aceto cocto ad liquoris evaporationem, additoque q. s. olei chamæm. & farinæ hord. fiat catapl. & calidum tumori imponatur. Aut ut celerius matureſcat tumor, conficiatur catapl. ex luteo ovorum Terebint. p. æ. quibus admiſce pul. rad. alth. & ſem. lini ac fænugræci q. s. *Quando tumor aperiendus.* Ubi maturuit tumor, ſcalpello vel novacula incidatur mundificeturque & chirurgica induſtria remediis convenientibus conſolidetur, quemadmodum ſupra in Anginæ curatione docuimus. *Lib. 2. ſect. 8.*

2. *Vvulæ elongatio in infantibus unde, & quæ ejus ſunt remedia?*

Vvula unde relaxetur. Γαργαρέων Uvula. Infantibus non ſecus quam adultis ſæpe laxantur ligamenta columellæ ſeu uvulæ ab humiditate cerebri ad eam defluente; aut ubi nutrices, inter ſugendum papillas ex ore infantium repente & violenter extrahunt: Dependens autem uvula in fauces ſuctionem & deglutitionem lactis infanti impedit.

Remedia unde petenda. Sed quia de hujus mali curatione in ſuperioribus diximus, ſufficiet hoc loco unicum experientia comprobatum remed. adjicere. *Experimentum ſingulare.* Accipiantur lactis muliebris & aq. ſtillat. roſarum & majoranæ an. ℥ 1. Commiſc. in eoque liquore calefacto charta munda ſive papyrus duplicata palmæ latitudinem obtinens madefiat, & inſtar Epithematis vertici capitis infantis aliquoties imponatur.

3. *Tuſſis & gravedo infantium unde oritur & quibus remediis curatur?*

Catarrho h. e. deſtillatione excrementitiorum humorum cerebri ad infernas partes, infantes ac pueruli non ſecus quam adulti infeſtantur. *Gravedo quid.* Et ubi defluxio ad nares procumbit, Græcis κορύζα, id eſt gravedo, noſtris der Schnuppen nominatur; Sed ſi in aſperam arteriam illabatur, tuſſim excitat.

Tuſſis infan. Cauſa. Verum tuſſis infantium non tantum ex deſtillatione humoris in aſperam arteriam, ſed ex capitis quoque infantium aut refrigeratione aut calefactione immoderata, aut ex lactis importuna deglutitione, aërisque ambientis frigiditate oriri poteſt.

Prognoſticon. At ſi tuſſis vehemens ſit & diu perſeveret in infantibus, eos in tabem aut in ramicem, id eſt igninum perruptionem, ac poſtremo in mortem conjicit.

Curatio. In curatione utriuſque ſymptomatis & gravedinis & tuſſis primum conſideranda veniunt intemperies infantis, id eſt utrum infantuli corpuſculum juſto ſit calidius aut frigidius, & ita ſtatim nutricis lac in contrariam qualitatem & victus ratione, & medicamentis alterantibus catarrhoque & tuſſi adverſantibus convertendum erit. *Lac nutricis emendandum.*

Gravedinis remedia. Et quidem in curatione gravedinis, infantulo ea ſunt exhibenda & applicanda remedia, quæ paulo ante in ſternutationis infantium curatione ſunt commemorata.

Tuſſis ex cauſa calida. In tuſſis vero infantium curatione, ſi corpuſculum calidius exiſtat, lavetur infans cum aq. calida in qua decocta ſunt malva althæa violaria. Deinde abſterſo & ſiccato corpuſculo, pectus & hypochond. infantis inungantur ol. viola. aut roſar. Intra corpus autem exhibeantur ſorbitiones ex ptiſana hord. vel avenacea in qua rad. glyc. ſit incocta, & ori ſubinde ſyr. è glycyr. aut violac. illiniatur, aut ſeq. Electua. molle lambendum præbeatur. *Eclegma.*

♃. Pul.

♃. Pul. glycyr. pæon. ſem. lini an. ℈ I. ſpec. Diatrag. frig. ʒ s. ſyr. è glycyr. ℥ I. Commiſceantur, fiat Electuarium lambile.

In tuſſi ſicca quæ conveniant. Porro ubi tuſſis ſicca eſt & aſpera, & caleſcit corpus, ori eorum ſeq. Electuar. ſubinde illiniatur, ♃. Mucag. ex ſem. cyton. & lini ſimul contuſis, & cum aqua hyſſopi confectæ ʒ I. loch. è paſſulis ℥ s.

Eclegma. Conſer. roſar. ʒ II. pulv. ſem. papav. albi ʒ s. rot. Diatrag. frigid. ℥ s. contundantur ſimul diutiſſimè, & ſi non ſatis liquidum ſit admiſc. q. s. ſyr. viol. fiat electuarium molle.

Emulſio 4. ſem. frig. Plurimum conducit quoque infantulis tuſſi laborantibus & æſtuantibus præbere lac ex 4. ſem. frig. & ſem. papa. an. ʒ II. cum aq. malvæ aut ſcabioſæ ℔ I. Confectum. Aut ♃. Pulv. ſem. cyton. lini an. ℈ s. rad. glycyr. pæon. an. ℈ I. ſaccari penidii ʒ III. fiat pulvis. cujus pauxillum crebrò cum lacte inſtilletur puerulis. *Pulvis.*

In tuſſi ex cauſa frigida remedia. At vero ſi corpuſculum frigidius, & tuſſis cauſa frigida exiſtat, ſimili ratione, lavetur infans frequenter in calida aqua in qua concocta ſunt fl. chamæm. meliloti, anethi & bethonicæ, ac poſt lotionem iterum accuratè linteolis calidis abſtergatur, & calefiat, & pectus & hypochondria inungantur ol. chamæm. vel anethi, vel pinguedine anſerina, vel ol. amygd. dul. per ſe ſingulatim aut inter ſe commixtis ac calefactis. *Lavacrum.* *Inunctio.* Proderit etiam plurimum rad. linguæ ſubinde contrectare digito, & infantem ad Vomitionem pituitæ excitare, pituitamque ex ore digitis excipere. *Vomitus utilis.* Infantis vero ori crebro commodiſſime illinitur ſyr. de Jujubis aut ſyr. de hyſſope aut lochſanum & expertum, aut ſeq. Elect. *Eclegma.* ♃. Pulv. ſem. lini, urticæ an. ʒ s. Zedoar. ℈ I. Croci ℈ s. Rot. Diapen. ℥ s. ſyr. de hyſſ. q. s. Conterantur diutiſſ. fiat Electuarium molle, cui admiſce gutt. III. ol. aniſi. Aut ſaccarum candi reſolvatur in aqua juniperi aut hyſſopi, & tuſſientibus infantulis calidum præbeatur. *Lac canabinum.* Conducit quoque lac canabinum aut amygd. cum ſaccharo candi dulcoratum tepidumque crebro exhibitum.

Syrupus peculiaris. Sed præſentiſſ. adfert remedium in tuſſi infantium ſequ. ſyrupus crebrò oſculis eorum inſertus ♃. Aq. Juniperi ℥ IV. pulv. ſacchari candi ℥ I. Commiſceantur, & accendatur aq. Juniperi, ac eouſque inter ardendum agitetur, donec ſyrupi formam acquirat, & ſponte ſua extinguatur. His addi poteſt.

Hydromel. ♃. Rad. fænic. & glycyr. an. ʒ III. Contuſa coquantur in ℔ s. hydrom. qui liquor calefactus mane ac veſperi puerulis exhibeatur bibendus.

Alvum lenientia non negligenda. Tuſſientibus infantibus providendum eſt ne alvus ſit adſtricta, quod ſi contingat, ſuppoſitoriolo ſive glande ex albo ſapone confecto, & ol. chamæm. illito anoque inſerto, egeſtio eſt excitanda. Aut reſolvantur ʒ III. Mannæ in hydrom. & bibenda infanti præbeantur, Aut ori eorum illiniatur pulp. caſſ. ℥ s.

4. *Difficultas reſpirationis unde & quæ ejus ſunt remedia?*

Aſthma Infant. quid. Ἄσθμα καὶ δύσπνοια, Anhelitus ſeu reſpirationis difficultas eſt, ubi infantuli difficulter & cum ſonitu ſpiritum attrahunt ac reſpirant. *Ejus cauſa.* Quod malum ex iiſdem ferè cauſis quibus tuſſis oritur, nimirum ex infarctione & repletione aſperæ arteriæ aut fiſtularum pulmonis, cum craſſa pituita ex capite defluente, vel craſſis vaporibus gravato Diaphragmate.

Curatio. In curando difficili anhelitu aut ſonoroſa reſpiratione, lac nutricis, ſi craſſum eſt & pituitoſum, per victus rationem primum eſt emendandum. Deinde pectus & hypoch. infantis molliter primum calidis linteolis confricanda ſunt, ac deinde inungenda cal. oleo vel chamæm. vel amygd. cum butyr. recent. cui gutt. 3. quatuorve aq. Juniperi ſunt admixtæ. *Inunctio.* Quin & aurium & linguæ radicem, adeoque totum collum ol. amygd. aut lilia. inungere & imbuere utiliſſimum erit. Ori autem frequenter inſerantur remedia aperientia, meatus reſpirationis dilatantia, & ſimul emollientia, veluti ſunt hæc ſubſequentia, *Eclegma.* ♃. Pul. ſem. lini, zedoar. an. ℈ II. Croci gr. V. cum ℥ I. ſyr. de hyſſ.

 fiat

fiat electuarium, cui admisceantur gutt. III. ol. angelicæ aut ol. anisi, aut aq. Juniperi ℈ I. & ejus fabæ q. ori inseratur. Utilissimum quoque erit sing. diebus rad. linguæ molliter comprimere, & ad vomitum infantem excitare, crassamque pituitam ex ore infantis digitis excipere. *Vomitus.*

In compressione diaphragmatis quid agendum. Si vapores crassi gravant Diaphragma impediuntque anhelitum, prodest gutt. III. ol. cymini, aut ol. angel. cum III. cochlearibus hydromel. infanti exhibere, & hypoch. subinde cum ol. chamæm. inungere. Quin & nutrici sæpè assumendus erit pul. cymin. præpar. & providendum, ut infantuli alvus semper sit laxa.

SECTIO IV.

DE MORBIS INFIMI VENTRIS INFANTIUM ET PUERORUM.

I. *Stomachi infantium debilitas dolor & intumescentia unde excitatur, & quibus remediis curatur?*

Cardialgia quid. Veteres orificium Ventriculi cor nominabant, & ejus affectionem cardialgiam, quæ consuetudo mansit apud nostrates, ut & hodie orificium Ventriculi das Hertzgrüblin / & ejus dolorem & intumescentiam das Hertzspan vocitent.

Ejus causa. Afficitur autem infantibus orificium Ventr. aut ex vitiosi lactis copia, aut crassis flatibus ibidem collectis.

Curatio. Curatur καρδιαλγία, cavitatis sub sterno, quæ regio est orificii Ventric. *Inunctio.* inunctione cum oleo è mentha, è mastice & nardino singillatim aut simul mixtis, & impositione *Sacculus stomachalis.* sacculi ex fol. menthæ rosar. & absinthii & pauxillo mastiche addito consuti in vinoque rub. cocti, & expressi calentisque qui sæpiusculè recalefaciendus est. Intra corpus *Aqua Aparina.* verò mulierculæ nostrates exhibent aq. stillat. Aparines, sed præstiterit & efficacior redditur illa aqua, si eidem commisc. gutt. II. ol. stillat. aut caryoph. aut è mentha, aut è mastiche. Ego vero seq. pulvisculum cum lacte exhibere soleo. ℞. Pul. cornu cervi, coral. rub. præpar. an. ℈ I. Mastic. caryoph. an. ℈ s. misceantur fiat pulv. tenuiss. cujus ℈ s. cum lacte aut aq. menthæ exhibeatur. *Pulvis singularis in cardialgia puerorum.*

Ubi intumuit orificium Ventric. seq. Emplast. commodè imponi poterit.

℞. Olibani, mastic. Pul. Menthæ an. ℥ I. medullæ panis tosti, & cum aceto rosar. contusi ℥ s. Contundantur in mortario & conformetur Emplastrum. *Emplastrum ad tumorem ventriculi.*

Si verò adsit febricula vel caliditas præternaturalis, plurimum proderit infantis ori illinire Diacytonium simplex ex succo cum saccaro factum vel syr. Granator. *Febrilem calorem sedantia.*

Flatus autem si adsint, quod ex crebra eructatione percipi potest, proderit gutt. II. ol. cymini cum pauxillo aq. menthæ exhibere. Si crassi humores ibidem sunt collecti, gutt. II. olei Vitriol. cum vino commodè propinamus. *Flatus discutientia.*

2. *Singultus infantium unde & quæ ejus sunt remedia.*

Λυγμὸς singultus. Sicuti sternutatio cerebri, & tussis pulmonis, ita singultus est motus violentus Ventriculi, quo natura noxia expellere conatur. *Singultus quid.* Vellicatur enim interior tunica Ventriculi aut ab acribus aut à frigidis aut à calidis humoribus aut à vitioso lacte nutricis, aut à vaporibus flatulentis in Ventriculo contentis, quæ per singultum propellere conatur natura. *Unde excitetur.*

Singultus in ardentibus febribus aut in diuturna alvi fluxione non modò in infantibus sed & in adultis mortem præsentem significat. *Prognosticon.*

Curatio. Curatio. Si singultus ex vitioso lacte nutricis oriatur, statim nutricis lac est emendandum, & lactis assumpti revomitio excitanda. Excitatur autem vomitus in infantibus, si eorum lingua molliter comprimatur, & fauces immissa summitate pennæ titillentur. *Si ex lacte vitioso.*

Ubi autem singultus ex flatibus sit ortus, sternutatio est excitanda, & nares titillandæ. Sternutatio enim solvit singultum. *Si ex flatibus.*

At si regio Ventricul. frigidior deprehendatur, inungatur oleis calefactis, è mentha, nar- *Si ex frigiditate ventriculi.*

nardino, aut ol. absinthii, & subinde pauxillum vini generosi, quale est Creticum, ori infantis instilletur. Post inunctionem autem orificio Ventricul. imponatur sacculus ex mentha pulegio & serpillo confectus in vinoque coctus & expressus.

Si causa calida, singultum excitet. E contra si ad tactum orificium calidius deprehendatur, post vomitionem syr. granatorum aut acetos. citri ori infantis illiniatur, & regio Ventric. ol. rosac. & mastic. cui pauxill. aceti rosar. sit admixtum, inungatur, vel conficiatur Epithema expul. Mastich. cum album. ovi, & pauxill. aceto rosarum confecto, & orificio Ventric. imponatur.

Pulvis utilis in omni singultu infant. In omni autem singultu infantium, utilissimum erit ʒ s. pulvisculi ex cornu cervi usti & coral. rub. præparatis exhibere cum lacte, aut syr. è mentha.

3. *Nausea & vomitio infantium unde excitatur & quibus remediis curatur?*

Nausea & vomitus differentia. Ναυτίασις καὶ ἔμετος, Nausea & vomitus. Utraque affectio ex iisdem causis infantibus accidunt iisdemque remediis curari possunt. Et nausea quidem semper antecedit vomitum. Quanquam non semper nauseam sequatur vomitus, sed inanis & irritus conatus vomendi existat. Per vomitum expellit natura vitiosas & noxias è Ventricul. materias, quales sunt lac corruptum, aut copiosè ingestum, aut pituitosa colluvies aut biliosa in Ventric. collecta.

Signa ex materia per vomitum rejecta. Evomita materia si sit subnigra aut viridis, deinde & crocea, mala significat. Pituitosa autem & alba minus est periculosa. Biliosa evomitio caloris præternaturalis, pituitosa vero frigiditatis est argumentum.

Vomitus non statim sedandus. Vomitus moderatus infantium non est protinus compescendus, nisi diutius perseveret. *Natura namque per vomitum expellit ea quæ sibi molesta sunt & noxia. Unde in proverbio dicitur à mulierculis, Puerulos sæpius vomentes victuros saniores.*

Curatio. Curatio nauseæ & vomitionis infantium consistit in lactis nutricis emendatione, & moderata exhibitione, remediorumque cum externorum tum internorum applicatione.

Si itaque vomitio infantium ex pituita, aut lacte, vel frigida causa sit excitata, ori infantis illiniatur syr. è mentha cui pauxillum thuris, mastich. & caryoph. sit admixtum, Aut.

Pulvis. ℞. Coral. rub. præpar. mastic. an. ʒ s. Commisc. cujus ℈ s. cum lacte aut vino exhibeatur, & naribus infantuli subinde lamina panis tosti, & cum aceto irrigati admoveatur.

Linimentum. Foris vero orificium Ventric. adeoque totus Venter inungatur seq. ol. ℞. Ol. è mentha è mastich. nardini an. ʒ II. Quibus admisc. ol. stillat. ex caryoph. gutt. v. post inunctionem imponatur Empl. de crusta panis, aut lamina panis tosta, & vino generoso conspersa. Aut fiat sacculus ex fol. quercinis, menth. absinth. caryoph. & Mastic. simul mixtis, qui in vino rub. ebul. & expres. Ventri imponatur. *Emplastrum. Sacculus.*

Vomitus biliosi remedia. Interna. Ubi vero vomitio biliosa existat & adjuncta sit caliditas præternaturalis, præstabit infanti syr. ex omphac. aut Diacyton. simplex ex succo & sacchato paratum, aut syr. granator. ori infantis crebro illinire, quibus admisceri potest pulv. Trochiscorum de Berberis.

Topica. Cataplasma. Foris vero Ventric. inungatur ol. rosar. aut è cytoniis ac deinde seq. cataplasma imponatur. ℞. Pulv. rosar. contusar. Granat. Mastich. an. ʒ II. farinæ fab. ʒ III. subigantur cum suc. rubi aut aq. ros. fiat cataplasma. Aut seq. Emplastrum quod non tantum vomitum biliosum, sed & alvi fluorem sistit.

Emplastrum ad vomitum & alvi fluxum. ℞. Pulv. mastich. aloës, acatiæ, gallar. olibani an. ʒ II. panis tosti, & in aceto rosac. macerati rursumque expressi ℥ s. Subigantur cum q. s. ol. ros. & admisc. fabar. q. s. fiat. Emplast. quod Ventricul. infantis imponatur.

Potiuncula ad omnem vomitum sistendum. In omni autem vomitione sistenda, nullum est præsentius remed. quam si ʒ s. caryoph. & gr. mastich. ℈ II. simul concisa in ℥ VI. vini rubei ebulliant, & ejus liquoris usitati cochlearis mensura infanti ebibenda præbeatur, ac si calor præternaturalis absit, si II. gutt. ol. stillat. ex caryoph. cum pauxillo vini bibendæ præbeantur.

Vomitus infant. non citò Non temerè autem nec citò compescendus est vomitus infantium, & non nisi prius evacuata per vomitum materia, præsertim pituita,

compeſcendus.

pituita. Et ſi nauſea tantum adſit, & ſterilis conatus evomendi, tum præbeatur infantulo menſura 1. cochlear. aq. Juniperi per deſcenſum cum pelvi deſtillatæ, quæ egregiè per vomitum quicquid eſt vitioſi Ventricul. acervatim evacuabit, & ita tandem felix curatio ſuccedit vomitioni.

Aq. juniperi per deſcenſum, vomitum concitat.

3. *Ventris tormina & intumeſcentia in Infantibus unde, & quibus remediis curatur?*

Tormina Ventris unde excitentur.

Στρόφοι ſive ἄλγος τῆς κοιλίας, Tormina ſive dolor Ventris. Sæpenumero infantes dolore ac cruciatu Ventris torquentur, ubi nimirum flatulenti ſpiritus, aut acres humores, frigidaque colluvies in inteſtinis eorum ſunt coacervati & occluſi, id quod ex continuo, & miſerabili vagitu & contractione Ventris, inquietudineque deprehendi poteſt. Oriuntur autem tormin. ex vitioſo flatulentoque lacte nutricis, aut corrupto alimento aut alvi obſtructione, aut ex lumbricis. Ex iiſdem cauſis nonnunquam inflatur & intumeſcit totus imus Venter.

Inflatio Ventris unde.

Curatio.

Curatio Torminum in lactis nutricis emendatione & remediorum uſurpatione conſiſtit. Nutrici proderit in juſculo cereviſiario aut vinaceo crebrò exhibere pulv. cymini præpar. aut ſem. aniſi, fœniculi. Infantes vero utile erit in aq. calida in qua incocta ſunt flor. chamæm. anethi & abſinthii lavare, & poſt lotionem Ventrem calidis oleis anethi chamæm. & laurino, aut ſingillatim aut ſimul commixtis inungere: Aut præſcripta olea lana molli excipere, & umbilico imoque Ventri inſtar catapl. imponere.

Nutrici exhibenda. Lavacrum.

Inunctio. Ventris.

Alvum lenientia.

At ubi alvus eſt adſtricta, præſtabit infantis ori ſubinde ſyr. ex flor. perſicorum illinire, aut ʒ III. vel IV. caſſiæ recenter evulſæ, aut mannæ puræ ʒ III. cum juſculo prunorum diſſolutæ & percolatæ exhibere.

Si autem torminum Ventris vermes ſeu lumbrici cauſæ exiſtant, quibus remediis interimendi & expellendi ſint paulo poſt commemorabitur.

Inflatio. Ventris ut curteur.

Inflatur infantibus & intumeſcit non raro imus Venter, & ut plurimum hæc inflatio ex flatulentis ſpiritibus, aut vitioſo lacte generatur, nonnunquam verò ex pituitoſa colluvie in inteſtinis collecta, quod malum ita curabitur. Fol. ebuli aut cort. intern. ramorum ſambuci in vini & aq. p. æ. coquantur & expreſſa inſtar catapl. Ventri tumenti imponantur calida, ſæpiuſque renoventur & recaleſiant. Quin & tormina & intumeſcentiam Ventris ex flatibus ortam facilè diſcutiunt ſola ebuli folia vireſcentia ſi Ventri imponantur. Præſtiterit tamen Ventrem inungere crebrius aut chamæmeli aut lil. oleo in quo nonnihil croci, myrrhæ & aloës pulveratorum ſit admixtum.

Cataplaſma. Folia Ebuli. Linimentum.

Interna inflationis remedia.

Intra corpuſculum verò cum in torminibus tum intumeſcentia Ventris præſtantiſſ. eſt præſidium, præſertim ſi abſit febricula, ſi exhibeatur aut cum lacte nutricis aut cum vino duorum piſorum quantitas Theriacæ Androm. aut gutt. III. vel ol. cymini, vel ol. carvi, vel ol. aniſi.

4. *Alvi fluor infantium unde, & quæ ejus ſunt remedia?*

Diarrhœa infantium.

Διαῤῥοία, alvi perturbatio eſt crebra per anum & immoderata liquidæ colluviei effluxio. Et alias crebrò, maximè autem circa dentitionem hoc malo infeſtantur pueri, qui fluor ſi in dyſenteriam id eſt cruentam excretionem degenerat, ut plurimum perniciem adfert.

Quando periculoſa.

Unde oriatur.

Oritur autem alvi fluxio, aut ex vitio lactis, aut ex alimenti corruptione, aut ex colluvie collecta in inteſtinis.

Signa cauſarum diverſarum.

Excreta per alvum ſi crocea appareant, bilem & calidam infantis intemperiem, ſi alba & mucoſa, pituitam, aut cibi corruptionem & frigidam intemperiem commonſtrant. Obſervandum autem in alvi fluore, quod ſi per acutas ægritudines & proſtrationem virium accidat, ſemper lethale eſt ſignum. Nigra excrementa in alvi fluore pernitioſa ſunt, deinde cruenta, tertio crocea, alba vero minus ſunt pernitioſa.

Prognoſtica.

Curatio.

Curatio conſiſtit in lactis nutricis emendatione. Cibare itaque nutricem oportet lacte amygd. in quo panis toſtus eſt conciſus, aut lacte caprino, in quo ſilices igniti ſunt extincti. Infanti autem adminiſtranda ſunt

sunt medicamenta adstringentia cum foris tum intra corpus. Observandum tamen est, non statim in initio fluoris, alvum infantis constringendam esse, nisi animadvertatur succedere fluori virium debilitatem, & tum imo Ventri calidum Epithema linteolis exceptum subinde imponatur, decoctum nimirum sem. rosar. prunor. sylv. herb. polygoni gnaphalii, nuc. cupressi, balaust. cymini singulorum ad placitum. Ex iisdem rebus sacculus quoque concinnari potest, qui in vino coctus & fortiter expressus infantis Ventri imponatur. Aut ℞. limi ex alveis fabrorum ferrar. in quo extinguuntur candentia ferra, q. v. & admisce q. s. farinæ fabar. cum pauxillo aceto, & instar cataplasmatis Ventri imponatur. Aut

Quando alvi fluxus sedandus. *Epithema pro ventre.* *Sacculus.* *Cataplasma adstringens.*

Aliud.

℞. succi corrigiolæ succi consolidæ maj. an. ℥ II. album. ovorum n. I. Conquassatis admisce: q. s. farinæ fabar. aut far. hordei, fiat catapl. cui, ut præstantius constringat, admisceri possunt & pulv. Acatiæ, psydii & sang. Draconis.

Interna. *Trochisci de baccis sambuci.*

Intra corpus vero plurimum confert, si cum lacte in quo ferrum extinctum est exhibeatur. ℈ I. pulv. Troch. de sambucis qui ita conficiatur.

℞. Far. fab. q. s. & cum q. s. succ. bacc. sambuci in Troch. formentur, qui exiccati in usum reserventur. Plurimum constringit alvum infantium si ℈ I. aut s. pro ætatis ratione coaguli hædi cum aq. plantag. aut cum lacte amygd. exhibeatur. Verum eo die quo infans coagulum sumpsit, à lactatione abstinendum est. Efficaciss. quoque est remedium subsequens pulv. ℈ I. cum lacte exhibitus.

Coag. hædi. *Pulv. adstringens.*

℞. Sem. lapatii acuti, sem. uvarum torrefact. an. ℈ II. Gland. sem. papav. albi an. ʒ s. Olibani ℈ s. conterantur fiat pulvis tenuiss. Aut

℞. Sang. Dracon. myrtill. balaust. an. ℈ II. fiat tenuissimus pulvis, cujus ℈ I. propinetur cum lacte. *Laud. opiati gr. II. vel III. exhibita valdè quoque hic prosunt.*

Egregiè etiam sistit alvi fluorem suppositor. ex pulv. Acatiæ ℈ I. Opii gr. III. & pauxil. cera confectum, alvoque infantis insertum. *Suppositorium.*

Utiliter quoque infanti pulmentum ex far. fab. & ovi luteo ad duriciem assati & cum lacte chalybato commixti datur. Præstat & frustulum Ichthiocollæ in lacte coquere, & crebrius infanti sugendum præbere. Aut

Pulmentum. *Ichthiocolla.*

℞. Epatis bubali q. s. assati & in pulv. redacti, cujus ℈ I. aut ʒ s. exhibeatur cum lacte in quo incocti sunt flor. verbasci, aut flor. stæchad. citrinæ.

Epar bubalum assatum.

5. *Alvus infantium adstricta indurataque quibus remediis curatur?*

Στέγνωσις τῆς κοιλίας, Alvi obstructio est quando infans excrementa egerere nequit. Contingit hoc malum ut plurimum aut ex epatis renumque calore immoderato, attractricisque potentæ vehementia, aut ex obstructione meatus bilis ad intestina.

Alvus quare adstringatur infantibus.

Curatur in infantib. alvi obstructio remediis alvum lenientibus, quæ cum nutrici tum infanti sunt exhibenda. Nutrix itaque vescatur lacte cum saccharo ebullito, aut prunis coctis eorumque jusculo, in quo nonnihil fol. senæ est incoctum. Infanti autem tuto præberi possunt. ʒ III. aut IIII. vel pulp. cass. vel Mannæ in jusculo prunorum resolutæ. Item infanti præberi utiliter possunt ℈ I. mellis, aut ℈ I. Terebinth. quod non tantum Ventrem solvit, sed & epatis obstructiones tollit. Ano vero inseratur suppositorium ex melle cum pauxillo sale & pul. colocynth. factum aut ex sapone albo; aut ex radice malv. vel alth. formatum & ol. chamæm. illitum.

Curatio. *Lenientia & alvum solventia.* *Suppositoria.*

Venter & umbilicus inungatur ol. calido chamæm. in quo parum colocynth. est coctum. Aut imponatur umbilico fel. bubal. molli lana exceptum. Valet plurimum & nucis juglandis testa butyro infarcta, cui inspersus sit pul. vel colocynth. vel scamon. si applicetur umbilico. Clystere quoque, si commodè inseri queat, hujusmodi alvo infundendum est.

Topica. *Ol. diacolocynth.* *Quercetani est efficacius.*

Enema.

℞. Ol. olivar. ʒvi. sacch. communis ʒ i. s. luteum ovi unius salis ℈ i. & lactis q. s. commisceantur & infundantur ano.

6. Lumbricorum seu vermium in Infantibus quæ sunt causæ, signa, & quæ eorum curatio?

Lumbrici unde generentur. Ἑλμίνθες lumbrici. Ex putrefacta tepidaque colluvie veluti in fimo, ita & in intestinis generantur vermes & lumbrici. Lumbricis autem scaturire pueros ex hisce notis deprehenditur: *Quæ eorum signa.* Oculi pallidi aut crocei conspiciuntur, tussi arida molestantur, in somno crebro contremiscunt, & dentibus strident, facie pallent, & tamen sæpè genæ rubore perfunduntur, statimque iterum pallescunt, de dolore Ventris conqueruntur, ac si in Ventriculum repant lumbrici, nausea & vomitione subinde laborant, & nares creberrimè confricant ac scalpunt, & halitum fætidum expirant.

Curatio. Curatio lumbricorum consistit in eorum enecatione & expulsione; utrumque egregiè præstat fel bubalum, cui non nihil pul. cymini, colocynth. & aloës est admixtum, *Epithema pro umbilico.* quod stupa seu lana in modum sphærulæ formata exceptum umbilico infantis adfigetur.

Spir. ⊖ Extinguunt & expellunt quoque lumb. gutt. v. aut vi. ol. vitrioli pro ætatis ratione per aliquot dies jejuno existente Ventric. cum pauxillo vini exhibitæ. Auxiliantur quoque aq. stillat. polygoni & graminis.

Lumbrici pulverisati. Sed mirifica vis est in lumbricis enecandis & propellendis, si lumbrici alterius pueri eloti & exiccati in pulverem redacti cum pauxilloque saccharo mixti, ad ℈ i. aut ʒ s. cum lacte aut hydromel. exhibeantur. *Semen santonici.* Adultioribus pueris mane ac vesperi per aliquot dies pulv. sem. santonici ʒ s. aut ℈ ii. cum hydrom. exhibere, plurimum confert. Enecat. enim & expellit lumbricos, ut vulgata testatur experientia.

Suppositoria lumbricos deorsum revellentia. In subducendis lumbricis antequam remedia intra os exhibeantur, lac aut mel. cum molli lana exceptum & an. insertum irritat lumbricos, ut ad inferiora repant.

Ascaridum remedia. At vero si Ascarides id est exigui vermiculi, iis similes qui in putrefacto caseo conspiciuntur, hæreant in recto intestino sive ano, tum mollis lana imbuatur ol. amygd. amar. cui aloës non nihil sit admixtum, & ano inferatur. *Folia Persicorum.* Folia persicorum virescentia parumque contusa & instar catapl. umbilico & Ventri imposita enecant & propellunt lumbricos. Plura de exturbatione lumbricorum ex superioribus peti possunt. Lib. 4. sect. 3. q. 8.

7. Umbilici infantium eminentia & intumescentia, quæ sunt causæ & remedia?

Umbilici prominentia unde. Ἐξόμφαλον πάθος umbilici intumescentia extraque cutem justo altius prominentia, contingit infantibus vel propter exulcerationem vel propter flatus humoresque ibidem collectos, aut ex continuo ploratu, vociferatione & vehementi tussi. *Hernia umbilicalis.* Contingit quoque si ex rupto peritonæo ad umbilicum devolvatur pars intestini, quam affectionem Ramicem vocant, de qua alio in loco tractabitur.

Curatio. Rad. scrophulariæ. Curatio in infantib. umbilici prominentiæ talis est. Præstat intra corpus infantulo exhibere ℈ i. pul. rad. scrophulariæ cum lacte. Extra vero corpus prominenti umbilico hæc seq. commodè imponi possunt, & fasciis convenientibus illigari.

Topica in inflammatione umbilici. Si umbilicus infantis exulceratus & inflammatus intumuit ol. rosar. in quo cerussa lota est contrita lana molli exceptum imponatur, aut albu. ovi cui pulv. thuris est admixtus, & nonnihil Acatiæ & psydii eodem modo imponatur. Aut imponatur Emplast. è cadmia, quod officinis Griseum nominatur.

Si ex flatibus vel ploratu. Cataplasma. Si ex flatulentis spiritibus nimioque ploratu umbilicus promineat, quod fit, quando aut tussiunt, aut continuè plorant infantes, præstat hoc cataplasma imponere.

℞. Sem. cymini, lupinorum & baccar. lauri an. p. æ. pulverata cum rubro vino ad pultis formam decoquantur fiat cataplasma.

Si ex adfluxu humorum. Si ex humorum adfluxu intumescat umbilicus, imponatur catapl. ex pul. spicæ celti-

celticæ & terep. q. s. cui pauxillum ol. amyg. est admixtum, quibus utiliter & pulvis linei panni adusti admisceri potest. Aut conficiatur sacculus ex spica celtica & cymino, qui in vino rubeo ebulliat, & expressus tumenti umbilico imponatur. Plurimum quoque confert eminentiæ umbilici, si Arnoglossa & muscus qui per frutices prunell. syl. nascitur simul in vino cocta & contusa instar cataplasm. umbilico imponantur.

Cataplasma. *Sacculus.*

8. *Calculus puerorum unde & quæ ejus sunt remedia?*

Calculus unde. Λιθίασις calculus familiare malum est puerulis, quoniam ut plurimum ut hæreditarium malum à parentibus contrahunt. Quanquam & nonnunquam generatur in eorum vesiculis ex vitio lactis aut eduliorum crassiorum tenaciumque copia.

Signa. Signa calculi in puerulis sunt urina cruda aq. lympidæ colorem referens, aut urina instar seri lactis alba, cum hypostasi sabulosa, vel arenosa, & ipsorum virgula subinde extenditur ac prurit.

Curatio. Curatio calculi in puerulis consistit in externorum internorumque remediorum administratione. Foris conveniunt balnea & inunctiones. *Lavacrum.* Balneum debet esse aq. calida in qua concoctæ, sint radic. cum fol. alth. & malv. & flor. chamæm. atque anethi, parietariæ, petroselini atque fænugræci. *Inunctio.* Post balneum adeoque mane ac vesperi regio vesicæ & ipsa virgula inungatur tepido ol. scorp. aut lil. albor. aut ol. de hyperico. Et hæc quidem olea & intra virgam cerea candelula excepta & imbuta illiniri possunt. *Cataplasma.* Post inunctionem imponatur cataplasma pectini ex contusa parietar. viridi cum ol. chamæm. cocta.

Alvum solvens suppositor. Alvus si sit adstricta, suppositoriolo ex candido sapone parato, & ol. chamæm. inuncto linoque inserto laxanda erit.

Calculum propellentia. Intra corpus utiliss. ℈ I. aut pro ætatis ratione ℈ II. tenuiss. pul. succini albi, aut idem pondus pul. lapil. cancrorum aut hircini sanguinis ritè paratii aut cum lacte aut cum aq. petroselini exhiberi possunt. Sed præsentissimum remedium est calculosis puerulis gut. III. ol. vitrioli cum vino opt. exhibitæ.

Sectio quando aggredienda. Porro in adultioribus puerulis si calculus adeo excrevit, ut vesicæ cervicem obstruat, & urinæ suppressio crebra subsequatur, instrumento quæ cathetere calculus in vesicæ capacitatem repelli nequeat, tum ejus curatio ad lithotomiam & chirurgicam industriam est rejicienda.

9. *Urinæ difficultatis stillicidiique, quæ sunt causæ & remedia?*

Dysuria unde. Δυσουρία urinæ difficultas ejusque guttalis destillatio ingentes excitat in puerulis cruciatus, cujus causa ut plurimum est calculus vel materia calculi vesicæ collum obstruens. *Curatio.* Verum tenellis infantibus non tantum balnea, inunctiones & cataplasm. conveniunt, sed etiam lactis nutricis habenda erit ratio.

Nutrici exhibenda. Nutriatur itaque nutrix rad. petroselini, vescatur crebrò seminib. fænic. & bibat nonnunquam vinum, in quo decoctæ sunt rad. ononidis.

Infantibus propinanda. Infantibus vero crebro bibendum offeratur unum aut alterum cochlear aq. stillat. vel petros. vel polygoni vel rad. ononidis, vel filipendulæ, & eryngii. Efficaciores hi fiunt liquores, si singulis cochlearibus gutt. I. ol. vitr. admisceatur. *Vide plura hujus mali remedia lib. 6. sect. 2. quæst. 8.*

10. *Lectum continue permingentibus puerulis quæ remedia conveniunt?*

Incontinentia urinæ unde. Ἐνουροῦντες dicuntur qui noctu urinam continere nequeunt, quæ affectio puerulis accidere consuevit, ob retentricis facultatis imbecillitatem, musculorum, cervicis vesicæ, & laxitatem villorum obliquorum in vesica.

Curatio. Curatio in fibrarum obliquarum vesicæ corroboratione consistit. Lectum itaque permingentes pueruli arcendi sunt à copiosiore potatione, & externa regionis vesicæ refrigeratione: deinde hæc sequentia remedia commodè administrari possunt.

Linimentum ex argilla fornacum. Foris quidem circa pudendum partes, & ipsum pudendum circumdatur unguentulo ex argilla adusta ex fornacib. pistorum

 dera-

derasa & cum succo parietariæ in unguenti formam redacta.

Therma. Deinde præstiterit puerulos ad thermas sulphuris & aluminis participes deducere, in iisque crebro balneare, vel ex iisdem materiis contusis addita pice balneum, conficere.

Pulvis singularis. Intra corpus vero plurimum juvat puerulo ituro cubitum seq. pulvisculi ℈ I. aut ʒ s. cum aq. fol. querci exhibere.

℞. Testicul. leporis tostorum ʒ I. gutturis galli cremati, vesicæ porcinæ crematæ an. ʒ s. gland. ℈ II. sem. rutæ, fol. nepetæ an. ℈ I. fiat pulvis subtilissimus.

Vesica usta pulvis. Vesica quoque porcina aut ovilla per se usta, & cum jusculo crebro exhibita magnum confert præsidium.

In paralysi musc. vesicæ. At si musculi in cervice vesicæ paralysi laborant, ita ut nec interdiu nec noctu retinere queant urinam, sed insciis defluat, præstat exhibere ℈ I. aut ʒ s. castorei & myrrhæ p. æ. simul mixtorum cum hydromelite. *Pulvis.*

II. *Hernia in puerulis unde excitatur & quibus remediis curatur?*

Hernia unde. Κήλη Ramex Arabib. Hernia est ubi peritonæum aut perrumpitur aut relaxatur, ita ut intestina vel in inguina descendant, aut in scrotum delabantur. *Ejus differentia.* Et ubi intestina ad inguina decumbunt βυβωνοκήλη id est inguinum ramex & ruptura, sed ubi in scrotum delabuntur ἐντεροκήλη id est intestinorum ramex nominatur.

Causa. Causa ruptionis aut laxationis peritonei in infantibus est violentus ploratus, aut vehemens tussis, aut tenesmus, aut præceps lapsus.

Signa. Dignoscitur ex tumore extuberantiaque vel inguinum vel testiculorum & scroti.

Curatio. Curatio Ramicis in puerulis ejusmodi est instituenda I. si alvus sit adstricta emolliatur, & pituitosa excrementa subducantur aut pulp. cassiæ ʒ VI. aut mannæ totidem drachmis in jusculo prunorum coct. dissolutis. *Alvum emollientia.*

Repositio intestini. Deinde artificiose ac molliter infante in dorsum reclinato intestinum sive in scrotum sit devolutum, sive in inguina delapsum sublevetur, & in proprium locum retrudatur, statimque ex seq. cataplasmatibus unum, quod videlicet cuique maximè convenientiss. videbitur, imponatur, & subligaculo artificiosè formato, & circa rupturam instar pulvinaris bombace infarcto alligetur ac constringatur. *Subligaculi usus.*

Motus inhibendus. Præterea autem pueruli ramice laborantes per totum curationis tempus à vehementi corporis agitatione ac motu, tussi & spiritus cohibitione ac vehementi conatu in egerendo studiosè abstineantur.

Inter cætera rupturarum ac ramicum puerilium remedia celebriora sunt hæc sequentia.

Cataplasma ad rupturam. ℞. Arnoglossi cum rad. M. II. lentium M. III. simul coquantur ad molliciem & contundantur in mortario contusisque addatur far. lupinorum q. s. rad. aronis, capill. veneris, saniculæ albæ an. M. I. contusa coquantur in butyro salis experti, & majo mense expresso & ping. gall. an. q. s. Quibus admiscc. far. lupinorum, fiat cataplasma, quod tepidum sing. diebus ruptæ regioni imponatur, aut si ruptura recens sit.

Epithema. ℞. Album ovorum n. III. quibus concussis commisc. pul. tenuiss. thuris, gallarum, acatiæ, psidiæ, succini, myrrhæ an. ʒ II. Aluminis ʒ I. quibus probè commixtis & bombace sive lana xylina, aut molli lana exceptis, rupto loco imponantur.

Emplastrum. His præcitatis, validius rupturam conglutinat hoc sequens emplastrum.

℞. Myrrhæ, nucis cupressi, aloës, acatiæ an. ʒ II. quæ omnia tenuissimè pulverata excipiantur cum q. s. glutinis piscium, quod Græci ἰχθυοκόλλαν nominant & reducantur simul subacta in empl. formam, & per alutam extensa rupto inguini imponantur.

Nec autem interim ea quæ intra corpus exhibentur prætereunda sunt, quæ vim habeant ruptas membranas conglutinandi. Præbeantur itaque bibenda puerulo singulis dieb. mane ac vespere III. cochlearia seq. potionis. *Decoctum ad hernias utiliss.*

℞. Ar-

℞. Arnoglossæ, saniculæ an. M. s. rad. charyoph. symphyti maj. sarmenti Indici an. ℥ s. Agrimon. p. 1. coquantur in ℔ 1. aq. in dupl. vase, & addito saccharo candi q. s. fiat haust. qui tepidus propinetur. Plura de Ramicis curatione paulo post tradituri sumus, unde convenientia puerulis remed. huc transferri possunt.

12. *Ani procidentia infantium unde & quæ ejus sunt remedia?*

Ani procidentiæ causa. Σφιγκτὴρ musculus anum claudens. Non nunquam relaxatur, & foras prolabitur in puerulis hic musculus, aut ob alvi lubricitatem humiditatemque aut ob musculorum ani refrigerationem, aut ob vehementem egerendi conatum, ut fit in tenesmo.

Curatio. Curatur hoc malum in puerulis & infantibus hisce seq. remediis.

Epithema. ℞. Cyminum contusum in cerevisia decoctum, & anum elapsum eo liquore tepido colluito, ac postea molliter sphincterem prolapsum in anum retrudito ac recondito, *Insessio.* infantemque aut puerum in balneum usque ad umbilicum collocato, in quo incocti sunt cort. mali granat. gland. myrtil. gallæ & aluminis singulorum ad placitum. *Pessulus.* Postea pessulum ex lana xylina fact. seq. insperso, ano inserito.

℞. Pul. myrrhæ, aloës, gallarum, mast. sumach. balaust. an. ℈ 1. fiat pul. tenuiss.

Intumescentia sphincteris remedia. At si musculi ani prolapsi ob diuturnitatem neglectumque intumuerint, tum necesse erit eos prius tepidis fomentis aut balneis emollire ac tractabiles reddere. Fomentum vero seu balneum confici potest ex malva, althea cum rad. chamæm. rad. lilior. alb. & sem. lini simul contusis & coctis, & anus deinde inungi ol. lilior. albor. & ita rursum in proprium locum imponi, remediisque supra dictis claudi.

13. *Tenesmi seu tentionis infantium quæ sunt causæ & remedia?*

Tenesmus quid. Τηνεσμὸς est tentio recti intestini violenta, quæ puerulos ad continuam egerendi cupiditatem & conatum impellit, & tamen aut nihil aut exiguum mucum & cruentam saniem excernunt.

Causa. Causa hujus mali est crassa frigida & tamen ex putredine salsa titillansque pituita recto intestino impacta.

Signa. In tenesmo acerbi excitantur & colicis similes dolores.

Curatio. Curatio tenesmi calidis & incidentibus flatumque dissipantibus remediis perfici debet. *Pulvis.* Intra corpus itaque conferunt. ℞. pul. cymini nasturt. an. ℈ 11. anisi ʒ s. misceantur, fiat pul. cujus ʒ s. cum haust. cerevisiæ calefactæ in quo nonnihil butyri recent. aut quod præstantius est ol. lauri sit resolutum. *Aq. verbasci.* Utile quoque est infantibus ac puerulis subinde bibendam præbere aq. stillat. verbasci, ac si ætas patiatur utiliss. est clysterem recto intestino puerorum infundere hac ratione paratum.

Enema. ℞. Fol. verbasci, chamæm. anethi, centau. mi. an. M. s. sem. cymini, bacc. lauri ana ʒ 11. concisa & contusa coquantur in q. s. ad tertias, cujus juris colati accipe ℔ s. in quo ebulliat rursum ℈ 1. pulpæ colocynth. in linteolo ligatæ. *Insessio.* Deinde huic liquori admisce hieræ simpl. ℥ s. & ol. lauri ʒ VI. salis ℈ 1. fiat enema. *Sacculus.* Prodest & insessio balneumque ex fol. & rad. verbasci confectum. Aut ℞. verbasci M. 111. furfur. tritici M. 11. sem. cymini ℥ 1. bacc. lauri ʒ 11. contusa insuantur sacculo lineo, & in aq. ebulliat, cui expresso & calenti insideat æger. *Terebinth. fumus.* Plurimum quoque præsidii adfert suffitus terebinthinæ prunis injectæ, fumoque ejus per infundibulum in anum recepto. *Suffimigium aliud.* Aut ℞. cymi. anisi, anethi an. ʒ 1. colopho. ℥ s. sarcocollæ ʒ 1. misce contusa, & prunis inspergantur, fiat suffitus.

SECTIO V.

DE EXTERNIS ET UNIVERSALIBUS TOTIUS CORPORIS PUERORUM AFFECTIBUS.

1. *Excoriationi seu ulcerationi circa inguina, axillas & collum infantium quæ remedia conveniunt?*

Excoriationes unde. ΠΑρατρίμματα Attritiones seu excoriationes cutis. Nisi in infantibus illa locà, ubi caro plicas efficit, veluti sunt loca circa inguina axillas & collum subinde à nutricibus studiosè laventur ad ignemque siccentur ab urina sudoribus sordibusque ibidem collectis, cuticula facilè abraditur & exulceratur, quod malum nostri **Schmertzen der Kinder** nominant.

Curatio. Curatio est ut locus attritus & exulceratus sedulo aq. tepida abluatur in qua incocta sunt exiccati flor. violar. aut hord. ex cortic. aut rad. altheæ. *Pulveres inspergendi.* Post lotionem molliss. linteolis abstergatur & ad luculentam flammam exiccetur, moxque ulceri inspergatur vel caries ex piceis asseribus exesis aut hord. tenuiss. farina, aut pul. iridis Illyrici, aut pul. rosarum.

Dolorem sedantia. Ubi vero ejusmodi excoriatio acerbiores excitat in infantibus dolores, primum mitigandi sunt dol. mucag. ex sem. citon. cum aq. plantag. facta, & cum linteolo excepta, ulceribusque imposita: aut mucag. tragant. in aq. rosar. macerati, aut albug. ovorum cum aq. rosa. subacta. *Linimentum.* Aut ♃. albu. ovi. n. I. ol. violar. ℥ I. litharg. ℥ I. s. & diutiss. conterantur in mortario plumbeo ad crassitiem linimenti, quæ rasura linteoli excepta ulceribus imponatur.

Sanguinem purificantia. Verum si ulcera illa ex impuritate sanguinis non tantum in prædictis locis, sed & aliis partibus contingant, sang. prius vel cass. fist. ℥ s. aut mannæ ʒ VI. in lacte resol. purificandus erit. Deinde excoriatio lavetur *Cataplasma.* decocto violariæ alth. & achanti mollis, quam brancam ursinam vocant & tussilagi. & catapl. ex medulla panis similacei, in lacte macerati, aut pulmentum ex grumis avenæ imponatur, & ulceri inspergatur cinis chartæ sive papyri aut impon. seq. empl. per linteolum extensum. *Emplastrum.* ♃. Ol. rosar. ℥ II. ceræ ℥ s. litharg. ℥ s. boli armen. ʒ VI. rad. consol. maj. ʒ II. mucag. sem. cito. ʒ I. fiat emplast.

Ol. de palma utiliter hicquoque inungitur.

2. *Variolæ & morbilli in Pueris unde oriuntur & quibus remediis curantur?*

Variola & morbilli quid. Omnes *seu plerique* homines experiuntur variolarum & morbillorum per cutim eruptionem, nisi morte præveniantur, Græci & variolas & morbillos unico vocabulo exanthemata, id est cutis eruptiones sive efflorescentias nominant. Plinius autem papulas vocat, nostrates vero variolas, quæ tumusculis scabiei similes sunt **die Kinder Pocken oder Blattern** / morbillos autem, qui rubescentibus punctulis & instar lentis extuberantibus & per totum corpus sparsis, sunt similes, **die Masseln** vocitant. In puerulis facilius, in adultis difficilius & sæpè cum vitæ discrimine curantur.

Causa. Causæ harum eruptionum cutis προηγούμεναι sunt reliquiæ menstrui sanguinis, quo in utero nutriebatur fætus cum aliis impuritatibus humorum mixtus, quas natura per poros expellere conatur. *Causa externa.* Προκαταρκτικὴ Causa est contagiosus & *singulariter dispositus* aër movens naturam ad expellendas sordes. Instar enim pestilentis contagionis grassatur variolarum morbillorumque eruptio, & eodem tempore plurimi hoc malo corripiuntur & *maxima ex parte* contagium ab uno ad alterum pertransit. *Multi enim iis corripiuntur, ad quos ab aliis per contagium hoc malum non est delatum. Vt potius ex singulari cæli ac aëris constitutione in corporibus dispositis semina exanthematum delitescentia suscitari sit præsumendum. Quod ipsum & à forti imaginatione aliquando in meticulosis fieri videmus.*

Exanthemata sæpè sunt pestifera. Sunt nonnunquam variolæ atque morbilli prorsus pestiferi, & quam plurimos puerulos extinguunt; quales fuere anno Christi 1574. in insula Rugia, & Vicina urbe Stralesundensi, in quibus tanta erat putrefactio, ut detractis crustis pustularum in

sub-

ſubcutaneo ulcere vivi vermiculi reperirentur.

Signa eruptionem praecedentia. Signa exanthematum antecedentia ſunt dolor capitis, rubedo faciei, lachrymæ ſpontaneæ, febricula, anhelitus difficultas, tremor partium, quam ſubſequuntur eruptiones puſtularum vel rubeſcentium punctorum.

Signa humorum morbificorum. Impuritas humorum ex colore exanthematum dignoſcitur. Sanguinis enim impuritatem rubedo exanthematum, flavæ bilis eorum flavedo, pituitæ albedo, nigredo vero melancholici humoris vitium oſtendit. Quin & morbilli vitioſorum humorum tenuitatem, variolæ autem craſſitiem arguunt.

Prognosticon. Exanthematum nigredo aut lividitas, urina viridis & cruenta, & reſpirationis difficultas, pernitioſa & lethalia ſunt ſigna.

Curatio. Curatio in exanthematibus. Prima cura debet eſſe, ut ſtatim poſt comparentia ſigna per cutem quam celerrimè & copioſè erumpant. Secunda ſollicitudo debet eſſe certarum partium præſervatio, ne à morbillis variolisque lædantur. Omni itaque cura & *Aëris frigiditas evitanda.* ſtudio cavendum eſt, ne vel aëris ambientis frigiditate, vel medicamentis refrigerantibus erumpentes variolæ morbillique intro repellantur; ſed ſtatim ubi pueruli de capitis dolore, ſiti aut febricula conqueruntur, in loco tepido lectoque molli mundis linteolis inſtructo, rubeoque panno obtecto collocentur.

Diæta conveniens. In victus ratione utatur moderato cibo ac potu & facilè concoquibili, quales ſunt ova ſorbilia recentia, juſcula ex ovis & cereviſia, juſcula pullorum, lac amygd. cremor ptiſanæ, poma aſſata, pruna & panis lamina in hydrom. macerata. A lacte autem piſcibus fructibuſque recentibus abſtineat. Pro potu utatur, ſi abſit febris, hydromelle donec erumpant exanthemata, aut cereviſia clara. Ubi vero febris eſt adjuncta, utatur aq. hord. cum cinamom. & ficub. cocta.

Purgantia noxia. Pharmaca purgantia tutò eis exhiberi non poſſunt, niſi obſtructa ſit alvus, quæ ʒ vi. mannæ in juſculo prunorum reſolutis & percolatis emolliri poteſt. Sed ſi ætas & vires non obſtent, & corpuſculum ſit plethoricum impurum rubicundumque & venæſectio & cucurbitularum affixio cum ſcarificatione, vel ſaltem hirudinum applicatio maxima cum utilitate in ſuris pedum tentari poteſt. *Sanguinis evacuatio in ſuris.*

Propellentia variolas. At vero ubi exanthemata ſua ſponte primo vel altero die non erumpunt, conandum eſt ut vel natura vel arte propellantur, ne intra corpus remaneant, ut vel aſperam arteriam vel pulmonum canales obſideant, ſtatim enim reſpirationem intercipiunt, & in mortis periculum præcipitant. Remedia autem præcipua variolas morbilloſque ad eruptionem promoventia hæc ſunt. ♃. Ficuum ping. n. xv. paſſular. min. ℥ i. tragan- *Decoctum ficuum.* ti ʒ ii. ſem. fæniculi, aquilegiæ an. ʒ i. croci integri ℈ i. decoquantur in ℔ iii. aq. hord. in cantha. ad ii. horas cujus ℥ iv. mane ac veſperi exhibeantur. Ac tenerioribus puerulis propinare decoctum glycyr. & ficuum in ſero caprini lactis ſatis erit. Plurimi practicantium medicorum utuntur lentium decocto, quam rectè neſcio. Certum enim eſt lentes craſſum & melanchol. ſuccum generare. *Lentium decoctum inutile.*

Pulvis ſingularis expulſivus authoris. Ego vero ad latentium exanthematum expulſionem ſeq. pulviſculo ſemper felici ſucceſſu uſus fui. ♃. Sem naſtur. aquilegiæ an. ʒ i. ſcobis unicornu ℈ i. aut loco ejus ſcobis cornu cervi in ſeptemb. capti ʒ ſ. corall. rub. præparat. margarit. præpar. an. ℈ i. ſi quis addere velit ſcobem auri precioſius redderetur medicamentum, omnibus tenuiſſ. contritis commiſceantur & ejus ℈ i. infantulis aut ʒ ſ. adultis vero integra ʒ cum hydromel. exhibeatur.

Ad dolores variolarum. Variolæ ubi erumpunt, ſi acerbos inferant dolores, catapl. ſeq. imponatur, quod & dolores mitigat, & ad maturitatem deducit. ♃. Carnes pomorum aſſat. farinæ hordei aut lentium an. p. æ. quæ concoquantur *Cataplaſma.* cum q. s. aq. ad pultis formam fiat cataplaſma.

Quando aperiendæ. At ſi puſtulæ ſponte ſua non rumpantur, acu aurea aut argentea pungantur ac perfodiantur, & ſanies exprimatur abſtergaturque. Aperta ulcuſcula commodè ablui poſ- *Quibus abluendæ.*
ſunt

ſunt aut aqua mellis, aut aq. roſar. in quibus parum nitri ſit diſſolutum. Dolorem autem ulcerum mitigat aut illitio unguenti de ceruſa camphorati, aut pomati.

Partes quæ munienda.

Poſt eruptionem exanthematum ſtatim maxima cura habenda eſt oculorum, narium gutturis, pulmonis & faciei.

Oculos præſervantia.

Oculos itaque ſtatim in initio & deinde quotidie auro puro aut ungarico leniter confricare prodeſt. Id enim arcet ne in oculis erumpant exanthemata. Utile quoque eſt oculis ſæpe illinire ſeq. collyr.

Collyrium.

℞. Aq. plantag. roſar. euphraſ. an. ℥ s. in quibus diſſolvantur camphoræ, gr. II. & croci gr. I. fiat collyr.

Epithema.

Aut imponatur oculis ſeq. epithema. ℞. Aq. roſ. ſucci verbenæ an. ℥ I. album. I. ovi, concutiantur & linteolo excepta oculis imponantur.

Sacch. ♄ hic quoque utile.

Si vero contingat, ut oculi ob palpebrarum tumorem ex puſtulis aperiri nequeant, fomententur laventurque oculi ſeq. decocto.

Fomentatio.

℞. Sem. fænugr. ſem. lini an. ℥ s, ſem. malvæ M. I. coquantur in q. s. aq. ad medias.

Nares quæ præſervent.

Nares ſi à puſtulis exanthematum occupentur, ſubinde acetum roſac. odorandum naribus admoveatur.

Faucium remedia.

Gutturi vero puſtulis obſeſſo, hiſce remediis & illinitionibus ſuccurrendum erit, nimirum crebro illiniatur confect. diamoſ. aut rob. è ribes aut mel. roſar. cui parum ol. vitr. ſit admixtum, quæ omnia per ſe illiniri poſſunt, aut cum aq. prunel. q. s. in gargariſmi formam redacta.

Pulmones ut muniendi.

Pulmones ſi fuerint infecti, reſpirationem difficilem efficiunt, & ut dictum eſt, perniciem minantur. Huic itaque ſymptomati ſequentibus remediis opem ferre neceſſarium erit. At primum ſi adſit caliditas corporis.

Eclegma refrigerans.

℞. Far. fabar. ʒ II. ſem. papav. albi ʒ I. tragacanthi, amyli an. ʒ s. tenuiſſ. pulverata excipiantur q. s. ſyr. de hyſſopo, benè commixtis omnibus fiat electuarium lambitivum quod crebro inſeratur & deglutiatur.

Aut ſi nullus adſit præternaturalis calor.

Eclegma calidum.

℞. Zedoar. glycyrr. an. ʒ I. croci ℈ s. gum. ammon. cum aq. junip. ſoluti & percolati ℈ II. miſc. cum ſyr. de hyſſop. & crebro deglutienda ori inſerantur. Aut illiniatur deglut. ſyr. ex ſach. candi cum aq. junip. accenſa paratus, & ad ſyrupi formam deductus, cui commodè admiſceri poteſt. ol. aniſi ℈ s.

Facies à cicatricibus quomodo cuſtodiatur. Puſtulæ non fricandæ.

Faciei quoque in exanthematum puſtulis non levis eſt habenda ratio, & ſtudioſè providendum, ut per totum ægritudinis tempus cuſtodiantur pueruli, ne puſtulas per faciem exortas ſcalpendo decerpant, aut faciem manibus confricent contrectentve, donec puſtulæ ſua ſponte decidant. Niſi enim id præcaveatur, ſtigmata & veſtigia puſtularum decerptarum per totam vitam in facie relinquuntur.

Sanguis leporinus.

Ubi vero per incuriam puſtulæ decerptæ fuerint, tum præſtat earum veſtigia per noctem leporino ſanguine inungere, & mane cum aq. tepida roſarum aut far. fab. cum aq. calefacta mixta rurſum abluere, aut illinito cicatricibus ſequens linimentum.

Linimentum.

℞. Far. fab. lupinorum an. ʒ II. cum q. s. urinæ pueri fiat linimentum, quod mane cum aq. roſar. cal. abſtergatur.

Variolarum virulentarum curatio.

Præter hæc ſymptomata contingit nonnunquam, quod exanthemata adeo ſint virulenta, acria & erodentia, ut locum occupatum exulcerent, & non facilè ſanentur. *Imo & ſæpè ad oſſa penetrant, arroſis & labefactatis ipſis derticulationibus ut nonnulli inde motu membrorum quorundam privati ſint, & particulas oſſium ex cubiti & humeri articulis exemptas eſſe, connatis poſtea inter ſe articulis, experientia teſtatur, ita ut videndi alii audiendi alii olfaciendi ſenſum amiſerint: aliis eroſo palato facultas loquendi ſit depravata, & alia enormia multoties ſubſequantur ſymptomata ex corruptione internorum viſcerum, quæ ſæpè etiam ægros planè interimunt.*

Vide Pareum l. 19. chirurg. c. I.

Bilem aduſtam alterantia & evacuantia.

Quo in caſu bilis aduſta ante omnia domanda eſt potione ex ſyr. roſar. violar. & cichor. cum aq. lactu & indiv. mixtis. Deinde ferox humor ſubducatur ℥ II. ſyr. roſati ſol. aut ʒ III. elect. roſar. ſol. cum aq. cichor. mixtis, vel rhabarb. infuſo.

Quin

Quin & epatis caliditas mitiganda est hypochondrio dextro inuncto cum ol. rosar. nymph. & violar. *Epithema quoque ex Sacch. ♄. in aq. cichorii dissoluto, extrinsecus applicari potest.*

Vlceribus adhibenda. Ulceri autem seq. epithema utiliter imponitur. ℞. Sulphuris citrini ℥ s. camphoræ ℈ II. conterantur diutissimè cum aq. rosar. q. s. vel cum aq. plantagin. ℥ IIII. fiat epithema: aut abluatur seq. decocto. ℞. Rosar. sic. folior. aut extremitatum surcul. querci, plantag. an. M. s. myrtil. ℥ s. thuris, mastich. an. ʒ II. coquantur contusa in q. s. aquæ, fiat lavatorius liquor. Post ablutionem & abstersionem ulcerum inspergatur seq. pulvis. ℞. Thur. mastich. rosar. sarcocollæ, boli armeni an. ℈ I. pulverentur tenuissime. Plura ex chirurgicis & curatione luis Venereæ huc transferri possunt. *Vid. Pareum l. 19. chirurg. c. 3.*

3. *Crustosa scabiei puerorum quæ sunt causa & remedia?*

Lactumen quid. Κνεία, lactumen, nostratibus **der brennende Grind** est scabies crustosa aspera & dura, potissimum in capitibus & facie aliisque partibus exoriens. Lactumen dicitur fortè, quia à lactis impuritate, acredine & salsæ pituitæ admixtione oritur.

Curatio. Curatio ejus ut plurimum naturæ committitur, cum non adeo notabiles inferat infantibus dolores. Processu enim temporis exiccata crusta spontè decidit.

Decoctum sanguinem purificans pro nutrice. Laborandum autem est in hujusmodi scabiei eruptione, ut lac nutricis emendetur nutricique quotidie bibendum propinetur mane ac vesperi serum lactis caprini, cui suc. fumariæ sit admixtus, sintque in eis decocta senæ fol. centaur. & agaric. troch. in linteolo colligata an. ad placitum Medici. Tum enim maturius decidit crusta & non renascitur. Interdicatur quoque nutrici ut ab aromatibus, calefacientibus eduliis, salitisque & caseo abstineat.

Inunctio faciei puerorum. Ubi vero infantulorum faciem talis scabies dehonestet, & usque ad oculos se extendat, eosque lædere posse metuatur, vernix pictorum, vel pix ex betula arbore, *communiter* **Degen** *dicta*, vel liquor ex betula sudans in igne inter ardendum illiniri scabiei, aut per linteolum extensa instar catapl. imponi possunt.

Ab omni autem remediorum genere quæ constringunt ac repercutiunt, qualia sunt refrigerantia, abstinendum erit. Commodè quoque in balneis locus affectus ablui potest aq. calida, in qua cocta sint fol. alth. & malv. fl. chamæm. melilo. etrosa. & sem. fænugr. Utiliter quoque inungi potest scabies ol. chamæmelino. *Lavacrum.*

4. *Febris puerorum unde excitatur, & quæ ejus sunt remedia?*

Febris definitionem & differentias paulo post tradituri sumus; Febribus infestantur puerull sæpè, & tunc maximè, cum eis dentes provenire incipiunt. Tum enim ex intumescentia gingivarum & acri dolore, quæ sæpe & in adultis febrim excitant, inflammantur infantes. *Febres unde in pueris.*

Signa hujusmodi febricularum puerilium sunt, totius corporis externi ad tactum fervor, & insolitus calor sitisque continua. *Signa.*

Curatio febricular. in infantibus consistit in alteratione caloris, per victus rationem refrigerantem & humectantem, nutricis, & remediorum convenientium ipsis puerulis administratione. *Curatio.*

Nutrix itaque vescatur cibis refrigerantib. quales sunt cremor ptisanæ, hordei decorticati, jusc. pullorum cum uvis immaturis coct. aut cum succo granatorum aut aceto rosaceo conditum. Item lacte ex amygd. & sem. papav. albi cum aq. hordei parato: Vel lacte ex 4. sem. frig. maj. confecto & pauco sacch. condito, commode quoque nutrix vesci potest in acetariis lactuca & portulaca, & jusculis ex cerasis tum recentibus tum arefactis paratis. Potus sit aq. hordei aut aq. stillat. cichor. & endiviæ cum suffic. q. sacch. candi dulcorata, cui & succi granatorum & arantiorum nonnihil admisceri potest. *Nutrici conveniens diæta.*

In puerulis vero febricitantibus ita procedendum erit. Primum pro ætatis ratione subducatur alvus ʒ III. aut IIII. pulpæ cassiæ aut ℥ s. vel ʒ v. mannæ in jusculo prunorum solutis & ad sugendum exhibitis. Dein- *Puerorum remedia. Lenitiva.*

Refrigerantia. de siticulosis puerulis crebro bibenda offerantur aq. stillat. violar. purpur. fragorum & succ. arantior, cum sacch. candi dulcorata, sæpeque infantium ori illiniatur syr. acetos. citri vel syr. violar. vel bibenda offeratur aq. card. bened. cum præscriptis syr. mixta. *Iulapium.*

Linimentum. Foris autem præstat infantibus totam spinam dorsi & utraque hypochondria & sterni inferiorem furculam, ubi est orificium Ventric. seq. linimento quotidie bis inungere ℞. Ol. rosar. violar. nymph. an. ℥ II. mucag. psylii aut sem. cyton. cum aq. rosar. factæ ℥ I. s. ceræ cand. parum. fiat linim. quod eluatur ter quaterque cum aq. aut suc. rosar. & postremo admisc. gutt. VI. aceti rosar. fiat linimentum. Quin & orificio Ventric. commodè imponi potest catapl. ex far. hord. excorticati cum suc. absynth. & plantag. aut sempervivi subactis, & in formam pultis redactis. Hypochondriis autem utiliter imponi potest epithema ex aq. rosar. ℥ I. suc. semper vivæ ℥ I. s. & speciebus diatriasand. simul mixtis confectum, & moderatè tepidum. *Epithema.*

Linimentum ad somnum conciliandum. Si à continuis vigiliis infestentur infantuli in febrib. eorum tempora inungi non incommodè possunt unguento populino, cui lac. muliebre sit admixtum: aut imponatur temporibus lac ex sem. papav. albi & album. I. ovi, & q. s. aq. rosar. simul conquassatis confectum & linteolis exceptum.

5. *Inflatio sive intumescentia cutis totius corporis infantium unde oritur, & quibus remediis curatur?*

Ἐμφύσημα inflatio seu intumescentia cutis in puerulis. De Ventris puerorum intumescentia supra nobis dictum est; hoc vero loco de cutis sufflatione per universum corpus, qua infantes nonnunquam afficiuntur, breviter dicturi sumus. *Cutis intumescentia.*

Causa. Causæ intumescentiæ cutis προηγημέναι sunt aut crassi & flatulenti spiritus, aut tenues & aquosi humores ex ebullitione vitiosorum humorum ad cutem propulsi, quos tamen natura per poros discutere non potuit. Προκαταρκτικαὶ Causæ sunt venenata alimenta, & densitas obstructioque pororum cutis, quæ obstructio contingit à crasso sudore sordibusque quibus pori infarcti sunt, vel ab aëris ambientis frigiditate.

Signa manifesta sunt.

Curatio hoc modo instituenda est. Si vitiosorum humorum copiâ infarctum est corpusculum, subducatur pro ætatis ratione aut ℥ s. cassiæ, aut ʒ VI. mannæ in prunorum jusculo resolutæ. Deinde exhibeatur ℈ I. aut ʒ s. theriacæ Androm. in pauxillo vini resolutæ, aut crebro exhibeantur II. Cochlearia vini in quo coctæ sunt rad. Ebuli & gr. Junip. cum pauxillo Sacchar. mixta. *Curatio.* *Sudoriferum.*

Foris autem valde prodest, & statim inflationem aufert, si fol. Ebuli & sambuci, & in hyeme rad. ebuli & cort. sambuci & gr. Junip. contusa in vino albo decoquantur, & eo vino infans colluatur, vel prædictæ herbæ contundantur, eisque pueruli corpus involvatur. Aut in prædicto vino pannus cæruleus novus imbuatur, eoque tumidum corpusculum involvatur. Eadem ratione ac utilitate uti possumus vino albo, in quo loco præscriptorum fol. incoctæ sunt flor. chamæm. origani, scordii & rutæ & sem. cymini. Conferunt quoque plurimum in dissipandis subcutaneis Vaporibus inunctiones ex ol. rutæ, anethi & chamæm. cui parum ol. vitrioli aut ejus loco aceti vini sit admixtum. Præterea in potu convenientiss. est puerulis propinare lac ex sem. canabis paratum. Quæ reliqua sunt pharmaca huc commode referri possunt ex curatione inflati ventris puerorum. *Lavacrum valdè utile.* *Fomentatio alia.* *Inunctio.* *Lac canabinum.* *Vide pag. 71.*

6. *Macilentia sive extenuatio corporum puerilium unde & quæ ejus sunt remedia?*

Ἰσχνασία macilentia. Extenuantur & macilenti fiunt pueri nonnunquam ex antecedentibus morbis, nonnunquam ex tabe & ἀτροφίᾳ. Quidam natura sunt macilenti, quos non curamus. *Vnde extenuentur infantes.*

Qui autem extenuantur post antecedentes morbos, eos curare possumus exquisitis & na- *Alimenta opt. nutrientia.*

naturam corroborantibus pleneque nutrientibus alimentis. Veluti est lac & pulmentum ex amygdalis mundatis & nucleis pineæ, & carnibus perdicum caponumque contusis, & cum vino malvatico, si absit præternaturalis calor, præparatis, & ovis sorbilibus.


Lavacrum. Foris autem convenit puerulos extenuatos quotidie in lavacrum tepidum collocare aq. dulcis, in quo incocta sunt capita & pedes arietini mundati: Sunt autem in aq. eousque coquenda donec ossa ab omni carne cuteque sunt resoluta. Post lotionem autem abstergendi sunt puerули mollibus linteis calidis, eorumque articuli ac maximè spina dorsi inungenda est seq. linimento. *Linimentum pro spina.* ♃. butyri recentis salis experti, ol. rosar. violar. amygd. dul. an. ℥ II. Axungiæ porcinæ recentis ℥ III. ceræ cand. q. s. resolvantur ad lentum ignem, fiat unguentum, cui refrig. admisc. flor. lactis mulieb. ℥ II. unguentum: Aut ♃. Axungiæ porcinæ, gallinæ an. ℥ s. ceræ alb. q. s. ex quibus colliquatis fiat linimentum, cui admisc. tenuiss. pul. amyli ℥ I.

Si vero ex phthisi tabescunt extenuanturque pueruli, crebro eis præbeatur lac caprinum in quo conserva rosar. est incocta & lac amygd. aut ex 4. sem. frig. maj. cum q. s. aq. Tussil. & sacch. confectum. *Phthisis remedia.*

Extenuantur pueruli nonnunquam ex fascinatione, cujus curatio ab ipso Deo est petenda. Is enim solus potest destruere opera Diaboli.

PRACTICÆ
FRANCISCI JOELIS
LIBER DECIMUS.
DE EXTERNARUM PARTIUM MORBIS ET AFFECTIBUS.
SECTIO I.
DE INGUINUM MORBIS SEU HERNIIS.

I. *Inguina quid, & quibus afficiuntur morbis?*



Inguina quid. Βουβῶν Inguentum. Inguina sunt partes infimi ventris utrinque inter pudendum & femorum internas partes, vel sunt terminus infimi ventris, & initium femorum.

Afficiuntur vero inguina hisce sequentibus morbis:

Inguinum affectus.

1. Ramicum speciebus.
2. Glandularum in Inguinibus tumore.
3. Bubonibus ex impura venere.
4. Bubonibus pestilentialibus tempore pestis.

2. *Ramex quid, quot ejus differentiæ, quæ causæ, quæ signa & quomodo curandus?*

Hernia quid. Κήλη Ramex, Hernia & Ruptura peritonæi, nostratibus der Niel oder der Bruch / est ubi peritonæum, omentum & intestina in se complectens, aut laxatur dilataturque aut ubi eadem membrana circa inguina paulo supra pudendum perrumpitur. Tum enim laxatum peritonæum in inguen. subsidet & tumorem efficit, aut in scrotum delabitur, idque in tumorem extendit: *Ejus differentia.*

tendit: aut ubi ex ruptura peritonæi, omentum inteſtina tegens, aut Ilion inteſtinum, (id enim duntaxat inter alia inteſtina ex peritonæo prolabi poteſt) in inguina aut ſcrotum procidit.

Verum præter has partes crebro in ſcroto colligitur aut aquoſus humor, aut flatulentus ſpiritus, aut in illo ipſo innaſcitur ex affluxu ſanguinis carnoſa materia.

Herniæ ſpecies 6. Differentiæ itaque Ramicum ſumuntur à materia, & denominationem habent ab eadem in inguina aut ſcrotum prolapſa.

Inguinalis. Si itaque intumeſcat Inguen, Græcis βουβωνοκήλη, id eſt, Ramex vel Hernia inguinis.

Inteſtinalis. Si autem ſcrotum intumeſcat ab illapſo inteſtino, ἐντεροκήλη, id eſt inteſtini ramex.

Omenti. Ubi omentum prolapſum fuerit, ἐπιπλοκήλη, id eſt omenti ramex nominatur.

Aquoſa. At ubi aquoſa materia collecta fuerit in ſcroto, ὑδροκήλη.

Flatulenta. Si flatuoſus ſpiritus, πνευματοκήλη, id eſt flatulenta hernia.

Carnoſa. Si carnoſa materia ſcroto innaſcatur, σαρκοκήλη, id eſt carnoſa hernia nominatur.

Signa ſpecies herniæ diſtinguentia. Hæ ramicis ſpecies inter ſe his notis diſtinguuntur. Ubi inteſtinum aut omenti pars aut peritonæum relaxatum in inguina aut in ſcrotum prolapſum eſt, id eſt in ἐντεροκήλη & ἐπιπλοκήλη, *Tumor mutabilis quid denotet.* tumor non eſt ſtabilis & perpetuus, niſi per negligentiam extra peritonæum indureſcat. Reſupino enim corpore vel ſponte in ſuum locum retrocedunt partes prolapſæ, vel manuum compreſſione cum murmure repelli poſſunt.

Sed ſi aquoſa materia, flatulentus ſpiritus, aut carnoſa increſcentia in ſcroto eſt collecta, id eſt ὑδροκήλη, πνευματοκήλη & σαρκοκήλη, *Tumor ſtabilis.* tunc tumor eſt ſtabilis & permanens, nec intra corpus repelli poteſt.

Præterea aquoſa hernia inſtar ædematis mollis eſt, & preſſioni digitorum cedit, & penduli teſtes graviores ſunt. In flatuoſa autem hernia leves ſunt teſtes & oppoſito lumine in obſcuro loco tumor tranſparens & perſpicuus eſt. Carnoſa vero hernia ſubinde augeſcit, & inſtar ſcirrhi dura evadit, & in gangrænam terminatur, id eſt mortuam partem, carentem ſenſu ac motu.

Cauſa. Cauſæ προηγουμέναι Ramicum & ruptionis peritonæi ſunt aut aquoſus humor, aut flatulentus ſpiritus in peritonæo collectus, ejuſque tunicam diſtendens ac dilatans. Προκαταρκτικαὶ ſunt violenta abdominis compreſſio, lapſus gravis è loco ſublimi, violenta ſaltatio, ponderoſæ molis ſublevatio, vehemens tuſſis, ſpiritus cohibitio & Diaphragmatis compreſſio, qualis fit in conatu egerendi in teneſmo, aut in flatibus tubicinum: in puerulis autem, ut paulo ante diximus, fletus continua ejulatio.

Signa generalia. Signa Ramicum manifeſta ſunt. Ex tumore enim vel inguinum vel ſcroti, viſu tactuque facile deprehenduntur, & eorum differentiæ ex notis jam traditis internoſcuntur. Sed tamen, ἐντεροκήλης & rupturæ *Rupturæ propria indicia.* propria ſunt ſigna, ſive in inguinibus ſive in ſcroto ea accidat, quod nimirum repentè contingit, ex clamore, cohibitione ſpiritus, & infarctione cibi magis increſcit & augetur, &, ut dictum eſt, reſupino corpore non magno labore intra peritonæum reduci poteſt, quod in aliis ſpeciebus minimè contingit.

Prognoſtica. Prognoſticationis ſigna. In ἐντεροκήλη & peritonæi ruptione in principio vulnus eſt parvum & tumor exilis, ſed proceſſu temporis ruptura magis magisque dilatatur & tumor ſubinde augeſcit. In relaxatione vero peritonæi ſi ipſum intro repellatur, nullum veſtigium tumoris apparet, ſed tamen ex levi occaſione rurſum ſubſidet vel in inguina vel in ſcrotum.

Periculoſa eſt ἐντεροκήλη, ubi nec ſponte nec manuum impulſione inteſtinum intra corpus reduci poteſt, ubi ſi tuſſis aut ſingultus ſuperveniat, perniciem adfert.

Σαρκοκήλη ut plurimum incurabilis eſt, niſi forſan cum vitæ diſcrimine caſtrationem quis ſubire velit.

Hernia ac potiſſ. ἐντεροκήλη & ruptio peritonæi in puerulis facilè ſanari poteſt: in ſenioribus autem nunquam, aut quam difficilimè.

Curatio generalis. Curatio herniæ conſiſtit in victus ratione, alvi emollitione evacuationeque in partis e-

tis elapſæ impulſione ac repoſitione, Emplaſtorum cataplaſmatorumque convenientium applicatione & colligatione; In potionum rupturam ſanantium exhibitione, quibus antecedit & prudentia chirurgica.

Diata. Victus ratio in omnibus Herniæ ſpeciebus debet eſſe tenuis, moderata & parca. Infarcto enim cibis ventriculo & inteſtinis, nec reponi poteſt pars prolapſa, nec intra corpus retineri. Cibi autem ſint ova ſorbilia, juſcula pullorum, ex cereviſia, cremor hordei, avenæ, pruna Ungarica & ſimilia. *Evitanda alimenta.* Vitet autem omnia edulia flatulenta & multi excrementi, veluti ſunt olera, piſa, caſeus, & fumo ſaleque duratæ carnes.

Si alvus ſit obſtructa & excrementis flatibuſque redundent inteſtina, ſubducatur ſeq. Clyſtere. *Enema.* ♃. Malvæ, parietariæ, fol. & rad. Alth. flo. chamæm. an. M. I. conciſa coquantur in q. s. aq. ad tertias, colentur, colati juris accipe ℥ XIIII. in quibus diſſolve pulp. caſſiæ ℥ III. ol chamæm. ℥ II. ſalis ʒ I. fiat clyſter.

Lenitiva. Poteſt quoque in initio aliquo leni purgante remedio vitioſa colluvies humorum redundans evacuari. Sine autem omni metu, & ampliore deliberatione utiliter exhiberi poſſunt ℥ II. mannæ, aut ℥ I. s. pulv. caſſiæ in prunorum decocto reſolutæ.

Inſeſſio. At ubi feces induratæ & compactæ in inteſtinis dolorem ac flatus excitaverint, in lavacrum dulcis aquæ collocetur æger, in qua incocta ſunt malva, althæa, flor. chamæm. ſem. fænugr. lini an. ad arbitrium. Poſt lotionem venter inungatur ol. chamæm. & aneth. aut imponatur cataplaſma *Cataplaſma.* ex fol. malvæ, althææ, ſem. fænugr. aclini pulveratis concoctis & q. s. olei admixtis.

Quando curationem ruptura admittat. Poſt evacuationem inteſtinorum, ſi peritonæum ruptum eſſe deprehendatur, diligenter conſiderandum eſt, quæ ſpecies Ramicis exiſtat. Σαρκοκήλη enim curationem non recipit: & ἐπιπλοκήλη valde difficilem, reliquæ vero curari poſſunt. In ruptura itaque & ἐντεροκήλη æger ſupinus collocetur, lumbiſque ejus culcitræ ſubjiciantur, ita ut venter reliquis partibus eminentior ſit: Deinde inteſtina prolapſa, ſeu quicquid ex peritonæo propendit, ſenſim ac leniter in corpus reducatur manibus, atque impellatur, reductaque intro retineatur, ruptæque regioni ſeq. Emplaſtrum rupturam conglutinans imponatur.

Emplaſtrum contra rupturam. ♃. Maſtich. ſarcocollæ, ſang. Dracon. cort. thuris, blat. biſantinæ, aloës, boli armen. gypſi, gallarum, pſidiæ an. ʒ II. Ariſtol. utriuſque hypociſt. acat. an. ʒ I. ſymph. ʒ III. picis ex vetuſtis navibus deraſæ, colophoniæ ℥ I. Quibus reſolutis admiſceantur præſcripti pulveres & mucago ex Ichthiocolla & uſitato glutine ex coriis facto cum acerrimo aceto vini diſſolutis an. ℥ I. ſubigantur, & in Emplaſtri formam reducantur, & mox ſubligaculo artificiosè fabrefacto, quod pro arbitrio conſtringi ac laxari queat, colligentur, Emplaſtrumque ad cutim conſtringatur.

Mixtura ex liqu. xylobebeni ʒ II. & liqu. uſifur ℥ I. etiam feliciter inungitur. Subligaculum.

Præcipiendum quoque eſt ut æger ſæpius jaceat, & ab omni commotione inferiorum partium abſtineat, Emplaſtrumque non niſi ſeptimo quolibet die removeat, novumque reponat. Impoſito Emplaſt. obligataque Hernia exhauriat æger mane ac veſperi per 30. ad minimum dies ſeq. potionis ℥ IV. aut V. quæ & conglutinat, & mirum in modum conſtringit peritonæi tum rupturam tum relaxationem. *Potio contra herniam.* ℞. Rad. Conſ. maj. biſtortæ, pentaphyll. an. ℥ s. ſarſæ parillæ ℥ I. hyppur. polygo. perfoliatæ, ſaniculæ, pyrulæ, Agrimon. an. M. s. flor. roſar. prunellæ, conſolidæ ſaracenicæ, geranii min. cum rubentibus ſurculis, fol. viſci vel querci vel pyri arboris an. M. s. Contund. contundantur & concid. coucidantur & in ſemicongio vini id eſt ℔. IIII. concoquantur in dupl. Vaſe ad 2. hor. cui grati ſaporis ergò admiſce mellis purificati q. s. fiat potio.

Paracelſus ſolius betonica & ſaniculæ alba decoct. ex vino exhibet.

Plurimum quoque confert in ἐντεροκήλη ſuc. Jaceæ herbæ, ſi ejus ℥ III. cum ℥ I. ſuc. rad. ſymph. ſimul mixtæ aſſumantur. In herniis

Herba cancri seu hernitriæ succus. niis puerorum mirificè confert succus herbæ, quæ à quibusdam herba cancri nominatur, quæ in marginibus segetum fabulosarum nascitur, ramulis ad terram sparsis, foliis valde exiguis & rotundis ex viridi flavescentibus gustu astringente, quæ contundenda est in mortario & conspergenda vino, & ita ejus succus exprimendus & ℥ s. vesperi ac mane herniosis propinanda.

3. *Vmbilici ramex seu protuberantia quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quomodo curanda?*

Vmbilici hernia. Ἐξόμφαλον πάθος Umbilici hernia. Inter Ramicum spec. numeratur umbilici prominentia, præsertim ubi ex rupto peritonæo circa umbilicum intestina prolabuntur, umbilicumque protrudunt: Vel ubi circa umbilicum multum aquosi humoris vel flatuum copia colligitur.

Causæ, Causa προηγουμένη est peritonæi circa umbilicum ruptura, aut οὐραχὸς id est canalis à vesica in umbilicum protensi, per quem in utero urina fœtus excernebatur, amplitudo & mala colligatio. Fernelius scribit se vidisse quendam annorum triginta, cui per multos menses urina non per virgam, sed per umbilicum profluxit, quod videlicet οὐραχὸς foramen nondum esset exoletum. Προκαταρκτικαὶ ruptionis causæ sunt violentus casus, aut ictus circa umbilicum: *Tussis item vehementior, aut tubarum inflatio, aliusque conatus nimius abdomen distendens.*

Signa. Signa manifesta sunt ex nimia protuberantia umbilici: & si pars intestini sit prolapsa in umbilicum, tum cum tumore dolor adest, ac si tumor comprimatur manibus intestina cum rugitu retrocedunt. Si vero ibidem vel aquosus humor vel flatulenti spiritus sunt collecti, ex levitate & gravitate, transparentia & obscuritate internosci possunt.

Prognostica. Prognostica. Diuturnus umbilici prolapsus quando sine dolore ad magnitudinem capitis infantis procrevit, frustra repelli tentatur, & sine curatione per totam vitam gestatur.

Curatio. Curatio. Dum adhuc recens est umbilici prominentia, & ex ruptione peritonæi originem ducit, curanda est ut ἐν περοκήλῃ, nimirum repellendo intestinum intra peritonæum Emplastris in ἐν περοκήλης curatione descriptis impositis, & fasciis convenientibus obligatis, & cum potionibus conglutinantibus. Potest quoque recens umbilici hernia non incommodè curari per artificiosam sectionem industrii chirurgi.

Si autem aqua aut flatus in umbilico sunt collecti, ea curandi ratio est administranda, quam paulo ante in curatione ὑδροκήλης & πνευματοκήλης adnotavimus. Aut imponatur tumori Emplastrum hoc ratione confectum. ♃. Gummi Ammon. ℥ II. resolvantur in vino austero in pultis formam, quibus admisc. pul. tenuiss. cymini præpar. q. s. ut Emplastri formam acquirat. *Emplastrum.*

4. *Adenarum sive glandularum in Inguinibus intumescentia quid, quæ causæ, signa & quomodo curanda?*

Ἀδένες glandulæ nostris **die Hagedroß** sunt spongiosa rara & alba corpuscula, subjecta venarum & arteriarum divaricationibus vel divisionibus. Omnium maximæ glandulæ (exceptis mamillaribus) habentur circa collum, sub axillis & inguinibus. Quæ loca veteribus emunctoria nominata sunt, eo quod glandulosa hæc corpora sint quasi receptacula superfluitatum superiorum partium, & sua natura à principalioribus partibus trahant ac recipiant venenosos humores, ex quibus intumescunt glandulæ quandoque sine dolore, & nonnunquam cum dolore. Intumescunt autem plurimum crescentibus pueris & adolescentibus. *Ac tunc dolor qui inde excitatur, vocatur nostratibus* **der Wachsthumb.** *Adenes glandulæ ubi majores.* *Usus glandularum.*

Causa προηγουμένη est incrementum musculorum & vasorum in inguinibus, comprimentium glandulas. Προκαταρκτικαὶ sunt insueta equitatio, & tubercula inflammata in pedis pollice aut tibia excitata, *quæ per consensum hasce partes quoque afficiunt.* *Causæ.*

Signum est manifestum, digitis enim contrectari tumor potest. *Signum.*

Curatio: si absit inflammatio, est facilis, & quieto sponte resolvitur, aut evanescit, si confricetur saliva jejuni hominis; aut tepi- *Curatio.*

tepida inunctione oleorum vel chamæmeli ve lanethi, vel scorpionum vel hyperici. Sed si accedat inflammatio, terminatur sæpius in apostema, cujus curationem jam tradam.

5. Purulentus sive venereus tumor cum inflatione circa Inguina quid, quæ ejus causa, quæ signa & quomodo curandus?

Tumor Inguinum venereus quid. Ἀποστήματα τῶν βουβώνων tumor Inguinum purulentus & inflammatus, qui & venereus dici potest, chirurgi nostrates **das Klapholtz** / vocant, est tumor subortus circa Inguina, qui solis libidinosis adolescentibus cum imputis scortis commercium habentibus præmii loco accidere solet.

Causæ προηγούμεναι sunt fædi & sordidi humores ad inguina inter violentam commotionem defluentes à glandulis excepti. Προκαταρκτικαὶ est sudor & impura colluvies è meretricum pudendis in venereo certamine amasiis suis communicata, eorumque inguinibus illita.

Signa. Signa sunt manifesta. Tumor enim & inflammatio circa inguina tactu ac visu deprehenditur: Accedit nonnunquam & febris, ac præ dolore æger vix procedere potest.

Curatio. Curatio perficitur, ut aliorum apostematum suppuratorum, per medicamenta primum maturantia, deinde per tumoris incisionem, purisque expressionem, elutionem & mundificationem, & postremo per consolidationem. Quibus autem remediis commodè hæc perfici debeant, Deo auxiliante in curandis morbis chirurgiæ subjectis commemorabimus. Hoc loco satis erit adjecisse, *Maturantia.* βουβῶνες tales, id est apostemata probè ad maturitatem deducere Emplastrum de meliloto, & Emplastrum Diachilon: Apertum autem ulcusculum ab omni sorde mundificare unguentum Apostolorum vulneri illitum, & conglutinare vulnusque consolidare Empl. Diatessaron quod Brunonis vocant.

6. Tumor pestifer inguinum quid, quæ ejus causa, quæ signa, & qualis ejus curatio?

Bubonis Βουβὼν λοιμώδης tumor pestilentiosus circa Inguina **ein Pestilentzen Schwell.** *pestilentialis origo.* In contagione pestis si Natura est paulo robustior, virus pestiferum à principalioribus partibus ad emunctoria, id est ad Adenas colli, axillarum & inguinum propellere conatur: & si contagio cerebrum invasit ad collum, si cor ad axillas, si Epar aut venas aut ventricul. ad inguina venenosam materiam propellit, ibidemque aut tumorem aut carbunculum excitat. Verum cum de pestilenti contagione & ejus symptomatum curatione nobis in febrium tractatione sit plenius agendum, hoc loco satis erit, si brevissimè Bubonis pestiferi curationem perstrinxerimus.

Curatio. Curatur autem bubo pestilentialis, primum à nobiliore parte ignobiliorem, & à principalibus ad maximè distantem, antequam radices agat, tumorem pestiferum, & in eo existens virus detrahere ac revellere, ibidemque maturare, & paulo post ruptorium remedium imponere, aut sectionem bubonis moliri, virulentum pus expurgare, ac tandem consolidare.

Cataplasma revellens. Porro bubonem pestilentem ante peractas horas 24. à collo & axillis in volam manus, & ab inguine ad plantam pedis subtrahere possumus seq. catapl. ℞. rad. scrophulariæ majoris, quam nostrates **Braun Wurtzel** nominant M. 1. quæ probè conterantur cum aceti vini q. s. cui & fermenti nonnihil addi potest, & parum decoquantur, in formamque cataplasm. deducantur, & vel volæ manus vel plantæ pedis applicentur.

Anthracis remedium. Verum si id quod erupit virus; non sit bubo aut tumor, sed anthrax seu carbunculus, imponatur q. s. galbani ad ignem emolliti, & per linteum instar Empl. extensi, ac si hoc Empl. carbunculo adhærescat, nec avelli se patiatur, magnam sanitatis spem promittit. Si vero prorsus non adhæreat, lethale est indicium.

Bubonem maturans cataplasma. Ad maturationem autem bubonis pestiferi plurimum facit seq. cataplasma.

♃. Rad. alth. lilior. alb. utriusque recent. caricarum id est ficuum ping. passularum remotis seminib. an. ℥ 1. s.

Fer-

Fermenti acerrimi ℥ I. Axungiæ porcinæ & butyri non saliti an. q. s. coquantur ad catapl. formam, & buboni aliquoties imponatur.

Deinde paulo post vel incidatur bubo, (*quod nonnulli feliciter non expectata maturatione quamprimum facere solent, ut sanguis virulentus profluat*) & virulenta sanies comprimendo protrudatur, aut seq. ruptorium catapl. imponatur.

Cataplasma ruptorium.

℞. Ficuum n. IV. qui probè contundantur eisque adjiciantur pul. synapi, piperis an. ʒ I. salis ʒ II. fermenti acerrimi ℥ s. croci ʒ I. vitelli I. ovi, sacchari ℥ s. contusa subigantur, fiat catapl. Postquam bubo est apertus, chirurgica Emplastra adhibeantur.

SECTIO II.
DE ARTICULORUM AFFECTIBUS.

I. *Articuli humani corporis quid, & quibus afficiuntur morbis?*

Articulatio quid & quotuplex.

"Αρθρον, articulus sive ἄρθρωσις, articulatio est ossium commissura sive junctura. Alii autem articuli sive ossium commissiones immobiles sunt, veluti suturæ cranei & dentes in maxillis, de quibus hic non loquimur: alii sunt mobiles, veluti sunt coarticulationes ossium, pedum, manuum, coxarum, scapularum & vertebrarum dorsi, in quorum ossium coarticulationibus sæpe gravissimi excitantur dolores, qui ἀρθρῖτιδες, id est articulares morbi nominantur, cujus species sunt:

Species arthritidis.

Podagra,
Chiragra,
Scapularum dolor,
Coxarum dolor,
Spinæ dorsi dolor,
Gibbositas seu Gibbus.

2. *Articularis morbus quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curandus?*

Arthritis nomen generale.

Ἀρθρῖτις, articularis morbus generaliter ad omnes dolores, in quacunque corporis coarticulatione ad motum destinata existant, referri potest. Ἄρθρον enim & ἄρθρωσις, articulum & coarticulationem ossium omnium significat: & ita & podagra & chiragra & ischiadicus dolor, ἀρθρῖτις est: Quæ symptomata omnia à loco affecto nomen habent, & sola loci diversitate inter se differunt. In specie autem Arthritis dicitur morbus, ubi omnes aut quam plurimos articulos corporis dolor occupat, nostratibus **die Gicht** dicitur.

Ejus differentiæ. Arthritis quid in specie.

Unde dolor iste acerbus in articulis excitetur.

In articulis mobilibus connectuntur ossa interventu membranarum, tendonum & ligamentorum, quæ particulæ ex ipsis ossibus vel ossium extremitatibus originem ducunt, & omnes membrana vestiuntur à perioſtio orta, quæ exquisitissimo sensu prædita est, unde si ad eam influat vel calidus vel acris humor, qualis est bilis flava, excrementicia caliditate & acredine articulos lædit: pituita, sive sit tenuis & serosa, sive crassa & gypsea, quam Neoterici tartarum vocant, offendit articulos frigiditate & duritie. Sanguis vero impurus, si in articulos confluat, extendendo membranas ligamentorum, molestus est articulis. Humor vero melancholicus, à quo raro oritur ἀρθρῖτις uti in scorbuticis, noxius est frigiditate.

Materia peccans quotuplex.

Pareus lib. 17. chirurg. cap. 2. ex ichorosorum humorum ad articulos decumbentium maligna & venenata qualitate tam vehementem dolorem excitari putat. Cum vulgaribus remediis non cedat, sed exacerbetur potius, & theriaca tam intrinsecus quam extrinsecus sæpe curetur. Nec adeò cordis passionibus animique deliquio subjecti essent arthritici, nisi malignitas quædam interdum subesset. Porro colligitur in articulis vitiosus humor aut per adfluxionem ab aliis partibus, aut congestionem malè concoquentis partis.

Modus collectionis.

In omni articulari morbo tria debent considerari. Primo pars affecta sive quæ recipit vitiosos humores. Secundo pars à qua oritur fluxio. Tertio via sive canalis per quem fit fluxio ad articulos. In parte affecta seu recipiente semper adest imbecillitas. Alias

Tria potiss. in arthritide consideranda.

Pars ad quam, seu recipiens. Pars à qua, seu mittens. Via per quam fit fluxio.

lias enim absumeret & discuteret adfluentem humorem. Pars autem à qua oritur fluxio tanquam ex fonte, est aut cerebrum aut Epar. Viæ vero per quas materia ad articulos fluit, ex capite quidem sunt tunicæ nervorum, ex quibus tandem, ubi defluxerunt ad articulos imbecilles pituitosa excrementa, in articulos exudant, quæ per nares & palatum fluere debebant. Quanquam non negamus eos vitiosos humores ex capite (ut Fernelio placuit) posse per subcutaneas membranas ad articulos defluere. Ex Epate autem per venas & eisdem subjectas arterias cum sanguine impuro deferuntur humores vitiosi.

Causæ generales arthritidis.

Causæ igitur προηγούμεναι omnium articulatium morborum sunt articulorum imbecillitas, & humorum vitiosorum, sive sint frigidi sive calidi, sive defluant ex cerebro, vel Epate, defluxio ad articulos imbecilles. Προκαταρκτικαὶ sunt ingluvies, crapula, otium, multa vini meracioris potatio, iracundia nimia, & immoderata Venus. Unde venustè Poëtæ podagram & articulares morbos, Bacci Venerisque filiam esse finxerunt. Plurimis quoque articulares morbi ex parentibus eodem morbo detentis hæreditaria successione contingunt. *Sapè etiam ex aqua alkalisata vel tartarea, aut vino quod multum tartari in se continet, arthritis oritur. Et tum est endemius morbus, uti in Moravia & Austria.*

Arthritis hæreditaria & endemia.

Signa partis mittentis.

Signa. Fluxionem vitiosorum humorum à capite ad articulos, antecedit capitis gravitas, dolor cervicis, & horrores crebri. Ab Epate fluxionem ad articulos antecedit febricula, tumores vagabundi, & dolores nunc in illa nunc in alia parte, rubedo cutis & tentio venarum.

Signa humoris influentis & dolorem excitantis.

Signa vitiosi humoris articularem morbum efficientis hæc sunt, desumpta ex natura humoris & specie doloris. Ex dolore enim acri & erodente, bilis; ex dolore tensivo, copia sanguinis deprehenditur. Calidus humor ex partis affectæ calore, frigiditas ex frigiditate percipitur. Præterea si à sanguine dolor excitatur, color cutis affectæ partis rubet, si à bile, pallescit, à pituita, albicat: adde quod à biliosa colluvie orta arthritis, calidis remediis irritatur, frigidis mitigatur. A pituita aut melancholico humore orta frigidis exacerbatur, mitigatur autem calidis. *A pituita gypsea seu tartaro orta, in tophos concrescit, & tumores in articulis excitat.*

Prognostic.

Præsagium. Inveteratus articularis morbus rarissimè curatur remediis, qui in principio curari potest. *Ac tum verum est illud Poëtæ, Tollere nodosam nescit Medicina podagram.*

Cura præservativa.

Quantum ad præcautionem attinet, necessarium est articulari morbo obnoxium summo studio perpetuo vitare crapulam, ebrietatem, Venerem, iram, cibi satietatem, otium, & alimenta omnia crassos humores gignentia, & tartarum suppeditantia. In hoc morbo enim omnium maximè convenit illud Hippocratis: studium Sanitatis est, cibi insatietas & laborum impigrities.

Evitanda arthriticis.

Vomitus utilis.

Prodest præterea articulari morbo laboranti, præsertim si sit natura pituitosus, singulis mensibus crudos humores è ventriculo per vomitum evacuare, & iis quidem qui facile vomunt, præstat id mane jejuno ventre perficere: qui vero difficulter, iis magis convenit à prandio post longam commessationem. Studeat quoque ne alvus sit adstricta: id si accidat, suppositorio aut leni clystere subducenda erit. Prodest præterea singulis mensibus seq. pillulis pondo ℈ 1. uti.

Alvus sit laxa.

Pillulæ præservantes.

℞. Rhab. Agar. Troch. an. ʒ 1. cinam. spicæ nardi vel Indicæ, spicæ celticæ, Asari, mastic. Myrrh. an. ℈ 1. Aloës puriss. ʒ s. omnibus diligenter pulveratis cum q. s. Terebinth. lotæ formentur pill. ex singulis drachmis 21. quæ vesperi 4. horis à cæna cum cerevisia deglutiantur.

Spir. 🜍

Absumunt quoque & extenuant crassam materiam Arthritidis, gutt. 7. spiritus vitrioli alternis diebus cum 111. cochlearibus aq. Bethon. ebibitæ. In plethoricis sanguinis crebra missione, præsertim in vere & autumno, in articulari morbo nihil est salutarius, quæ non præservat tantum, sed sæpe in universum morbum extinguit.

Vena sectio.

Curatio ar-

Porro ubi jam sævit dolor in articulis, curatio

thritidis jam præsentis. tio hac methodo est peragenda. Primum diligenter consideretur cerebri, & epatis, quas partes fontes fluxionis esse diximus, constitutio: deinde articulus seu locus affectus: tertio qualis existat humor ad articulos defluens doloresque excitans, sanguisne copiosus, pituita aut alterutra bilis. Et humor quidem vitiosus, qui occupat articulos, omnium primum est evacuandus, idque crebris purgationibus. Quo evacuato, & fluxio in cerebro aut in epate est restringenda & cohibenda. Interim & articuli laborantes imbecillesque corroborandi erunt. Et postremò topicis remediis dolor mitigandus ac removendus.

Purgantia. Affluxum restringentia. Articulos roborantia. Topica anodyna.

Vbi sanguinis adfluxus in causa. Cognita itaque materia morbi, id est specie vitiosi humoris, statim ægro conveniens victus ratio fluentis humoris naturæ contraria præscribenda erit. Et quidem primum ubi sanguis impurus ac copiosus articulos gravet, & tendonum ligamentorumque tunicas extendit, Victus ratio temperata ad siccitatem tamen & moderatam frigiditatem vergens præscribatur. Vitet autem æger omnia quæ copiosum sanguinem generare possunt, veluti sunt carnes pullorum, ova, vinum & similia.

Victus ratio.

Enema. Deinde alvus leni clystere evacuetur, cujus paradigma in superioribus pluries tradidimus.

Venæ sectio. Mox autem evacuato corpore sanguis redundans per venæ sectionem subtrahatur. Est autem secanda vena Epatica affecti lateris, si pedis articuli doleant: Si autem manus articulos dolor occupavit, secetur vena in poplite vel sub talo, vel inter pollicem & sequentem digitum affecti lateris.

Peracta venæ sectione reliquus sanguis sequenti potiuncula purificetur.

Haustus sanguinem purificans. ℞. Pulpæ cassiæ, Mannæ an. ℥ I. pulv. Rhab. ʒ s. Agar. Troch. ℈ I. Resolvantur in ℥ v. lactis caprini, & propinentur manè sex horis ante prandium.

Topica quando applicanda. Cautela. Perpurgato corpore loco dolenti Topica & dolorem mitigantia remedia tuto articulis imponi possunt. Ante autem corporis purgationem periculosa est topicorum applicatio. Repellunt enim vitiosos humores ad interiora viscera, & magnum malum procreant. In sanguinea autem constitutione hæc seq. commodè imponi possunt. Acetum rosac. cum albumine ovorum concutiatur & linteolis duplic. excepta affectæ parti imponantur. Quin & ol. rosac. cum pauxillo aceto mixto, aut unguento populeo & è cerussa simul mixtis dolens locus commodè inungi potest. Aut

Epithema.

Inunctio.

Cataplasma. ℞. Far. fabar. & hordei an. pro arbitrio, coque cum aceto vini ad pultis formam, iisdemque admisce ol. rosarum q.s. fiat cataplasma, quod tepidum articulo laboranti imponatur. Aut

Aliud. ℞. Medullæ similac. panis, in lacte caprillo maceratæ & rursum expressæ M. III. quibus admisce vitell. ovorum n. II. ol. ros. ℥ II. aceti ros. ℥ I. croci ʒ I. far. fabar. q. s. subigantur, fiat cataplasma. Aut

Aliud. ℞. Fol. brassicæ q. s. coquito in aqua ad mollitiem, & exemta in mortario contere, eisque admisce lutea ovorum & aceti rosac. parum, fiat cataplasma.

Adstringentia non temere adhibenda. Notandum autem tumentibus articulis non esse temere imponenda remedia repellentia & astringentia, sed mitigantia tantum. Circa tumorem autem tuto imponi possunt, præsertim si adsit inflammatio, hæc sequentia.

Epithema repellens. ℞. Suc. prunell. sylvest. calicum rosar. cum seminibus & glandium recent. an. M. II. Contundantur, succusque exprimatur, & linteolis exceptus inflammato loco imponatur.

Si defluxio fiat per aliquod emunctorium, quod facile sensu percipi potest, ad cohibitionem fluoris seq. linimentum imponatur.

Linimentum affluxum cohibens. ℞. Boli Armeni ℥ II. pul. bistortæ, gallarum, nuc. cupressi an. ℥ s. commisc. cum pauxillo aceti rosac. instar pultis, & imponantur emunctoriis.

Cataplasma in Si defluxio sit copiosi sanguinis inflammati, ℞. Mucag. sem. psylii cum suc. aut aq. plantag. & aceto rosac. factæ q.s. cui admisc.

Sanguinis copiosi affluxu. misc. alb. ovorum, quibus medul. panis siliginei admisceatur, fiat catapl. Ne autem cito exarescat, addi potest nonnihil ol. rosac. & inflammato tumori articulorum imponatur, crebroque removeatur.

Si causa biliosa. Porro si defluxio ad articulos biliosa fervidaque existat, valde acres excitat dolores, sed sine tumore articulorum, adest tamen ut plurimum & inflammatio, quæ ex totius corporis, & loci affecti colore flavescenti dinoscitur. Et si refrigerantia topica imponantur, levatur dolor, à calidis autem magis exacerbatur, tum etiam alimenta & remed. præscribenda sunt refrigerantia. *Quæ victus ratio conveniat.* Conveniunt itaque in victu cremor ptisanæ, pruna acida, caro pullorum cum uvis immaturis, vel saltem cum aceto elixata, & pisces squamosi, maximè percæ aculeatæ, quæ melanuri nominantur, & cerasa tum recentia tum torrefacta & cocta. Ex oleribus in acetariis plurimum conferunt lactuca & portulaca. Vitanda autem sunt omnia acria, salsa, & aromata, & vini potio. Potus autem erit aq. hordei cum cinamomo cocta, & lac ex 4. sem. frigidis cum aq. cich. confectum. *Enema.* Si alvus sit obstructa leni clyst. aut saltem suppositorio aliquo subducatur.

Phlebotomia. Postea si vires & doloris acerbitas ferant, vena incidatur Epatica & ex opposita parte: parcus tamen sanguis effluere permittatur.

A venæ sectione ferventem bilem crebra purgatione subtrahere oportet, per aliquod pharmacum cholagogum, quale est subsequens.

Cholagogum. ℞. Rhab. ʒ II. contusum maceretur per noctem in ℥ V. aquæ cichoreæ, mane ad fervorem calefiat, fortiterque exprimatur, & colato liquori admisceatur aut syr. rosat. solutivi ℥ II. aut elect. rosati Mes. ʒ III. & fiat haustus sex horis ante prand. assumendus.

Bilis quando & quomodo evacuanda. Et crebro, aut dictum est, bilis est subducenda, sed cavendum tempore accessionis & summæ exacerbationis: tum enim si purgans pharmacum assumatur, augetur dolor.

Topica anodyna. Expurgato corpore Topica remedia fervorem doloremque mitigantia loco affecto applicentur, qualia sunt hæc sequentia.

℞. Lentium palust. ad libitum, contundantur cum pauxillo acet. rosar. & instar catapl. loco affecto imponantur. Aut *Cataplasma.*

℞. Herb. recent. semper vivæ major. lactucæ, solat. polygoni, plantag. an. M. I. contusis admisceantur far. hord. M. II. & ol. ros. q. s. quæ ab humiditate expressa contund. in mortario, cui admisceatur q. s. ol. ros. & mucilag. sem. psylii cum aq. rosar. factæ, fiat cataplasma. *Aliud.*

At vero si acerbitas doloris intolerabilis sit, Narcotica torporemque inducentia remedia affecto loco circumspectè adhiberi possunt, veluti est seq. cataplasma. *Narcotica caute usurpanda.*

℞. Opii Theb. ʒ II. resolvatur in pauxillo aceti rosat. ad lentum ignem, cui admisceantur mucag. sem. psylii ℥ II. unguenti popul. ℥ I. quæ mixta per se inungi possunt dolenti loco, vel addita q. s. far. hord. in catapl. formam redigi. Aut *Cataplasma.*

℞. Fol. virescentia cicutæ & rad. hyosc. & capita virescentia papav. an. ad libitum, quibus simul contusis admisceantur ol. rosar. & far. fab. q. s. fiat cataplasma.

Prudenter autem hæc refrigerantia vehementer & stupefacientia usurpanda sunt: læduntur enim ex eis nervi. Post eorum itaque usum sedato dolore lavetur fomenteturque locus affectus calefacientibus liquoribus, veluti sunt vinum, in quo rorismar. fol. vel salviæ vel saturejæ sunt incocta, & crebrò inungatur locus ol. è castor. vel ol. costino. *Post usum narcoticorum adhibenda.*

At vero si defluens materia ad articulos pituitosum sit excrementum, quæ pituita est aut tenuis & serosa, aut est crassa & lenta, aut est terrestris & gypsea, quam defluxionem cognoscimus hisce signis, quod nimirum dolor non subitò nec affatim invadit, nec valde acris est, & articuli intumescunt: tumor autem laxus est & diuturnus, & cum articuli moventur, major dolor excitatur, qui articularis morbus senibus est magis quam juvenibus familiaris: in cujus curatione ita procedendum erit. *Si materia pituitosa, quid agendum.*

Enema. Primum ſubducatur alvus acri clyſtere ex decocto origani, bethon. & centaur. min. in quo ℈ I. colocynth. pulpæ in linteolo ligatæ efferbuerit, in cujus ℔. I. reſolvantur hieræ ſimpl. ℥ II. & ol. chamæm. ℥ III. ſaliſque ʒ I. quæ tepida infundantur.

Diæta. Poſtea victus ratio moderatè calefaciens & exiccans, & fames abſtinentiaque & vigiliæ in morbi initio præcipiantur patienti. In cibo autem conveniunt oryza cum juſculo carnis bovinæ, & aviculæ aliæque carnes aſſatæ magis quam elixæ. In potu hydromel, & cereviſia plena ac clara conveniunt, in quibus cinamom. cardam. ſem. aniſi & carvi foliaque roriſmar. commodè poſſunt macerari. *Venæ ſectioni quando locus.* A venæ ſectione niſi in corporibus plethoricis & adoleſcentia, prorſus abſtinendum erit, quicquid tandem ſentiant Græci.

Excrementa autem pituitoſa ad articulos defluentia ſubinde ſeq. pharmacis diminui & expurgari debent, ac primum quidem ea *Vomitio menſtrua.* è ventriculo per menſtruas vomitiones exturbentur, exhauſto prius hauſtulo vini, in quo per noctem maceratæ ac deinde incoctæ fuerunt, cort. rad. jugland. arboris: aut ebibito hauſt. aq. ex gr. juniperi per deſcenſum deſtillatæ. Tandem & ex cerebro & venis eadem excrementicia pituita, idque tempore remiſſionis, per vices ſubtrahatur: uſitato tamen more prius per triduum aut quatriduum extenuetur & concoquatur craſſa pituita ſeq. potione.

Decoctum extenuans pituitam.
℞. Rad. fænic. petroſel. pimpinellæ liguſtici, Dauci cretici an. ʒ III. ſem. Aniſi, fænicul. carvi an. ℥ ſ. Fol. Bethon. roriſm. hyſſopi, origani an. M. ſ. ſcord. card. benedicti, centaur. min. an. p. I.

Contuſa & conciſa cum ℔. III. aq. in dupl. vaſe concoquantur per 2. horas. refrigerata colentur & colato juri admiſc. ſyr. è ſtæchade ℥ VI. fiat potio, cujus mane ac veſperi ebibantur ℥ IIII. calefactæ. Abſumpta hac potione, ſeq. hauſtulus ſex horis ante prandium propinetur.

Hauſtus phlegmagogus.
℞. Fol. ſenæ ʒ II. Agar. Troch. contuſi & in linteolum colligati ʒ I. ſ. macerentur per noctem in ℥ V. aq. betho. mane leniter ebulliant, & fortiter expreſſa colentur, colato juſculo admiſceantur Diaphæn. ℥ ſ. fiat hauſtus. Aut exhibeantur deglutiendæ ſeq. pill.

Pillulæ.
℞. Maſ. pill. è ſagapeno, fætid. Agar. troch. an. ℈ I. Troch. alhand. ℈ ſ. cum ſyr. è ſtæch. formentur 27. pill. Earum autem uſurpatio crebrius repetatur. Paracelſi ſequaces in omnibus articularibus morbis utuntur vitro *Vitrum antimonii.* rubicundo ex Antimonio liquefacto præparato. Sed hoc medicamentum cum ſummas inferat anxietates & animi deliquia, non temere uſurpandum judicamus. Interim tamen in extenuanda & abſumenda pituita, diſcutiendiſque humoribus articulorum miro ſucceſſu uſi crebrius ſumus, gutt. 9. ol. *Spir. Vitrioli.* vitriol. mane ac veſperi cum juſculo pingui exhibitis. Prodeſt & per intervalla uti ʒ I. ſ. theriacæ Androm. cum hauſtulo vini generoſi.

Topica. Perpurgato corpore ſequent. Topica laboranti loco poſt frictionem calidorum linteolorum adhibeantur. *Fomentatio.* Primum inungatur locus vino Rhenano calido, in quo incocta ſint fol. roriſm. & ſtrobili ſive nuces pineæ, cui & ol. vitr. nonnihil commodè admiſceri poteſt. *Cataplaſma.* Tandem imponatur cataplaſma ex æqualibus part. ſtercoris bubali aut caprarum & far. hord. in hydrom. coctis, & in catapl. formam redactis. Aut

Aliud.
℞. Far. fænug. lini, cicerum, lolii an. ℥ II. pul. rad. alth. ℥ I. cum hydromel. q. ſ. admiſce. *Fomentatio.* Commode quoque fomentari poteſt tumor & locus affectus articulorum vino in quo decoctæ ſunt majorana abrotan. puleg. ſerpil. Quæ in aceti aquæve p. æ. incoqui poſſunt. Iiſdem autem herbis concoctis & in mortario contuſis admiſceri poſſunt far. fænug. & medul. panis, & ping. porc. & in cataplaſm. formari. Aut imponatur ſeq. Emplaſt.

℞. Caſtor. Thuris an. ʒ I. ſ. medul. crurum cervi, adip. anſerini an. ℥ ſ. Ol. aneth. nardi an. ℥ I. Bdellii, galbani *Emplaſtrum.* in aceto roſar. ſoluti, & per linteolum tranſ-

transacti, far. fænug. sem. lini an. ʒ II. ceræ q. s. fiat Emplastrum, & dolenti loco prius seq. ung. illinito & inuncto imponatur.

Vnguentum. ♃. Ol. vulpini, ol. lumbricorum, lil. albor. rutæ an. ʒ II. ping. ursi, vulp. an. ℥ s. mucag. ex sem. lini, fænug. & rad. alth. factæ ℥ I. croci ʒ I. ceræ q. s. fiat unguentum. Aut

Cerotum. ♃. Resinæ pini, terebinth. an. ℥ s. ol. vulpini ℥ I. s. Mucag. & rad. alth. & sem. fænug. cum q. s. succi ebuli factæ ℥ II. Sagapeni, Opopanacis, Ammoniaci in aceto dissolutorum percolat. an. ℥. s. Croci ʒ I. ceræ q. s. fiat. s. a. cerotum, & inuncto prius dolenti loco imponatur. Aut

Cataplasma. ♃. Stercoris vaccini ℔. I. far. fænug. fab. an. ℥ II. oxymel. simpl. q. s. subigantur, & fiat catapl. quod dolenti loco imponatur.

Si dolor ex humore melancholico. At vero si dolor articularis ex melancholico humore excitetur, quod tamen rarius accidere consuevit, idque potiss. in scorbuticis, propter crassitiem & stabilitatem humoris (nisi forsan humor melanch. per vehementem calorem quasi in cinerem sit conversus, sanguineæque massæ admixtus) tum victus ratio moderatè calefaciens præscribatur, & pro constitutione corporis, si necessitas exigit, vena secetur splenetica, & quidem statim in initio doloris. *Vena sectio.*

Post venæ sectionem concoquatur digeraturque melanch. humor cum sero lactis caprini in quo concocta sunt consf. fumar. melissæ an. ℥ II. Rad. polypod. ℥ I. s. ceterach. M. II. serum autem debet esse ℔. IV. & concoqui debent in dupl. vase. *Digestivum.* Post concoctionem extenuationemque humoris, purgetur corpus ʒ X. Diacathol. in ℥ V. aq. stillat. fumar. resolutis & 6. horis ante prandium exhibitis: Aut exhibeantur 27. pill. ex ʒ I. Mas. pill. è fumo terræ, quæ Diagrid. gr. V. additis fortiora reddantur. *Haustus melanagogus. Pillulæ.*

Topica. Quibus peractis, Topica dolorem mitigantia & discutientia loco affecto applicentur, veluti sunt hæc sequentia.

Cataplas. ♃. Fol. rorisin. conizæ majoris an. M. II. concisa coq. in vino, & contundantur in mortario, quibus admisceatur medul. panis & addita q. s. ping. anserinæ & æsypi, fiat cataplasma.

Porro ingens se offert difficultas in curatione Arthritidis cum propter impatientiam ægrotantis, tum propter doloris acerbitatem. *Admonitio generalis.* Dolor enim perpetuo, ut cæcus ventus nubes, ad se allicit ac rapit vitiosos humores ex reliquis partibus, & auget dolores. Suadendum est itaque tyronibus Medicinæ, ubi præscripta remedia Topica semel atque iterum usurpata atque applicata parum aut nihil adjumenti attulerint, ne ea amplius admoveant, sed statim ad novum aliud remed. simile tamen aut nonnunquam ad contrarium confugiant & transgrediantur. *Topica sæpius varianda.* Sæpè enim unus & idem articulari morbo laborans, eodem remedio & sanitati restitutus est, & sæpè lædi visus.

Si autem hæc omnia præscripta non contulerint, ablegetur patiens ad Thermas Naturę morbi convenientes, inter quas celeberrimæ habentur in Germania hæ quæ Carolinæ prope Vallem Joachimicam habentur, quæ ex alumine, sulphure & cupro constant. *Thermæ Carolinæ arthriticis utiles.*

Porro ut studiosos artis Medicæ nihil celem, in omnibus articularis morbi speciebus nullum salutarius, nobilius præsentiusque remedium experientia longa comprobare potui, quam potionem sudorificam ex nobiliss. rad. chinæ & sarmenti Indici paratam, cujus parandi utendique rationem paulo post in curatione morbi Gallici, & in peculiari libello experimentorum meorum Deo præsente tradituri sumus. *Decoctum chinæ & sarsaparillæ.*

3. *Pedum manuumque articularis dolor quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quomodo curandus?*

Podagra, articularis morbus in pedibus: chiragra, articularis dolor in manibus est. *Podagra & chiragra quid.* Partes pedum ac manuum magnam habent inter se & in coarticulatione & in configuratione motuque analogiam & cognationem, etiamsi situ & usu inter se differant. *Pedum manuumque cognatio.* Pedes enim infimæ parti, manus autem superiori corporis parti coarticulati sunt, & hi quidem serviunt ambulationi, hæ autem

apprehensioni. Morbi autem earum partium ad arthritida, id est dolores articulorum referri debent.

Causa. Causæ podagræ eædem sunt quæ & arthritidos, nimirum προηγουμέναι, vitiosorum humorum aut ex capite aut ex aliis partibus per venas ad articulos pedum ac manuum defluxus. Προκαταρκτικαὶ autem sunt continua crapula ac cruditates, & immoderata Venus: sed inevitabilis causa est hæreditaria propagatio à podagricis parentibus; Et aqua loci habitationis, multum tartari in se continens, qua nemo carere potest.

Signa. Signa cum podagræ tum chiragræ manifesta sunt. In podagra enim articuli pedum, in chiragra manuum acerbo dolore aliquandiu infestantur, qui deinde cessat. Hic dolor sensim oboritur. *Dolor ubi initium sumat.* In podagra nonnunquam initium sumit in articulis magni digiti pedum, aut in calcaneo, & deinde in genuum coarticulationem procedit. In chiragra vero incipit dolor nonnunquam in tuberculis digitorum, unde tandem & ad reliquas coarticulationes progreditur.

Causarum signa, adeoque universæ podagræ & chiragræ curatio pro causarum diversitate ex arthritidos curatione peti & huc transferri debet. Hoc autem loco satis erit pauca quædam remedia & podagræ & chiragræ adversantia adjecisse.

Curatio. In curatione itaque podagræ & chiragræ post institutam convenientem victus rationem, & si necessitas exigat venæ sectionem, humorisque vitiosi ad pedum manuumque articulos confluentis debitam præparationem & evacuationem, consideretur sedulo, quæ intemperiem, caliditasne an frigiditas podagræ ac chiragræ sit adjuncta.

Ubi causa subest calida. In calida affectione, quæ semper aut ex sanguinis aut flavæ bilis fervore ebullitioneque oboritur, refrigerantia cum in potione, tum in topicis admovenda erunt: sequens itaque potio commodissimè exhiberi potest.

Potio refrigerans. ℞. Rad. cichor. ℥ I. herb. scariolæ, lactucæ an. M. I. 4. sem. frig. maj. an. ℥ s. Hordei M. I. conservæ Borag. rosar. an. ℥ I. s. Concisis concidendis & contusis contundendis cum ℔. IV. aquæ fluviatilis in dupl. vase concoquantur ad 2. horas, refrigerata colentur, & colato juri admisceantur syr. acetos. citri, violar. an. ℥ II. fiat potio, cujus ℥ V. calefactæ mane ac vesperi ad fervoris mitigationem exhibeantur. Locus autem affectus seq. linimento inungatur.

Linimentum. ℞. Unguenti popul. ℥ I. ol. rosac. ℥ s. tenuiss. pulv. boli Armeni ʒ II. commisceantur, fiat linimentum. Post inunctionem imponatur sequens cataplasma.

Cataplasma. ℞. Prunor. agrest. ℥ III. medul. panis siliginei ℔. I. coquantur in aceto, & expressa contundantur, per cribrumque transigantur, quibus admisce vitellos ovorum n. III. & ol. rosar. ℥ III. subigantur fiat cataplasma. Aut

Unguentum. ℞. Lithargyrii ℥ IV. boli Armen. ℥ II. tenuiss. pulverata commisceantur cum succo cyton. & pauxillo aceto rosat. & ol. rosac. fiat unguentum, quod linteolis duplicatis illiniatur, & dolenti loco applicetur. Aut imponatur seq. Epithema.

Epithema. ℞. Aq. stillat. solani, rosar. plantag. an. ℥ III. Mucag. sem. psylii cum aceto rof. factæ ℥ I. album. ovorum n. II.

Probè agitando commisc. & panno lineo excepta ferventi dolori imponantur, crebroque immutentur.

Sempervivа. Mirum in modum ferventem dolorem podagricorum & chiragricorum mitigant folia sempervivæ Hispanicæ (quæ Aloës esse judicatur & in maritimis locis in æstuariis suspenditur, ubi non modo non arescit, sed in plures annos crescit ac virescit ex tepore hypocaustorum) cum rad. contusa & ferventibus tumoribus imposita. Aut

Epithema. ℞. Suc. semper vivæ maj. quæ in tectis rusticorum virescit, & suc. Lysimachiæ, quam & salicariam vocant an. ℥ IV. commixta excipiantur panno & imponantur loco affecto. Aut *Cataplasma.* ℞. Medull. panis silig. & bene fermentati ℔. I. maceretur in lacte ovillo per 3. horas: deinde expressa contun-

tundantur, eisque admisc. album. ovor. n. IV. quæ probè subacta redigantur in formam catapl. & loco dolenti imponantur.

Reliqua in dolorem podagricorum cum caliditate conjunctum ex Arthritidis curatione, aut ex fervore sanguinis, aut bilis æstuatione peti, hucque transferri possunt.

Vbi causa est frigida. Ubi autem podagricorum chiragricorumque dolori adjuncta est frigida intemperies, quæ ut plurimum exoritur ex adfluxu pituitæ aut melancholici excrementi, ita procedendum est. Post vitiosi humoris sufficientem concoctionem cum per vomitionem tum per subducentia remedia & venæ sectionem evacuationemque & victus præscriptionem, in potu utatur æger hydromelle in quo fol. rorism. salviæ & chamæpitys sunt macerata. Confert quoque si æger singulis septimanis assumat ʒ II. Theaticæ Androm. & singulis diebus devoret q. semijuglandis, conservæ Rorismarini aut seq. Electuarii.

Electuarium. ♃. Zinzib. cond. cort. arant. condit. an. ℥ II. quæ crassiusculè concidantur eisque admisc. cons. Rorism. Bethonicæ an. ℥ I. spec. Diamoschi, Diambræ an. ʒ I. & cum pauxill. aq. junip. commisc. fiat Electuarium. Aut assumat patiens mane ac vesperi cum aliquo jusculo sub ping. ol. vitriol. gutt. 9.

Spir. Vitrioli.

Topica. Loco vero affecto hæc seq. Topica inungi imponique utiliter possunt.

Vnguentum. ♃. Ol. laurini, Irini, vulpini & lumbricor. an. ℥ s. medullæ cruris cerv. ʒ VI. Terpent. ʒ II. Galbani in aceto dissoluti & per linteolum transacti ʒ I. s. Ceræ q. s. fiat unguentum, cui admisc. ol. vitriol. ʒ s. quo bis in die inungatur locus affectus: Aut inungatur ol. vitriol. cum vino generoso mixto. Post inunctionem imponatur loco affecto unum ex seq. cataplasmatis.

Cataplasma. ♃. Rad. malvæ, alth. an. ℥ II. fol. chamæm. meliloti an. ℥ I. far. fab. fænugr. lini an. ʒ X. Quibus pulveratis admisc. q. s. juris in quo caput pedesve vituli sunt incocti, & coquantur ad formam crassioris pulmenti, eisque admisceantur ping. suillæ veteris, aut ol. chamæm. q. s. fiat cataplasma. Aut

Aliud. ♃. Stercoris vaccini ℔. s. pul. cymini in aceto macerati ℥ II. mellis crudi q. s. quibus simul commixtis & calefactis fiat cataplasma. Reliqua ex Arthritidis curatione huc transferantur.

Tophi Podagrici unde. Porro accidit freq. ut in podagræ & chiragræ doloribus, ex induratione in calcemque conversione materiæ peccantis (quod contingit, vel nimia caliditate loci affecti, vel nimia exsiccantium remediorum impositione) tubercula tumoresque in articulis excrescant. Unde vulgus podagræ & chiragræ, Nodosæ Epitheton indidit. Et hæc quidem tubercula, præsertim si inveterata existant, difficilimè resolvi emollirique possunt. In principio autem quando primum excitantur, discuti & emolliri possunt seq. remediis.

Quando curabiles.

Epithema pro tophis. Fomententur nodosi articuli bis singulis diebus acerrimo aceto & sale marino simul calefactis spongiaque exceptis, & tophis sive tuberculis manuum ac pedum impositis. Deinde imponatur eisdem tophis seq. cerotum.

Cerotum ex ranis. ♃. Ol. lumbr. lilior. albor. anethi an. ℥ I. vini Rhenani ℥ VI. ranar. com. n. IIII. quæ simul concoq. donec caro ab officulis abscedat, deinde fortiter exprimantur, quibus admisc. Tereb. ℥ I. & ceræ q. s. fiat cerotum. Aut fiat Emplastrum ex veteri caseo acerrimo cum pinguedine ex carne suilla excocta. Aut imponatur tophis Emplastr. Diachylon. prius autem inungatur ol. lumbr. cui nonnihil ol. sulphuris sit admixtum.

Cataplasma.

Præservatio à podagra optima. Postrema cura podagricorum debet esse præcautio, ne videlicet redeat dolor, aut saltem ut mitius rariusque recurrat: id autem consequi possunt patientes exquisita temperantia in cibo, potu & Venere, & continuo,

Temperantia. tinuo, moderato tamen corporis exercitio. Si enim in ullo genere morbi saluberrimum præceptum Hippocratis locum habet, maximè valet in Arthriticis podagricisque doloribus. Inquit autem Hippocrates, Studium sanitatis est, insatietas cibi & potus, & laboris impigrities. Cui accedat & crebra vitiosorum humorum per convenientia remedia, & venæ sectionem evacuatio. *Evacuatio superfluorum.* Sed nullum præsentius inveniri potest remedium cum ad curationem tum ad præcautionem podagræ ac chiragræ, quam usurpatio rad. chinæ & sarmenti Indici, quam in seq. describturi sumus. *Decoctum chinæ.*

4. *Coxendix seu coxæ & scapularum dolor quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quomodo curandus?*

Ischiadicus dolor. Ἰσχὰς, coxendix, vel dolor circa coxas. Ἰσχίον enim Latinis coxam significat. Est autem ἰσχίον latum os in clunibus, nostri die Hufft oder Lendenknochen nominant, in cujus medio rotunda cavitas est, cui caput superius ossis cruris coarticulatum involvitur, in qua coarticulatione creberrimè gravis excitatur dolor, qui coxendix & dolor circa coxas nominatur. *Dolor scapulæ.* Cum osse coxæ analogiam habet os scapulæ, quod Græcis ὠμοπλάτον, nostris das Schulderblat nominatur, cujus cavitati rotundæ caput humeri coarticulatur, in qua coarticulatione si dolor excitetur, Græcis ἄλγος sive ἄνια ὠμοπλάτων vocatur. Utriusque autem partis morbi Arthritidos sunt species, & ex iisdem causis originem trahunt, iisdemque remediis curari possunt. Quare has duas affectiones conjungere placuit.

Causæ. Causæ προηγούμεναι sunt nativa imbecillitas articulorum, & vitiosi humores crassi aut serosi, ut plurimum autem pituitosi, vel ex cerebro ad articulos defluentes, vel ex Epate per venas ibidem collecti, cum calida aut frigida intemperie conjuncti. Προκαταρκτικαὶ sunt casus vel gravis percussio in ea loca, & intempestiva ingluvies.

Signa. Signa doloris ex relatione ægri, causarum vero signa ex habitu corporis & tactu dinosci possunt.

Prognosticon. Prognosticum. Dolor cum caliditate conjunctus acerbior est: cum frigiditate vero diuturnior.

Curatio. Curatio utriusque affectionis consistit in causarum remotione & doloris mitigatione. In his itaque malis, si corpus patientis plethoricum est, detrahatur sanguis vitiosus. In dolore quidem scapularum per venæ cephalicæ, in Ischiade autem per venæ talaris aut venæ sub poplite sectionem. *Venæ sectio.* In aliis autem constitutionibus, veluti pituitosa, frustra fit molitio per venæ sectionem, sed præstat in scapulari dolore cucurbitulas cum scarificatione scapulis, in coxæ autem doloribus lumbis applicare. *Cucurbitulæ.* Tandem vitiosi humores ad eos articulos defluentes convenientibus remediis concoquantur, & evacuentur, quorum copiam in arthritide & ejus speciebus superioribus tradidimus. *Purgatio.* In specie autem in scapularum doloribus exhibeantur seq. pillulæ.

℞. Mas. pillul. cochiarum, fætidarum, trochis. de Agar. an. ℈ I. Trochisc. alhand. gr. iv. cum q. s. mellis rosar. formentur pill. n. 27. hisce pill. singul. mensibus utendum erit. *Pillulæ in scapulæ dolore.*

In coxendice vero seq. Enemate opportunissime & quidem crebrius uti possumus.

℞. Salviæ, rorismarini, centaur. min. rutæ, camæpitys, mercurialis an. M. I. sem. anisi, fænicul. an. ʒ II. pulpæ colocynth. in linteolum ligat. ℈ I. decoquantur in q. s. aq. ad tertias, colentur, in cujus liquoris ℔. I. dissolvatur hieræ simpl. diaphæn. an. ʒ VI. ol. rutæ ℥ II. lauri ℥ s. sal. ʒ I. fiat clyster. *Enema ad Ischiadicum dolorem.*

Vomitorium. Pro evacuatione pituitosorum humorum, præsertim ex ventriculo & cerebro, plurimum conferunt & menstruæ vomitiones, assumpto prius haustulo vomitorio, qui parari potest ex decocto rad. asari & flor. Genistæ, aut semine ejus: aut haustulo aq. juniperi per descensum destillatæ.

Topica. His ritè peractis ad topica auxilia dolorem mitigantia confugiendum erit, considerata prius utrum calida aut frigida intemperies dolori sit adjuncta. Illud tamen diligenter notandum, ut neque in calidis neque in frigidis doloribus vel inde refrigerantia

Observanda in topicorum usu. tia, repellentiaque & poros obstruentia imponantur loco affecto, sed moderatè calida in frigidis, & moderatè frigida in calidis doloribus, idque in morbi initio: Nam ob vehementiam doloris, si diutius duret, & levioribus non mitigetur, nonnunquam cogimur & ad stupefacientia & ad caustica usque progredi.

Si adsit inflammatio. *Si itaque inflammatio dolori sit adjuncta*, *Fomentatio.* fomentetur locus decocto malvæ fl. chamæm. meliloti, fol. violar. rad. alth. & sem. lini, ex quibus & balnea in doliis concinnari possunt. Post balnea autem fomenta- *Inunctio.* tionesque, inungatur locus affectus oleo vulpino, rosar. & oleo aneth. sing. per se aut simul commixtis. Aut ℞. Ol. rosac. ℥ I. ping. anser. ℥ s. aceti rosac. parum, misceantur, fiat unguentum, quo vel inungatur locus vel linteolis exceptum instar cataplasm. *Cataplasma.* imponatur. Concinnari quoque potest cataplasma ex rad. althææ coctis & contusis, addita q. s. ol. rosar. & unguenti popul. & far. sem. lini, fiat cataplasma. Reliqua quæ ad hæc vitia faciunt remedia, ex arthritidos & podagræ curationibus huc transferantur.

Si ex frigida sit causa. Porro *si frigida intemperies dolori sit conjuncta*, Topica remedia affecto loco sunt imponenda, quæ calefaciendi vim habent, & à moderatè calefacientibus auspicandum erit, paulatimque ad valentiora procedendum. Leves dolores præsertim musculorum *Frictio.* sola frictio cum calidis linteolis tollere potest. In gravioribus autem doloribus bal- *Fomentatio.* nea & fomentationes sunt adhibendæ. In quem usum plurimum conferunt vinum, in quo decocta sunt rad. Elenii, Ebulus cum rad. gr. juniperi, sabina, chamæpeuce, salvia, ruta, puleg. melilot. & sem. ex acervo fœni pratensis excussa. Post balnea *Inunctio.* aut fomentationem inungatur locus dolens ol. vulpino, aut rutac. aut è castorio, aut ex *Ol. ceræ & ovorum quoque hic utile.* Euph. aut ex gr. juniperi, quæ omnia singillatim per se, aut simul commixta commodè inungi possunt. Aut concinnetur seq. linimentum.

Linimentum. ℞. Unguenti marciati ℥ I. ol. vulp. ℥ s. ol. è gr. juniperi ʒ I. ol. vitr. ℈ II. ceræ q. s. fiat unguentum. Aut

Vnguentum singulare ex sapone. ℞. Saponis Veneti in scobem abrasi ℥ I. aq. junip. ℥ II. quæ in ollula simul mixta ad lentum ignem dissolvantur, & ebulliant, semper agitando, quæ ubi refrixerint, pultis formam acquirunt, quibus inungatur locus affectus. Post inunctionem imponatur loco dolenti sequens cataplasma.

Cataplasma. ℞. Salviæ, rorismar. chamæpeucæ, rutæ an. M. II. gr. juniper. M. I. coquantur in q. s. vini, & in mortario tandem conterantur, eisque admisc. far. fœnugr. lupinor. an. q. s. fiat cataplasma, quod ut ne facilè arescat, admisceri potest ol. è castor. pro libitu. Aut imponatur seq. *Emplastrum.* Emplast. ℞. Ol. costi, è piperibus an. ℥ I. gr. juniper. ʒ II. Galbani, Ammoniaci, bdellii in aq. junip. solutorum an. ʒ III. ceræ q. s. fiat Emplastrum, cui antequam refrigeratum indurescat, admisc. pul. Bryoniæ ℥ s. Pyrethri, Aristolochiæ rot. castor. an. ʒ I. Euph. ℈ II. fiat Emplastrum, quod extendatur per alutam. Aut

Cataplasma. ℞. Muc. ex sem. fœnugr. & rad. symph. major. cum vino maceratis confect. ℔. I. cui admisc. vitellos ovorum n. III. pul. picis, thur. sulphur. an. ℥ II. far. lupinorum q. s. fiat cataplasma.

Aqua sambuci Quercetani imposita etiam valde juvat.

Rad. raphani majoris. In dolore coxendicum laudatiss. quoque est cataplasma ex radicibus quæ Iberides esse putantur, quasve nostrates Merretigh vocant, si adhuc recentes contusæ cum q. s. ping. porcinæ in catapl. redigantur & loco affecto imponantur. Verum ultra 4. horas non est perferendum. Dolorem enim excitant, & superficiem cutis nonnihil exulcerant.

His validiora sunt remedia quæ vesiculas excitant, & vitiosos humores ad superficiem cutis eliciunt, quæ remedii genera sinapismi vocantur, veluti & sequens cataplasma.

Sinapismus. ℞. Sem. sinapi per noctem in aceto maceratorum & in pulverem redact. ℥ II.

Ficu. arid. ℥ IIII. ſtercor. columb. in vino diſſoluti & ad pult. formam cocti ℥ III. mellis anacardini ℥ I. commiſceantur, fiat ſinapiſmus, & inſtar catapl. imponatur. Aut ℞. Pulv. cantharid. ʒ I. ſem. ſtaphidiſagriæ ʒ I. s. fermenti acerr. ℥ ß. mucag. ſem. pſylii cum aceto factæ q. s. commiſceantur, fiat cataplaſma, quod humores è profundo ad ſuperficiem cutis elicit, & veſicam ſine dolore excitat, quæ pungenda eſt, & ἰχῶρ exprimatur, veſtigiumque veſicæ vel ol. roſar. vel mucagine ex ſem. cyton. cum aq. roſac. factæ obliniatur. *Veſicatorium.*

Hæc ſi non contulerint, doloreſque coxarum & ſcapularum non ſedaverint, ad thermas ex ſulphure conſtantes & aluminoſas, quales ſunt Carolinæ prope Vallem Joachimicam, aut ad uſum rad. chinæ vel ſarmenti Indici ablegandus eſt patiens. *Thermæ Carolinæ.* *Decoctum chinæ.*

5. *Dorſi dolor quid, quæ ejus cauſa, & qua ratione curandus?*

Dorſi dolor unde oriatur. Ἄλγος τῶν ὤμων, dolor dorſi. Dorſum totam poſticam partem, ex 24. vertebris coarticulatam, pectorique oppoſitam vocamus, per vertebras dorſi ſpinalis medulla tanquam rivulus ex cerebro profluit, ex ſpinali medulla 30. paria nervorum utrinque per vertebrarum foramina exoriuntur, & in totius corporis partes diſtribuuntur. Ubi itaque hi nervi vel gravantur vel obſtruuntur vitioſis humoribus, circa dorſum dolor excitatur, qui ad arthritidos ſpecies merito referri debet.

Cauſa. Cauſæ προηγουμέναι dolorũ dorſi ſunt humores vitioſi aut calidi aut frigidi ex cerebro ad articulos vertebrarum defluentes nervosque moleſtantes, aut flatus inter muſculos & vertebras collecti. Προκαταρκτικαὶ ſunt aëris ambientis extrema frigiditas aut in aq. frigida diuturnior mora, aut inunctio vehementer calefacientium remediorum, item caſus & percuſſio in dorſum, aut labor ponderumque graviorum repentina ſublevatio, nimiaque corporis inclinatio. Libidinoſi etiam immoderata Venere hoſce dolores ſæpius excitant.

Signa. Signa ſunt manifeſta. Diſtinguendus tamen diligenter hic dolor dorſi arthriticus, à doloribus ex calculo, & orificii ventriculi. Calculi renum indicia urina præbet. Dolor orificii ventriculi ad extremitatem coſtarum in dorſo percipitur, & ſimul ad anteriora penetrat.

Curatio. Curatio ex arthritidos ſpeciebus antecedentibus huc referri debet. Primum itaque conſiderandum erit, ſicuti in aliis arthritidis ſpeciebus, utrum dolori col. intemperies aut frigida ſit conjuncta: & vitioſi quidem humores primum convenientibus catharticis remediis tum ex capite tum ex reliquis partibus expurgandi ſunt, ac tandem ad topica remedia deveniendum.

Remedia in cauſa calida. *Ol. camphoræ etiam hic prodeſt.* Et ſi calida intemperies una cum dolore ſentiatur, ſpina dorſi & locus affectus inungatur ol. roſac. cum muccilag. ſem. pſylii cum aceto roſ. facta. Poſt inunctionem loco affecto imponatur catapl. ex far. hord. & q. s. ol. roſ. & album. ovor. confectum.

In cauſa frigida. Ubi vero dolorem dorſi frig. intemperies excitabit, adhibeantur calidæ inunctiones, veluti ſunt aq. juniperi, cui nonnihil ol. ex gr. junip. & ol. vitrioli ſit admixtum. Aut unguento ex ſapone Veneto, & ſpiritus juniperi antea deſcripto inungatur dorſum. Poſt inunctionem imponatur & catapl. ex foliis majoranæ, ſalviæ, roriſmarini ſimul in vino coctis in mortarioque contuſis, addita q. s. far. lupinorum & ol. coſtini, fiat cataplaſma.

In flatulenta materia. Si vero dolor dorſi ex flatulentis ſpiritibus inter muſculos collectis ſit excitatus, ſatis erit linteolis calefactis crebro confricare dorſum.

Dolor à motu ut curandus. Dolorem dorſi ex equitatione laboribusque contractum, quies, balnea & inunctiones cum ol. chamæm. & aneth. tollere poſſunt. Lavetur quoque dorſum cum vino calido, quod valdè reficit.

6. *Maxillarum dolor quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & ut curandus?*

Dolor maxillarum arthriticus. Ἄλγος ſive ἀνία τῶν σιαγόνων, mandibularum dolor. Maxilla ſuperior in omnibus animantibus immobilis eſt, excepto crocodilo & pſittaco; inferior autem cum oſſe capitis

capitis coarticulatur, ex quarum alveolis dentes pronaſcuntur. Dentes enim & maxillæ ſimilibus doloribus & ex iiſdem cauſis afficiuntur, qui ad arthritidos ſpecies referendi ſunt.

Cauſa. Cauſa προηγουμένη doloris maxillarum, eſt adfluxio humoris calidi, vel frigidi. Maxillæ ſiquidem veſtiuntur membrana tenui ſive perioſteo ex peritonæo orto, per quam plurimi ſurculi venarum, nervorum & arteriarum ſunt diſperſi, qui & in radic. dentium implantantur. Per eos autem defluit humor tenuis & calidus qui vehementes dolores cum in maxillis, tum in dentibus excitat: Aut craſſus & pituitoſus humor eò delabitur, & in maxillis tumorem excitat. Προκαταρκτικαὶ ſunt ambientis aëris excellens frigiditas aut caliditas & ictus violentus. *Crapula item & ingluvies defluxiones excitans.*

Signa cauſarum. Signa ſunt manifeſta. Humoris autem defluentis qualitas ex habitu faciei, doloris vehementia, & tumore maxillarum dignoſcitur.

Curatio. Curatio pro adfluentis humoris qualitate variari debet. Poſt vitioſi itaque humoris expurgationem & ſubtractionem, ut ſi calidus ſit in maxillis humor collectus, per pill. cochias; ſi vero craſſus & pituitoſus, per pill. aureas & aggregativas, tum ad dolorem mitigantia Topica remedia confugiendum erit.

Evacuatio per pillulas.

Topica in cauſa calida. In calida defluxione utiliter Emplaſtello ex pulv. canthar. cum pauxillo fermenti & mucag. ſem. pſylii in aceto macerati, & pone aures per 4. horas applicato uti poſſumus, ex quo Empl. ubi veſica eſt excitata, ἰχὼρ puncta veſicula exprimatur, & locus inungatur aut ol. roſa. aut unguento popul. Maxillæ vero dolenti applicetur catapl. ex fol. ſolani & ſemper vivæ in æ. p. aq. & aceti concoctis, addita q. s. farinæ hordei & parum ol. violarum, ac ſimul contrita in cataplaſm. formam redigantur. Aut ♃. Album. ovor. n. II. aq. & aceti roſar. an. ℥ II. commiſceantur, & ad lentum ignem concoquantur, ſemper agitando donec in pultis formam redeant: cui tandem tepido admiſc. pulv. thuris ʒ III. quæ tepida dupl. linteolis excipiantur, & inſtar catapl. applicentur per noctem.

Veſicatorium.

Cataplaſma.

Epithema.

Collutio oris. Interiores autem maxillarum partes in ore utiliſſ. erit crebro eluere decoct. rad. hyoſchyami in rotulas conciſarum, quæ in æ. p. aceti & aq. concoquantur.

In cauſa frigida. Ubi vero adfluens ex cerebro humor frig. & craſſus exiſtat, & tumorem aliquem in maxillis excitet, tum præſtiterit crebro inungere & os colluere cum aq. juniperi, aut cum decocto roriſm. & rad. pyrethri in vino. Aut

Sacculus. ♃. Flo. chamæm. meliloti, aneth. ſerpill. roriſma. an. M. I. ſem. malvæ M. I. s. concidantur, & in ſacculum quadratum aut maxillæ adaptatum conſuantur, & in vino ebulliant, qui ſacculus expreſſus dolenti tumentique maxillæ crebro applicetur. Reliqua remediorum genera ex aliis ſpeciebus Arthritidos, & dentium doloris curatione petenda erunt.

Empl. quoque ex gummi elemi applicatum juvat.

7. *Dolor articulorum in lue Venerea quid?*

Ubi dolor in lue Venerea. Præter has Arthritidos ſpecies enumeratas acerbiſſ. dolor in articulis manuum ac pedum & ſcapularum ex lue Venerea ſive morbo Gallico ſæpe excitatur, quorum cauſas curandique rationem paulo poſt in curatione morbi Gallici, ubi de cutis affectionibus nobis ſermo erit, tradituri ſumus.

SECTIO III.

DE AFFECTIBUS CUTANEIS.

1. *Cutis quid, & quibus potiſſimum morbis afficitur?*

Cutis quid. Δέρμα, Cutis eſt univerſi corporis tegumentum. Gal. lib. I. cap. ult. de temperamento, cutem nominat nervum ſanguine præditum. Habet enim cutis ſubſtantiam, & naturam mediam inter nervum &

Pori Cutis. carnem. Eſt vero univerſa cutis infinitis & exiguis foraminibus pervia, quæ pori vocantur, per quos fit continua tranſpiratio & evaporatio noxiorum halituum.

Affectiones cutis duplices. Afficitur cutis & propinquæ ſubcutaneæ partes duplici genere morborum, uno qui *Primi generis.* chirurgiæ ſunt ſubjecti, ut ſunt vulnera, ulcera & tumores majores præternaturales, de quibus in morborum chirurgiæ ſubjectorum curatione tractabimus: hoc vero loco *Secundi generis.* eorum vitiorum cutis trademus curationem, quæ per ſuperficiem cutis efflorescunt, ut ſunt:

- Morbilli & variolæ,
- Scabies ſicca, & purulenta ſive ſordida,
- Prurigo,
- Ignis ſacer,
- Serpigo vel impetigo,
- Puſtulæ effloreſcentes in facie adultorum,
- Lepra,
- Morbus Gallicus ſive ſcabies Venerea,
- Verrucæ,
- Clavi,
- Vermes capillares ſubcutanei,
- Vermiculi miliares ſub cuticula generati,
- Lentigo,
- Maculæ cutis omnis generis,
- Cutis aduſtio.

2. *Morbilli & variolæ quid, quæ eorum cauſæ, quæ ſigna, & quomodo curandi?*

Exanthemata quid. Ἐξανθήματα, effloreſcentiæ & puſtuloſæ eruptiones cutis. Plinius papulas, noſtrates vero variolas, **die Kinder Pocken**/ morbillos autem **die Maſſeln** vocant: pueris familiariſſima eſt affectio, qua quidam eorum non tantum ſemel, ſed & bis & ter laborare conſueverunt. In adultis rarius accidit, ſed magis eſt exitioſa, & difficilioris curationis. *Eorum differentia. Morbilli. Variolæ.* Morbilli & variolæ differunt inter ſe materia & colore per cutem erumpente. Morbilli enim ex tenui & ut plurimum inflammato ſanguine: Variolæ ex craſſo & pituitoſo ſanguine, utroque tamen impuro & venenato originem trahunt.

Cauſa utriuſque προηγουμένη eſt quidem *Cauſa.* impurus ſanguis & reliquiæ menſtrui ſanguinis, quo in utero nutriebatur infans. Προκαταρκτικὴ eſt peſtilens & contagioſa aëris conſtitutio: Ut plurimum enim, ut in peſte, ita in exanthematibus eodem tempore plurimi per contagionem & converſationem aëriſque infectionem afficiuntur, & plerumque exanthematum comes peſtis eſt.

Signa ſunt evidentia. Utrumque ta- *Signa.* men malum inter ſe diſcernitur colore & quantitate. Morbilli enim rubent maxima *Morbillorum.* ex parte, & per cutem univerſam diſperſi, minutiores eſſe conſpiciuntur, veſtigiis morſuum pulicum ferè ſimiles, nonnihil tamen cute eminentiores. Variolæ autem *Variolarum.* varii ſunt coloris, pro redundantis in corpore humoris colore, ut pituitæ albidiores, bilis magis flaveſcentes, atra bilis ſubnigræ aut liveſcentes cernuntur, majoreſque magnitudine fabæ aut nucis avellanæ è cute prominent.

Utriuſque affectionis pernicioſiores ſunt *Prognoſtica.* nigræ & liveſcentes, tutiores albæ: lethales quoque habentur quæ difficulter erumpunt, aut quæ ſemel progreſſæ rurſum evaneſcunt, & ad internas partes ſe recipiunt, & quæ fauces pulmoneſque occupant.

Curationem & Morbillorum & variola- *Curatio.* rum ſimulque omnium ſymptomatum ex eis naſcentium ſupra inter morbos pueriles *Vide Q. 2. ſ. 5. lib. 9.* abundè tradidimus. Verum ubi adulteriores hiſce malis tentantur, ſi corpus ſit plethoricum, donec vires conſtant, plurimum conducet impurum ſanguinem per venæ *Venæ ſectio.* Epaticæ ſectionem dextri lateris: aut plurium cucurbitularum cum ſcarificatione, *Cucurbitulæ.* aut hirudinum ſuris applicationem ſubtrahere.

Poſt ſanguinis impuri detractionem, re- *Purgantia.* liqui quoque humores vitioſi in corpore prævalentes, cujuſcunque ſpeciei fuerint, id quod ex corporis conſtitutione ac calore prudens Medicus facilè dignoſcere poterit, per convenientia pharmaca exturbandi erunt. In genere autem conferunt plurimum aut ʒ x. caſſiæ rec. extractæ, aut ℥ II. ſyr. roſati ſolut. aut ʒ x. Diacathol. aut Elect. lenit.

nit. cum q. s. aq. card. benedicti dissoluta, & sex horis ante prandium ebibita.

Expellentia. Purgatis vitiosis humoribus, si exanthemata sponte tardius erumpant, eorum expulsioni danda est opera. Expelluntur autem, si patiens crebro esitet in acetariis nasturtium aquaticum, & radic. culinarias, quas nostrates Merretigh nominant. Haustus quoque crebrior hydromel. promovet & expellit Exanthemata, nisi forte adsit ardens febris. Tum enim hydromel est vitandum, & pro potu eis est offerendum decoctum ficuum & passularum & rad. fœniculi.

Hydromel quando exhibendum.

Decoctum chinæ. Inter cætera præstantiss. est exanthematum propulsivum, decoctum rad. chinæ aut sarmenti Indici, aut rad. petasitis, quorum ℥ I. cum ℔. IIII. aquæ in duplici vase concoquenda est per duas horas, cui saporis causa adjici possunt ℥ II. passul. minor. Decoctum lentium, quibus vulgus Medicorum in expellendo hoc vitio utitur, nos omnino improbamus.

Reliqua remedia unde petenda. Qua ratione autem jam apparentia Exanthemata in superficie cutis sint tractanda, pungenda, abstergenda, quibusque remediis dolor sit mitigandus, quibus item vestigiæ & stigmata variolarum morbillorumque tollenda & cutis explananda, ex morbillorum variolarumque puerilium curatione superius tradita peti debent.

4. *Scabies quid, quæ scabiei differentiæ, quæ causæ, quæ denique signa, & qua ratione curanda?*

Scabies quid. Ψῶρα, Scabies. Per utrumque vocabulum varia cutis vitia, cum Græci, tum eorum Interpretes comprehendunt. Nos vero scabiem cutis exasperationem, vel totius corporis vel aliquarum partium tantum cum pustulis, ulcusculis & pruritu, doloreque post confricationem, vocamus. Nostrates den Grind/ Schabbeit/ Schorb oder Jürigkeit nominant. Excludimus autem ex genere scabiei, Impetigines, lepram & morbum Gallicum, similesque malignas exulcerationes cutis.

Differentiæ. Sunt autem prima divisione duæ species scabiei, sicca & pruriginosa, & subhumida vel purulenta. Sicca scabies ut plurimum ex bile flava adusta & ex melancholico excremento in cinerem verso sanguinique admixto generatur. Humida vero scabies ex seroso humore & pituita salsa originem ducit.

Signa diversarum causarum. Generatur quoque ex retorrido sanguine scabies, quæ circa crustas rubicundior apparet. Ast quæ ex melancholico humore generatur, plerumque crustam habet subustam. Ex seroso vero humore pustulæ excitantur, quæ si pungantur, aqua profluit. Scabies autem ex salsa pituita majores habet pustulas & suppuratur, ac ubi ad maturitatem pervenit, si pungatur, pus exprimitur albicans.

Causæ. Causa itaque προηγουμένη scabiei est, sanguinis impuritas cum vitiosa pituita, & salso aut seroso humore, aut cum bile adusta, aut cum melancholico excremento. Προκαταρκτικὴ est prava victus ratio, crebraque esitatio esculentorum salsam pituitam aut serosam humiditatem generantium, qualia sunt alimenta, carnes piscesque sale conditi, fumoque exiccati, & cæpæ porrumque crudum.

Signa ex enumeratis speciebus agnosci possunt.

Curatio. Curatio scabiei varianda est pro causarum diversitate seu humoris ex quo scabies excitata est specie ac natura. Consistit autem scabiei curatio in materiæ subductione & expurgatione, quæ & per venæ sectionem & pharmaca convenientia perfici potest, & Topicorum remediorum scabiem tollentium applicatione.

Victus ratio. Victus ratio institui debet in scabie contraria naturæ & qualitati humoris vitiosi, & inprimis utendum est alimentis boni succi & facile concoquibilibus. Vitanda autem studiose omnia genera esculentorum pituitam salsam, serosum biliosumque humorem, & adustam melancholiam generantia, ut sunt omnia edulia acria, salsa, putrefactioni obnoxia, sale conditæ fumoque maceratæ carnes ac pisces, & vinum forte largius bibitum.

Venæ sectio. Venæ sectio in scabie, si ætas ferat, minimè negligenda erit. Si itaque ex sanguine retorrido aut bilioso humore scabies originem ducat, id quod ex rubedine loci affecti, aut flavescente humore in scabie madenti dignosci potest, vena erit secanda Epatica dextri lateris: sed si scabies ex melancholico humore adusto sit excitata, id quod ex subnigris livescentibusque scabiei crustis deprehendi potest, ex vena lienaria sinistri lateris, quæ idem est cum Epatica, sanguis detrahi debet.

Purgantia. Post venæ sectionem tota massa sanguinea à vitioso prædominante humore, qui materiam scabiei subministrat, convenientibus pharmacis purificanda & separanda erit. Ante purgationem verò, si crassa & salsa pituita aut melancholicus humor in corpore prædominetur, tunc sanè vitiosa talis materia concoquenda & extenuanda erit. Biliosus autem humor & serosus etiam sine concoctione & extenuatione evacuari facilè potest, nimirum vel ℥ III. syr. rosf. solut. vel ʒ x. cass. extr. vel sero lactis caprini in quo fol. senæ aut interni cortices sambuci sunt macerati & cocti, vel infus. Rhabarb. vel Electuar. lenitum aut Diacathol. est admixtum. *Cathartica reiteranda.* Porro cum in scabie sanguis vitiosis humoribus sit infectus, qui non tantum in venis majoribus, sed in exilibus extremis & cutaneis continetur, ideo una purgatio non sufficiet, sed per intervalla iterum atque iterum purgatio repetenda erit.

In pituitosa aut melancholica scabie, sequens potio præclare utrumque præstat, concoquit enim simul & expurgat.

Potio utilis in scabie pituitosa & melancholica. ℞. Rad. glycyrr. Elenii, polypod. cichor. chelidon. maj. an. ℥ s. lapatii ac. ℥ I. Ellebori nigri in aceto per noctem macerati, & rursum exiccati ʒ II. ceterach M. I. Fl. centaur. cardui benedicti, scabiosæ an. M. s. Rhab. ʒ III. Agar. Troch. in pul. redacti in linteoloque colligati ʒ II. Fol. senæ Alex. ℥ s. Thymi, Epithymi an. ʒ I. s. conservæ fumar. boraginis, buglossæ an. ℥ I. contund. contundantur, & concidenda concidantur atque cum ℔. v. seri lactis caprini in cantharo per 2. horas concoquantur, & refrigerata colentur: hujus liquoris ℥ IV. aut v. mane ac vesperi tepide exhauriantur. Concoquunt enim quoslibet vitiosos humores, & expellunt, attrahuntq; ex quibuslibet extremis venis. At vero qui crebras alvi subductiones ferre non possunt, vel qui per se alvum habent laxam, II. præscriptæ potionis ℥ IV. vel diluculo tantum vel alternis diebus usurpare possunt. Aut etiam ex hac potione omitti possunt inter præparandum laxantia, ut sunt sena, Rhabarb. Agaricus. *Variatio hujus decocti.* Ubi autem excrementa sanguinis sufficienter sunt concocta & extenuata, tunc per intervalla 4. dierum, haustulo ejus potionis in purganda pituita admisceri possunt ℥ I. aut ʒ x. Diaphæn. & in melancholico excremento deturbando, in eodem haustulo resolvi possunt Diasenæ & confectionis hamech. an. ℥ s. & diluculo 6. horis ante prandium exhiberi.

In scabie leviori remedia. Digestivum. In leviori scabie vitiosus humor commodius seq. syrupis concoqui potest.

℞. Syr. è fumar. de lupulis, cichorio, è succo cardui benedicti, mellis rosac. an. ℥ s. aq. fumar. cardui benedicti an. ℥ II. misc. pro uno haustulo, qui quotidie repetatur, & mane ac vesperi per quatriduum exhauriatur. Deinde exturbetur vitiosus humor aut præscriptis remed. catharticis, aut seq. pillulis.

Pillulæ. ℞. Mass. pill. de fumo terræ, aurear. fætidar. an. ℈ I. quibus si biliosum est corpus, addantur gr. 4. Diagrid. si pituitosum, tantundem Troch. alhand. & cum q. s. mellis rosac. fiant pill. 27. quæ diluculo devorentur. Aut seq. haustu fiat purgatio.

Haustus. ℞. Confect. hamech. ℥ s. Diacathol. ʒ III. Elect. rosati solut. Mes. ʒ I. cum haust. aq. fumar. fiat haustus.

Cor-

Topica quando adhibenda. Corpore ritè purgato, Topica remedia, ut sunt balnea, fomentationes, ablutionesque & inunctiones adhibeantur. In inunctionibus autem studiose cavendum est, ne prius fiat inunctio, quam ubi corpus à vitiosis humoribus probè fuerit perpurgatum: *Intempestivus usus topicorum quantum noceat.* Alioqui enim, si per pingues inunctiones obstruantur pori cutis, nequit fieri transpiratio, & vitiosi humores ad interiora repelluntur in viscera, ibidemque magis putrescunt, & aut febrim incendunt, aut alia graviora symptomata excitant, & nonnunquam in naturis imbecillioribus vitæ perniciem adferunt.

In scabie humida. Itaque ante inunctionem, si scabies subhumida purulentaque existat, assumat æger sudorificum haustum hac ratione confectum.

Haustus sudorificus. ♃. Theriac. Androm. ʒ I. pulv. bacc. lauri, aristol. rotundæ, Elenii an. ℈ I. vini in quo decoctæ sunt rad. Elenii & petasitis haustulum, quæ simul commixta tepida ebibantur, & *Balneum.* eo assumpto, balneum vaporarium patiens ingrediatur, in eoque per horæ spacium sudet diligenter, sudore sufficienter propulso, scabiosum corpus aut partes scabiosæ abstergantur, & seq. decocto abluantur.

Fomentatio & ablutio. ♃. Rad. Elenii, lapatii acuti an. ℥ II. Aristol. rot. bacc. lauri an. ℥ I. sulph. citrini ℥ III. camph. ʒ I. crassiusculè contusa coquantur in q. s. cerevisiæ ad tertias, quo colato liquore spongia excepto laventur fomententurque scabiosæ partes: & talis quidem ablutio ac balneum commodè quoque ternis diebus repeti potest.

In scabie sicca & pruriginosa. Verum si scabies sit sicca & pruriginosa, præstat patientem in balneum aq. marinæ collocare, in quo decoctæ sint rad. Elenii, lapatii acuti, herbæ malvæ cum rad. parietariæ, violar. flor. chamæm. & meliloti, furfuris siliginis in sacculo colligati an. pro arbitrio Medici q. s. *Insessio.* In eo decocto considcat æger per horæ spacium: egressurus è balneo confricet ac fomentet loca scabiosa seq. sacculo.

Sacculus. ♃. Far. crassioris fabarum, fænug. pul. elenii, bacc. lauri an. ℥ I. sulph. vivi ℥ II. camph. ʒ I. contusa commisc. & sacc. insuantur, & cum q. s. cerevisiæ ebulliant, quo scabiosæ partes abluantur ac fomententur, & per se siccare sinantur. Demum ubi à balneo ac fomentatione siccatum est corpus, in loco calido inungatur scabiosus locus seq. unguentis.

Vnguentum. ♃. Terebinth. in aq. rosac. quinquies elotæ ℥ s. butyri recentis salis experti ʒ III. ol. rosac. ℥ VI. vitelli unius ovi, salis communis ʒ II. sulphuris tenuiss. pp. ℥ s. Camphoræ ʒ s. Omnibus simul commixtis diutius subigantur in plumbeo mortariolo, fiat linimentum. *Linimentum.* Aut ♃. Suc. lapatii acuti, Elenii, plantag. an. ℥ s. succi limonum ℥ s. Terebinth. styracis liquidæ an. ʒ III. ol. rosac. ʒ V. pulv. tenuissimi litharg. ℥ I. Tutiæ pp. cerusæ in aq. rosac. lotæ an. ℥ II. rad. Elleb. nigri ʒ I. subigantur in mortario, fiat linimentum. *Aliud.* Aut ♃. Butyr. recen. ℥ II. liquefiat ter quaterque semper in frig. aquam profundendo, cui deinde admisceantur suc. lapat. acuti ℥ III. suc. limon. ℥ II. in quibus simul commixtis ebulliant fol. major. & salviæ viridium ac concisorum usque ad succor. evaporationem, tandem fortiter exprimantur ac colentur, colatæ pinguedini admisc. tenuiss. pul. sulph. ℥ s. camph. ʒ s. & diutiss. agitentur in mortario, quibus postremo jucundioris odoris gratia admisceantur gutt. x. ol. de spica aut ol. juniperi. *Lap. medicamentosus Crollii in aq. convenienti solutus & inunctus etiam valdè hic utilis.*

In scabie crustosa. In crustosa scabie, quæ in cute altius radices egit, illiniatur scabiei seq. aq. stillaticia. *Destillatum singulare.*
♃. Suc. lapatii acuti ℔. II. plantag. ℔. I. aq. rosa. ℥ VI. succi limon. ℥ III. pul. lithargyri ℥ IV. cerusæ ℥ II. Mercur. sublim. ℥ III. sulph. ℥ I. salis communis ℥ s. commisc. in vitrea cucurbita, simulque macerentur per 3. dies quotidie agitando, cui tandem imponatur capitellum rostratum vitreum, & in

& in ferventi cinere aut arena destillentur suaviter, quæ aqua quotidie bis scabiei inungatur. Extirpat enim etiam maligniores scabiei crustas. Aut ♃. Rad. Elenii, & lapatii ac. an. p. æ. quæ in minutiss. partes concisa macerentur in aceto per noctem ac deinde concoquantur ad molliciem, & per cribrum setaceum ejus pulmentum transprimatur, cujus accipe ℥ II. eisque admisc. axungiæ porcin. ℥ I. s. argenti vivi cum hominis jejuni saliva extincti ℥ I. commisceantur ac diu subigantur in mortario, fiat unguentum. *Vnguentum cum Mercurio.*

Hæc si non contulerint & contumacior maligniorque sit scabies, æger ad thermas sulphureas & aluminosas, quales sunt Carolinæ prope Vallem Joachimicam ablegetur. Aut confugiendum erit ad usum sarmenti Indici, cujus parandi utendique rationem in morbi Gallici curatione tradituri sumus. *Thermæ.* *Decoctum sarsæparillæ.*

4. *Ignis sacer quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curandus?*

Erysipelas quid. Ἐρυσίπελας, nostris **das Heillige ding**/ est fervens & biliosus sanguis ad aliquam partem corporis, ut manus, caput, omnium frequentissimè tamen ad tibias confluens, & cum pruritu, rubedine & dolore per cutim erumpens. Galenus & omnes ejus interpretes Erysipelata inter tumores præternaturales numerant, sed quia in parte affecta nullus sensibilis tumor apparet, nec ut reliqui tumores suppuratur, nos inter affectiones cutis referre volumus.

Causa. Causa προηγουμένη, ut jam dictum, est fervens & tenuis sanguis bilioso humore mixtus, & caliditas Epatis. Προκαταρκτικαὶ sunt acrium calidorum alimentorum, & vini meracioris crebra usurpatio, & hæreditaria propensio à parentibus Erysipelate laborantibus contracta, & diuturna confricatio compressioque cutis in aliqua parte.

Signa. Signa sunt manifesta. Semper enim affectæ partis cutis rubet, & ad tactum fervet. Quantò autem major copia bilis sanguini est mixta, tanto majores dolores excitat, & color cutis ad flavedinem vergit. Porro Erysipelatos materia ubi primum fluere incipit & agitatur, semper febrilem accessionem semel tantum infert, tertianæ similem.

Erysipelas quæ ab interioribus ad exteriora erumpit bonum, contra verò in exterioribus apparens & cito evanescens, ad interioraque repulsum, teste Hippoc. 6. Aph. 25. pernitiosum existit. *Prognosticum.*

Curatio. In levioris ignis sacri eruptione Boreales nostri universam curationem naturæ committunt, prorsusque nulla adplicant Topica remedia, sed mundis tantum & moderatè calidis linteolis involvunt & contegunt locum affectum. Ita enim paulatim per insensibilem evaporationem solvitur materia. *Curatio.*

Verum si quis in initio ignis sacri statim in accessione febrili patienti offerat sudorificum haustulum ex ʒ II. Theriacæ Androm. cum q. s. aq. fl. sambuci mixtæ, aut ℥ IIII. aq. petasitis & coopertum ægrum in lecto probè sudare curet, ut plurimum altero die ab Erysipelate liberatur. *Haustus sudorificus.*

At si dolor in loco affecto exacerbetur ex inflammatione, proderit plurimum aq. fl. sambuci linteolis exceptam loco affecto imponere. *Epithema.*

Omnia autem erunt magis efficacia, si alvus, præsertim ubi est obstructa, eluatur cum Enemate ex malva Mercuriali & violaria simul decoctis, in earumque liquoris ℔. I. palpæ cassiæ ℥ II. & ol. violar. ℥ III. & salis ʒ I. resolutis. *Enema.*

Ne autem Erysipelas redeat, aut saltem mitius molestet, προφύλαξις, id est præcautio hujusmodi instituatur. *Cura præservativa.*

Victus ratio observetur refrigerans & humectans. In eduliis itaque conveniunt cremor ptisanæ, pruna acida, thamarindi, & in acetariis lactuca acetosa & portulaca, lac amygd. oryza, caro pullorum cum uvis immaturis cocta: potus esto aq. hordei cum cinamomo cocta. Vitet autem patiens vinum, omnia denique pinguia & acria. *Diæta.*

Deinde verno & autumnali tempore, si nihil impedimenti obstet, sanguinem ex vena Epatica dextri lateris commodè educere possumus. Quin & biliosus humor cum vere tum *Venæ sectio.*

in

in autumno post sanguinis emissionem seq. haust. subduci potest. ♃. Decoct. thamarind. & prunor. ℥ v. in quibus resolvantur ℥ III. syr. rosati solutivi, fiat haustus. Aut ♃. Rhab. ʒ II. sem. anisi ℈ II. contusa misceantur, & per noctem in aq. cichor. ℥ v. macerentur. Deinde mane ad fervorem calefacta, fortiter exprimantur & colato jusculo admisc. Elect. lenit. ʒ VI. aut pulpæ cassiæ ℥ I. fiat haustus.

Cholagoga.

Porro si redeat Erysipelas & magnum existat, nec sponte à natura discutiatur, tum ut plurimum hæc gravia symptomata infert, inflammationem, dolorem acrem, & cutaneæ rubedinis in livorem conversionem, quibus accidentiis sequentibus præsidiis succurrendum erit.

Symptomata magnum Erysipelas comitantia.

Si inflammatio vehemens conjuncta sit sacro igni, leniter refrigerantibus mitigari debet. Verum non amplius applicanda sunt refrigerantia quam ad rubedinis alterationem. Si enim diutius & vehementer refrigerantia imponantur, cutis schirrhosa & livida redditur. Hæc itaque commodè imponi possunt, succus solani aut hyoscyami aut semper vivæ maj. aut mucag. sem. psylii cum aqua plantag. confecta, quæ omnia linteolis dupl. excepta Epithematis instar applicentur. Aut imponantur lentes palustres catapl. modo, quin & rosac. ol. & ung. popul. cui parum aceti rosac. sit admixtum utiliter inungi potest. Omnia autem hæc actu frigida applicanda, & crebrò immutanda erunt, antequam incalescant, aut arida fiant. Aut

Inflammationis remedia.

Epithemata.

♃. Suc. plantag. ℥ I. ol. rosa. ℥ III. pul. litharg. ℥ I. cerusæ ʒ III. lactis muliebris ℥ s. conterantur simul in plumbeo mortariolo donec linimenti formam acquirat, & inungatur. Remisso fervore ut ne subcutaneus humor incrassescat livoremque affectæ parti inferat, resolvendi humoris gratia seq. cataplasma imponatur.

Linimentum.

♃. Medullæ panis in lacte maceratæ cui far. hord. q. s. admisc. & loco affecto imponatur seq. cataplasma simul & refrigerat & subcutaneos humores digerit ac resolvit.

Cataplasma.

♃. Fol. recent. althææ pro arbitrio, quæ concoquantur in q. s. aq. deinde conterantur, eisque admisceantur ol. ros. q. s. quibus & far. hord. & pul. lithargyri & cerusæ ad placitum admisceri potest. Magis autem penetrat & resolvit, si aceti rosac. parum commisceantur.

Aliud refrigerans & resolvens.

At vero si vehemens & acerbus dolor occupet locum affectum, statim mitigatur si fol. & rad. hyoscy. in stupa convoluta & sub cineribus cal. assata denique contusa & cum unguento popul. q. s. in catapl. formam redacta imponatur.

Dolorem sedantia.

Cataplasma.

Accidit quoque ut quandoque ex acrimonia biliosi sanguinis, affectæ partis cutis exulceretur, cui probè auxiliatur si unguentum è cerusa, aut linimentum ex ol. rosac. in plumbeo mortariolo tantisper agitato donec incrassescat, inungatur.

Exulcerati Erysipelatis remedia.

Cæterum ubi color rubeus in livorem convertitur, tum locus affectus ac lividus crebro & multum fomentetur. Præstat autem si aqua sit marina aut loco ejus muria, à quibus si genuinus color non redeat, cutis scalpello scarificari debet, & sanguis exprimendus, scarificatoque loco Emplast. Diatessaron sive Brunonis imponatur & aq. calida subinde perfundatur.

Livoris cura.

5. *Impetigo & serpigo quid, quæ earum causæ, quæ signa, & quomodo curandæ?*

Ἕρπης, λειχὴν, serpigo & impetigo, nostrates impetiginem **die gemeinen Flechten** / serpiginem **die Frantzoseschen Flechten** nominant. Rectè quidem meo judicio Joannes de Vigo chirurgus has duas cutis affectiones conjunxit: non enim differunt nisi extensione & remissione sive magnitudine. Nam Græcorum descriptio Herpetis & Lichenis, vitio huic quod **Flechten** nominatur, minimè congruit, sed potius siccæ scabiei. Hæc autem affectio primum ex levi scabricie oritur, & tum impetigo nominatur; deinde vero latius altiusque serpit & cutem erodit & in rimas scindit. Oritur hoc vitium cutis in omnibus carnosis

Serpigo & impetigo quid.

Origo ejus.

partibus, potissimum autem in facie, collo, & omnium creberrimè, in vola manuum & in digitis.

Causa. Causæ impetiginis & serpiginis προηγουμένη, sanguis aut tenui & seroso humore aut adusta bile, aut præternaturali melancholico humore & aluminosa materia mixtus. Προκαταρκτικαὶ sunt loci affecti contrectatio ab alio, (est enim contagiosus morbus,) & ablutio in eadem aqua in qua lotæ sunt partes impetiginosæ serpiginosæque, & abstersio manuum ac faciei cum linteolo in quo abstersæ sunt partes serpiginosæ,& chirothecæ manibus inductæ ab impetiginosis antea usurpatæ.

Signa. Signa impetiginis & serpiginis evidentia sunt. Primum enim cutis sicca scabie & scabricie afficitur, ac tandem processu temporis paulatim serpit & in latum se extendit, & nisi tempestivè succurratur, cutim proscindit rimasque efficit, usque ad subjectam carnem.

Curatio. Curatio utriusque affectionis consistit in victus ratione, venæ sectione, & vitiosorum humorum concoctione & expurgatione, ac postremo Topicorum applicatione.

Diæta. In victu alimenta conveniunt purum sanguinem procreantia, & concoctu facilia, qualia in superioribus sæpius enumeravimus. Vitanda è contra sunt omnia salsa, facilè putrescentia, & pituitam salsam retorridamque bilem generantia, veluti sunt pisces carnesq; sale conditæ,fumoque duratæ.

Venæ sectio. Venæ sectio locum habet in corpore plethorico, vel loco venæ sectionis cucurbitulæ cum scarificatione paulo supra locum affectum, unde fit humoris vitiosi adfluxio, commodè applicari possunt. Deinde vitiosi humores sanguineæ massæ mixti seq. potione utiliter concoqui, extenuari & digeri possunt.

Digestiva potio. ℞. Rad. chinæ ℥ I. Glycyr. cichor. an. ℥ s. polypod. ʒ VI. Ellebori nigri, prius in aceto ebulliti & rursum siccat. ʒ III. capil. Veneris, veron. cardui benedicti an. M. s. centaur. min. cortic. inter. sambuci an. p. II. sem.anisi ʒ II. conserv. fumar. boraginis an. ℥ II. concidenda concidantur, & contund. contundantur, & simul in cantharo stanneo macerentur per noctem cum seri lactis caprini ℔. IIII. & altero die concoquantur cantharo oblinito pasta,& in ahenum aq. plenum collocato per 2. horas cantharo refrigerato colentur,colatoque juri admisc. syr. de fumar. oxymel. simpl. an. ℥ II. fiat potio, cujus mane ac vesperi sing. diebus exhibeantur ℥ V. calefactæ. Exhausta hac potione expurgentur vitiosi humores seq. haust. cathartico.

℞. Diacathol. ʒ VI. Diaphæn. ʒ III. confect. hamech. ʒ II. dissolvantur cum ℥ V. aq. cardui benedicti, fiat haust. qui sex horis ante prandium ebibatur. Aut purgentur seq. pill. *Haustus purgans.*

℞. Mas. pill. è fumo terræ, Aggregativ. Hieræ cum Agarico an. ℈ I. Troch. Alhandal. ℈ s. cum q. s. confect. Hamech. formentur pill. n. XXVII. quæ circa medium noctis deglutiendæ præbeantur. Præscripta potio concoquens & simul purgantia pharmaca jam dicta, ubi necessitas exigit & contumax est malum, singulis mensibus vel alternis repeti possunt. *Pillulæ.*

Perpurgato corpore localia præsidia partibus impetiginosis vel lichenosis hujusmodi adhibeantur. Cum adhuc levis est impetigo, & antequam conversa in serpiginem aut exulcerationem,cutis sola saliva jejuna confricata sanari potest: aut illinitione salivæ jejunæ cui favillæ ex focis sunt admixtæ, & in formam linimenti redactæ, aut confricatione muriæ ex butyro. *Topica. In levi malo.*

Ubi autem his remediis non cedit serpigo, præstat loco affecto tale Epithema linteolis exceptum singulis noctibus imponere. *Ubi vehementius lædit.*

℞. Succi lapatii acuti, chelidon. an. ℔. s. aceti scyllitici ℥ III. aluminis, æruginis an. ℥ I. Mercur. sublim. ʒ III. salis Ammon. ʒ I. furfur. siliginei ℥ s. Quæ omnia ebulliant ad tertias, deinde colentur, & fiat Epithema. *Epithema.*

Serpiginis rimosæ remedia. Vnguentum.

In serpigine rimosa & scissa cute præstantiss. est subsequens unguentum.

℞. Saponis nigri ℥ I. s. styrac. liq. ʒ VI. ol. lauri ʒ III. pul. vitrioli ℥ I. argenti vivi cum saliva jejuni hominis diu agitata mortificati & in pul. redacti ℥ II. subigantur in mortario quam diutissimè, fiat unguentum, quo indies bis ungatur ac confricetur locus affectus.

Experimentum authoris singulare.

Ego autem ad omnem impetiginem serpiginemque tale præsentiss. præsidium excogitavi, omnesque ex Dei beneficio persanavi, potissimum ubi serpiginis scissuræ vel in manibus vel pedibus extiterint. Excrementi ferri 3. aut 4. majora frusta candefacio, & unum ex eis in grandem & capacem ollam impono, partemque seu locum affectum supra candens excrementum extendo, & undique ollam culcitra aut pulvinari contego, & cooperio ut nullus vapor exire queat, deinde vinum rub. cum particula spongiæ excipio & subinde ac sensim in candens ferrum exprimendo destillo, ita ut fervor in olla excitetur, eoque vapore elevato locum affectum fomento ac imbuo: Quod excrementi frustum ubi extinguitur & nullum ex se profert vaporem, aliud in ollam impono, & similiter ut antea ago, idque sing. diebus bis per sesquihoram facio: & ita per octiduum omnis serpigo & rimæ consanescunt. Talis enim vapor excrementi ferri humores vitiosos per sudorem elicit, exiccat, & poros constringit.

Ad cicatrices rimarum remedium.

Ne autem serpiginis vestigia appareant, inungo ac lavo locum rubentem aqua plant. cujus ℥ VI. admixtæ sunt ʒ II. ol. vitrioli. *Nonnulli ol. myrrhæ in hunc usum adhibent.*

6. Pustulæ exiles in cute faciei quæ vari etiam dicuntur quid, quæ earum causa, quæ signa, & quomodo curandæ?

Vari faciei quid.

Ἴονθοι, Latinis vari, nostratibus **die Vinnen**/ sunt parva & dura, magnitudinis seminis canabini vix excedentia, in cute faciei & nasi tubercula, quæ aut cito resolvuntur, aut ingenito exiguo pure maturescunt, quo expresso exiccantur & evanescunt, nullum inferentia dolorem, sed tantummodo faciem dedecorantia. Hoc vitium maxima ex parte adolescentibus & prolifico semine abundantibus ad Veneremque jam aptis, continentibus tamen, familiare est. Cessat enim post usum Veneris & rarissimè post concubitum erumpit. *Quibusdam tamen naturale est, illisque post usum Veneris magis erumpunt vari.*

Quibus contingant.

Causæ.

Causa προηγουμένη varorum, est sanguis moderatè calidus & flatuosus, qui est aptus converti in semen aut lac. Προκαταρκτικαὶ sunt creber & copiosus potus vini meracioris, vel cerevisiæ flatulentæ & præpinguis, & tepor aëris ambientis: nam æstate magis quam hyeme vari erumpunt. *Hepar quoque utplurimum calidum habent, qui hoc malo tentantur.*

Signa.

Signa sunt satis conspicua. Ex tuberculis enim faciei unguibus compressis, si vari sunt maturi, exiguum pus crassum & album semini simile; ex immaturis autem cruentus mucor exprimitur.

Curatio.

Curatio facillima est. Post concubitum enim & usum Veneris utplurimum spontè vari evanescunt: sed cum non omnibus adolescentibus concessum sit matrimonii vinculo sibi consulere, hac ratione ac methodo facilè extirpari possunt. Si corpus sit plethoricum & facies rubicunda, Vena primum hepatica, deinde frontis commodè incidi potest, vel cucurbitulæ applicari cervici cum scarificatione, idque aversionis causa. Ubi vero sanguis flatulenta & seminali materia est commixtus, purificatur per bolum ex ℥ I. s. cassiæ extractæ, paulo ante prand. devoratum, vel exhibeatur haustulus aptus ad subducendum humorem in corpore redundantem, id quod facile ex colore tum pustularum tum totius faciei dignosci potest. Remedia autem quibus singuli humores subduci debeant, ex tabellis nostris superius præscriptis peti possunt.

Venæ sectio. *Cucurbitulæ.* *Sanguinem purificantia.* *Vide Meth. generalem l. 5. sect. 3.*

Topica.

Purificato sanguine, hæc sequentia Topica remedia applicentur, varos & quælibet tubercula in facie exiccantia & extirpantia faciemq; explanantia ac decorantia. Vespéri iturus cubitum faciem habens varosam, inungat eam aut ol. vitrioli, aut ol. tartari,

Quidam Mercurio sublimato utuntur feliciter cum ſucco limorum & aq. fl. fabarum.

aut ſulphuris, non quidem illo fœtido, ſed quod chymica arte ſit paratum. Mane vero abluat faciem aq. calida in qua macerata ſunt farina fabarum, & bulbi ſeu rad. liliorum alborum contuſi, quæ eouſque repetantur, donec tubercula reſolvantur, & facies ſit explanata. *Hic tamen diligenter obſervandum, ne Topicorum varos repellentium uſu intempeſtivo majus malum & omnimodam perniciem patienti creemus. Nam ſi hepar præcalidum ſua excrementa in faciem emittat, ibidemque varos copioſè excitet, illi potius internis remediis ſuccurrendum, calorque ejus præternaturalis reſtinguendus, & materia excrementicia varorum educenda, quam ad interna repellenda. Novi enim aliquot exempla eorum qui dum varos fortioribus topicis extinguere conati ſunt, in morbos incurabiles inciderunt, & una cum varis vitam extinxerunt.*

Cautela.

7. *Lepra quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quomodo curanda?*

Lepra quid.

Ἐλεφαντίασις, lepra, noſtratibus, **der Auſſatz** / (& eo laborantes Elephantici & leproſi, noſtratibus, **die Auſſettiſchen vnd die Sunderſiechen** dicuntur,) eſt cutis vitium aſpectu abominabile, contactu & exhalatione contagioſum, ſcabiei cruſtulæ ſimile, colore bufonum cuti, vel licheni herbæ, quæ arboribus Ilicum aut quercubus adnaſcitur, & pulmonaria nominatur, non abſimile eſt. Porro lepram noſtri temporis differre plurimum à divina illa plaga Ebræorum, quæ etiam lepra vocabatur, Levit. 13. & quæ pro ratione & magnitudine peccati gravior atque gravior à Deo infligebatur, nulliſque remediis, ſed tantum nutu Dei curabatur, cujus Judices Sacerdotes Levitici erant, & quorum decem Filius Dei ſolo omnipotenti ſuo verbo perſanavit, Luc. 17. non eſt dubium. Hæc autem noſtra ea eſt longè malignior, quæ ubi radices egit, prorſus fit incurabilis. Porro etſi de vocabulis non debet Medicus magnopere ſollicitus eſſe, modo rem ipſam teneat, ſciendum tamen hoc loco eſt, Græcos authores lepram noſtram, quam nunc deſcripſimus, non ſub nomine lepræ, ſed Elephantiaſis complexos eſſe. Erat enim apud Græcos levis affectio cutis, & ſpecies ψώρας lepra. Eorum autem Elephantiaſin, & Arabes & omnes homines uſque ad hæc tempora lepram vocitant.

Lepra noſtra à Iudæorum ut differat.

Lepra Græcorum.

Lepra vulgaris.

Cauſa.

Cauſæ lepræ προηγούμεναι ſunt melancholicus humor craſſus & viſcidus acriſque ſanguini putrefacto in venis mixtus. In Elephantiaſi ſiquidem tota maſſa ſanguinea, quemadmodum & in Gallico morbo, corrupta & depravata eſt, & hinc eſt, quod ſæpè morbus Gallicus in lepram degeneret. Προκαταρκτικαὶ ſunt ſemen parentum leproſum in liberos derivatum: fieri enim nequit, quin ex parentibus leproſis leproſi generentur liberi. Converſatio & compotatio cum leproſis: virulenta enim leproſorum ſaliva, ubi poculo adhæſerit, lepram combibenti communicat. Concubitus cum leproſis, vel cubatio in ſtragulis in quibus decubuerunt leproſi. Item reſpiratio & exhalatio virulenta, proxima corpora, ſi tenera fuerint, inficere poteſt. His addi poterit & diuturnior conſuetorum menſium & hæmorrhoidum retentio. Item alimenta melancholicum ſanguinem generantia, ut ſunt continua eſitatio leguminum, lentium, & fabarum.

Differentia.

Etſi autem ſpecies lepræ plures ſunt, tamen pro malignitatis extenſione & remiſſione, & qualitate melancholici ſanguinis, in duas differentias dividi poteſt. In diram, contumacem & incurabilem; & in mitem, recenter exortam & quodammodo curabilem.

Signa.

Signa ex quibus lepra deprehenditur, varia & multa ſunt, quæ tamen non omnia in ſæva lepra concurrere eſt neceſſe: quorum præcipua hæc obſervari poſſunt. Lepra ut plurimum in facie & fronte incipit, in quibus tubercula fæda pronaſcuntur, quæ deinde totum corpus occupant, præterea nares reſimæ & tuberoſæ patulæque redduntur, labra prætumida, aures retortæ, frons extuberans, facies ex rubro liveſcens efficitur, & fædis tuberculis repletur, ſub lingua venæ intumeſcunt & varicoſæ nigræque redduntur. Muſculi exteriores inter indicem & pollicem abſumuntur, pili cum ex capite tum ex

ſupercilíis decidunt, deinde totius corporis cutis ſubnigra & maculoſa redditur, tandem ſcabricie inæqualiter & cruſtoſa ſcabie conſpurcatur, adeoque corio Elephantorum (unde Elephantiaſis dicitur) ſimilis efficitur, & horribiliter defædatur. Poſtremò primi digiti pedum ac manuum intumeſcunt, & tandem crura inſtar ſacci cum dira ſcabricie inflantur, ac præterea ſubinde leproſi inſatiabili libidinis ſtimulo agitantur, cruor è venis detractus, grandinoſus niger & fætidus conſpicitur, qui propter inſignem corruptionem non coaleſcit, & ſi ei ſal injicitur non reſolvitur ut in ſano ſanguine, ac ſi acetum infundatur, non commiſcetur cruori.

Singularia lepræ indicia, ex ſanguine.

Prognoſticon.

Prognoſticon. Lepra inveterata & in habitum converſa, incurabilis eſt. Præſtat itaque Medicum manus non admovere. Oleum enim & operam perdet, cum vix incipienti & recenti lepræ integra curatio reperiri poſſit, quicquid tandem Paracelſiſtæ glorientur, ſe poſſe omnem lepram curare ſuo oleo Antimonii, & ementito ſuo auro potabili. Humanitatis tamen & Chriſtianæ commiſerationis eſt, ſi conſilium in incipienti & leviori lepra à Medico expetatur, ut id fideliter miſerrimis hominibus impertiat, & ſua experimenta liberaliter communicet, ut bonus Galenus ſua remedia ſcriptis poſteritati reliquit, qui in lib. qui de Informatione Empyrici inſcribitur cap. 12. Elephantiaſin viperarum virulentarum uſurpatione curari poſſe docuit, & ejus curationis quinque exempla & hiſtorias memorabiles recitat, trium Elephantiaſi laborantium, qui vino epoto in quo erant viperæ extinctæ perſanati fuerunt, & unius qui ex inſtitutione Galeni edoctus, viperam inſtar anguillæ coctam intrepidè eſitarit, & à lepra liberatus eſt. Quinti verò, qui erat Thrax, qui ſomnio ab Æſculapio commonefactus, medicinam ex viperis confecit, aſſumpſit & foris inunxit, & ſanitati eſt reſtitutus.

Leproſis quomodo ſubveniendum.

Hiſtoria leproſorum caſu curatorum.

Curatio.

Curatio in lepra incipienti nondumque radicibus actis hujuſmodi methodo tentari poteſt. Cum lepra ut diximus ex venenoſa impuritate ſanguinis originem ducat, non ſemel ſed ſubinde per venæ Epaticæ ſectionem nunc dextri nunc ſiniſtri lateris impurus ſanguis ſubtrahendus eſt. Deinde & per venarum talarium ſectionem, ſed per intervalla, vel loco talarium venarum, ſub malleolis aut venis hæmorrhoidibus in ano hirudines applicari poſſunt. Deinde craſſi ac viſcidi humores medicamentis potiſſimum feces melancholicas aut pituitam ſalſam evehentibus, aut ſingulis vel ſaltem alternis menſibus expurgentur, ad quorum præparationem talis potio mane ac veſperi per octiduum ante purgationem exhiberi poteſt.

Venæ ſectio.

Purgantia.

℞. Rad. polypodii, Elenii, cichor. Cappar. an. ℥ s. Ellebori nigri per noctem in aceto macerati ac rurſum ſiccati ʒ III. gr. juniperi ℥ s. ſem. aniſi, ſeſeleos an. ʒ II. herb. ceterach. veronicæ, cardui benedicti, centaur. min. roriſma. an. M. s. conſ. fumar. borag. an. ℥ I. paſſ. min. ℥ I. s. cinam. ʒ II. conciſa & contuſa coquantur in duplici vaſe cum ℔. 4. ſeri lactis caprini per duas horas, refrigerata colentur, de quo mane ac veſperi ebibat æger ℥ V. tepidas. Exhauſta potione purgentur vitioſi humores extracto Ellebori nigri, pondere ſemiobuli aut gr. XII. pro ratione virium. Validiſſimè enim purgat omnes vitioſos humores præſertim melancholicos. Aut exhibeantur gr. III. vitri antimonii contriti & commixti cum ʒ II. conſ. roſarum. Aut ℞. Maſſ. pill. è fumo terræ fætid. è lapide laſuli an. ʒ I. Trochiſcor. Alhandal. ex quibus ſimul contuſis, formentur pill. n. 19. & cum ſyr. è fumo terræ media pars in uno, altera altero die in aurora deglutiatur, & à cibo per 6. horas abſtineat æger.

Decoctum digeſtivum.

Melanagoga.

Purgato ea ratione corpore, ex doctrina Galeni nihil eſt præſtantius, quam bibere Vinum crebro, in quo viperæ ſunt extinctæ, vel eſitet carnes viperarum coctas inſtar anguillarum, abjectis tamen cauda & capite.

Viperarum uſus ad lepram.

Cum vero in his borealibus regionibus viperæ raro habeantur, consultum erit loco viperarum uti singulis septimanis semel aut bis Trochiscis è viperis, aut ʒ I I. Theriacæ Andr. mixtis ac temperatis cum aq. petasitis aut scordii, & post haustum ad sudorem se componere subindeq; sudorem abstergere.

Balneum. Porro crustæ Elephantiasis in Balneo, in quo coctæ sunt malva, althæa, lapatium acutum, Ebulus an. cum rad. fl. chamæmeli & meliloti ac sem. fænug. emolliantur & auferantur & subjecto ulceri, ut dolor mitigetur & pruritus sedetur, linimentum ex lactis flore vel pinguedine in superficie lactis concreta illinatur cum aq. plantaginis. *Thermæ Carolinæ.* Præterea in incipiente lepra ægrum ad thermas sulphureas & aluminosas, quales sunt Carolinæ in finibus Bohemiæ prope Vallem Joachimicam, ablegare aut deducere non erit inconsultum.

Nullum tamen præsidium præsentius & salutarius lepræ incipienti excogitari invenitique potest, quam usurpatio *Decoctum chinæ.* decocti alterutrius nobilissimæ rad. chinæ videlicet & sarmenti Indici; cujus coquendi utendique rationem in seq. morbi Gallici curatione breviter propositurí sumus. Nam uberiorem earum descriptionem, efficaciam & utendi modum, in peculiari libello Deo juvante traditurí sumus.

Vitiligo & Morphea ut curanda. Porro Græcis authoribus inter cutis vitia commemorantur & aliæ duæ species, quarum una ipsi Græci ἄλφον, alteram λευκήν. Arabes vero hanc Morpheam, illam Aboram vocant: quas Celsus Latinè vitiliginem vertit, quæ cutis affectiones hoc seculo non amplius aut rarissimè conspiciuntur, quas nos ad speciem Elephantiasis aut lepræ deferimus. Et si cui earum curatio occurrat, iisdem remediis profligandas, quibus Elephantiasis curatur, suademus.

8. *Morbus seu scabies Gallica quid, quæ ejus causæ, quæ signa, & quibus præsidiis profliganda?*

Lues Venerea quid. Λοιμὸς ἀφροδίσιος, Lues & contagio Venerea sive morbus & scabies Gallica seu Neapolitana, est contagiosæ & sevæ scabiei species, omnibus seculis usque ad annum Christi Salvatoris 1494. ignotissima, quo *Quando primum exorta.* anno Deus iratus in pœnam sceleratæ libidinis mundo hoc malum inflixit. Gallica *Unde nomen habeat.* autem scabies inde nomen habet, quia eodem tempore Gallis in Neapolitano bello militantibus ob spurcam turpemque eorum libidinem, militaris præmii loco à Venere contributa est, à quibus deinde in universum terrarum orbem propagata fuit. *In India tamen tam Occidentali quam Orientali Endemium Incolarum morbum à multis seculis fuisse, referunt scriptores Indici, uti apud nos scorbutus: inde putatur in Europam per contagium primum delatus.*

Incipit autem hæc horribilis & sæva bel- *In quibus partibus appareat.* lua humanam naturam vastare & sese manifestare post fædam Venerem cum pustulis tuberculisque duriusculis in pudendis utriusque sexus, & circa inguina erumpentibus: deinde in alias partes, collum, faciem, frontem, capitis cutem, manus ac tibias divagatur, postea & sanguineam massam universam inficit, spiritus turbat & viscera principalia labefactat. Cerebri enim intem- *Quæ incommoda importet.* periem corrumpit, jecur & lienem inflammat, renes & meatus urinæ exulcerat, tandem & in fauces repit, easque erodit & palati atque cribriforme os in radice narium absumit & erodit, & processu temporis ex homine cadaver vivum efficit, & in diversis partibus corporis virulenta & ægre sanabilia excitat ulcera, nisi tempestivè obviam eatur. In plerisque tamen corporibus *Indicia quædam hujus mali occulti.* non omnia hæc simul mala subsequuntur, nec pustulæ excitantur, sed caput & cervix aggravatur, & acerbissimi dolores præsertim noctu, in articulis, manibus ac pedibus excitantur.

Causæ. Causæ προκαταρκτικαὶ ut plurimum antecedunt προηγουμένας. Sunt vero causæ προκαταρκτικαὶ, Venerea consuetudo cum fædis & infectis mulierculis, & è contra. Sudores enim & exhalationes infectorum suo contactu facilè alios inficiunt. Item stragulæ & lavacra communia cum infectis, & crebræ commessationes ac compotationes cum scabie Gallica laborantibus. Est enim hic morbus planè contagiosus, quanquam

quam sæpè & hæreditario jure propagetur in natos, à parentibus eo morbo laborantibus; sæpè & ab infantibus cum lacte assugitur. Προηγούμεναι sunt corrupti humores, & infecta sanguinea massa, & intemperies totius corporis.

Signa. Signa luem Veneream ostendentia, petenda sunt ex jam comitantibus symptomatibus, quorum quædam in descriptione mali enumeravimus, ut sunt pustulæ duriusculæ in & circa pudenda & in finibus, quorum color nunc ad rubedinem, nunc ad lividitatem, nunc ad cinericeum vergit, quamquam crebrò & sine pustulis quosdam hæc scabies occupat. *Symptomata hujus mali varia.* Item purulenta exulceratio interni meatus urinatorii, ardor urinæ, & insueta hæmorrhoidum eruptio, quibus accedunt & tubercula verrucis similia per caput, frontem, faciem, collum, brachia & tibias erumpentia, capillorumque defluvium. Processu autem temporis alia quoque subsequuntur symptomata, ut artuum articulorumque in manibus & pedibus acerbi dolores: arthritis & coxendix, quæ noctu magis quam die affligunt. *Dolores. Tumores in carne.* Deinde & tumores in carnosis partibus, seminucis juglandis qu. extuberant, qui tandem suppurantur, & omnia genera virulentorum ulcerum progenerant, pro ratione vitiosi humoris in corpore patientis prædominantis. Quin ex ea venenata colluvie in plerisque partibus scirrhosi & glandulosi tumores, scrophulæ & strumæ progenerantur. *In ossibus.* Adde quod neglecta mali curatione in ficcioribus partibus ubi ossa exigua carne sunt vestita, eadem venenosa colluvies ossibus adhæret & induratur, adeo ut os adnatum videatur: id quod ut plurimum in tibia & in cubitu carpoque contingere consuevit, quod malum imperiti tonsores ein Oberbein/ q. d. os adnatum, nominant: quo in loco acerbi dolores nocturni potiss. excitantur: & si validioribus remediis locus agitatur, in ulcus virulentum degenerat, & os subjectum corrumpit, & sphacelatum reddit. *Caries ossium.* Præterea sæpe & cerebrum inficit, & quibusdam totam calvam absumit, aliis os tantum palati, & creberrimè cribriforme os narium.

Hæc signa etsi non in omnibus omnia concurrant: tamen pleraque in scabie Gallica semper observantur.

Prognosticum. Prognosticum: Morbus Gallicus recens, qui nondum radices egit, pauciora mitioraque secum trahit symptomata, ac facilius curari potest: inveteratus vero plura sæviora curatuque difficiliora producit mala.

Sæpè concepta lues Venerea per plures menses in corpore delitescit antequam se per signa prædicta manifestet, statim tamen continua gravitas artuum & crebri capitis dolores subsequuntur.

Curatio. Curatio. Cum hæc fœda lues primum inter homines grassari cæpisset, variæ sunt curandi ejus rationes à Medicis excogitatæ, sed omnia frustrà tentata fuere, donec tandem ad inunctionem hydrargyri perventum esset, *Inunctio cum hydrargyro.* cujus quidem usu multi, palliata tamen ac superficiali cura, sanitati non admodum integræ restituti sunt. Ejus itaque usus mansit apud imperitiores cum tonsores tum Medicos usque ad nostram ætatem.

Emplastrum ex hydrargyro. Inunctioni tandem accessit & Emplastrorum ex hydrargyro applicatio, præsertim in ulceribus morbi Gallici.

Suffitus cum Cinnabare. Inventus quoque est & suffitus cum Cinnabare, quæ reliquis sævior est curandi ratio.

Decoctum ligni Guajaci & Iuniperini. Tandem successit his curatio per potionem sudorificam ex ligno Indico seu Guajaco, & ex ligno Juniperino, cui curandi rationi extremè tenuis victus adjungebatur, & multi abstinentia potius, quam virtute remedii curabantur.

Remedia non adeo tuta. Et hæc quidem omnia incerta sanatione, aliis præsidio erant, aliis vero nullum adferebant levamen. Quin & inunctiones & emplastra ex argento vivo, & suffumigationes ex Cinnabare, quod ex argenti vivi materia constat, initio etsi superficialia cutis mala tollebant, tamen post ipso morbo Gallico longè sæveriora inferebant symptomata, ideoque ab eruditioribus Medicis non tantum neglecta, sed etiam detestanda sunt.

Decoctum Chinæ & Zarzaparillæ. Postremo autem, & quidem nostro ævo ex Indicis regionibus duæ nobiliss. radices Chinæ & Sarmenti Indici, quas Hispani Zarzapa-

zaparillam vocant, allata ſunt, ex quibus ſaluberrimæ potiones ſudorificæ in locum priorum ſunt reſtitutæ, quibus non tantum morbus Gallicus & ſymptomata, ſed & alii pernitioſi morbi fæliciſſimè curari poſſunt.

Cum autem, ut dictum eſt, manſerit uſus unguenti & Emplaſtri ſuffituſque ex hydrargyro apud tonſores, & ſuam habeant efficaciam in palliativa cura, & corporibus robuſtis, antequam ad rad. decoctum deveniam, breviter conficiendi & utendi rationem unguenti & emplaſtri rationem commemorabo. Unguentum ex hydrargyro ſic conficio. ♃. Axungiæ porcinæ rec. ℔. s. butyri recentis ſine ſale ℥ IV. unguentorum Althææ, marciati an. ℥ I. ol. chamæmel. ol. lumb. ol. laurini, terebinth. an. ℥ s. Theriacæ Androm. ℥ I. ſtyrac. liquidæ ʒ I. ſucci limon. aut ejus loco, ſuc. radic. lapatii acuti ℥ I. aq Juniperi vel Vini deſtillati ℥ s. ſubigantur in mortario diutiſſimè, quibus admiſce pulv. maſtic. litharg. an. ℥ I. hermodact. Ariſtoloch. rot. turbith. tartari rub. Zinzib. albi an. ʒ II. myrrhæ, aloës an. ʒ III. quibus & ceræ reſolutæ q. s. ob craſſitiem acquirendam admiſceri poteſt. Deinde commiſceantur quoque hydrargyri ſive argenti vivi in ſaliva hominis jejuni extincti, & in pultis formam redacti ℥ II. diutiſſ. agitando fiat unguentum.

Vnguentum ex hydrargyro.

Emplaſtrum autem ex hydrargyro in hunc modum concinnatur. ♃. Emplaſtrum diachili magni, emplaſtri de ranis, cujus deſcriptio extat apud Johannem de Vigo, an. ℥ IIII. Empl. triaph. ℥ II. ol. de laterib. ol. de ſpica, aq. Junip. ſtyrac. liquidæ, theriacæ Andr. an. ℥ I. s. Gummi Ammoniac. Galbani in aceto macerati & percolati an. ʒ II. omnia ſimul ad lentum ignem reſolvantur, & ubi refrigerari incipiunt admiſc. pulv. maſtic. thuris, myrrhæ, aloës, ladani an. ʒ II. ariſtol. rot. hermod. bac. lauri, cyperi an. ʒ I. s. Cinabrii ℥ I. mercur. ſublimat. ʒ II. argent. vivi in ſaliva jejuna extincti ℥ IV. diligenter ſubacta redigantur in Emplaſt. formam.

Emplaſtrum ex hydrargyro.

Suffitus ex cinabrio ſic conficitur. ♃. Cinabrii ℥ II. pulv. Benzoi, ſtyr. calamitæ, gran. Junip. Caryophyll. ligni aloës an. ʒ II. calam. arom. angelicæ, myrrhæ, ſuccini albi, olibani an. ʒ I. omnibus ſimul pulveratis cum q. s. theriacæ redigantur in trochiſcos.

Suffitus ex cinnabari.

His præſcriptis remediis tonſores hunc in modum utuntur. Primum præſcribunt ægrotanti convenientem tenuemque victus rationem ex alimentis boni ſucci; deinde vitioſos humores, qui in corpore redundant, concoquunt, & convenientibus remediis naturæ ſingulorum humorum evacuant purgantque. Tandem ægrotantem includunt in conclave calidum ſeu hypocauſtum, ibidemque præſcripto unguento totum corpus, excepto capite, pectore & axillis dextroque hypochondrio, quotidie ſex horis ante prandium inungunt, tegumentisque calidis involvunt, & per 2. horas ſudare permittunt, idque in quibuſdam 9. in quibuſdam 14 diebus perficiunt. Morbi vehementiam victam eſſe arbitrantur, ubi magna ſalivæ copia per aliquot dies ex ore ægrotantis profluit, tunc ceſſant ab inunctione, & utuntur vires corroborantibus remediis. Plerumque autem ſuccedit fluori ſalivario oris exulceratio & gingivarum putredo, dentiumque vacillatio & alia pleraque ſymptomata, quibus peculiaria adhibent remedia, quæ paulo poſt proponemus.

Modus uſurpandi praecedentia vulgaris. *Inunctio.* *Quouſque continuetur.*

Emplaſtro autem utuntur ubi in aliqua corporis parte à morbo Gallico cruſtoſa ulcera ſunt excitata. Iis enim poſt concoctos & expurgatos vitioſos humores Empl. præſcriptum linteo extenſum imponendo, patientem ſudare permittunt, & ſi totum corpus ulceroſis cruſtis eſt obſeſſum, Empl. ſpinæ dorſi imponunt, eoque brachia, manus & crura veſtiunt, & huic curationi ut plurimum 10. dies tribuunt, in quibus ægrotantem in hypocauſto calido retinent & indies ſudare cogunt.

Emplaſtrum quomodo uſurpetur.

Suffitum autem ex cinnabari in virulentis ulceribus ex lue Venerea ortis adhibent. Trochiſcos enim ignitis carbonibus in aliquo vaſculo imponunt, & ulceroſam partem ita in vas collocant, ut fumum ex trochiſcis è cinabare ulcus recipiat. Eſt autem hoc genus remedii acerbiſſimum nec niſi in extremè periculo-

Suffitus quando adhibendus.

riculosis ulceribus & sphacelato osse eo utendum.

Symptomata ex argento vivo. Verum aut in ipsa curatione, aut paulò post ex argento vivo in poros coacto, & non rursum artificiose per sudatoria remedia propulso, subsequentia symptomata accidere solent.

Oris fauciumque exulceratio,
Gingivarum putrescentia,
Dentium vacillatio,
Capillorum defluvium,
Capitis dolores,
Maculæ faciei,
Epatis inflammatio,
Ardor urinæ,
Arthritis,
Volæ manuum & soleæ pedum scissuræ,
Et unguium decisio.

Horum pravorum accidentium prorsus nullum subsequitur curationem nostram cum decocto chinæ aut sarmenti Indici. Verum enumerata symptomata ex hydrargyro, hisce remediis tolli possunt.

SYMPTOMATUM REMEDIA.

Ad oris fauciumque exulcerationem.

Gargarismus. ♃. Plantag. hippuris an. M. I. rosarum balaustiorum cortic. rad. prunor. sylvest. extremitatum frondium salicis an. M. s. hord. M. I. nucum cupressi, lentium, sumach. an. ℥ s. excepto hordeo reliqua contundantur & coquantur in aceti & aq. an. ℔. I. s. ad tertias, colentur colatoque juri admisc. mellis rosati, diamori an. ℥ II. alum. ʒ II. fiat gargarismus, quo crebro eluatur os & fauces. *Alius.* Aut ♃. Aq. Plantag. rosar. flor. periclymeni, prunellæ an. ℥ III. quibus admisce Rob. è ribes, è berberis an. ℥ I. s. misceantur, fiat gargarismus. Validior est in malignis ulceribus seq. gargaris. *Linimentum pro faucibus.* ♃. Fecis vini, aceti vinacei an. ℥ I. pulv. æruginis ʒ s. aluminis ʒ I. mastic. ʒ I. s. mercur. sublim. ʒ s. aq. plantag. rosar. an. ℥ s. ebulliant & colentur, colatusque liquor illinia-tur ulceri. Ego quidem præstantius esse comperi hoc linimentum. ℞. Mellis rosacei ℥ I. ol. vitrioli ʒ II. commisceantur, fiat linimentum.

Ad gingivas putrescentes. *Putrescentes gingivas* prius cum sale & aceto confricato, fœdumque sanguinem vel sugendo vel comprimendo elicito, & præscripto gargarismate, vel liquore in faucium exulceratione descripto colluito, & linimento ex melle rosac. & ol. vitrioli inungito. *Lapis item medicamentosus hic utilis.*

Ad dentes firmandos. *Dentes mobiles* colluantur cum seq. decocto. ♃. Cortic. granatorum, psidiæ, gallarum, acatiæ an. ʒ II. mastic. ʒ I. Alum. ʒ s. aq. & aceti an. ℔. I. coquantur ad medias, colentur, colatoque liquore dentes crebrò colluantur, *Collutio.* & post ablutionem seq. linimentum inungatur. *Linimentum.* ♃. Mellis rosac. ℥ I. pul. gallarum ustarum, cornu cervi usti, corall. an. ʒ s. mastic. alumin. an. ℈ I. commisceantur, fiat linimentum.

Ad defluvium capillorum. *Si capilli defluant*, laventur pilosa loca vino rubeo in quo coctæ sunt radic. agrimoniæ, cort. tamarisc. an. ℥ I. rosat. M. I. myrtill. Bacc. hederæ an. ℥ s. abrotani, spicæ Indicæ an. M. s. Vinum autem sit ℔. II. & coq. ad tertias. *Fomentatio.* Post ablutionem confricentur loca glabra à pilis seq. linimento.

Linimentum singulare. ♃. Cort. nuc. avellan. ustarum, cineris abrotani an. ʒ I. cineris apum ʒ s. ladani, olibani, mastic. acatiæ an. ℈ II. ol. myrt. ℥ I. ceræ parum, fiat linimentum.

Ad dolorem capitis. *Dolor capitis* utplurimum & antecedit & subsequitur morbum Gallicum: Mitigatur autem & tollitur convenientibus enematibus, pillulis capitalibus, gargarism. masticatoriis, & venæ cephalicæ incisione, quæ omnia ex curatione cephalalgiæ petenda sunt. Utilissimum autem est ad dolorem capitis, caput ipsum post lenem confricationem calidorum linteolorum inungere sequenti liquore. *Liquor.* ♃. Aquæ lavendulæ ℥ III. rosar. ℥ II. aceti rosac. ℥ I. spec. diambræ ʒ I. moschi gr. III. ol. vitrioli ʒ I. ol. ex gran. Junip. gutt. V. commisceantur. Sequens quoque sacculus utilissimè capiti applicabitur. *Sacculus.* ♃. Maj. beth. menthæ, serpilli, saturejæ, ros. rub. an. M. II. spicæ Celticæ p. I. flor. chamæm. aneth. an. M. s. carvi contusi ℥ II. concidantur,

tur, fiat ſacculus, & ebulliat in vini q. s. & expreſſus capiti imponatur.

Ad maculas faciei. *Maculæ liveſcentes aut rubicundæ* relinquuntur in facie poſt morbum Gallicum. Hæ tollantur deleanturque ſequenti liquore crebro illito. *Liquor.* ℞. Aq. plantag. roſar. flor. fabar. an. ℥ III. ſucci Limon. ℥ II. tartari, Olibani, tragacanti an. ʒ I. boracis, mercur. ſublim. an. ʒ s. contuſa bulliant ſimul in olla vitreata ad tertias & colentur, quo confricentur maculæ. Aut ♃. Album. I. ovi, *Linimentum.* quod concutiatur virgulis ut ſpumeſcat, cui admiſce Mercur. ſublim. ʒ s. Camphoræ, Boracis tenuiſſimè pulveratarum an. ℈ II. fiat linimentum, eique admiſce ol. tartari ℈ I. s:

Ad hepatis calorem. *In Epatis inflammatione*, ſecetur vena Epatica, præſcribatur pro potione lac ex 4. ſem. maj. cum aq. cichor. factum: Inungatur dextrum hypochond. ſeq. linimento. ♃. Ol. roſat. nymph. violar. an. ℥ s. mucag. ſem. pſylii cum aceto roſac. factæ ℥ s. ceræ albi parum, fiat unguentum.

Ad urinæ ardorem. *Vrinæ ardor* excitatur aut ex inflammatione & exulceratione renum, aut veſicæ, aut meatuum urinæ per virgam. *Indicia loci affecti.* Si renes ſunt exulcerati, dolent lumbi, & urina purulenta aut pilis referta profluit; ſi vero veſica aut ejus cervix eſt affecta, urina cum anxietate difficulter excernitur, & fæculenta & mucoſa conſpicitur, & dolores in hypogaſtrio ſentiuntur. In virgæ vero exulceratione, pus aut ſanguis cum urina projicitur.

Urinæ ardor ex ſola inflammatione renum, tolli poteſt præſcriptis in inflammatione Epatis remediis. Sed inunctio debet fieri circa lumbos. Quod ſi urina ab exulceratione ardeat, primum utendum eſt, præter inunctionem præſcriptam, remediis *Abſtergentia & lenientia.* abſtergentibus & dolorem mitigantibus, talia autem ſunt hydromeli & lac caprinum. *Refrigerantia.* Poſtea utendum erit refrigerantibus & acrimoniam urinæ temperantibus, qualia ſunt lac ex 4. ſem. & ſem. papav. cum aq. ſolani præparatum. Omnium autem præſentiſſ. *Pulv. trochiſc. Alkekengi.* remed. in omni ardore urinæ eſt pulvis Trochiſc. de Alkekengi, ſi ʒ I. illius cum aq. hordei exhibeatur.

Ad dolores articulorum. *Artuum articulorumque dolores* ex morbo Gallico chirurgi inunctione cum hydrargyro aut Empl. ex cinabari ſuperius deſcripto, tollere conantur. Alii inunctione cum ol. ex gr. juniperi. Nos vero his præferimus, experientia edocti, decoctum ſequens, Epithematis inſtar loco dolenti impoſitum. *Epithema probatum.* ♃. Rad. chinæ ℥ I. s. veronicæ M. I. olibani ℥ I. gran. junip. contuſorum ℥ II. camphoræ ʒ I. s. vini alb. ℔. 4. hæc omnia in duplici vaſe per 2. horas coquantur, fiat Epithema.

Ad fiſſuras manuum ac pedum. *Ragades ſive ſciſſuras ac manuum pedum* perſanat ol. vitrioli ʒ I. & ol. tartari ʒ s. cum ʒ VI. aq. plantag. mixta & ſciſſuris oblinita. *Liquor.* Aut ♃. Vitrioli, tartari, æruginis, *Linimentum.* bacc. lauri an. ʒ I. boracis, mercur. ſublim. an. ℈ I. camphoræ gr. V. axungiæ porcinæ, ſucci limon. & ol. lauri an. ʒ III. ſubigantur diutiſs. fiat unguentum, quo ragades inungantur. Alii ſuffitu cum Trochiſc. è cinabari ſciſſuras curant. Nos his præferimus vaporem vini ſupra candens excrementum ferri conſperſi, *Vapor è ſcoria ferri.* cujus utendi rationem in Impetiginis curatione deſcripſimus.

Ad unguium defluvium. *In morbo quoque Gallico unguium ligamentis putrefactis ungues delabuntur*, quod ubi contingit, ut ungues retineri nequeant, maturandum eſt ut citius decidant. *Cataplaſma maturans.* Imponatur itaque unguibus putreſcentibus cataplaſma ex farina tritici & butyro recenti factum. Maturat enim, & ungues ab eo ſponte decident. Locus autem nudus abſtergatur vino tepido, inungaturque ol. è vitellis ovorum, *Inunctio.* & formentur digitalia ex nova & pura cera, vel ex cera viridi ſigillatoria, digitiſque imponatur, ſub iis novi ſuccreſcent ungues.

Ad bubones Venereos. *Poſt Venerem etiam cum impuris muliérculis, bubones ſive tumores in inguinibus excitantur*, qui bubones Venerei nominantur: in quorum curatione omnium primum imponatur Emplaſt. reſolvens confectum ex *Emplaſtrum reſolvens.* gummi Ammoniaco in ſpiritu vini reſoluto, & ſi tumores non reſolvantur, imponatur Empl. maturativum, videlicet Diachilon, aut ſeq. cataplaſma.

Cataplaſma maturans. ♃. Ficuum pingu. contuſarum, rad. lilior. albor. ſub cinerib. ferventibus cocto-

coctorum & contusorum an. ℥ II. axung. porci, terebinth. an. ℥ I. farinæ tritici ʒ VI. croci ʒ I. ol. lilior. alb. q. s. fiat cataplas. Maturatis tumoribus ferro aperiantur, & pus è vulnere exprimatur, ulcusque hydromel. eluatur & unguenti apost. pauxill. ramento lineo imponatur, & empl. Triaphar. supra ponatur, donec vulnus persanetur, & ad cicatricem deducatur.

Consolidans.

Restat nunc ut breviter & nobilissimæ potionis ex rad. Chinæ & sarmento Indico parandæ & usurpandæ modum & rationem nostram hactenus nemini cognitam, (alii enim longe aliter describunt) tradam: cujus virtute opeque non solum morbos Gallicos & omnia ejus symptomata tutò, facilè, jucundè & perfectissimè cum universæ massæ sanguineæ purificatione curari, sed & alii gravissimi morbi, abscessus, & ulcera putrida, ac virulenta, persanari possunt. De origine vel natali solo, item figura, temperamento & excellentissimis virtutibus horum remediorum in peculiari libello abundè scripsimus. Utriusque autem remedii & chinæ & sarmenti Indici, eadem est præparandi & utendi ratio. Tota autem cum hac potione curatio per 4. septimanas cum duabus ℔. perfici hac ratione poterit.

DECOCTI RAD. CHINÆ ET SARSÆPARILLÆ DESCRIPTIO.

Præstantia hujus Remedii.

Vide Librum experimentorum.

Initio ægroto ipsi vena secetur, primum quidem Epatica dextri humeri, ac triduo post vena talaris externa sinistri pedis. Postea vitiosus humor in corpore redundans, quem peritus Medicus ex colore & habitu corporis facile deprehendere potest, studiosè subducatur, & evacuetur, ut pituitosa quidem excrementa ʒ X. Diaphæn. biliosa ʒ VI. Elect. rosati Mesuæ; melanchol. ʒ X. Diacathol. aut ʒ VII. Diasenæ. Mixti vero humores ʒ VII. confect. hamech. in haust. aq. card. benedicti resolutis, & 6. hor. ante prandium exhaustis.

Processus hujus curæ. Vena sectio. Evacuatio per purgantia.

Purgato corpore deducatur æger in conclave sive hypocaustum mediocriter calidum, in quo per universum curationis tempus se contineat, omnemque afflatum externi aëris præcaveat, & conclave singulis diebus suffitibus odoriferis imbuat.

Hypocaust.

Tandem præscribatur ei tenuis & boni succi & parcissima victus ratio, Venerem fugiat, & alvum laxam semper vel natura vel alimentis vel glandib. vel enematib. habere studeat. Uno ferculo cum aliquo jusculo tam in prandio quam in cœna contentus esse debet. Quanto enim quis parcius vivit, tanto sanitatem consequitur celerius. Alimenta ejus familiaria sint, pruna cum majora tum minora, poma pyraque assata & saccaro conspersa, ova recentia sorbilia, quæ una vice numerum binarium non excedant, lac amygdalinum saccaratum, cremor sive jusculum ex pulmento aut grumo avenaceo aut hordeaceo, juscula carnium bovillæ & gallinaceæ, caro pullorum, caponum, avicularum, perdicum, ovilla, hædina & vitulina. Ex piscibus percæ aculeatæ, & lucii, sed parcissimè concedi debent. Fercula exiguo sale & pulv. cinamomi, & zinzib. condiri, in eisque rad. petroselini & uvæ passæ minores concoqui commode possunt. In potu, excepta secundaria coctura chinæ aut sarmenti Indici per totam curationem nihil prorsus gustabit.

Diæta.

Cibus conveniens.

Potus qualis esse debeat.

His omnibus probe procuratis, potio nobilissima hac ratione conficiatur. Accipiantur chinarum radices aut Sarmenti Indici ℥ II. & china quidem cum crassa sit, in tenues laminas, sarmentum vero quod tenue, & lupi salictarii sarmentis simile est, in particulas minores concidantur, & in cantharum 8. ℔. reponatur, eisque denique 8. ℔. aquæ puræ adfundantur, juncturaque canthari massa farinacea charta oblita obliniatur, & ex eo quidem potio prima sudorifica concoquatur. Eodem ipso tempore ejusdem concisæ radicis accipiatur alia ℥ I. & in alium cantharum ejusdem capacitatis imponatur, & tantundem quoque aq. affundatur, juncturaque ejus similiter obliniatur, & ex hoc secundaria, sive sitim sedans conficiatur potio: in utroque cantharo macerentur per 24. hor. in tepido loco remedia, quibus peractis, utrumq; cantharum in ahenum amplum aqua ferventi plenum colloca, & per duas horas simul coquantur aq. semper bulliente: Tandem exceptis & refrigeratis

Decoctum chinæ & sarsæparillæ ut præparandum.

Decoctum minus pro potu.

ratis cantharis percolentur; & radices ex cantharis exceptæ in loco tepido & mundo rursum exsiccentur. Ex iis enim in minutiora fragmenta concisis dupl. pondere, id est ℥ II. cum 8. ℔. aq. ut prius maceratis & coctis semper deinceps usque ad finem curationis concoquenda est secundaria sive sitim sedans potio. Quin ex iisdem & sudorifica potio dupl. pondere, id est ℥ IV. præscripto modo, si necessitas urget, coqui pararique potest. Non enim vires amittit hoc remedium, vel etiam tertia coctione. Notandum autem ubi 4. ℔. reliquæ fuerint sudorificæ potionis, novam parari debere, macerando & concoquendo modo recitato. Potio autem ad sitim sedandam, quolibet tempore præscripto modo parari potest.

Potio secundaria.

Modus usurpandi nobilissimum hoc decoctum.

Hujus saluberrimæ potionis utendi ratio hæc est. Omni die diluculo, i. e. hora quinta matutina, sudorificæ potionis ℔. I. benè calidam ebibat patiens, & in lecto contectus per 2. horas strenuè sudet, sudoremque calidis linteolis sub tegumentis subinde detergendo, hora 7. sudore absterso surgat, mundoque indusio vestiatur, in hypocausto vel conclavi obambulet, & sua exercitia exequatur, ac tandem hora 9. prandeat, à prandio amicorum dulci colloquio aut Musicis instrumentis aut colludendo se oblectet: tandem circa horam 3. pomeridian. se rursum exuat, & alteram ℔. sudorificæ potionis calidam exhauriat, rursumq; per 2. horas sudet, hora quinta surgat, sexta cœnet, & usque ad nonam colloquio familiarium se oblectet, ac per totum tempus curationis à perturbatione animi omni studio abstineat.

In imbecillioribus.

Porro imbecillioris naturæ hominibus, qui tantum sudoris perferre nequeunt, satis erit matutina sudatio, sed ea curatio longius tempus, 6. nimirum septimanarum requirit.

9. Verruca quid, quæ ejus causæ, & quibus remediis curanda?

Verruca quid.

Ἀκροχόρδων, verruca, est tuberculum ex cute instar monticuli pronatum, subdurum, scabrum & papillis mammarum non dissimile, unde & Germanicam appellationem sortita est, sine ullo dolore: & verruca quidem in omni partium cute oboriri potest, sed in sola facie, fronte & manibus deformitatem infert; excrescit nonnunquam in pisi, ciceris aut fabæ magnitudinem. In inveterata verruca utplurimum pili fruticant, & deformitatem augent.

Causa.

Causæ προηγούμεναι Verrucarum, sunt frigidi excrementosi & mixti ex pituita crassa & melancholia humores, qui ex osculis capillarium venarum sub cute colliguntur. Προκαταρκτικαὶ sunt hæreditaria ex parentibus verrucosis propagatio, creber contactus verrucarum nudo corpore, sanguis ex verrucis expressus & alterius corpori illitus.

Curatio.

Curatio Verrucarum perficitur aut chirurgica industria per evulsionem radicitus, aut topicorum remediorum impositione, quæ Verrucarum radicem exiccare & extinguere valeant.

Chirurgica Fomentatio.

Chirurgica ejus curatio ita peragenda est: primum fomentetur pars verrucosa in calida aqua in qua incoctæ sint rad. alth. malv. flor. chamæm. & meliloti an. ad arbitrii placitum: deinde scalpello caput Verrucæ liberetur à circumjacente cute: tandem funiculo adaptato circumligetur & radicitus evellatur. Aut forcipe obtuso, aut, si cui Galeni modus placet, primoribus dentibus apprehensa evellatur, vulnusque convenienti emplastro imposito aliorum vulnerum instar consolidetur, & ad cicatricem deducatur.

Evulsio.

Inustio.

Saniori autem ratione quidam verrucarum capita auro aut aureo nummo candenti ter quaterque sensim inurunt, & ita facilè Verrucas omnes extirpant, in qua curatione circumjacens cutis lamina ferrea contegatur, per cujus foraminulum caput Verrucæ promineat.

Topica.

Ab ea autem curandi ratione cum delicatiores homines abhorreant, hisce sequentibus topicis radices verrucarum extirpantibus facilior cura institui potest. Porro cum ejusmodi remediorum natura utplurimum caustica sit, & circumjacentibus partibus facilè inflammationem inferre queant, præstat prius per ambitum Verrucæ, cutem omnem sequenti linimento incrustare.

Defensivum.

℞. Boli Arm. terræ sigil. an. ʒ I. conterantur cum q. s. aceti rosac. & aquæ

in li-

in linimenti formam redigantur, & ita capiti Verrucæ remedium imponatur. Primum autem caput Verrucæ profundius ſcalpello vulneretur, ſanguiſque impurus exprimatur, & vulneri inſtillentur gutt. paucæ aut lactis ſive ſucci tithymalli aut ſuc. chelidon. major. aut ol. ſulph. aut ol. Vitrioli, quo ſolo ego ſemper feliciter verrucas ſuſtuli. Aut crebro illiniatur, capitique ejus ſeq. linimentum linteolo exceptum imponatur.

Succi acres.

Linimentum.

♃. Ærug. ʒ I. ſulph. vivi ʒ s. Vitriol. Rom. ℈ I. conterantur cum ſucco calendulæ aut ſucco chelidoniæ major. aut ſi deſint hi ſucci, oxymel. ſcillit. q. s. fiat linimentum, quod linteolis exceptum verrucis imponatur.

Singulare experimentum.

Aut anguillæ vivæ caput abſcindito, ex eoque cruorem manantem verrucis illinito cum eoque confricato. Caput vero anguillæ in terram paulo altius defodito ac ſepelito, quod ubi marceſcere putreſcereq; inceperit, ſenſim verrucæ marceſcunt & evaneſcunt.

10. *Clavus quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quomodo extirpandus?*

Clavus quid.

Ἧλος, Clavus, quod clavorum capiti rotundo ſimilis ſit, *& inſtar clavi locum affectum pungat*, nomen obtinuit, noſtris **ein Leichdorn** / eſt inſtar cornu durum & ſubalbidum tuberculum, in digitis ac plantis pedum obortum, quod ex improviſo contactu, & inter progrediendum acerbos & moleſtos excitat dolores.

Cauſa.

Cauſa ejus προηγουμένη nulla eſt, niſi quod, ubi jam exortum eſt, in lunæ incremento ex affluxu frigidorum humorum & ipſe augetur & moleſtior redditur. Προκαταρκτικὴ ejus cauſa eſt, violenta & diuturna compreſſio anguſtiorum calceamentorum.

Signa.

Signa ſunt notiſſima. Protuberant enim clavi ex articulis digitorum, & plantis pedum, & ubi comprimuntur, acerbiſſimos inferunt dolores.

Curatio.

Curatio clavorum eadem ferè eſt cum verrucarum curatione, nimirum ut vel radicitus evellatur, vel topicorum virtute ejus radix extinguatur. Ubi igitur clavus in cornu duriciem increvit, tum in balneo aut in lavacro aq. calidæ in qua emollientes herbæ ſunt incoctæ, pedes fovendi, ac tandem clavus aut novacula aut cultro acutiori particulatim leniter præcidendus erit. Id enim ſine dolore peragi poteſt, quouſque ad radic. præciſo, ſcalpello radix convulneretur, ita ut ſanguinis nonnihil profluat: deinde in vulnuſculum præſcripta remedia in verrucarum curatione inſtillentur atq; imponantur.

Deſtillatum pro clavis & verrucis abſumendis.

Aut ♃. Salis Armon. vitriol. Rom. æruginan. ℥ II. alum. ℥ I. calcis vivæ ℥ s. aceti ℔ II. Omnibus ſimul reſolutis atque mixtis in vitrea cucurbitula macerentur in balneo Mariæ per triduum, deinde cucurbitæ imponatur capitellum vitreum roſtratum, & ſimul deſtillentur in arena ferventi, qui liquor profluens, ſi aut verrucis aut clavis aut aliis calloſis tuberculis inſtilletur, imponaturque, ea omnia brevi ſpatio extirpat. Utile quoque eſt clavo catapl. imponere ex fimo ovillo ſiccato & in pulv. redacto, & cum q. s. oxymel. ſcyl. mixto.

Cataplaſma.

11. *Vermes capillares ſubcutanei quid, quæ eorum cauſa, quæ ſigna, & qua ratione curandi?*

Vermes capillares **die Harwürm.**

Σκώληκες τριχοειδὲς ἢ ὑποδέρμιδες, vermiculi capillares aut ſubcutanei **die Harwürme** / cujus ſubcutaneæ affectionis ideo mentionem facere placuit, ut Medicinæ ſtudioſis & eruditioribus occaſio præberetur inveſtigandi, quidnam ſint, & quo nomine apud veteres conſignata, & quibus remediis profliganda hæc animalcula. Eorum enim quod equidem ſciam neque Græci, neque Arabes, nec veteres nec recentiores mentionem fecerunt, niſi fortè quis ea ad dracunculi ſpeciem referre voluerit, cujus & Aëtius & Æginetha lib. 4 cap. ult. Galen. lib. 6. loc. affect. meminerunt. Æginetha enim Dracunculos dicit lumbricis ſimilia animalcula eſſe, eaque in muſculoſis partibus brachii & tibiarũ generari ſub cute, & manifeſto motu moveri, & in Æthiopia familiares eſſe. Galenus negat ſe dracunculos unquam vidiſſe, ſed tantum ex relatione aliorũ accepiſſe.

Veteribus incogniti.

Eorum differentia à Dracunculis.

Verum noſtros capillares vermiculos non eſſe Dracunculos certum eſt; Quia nec lum-

lumbricis sunt similes, nec motu manifesto moventur sub cute, sed extremos excitant cruciatus in loco affecto. Aëtius autem dicit, Dracunculos nihil molestiæ inferre, nisi intra cutem discerpti sint. Sicut autem Dracunculi fuerunt proprii & familiares morbi Australibus, in Europa autem olim ignotissimi, *(jam enim satis noti sunt illis qui in Indiam Orientalem navigant, illi enim sæpè iis molestantur)* ita judicamus nostros capillares vermiculos veteribus omnibus & Græcis & Arabibus ignotos fuisse: In Germania autem familiares, & nostris tonsoribus notissimos. Cum enim Medici scriptores eorum nullam fecerint mentionem, eorum curationem tonsores & vetulæ sibi usurparunt, cum non exiguo Medicorum dedecore, quasi solis Græcis rerum investigatio fuerit alligata, & nemini libertas concessa, de novis morbis disserendi, & causam eorum investigandi.

Hypodermides Germanis familiares.

Hypodermides quid.

Sunt autem capillares vermiculi, lanarum similes, qui inter cutem & membranam carnosam generantur, crebrius quidem in carnosis partibus tibiarum, rarius in brachiis, *interdum & in dorsi musculis*, nonnunquam in solis manuum digitis deprehenduntur, ac subinde acerbos dolores in affecto loco concitantes, qui ubi carnosam membranam perforarunt, & musculos occuparunt, tumorem partis affectæ, ac deinde suppurationem inferunt.

Causa.

Causa προηγουμένη procul dubio est humor putrefactus collectus inter cutem & membranam carnosam. Προκαταρκτικὴ est prava victus ratio, putrescentem generans sanguinem.

Signa.

Signa sunt lancinans & erodens dolor in parte affecta, cui processu temporis accedit tumor & suppuratio.

Curatio.

Curatio consistit primum in provocatione vermiculorum per poros cutis, deinde si tumor & suppuratio adsit, per chirurgicam maturationem, tumoris insectionem, absterfionem & consolidationem.

Evocatio vel extractio vermium.

Evocabuntur autem vermiculi capillares extra cutem, si crura aut pars affecta verminosa in vas ligneum aq. probè calida aut lixivio ex querci cineribus confecto plenum collocetur, in eoque per unam aut sesquihoram maceretur quotidie, donec omnes vermes eliciti fuerint, id quod ita dignosci poterit. Fasciculi spicarum vacuatum siliginis ex quibus grana sunt excussa in superficie aquæ cuti partis affectæ filo alligentur. Iis enim vermiculi prorepentes omnes instar lanæ albæ adhærescunt, qui ubi omnes prodierunt, tum nihil tale spicis adhærescere conspicitur. Semper autem post fomentationem, lotionemque partis affectæ, loco affecto cera nova emplastri instar extensa ac moderatè calida imponatur. Habet enim & ipsa cera hujusmodi animalcula proliciendi facultatem. *Alii tale conficiunt emplastrum ad eliciendos hosce vermiculos. ℞. Axungiæ campanarum, mellis, ceræ novæ, picis crassioris q. s. fiat Emplastrum, quod extendatur super linteum crudum, & applicetur calidè sæpius renovando.*

Indicia evocatorum horum hypodermidum.

Emplastrum.

Porro evocatis omnibus vermiculis, si tumor aut suppuratio adsit, maturetur seq. cataplasmate. ℞. Farinæ tritici, hordei an. ℥ 1. hydrom. q. s. coquantur simul agitando ad pultis formam, & tumenti loco crebrò applicetur calidum. Aut

Cataplasma.

℞. Pulv. bacc. lauri, & mellis an. q. s. commisceantur, & instar cataplasmatis tumenti loco imponantur.

Ubi deinde pus maturum & tumor mollior apparet, incidatur locus affectus novacula per longitudinem, pusque omne eximatur, & calido hydromelle eluatur, aliorumque vulnerum modo convenientibus remediis consolidetur, & ad cicatricem deducatur.

Apertio loci suppurati.

Ubi vero vermes capillares in digitis ad radices unguium exorti fuerint, cataplasma ex stercore anserino cum q. s. succi Cardui Mariæ loco affecto calidum crebro imponatur, quod brevi vermiculos extinguit. In Echinis sive capitibus Dipsaci seu virgæ pastoris, si ea per medium scindantur, vermiculi vivi reperiuntur, qui si digitorum tumoribus, aut locis verminantibus vivi alligentur, vermes capillares sua specifica proprietate statim extinguunt.

Hypodermides sub unguibus quomodo extinguendi.

Singulare experimentum.

Huc

Huc meritò referri debet illud genus vermium capillarium, quod in tergo infantulorum & aliis membris carnosis interdum exoritur. Hi vermiculi non tantum intolerabili ardore & pruritu vigilias ac inquietudinem in infantibus excitant, sed etiam alimentarium humorem absumentes in tabem ac maciem eos conjiciunt, unde Miteſſer die zehrende Würme / oder dürre Maden *Germanis dicuntur. Evocantur litu seu inunctione ex melle & farina frumentacea, & postea novacula abraduntur. Qua de re videatur Pareus l. 7. Chirurg. c. 21. in fine.*

Miteſſer.

12. *Vermiculi subcuticulares quid, quæ eorum causa, quæ signa, & qua ratione extirpandi?*

Teredines quid. Σκώληκες ἐπιδερμίδες, Acari, teredines, Nostris die Süren / Johannes de Vigo chirurgus Italicus Syrones vocat. Sunt autem animalcula admodum exigua instar ovorum halecum piscium, sed longe minora, ita ut visum ferè effugiant, colore albicantia cum capitellis nigris, inter cutem & cuticulam generata, quæ serpendo cutem exarant, & exiles & pruriginosas pustulas excitant, & si affecta pars igneo calori propè admoveatur, pruriginem cum ingenti voluptate affecto loco inducunt, ac confricationem postulant, quam subsequitur cruciatus: Ex pustulis autem, unguibus compressis, aquosus humor prosilit.

Causa. Causa προηγουμένη est serosus humor in venarum orificiis in cutem desinentibus contentus ac putrescens. Προκαταρκτικαὶ sunt alimenta serosos humores generantia, & manuum ac pedum absterſio per lintea quibus antea loca ejusmodi scabie affecta fuerunt absterſa.

Signa. Signa sunt pustulæ exiles & pruriginosæ in manibus adultorum, ac infantium pedibus exortæ, quæ si comprimantur, exilit humor aquosus.

Curatio. Curatio duplex est, una vermiculorum evulsio. *Evulsio vermiculi.* Evelli enim possunt cum cuspide acus, si prius cuticula aperiatur. Statim enim albicans vermiculus cum nigro capitello apparebit, qui exemtus, si in tersum speculum imponatur, movebitur per se de loco, & si unguibus comprimatur, instar pediculi strepitum edit. Altera curatio est ejus enecatio. *Enecatio per medicamenta.* Extinguitur autem facile, si locus ol. vitriol. confricetur, aut cum hydrargyro saliva jejuna extincto & cum pauxillo sapone nigro commixto, aut crebra confricatione cum rad. lapatii acuti, per noctem in aceto macerati, aut cum felle bubalo, cui aloës est admixta, & nonnihil auripigmenti.

13. *Lentigo quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo tollenda?*

Lentigo quid. Φακός, lentigo, Celso lenticula, Nostris die Sprötelen oder Sonnenflecken / exiles cutis maculæ ex flavo rubescentes per cutem faciei, manuum & pectoris confertim sparsæ, quæ nil molestiarum, præterquam cutis deformitatem inferunt.

Causa. Causæ προηγουμένη lentiginis sunt crassi vapores sanguinis biliosi per insensilem transpirationem ad superficiem cutis propulsi, ibidemque exsiccati. Eadem enim est materia lentiginum, & rubedinis capillorum. Nam qui rubeos habent capillos, hi plerunque biliosi & litigiosi sunt. Προκαταρκτικὴ est solis calor, qui biliosos sanguinis vapores à centro ad circumferentiam seu superficiem cutis elicit. *Prognostica.* Lentigines ut plurimum in æstate efflorescunt, hyeme vero rursum evanescunt. *Interdum naturales sunt, & tum non facile extirpantur.*

Curatio. Curatio. Celsus dicit, ineptias esse curationem lenticularum suscipere: nos tamen in gratiam studiosorum mundiciei, pauca quædam Topica remedia, quibus lenticulæ aboleri queant, recitare non gravabimur.

Linimentum. ℞. Galbani, salis nitri an. ℥ II. conterantur cum aceto vini, & in linimenti formam redigantur, quo loca lentiginosa vesperi inungantur, & mane cum aq. calida & frustulo panis siliginei rursum abluatur & abstergatur, moxque pauxillo ol. amygdal. amar. inungatur. Aut

Aliud. ℞. Stercor. columbini ℥ I. quod cum aceto acri in linimenti formam redigatur, partes lentiginosæ vesperi cum

eo

eo confricentur ac mane rurſum abluantur. Aut

℞. Pul. rad. Ari. ʒ ii. mellis q. s. conterantur, fiat linimentum, quo lenticulæ illiniantur. *Experimenta ſingularia.* Quin & fabæ aut amygdalæ amaræ aut nuclei cerasorum commaſticatæ, & lenticulis illitæ, eas præſenti auxilio abſtergunt. Idem præſtat, ſi lentiginoſis locis ſanguis albæ gallinæ veſperi illiniatur. Aut mane ac veſperi lentigines inungantur ol. Tartari.

14. *Maculæ cutis quid, quæ earum cauſæ, & quomodo tollendæ?*

Maculæ cutis majores quid. Ἔπηλις, maculæ cutis majores, **Honigflecken/ Mahl oder Sonnenbrandt.** Cutem crebrò maculæ defædant, præcipue faciei, quæ colore aut ſubflavæ ſunt aut ſubnigræ, aut rubicundæ, quæ etſi nil moleſtiæ inferant, virgines tamen & mulierculæ quidvis magis pati volunt, quam faciem aut manus maculis deformatas habere. Cum itaque Mulierculis, ut Celſus monet, cura cultus ſui eripi non poſſit nec debeat; ideo ejus curatio Medico non ſubterfugienda.

Cauſa. Cauſæ macularum cutis προηγούμεναι ſunt, ut de lentigine dictum eſt, vapores craſſi humorum in ſanguinea maſſa prædominantium, ad cutis ſuperficiem per poros propulſi, ibidemque condenſati. Cauſæ προκαταρκτικαὶ ſunt ſolis æſtuantis radii, cutem ferientes, vaporeſque ad ſuperficiem evocantes, & ſordes cuticulæ copioſiores. *Maculæ connatæ.* *Sæpè etiam maculæ connaſcuntur infantibus, quæ* **Müttermahl** *generaliter dicuntur, ſi vel incendio vel vulnere cruento vel murium, alteriuſve rei horribilis aſpectu territa prægnans faciei aliquam partem attigerit, vel res aliqua ſolida & colorata, uti ſunt fraga, ceraſa, mora in faciem ſit projecta, vel ſcintillæ carbonum in faciem proſilierint. Talis enim macula infantis faciei innaſcitur, qualis color fuit rei matrem terrentis vel lædentis.*

Signa. Signa ſunt viſui obvia ac nota. Materia autem vaporum ex colore macularum deprehenditur. Ex impensè refrigerato ſanguine liveſcentes, ex bilioſo flaveſcentes, ex melancholico ſubnigræ, ex pituitoſo ſanguine albicantes progenerantur maculæ. A ſolis autem aduſtione variè maculatur facies, cum aſperitate cutis.

Curatio. Curatio macularum conſiſtit primum in evacuatione prædominantis in maſſa ſanguinea humoris. Quibus autem remediis ſinguli humores & præparandi ad expulſionem & evacuandi ſint, cum in tabellis ſupra traditis, tum paſſim in univerſa curandi ratione abundè traditum eſt. *Coſmetica remedia.* Secundò delentur cutis maculæ abſterſoriis & cutem venuſtantibus remediis, quæ à Medicis coſmetica pharmaca, & comptoria remedia nominantur, quorum hic nonnulla & quæ magis experientia comprobata ſunt, in gratiam mundiciei ſtudioſorum ſubjiciemus.

Ad maculas & rugas cutis balneum. In delendis abſtergendiſque maculis cutis, potiſſ. autem faciei, & explanandis rugis cutis, ita procedi debet. Initio maculoſa habentia corpora in ſudorifico balneo per horam probè ſudare jubeantur, deinde abſterſo ſudore in lavacrum deſcendant aq. cal. in qua incoctæ rad. Bryoniæ, ſigil. Salomonis, Elenii & Althææ, malvæ, brancaque urſina cum rad. & herb. parietariæ flor. cham. cum eiſdemque herb. in ipſo balneo maculoſa cutis ſtudioſè confricetur ac lavetur. *Fomentatio.* Tandem egreſſo ex lavacro confricentur maculæ fol. ceraſorum in cerevifia coctis, aut furfure triticeo cum aceto commixto, aut ſacculo in quo inſutæ ſunt farina fabar. & orizæ in cerevifia tepida madefacto: deinde manè ac veſperi ad nitorem decoremque cuti inducendum, ſeq. topicis remediis quilibet uti poterit poſt ablutionem. *Linimentum cutim nitidam reddens.* ℞. Tartari q. s. quem in fornace figulina in calcem aduſtum in pulverem redigito, & cum alb. ovor. in linimenti formam redigito, maculaſque cutis, potiſſ. faciei eo inungito. Præſtat quoque & omnes maculas cutis tollit, ſi maculæ mane ac veſperi vino abluantur, in quo flor. foliaque recentia roriſmarini ſunt incocta. *Vinum.* Aut ℞. Rad. urticæ q. s. & in vino concoquito, in ejuſque Vini ʒ vi. ſtercoris paſſerini ʒ i. diſſolvito, eoque tanquam linimento veſperi cutem maculoſam confricato. *Linimentum.* Aut

℞. Fa-

Aliud. ℞. Farinæ lupinor. ℥ s. alum. ſaccarini, boracis an. ʒ II. Camphoræ ℈ I. cum q. s. ſucci limon. & fellis caprini, commiſc. fiat linimentum, quo veſperi facies, aut alia pars maculoſa inungatur. Aut

Aliud. ℞. Succi limon. ℥ VI. ſalis ʒ II. commiſceantur, fiat linimentum quo inungatur maculoſa pars. Aut

Deſtillatum venuſtam reddens faciem. ℞. Sulph. vivi ℥ I. olibani, myrrhæ an. ℥ I. s. camph. ʒ I. pulverata macerentur cum aq. roſar. ℔ I. bene obturata per menſem, deinde deſtillentur in balneo Mariæ, & profluens liquor conſervetur in vitro convenienti, qui linteolo exceptus maculoſæ faciei illiniatur, imponaturque, venuſtam enim reddit faciem. Aut

Alius liquor ſtillatitius. ℞. Micæ panis ℔. I. flor. roſarum alb. & rub. fl. nympheæ fabarum, lilior. albor. an. ℥ IV. lactis caprini ℔. II. rad. Iridis Illyr. ℥ I. omnia ſimul commixta, & per octiduum macerata, deſtillentur in balneo Mariæ, cujus liquor faciei illitus eam venuſtam reddit. Aut

℞. Ceruſæ ʒ II. ſal. nitri ʒ I. Camphor. ℈ I. mucag. ſem. pſylii cum aq. roſ. factæ ℥ I. pulv. boracis ʒ II. Camph. ℈ s. quæ ſimul in mortario probè commiſceantur inſtar linimenti, quo facies & aliæ partes maculoſæ ac nigricantes veſperi inungantur: mane vero rurſum aq. calida abluantur. Aut

Liquor rubeus ad pallorem faciei. ℞. Aceti bis aut ter deſtillati ℥ VIII. in quibus per triduum ſandali rub. ℥ s. aut q. s. ad colorem rubeum aceto inducendum, macerentur, & poſt unam & alteram ebullitionem coquantur & percolentur, in quo liquore diſſolvatur ʒ I. alum. & odoris gratia moſchi gr. III. aut olei Angelici gut. V. cum quo inungatur facies. Venuſtam enim rubedinem faciei inducit & pallorem omnem aufert.

Rugæ cutis ut emendentur. Fomentatio. Porrò rugas cutis ita explanabimus. Ferrum nondum uſurpatum candeſcere facito, candentique ferro vinum album inſpergito, vaporemque ex eo excitatum in faciem aut aliam quamvis rugoſam partem pannis obtectam excipito, idque ſæpius repetito, & ſudorem ex vapore excitatum mundo linteolo abſtergito, deindeque eidem candenti ferro pulv. myrrhæ inſpergito, ejuſque fumum eodem modo, ut vaporem vini in faciem excipito. *Ol. myrrha.* Idem præſtat ſi facies rugoſa crebro ol. è myrrha inungatur.

Ad maculas ex ſole. Maculas ex ſolis ardore contractas, & omnem cutis aſperitatem, tollit mucago ex ſem. plantaginis contuſis & tragacanto ſimul in aq. roſar. q. s. maceratis facta, ſi maculis illiniatur.

Cicatrices delentia. Stigmata & cicatrices veſtigiaque vulneris in cute detergit, illitio ol. tartari, aut ol. è myrrha, aut pinguedo piſcium, qui Aſchii nominantur, **Aſſchenſchmaltz** / aut pinguedo anguillarum, *multoque magis ſerpentum.*

Macularum connatarum cura. *Maculæ connatæ autem*, **die Muttermahl oder angeborne mahl** *hiſce remediis raro tolli poſſunt, ſed maxima ex parte ſunt incurabiles. Interdum tamen per cauſtica tolluntur, auferendo cuticulam maculatam, & novam regenerando, vel tangendo maculas ſecundina recente, vel ſanguine menſtruato. Ejus enim attactu interdum evaneſcunt.*

15. *Ambuſtio cutis quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & quomodo curanda?*

Ambuſtio quid. Περίκαυμα, aduſtio, eſt ubi pars aliqua vel igne vel ferventi aliquo liquore, ut ſunt aqua oleum, pix, & ſimiles, vel metallo candenti, liquefactione, aut pulv. nitrato aut bombardico accenſo peruritur, quæ perpetuó cutis exulcerationem, puſtulas, ac acerbiſſimos dolores infert. Ambuſtió autem alia pro materiæ diverſitate, à qua infertur, alia eſt malignior, ſimilibus tamen ferè remediis curari poſſunt.

Cauſa. Cauſa προκαταρκτικὴ (ex ea enim ſola fit ambuſtio, & nunquam ex προηγουμένη) uti jam dictum; eſt aut ignis, aut liquor fervens, aut metallum candens, aut pulvis nitratus.

Signa. Signa ſunt evidentia. Puſtulæ enim excitantur per ſuperficiem cutis, & ſubſequitur exulceratio & acerbus dolor. Materiæ autem varietas ex patientis relatione intelligi poteſt.

Curatio. Curatio ambuſtionis topicis duntaxat medicamentis perficitur, quæ debent eſſe

aut refrigerantia & repercutientia, aut moderatè calida & adustionis calorem elicientia, & in leviuscula quidem & superficiali cutis adustione refrigerantibus, in altius vero penetrantibus adustionibus, calidiusculis & igneam qualitatem ex ulceribus extrahentibus remediis commodius utimur. *Chirurgorum error.* Perperam consulunt patientibus ustionem Chirurgi, si in graviori ambustione statim in initio refrigerantia & repercussiva remedia adhibent. Ab eis enim duplicatur in ulceribus ustionis cruciatus.

Utriusque itaque generis & refrigerantia ad superficialem adustionem convenientia, & moderatè calefacientia inflammationem evocantia remedia, hoc loco seorsim breviter subjiciemus. *Ambusta quomodo tractanda.* Notandum autem in adustionis curatione, vesiculas cutis in ambustione excitatas, primo die non esse pungendas, sed altero aut tertio tantum, idque aurea aut argentea acu, & aquosum humorem lenissima spongia exprimendum esse. Cavendum est præterea, ne ulcera adustionis digitis aut manibus contrectentur, sed remedia pennæ mollioris apice illinienda, aut molliss. linteolis excepta ulceribus imponenda erunt.

Levioris adustionis remedia. In levioribus adustionibus hæc comprobata refrigerantia caloremque in ulceribus extinguentia commodissimè usurpari possunt.

Cataplasma simplex utile. ℞. Ova cruda, cujus albugo & vitellus simul commixta linteolis excepta instar catapl. ulceri imponantur. Hæc enim vesiculæ citam eruptionem cohibent & dolorem statim mitigant. Commodè & unguentum album sive è cerusa cum aq. rosarum camphorata ulceri illiniri potest. Aut

Epithema. ℞. Albumen unius ovi, quod cum q. s. aq. rosar. diu agitando in spumam redigatur, eidemque ℥ s. ol. ros. commisceatur, & linteolis tenuiss. excepta ambusto loco subinde imponatur, donec dolor mitigetur. Aut

Linimentum. ℞. Cort. inter. sambuci minutim concisi ℥ I. aq. rosar. succi solani, plantag. an. ℥ II. aceti rosac. ℥ s. ol. rosar. ℥ II. pulv. mastich. thuris an. ʒ II. coquantur leniter in olla ad liquoris absumptionem, deinde percolentur, & colato oleo addatur ceræ candidæ liquefactæ q. s. & admisceantur cerusæ in aq. rosac. elotæ, tutiæ præpar. an. ʒ II. album. ovorum ℥ s. & diutissimè simul subigantur in mortario, fiat linimentum, quod locis adustis illiniatur, aut linteolis exceptum imponatur.

Experimentum rusticorum. Rusticum utiliss. tamen est remedium, si frustulum calcei antiqui incendatur, & ejus pinguedo in aquam frigidissimam extillare permittatur, eaque pinguedo collecta in aqua rosar. diu multumque subigatur, & loco ambusto illiniatur. Aut

Cerotum. ℞. Ol. rosar. ℥ I. unguenti popul. ℥ s. alb. ovi unius, camphoræ tenuiss. contritæ ʒ s. cerusæ in aq. rosar. lotæ ʒ II. ceræ candidæ q. s. fiat vel linimentum vel cerotum ambustioni imponendum.

Mucilago. Mucilago cort. tiliæ aut sem. psylii aut sem citon. singulatim per se, aut simul omnium in aq. rosar. maceratorum facta, & ambustis locis illita, statim omnem dolorem mitigat & aufert.

Profundioris adustionis remedia. In profundioribus, & valde inflammatis ulceribus, quales fiunt ex plumbeis globis sclopeticis & pulv. nitrato, aut metallis liquefactis, præscriptis refrigerantibus remediis uti tutum non est, sed hisce subsequentibus inflammationem elicientibus, inter quæ primas habet salsilago ex butyro salito collecta, aut muria ex aq. marina & sale confecta, & instar Epith. usto loco imposita. Dolores enim citissimè compescit, inflammationem evocat, & ulcera adustionis consolidat. *Linimentum.* Aut ℞. Saponis nigri, mellis virginei, butyri recentis an. p. æ. subigantur, & instar linimenti aut catapl. ulceri imponantur. Aut

Aliud. ℞. Ol. nucum juglandum, sevi cervini an. ℥ I. liquefacta commisceantur, & cum aq. rosar. subigantur, fiat linimentum.

Epithema. Nihil autem excellentius est, ex ulceribus

bus ambuſtionis flammeum calorem extrahere, quam aqua in qua rapæ ſunt incoctæ, in eaque colata fruſtula calcis vivæ aliquoties ſunt extincta, rurſumque percolata, ſi ea inſtar Epithematis ulceribus aduſtionis linteolis excepta frequenter imponatur. Aut

Cataplaſma. ℞. Vitellos ovorum q. p. & cum q. s. ol. lini commixta inſtar cataplaſmat. imponantur. Aut

Linimentum. ℞. Calcis vivæ in aq. roſacea extinctæ & ter quaterve elotæ q. s. quæ tenuiſſimè pulveriſetur, & cum q. s. partium tamen æqualium, olei roſacei & hypericonis, & albuminum ovorum, conterantur, & in formam linimenti redigantur, ambuſtoque loco imponantur.

Aduſtionis ex pulvere nitrato remedia. Porro in aduſtione ex plumbeo globulo aut pulvere nitrato, igneus calor ſtatim eſt exſtinguendus. Præſtat itaque crebro in vulnus ſuccum ſempervivæ & lentium paluſtrium imponere vel inſtillare: vel mucaginem ex cancris fluviatilibus contuſis, cum aq. roſeacea expreſſam, Epithemat. modo imponere. *Ad cicatrices aduſtionis.* Cicatrici veſtigiiſque aduſtionis delendis, prodeſt veſtigia inungere crebro pinguedine anguillæ aut aſcii piſcis. Aut

Linimentum. ℞. Unguenti Citrini ℥ I. unguenti pomadæ (quorum deſcriptiones & parandi rationes extant in libellis pharmacopœiticis) olei roſacei an. ʒ II. commiſceantur, fiat linimentum. Aut abluantur frequenter aduſtionis veſtigia ſeq. abſterſorio liquore.

Liquor abſterſorius ad cicatrices & maculas. ℞. Sulphuris vivi ℥ I. olibani, myrrhæ an. ℥ I. vitri criſtallini, in calcem aduſti ʒ I. s. camphoræ ʒ s. ſucci limonum ℥ IV. Quibus omnibus ſimul contritis & ſubactis affundantur aq. flor. fabarum, roſarum an. ℔. I. quæ ſimul commixta in tepido loco per menſem macerentur, ac deinde in balneo Mariæ diſtillentur, quo liquore linteola imbuta Epithematis inſtar veſtigiis ulcerum imponantur, qui non ſolum aduſtionis, ſed omnia genera macularum faciei potenter abſtergit. *Vide ſclopetarium Quercetani.*

SECTIO IV.
DE UNGUIUM AFFECTIBUS.

I. *Unguis quid, & quibus morbis afficitur?*

ONυξ, & in plurali ὄνυχες, Ungues ſunt tanquam clauſulæ cutis tendonum, nervorum, venarum & arteriarum ad digitorum extremitates protenſorum. *Ungues quid.* Ex eorum enim concretione originem habent, & mediam ferè naturam conſecuti ſunt inter oſſa & cartilagines. Nutriuntur & ſemper increſcunt ungues inſtar pilorum & in cadaveribus donec omnis colluvies & humiditas ſubjectorum nervorum & tendonum exareſcat. *Quamdiu creſcant.* Non tantum autem digitorum ornamenti gratia ab opifice conditi ſunt ungues, ut Ariſtoteli placuit, ſed ob alias & inſignes utilitates, quas in artificioſa chirurgia, & manuum ope perficiendis operibus præſtant: Præſertim autem in collectione & comprehenſione exiguorum durorumque corporum. *Uſus unguium.*

Afficiuntur autem Ungues ratione ſubjectarum partium & adnatarum, Tumore inflammato, Defluvio vel decidentia, Scabricie & laceratione, contritione ſeu contuſione violenta, & vermiculis capillaribus.

2. *Tumor igneus circa ungues quid, quæ ejus cauſa, quæ ſigna, & qua ratione curandus?*

Παρωνυχία, Latinis Reduvia. *Paronychia quid.* Avicenna, & ipſum imitantes barbariores Medici corrupto & inverſo Græco Vocabulo hoc malum πανaρίζιον vocant, Noſtris Geſchwulſt der Nägel. Eſt autem παρωνυχία abſceſſus ad radicem unguium excitatus, ſeu tumor venenatus partium ungui ſubjectarum & adjacentium, cum extrema inflammatione. Sentitur enim non ſecus ac aduſtio candentis ferri cum intolerabili cruciatu.

Cauſæ. Cauſa προηγουμένη eſt ſanguis fervens & bilioſus, aut venenata ſanies collecta ad partes ungui ſubjectas ibidemque putrefacta. Προκαταρκτικὴ eſt unguis violenta con-

tritio, ſeu compreſſio dolorifica. Dolor enim perpetuo allicit ad ſe humores ex reliquis partibus.

Signa. Signa ſunt manifeſta, ut ex tumore inflammationeque extrema digiti & intolerabili cruciatu facilè cognoſci poteſt.

Prognoſticum. Prognoſticon. Niſi maturè ſuccurratur paronychiæ, digiti reciſionem, & ſæpè mortem minatur.

Curatio. Curatio. Cum ut plurimum in paronychia febris ardens excitetur, præter remedia Topica, & victus ratio tenuis & refrigerans patienti præſcribatur, ac ſi neceſſitas efflagitet, & venæ Epaticæ ſectio, & humoris vitioſi evacuatio, vel cum ʒ VI. Elect. roſati ſolut. Meſuæ & vel tandem cum confect. hamech. in aq. cichorii ſolutis evacuetur. *Venæ ſectio. Evacuatio.*

Topicorum uſurpatio legitima. Topica autem hac methodo applicanda erunt, ut primum adhibeantur igneum fervorem extinguentia, deinde cutem conſtringentia: tertio maturantia & ad ſuppurationem deducentia: poſtremo ulcus mundificantia & conſolidantia.

Refrigerantia & dolorem mitigantia. In initio antequam tumor increſcat, utile eſt partes affectas inungere ſorde ex auribus auriſcalpio excepta. Deinde imflammatio refrigerari debet dolorque mitigari ſeq. remediis.

℞. Mucag. Pſylii cum aceto roſac. factæ ℥ II. cum qua diſſolventur opii Theba. ʒ I. quæ tepida linteoloque excepta inflammato digito imponantur.

Cautè uſurpanda. Cavendum tamen ne refrigerans remedium diu uſurpetur: etſi enim illud ipſum dolorem nonnihil mitiget; tamen paulo poſt exacerbatur, & duplicatur dolor ex ἀντιπεριστάσεως, veluti fit in manibus gelu conſtrictis, ſi calori fornacis vel foci repentè admoveantur.

Fomentatio. Mitigato pauliſper dolore, digitus fomentetur aceto Vini acerrimo tepido, & obligetur panno laneo aceto imbuto: aut ſal uſtum cum ol. roſaceo mixtum & linteolis exceptum loco affecto imponatur: ſtatim enim dolorem diſcutit. Deinde utendum eſt cutem conſtringente & fluxum humorum cohibente cataplaſmate, quale eſt hoc ſequens.

Cataplaſma conſtringens & fluxum cohibens. ℞. Far. lentium, hordei, fabarum an. ℥ I. pulv. gallar. Cortic. granatorum an. ℥ s. Coquantur ſimul cum æ. p. vini rubri & aceti, eiſque admiſc. ol. roſac. q.s. fiat cataplaſma, quod tepidum loco affecto imponatur Aut

Aliud. ℞. Aloës, Balauſt. Gallar. Olibani an. ℥ s. pulverata & ſimul commixta melleq; in cataplaſmatis formam redacta imponantur.

Ab hiſce remediis ſi dolor mitigetur, cum eiſdem procedendum erit; ſi vero magis exacerbetur, ſtatim ad maturantia, & vim ſuppurandi habentia, deveniendum eſt, quod hac ratione confici poteſt.

Cataplaſma maturans. ℞. Pulv. Violariæ, ſem. malvæ an. ℥ s. far. hord. ℥ I. rad. lilior. alb. contuſ. ℥ II. Olibani ℥ s. commixta coquantur cum aq. fluviatili ad pultis formam: deinde admiſceatur vitellus I. ovi, & butyri recent. q. s. fiat cataplaſma.

Apertio tumoris. Maturato tumore extremitas digiti ſecundum longitudinem novacula incidatur, puſque exprimatur, ac vulnus ipſum mundificetur, illito ſeu indito ungu. Ægyptiaco, aut Apoſtolorum, ac tandem Empl. Vulnerariis, qualia ſunt Emplaſtrum Triapharmacum aut Empl. de Minio, conſolidetur & ad cicatricem deducatur. *Conſolidatio.*

3. *Vnguium defluvium ſeu decidentia quid, quæ ejus cauſæ, quæ ſigna, & quomodo curanda?*

Vnguium defluvium quid. Ἀπόπτωσις τῶν ὀνύχων, Unguium delapſio, eſt ubi unguis unus aut plures in digitis, putrefactis ligamentis, & à ſubjectis partibus reſolutis, ſenſim avelluntur ac decidunt.

Cauſa. Cauſa προηγουμένη eſt corrupta & purulenta colluvies ſub unguibus collecta. Προκαταρκτικὴ eſt violenta unguium attritio ſeu compreſſio.

Signa. Signa defluentium Unguium ſunt manifeſta.

Prognoſticon. Prognoſticum. Quibus ungues aut plures aut ſæpè citra προκαταρκτικὴν cauſam, id eſt violentam attritionem defluunt, extremam

tremam humorum putrefactionem, & vel lepram, vel morbi Gallici sævitiam indicant.

Curatio. Curatio. In defluvio Unguium si adsit dolor & inflammatio, omnium primum mitiganda erit, ac si accedat & intumescentia digiti, tumor ad maturitatem reducendus est iisdem remediis, quæ in præcedenti curatione τῆς παρονυχίας descripta sunt: Deinde unguis resolutus à putrescentibus ligamentis & adjacente cute, scalpello liberandus ac sensim abstergendus. Mitigat autem

Cerotum. dolorem, Cerotum ex q. s. Ceræ novæ & ol. ros. simul resolutis, factum, & in aceto rosac. diu subactum digitoque impositum.

Emplastrum. Mitigato dolore, ut vacillans unguis facilius decidat, imponatur Empl. ex Gummi Ammoniaci aut Galbani, in calido mortariolo subactum, & in ceræ mollioris formam redactum. Ubi autem defluens unguis cuti & subjectis tendinibus tenacius adhærescit, scalpello mollissimè liberetur & auferatur.

Ad regenerationem unguium adhibenda. Post sublatum unguem, ut novus citius succrescat, satis erit ex cera nova, quam virgineam vocant, digitalia conficere, & quotidie novum apici digitorum imponere. Porro si aut ex Elephantiasi, aut ex morbo Gallico defluant ungues, ejus curationem ex superioribus earundem affectionum petere licet.

4. *Vermes capillares circa ungues quid, quæ eorum causa, quæ signa, & quæ curatio?*

Vermes capillares sub unguibus. Vermes capillares nonnunquam acerbissimos excitant dolores in digitis circa ungues, nostris **den Harworm in den Fingern** vocant, & ut plurimum paronychiæ adjuncti sunt.

Quid autem & quales sint vermes capillares, & ex quibus generentur causis, quibusve curandi sint remediis, paulò ante inter affectiones cutis explicavimus. Satis erit

Cataplasma singulare ad vermes hosce necandos. hoc loco meminisse, præsentissimum esse remedium in enecandis Vermibus capillaribus digitorum, cataplasma ex fimo anserino, & scobe sive limatura æris seu cupri, aut pauxillo æruginis simul mixtis & cum succo cardui Mariæ confectum crebroque impositum.

5. *Scabricies & scissura unguium quid; quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curanda?*

Τραχύτης καὶ τόμωσις τῶν ὀνύχων, sunt ubi ungues asperi & rugosi redduntur, aut per longitudinem in scissuras lacerantur. *Scabricies unguium quid.*

Causa προηγουμένη est melancholicus humor qui ad nutriendos ungues defluit ibidemque exarescit, & ungues proscindit aut rugosos efficit. Προκαταρκτικὴ causa est unguium adustio. *Causæ.*

Signa sunt conspicua. Prognosticon: Scabri ungues, sicut & defluentes, lepram incipientem minantur, nisi naturale & connatum sit malum, uti in quibusdam observatur. *Prognosticon.*

Curatio scabriciei & scissuræ unguium, quæ ex arido humore originem habet, instituenda est à melancholici & excrementitii humoris debita præparatione & è corpore evacuatione: quorum remediorum copiam in plerisque superioribus locis ac potiss. in lepræ seu elephantiasis curatione abundè præscripsimus. Deinde Topica remedia ungues emollientia & mundificantia applicanda erunt: inter quæ plurimum confert, pulmentum avenaceum cum pulv. radic. althææ & aqua concoctum, & instar cataplasmatis impositum. Aut *Curatio.* *Evacuantia.* *Topica.*

♃. Rad. Symphyti maj. contusæ, pulv. nasturcii, sem. lini an. ad libitum, simul concoquantur & in catapl. formam redigantur, quibus parum mellis addatur, & scabris unguibus applicetur. Aut *Cataplasma.*

♃. Fecis Vini ℥ II. cui commisce pulv. rad. consol. maj. ℥ s. mastic. ʒ III. salis ℥ I. fiat cataplasma, quod tepidum crebro imponatur.

Confert quoque crebra inunctio cum ol. sem. lini cum æ. p. succi seu mucag. ex rad. consol. maj. factæ, commixto. Quin & Empl. ex Gummate cupressi & ping. ovilla factum utiliter imponitur. Item gluten piscium in decocto nucum Cupressi resolutum. *Inunctio.* *Emplastrum.*

6. Unguis contusio seu attritio quid, quæ ejus causa, quæ signa, & quomodo curanda?

Unguium contusio quid. Καταтρίβωσις τῶν ὀνύχων, attritio unguium est violenta compressio & coarctatio unguium, cum partibus subjacentibus. *Causæ.* Causa contusionis unguium est tantum προκαταρκτική. Fit enim ubi ungues inter duo dura corpora violenter comprimuntur.

Signa. Signa sunt evidentia. *Plerumque enim ex effusione sanguinis livorem contrahunt ungues, & intumescunt extrema digitorum.* Acerbissimum etiam dolorem infert contusio, cum subjacentes partes sint exquisitissimi sensus.

Curatio. Curatio contusorum unguium est, ut dolor mitigetur, quod fit, si sanguis sub ungue contuso coactus exprimatur, id quod sine incisione unguium, quæ obliquè fieri debet, perfici non poterit. Verum ubi ungues in minutas partes sunt contriti, post sanguinis expressionem procuranda est suppuratio & unguium ablatio, novorumque regeneratio. Quibus autem remediis peragenda sit suppuratio & novorum regeneratio, paulò ante diximus in curatione defluvii unguium.

Cataplasma ex allio. Confert autem mirum in modum contusis unguibus post sanguinis expressionem, si bulbi allii conterantur & eis imponantur. *Emplastrum.* Aut si Gummi cupressi vel Ammoniaci in calido mortario contritum & in ceræ mollitiem redactum instar Emplastri imponatur. *Ablutio.* Abluantur autem ungues contusi vino rubeo, in quo myrtilli & granatorum cortices sunt incocti, antequam imponatur catapl. aut Emplastrum.

SECTIO V.

DE CONTUSIONE ET DOLORE, QUÆ TAM EXTERNIS QUAM INTERNIS PARTIBUS ACCIDUNT.

1. Præcipitatio, casus sive lapsus corporis humani quid, quæ causa, quæ signa, & quæ symptomata præcipitationem subsequuntur, & quomodo curanda?

Præcipitatio quid. Πτῶσις, præcipitatio est, ubi corpus ob gravitatem ab altiori loco deorsum cadit & collabitur. *Causæ.* Causæ προηγουμέναι sunt improvidentia, imbecillitas potentiæ locomotivę, & spirituū in cerebro perturbatio. Προκαταρκτικαὶ sunt constitutio in loco præcipiti, aut impedimenta locomotivæ à malitia malorum Dæmonum causata, qui vitæ ac sanitati hominum mille struunt insidias & omnibus hominibus ab infantia ipsa periculosos lapsus machinantur, collaque confringere conantur, nisi vigilantia sanctorum Angelorum custodirentur.

Signa. Signa sunt evidentia. In casu præcipiti non una sed plures corporis partes afficiuntur, & varia subsequuntur symptomata cum interna tum externa. *Symptomata ex casu.* Veluti sunt vasorum, id est venarum & arteriarum membranarumque ruptiones, sanguinis è venis profusi in aliqua parte corporis concretio, ibidemque doloris sensus, difficultas respirationis, articulorum dislocatio, & ossium tibiæ crurumque ac humeri præsertim confractio: foris autem partium collapsarum tumor & lividitas.

Curatio. Curatio. Præcipitatis statim succurrendum est, aliàs augentur symptomata. Ac si articulorum contingat dislocatio, aut ossium confractio, statim reponendi ac obligandi erunt, quam curandi rationem in morborum Chirurgiæ subjectorum curatione subjiciemus. Reliqua vero symptomata sequentibus remediis cum internis tum externis, ne augeantur aut increscant, præcaveri, & si adsint profligari poterunt.

Quæ affectiones huc referenda. Ad casum præcipitem quoque referendæ sunt plagæ, aut violentæ verberationes fustibus aut flagris illatæ. Et contusiones ex re aliqua dura & gravi in partem aliquam corporis incidente. Cum autem præceps collapsio cum ex improvidentia tum ex infortunio apud plebejos, aut maximè qui altiora loca conscendunt frequenter contingat, ut plurimum quælibet familia & domus sua peculiaria habet contra præcipitem casum experta remedia, quorum præcipua & ra-

& rationi magis consentanea hoc loco subjiciemus. Sunt itaque usitatiora remedia, veluti, ℞. Unguenti rubei potabilis, cujus descriptio in libellis pharmacopæorum extat ℥ 1. aut s. quod in aceto resolvatur calido, & ebibendum propinetur. Aut ℞. Rad. vincetoxici, succidæ seu morsus Diaboli an. ℥ s. flor. hypericonis, herb. veronicæ, centaur. min. card. bened. Agrimon. an. M s. concisa & contusa in q. s. vini aut cerevisiæ ad tertias concoquantur, in cujus haustulo resolvatur ʒ s. spermatis ceti, & quotidie mane exhibeatur. Aut ℞. Ol. laurini, Terebin. unguenti rubei potabilis an. ℥ 1. commisceantur, ejusque ℥ s. pro una vice in præscripto decocto aut in calida cerevisia resoluta propinetur. Aut

Potiones contra casum.

Pulvis.

℞. Mumiæ, Tormentillæ, lapillorum cancrorum, Rapont. an. ʒ s. spermatis ceti ℈ 11. pulverata commisceantur, cujus ʒ 1. in vino aut aceto exhibeatur. Aut ℞. Rhab. ʒ 1. Mumiæ ℈ 11. rad. rubeæ tinctoreæ ℈ 1. castor. ℈ s. commisc. pulverata, cujus ʒ 1. cum vino rubeo pro una vice bibatur. Vasa enim rupta persanat & concretum cruorem dissolvit.

Remedium vulgare & euporiston.

Cum vero præscripta remedia ad manus non sunt, commune remedium est, si præcipitato ovi vitellum crudum cum aceto concussum ebibendum detur. Prohibet enim concretionem sanguinis. Rustici buphthalmi herbam cum floribus in cerevisia concoquunt & tepidum haustum ejus decocti exhibent, qui omnes obstructiones & sanguinis concretionem ex lapsu dissolvit, vasorumque ruptiones persanat. Est autem Buphthalmus herba digitalis, flores luteos instar calendulæ habens, sed majores, qui postea in pappos vertuntur, quam nostræ Pomeranicæ mulierculæ **Wulfferley** vocant. *Officinis communiter Arnica dicitur, Herbariis Aster luteus; flos enim ille quem buphthalmon vocant, circumquaque alba habet folicula, in medio verò luteus est instar chamomillæ.* Idem præstat pisosella herba cum rad. in cerevisia cocta & bibita. Nautæ in præcipiti casu præsentiss. remed. utuntur, ʒ 1. olei salis marini in calida cerevisia soluta ac bibita, quod illi **Olie van Bayen** vocant. **Bayen** autem illis sal marinum & arenosum dicitur. Quomodo autem hoc oleum ex sale conficiatur, nondum explorare potui.

Decoctum Arnicæ.

Oleum salis marini.

Milites in castris ad violentas plagas casusque præcipites exhibent ʒ 1. aut s. pulv. nitrati bombardici, cum haustulo vini aut aceti aut Cerevisiæ, qui tum ratione nitri, tum carbonis salicis discutit omnem concretum cruorem & colluviem. Nam & carbo tiliæ in pulverem redactus, & exhibitus, per se in casu præcipiti mirum in modum confert.

Pulv. tormentarius.

Carbones tiliæ.

Ætius ex alto præcipitatis nil magis auxiliari scribit, quam si sarmenta Vitis concisa minutim in aqua coquantur, & ejus decocti haustus unus & alter potandus præbeatur: & addit, si haustum hunc æger rejiciat, mortis esse indicium. Qui ex casu violento sanguinem expuunt, iis lixivium ex cineribus sarmentorum Vitis confectum bibendum præbere jubet, ex eoque grumos sanguinis ex casu concretos dissolvi dicit.

Decoctum sarmentorum vitis.

Foris vero loco dolenti ex casu præcipiti primum adstringentia sunt applicanda, veluti sunt Rosæ, Balaustia, cort. granatorum, Myrtilli, & sumach. an. ad libitum, quæ contusa cum vino coquantur, quod linteolis exceptum instar Epithematis imponatur; ac tandem dolens locus inungatur aut unguento Dialthææ, aut oleo laurino.

Topica.

Epithema.

Inunctio.

Vibicibus autem ex violentis plagis verberibusque probè auxiliatur, si statim ovilla pellis recens detracta imponatur. Una enim die ac nocte & vibices ac dolores sedat. Aut imponatur Emplastrum hac ratione paratum.

Singulare ad vibices & plagas remedium.

℞. Calcis Vivæ in aq. rof. lotæ ℥ 111. ol. rof. q. s. Ceræ ℥ 1. s. Ex quibus omnibus artificiosè commixtis, fiat Emplastrum, & quotidie recens imponatur, aut illiniatur seq. linimentum. ℞. Calcis vivæ cum succo solani ter elotæ, ol. rof. q. s. fiat linimentum.

Emplastrum.

Linimentum.

2. *Dolor quid, quibus potissimum accidit partibus, quæ sunt dolorum differentiæ, quæ significationes, quæ causæ, & quibus remediis mitigandi ac tollendi?*

Dolor quid. Ἄλγος ἢ λυπὴ, cruciatus. Omnibus morbis commune symptoma est dolor. Qui enim aliqua in parte corporis affecti, teste Hipp. 2. Apho. 6. dolorem non sentiunt, iis mens laborat. Proinde diligenter considerare oportet Medicum, doloris in morbis species ac qualitatem quantitatemque.

Differentia doloris. Duo autem sunt prima divisione dolorum genera in hominibus, Animi nimirum & corporis. *Animi dolores.* Dolores animi, qui παθήματα Græcis dicuntur, sunt tristitia, mœror, timor, sensus iræ Divinæ, & desperatio, quorum Medicus solus est Spiritus Sanctus, mediante suo verbo, & amicorum solidæ consolationes: de iis nihil hoc loco acturi sumus.

Corporis dolor quid. Dolor corporis & partium ejus, est tristis & molesta dispositio, orta ex subita & vehementi alteratione in sensu tactus. Citra enim tactum impossibile est dolorem fieri, sicuti nec Voluptatem, quæ duæ dispositiones inter se opponuntur.

Subjectum doloris proprium. Excitantur autem dolores potissimum in nervosis partibus. Nervi enim immediata organa sunt tactus. Sunt autem nervosæ partes omnes quæ membranea tunica sunt vestitæ, ut cerebrum, nervi, venæ, arteriæ, musculi & reliqua ferè viscera omnia, ventriculus, intestina, pulmo, epar, lien, renes, ossa, ac potissimum costæ. Membranæ enim non sunt aliud quam nervi expansi. Et in omnibus reliquis partibus accidunt dolores, in quibus insertæ sunt fibræ nervosæ, seu surculi nervorum, ut sunt dentes, musculi & prædicta viscera. *Ubi dolor vehementior.* Et membranæ quidem vestientes viscera quanto sunt crassiores, si lædantur, tanto inferunt vehementiores dolores; & quanto tenuiores, tanto inferunt dolores obscuriores, adeo ut vix sentiatur in eis dolor, ut contingit in pulmonis, jecinoris & lienis affectionibus.

Species doloris variæ. Species dolorum Galenus lib. 2. de locis affect. plures enumerat, sed non omnes scribi posse dicit: ideo & nos dolorum species notiores & magis perceptibiles recitabimus tantum.

Et sunt hæ: Dolor pulsatorius, punctorius, torpidus, gravans seu ponderosus, tensivus secundum longitudinem, tensivus secundum latitudinem, divellens ac lacerans, vagans, terebrans, persultans, ulcerativus, profundus, universalis, & vehemens seu magnus: quorum dolorum causas & significationes subjiciemus.

Duæ generales doloris causæ. Has dolorum species in duas differentias dividit Galenus à causa efficiente sumptas, prima est quæ efficitur ab excellenti & repentina qualitatis calidæ, frigidæ & siccæ in toto corpore aut aliqua corporis parte, alteratione. Altera est quæ excitatur à continuitatis alicujus partis divisione seu solutione aut convulneratione.

Alterationis subitæ causæ. Porro alterationum temperamenti Causæ προηγουμέναι sunt, contrariæ qualitates calidæ, frigidæ aut siccæ: hæque alterant aut per se nudæ, aut vitiosis humoribus contentæ. *Quæ qualitas dolores vehementiores excitet.* Vehementes autem dolores ex calido & frigido excitantur, & ex calore quidem dolor ut plurimum brevior, ex frigore verò diuturnior est. Siccitas autem conjuncta est perpetuò aut frigori aut calori, & per se moderatos excitat dolores, sed magis diuturnos. Humiditas verò per se nullum efficit dolorem, sed per accidens tantùm, ut cum sua copia divellit dividitque partium continuitatem, veluti in hydrope, urinæ obstructione, œdematibus. Προκαταρκτικαὶ causæ temperiem partium alterantes, sunt aëris ambientis intensa vel caliditas vel frigiditas, item squalidior & venenata aliqua qualitate imbutus aër.

Signa causarum dolorificarum. Signa doloris ex calore orti sunt rubedo cutis in loco dolente, & doloris remissio ex frigidi affusione aut applicatione. Ex frigiditate orti doloris signa sunt cutis albedo, vel ex constrictione lividitas, & levamen ex calidi affusione applicationeque, qualitates dolorem concitantes non diu hic solæ permanent. Statim enim excitato dolore, ex aliis partibus attrahunt humores vitiosos aut vapores aut flatulentum spiritum.

Continui Alteram dolorum differentiam concitare dixi-

salutionis causa. diximus, partis alicujus continuæ divisionem sive vulnerationem. Ejus autem divisionis causæ προηγουμέναι sunt 4. humorum in dolente parte collectorum copia, aut vitiosa qualitas, aut vapores acres, aut flatulenti spiritus. Προκαταρκτικαὶ causæ & foris incidentes sunt, ignis, liquor fervens, acies ferri, remedia caustica corpori imposita, & corpora dura ac graviora.

Modus quomodo solutio continui dolorem inferat. Hæc autem divisionis continui causæ dolorem excitat in partium substantia erodendo, ut acres mordacesque humores: distendendo & divellendo, ut copia humorum ac flatuum: rumpendo, ut extensa caliditas & frigiditas: contundendo per graviorum corporum illapsum: incidendo per armorum, gladiorum acutorumque instrumentorum vulnerationem & incisionem: exurendo, per ignis aut liquoris ferventis in corpus illapsionem.

Species doloris quid denotent. Ex specie dolorum & causæ & pars affecta ita dignosci potest.

Pulsatorius. Pulsans dolor arteriarum est proprius, & indicat inflammationem magnam in dolenti parte, qualis contingit in phlegmone, Erysipelate & tumoribus inflammatis.

Punctorius. Punctorius sive pungens dolor proprius est membranis costas & subcostales musculos contegentibus, caloris quoque est indicium, & accidit in pleuritide.

Obtusus. Torpidus sive stupidus & hebes dolor, accidit in carnosa membrana cuti subjecta, quæ ex refrigeratione externa, contusione, partisque alicujus carnosæ compressione generatur.

Gravans. Gravans vel ponderosus dolor, fit ut plurimum in renibus, nonnunquam & in Epate & liene, & excitatur ponderosus dolor in eorum viscerum obstructione à frigidis crassis humoribus, idque ratione membranæ. Nam hæc viscera ratione suæ substantiæ non dolent.

Tensivus secundum longitudinem. Tensivus secundum longitudinem dolor nervis tantùm est proprius, qui in utramque partem nervorum se extendit: talis fit in luxatis vertebris aut vulneratis nervis.

Tensivus secundum latitudinem. Tensivus secundum latitudinem dolor membranis est proprius musculos tegentibus, & excitatur aut à vaporibus, aut flatibus, sub membranis collectis.

Divellens. Divellens similiter in membranis accidit musculis insertis, ex flatibus aut vapore.

Vagans. Vagans & instabilis dolor ut plurimum generatur in majoribus capacitatibus Ventris, uteri & intestinorum, intercapedineque musculorum ex flatibus ibidem collectis.

Terebrans. Terebrans & perfodiens dolor in intestinis ex humoribus frigidis tunicis intestinorum impactis, qualis est pituita vitrea, generatur, & colicis doloribus familiaris est.

Persultans. Persultans dolor in meningibus cerebri contingit, ubi videlicet dolor tanquam ex radice ortus repentè in circumjacentes partes prosilit, à spiritibus flatulentis excitatur in hemicrania & antiquis capitis morbis.

Vlcerosus. Ulcerativus dolor, ut plurimum in cute & subcutaneis partibus, etiam in intestinis ab acrimonia humorum & à vermibus concitatur, dysenteriæque communis est.

Profundus. Profundus dolor in περιοστέῳ, id est membrana ossa vestiente, accidit, & imaginem, quasi ipsa ossa dolerent, aut medulla in ossibus, sensibus offert.

Vniversalis. Universalis dolor est qui se in totum corpus ac potissimum articulos expandit, & vitiosos humores per universum corpus dispersos ad artusque delatos significat: hunc dolorem semper præcedit spontanea lassitudo.

Vehemens. Vehemens seu magnus est qui atrociter & continuè affligit, nullas relinquens inducias, & somnum adimens. Reliquas species doloris à Gal. ex Archigene recitatas, ut obscuriores consultò prætermittimus.

Prognostica. Prognostica in doloribus. Omnis dolor fluxionem concitat, & vitiosos humores ad se allicit. Nihil magis vires prosternit, naturam corrumpit, spiritus & calorem vitalem extinguit, citiusque exitium infert, quam vehemens & continuus dolor: Proinde licet quivis morbus prius debeat curari, ac tandem symptoma; in magnis tamen doloribus symptoma omnem curam Medici primò ad se convertit.

Curatio. Curatio doloris consistit in ejus mitigatione & causarum sublatione, idque tum internis tum externis remediis. Doloris autem curatio 4. perficitur modis pro causarum diversitate. *Indicationes 4.* Primo qualitatis dolorem excitantis in contrariam qualitatem alteratione: Secundo Vitiosorum humorum, qui vel sua quantitate vel qualitate dolorem inferunt, evacuatione: Tertiò infarctorum & densatorum humorum, vaporum aut flatulentorum spirituum emollitione, digestione, resolutione aut ad suppurationem deductione. Quartò indolentiam seu sensuum hebetationem in partes dolentes inductione.

Correctio intemperiei. Primo itaque, si dolor ab aliqua excellenti qualitate est excitatus, contrariæ qualitatis remediis & alimentis cum internis tum externis temperies naturalis partis dolentis est restituenda. Sunt vero adhibenda in dolore calido frigida, & in sicco humida, in humido exiccantia: quorum remediorum copiam in superioribus morborum particularium curationibus enumeravimus.

Evacuatio materiæ dolorem excitantis. Secundò si dolor internus ex continui solutione ab humorũ aut vaporum acrimonia, aut flatuum distensione sit generatus, earum materiarum copia, per venæ sectionem aut convenientibus remediis evacuationem, aut partis dolentis cum calidis linteolis confricationem mitigandus & tollendus erit. In Divisione autem continui in externis partibus, ut sunt vulnus & exulceratio, dolor chirurgicis remediis removendus erit. Remediorum autem evacuantium tum alterantium sylvam ex superioribus, chirurgica autem præsidia infra in postremo libro proposituri sumus. *Chirurgici unde petenda.*

Anodynorum digerentium usurpatio. Tertiò ubi humor vitiosus, flatus aut vapor infarctus & condensatus est in aliqua parte dolente, ut fit in tumoribus, tum remediis temperatis materia dolorum digerenda, resolvenda, discutienda, relaxanda, aut ad maturitatem suppurationemque deducenda est, remediis virtute ejusmodi pollentibus, quorum hoc in loco nonnulla tantum, & usitatiora commemorabimus. Mitigant itaque dolorem contemperatione sua omnia remedia quæ à Græcis Anodyna vocantur, ut sunt Althæa, Malva, Violaria, earumque herbar. radices ac semina, radic. liliorum alb. flor. Chamæm. flor. anethi, flor. meliloti, fænugr. sem. lini, lac bubalum, lac muliebre, butyrum salis expers, medulla panis cum similacei tum siliginei, adeps suillus, anserinus, gallinaceus, item ol. rosar. chamæmel. aneth. amygdal. & similia. Ex quibus commode confici & præparari possunt fomenta, irrigationes, Epithemata, Cataplasmata, pulveres & Electuaria. *Simplicia Anodyna.*

Narcotica. Quarto modo tollitur mitigaturque dolor cum internis tum externis remediis indolentiam & stuporem partibus dolentibus inferentibus, & earum sensum hebetantibus, quæ remedia Græcis Narcotica, id est stupefacientia nominantur, quæ dolores mitigant, aut vehementi refrigeratione, & sensuum extinctione, aut venenata qualitate stuporem inducendo, somnumque conciliando. Sed non temerè Narcoticis remediis præsertim intra corpus, nisi extrema urgeat necessitas, utendum est. *Observandum in usu Narcoticorum.*

Sunt autem præcipua stupefacientia remedia: Ex simplicibus, semper vivum, hyoschyamus, cicuta, mandragora, & papaver, ex quibus folia, radices, semina, flores & succi in usum veniunt: Ex compositis sunt oleum è papavere expressum, ol. hyosch. & unguentum populeum, quæ foris illini & imponi possunt in calidis doloribus.

Opium quid. Inter hæc autem enumerata omnia extremam stupefaciendi & somnum conciliandi facultatem habet Opium. Est autem opium succus à calore concretus & ex capitibus virescentibus papaveris incisis promanans collectus, quo solo & incorrecto & in majori quantitate sine exitio vitæ intra corpus nemo uti potest: præterquam si ex opio glans seu suppositorium formetur, cui filum sit appensum, quod in exulceratione intestinorum & dysenteria, magna cum utilitate ano inferi potest, sed ultra horam intestinis non est immittendum. Si autem non cessaverit fluxus, potest reiterari & rursum inferi. *Usus opii.* Opium autem corrigi potest cum admi- *Correctio opii.*

xtione

xtione castorei, croci, Myrrhæ, & allii, sed in exigua tantum quantitate duorum triumve granorum intra corpus in extremis doloribus propinari potest.

Opiata composita. Ex compositis Opiatis laudatissimum est Philonium Romanum, cujus ʒ I. aut ʒ I. s. cum haust. vini in vehementissimo dolore intestinorum exhiberi possunt. Somnum enim conciliant & indolentiam inferunt. His addi possunt & pillulæ è Cynoglossa, *& Requies Nicolai.*

Laudanum Paracelsi. *Laudanum verò Opiatum Paracelsi quod & Nepenthes à quibusdam dicitur, omnes opiatas compositiones veterum antecellit. Est enim singulare non saltem anodynum, sed etiam confortativum omnium internorum viscerum, si ritè præparetur. Exhiberi autem possunt ejus gr.* IV. V. VI. *ad* X. *pro ratione virium & doloris vehementia. Cumque mira in sedandis doloribus præstet, & ejus compositio admodum variet, nec ubivis obvia sit, præstantiorem hic colophonis loco annectere placuit.*

℞. *Spec. diambræ* ℥ s. *mumiæ electæ* ʒ II. *croci orient.* ʒ I. *cum alcohol vini f. l. a. Extract. Cujus* ℞. ℥ s. *Extr. opii* ℥ I. *Extr. castorei* ʒ II. *misceantur in vase vitreo, postea addantur ol. cinam.* ℈ I. *ol. caryoph.* ℈ s. *magister. perlar. & corall. an.* ℈ II. *ambræ grisea* ℈ I. s. *moschi.* ℈ I. *misceantur f. massa pro formandis pillulis. In fœminis si ejus usus, moschus & ambra omittantur.*

FINIS MORBORUM PARTICULARIUM OMNIUM.



INDEX

In Tomum I. II. III. & IV. Operum JOELIS.

A.

Aurium

F.

Flores

Species

T.

iii

FRAN-

FRANCISCI JOELIS

OPERUM MEDICORUM

TOMUS QUINTUS.

In quo

LIBRI DUO

De

FEBRIBUS & VENENIS

In genere & in ſpecie continentur.

PRÆLOQUIUM.

C*Um Febres omnium morborum inter homines ſint communiſſimi, & maximè familiares; (paucæ ſiquidem affectiones reperiuntur, quibus Febres non ſint adjunctæ, adeo etiam ut in Proverbium abierit,* Vis ſine Febre mori, *in eos, quibus aut gladius, aut laqueus minitatur) idcirco* Febrium differentias, ſpecies & cauſas noviſſe, ſummopere neceſſarium eſt Medico.

SECTIO PRIMA.

DE FEBRIBUS in GENERE.

Febris quid, & ex quali excitetur calore.

Febris quid ſit?

Πυρετὸς, à πῦρ, hoc eſt ab igne, Latinis à Fervore, Febris, eſt calor præternaturalis primum in corde incenſus, & inde per arterias in totum corpus diffuſus, lædens actiones. Ex hac definitione conſtat Febrim morbum eſſe in calida & ſicca intemperie. Extant & aliæ plurimæ Febrium deſcriptiones *apud Gal.* quæ ab hac non diſcrepant. In Febris Definitione calor ponitur pro Genere. Obſervandum autem eſt duplicem, ſeu duplicatum potius eſſe calorem in omnium viventium vegetabiliumque corporibus; Divinum & æthereum unum, Elementarem alterum. Divinus calor ſive æthereus & cæleſtis in prima creatione ab Opifice ſeminibus omnium viventium eſt inſertus, qui non ſenſu ſed ratione & cogitatione deprehenditur, cui nulla Elementaris frigiditas eſt contraria, nec ab ea etiam in excellenti gradu extinguitur, nec alteratur, nec extenditur, diminuiturve niſi poſt ἀκμὴν; ſenſim ætatis decurſu uſque ad extremam ſenectam decreſcit & diminuitur. Ejus caloris beneficio omnia corpora viventia & vegetabilia ex ſemitibus formantur, pronaſcuntur, vegetantur & conſervantur: ejus ope ex ovis ſeu ſeminibus ſerpentis generantur ſerpentes, animalia frigidiſſima; & ex ſemine papaveris aut cicutæ herbæ frigidiſſimæ. Hunc calorem Græci θερμὸν ἔμφυτον καὶ ἔκγονον, id eſt calorem innatum, congenitum & ſeminalem vocant. Hic calor in humido radicali, ſeu primigenio eſt fundatus, & per univerſi corporis ſubſtantiam ſparſus: hujus caloris beneficio poſtquam in animantibus cor eſt formatum, excitatur alius calor, qui Calor naturalis ſeu vitalis & influens ſeu Elementaris nominatur, qui ex aëre attracto & vapore ſanguinis in corde generatur, & cum æthereo calore cordis immiſcetur, in unamque ſubſtantiam redigitur, ac per arterias in totum corpus diſtribuitur, quo univerſum corpus & omnes ejus particulæ vivificantur, & nutriuntur.

Calidum in viventibus eſt duplex.

Hujus caloris ſubjectum eſt ſanguis. Hic calor in corporibus alteratur ſemper, & ex ejus remiſſione frigidi morbi, extenſione vero calidi morbi generantur, qui nimium extenſus & in igneum converſus dicitur Febris. *Hipoc.* calorem nativum & naturalem vocat, ubi inquit: *Qui creſcunt plurimum habent innati caloris.*

Aphor. 14.

Febrium differentiæ & ſpecies, Quæ?

Et veteres & recentiores cum Græci tum Latini in enumeratione differentiarum febrilium ad faſtidium uſque prolixi ſunt, nos quam poſſumus breviſſime omnes febrium ſpecies methodo ὀργανικῇ καὶ διαιρετικῇ contrahemus, & ad duas tantum differentias à propriis earum ſubjectis & accidentiis ſumtas referemus.

Quæ ſint ſubjecta Febrium?

Cum Febris ſit calor præternaturalis, & calor omnis ſit qualitas, & nulla qualitas ſine ſubjecta materia conſiſtere queat, neceſſe eſt febrem omnem in aliqua ſubjecta materia fundatam eſſe. Cum autem univerſa natura humana ex tribus tantum ſubſtantiis inter ſe differentibus conſtet, *Spiritibus*, humoribus & ſolidis partibus, conſequenter omnem febrim ſitam eſſe aut in *Spiritibus*, aut in *Humoribus*, aut in *Solidis* partium ſubſtantiis, aut in his ſimul omnibus.

In Spiritibus quæ Febrium ſpecies excitentur?

Febres in ſpiritibus.

Quanquam & Febris peſtilens ſemper SPIRITUS primum occupet propter analogiam aeris contagioſi, tamen non prius vires ſuas exſerit, niſi (quod citiſſime fit) & humores in corpore putridos afficiat, de qua paulo poſt plura. Proprie autem Febris accenditur in ſpiritibus quam Græci ἐφήμεραν, Latini Diariam vocant. Quæ, ſi æger in victus ratione non delinquat, ſua ſponte intra 24. horarum ſpacium evaneſcit, & extinguitur per perſpirationem inſenſilem, vel per ſudorem. Si vero error committatur in cibo, ac potu & aliis rebus non naturalibus, tum à ſpiritu inflammato & ſanguis in arteriis ebullire incipit, & in Synochon non putridam transmutatur. Quæ & ipſa intra 4. aut ad ſummum 7. dies extinguitur; ſi autem diutius duret, in Synochon putridam, de qua paulo poſt dicemus, degenerat.

In humoribus quæ ſpecies Febrium excitentur.

Maxima pars & fere febres omnes, excepta ἐφημέρα, ex putrefactione humorum excitantur. Quæ omnes humorales & putridæ generali vocabulo nominantur. Putreſcunt autem humores aut in ipſis venis contenti, & generant febres continuas dictas, aut putreſcunt extra venas profuſi, & producunt febres intermittentes, ſive interpolatas. Sunt itaque continuæ & intermittentes febres omnes, ſpecies putridarum febrium. Continuæ febres dicuntur, quæ unicam habent acceſſionem ſeu paroxyſmum, & quæ, etiam ſi pro humorum putridorum natura aut quotidie aut tertio aut quarto die exacerbentur, durant tamen uſque ad terminum ſive finem, & nec frigus nec rigor earum exacerbationes præcedit. Continuarum febrium quædam in eodem vigore durant uſque ad finem, & Græci ὁμότονοι, id eſt, ejuſdem tenoris nominantur. Aut ſtatim ab initio magis magisque augentur, quæ ἐπακμαστικοὶ, id eſt, increſcentes nominantur, aut ſtatim ab initio ſenſim decreſcunt, & παρακμαστικοὶ, id eſt, decreſcentes appellantur. Intermittentes ſeu interpolatæ febres dicuntur, quarum paroxyſmus cum horrore, aut perfrigeratione, aut rigore incipit; & poſt certas horas remittit, & vel quotidie, vel 3. vel 4. die rurſum revertitur. Cum autem 4. ſint in humano corpore humorum ſpecies cum ſuis excrementis, ex eorum ſpecie, 4. præcipua genera putridarum febrium excitantur, ad quas reliquas ſpecies putridarum febrium referri poſſunt, veluti ſunt Synochus in ſanguine putrido, Quotidiana in pituita putrida, Tertiana in bile putrida, & Quartana in humore melancholico putreſcente.

Febres in humoribus.

Febres continuæ.

Febres intermittentes.

Ex

Ex sanguine putrescente quæ species febrium excitentur.

Febres sanguineæ. Cum sanguis reliquis humoribus inseparabiliter sit admixtus, solus sanguis nunquam putrescit, sed aut tota massa sanguinea putrescit, & synochon putridam, quæ improprie febris continens nominatur, producit, aut putrescit tantum ἰχὼρ, id est, serosior pars massæ sanguineæ, quæ naturam habet flavæ bilis, & Tertianam febrim profert; aut putrescit feculentior pars massæ sanguineæ, quæ naturam melancholici humoris obtinet, & Quartanæ speciem excitat, & hæ quidem febres sanguineæ nominantur, & ut plurimum in corporibus Plethoricis contingunt: atque si hæ sanguineæ massæ partes in Venis putrescant, continuas; si extra venas, interpolatas febres generant.

Ex pituita putrescente quæ generentur febres.

Febres Pituitosæ. Si Pituita in ipsa massa sanguinea intra venas putrescat, quotidianam continuam, si extra venas, quotidianam Intermittentem excitat. Quotidianæ febres Græcis ἀμφημερῖναι, & Latinis pituitosæ nominantur. Ad pituitosarum febrium genera referri debet & febris ἐπιαλὸς Græcis, Latinis Epiala, & quæ τυφώδης, id est, madida nominatur.

Epiala. Est autem ἐπιαλὸς febris, quæ ex pituita vitrea seu albuginea generatur cum bile aliqua putrida perfusa, qua laborantes eodem tempore simul & ardent & rigent vehementer per universum corpus.

Typhodes. Τυφώδης autem seu madida febris est ubi ἰχὼρ seu serum pituitæ, quod sudoris est materia, vel extra venas putrescit & ad cutim propellitur, eaque laborantes, continuo sudore madent.

Verum cum sudor aliis quoque plurimis febribus sit commune symptoma, nos eam inter symptomata collocabimus. Crebro etiam pituita putrida commiscetur cum bile putrida, ex qua mistione febres generantur complicatæ, de quibus sequenti quæstione dicam.

Ex bile flava putrescente quæ excitentur Febres.

Ex sola bile intra venas putrescente producitur tertiana continua, quæ Græcis Καῦσος, id est, ardens febris nominatur. *Febres Biliosæ. Causus.*

Ex eadem etiam extra venas putrescente excitatur tertiana pura, sive exquisita intermittens. Si huic putridæ bili aliqua portio pituitæ putridæ sit admixta, tertianam spuriam seu notham generat.

Si vero ea mixtura constet ex æruginosæ præternaturalis bilis & pituitæ, ἡμιτριταῖος, id est, semitertiana excitatur, quæ naturam habet & Quotidianæ & Tertianæ: in qua si processu temporis pituita putrescens asse ratur, Duplicem Tertianam profert, & hæ species febrium biliosæ nominantur. *Hemitritæus.*

Ex Melancholico humore putrescente quæ Febres generentur.

Ex putrescente humore melancholico aut fæculentiori parte sanguinis intra venas, profertur Quartana febris continua: quæ si extra venas putrescat, Quartana interpolata: cujus paroxysmi quarto quolibet die recurrunt, & per duos dies inducias agunt. *Febres Melancholicæ.*

Inter putridas febres recenset *Hipp.* & Quintanam, Sextanam, Septimanam, & Nonam. Sed quia hæ febres in hisce borealibus oris, aut nunquam, aut rarissime conspectæ sint, nos eas in Græciam ad suos autores relegabimus. *Quintanæ, Sextanæ Febres Medicos Boreales non exercent.*

In solidis partium substantiis quæ Febres accendantur.

Tertium subjectum febrium diximus esse solidas corporis partes, in quibus febres excitatæ, difficilimæ sunt curationis. Vastant enim & absumunt in solidis partibus humidum radicale una cum carnosis partibus, & extremam maciem corpori inferunt. Hæ febres in solidis partibus Hecticæ & Marasmi nominantur, nostratibus die Dürre / die Schwindsucht. *Febres solidarum partium quæ Curationis difficilioris. Marasmus.*

Hectica Febris dicitur habitualis, quod nimirum in habitum convertatur adeo, ut laborantes ea, se non sentiant febrire, nec

ex pulsu arteriarum, aut urina deprehendi potest eos Febri laborare, sed ex sola macilentia, & quod post sumptum cibum calor increscit, & ad genas effunditur easque rubore tingit. Similis enim est Hectica febris calci vivæ, quæ ad tactum frigida esse deprehenditur, ubi autem humore perfunditur, igneum vaporem exhalat: Ita in Hectica febre post assumptum cibum igneus vapor excitatur. Duplex autem est Hectica, totalis & particularis. Totalis est quæ universam corporis substantiam occupavit: Particularis vero, quæ ex corruptione alicujus visceris, epatis vel pulmonis excitatur, & in totum corpus diffunditur.

Simile ex C. V.

Hectica, Totalis, Particularis.

Quæ Febris simul hæc tria subjecta, spiritus, humores, & solidas partes, id est totam naturam devastet.

Febris Pestilens. Febris pestilens primum in spiritibus ab aëre pestilenti & venenato per respirationem hausto excitatur, moxque & humores putrefacit, & paulo post humidum primigenium in solidis partibus corrumpit, & brevi temporis spacio totam naturam extinguit. Sementem enim pestiferum à Deo per aerem sparsum non tantum sua putredine, quæ maxima est, sed tota sua substantia naturæ humanæ adversatur, & citissime ac validissime per omnia penetrat: & cum natura huic contagioni reluctetur, plerumque venenum ad adenosas & imbecilliores partes ut collum, axillas & inguina propellit, ibidemque bubones & anthraces excitat.

Quæ Febrium differentiæ sumantur ab Accidentibus.

Febres aliæ per se Morbi; Ex accidenti, Febrium aliæ sunt Morbi, aliæ Symptomata.

Morbi sunt omnia febrium genera, quæ ex causis morbificis, & non ab antecedentibus morbis sunt generatæ, ut sunt putridæ fere omnes.

Aliæ symptomata. Symptomata sunt, quæ ex aliis antecedentibus morbis suut excitatæ, tales sunt febres in Phrenitide, Angina, in Peripneumonia, Pleuritide, Phthisi & ex bubonibus excitatæ.

Febres symptomaticæ. Porro febres symptomaticæ rursum duplices sunt: Aliæ enim ad putridas, aliæ ad Hecticam referri possunt. Ad putridas referuntur quæ ex putrescente aliqua colluvie in cavitatibus viscerum ut ventriculi, uteri, in intestinis & in meatu venæ cavæ aut lienis excitantur, ut cum in ventriculo corruptus cibus in prassinam bilem convertitur, generatur febris tertiana aut Καῦσος. Aut ubi in utero sanguis retentus putrescit, excitat febrim; aut ubi in radice venæ cavæ putrescit sanguinea massa, excitat febrim. Aut ubi in intestinis ex putrida colluvie lumbrici generantur, & ex eorum commotione lenta febris producitur. Ex hisce enim cavitatibus à putredine tetri vapores exhalant ad cor, ibidemque accenduntur & febrim producunt. Ad Hecticæ particularis speciem referuntur febres, quæ ex nuda inflammatione viscerum videlicet, pulmonis, epatis, ventriculi aut uteri excitantur; & hujusmodi febres Græcis λειπυρίαι nominantur, in quibus interiora ardent, exteriora vero frigent. *Lipyriæ.*

Ad particularem quoque Hecticam referuntur febres, quæ ex corruptione substantiæ viscerum, aut aposthematibus aut vulneribus excitantur; ut in pulmone Phthisis, & in Epate continua Hectica.

Quæ vero Græcis Febres Καῦσοι κακοήθεις vocantur, id est, ardentes malignæ, præter has accidentarias differentias febrium, quædam dividuntur in Typicas, quædam in Erraticas. Typicæ Febres sunt, quæ accessionum & remissionum suarum statum & ordinatum tempus servant. Id autem contingit ex æqualitate putredinis. *Febres Typicæ.* Erraticæ sunt quæ nec paroxysmi, (id est, accessionis exacerbationis) nec remissionis suæ ordinarium tempus retinent, cujus rei causa est inæqualitas putredinis, ubi videlicet humor febri subjectus partim putridus, partim putredinis expers est. Rurssum febrium putridarum aliæ sunt simplices & puræ, aliæ complicatæ seu compositæ. *Erraticæ. Causa erraticarum.*

Febres Simplices. Simplices & puræ, quæ ex unico & simplici humore putrescente producuntur, ut sunt

ſunt Tertiana exquiſita, Quotidiana & Quartana ſimplices & Typicæ, hoc eſt, ſuum ordinem ſervantes.

Compoſitæ. Complicatæ febres ſunt quæ ex mixtura duorum aut trium putridorum humorum procreantur, quales ſunt Febris ſemitertiana, Tertiana duplicata, Tertiana ſpuria; pro diverſitate enim commiſtionis, & pro extenſione & remiſſione putredinis humorum, variæ & erraticæ ut plurimum generantur febrium ſpecies. Quas ſingulas ad ſua genera & principales febres naturamque prædominantis humoris putridi in curatione referemus. Hippocrati familiaris eſt diviſio febrium à caloris conſtitutione ſumta. Qua febrium alias mites, alias acres, quaſdam aridas, quaſdam madidas, alias fumoſas, alias vaporoſas ponit. Ex enumeratis febrium ſpeciebus nos ſubſequentium tantum cum ſuis ſymptomatibus curationem tradituri ſumus, ad quas reliquas omnes tanquam ſoboles ad ſuos parentes reducemus. Sunt autem primariæ febrium ſpecies Diaria, ſynochos putrida, Quotidiana, Ardens, Tertiana, Semitertiana, Quartana Hectica, Lipyria & Peſtilens.

Quæ communia ſymptomata febrium ſint comites.

Febrium Symptomata communia. Omnes in univerſum febres gravia comitantur accidentia, quibuſdam plura, in aliis pauciora. Quorum præcipua hæc ſunt, Rigor, capitis dolor, vigiliæ, ſomnus profundus, ſitis intolerabilis, ariditas & ſcabrities linguæ, difficilis reſpiratio, tuſſis, crebra vomitio, appetentiæ proſtratio, virium imbecillitas, animi deliquium.

Antequam ad Febrium methodicam curationem accedamus, paucarum quarundam difficiliorum quæſtionum ad curationem Febrium plurimum conducentium, explicationem breviter proponemus, iisdemque præcipuos Aphoriſmos Hippocratis ad prognoſticon eventuum febrilium facientes ſubjungemus.

Quæ ſint cauſæ quod Paroxyſmi febrium ut plurimum ab horrore, partium refrigeratione, rigore, oſcitatione & pandiculatione incipiant.

Priuſquam cauſas horum accidentium febrilium proponam, breviſſime vocabula hujus quæſtionis, quæ in tractatione Febrium uſitatiſſima ſunt, explicabo.

PAROXYSMUS ſignificat febrium acceſſiones, ſeu invaſiones. Horror, frigus & rigor inter ſe extenſione & remiſſione tantum differunt, & ſunt commotiones corporis ab expultrice facultate excitatæ. *Paroxyſmus, quid?*

Et HORROR quidem, qui Barbaris HORRIPILATIO quoque vocatur, eſt levis & cutanea tantum concuſſio, cum ſenſu alicujus refrigerationis.

FRIGUS ſeu perfrigeratio febris eſt, ubi in initio febris per totum corpus ac maxime in extremis partibus frigiditas ſine concuſſione percipitur. RIGOR in febribus eſt totius corporis, ac præcipue maxillarum ac dentium concuſſio cum vehementi perfrigeratione totius corporis. Rigor quanto major, præſertim circa ſtatum Univerſalem morbi ſeu febris, tanto plerumque faciliora ſunt præſagia: Natura enim tunc luctatur & diſcutit humores.

OSCITATIO eſt muſculorum oris & faciei diſtenſio, craſſos halitus & vapores muſculos gravantes diſcutere conantium.

PANDICULATIO idem eſt in Muſculis Thoracis & totius ſuperioris partis corporis, quod eſt oſcitatio in Muſculis oris, diſtenſio videlicet ab expultrice potentia in Muſculis gravatis excitata.

CAUSÆ porro horum motuum ſunt vapores, fumi & flatulenti halitus à febrili calore ad ſubcutaneas partes propulſi. Quemadmodum enim in furnis ſeu fornacibus incenſis flammam perpetuo præcedit fumus: Ita incenſis in corde vaporibus & halitibus, antequam febrilis calor ad externas partes ſe diffundat, vapor, fumus & flatulenti halitus ab eodem calore & flamma ad ſuperficiem corporis propelluntur, qui per ſenſiles partes, veluti ſunt fibræ & membranæ

branæ musculos involventes, & potissimum carnosa seu subcutanea dicta, membrana, in quibus vapores impulsi refrigerantur ac nonnihil condensantur, ibidemque aliquamdiu hærent, donec flamma febrilis subsequens eos dissolvat & discutiat, per porosque cutis insensibiliter vel sensibiliter propellat. Hi itaque in membranis hærentes ratione suæ densitatis partim, partim tenuitatis ac putrescentiæ & acrimoniæ, horrorem, frigus & rigorem excitant. Halitus autem crassos musculos obsidentes per oscitationem & pandiculationem ante febris invasionem discutere & expellere natura conatur. *Gal. l. 2. de differ. febr.* disputat contra *Platonem & alios quosdam Philosophos,* & negat hæc febrium accidentia frigidas esse affectiones, & alias horum motuum causas reddit; sed nobis hæc rationi & veritati magis consona videntur.

Quæ sint causæ quod Paroxysmi Febrium intermittentium alii quotidie, alii tertio, alii quarto die recurrant.

Circuituum Febrilium causæ. Etsi plurimum cum Græci tum Latini conati sint varietates temporum Paroxysmorum febrilium reddere, uti & nos Tomo primo nostrorum Operum indigitavimus, tamen eorum omnium rationes redargui possunt, & imperfectæ esse videntur; &, ut *Montanus* recte ait: *Non potest alia causa veritati magis consona assignari, quam quod talis sit Natura, & latens proprietas putrescentium in corpore humorum, ut nimirum pituita putrescens quotidie, bilis flava tertio, melancholicus humor quarto die commoveatur, & paroxysmum excitet.* Nam quod de motus humorum facilitate & difficilitate comminiscuntur, veritati non sunt consentanea, cum biliosus humor facilius quam reliqui commoveatur, & tamen non quotidie, sed tertio die suum concitet paroxysmum.

Quæ sint causæ, quod Febrium intermittentium paroxysmi quandoque statam horam anticipent, quandoque tardent & retrocedant?

Paroxysmum febrilem anticipare dicimus, quoniam citius, quam antea ægrotum invadit, ut dum antea 12. hora invaserat, altera vice vel 11. vel 10. vel 9. adoritur. Contra retrocedere dicimus, cum tardius quam antea ægrotantem adoritur, ut cum antea accedebat hora 12. nunc hora 1. 2. 3. aut 4. recurrit. *Anticipare & postponere in Febribus quid?*

Duæ autem sunt harum mutationum causæ, quarum προηγουμένη est humoris putridi inæqualis putrescentia, ejusdemque cruditas & concoctio, crassities & tenuitas. Inæqualiter enim putrefactis & crudis existentibus humoribus, febres semper anticipant, & incrementum ac longitudinem febris significant: contra æqualiter putrefacti humores, aut extenuati & concocti, sive natura, sive remediis retardant paroxysmum, & declinationis ac brevitatis febrium sunt signa. *Quæ causa.*

Προκαταρκτικαὶ seu *externæ causæ* sunt error ac negligentia, vel sedula intemperantia in victus ratione: manifestum enim est, quod febre laborantes si cupiditati suæ obtemperent, & in Tertiana vinum forte largius bibant, aut in Quartana & Quotidiana aquam, Paroxysmum anticipare ac febrim in longius tempus protrahere; & vice versa, qui optima & convenienti diæta in febribus utantur, paroxysmos & tardius recurrere, & febres diminui mitioresque reddi.

Quæ partes principales in putridis febribus singulis præcipue afficiantur.

In omnibus febribus, omnes quidem partes principales afficiuntur: cor quidem ex putridis vaporibus in se accensis; cerebrum ex eorundem vaporum exhalationibus; epar & lien & ventriculus ex æstuantibus putridisque humoribus in eis collectis; sed in specie omnium maxime afficitur ventriculus in Quotidianis & pituitosis febribus. Epar in Tertiana & biliosis febribus: Lien, in Quartana & melancholicis febribus, pulmo & cor in Hecticis. *Viscera quæ in quibus febribus magis laborent.*

Qui Hippocratis Aphorismi potissimum circa febres sint observandi.

Hi nimirum ex quibus de eventibus febrium

brium præſagia ſumi poſſunt, ut ſunt hi ſequentes.

1. *Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres ſolvuntur. 4. Aph. 63.*

2. *Si Rigor incidat, febre non deficiente ægro jam debili, lethale eſt. 4. Aph. 46.*

3. *Febres quæcunque non Intermittentes tertio die fortiores fiunt, magis ſunt periculoſæ. Quæcunque autem intermittunt, periculum abeſſe ſignificant. 4 Aph. 43.*

4. *In febribus intermittentibus ſi partes exteriores frigidæ, interiores vero urantur & ſiti premantur, lethale eſt. 4. Aph. 48.*

5. *In febre non intermittente, ſi labrum vel oculus, vel naſus vel ſupercilium contorqueantur, vel non videat, vel non audiat, jam debili exiſtente corpore, quicquid horum evenerit, mors proxima eſt. 4. Aph. 49.*

6. *Vbi in febre non intermittente difficultas ſpirandi & delirium acciderit, lethale eſt. 4. Aph. 50.*

7. *Quicunque in febribus vel in morbis aliis ſponte illacrymant, nihil abſurdum, qui vero non ſponte, abſurdius. 4. Aph. 52.*

8. *Quibus in Cauſone ſiccæ tuſſes leniter irritantes fiunt, ii non multum ſiti infeſtantur. 4. Aph. 54.*

9. *Ex bubonibus febres omnes malæ, præter Ephemeras. 4. Aph. 55.*

10. *Febricitanti ſudor ſuperveniens febre non deficiente malum, prorogatur enim morbus & multam ſignificat humiditatem. 4. Aph. 56.*

11. *A febre ardenti habito, ſuperveniente rigore, fit ſolutio. 4. Aph. 58.*

12. *Tertiana exquiſita ſeptenis circuitibus, quod longiſſimum eſt judicatur. 4. Aph. 59.*

13. *Quibus in febribus aures obſurduerunt, ſanguis ex naribus fluens aut alvus turbata, ſolvit morbum. 4. Aph. 60.*

14. *Quibus in febribus morbus regius ante diem ſeptimum accidit, malum. 4. Aph. 62.*

Quibus vero ſeptimo, nono vel undecimo vel 14. ſupervenerit, bonum 4. Aph. 64. Niſi dextrum Hypochondrion obduruerit. Schirrum enim ſignificat, Epatis aut obſtructionem, aut magnam inflammationem, quæ periculoſa eſt.

15. *In febribus circa ventriculum fortis æſtus, & in ejus orificio morſus ac dolor, malum 4. Aph. 65.*

16 *In febribus ex ſomnis timores & convulſiones, malum. 4. Aph. 67.*

Omnis ſomnus lædens ægrotum, mortalis eſt, Iuvans vero, ſalutaris. 2. Aph. 1.

Et à ſomno delirium, ſemper peſſimum eſt ſignum. 2. Aph. 2.

17. *Quibus febricitantibus, urinæ ſunt turbatæ, quales ſunt jumentorum, iis dolor capitis vel adeſt vel aderit. 4. Aph. 70.*

Quia ſpiritus flatulenti una cum calore occuparunt cerebrum, perturbatæ urinæ quæ cito reſident in hypoſtaſin craſſam, morbum ſolvi ſignificant: Quæ vero non reſidet, ſed turbata permanet, longitudinem morbi oſtendit, & ſi vires ſunt imbecilles, mortem.

18 *Sudores febricitanti ſi inceperint, boni die tertio, 5. 7. 9. 11. 17. 20. 27. 34. Hi enim judicant morbos; Qui vero non ita fiunt, laborem & morbi longitudinem & recidivam ſignificant; 4. Aph. 36.*

19. *Frigidi ſudores cum acuta febre, mortem, cum mitiori, longitudinem morbi ſignificant. 4. Aph. 37.*

Quâ parte corporis ſudor eſt, ibi ſignificat morbum, 4. Aph. 38.

20 *In febrium acceſſionibus abſtinere oportet. Nam cibum dare noxium eſt. Iis itaque qui per circuitus acceſſiones habent, in ipſa acceſſione abſtinere oportet. 1. Aph. 11.*

Victus humidus febricitantibus omnibus confert. 1. Aph. 16.

Febrium curatio quomodo ſit inſtituenda.

Ut omnium morborum, ita & febrium curatio methodo & certa ratione eſt inſtituenda, via procedendi ſumpta ab indicationibus. *Methodus curandar: febrium.*

Eſt autem indicatio rationis dictamen & demonſtratio, quid in morbo ordine primo, ſecundo, vel tertio loco, & ita per conſequens ſit agendum, exhibendum, aut applicandum pro natura morbi ejuſque conſtitutione.

Dictat autem ratio, in morborum curationibus ægroto primum imperare victus ratio-

rationem morbo contrariam; ſecundo materiam vitioſam concoquendam, & vacuandam eſſe, & partes laborantes corroborandas, ac in univerſum omnem intemperiem contrariis remediis & rerum non-naturalium vocatarum docta adminiſtratione alterandam, ad nativamque temperiem reducendam, & ita methodo perpetuo procedendum erit, niſi tam ſint ſæva & periculoſa morbo adjuncta ſymptomata, ut univerſam ſolicitudinem Medici relicto morbo, ad ſui remotionem vel mitigationem convertant & abripiant.

SECTIO II.

De Febrium in Spiritibus accenſarum curatione.

Diaria Febris quid, quæ ejus cauſa, ſigna, & quomodo curanda.

Febris Ephemera. Ἐφήμερος eſt quæ in tribus ſpiritibus noſtras actiones gubernantibus, vitali potiſſimum, animali & naturali in arteriis contentis incenditur. Eſt itaque proprium Diariarum febrium ſubjectum ſpiritus. ἐφήμερος febris nomen obtinet à tempore durationis, unicam enim habet acceſſionem: *Duratio ejus.* & ſi æger in victus ratione non delinquat, ultra diem naturalem, id eſt 24. horarum ſpacium non durat, ſed ſua ſponte extinguitur. Diariarum autem febrium alia eſt morbus ex ſolis procatarcticis cauſis orta, *Bubones puerorum unde, & ubi excitentur.* & alia eſt ſymptoma, quæ ex bubonibus non venenatis accenditur. Bubones autem ſeu glandularum tumores ut plurimum excitantur in pueris, qui creſcunt, aut excitantur ex tuberculis vel ulceribus, quæ tubercula & ulcera ſi in capite ſint ſita; bubones in collo; ſi in manibus ſint conſtituta, ſub axillis, ſi in pedibus, in ipſis inguinibus, adenarum tumores, qui bubones nominantur, excitat, quos perpetuo febris Diaria comitatur. Tales autem bubones non ſunt pernicioſi; alias autem rata & veriſſima eſt *Hipp. Sententia.* 4. *Aph.* 55. *Febres omnes ex inguinum Bubonibus natæ, malæ; præter Ephemeras*, id eſt per unum diem durantes.

Cauſa. Cauſæ Febrium Diariarum omnes προκαταρκτικαὶ tantum ſunt, inter quas præcipue ſunt ſolis ardentis radii, corpus, ac potiſſimum nudum caput ferientes, & ambientis aëris vehementior caliditas, alimenta ac medicamenta impenſius calefacientia, vini meracioris immoderatior potatio, unguenta oleaque calida nimirum penetrantia cuti inuncta, exercitium ſeu corporis motus laborioſus ac diuturnus, animi ex ira ſeu excandeſcentia commotio, pororum cutis conſtrictio aut obſtructio perſpirationem prohibens. Conſtrictio contingit ut plurimum ex balneis aut lavacris conſtringentibus & aluminoſis. Obſtructio pororum accidit ex inunctione obſtruente, aut ex craſſis tenacibuſque humoribus poris impactis. Diariæ autem quatenus eſt ſymptoma, cauſæ ſunt bubones extuberantes, non tamen venenati, quales in creſcentibus ex ulceribus tuberculiſque obortis excitari diximus.

Ejuſmodi enim Bubones ſemper Diaria febris comitatur, extra iſtas cauſas Bubones perpetuo ſunt ſuſpecti, & ut plurimum venenati; & febres ex iis ortæ, periculoſæ, juxta ſententiam *Hipp.* 4. *Aph.* 55. *Febres omnes ex inguinum Bubonibus natæ, malæ; præter Ephemeras*: aut enim peſtilens virus, aut maxima putrefactio eos excitat.

Signa. SIGNA. Calor febris Diariæ ſemper mitior eſt quam aliarum febrium, pulſus magnus vehemens & frequens, æqualis tamen, urina tenuis eſt & perſpicua, ad albedinem vergens, & propter tolerabilem concoctionem ſedimentum habet inculpabile. Febris Diaria ut plurimum per ſudorem aut madidam exhalationem terminatur; ephemera orta à calore cordis, facies ſquallida & oculi concavi apparent, reliquarum cauſarum Diariæ ſigna, ex ægri relatione deprehendi poſſunt.

Curatio. CURATIO. Si non delinquatur in victûs ratione, ſponte ſua evaneſcit Diaria ſine auxilio Medico poſt 24. horas; & ideo rariſſime

rissime & non nisi in Principum aulis & Gynecæis accersuntur Medici ad curationem Diariarum. Verum ubi Diaria exardescit, curatio ejus consistit in causæ remotione aut ejusdem alteratione; primum itaque debita victus ratione & morbo contraria, refrigerans nimirum & humectans, præscribatur; hujusmodi sunt ptisana, pruna Ungarica acida, pisces Saxatiles, Lactuca cum aceto rosaceo & similes.

In potu præter aquam hordei debet esse Cerevisia clara & natura frigida, ut Brunswicensis. Et si corpus est plethoricum, ac Diaria protrahitur ultra 24. horas, commodissime vena epatica aut media dextri humeri incidi poterit. Si Diaria aut à pororum obstructione, aut à solis ardore & ambientis aëris caliditate sit excitata, præstat laborantem in lavacrum aut balneum aquæ dulcis ducere, nisi corpus sit cacochymicum. Tunc enim evacuatio balneum præcedere debet; post lotionem inungendum est universum corpus *ol. rosar.* cum exigua portione *aceti rosar.* mixto, aut sequenti Linimento: ℞ *ol. Rosar. Nymph. an.* ℥ *ij. ceræ albæ q. s. F. L.* & eluatur cum aceto rosarum. Somnus inter cætera est præstantissimum remedium Diariæ: Vinum quoque tenue & aquosum concedi potest, præsertim, ubi temperamentum ægri non sit biliosum. Vinum enim fumantes spiritus mirifice discutit per halitus. In summa cuilibet causæ contrarium adhiberi debet remedium, labori quies, vigiliæ somnus, repletioni inanitio, in æstu refrigerium, ulceri & tuberculis indeque excitatis Bubonibus persanatio ac discussio, constipationi pororum apertio.

Hipp. 6. Epidem. Sect. 5. v. 32.

Somnus est præstantissimum Diariæ remedium.

Porro si Diaria ultra unum diem perseveret, propter ægri intemperantiam, Diaria in Synochon non putridam degenerat, quæ & ipsa mitis est; & si non peccetur, ultra 4. aut ad summum 7. dies non producitur.

Est autem *Synochus non putrida*, ubi ex spirituum vaporumque inflammatione etiam massa sanguinea in venis & arteriis incalescit & fervescit. Ex iisdem causis, & maxime ex pororum cutis obstructione & errore in ratione victus contingit, idque præcipue in corporibus plethoricis.

Synochus non putrida.

CURATIO hujus febris consistit in venæ Epaticæ aut medianæ sectione, & victus ratione refrigerante & humectante. Commodissimum autem est præsidium sæpe bibere *Syrupum acetositatis citri cum aq. Cichor. mixtum.* commode quoque adhibetur Balneum aquæ dulcis, & inunctio *cum ol. Rosar.*

Spiritus Vitr. & ejusdem Sacharum.

De Febrium in humoribus accensarum curatione.

Alteram Naturæ humanæ substantiam *ex 6. Epidem. Hipp.* diximus esse humores, in quibus nulla accenditur febris, nisi vel intra venas contenti vel extra venas profusi putrescant. Omnes itaque febres in humoribus putrescentibus excitatæ, nominantur febres humorales & putridæ, & ubi humores intra venas putruerint, excitant continuas febres: Extra vero venas putrescentes, interpolatas seu intermittentes. Porro humorum cum suis excrementis 4. sunt genera, sanguis, pituita, bilis flava, & humor melancholicus. Hi pro suæ naturæ & putredinis in ipsis inæqualitate, extensione ac remissione, & inter se commistione varias species putridarum febrium producunt, ut in sequentibus ordine docebimus.

In Sanguine putrescente quæ Febres excitentur?

Per Sanguinis vocabulum hoc loco non sincerus sanguis & purior pars massæ sanguineæ, quæ nunquam nisi cogitatione à reliquis humoribus separari potest, intelligenda est, sed tota massa sanguinea ut in venis continetur & colore rubet. Hæc massa universa putrescens ut plurimum (ceu ex cruore è venis detracto conspicuum est) tres diversas habet partes; Sanguineam substantiam, aquosam, serosioremque partem cruori innatantem, & partem limosiorem fœculentioremque colore nigri-

Unde Febris Sanguinea.

Sanguis habet. 3. partes.

nigricantem & in fundo pelvis subsidentem.

Ubi itaque massa sanguinea putrescat tota, & quidem intra venas, *Synochon continuam*; si vero extra venas, *Synochon interpolatam* excitat; cujus curationem nunc tradituri sumus. Aut ubi serosior ejus massæ pars tantum putrescat, quæ bilis flavæ naturam obtinet, Tertianæ speciem producit; cujus curationem in febribus biliosis sumus dicturi. Similiter si fæx seu crassus limus, qui melancholici humoris naturam habet, putrescat, febrim excitat Quartanæ naturam præ se ferentem: ejus autem curationem in Melancholicis febribus tractaturi sumus. Febris in sanguinea massa excitata, plethoricis corporibus familiaris est, & dicitur febris Sanguinea, vel febris in sanguine.

Sanguinea Febris quid? Quæ ejus causa, signa, & quomodo curanda.

Synochos putrida quid? Συνοχὸς *putrida*, febris Sanguinea, quam & *continentem* quidam appellant, ea est, ubi massa sanguinea intra venas contenta putrescit, & continuam generat febrim. Nam si sanguinea massa extra venas profundatur ibidemque putrescat, per se quidem non febres, sed tumores inflammatos, quos φλεγμόνας vocant, generat; quibus si febris accidat, symptomatica erit: Synochon febrim & Græci & Latini nimium scrupulose distinguunt à Synocha; quam distinctionem commentitiam, cum parum aut nihil faciat ad febrium curationem, & tantum discentium turbet ingenia, nos consulte repudiamus. *Subtiles nimis distinctiones noxiæ.* Porro *Synochos putrida* suam naturam non diu retinet, sed vel in Biliosam, aut Melancholicam, seu in Tertianam, vel Quartanam degenerat.

Causæ προηγούμεναι sunt redundantia sanguinis, seu plethora, & in Epate Chymi putrefactio. προκαταρκτικαὶ sunt alimenta multum sanguinem generantia, putrefactioni tamen obnoxia, ut sunt ova non admodum recentia, fructus horarii cito putrescentes, & pororum cutis obstructio, perspirationem & evaporationem sanguinis prohibens.

SIGNA ex constitutione corporis & colore florido & venarum dilatatione facile dignosci possunt. *Nota.* Prognosticon. In Synocho putrida 4. & 7. dies studiose sunt observandi tanquam Critici, in quibus si concoctio in urina appareat, aut Crisis vel Critica expulsio per narium fluxionem, aut alvi turbationem, aut sudoris eruptionem contingat, certam salutis spem promittit; sin vero nihil tale eveniat, fiet mutatio febris vel in Tertianam, vel in Quartanam.

CURATIO in venæ sectione, victus ratione, remediorumque refrigeratione & putrefactioni resistentium usurpatione inprimis consistit. *Cura.* Initio itaque ante venæ sectionem alvus sequenti *Clystere* à putrida colluvie eluatur: *Clyster.* ℞ *fol. Malvæ, Althæ. viol. lactuc. an. M. j. viol. sic. m. ß. sem. Anis.* ℥ ß. *prun. acid. num. vj. coq. in q. s. aq. ad tertias colati juris accipe* ℔ *j. cui admisc. cass. extract.* ℥ *j. ß. elect. lenit.* ℥ ß. *ol. viol.* ℥ *iij. sal.* ʒ *j. misce.* Fiat enema, quod jejuno existente ægrotante tepidum infundatur.

Aut qui usum Clystæris non ferunt, exhibe *Syr. ros. solut.* ℥ iv. *cum aq. Endiv. mixtas s. q.* Altero die vena vel Epatica vel Mediana dextri humeri incidatur, & sanguis non ad animi deliquium, ut *Galen.* suadet, (quod sane temerarium & periculi plenum est præceptum, præsertim sub climate hoc boreali) detrahatur, sed quantum natura patientis & vires tolerare possunt; præstat itaque, ut incisio venæ post horas 4. denuo reiteretur, & si vires ferant, largius detrahatur. In Synocho enim sive sanguinea febre, detractione Sanguinis vel per venæ sectionem, vel è naribus copiosam eruptionem, nullum est salutarius præsidium: per sanguinis siquidem detractionem putridus sanguis tollitur, obstructio reseratur, & inflammatum corpus refrigeratur; post venæ sectionem si alvus est durior, devorandæ patienti præbeantur ʒX, *pulpa cass. recent.*

cent. extracta, aut mannæ ℥j. ß *in jusculo prunorum dissoluta & colata.* Statim autem in initio febris præscribatur *victus ratio* tenuissima, refrigerans & humectans. In alimento itaque conducunt *Cremor Ptisanæ, pruna Vngarica; Lac. ex 4. sem. major. frigid. & Amygdal. dulc. cum aq. acetosæ confectum*: pisces similiter saxatiles & squammosi cum aceto rosar. conferunt: ita & juscula caponum & pullorum: Quin & Lactuca portulaca, aut Acetosa pauxillo aceto & ol. perfusa concedi potest. In potu conducunt *aq. hord. cum succo Arant. aut granatorum* temperata. Reliqua remedia omnia, quæ exhibentur, debent esse, quæ calorem præternaturalem alterandi, & putrefactionem prohibendi virtute polleant, ut sunt hæc sequentia:

Omnia hæc modice, ne cruditatibus sint causa.

Potio resistens calori & putredini.

℞ *Syr. Acetos. citri, granatôr. è succo Limonum, acetos. an.* ℥j. *Aq. card. benedict.* ℔ i. ß commisce, & manè & vesperi ℥4. aut. v. tepide offerantur: iisdem Syrupis singulis aut simul mixtis & lambendo assumtis etiam sitis mitigari potest. Possunt quoque cum aq. hordei misceri & subinde pitissando gustari, alterant enim calorem, & sitim, ut dictum est, sedant. Ubi vero corpus plethoricum simul seroso sanguinis excremento redundet, sequens haustus commode exhiberi potest:

Spirit. Vitrioli. Spir. Salis absinth.

Potio ad serosum sanguinem.

℞ *Syrup. è Succ. fumar.* ℥i. *Rosar. solut.* ℥ij. *Aq. centaur. minor.* ℥ iiij. *aut loco aquæ decoct. centaur. minor. cardui benedict. & Tamarind.* ℥ *iiij.* misce, & tepida mane exhibe.

At vero si vehementer dilutus ac tenuis sit sanguis, id quod ex crebra eruptione sanguinis è naribus, & substantiæ sanguinis tenuitate deprehendi potest: ℞ *Tamarind.* ℥ *ij. conser. rosar. viol. Boragin. an.* ℥i. *Sem. plantag. Acetos. an.* ℥ ß 4. *sem. frigid. major. an.* ℥ *ij. Sebesten No. x.* Concoquantur simul in duplici vase ad sesqui horam cum *Seri lactis caprini* ℔ *iij.* & fortiter expressa colentur. F. Potio, de qua exhibeantur mane ac vesperi ℥ iiij tepide: interim & corroborationis cordis & spirituum vitalium habenda ratio.

Ex sequenti itaque Electuario crebro q. s. devorandum præbeatur, ℞ *pyror. Moscatell. Condit. Citrinat. cond. an.* ℥ ß. *Radic. cichor. condit.* ʒ vi. Quibus minutim concisis commisceantur *conser. rosar. Borag. buglos. an.* ʒ *iij. specier. Diamargar. frigid.* ʒ *i. Corall. rubr. præparat.* ʒ ß. *Margar. præparat.* ℈*j. Syrup. acetos. Citri q. s.* F. Electuarium. Topica autem remedia hæc commode applicari possunt:

Potionibus commode miscentur Magisteria Flor. Corall. Perlar. & tincturæ eorundem.

℞ *Spec. Diatrion Sant. Diamargar. frigid. ana.* ʒ*j. Corall. rubr. præparat.* ʒ*j.* ß *camph.* ℈ ß. *Aq. Rosar. Endiv. sativ. Boragin. an.* ℥ *iij. Aceti rosac.* ℥ *j. misce.* F. Epithema, quod duplicatis linteolis exceptum modiceque tepefactum regioni cordis atque epatis applicetur. Porro si in febre Sanguinea & plethorico corpore putrefactio sanguinis ex obstructione pororum excitata fit à frigiditate ambiente, id quod ex ægri relatione intelligi potest, præstat ægrotantem statim in initio febris in Baln. aq. dulcis deducere atque lavare, in quo cocta sunt *Mal. Lactuc. viol. & Melilot.* & ablutum corpus *Ol. chamamel.* inungere: alias quotidie & hypochondria spinamque dorsi inungere utilissimum erit subsequenti Linimento:

Curatio ab obstructione pororum.

℞ *Butyri recen. ol. viol. an.* ℥ ß. *Mucag. sem. citon. cum lacte muliebri aut succo Mercurialis paratæ* ℥ *ij. ceræ albæ parum.* F. Linimentum.

De Febribus Pituitosis.

Præter illam naturalem Pituitam, quæ in massa sanguinea habetur, & sapore dulcis est; & quæ à calore nativo concocta in sanguinem convertitur, plura in diversis corporis capacitatibus, veluti in ventriculo, intestinis & cerebro generantur genera, quæ Excrementitiæ nominantur, & quæ pro substantiæ suæ constitutione, qualitate, mistionisque cum aliis humoribus ratione, varios generant frigidos morbos. Sunt autem pituitæ primariæ species, Naturalis & Excrementitia: excrementitiæ rursum species sunt pituita acida, salsa, serosa & vitrea: Quarum differentias novisse

Febres pituitosæ.

Quot species pituitæ excrementitiæ.

 maxime

maxime necessarium est Medico in recta curatione Febrium pituitosarum. Ex illarum omnium enim putrefactione, putridaque earum ad Cor evaporatione generantur pituitosæ febres, quarnm species hæ sunt: Quotidiana continua, Quotidiana intermittens, Quotidiana cruditatis, Epiala, & Lypiria; quarum curationem nunc ordine recensebimus.

Quotidiana continua quid? Quæ ejus causa, signa, & qua ratione curanda.

Quotidiana continua. Ἐφημέρινα, Quotidiana febris est, quæ quotidie recurrit & hominem denuo invadit: Quotidiana autem continua generatur ubi pituitosus humor in ipsis venis putrescit; sed quoniam sola pituita rarissime in venis sine putrefactione totius massæ sanguineæ putrescat, raro Quotidiana continua cotripiuntur homines, sed aliis febrium generibus pro ratione & mixtura putrefactorum humorum inter se commixtorum. *Quotidiana continua rara.* Si autem id contingat ut pituita potissimum in venis putrescat, generat diuturnam & longam febrim, protrahitur enim ejus paroxysmus fere ad 18. horas; Quibus præteritis, reliquæ 6. horæ, quæ debebant esse Quietis, valde sunt laboriosæ; & hinc hæc pituitosa febris etiamsi non sit continua, tamen ob longitudinem nominatur Continua, & sæpe Medicis non satis exercitatis hæc febris Quotidiana hectica putatur esse: Sed differt ab Hectica, quia Hectica corpus exiccat & emaciat: In Quotidiana autem continua corpus est molle, & quasi subtumidum ac spongiosum. *Differentia inter hanc & Hecticam.*

CAUSA προηγουμένη est pituitosus humor intra venas putrescens. προκαταρκτικαὶ causæ sunt alimenta multam pituitam generantia & facilis corruptionis.

SIGNA. Quotidiana continua ut plurimum circa solis occasum cum extensissimo frigore invadit, & noctu magis magisque augetur, ac ut dictum est, protrahitur ad horas 18.

PROGNOSTICUM. Quotidiana continua ut rarior, ita longe periculosior est Quotidiana intermittente. Reliqua causarum signa, & universam curandi rationem in sequenti tractatione de curatione febris Quotidianæ interpolatæ recensebimus.

Quotidiana intermittens quid? Quæ ejus causa, signa, & quomodo curanda.

Quotidiana Febris intermittens est vulgatissima propter ingluviem hominum, & est ex genere pituitosarum febrium naturis pituitosis familiarissima, & debilem habentibus ventriculum, cruditateque laborantibus; cujus paroxysmus quotidie recurrit. Cavendum tamen, ne quis ex quotidiana invasione decipiatur, & temere Quotidianam judicet, nisi pituitæ redundantia adsit: nam & duplicata Tertiana quotidie recurrit, cujus signa & differentias in sequentibus docebimus. *Quotidiana intermittens non rara.*

CAUSA προηγουμένη est pituitosa colluvies putrescens vel in ventriculo vel intestinis, vel in venis Mesaraicis collecta, vel ex cerebro ad subjecta viscera defluens, quæ natura, ut diximus, aut insipida est, aut salsa aut acida, aut serosa ac tenuis; aut crassa crudaque aut vitrea. προκαταρκτικαὶ causæ sunt alimenta cruda, concoctuque difficilia & putrefactioni obnoxia, frigiditas ventriculi & cruditas, otium & desidia.

Proprietates Quotidianæ intermittentis sunt: circa vesperam accessiones habet, non cum rigore, sed cum extensa frigiditate incipit, & ut plurimum horis 18. affligit. In omni Quotidiana ventriculus & epar vehementer debilitantur: Calor febrium Quotidianarum non admodum est extensus, seu æqualis, sed fumosus, calori ignis ex viridibus lignis accensi similis. Febris Quotidiana non ut reliquæ cum sudore desinit, præsertim in initio; sed processu temporis, ubi pituita est extenuata, tum desinente febre, sudor erumpit ex certis quibusdam partibus. Præter hæc signa Quotidianarum sunt, quod paroxysmus quotidie cum vehementi frigore recurrat. Et si ex crassa pituita excitata sit Quotidiana; *Signa.*

na;

na, Urina alba eſt & tenuis, ſed paulatim deinde rubeſcere incipit, & hypoſtaſis craſſior efficitur, ac os ipſum continuo madore eſt perfuſum. Ubi vero putreſcens pituita ſalſa eſt, ſalſedo per linguam percipitur, & continua ariditas linguæ adeſt, & Urina eſt rubea & craſſa, & cum caloris ſenſu ac acrimonia profluit. Si vero ex acida pituita febris ſit genita, Urina alba eſt, & ructus acidi, & deſiderium cibi, non ut in aliis pituitoſis febribus, omnino proſternitur. Pituitæ vitreæ ſigna paulo poſt in epiala febre annotabimus. Præterea in Quotidianarum fere omnium paroxyſmis ut plurimum nauſeæ & pituitoſæ evomitiones excitantur, nullum adferentes levamen.

Curatio.

Curatio Quotidianarum conſiſtit in debita victus ratione, putreſcentis pituitæ concoctione, extenuatione, & ad evacuationem præparatione, & tandem convenienti evacuatione ventriculi, & epatis aſſidua corroboratione, & remediorum ſpecifica proprietate febri adverſantium exhibitione: Porro in Quotidianarum febrium, ſive hæ ſint continuæ, ſive intermittentes, curatione, pituitæ putrefactæ ſpecies, qualitas & ſubſtantiæ ejus conſtitutio omnium primum ſtudioſe cognoſcenda erit, ac inprimis utrum ea ſit craſſa aut tenuis.

Cautio.

Craſſa enim pituita ad ſui extenuationem & concoctionem, & longius tempus & fortiora remedia crebrioreſque evacuationes efflagitat, quam tenuis & aquoſa pituita; quin & in craſſa pituita omnia refrigerantia immoderatè ſedulo ſunt vitanda. Sed in ſeroſa ſalſaque pituita, quæ fere bilis naturam præ ſe fert, moderate refrigerantia, nonnihilque incraſſantia tuto adminiſtrari poſſunt. Vbi itaque craſſa pituita febrim excitavit quotidianam, tum, ut dictum eſt in victus ratione & in remediorum uſurpatione, omnia frigida ſunt vitanda, ut aëris frigida conſtitutio, cibi, potioneſque tam actu quam potentia refrigerantes, & pituitam augentes eamque condenſantes; Item otium ac deſidia; nec illis alimenta ſunt offerenda, niſi in remiſſione Febris. Debent autem alimenta eſſe moderate calefacientia & extenuantia; & in potu quidem conferunt hydromel & vinum tenue moderate bibitum. In Quotidiana continua, cujus materiam in ipſis venis putreſcere diximus, in initio curationis alvus eluatur ſequenti Clyſtere:

Clyſter.

℞ *Malv. Mercur. Parietar. Flor. centaur. minor. an. M ß. ſem. Aniſi, Feniculi, carvi. an. ʒ iij. furfur. tritic. in linteolo ligati. flor. Chamam. anethi an. p. j. Ficuum No. 5. fol. Senn. ʒ ij. conciſa & contuſa coq. in q. s. aq. ad medias, colati juris accipe ℔ j. cui admiſce Hier. ſimpl. Diaphanic. an. ʒ vj. ol. abſinth. Chamam. an. ℥ j. ß. Salis commun. ʒ j. F. Enema, quod tepidum ano infundatur.*

Præſtantior aq. Emetica ex radicibus Raphani & nucum jugland. viridibus cum aceto Vini deſtillatur.

Confert & vomitus ex ℥ vj. aq. junip. per deſcenſum deſtillat. Detracta è ventriculo, inteſtinis, & venis Meſaraicis hac ratione pituita, ſi corpus ſit plethoricum, aut ſi pituita putreſcens in Venis ſit ſalſa, ſeroſa vel acida, venæ epaticæ dextri lateris fiat inciſio, (in craſſa enim pituita vena ſecari non debet) ſed ſanguis minime copioſe detrahatur. ℥ v. nimirum detraxiſſe, ſatis erit:

Nota de venæ ſectione.

poſt ſectam venam, ſi pituita ſit tenuis, levioribus; ſi vero craſſa, fortioribus remediis concoquatur & ad evacuationem præparetur. Leviora remedia ſunt hæc ſequentia:

Potio præparans lenior.

℞ *Radic. Aſparag. Graminis, Fæniculi, Glycirri. an. ℥ ß. ſem. Aniſi, fænicul. an. ʒ iij. capill. Vener. Beton. an. m j. cinam. ʒ ij. paſſ. minim. ℥ j. conciſa & contuſa cum aq. ℔ iij. in duplici vaſe coquantur ad ij. horas.* Deinde per ſe refrigerata colentur; colati juris mane ac veſperi pro ſingulis vicibus accipiantur ℥ iiij. ejuſq. admiſc. vel *oxymel. ſimpl. vel Syr. bizant. vel Syr. de duabus radic. ℥ j ß.* F. Hauſtus, qui per 6. & 7. dies tepidus uſurpetur, donec ſigna concoctionis in Vrina conſpiciantur.

Si Vrina rubicundior & craſſior cum ſubſidentia magis, quam antea appareat, pituita concocta deinde evacuetur ſequenti hauſtulo: ℞ *Diaphanic. Diacathol. an.*

ʒ iv. *Aq. absinth.* ℥ iij. *commisc. F. Haustus*, qui tepidus mane horis 6. ante prandium ebibatur.

Præsentium Remedium non est quam pill. Mercurialium à præparata materia usus.

Fortiora remedia pituitam magis crassam & contumacem extenuantia sunt: ℞ *Rad. apii, fænic. petrosel. pimpinel. Dauci cretic. an.* ʒ iij. *sem. anisi, fenic. an.* ʒ ij. *herbar. hysopi, cardui benedicti, Origani, Rorismar. pulegii. flor. centaur. minor. an. M* ß. *absinthii p. j. passul. minim.* ℥ j. *Cinamom.* ʒ ij. *Zingib.* ʒ j. *Agaric. Trochisc. in linteolo ligati* ʒ ij. *fol. sen.* ℥ ß. *concidenda concidantur, & contundenda contundantur, atque in cantharo cum* ℔ iiij. *aq. coquantur ad* 2. *horas & expressa colentur.* Colati juris mane ac vesperi accipiantur ℥ iiij. eisdemque admisceantur *Syrup. de* 5. *radicibus aut oxymel. scillit. aut Syrup. de Eupatorio* ℥ j. ß. *F. Haustus*, pro singulis vicibus: quo tepido mane ac vesperi utatur æger, donec concoctionis signa appareant. Hæc potio egregie concoquit, & simul pituitam concoctam sensim evacuat; verum si alvus ab hac potione concitatior reddatur, *Agaricus* & *Sena* omitti debent, & reliquis utendum.

Sufficere potest hoc infusum, R. Diacart. fol. sen. an. ℈ *iiij. Zing.* ℈ *j. infunde per noctem in aq. centaur. min. mane cola & utere; adde Spir. Vitriol. gut. vij.*

Extenuata & concocta pars pituitæ subducatur sequenti haustulo: ℞ *Agaric. Trochisc.* ℈ iiij. *fol. sen.* ʒ j. *Zingib.* ℈ j. *Spica Indica* ℈ ß. *contusa macerentur in aq. cardui benedicti aut centaurei minoris* ℥ iv. per horas 24. quæ post calefactionem ad fervorem usque exprimantur ac colentur, colato jusculo admisce *Diacarth. Diaphan. an.* ʒ j. ß. F. Haustus, qui 6. horis ante prandium tepidus exhibeatur. Aut purgetur concocta pituita sequentibus pilulis:

℞ *Mass. pilul. assaiereth. Agarici Trochiscat. an.* ʒ ß. *Trochiscati alhandal. gr.* iij. *salis gemmei gr. ij. ex quibus cum melle rosac. formentur pilul. num.* 15.

Avicenna sequentem pulverem in subducenda *pituita* putrescente vehementer commendat:

℞ *Turbith. optimi* ℈ ij. *Zingib. Mastich. an.* ℈ j. *Sachar. Albissimi* ʒ j. *Misce. F. pulvis*, & propinetur cum haustu hydromelitis.

Idem præstat ʒ j. *pilular. de Agarico.* Quia vero pituita crassa putrescens in Quotidianis febribus simul & semel, vel æqualiter tota nec concoqui nec vacuari potest, præscripta remedia & Concoquentia & Evacuantia iterum reiteranda erunt. Cum autem pituita salsa tenuis sit, & instar Tertianæ extensum excitet calorem, ea sequenti potione ad evacuationem præparari, & nonnihil condensari commode poterit:

℞ *Radic. Asparag. Gramin. Endiv. cichor. an.* ℥ ß. *Glycyrrizæ* ʒ iij. *Semin. 4. frigidor. major. an.* ʒ ij. *Semin. acetosæ plantagin. an.* ʒ j. ß. *Capill. Vener. Plantaginis cum radicibus, Agrimon. an. M.* ß. *passul. minim. Tamarind. an.* ℥ ß. *Cinamomi* ʒ j. *concoquantur cum* ℔ iij. *Aq. in duplici vase, refrigerata colentur, & colato liquori admisce syr. de endiv. bizant. acetos. citr. an.* ℥ ij. *F. Potio*, de qua mane & vesperi exhibeantur ℥ v. tepidæ; exhausta hac potione expurgetur salsa pituita sequenti haustulo: ℞ *fol. sen.* ʒ ij. *Agar. Trochisc. Rhabar. an.* ʒ ß. *aq. Cardui benedicti* ℥ v. macerentur simul per 24 horas, deinde ad fervorem calefiant & expressa colentur, colato juri admisce *Syrup. rosac. solut.* ℥ j. *Diacartham.* ʒ j. F. Haustus, qui mane 6. horis ante prandium exhibeatur: deinde corroboretur Ventriculus & Epar aut *Arantior. condit. corticibus*, aut *Chebulis cond. aut rotulis diarhodon. Abbat.* ante cænam & prandium devoratis, confert & talis Pulvis qui ℞ *Corall. rub. præp.* ʒ j. *Cinam.* ℈ iiij. *Marg. præp.* ʒ ß. *santal. rub. lign. Aloes, Mastich. an.* ℈ j. *sacchar. alb.* ℥ ß. *fiat Pulvis*, de quo bis in die sumatur: foris vero regio Ventriculi & Spina dorsi, & hypochondria mane & vesperi inungantur sequenti linimento: ℞ *Ol. absinth. è mastich. nard. an.* ʒ ij. *quibus admisce ceræ albæ q. s. F. Linimentum*, deinde admisce quoque guttul. 9. ol. vitrioli: commode etiam, præsertim ubi crassa sit pituita, exhiberi potest semel in octiduo ʒ j. *Theriac. Andromachi.*

Si autem Quotidiana ex acida pituita putrescente, quæ tenuis est & frigida instar Melancholici humoris, sit excitata, cujus signa sunt acidæ eructationes, alvi obstructio, dolor frontis & Hypochondrii sinistri, urinaque alba & tenuis, ut antea diximus: Quæ febris nisi scite curetur, transit in Quartanam, & non caret periculo.

In enormibus obstructionibus præsertim Melancholicis semper ex Tartaro Medicina misceri debet.

Ideo statim in initio si corpus est plethoricum, sanguis ex Vena epatica sinistri lateris detrahatur, & altero die vomitio excitetur, aut vino, in quo cortic. Radic. jugland. sunt macerati & cocti. aut cum haustulo aq. Juniperi per descensum destillatæ. Deinde præparetur acida pituita ad evacuationem sequenti potione: ℞ *Radic. Asparag. Fœnic. Cichor. Polypod. Glyzir. an.* ʒ *iij. Sem. Anisi, Fœnic. ana* ʒ *ij. Herb. cetrah. capill. ven. Fumar. an. M. j. Fl. Thymi Centau. min. ana M. S. pass. mi.* ℥ *j. Cinamo.* ʒ*j. s.* concisa in duplici Vase cum ℔ iij. seri lactis caprini ad duas horas coquantur; Refrigerata colentur, colato juri admisc. *Oxymel. simpl. aut syr. acetosit. aut Syr. Fuma.* ℥ *vj. F. potio.* Tandem apparentibus signis concoctionis evacuetur acida pituita sequenti haustulo: ℞ *Elect. Diacathol.* ʒ *x. Resolvantur in* ℥ *v. aq. card. Bened. aut centau. mi. F. Haustus*, qui 6. horis ante prandium tepidus ebibatur. Deinde corroboretur ventriculus aut rot. Diarhod. Abb. tribus, ante cænam & prandium devoratis, aut cortice citri condito, & inungatur foris oleo Mastich. & Nard. cui parum Aceti rosa. sit admixtum. Postea semper ante paroxismum exhibeatur aliquod remedium, quod specifica sua proprietate febri adversetur, quorum præcipua & magis experientiâ comprobata remedia paulo post recensebimus. Præter has species pituitosarum febrium & Quotidianæ naturam æmulantium, supersunt adhuc duo genera, quæ febres sunt Symptomaticæ, quarum altera ex cruda pituita, quæ ex corruptis alimentis in ventriculo generatur, & febris cruditatis nominari potest: Altera vero excitatur ab excrementis pituitosis, quæ ex cerebro ad subjectas partes defluunt, & febris Catharralis nominatur; quarum signa manifesta sunt, nimirum ventriculi gravitas & dolor, & catharrus in gulam decumbens. Utraque autem curatur remotione causæ; & cruda quidem pituita ex ventriculo vomitorio haustulo; defluxio autem cerebri aversione pituitæ, & subductione per palatum cum Gargarismatibus. Et crudæ quidem pituitæ Ventriculi, curationem in tractatu de Morbis Particularibus de curatione cruditatis ventr. tradidimus, similiter & catharri curationem, quæ loca huc transferenda sunt. Demum ante paroxismum exhibendum erit aliquod remedium quod specifica proprietate pituitosis febribus in universum adversetur, quorum nobiliora & experientiâ comprobata paulo post, ubi omnium febrium pituitosarum curationem absolvimus, subjiciemus.

Febris ex cruditate.

Ex catharro.

Epiala Febris quid, quæ ejus causa, signa, & ut curanda.

Epiala. Galenus Epialam ad continuas refert.

Ἠπίαλος πυρετὸς est ex genere pituitosarum febrium & Quotidianarum intermittentium, in qua interiora viscera vehementer frigent, exteriores vero partes calent, & exuri sentiuntur, vel in qua simul corpus alget & calet.

Pituita Vitrea non putrescit. Quomodo existat illa Febris?

CAUSA προηγȣ. Epialæ febris est vitreus seu albugineus humor, qui omnium qui in corpore generantur præternaturalium humorum est frigidissimus, & glaciei similis, & ideo per se non putrescit; nec totus nec ejus aliqua pars, (ut multis videtur) febrim excitare potest per se, sed per accidens, videlicet, obstruendo & adfluentem Chylum corrumpendo; generatur autem vitrea pituita in viscerum aliqua cavitate, ut ventriculi, Intestinis, & Porta vena, rarissime vero in meatibus cerebri; *Collecta in Intestinis non febrim, sed colicum eumque acerbissimum dolorem infert.* In cerebri meatibus, aut si colligatur, Lethargum sive veternum, aut Apoplexiam inducit. Ubi vero in ventriculo aut porta vena colligitur, febrim Epialam excitat.

προκα-

περικαταψυκτικαὶ causæ sunt, alimenta frigida & corruptioni obnoxia, diuturnaque in frigido aëre aut aqua, mora, & conversatio.

SIGNA Epialæ sunt extensi frigoris sensus in internis visceribus, & calor præternaturalis in externis partibus; urina cruda est & aquosa, calor etsi præternaturalis, mitis tamen est, per totum corpus diffusus, acris autem & vehemens in manuum volis & pedum plantis. *Prognostica*. Erratica est hæc febris, quosdam enim quotidie, quosdam tertio, quosdam quarto, quosdam etiam longioribus intervallis affligit. Ventriculus omnium maxime in Epiala afficitur, ejusque vires prosternuntur; ideo non caret periculo, nisi tempestive succurratur.

CURATIO in victus ratione, vitrei humoris per fortiora remedia incisione, concalefactione, extenuatione & evacuatione, consistit, & ventriculi corroboratione. Venæsectio minime est tentanda in febre epiala, alimenta commode aromatibus calefacientibus, & incidentibus condienda erunt; & omnia refrigerantia, maxime autem fructus horarii, studiose fugienda: potus erit aut Hydromeli, aut vinum plenius, ac forte Rhenanum: in principio curationis eluantur Intestina, & subtrahatur pituita ex ventr. & venis Mesar. acri Clystere hac ratione parato: ℞ *fl. centaur. mi. Absinth. chama. Anethi, Melilo. ana. m.* 5. *Menta, Scordii ana. M.* 1. *sem. Anisi, Fænic. an.* ʒ *iij. Carthami* ℥ 5. *concoquantur in q. s. aq. ad tertias*, & in fine cum eisdem ebulliat *pulpa colocinth. in linteolo ligati* ℈ *j.* colentur, & colati juris *accipe* ℥ *x.* In quibus dissolve *Diapha, Hyer. simpl. ana* ʒ *vi. ol. Absinth. Anethin. ana* ℥. 1. 5. *salis* ʒ 1. F. Clyster, qui per Siphonem recto intestino infundatur tepidus; Altero die provocetur vomitio, aut cum ℥ vi. aq. Junip. per descensum destil. aut cum haustu vini in quo rad. Jugl. sunt per noctem maceratæ & ebullitæ. Præclare enim per vomitum pituitosa colluvies è ventriculo exturbatur. *Vomitoria.*

Deinde ventr. subinde corroboretur ante cænam & prandium ventr. inungendo sequenti Linimento: ℞ *Ol. Absinth. Menthæ, Nardi. an.* ʒ *iij. ceræ q. s. F.* Linimentum, cui admisce *gutt. vj. ol. vitr.* Intra corpus autem exhibeatur bis per hebdomadam ʒ *j. Ther. Andrò. cum vino*, aut devorentur ante prandium ac cœnam *iij. rot. Diatrion-pip. Aut. Diacalamenth.* Tandem incidatur & extenuetur vitrea pituita sequenti potione: ℞ *Hysopi, Calament. Origani, Thymi, Satureiæ, Stæchad. Rorisma. Centau. mi. Card. Benedict. ana M. s. Rad. Pimpin. Dauci Cretic. an.* ʒ *iij. zinz.* ʒ *ij. cinam. cardam. ana* ʒ *j.* contusa & concisa coquantur in duplici vase *cum* ℔ 4. *vini Rhena.* per ij. ho: Refrigerata colentur, & colato liquori admisc. *oximeli scillit. Syr. è calam. ana* ℥. 4. *F.* potio, de qua sumantur mane ac vesperi ℥. 4. exhausta potione subducatur pituita qualitercunque concocta validiore catharctico: ut ℞ *Mass. Pill. Hyer. Galen. Troch. de Agar. ana* ʒ *s. Diagrid. gr. iij. formentur pill. num.* 15. quæ in aurora devorentur sex horis ante prandium. Aut ℞ *El. Diapha. Diaturbit. Benedict. laxativ. ana* ʒ *ij. Aquæ cent. mi.* ℥ *iiij.* commisc. F. haust. tepidus sex horis ante prandium ebibendus. Quia vero contumacior sit pituita Vitrea quam ut semel incidi, concoqui, & evacuari queat, ideo præscripta remedia & Clyster crebrius repetenda erunt. Verum cum nostri Boreales homines crebras Syruporum medicamentorumque potiones plurimum aversentur, & si paucis remediis non statim liberentur, Medicum deserant, & artem ejus calumnientur: ego loco potionum exhibere soleo mane ac vesperi, ℥ *ij. aq. cremabilis ex granis juniperi per ascensum distillatæ, pauco sacch. dulcoratæ: aut guttas* 9. *plus minus, pro ratione virium, Ol. Vitri. cum iij. cochlearibus Vini generosi*, quod non tantum crassam & Vitream Pituitam incidit & concoquit, verum etiam putredini & paroxysmis febrilibus resistit. Verum ventriculus in hac febre subinde corroborandus

Insignis hic Spiritus Nitri in aqua Iuniperi.

Nota.

dùs & calefaciendus eſt, devoratis ij. aut iij. *rot. Diatrionpiperion, aut Diacalam*, & foris crebrò inungendus *cum Ol. Nard. & è Menta*: Quibus & nonnihil *aquæ Iuniperi cremabilis* ſit admixtum; Apparente ſigno concoctionis & conſiſtentibus viribus, deduci æger poteſt in balneum aquæ dulcis, in qua concocta ſunt *Menta; Calamenth. Abſinth. grana juniperi contuſa & flores Chamæ.* prodeſt quoque per Hebdomadam ſemel exhibere ʒj. *vel Ther. Andro. vel Aurea Alex. cum vino generoſo.*

Lipyria.

Λειπυρία Febris quid, quæ ejus cauſa, ſigna, & curatio.

Λειπυρία & Græcis & Latinis nominatur Febris Epialæ contraria, in qua interiora viſcera calore exuri, exteriores verò partes vehementi frigore rigere ſentiuntur. Ut autem rariſſima eſt hæc febris, ita valde eſt pernitioſa, teſtificante *Hipp. 4. Aph. 48. In febribus*, inquit, *non intermittentibus, ſi exteriora frigent, & interiora uruntur, & ſitim habent, lethale eſt.* Quam ſententiam *Gal.* de cauſone & Lipyriæ febri interpretatur.

Lipyria ut plurimum pernitioſa.

CAUSÆ. De cauſis Lipyriæ non conſentiunt autores; alii enim bilem flavam, alii pituitam, alii Melancholiam putrefactam in internis viſceribus inflammationem magnam excitare ſtatuunt. Nos eam ad pituitoſarum febrium ſpecies referimus; cauſamque ejus προηγουμένην, Pituitam putreſcentem, non quidem ſimplicem, ſed bile flava putreſcente perfuſam, & in meatibus viſcerum impactam, eſſe conſtituimus: & quidem in ejuſmodi corporum conſtitutione, in qua extremæ Venæ & Arteriæ craſſâ pituitâ ita infarctæ ſunt, ut vapores & fumi in corde inflammati, ad partes exteriores tranſire minimè queant, ſed ad viſcera reverberentur, ut flamma in clibano clauſo. Quæ inflammatio allicit ad ſe ab exterioribus partibus & ſanguinem & ſpiritum vitalem, & inde neceſſariò exteriora frigent; concedimus quidem Lipyriam nonnunquam conſequi etiam phlegmonas, & Eryſipelata viſcerum, ſed non perpetuò.

SIGNA ſunt Urina livida & tenuis, cutis ac faciei color lividus, interiorum viſcerum & præcordiorum intolerabilis æſtus, linguæ ariditas & nigrities, & externarum partium continua frigiditas.

CURATIO. Præſtat huic pernicioſæ febri Medicum manus non admovere; ſi autem omnino curanda ſit, & remediis quidquam tentandum, intra corpus quidem refrigefactioni & putrefactioni adverſantia ſunt adhibenda; extra verò, poſt partium frictionem calefacientia, & poros aperientia ſunt inungenda & applicanda. Refrigerat autem & putrefactioni reſiſtit potio *ex ℥iij. Syr. acetoſ. citri, aut Violæ. cum ℥ xij. aq. Cardui Benedicti* mixtis & crebrò bibita. Poros verò aperit & exteriora recalefacit *Oleum Anethi & Irini ana ℥ ſ. cui ʒ j. ol. Vitr. aut ʒ ij. aq. Iuniperi cremabilis* ſunt admixtæ. Hæc de pituitoſarum febrium curatione Tyronibus Medicinæ obſervaſſe ſatis eſſe judicamus. Nunc reſtat ut pauca remediorum genera, quæ tum primis qualitatibus ſuis, tum latentibus proprietatibus omnibus pituitoſis febribus auxiliari experientiâ didicimus, ſubjungamus. Poſt concoctam & evacuatam putreſcentem pituitam, (quod una vice ut diximus perfici non poteſt,) præſtat ſemper una hora ante paroxyſmum gutt. 9. aut 11. uſque ad guttas xv. pro ratione virium & ætatis, *ol. Vitr. aut tinctura corall. cum tribus aut quatuor cochlearibus Vini exhibere*; Quæ non tantum in pituitoſis, ſed & in aliis febribus à putrida humorum colluvie ortis plurimum confert: Concoquit enim & abſumit putreſcentem materiam, omnes obſtructiones tollit, ſitim ſedat, & febribus ipſis occulta qualitate reſiſtit. Utiliſſimum quoque eſt ʒ1. *aut pul. herb. Card. Benedict. cum radicibus*, aut ſequentis pulveris noſtri cum tepida cereviſia quinquies ante paroxyſmum exhibere. ℞ *Folia Card. Benedicti Viſci quercini, flores centaur. mi. an.* ℈ *iiij. Coral. rub. cor*

Addito ſpiritu Sulphuris & nitri.

Empirica.

Pulvis Cardui bened.

cervi usti ana ʒ ß. *commiss.* F. pulvis & in quinque partes dividatur. Aut exhibeantur ante paroxysmum ℥ *ij. succi Eupatorii officinarum cum* ℥ ß. *Mel. rosa.* mixti. Foris autem prodest omnibus pituitosis febribus spinam dorsi, carpos manuum & plantas pedum *ol. scorp. cui aqua Iuniperi cremabilis sit admixta*, ante paroxysmum inungere; quin & *Bursa pastoris viridis* & contusa *cum pauxillo aceto* carpis manuum imponi potest. Arabes plurimum commendant *vivam araneam*, quam maximam & albicantem syndone occlusam collo vel carpo sinistro alligare solent, quæ latenti proprietate febribus quibusvis adversatur; idem præstant *tela Aranearum cum aqua Rosa.* contritæ, & instar cataplasmatis temporibus & carpis applicatæ. In pituitosis febribus 9. *grana piperis* nigri singulis diebus jejuno ventriculo devorasse, plurimis profuit.

Succus Eupatorii. *Topica.* *Aranea.* *Piperis grana.*

De Febrium Biliosarum Curationibus.

Ex Bilis flava putrescentia qua species Febrium accendantur.

Febris biliosa. *Quomodo bilis putrescat.*

Quanquam Bilis flava, cum sua natura sit tenuis, sicca, acris & amara, per se non putrescat, sed putrefactioni plurimum adversetur, tamen Bilis in Venis contenta & cum reliquis vitiatis humoribus commixta, si sua copia reliquos superet, naturam propriam exuit, & simul cum putrescentibus sanguine & pituita corrumpitur, & putrescit: ex cujus putredine acres & ardentes vapores elevati, cor ipsum inficiunt, & ardentissimas excitant febres. Sunt autem biliosarum febrium species, *Ardens* sive *Tertiana continua*, *Tertiana intermittens*, *Tertiana duplicata* & *semitertiana.* Medici Tertianas Febres prima divisione partiuntur in Tertianam sinceram exquisitam seu puram, quam ex pura & sincera bile flava putrescente oriri ajunt; & in spuriam, notham impuramque Tertianam, quam ex miscellanea pituitæ putridæ & Bilis flavæ generari scribunt. Nos hanc divisionem consulto negligimus; certum siquidem est, bilem flavam, sinceram & puram, in corpore non reperiri, sed aliis humoribus mixtam, nisi in sua capsula, &, ut antea diximus, Bilem per se & sine mixtura sanguinis & pituitæ putridæ minime putrescere posse; unde nec pura Tertiana aut exquisita dari potest. Et bilis flava per se etiam si in corpore redundet, ut in Icteritia, febrim generare nequit, nisi putrida colluvie aliorum humorum mixta. Quod autem in omnibus Tertianis & Ardentibus febribus una cum bile & sanguis totus vitietur & affetur, & pituita una putrescat: ex cruore ex venis detracto perspicuum est, cujus superficies ut plurimum cinericia pellicula contegitur, quæ sanguinis cum pituita admistionem significat, & in pelvis fundo pituitosa mucago innatat. Item, quod in Urinis ardenter febricitantium si per noctem in matula retineatur, matulæ parietibus retorridus sanguis instar arenæ rubeæ aut subflavæ tenacissime adhæret. Quam vulgus Renum calculum falso esse judicat, & pronunciat. Et quod in evomitionibus biliosis una mixta pituita conspiciatur, manifestissima sunt indicia bilem non sinceram, sed una cum sanguine & pituita putrescere: satis itaque arbitramur, si Studiosi Febres Tertianas distribuant in Tertianam *continuam* sive *ardentem*, & in Tertianam *intermittentem*, ex earumque curandi ratione reliquas species biliosarum febrium persanandas discant. Nos itaque inter Ardentem & Tertianam continuam nullam ponimus differentiam, nisi extensionem ac remissionem caloris febrilis & symptomatum. Extensiora enim sunt & acutiora in ardentibus febribus, quam forsan in continua. Aliàs utraque ex iisdem causis excitatur, eadem adfert symptomata, & iisdem curatur præsidiis.

Ardens sive Tertiana Continua Febris quid, quæ ejus causa, signa; & quomodo, quibusve remediis curanda.

Causus. Καῦσος, Ardens febris, ut dictum est, eadem est cum Tertiana continua, & nostris die Breune dicitur. Est autem Tertiana continua sive Ardens, quæ etsi tertio quolibet die exacerbetur, & novum inferat paroxysmum, tamen quieti tempus nullum remittit, sed patientem continue affligit & molestat, donec solvatur, materia putrescente consumpta.

Causæ. Causæ προηγȣ. Sunt Bilis flava in massa sanguinea redundans, & cum admixtis humoribus putrescens, cum exassatione sanguinis & corruptione pituitæ. Προκαταρκτικαὶ sunt alimenta impense calefacientia & extenuantia, bilemque flavam generantia, aeris continuus æstus, laboriosæ corporis commotiones, vini meracioris crebra ingurgitatio, immoderata Venus, & similes.

Signa. Signa ardentis seu continuæ Tertianæ febris sunt intolerabilis æstus & sitis, continuus vehemensque capitis dolor, linguæ instar ligni ariditas, asperitas & nigrities, vigiliæ continuæ; interdum tamen, si adsit cruditas, somnus adest profundus; accedit nonnunquam delirium, pulsus arteriarum parvus & velocissimus; Vrina crassa & turbida propter humorum ebullitionem, colore flammea aut crocea; & si linteolum in ea madefiat, acquirit roseum colorem. Signa autem præsagientia hæc sunt: In Causo & ardentibus febribus, adeoque in gravioribus morbis omnibus, si jam vires sunt prostratæ, & sequentia incidant symptomata, crebra anxietas, delirium diuturnum, pudoris in tegendis obscœnis partibus neglectus, sudor frigidus circa frontem & claviculas, convulsiones, floccorum carptio, tegumentorum complicatio, loci subinde mutatio, extremarum partium & respirati aëris per nares frigiditas; item Vrina pauca & nigra, & excrementa instar fecis dissoluta & liquida, & paucæ guttæ sanguinis è naribus erumpentes, sunt certissima indicia, præsentis mortis; & tum præstat Medicum à curatione manus abstinere. *Prognostica lethalia.* Si καῦσος sive Tertiana continua in biliosam naturam incidat, & vires sunt debiles, quarto aut sexto die ægrum extingui, nisi à Deo miraculose conservetur, necesse est. In febribus ardentibus, maxime si corpus sit plethoricum, & cervix, aures & genæ præter consuetudinem rubeant, naresque pruriant, eruptio sanguinis è naribus exspectanda erit; quæ si die critico accidat, & copiose profluat, salutis spem promittit; & in omni ardenti febre, si vires sint moderatæ, septimo die critica evacuatio superveniens, *Prognostica salutifera.* ut sanguinis è naribus effusio, aut copiosus sudor, aut biliosa evomitio, aut alvi excretio, febrem solvit. Si vero ardens febris ultra septimum diem provehatur, Phrenitis est metuenda. *Icteritia in ardentibus febribus ante septimum diem oborta, lethale est signum. 4. Aph. 62.*

Curatio. Curatio ardentium febrium consistit in victus ratione, biliosæ colluviei evacuatione, sanguinis detractione, æstuantis caloris & aliorum symptomatum mitigatione, & virium corroboratione. Priusquam autem methodica curatio instituatur, in principio, viribus adhuc non omnino prostratis, alvus & venæ Mesaraicæ à fecibus & biliosa colluvie eluendæ & evacuandæ erunt sequenti Clystere: ℞ *Viola. Lactuca, Malv. Cichor. Rostri porcini (aliàs caput monachi) ana M. 5. sem. 4. frig. ma. ana ℥ ij. concisa coquantur in q. s. seri lactis ad tertias colentur, colati Iuris accipe ℥ xiij. In quibus dissolve pulpa Cass. ℥ j. El. lenit. ℥ 5. ol. violarum ℥ iij. salis ʒ j. F.* Enema, quod tepidum recto Intestino infundatur. Postero die si nihil obstiterit, nec vires sint prostratæ, & corpus sit plethoricum, sanguis è Vena Epatica dextri lateris subtrahatur

trahatur ad ℥. usque 8. aut plus minus pro ratione temperamenti, & non, ut *Galeno* placet, ad animi deliquium usque. Sanguinis autem detractio per vices debet fieri, suppresso vulnusculo, & rursum aperto; deinde ubi lingua nigricet, & venæ sub lingua sitæ commodè incîdi possunt, in quibuscunque corporibus. At ubi corpus extenuatum & natura biliosum est, aut vires sunt debiles, sectio venæ in humero penitus est omittenda. Post sectionem venæ præscribatur ægroto victus refrigerans & humectans; decumbat itaquè æger in loco frigido, qui, si naturâ haberi nequit, arte talis efficiatur, crebrâ aquæ frigidissimæ per pavimenta conspersione, & frigidarum herbarum florumque, quales sunt *folia Salicis*, *pampini seu Vitium folia*. *Nymph. gramina aquâ conspersa*, *flores Rosarum* per solum conspersione, circaque lectum fiat *aq. rosa.* conspersio. Lecto decumbat æger satis amplo, ut de uno loco concalefacto in alium frigidum se convertere & collocare queat. Substernenda quoque in lecto sunt linteamina mundissima, quæ sæpè renovari debent. Quia verò plumæ calefactæ æstuans corpus magis inflammant, inter stragulam & linteamina pellis sive aluta tenuissima interponi potest. Similiter & capiti cervicalia ex pellibus facta subjici debent, & sæpe inverti. Quin & aër corpus ægri ambiens, & ipsum corpus æstuans flabello excitato ventulo refrigerari debet. Cibi sint cremor ptisanæ, grana hordei excort. & in jusculo pullorum cocti, *lac. ex 4. sem. frig. & sem. papav. cum ferventi aqua confectum*; pullorum juscula cum uvis immaturis cocta, & caro avicularum; ex piscibus percæ aculeatæ cum aceto vini coctæ; ex pomis acidis pulmenta sacchαro condita, pruna acida & ova sorbilia, ex ovorumque luteis & cerevisia confecta juscula. In potu utatur æger *aqua hordei mundati M. I. Glyc. rasa & contusa* ℥ ʃ. *Anisi* ʒ *iij. cinamo.* ʒ *j. pass. m.* ℥ *j.* affunde aquæ purissimæ congium semis sive pocula duo, co-

Incoqui etiam potest in petia Cornu Cer.

quantur in canthαro per ij. horas. His ita studiosè ordinatis, biliosa colluvies evacuetur sequenti haustu: ℞ *Rhab. el.* ʒ *j.* ʃ. *Fol. sena sine stipitibus* ʒ *j. se. Anisi* ℈ *j. contusa macerentur per noctem in* ℥ *v. aq. Cicho. Manè expressa colentur, colato liquori admisc. aut* ʒ *ij. El. Rosa. Mes. aut* ℥ ʃ *Manna, aut* ʒ. *vj. pulpa cass. rec. exp. F. Haustus*, qui sex horis ante prandium calidè ebibatur. Aut ℞ *Rhab. el.* ʒ *ij. Fol. sena* ʒ *j.* ʃ. *cinamo, Anisi an.* ℈ *j.* contusa ligentur in Syndone. F. nodulus laxus, qui per noctem in aqua Cardui Benedicti aut Cichor. ℥ v. maceretur. Aut in haustulo cerevisiæ claræ imponatur, & summo mane nodulo expresso liquor per se ebibatur, aut eidem ʒ *ij. Syr. Rosa. Sol.* admisce. F. Haust. Delicatiores, qui à commixtorum remediorum usu abhorrent, veluti sunt pueri, virgines & illustres fœminæ, sequenti aqua stillatitia commodissimè purgari possunt: ℞ *Rhab.* ℥ *ij. folior. Sena* ℥ *j. sem. carthami* ℥ ʃ. *Mercur. M. ij. Cinamo.* ʒ *j. Anisi* ʒ ʃ. contusa macerentur per diem & noctem *in aquis Cicho. Centau. mi. Card. Bened. an.* ℔. ʃ. Deinde è vitrea cucurbita ferventi arenâ imposita destillentur, & omni liquore extracto feces eximantur, & reficcentur minutimquè conterantur. Quibus liquor extractus rursum admisceatur, & iterum per diem & noctem macerentur, denuoque in arena destillentur, ejusque limpidiss. aq. ℥ iij. aut 4. plus minus pro ratione ætatis & virium exhibeantur; & si æger non adversetur, admisceri potest *Manna* ℥ ʃ. *vel* ℥ *j. Syr. rof. sol.* Et præscripta quidem cathartica omnia, quia sunt lenissima ad evacuationem biliosi humoris, quinto quoquè vel octavo die, si expostulat necessitas, reiterari possunt. Robustioribus verò corporibus exhiberi potest sequens haustus: ℞ *Syr. rof. sol.* ℥ *iij. Diacathol.* ʒ *iij. Diapha.* ʒ *j. Aqua Lactuca in qua Tamarind.* ℥ *j.* per noctem est macerata, deindeque expressæ ℥ v. Misce F. Haustus. Evacuata hac ratione sensim putrida colluvie, omnis cura in extinctione

rectè in hac febre divinum medicamentum.

Aqua destillata purgans.

Haustus purgans in robustis.

caloris

caloris febrilis, Symptomatum mitigatione, & Virium corroboratione collocari debebit. Quæ per sequentia remedia cum intra corpus exhibenda, tum foris applicanda feliciter perfici possunt. Calorem febrilem extinguit, furorem bilis compescit, & simul vires corroborat sequens potio crebro pitissando assumpta: ℞ *Aq. Card. Bened. Cicho. an.* ℔ ß. *Suc. citri acidi aut granatorum* ℥ ij. *Suc. arantiarum* ℥ j. *Syr. acetos. citri ritè parati, aut ejus loco Rob. è ribes* ℥ ij. *misceantur. F. potio. Vel* ℞ *Aq. uvarum imm.* ℥ vj. *Syr. Corall.* ℥ ij. *Corn. cerv. prap.* ʒ j. *Sacch. nitri* ℈ ij. *spir. sulph.* ʒ j. *Misce.* Similiter æstus febrilis sequenti potione extingui potest: ℞ *Rad. Endi. Cicho. Bugl. Nymph. ana* ℥ j. *Hord. mundati M.* ß. *Conf. Rof. Viol. Nymph. an.* ℥ j. *Se. Lactuca portul. Acetosa. an.* ʒ ij. Radicibus & seminibus contusis in duplici vase coquantur *cum* ℔ 4. *aq. purissima* per 2. horas. Refrigerata colentur & colato Juri admisc. *Syr. Acetos. citri Viola. ana* ℥ ij. vel pro arbitrio ad palatum patientis F. potio, qua frigida sæpe utatur: vel aq. hordei superius præscriptæ ℔ ij. accipe, & fervefactam per *conservam Rosarum & Nymph.* percolato. F. potio. Vires in ardentibus febribus corroborari & refici possunt sequenti Elect. nucis avellanæ quantitate crebrò assumpto: ℞ *Pyrorum Moscatell. condit. & minutissimè concisorum conf. Rof. Borag. Bugl. Nymph. an* ℥ ß. *Sp. Diamarga. frig.* ʒ ij. *pul. Coral. rub. prap. Marga. prap. an.* ʒ ß. *cum q. s. Syr. acetos. citri F. Elect.* Foris verò ferventi ægrotantis corpori sequentia Topica remedia applicari felici successu possunt, carpis manuum imponatur catapl. ex fol. & radicibus Bursæ Pastoris cum pauxillo aceto contusis. Aut ex herbæ *Senecionis* aut *semper viva* contusa cum aceto, Spina dorsi, stomachus & utraque Hypochondria bis quotidie inungantur sequenti Linimento: ℞ *Ol. Rof. viol. Nymph. an.* ʒ ij. *citon.* ʒ. j. *cera candida q. s. F.* Linimentum, quod ter eluatur *cum suc. aut aq. rof.* ac deinde eidem Linimento admisce *Mucag. ex seminibus Psyllii & Citon.* simul contusis *in aceto rosa.* maceratis factæ ʒ ij. F. Linimentum. Quin & dextro Hypochondrio sive epatis regioni volisque manuum & pedum plantis sequens catapl. utilissimè imponi potest: ℞ *Herb. virid. plantag. Acetosa, Senecion. Trifolii acidi, polygo. ana. M. 1.* irrorata *aceto rosa.* contundantur, contusisquè admisc. nonnihil *far. hord.* F. catapl. quod calefactum in partibus crebrò immutetur. Mirificè quoque calorem febrilem à visceribus subtrahit ac mitigat Tincha piscis, viva plantis pedum alligata, donec emoriatur, si crebrius imponatur: aut loco catapl. regioni Epatis & cordis & carpis manuum applicetur sequens Epithema duplicatis linteolis exceptum & intra volas paulò tepefactum: ℞ *Aq. Rosa.* ℥ iiij. *plantag. Borrag. fl. Nymph. ana* ℥ iij. *Aceti rosa.* ℥ ij. *Quibus admisc. sp. Diamarg. frigid. Diatrionsand. an.* ʒ. j. ß. *pul. coral. rub.* ʒ ß. *Troch. è camphora* ℈ j. F. Epithema, quod non solum præscriptis partibus refrigerandi causa utiliter admovetur, sed plurimum confert, & calorem mitigat, si linteolis exceptum testiculis circumponatur. Tempora & coronalis sutura inungantur *Vnguento populino cum aq. rosa. sæpe loto, vel ol. Rosar. cui pauxillum aceti Rosa,* est admixtum. Aut sequens Epithema iisdem locis imponatur, ℞ *Sem. papa. albi.* ℥ j. contundantur, iisdemque admisc. *aq. Rosa.* ℥. *v. Aceti Rosa.* ℥. *I.* & simul probè agitentur ac percolentur & F. liquor lacteus, cui albumen ovi conquassatum admisc. F. Epithema. Et præscripta quidem remedia dolores capitis mitigant, & somnum conciliant in febribus. Os verò ipsum & lingua arida & siticulosa creberrimè eluatur aq. fontana, eaquè quam frigida, cujus ℔ j. admisc. *Aceti Rosa* ℥ ij. Aut eluatur cum *aqua Fragorum aut aq. fl. prun. Syl.* post elutionem oris, scabræ linguæ illiniatur *mucago ex seminibus psylii & Citon.* confecta, *cujus* ℥ ß. *ol. Vitr.* ℈ ß *aut* ʒ ij. *Syr. Acetos. Citri. aut* ʒ ij. *Rob. è Ribes* admisceri

Alia potio.

Confortantia.

Topica.

Tinca viva.

Hic Sale prunella nihil elegantius.

misceri possunt. Tollunt enim scabritiem, & humectant oris linguæque ariditatem. Sitis molestiam mitigat crebra masticatio Trifolii acidi vel acetosæ, vel pass. in aceto rosa. macerat. vel Tamarind. vel crebra suctio succi ex Arantiis acidis. Reliqua Symptomata febrium ardentium quibus præsidiis sint tollenda, in fine hujus tractationis de Febribus ordine recensebimus.

Febris Tertiana Intermittens, quid; quæ ejus species, causæ, signa, & qua methodo curanda.

Tertiana intermittens. Πυρετὸς τριταῖος. Etsi paulo ante monuimus Bilem natura sua non putrescere, nec simplicem & sinceram bilem nisi in Vesicula Bilis reperiri in corpore, & ideo non recte distribui febrim Tertianam in puram ac spuriam; tamen creberrime Bilis in bilem præternaturalem convertitur, coloremque & substantiam suam immutat, & redditur magis rubea, aut viridis, aut pallida. Substantia vero redditur aut justo tenuior, & mensuram quoque propriam seu quantitatem excedit naturalem. Quoniam itaque ejusmodi præternaturalis bilis cum putrescente colluvie humorum, vel in venis ipsis, vel in aliis capacitatibus viscerum commisceatur, vel ad musculos profundatur, varias species Tertianæ febris excitat: & quanto hæc biliosa colluvies crassior existit, tanto diuturniores & periculosiores febres Tertianas profert. Quanto autem ejus copia minor est, & substantia tenuior, eo erunt & febres breviores, & minus periculosæ: Generatur & in Ventriculo ex alimentis facile putrescentibus, & venenatis biliosa quædam *Bilis prassina.* colluvies, quam bilem *prassinam* sive porraceam vocamus, quæ & ipsa bilis febrem excitat Tertianam continuam sive ardentem, & valde perniciosa inducit symptomata; adeo ut nisi vel arte, vel natura per vomitum ejiciatur, brevi interitum inferat. Itaque biliosarum febrium seu Tertianarum species pro copia & materia præternaturalis bilis & putrescentis colluviei extra Venas profusæ, sunt, *Tertiana Intermittens seu simplex: Tertiana duplicata seu semittertiana*, de quibus nunc breviter disseremus. FEBRIS TERTIANA est, quæ tertio quolibet die, id est, alternis diebus recurrit, & hominem affligit, una die inter duos paroxysmos quietem relinquens. Febris Tertiana simplex in hisce regionibus borealibus est valde familiaris & frequentissima, quam vulgus salutarem esse judicat, eo quod per eam plurimi vitiosi humores conflagrent & absumantur; & ea est natura hujus febris, ut si in victus ratione æger non delinquat, sola quiete & abstinentia curari queat, & septimum paroxysmum minime excedat.

CAUSA προηγ. Tertianæ simplicis *Causa.* seu intermittentis sunt biliosa colluvies putrescens, & extra venas profusa & in totum corpus sparsa, aut in certis capacitatibus collecta, in qua humorum putrescentia bilis sua copia excellit: Ventriculus frigidior, & Epar calidum; ii enim potissimum qui frigidum habent ventriculum, & calidum Epar, tali biliosa colluvie infestantur, & in Febrem Tertianam incidunt. Προκαθ. sunt alimenta facile corruptibilia & venas Mesaraicas obstruentia, Epar inflammantia & bilem generantia.

SIGNA Tertianæ Intermittentis sunt; *Signa.* paroxysmus alternis diebus cum vehementi rigore & punctionibus subcutaneis excitatus. In corporibus biliosis paroxysmus cum biliosa excretione, aut per vomitum aut per alvum invadere consuevit. Tertiana febris ab hora invasionis ultra 12. horas non protrahitur, & ut plurimum cum sudore evanescit. Urina ut plurimum in Tertiana febri aut est crocea, aut rubea ac flammea, & nonnihil crassa, *in quasi primo aut secundo die ab invasione sedimentum album, & læve conspicitur; paroxysmum quartum non excedit*: Si vero talis hypostasis tertio die non appareat, producitur ad septimum paroxysmum. In Tertiana pulsus arteriarum vehemens est & celer: Corpus patientis si manu tangatur, vehemens & mordax calor sentitur, sitis, vigiliæ,

vigiliæ, & corporis jactatio ſemper comitatur Tertianam Intermittentem.

Diæta. CURATIO, cum in victus ratione, tum venæ ſectione, & remediorum uſurpatione eadem eſt inſtituenda, quam paulo ante in curatione febris ardentis ſive Tertianæ continuæ tradidimus; & quidem victus debet eſſe refrigerans & humectans: in alimento itaque conveniunt cremor ptiſanæ, pruna acida, juſcula & carnes pullorum aut avicularum cum uvis omphaceis aut aceto conditæ. Ex piſcibus Melanuri ſive percæ aculeatæ, & cum aceto conditæ ſolæ conveniunt. Ova quoque ſorbilia concedi poſſunt, & capita ovicularum. Potus erit aqua hord. cum cinamomo cocta; cujus coquendi rationem paulo ante deſcripſimus: quæ præſtantior redditur ſi per *Conſ. Nymph. Roſa.* percoletur; aut bibat *aquam Cardui Bened. aut Cicho. cui nonnihil Syr. Acetoſ. Citri* ſit admixtum: aut utatur pro potu Lacte *ex quatuor ſam. frig. ma. cum aq. Cicho. & Cardui Bened.* & cum ſufficienti q. Saccha. cand. quod *in Syr. Viola.* condenſatum eſt, facto. In paroxyſmis arceatur æger à ſomno. Si alvus eſt obſtructa Clyſt. paulo ante in curatione febris ardentis deſcripto emolliendа erit, ac tandem ſi corpus ſanguine redundet, & ætas ac vires tolerant. Vena ſecetur Epatica dextri lateris: Sed vena in Tertiana febri ante tertium paroxyſmum non eſt incidenda: & tum debet Medicus prædicere ſequentem, ut vult Rondletius, quartum paroxyſmum graviſſimum futurum; & ſi corpus ſit plethoricum; & febris non ceſſet ſeptimo paroxyſmo, tum Venæ Sectio commode reiterari poteſt. Poſt venæ ſectionem bilioſa colluvies, quæ eſt in ventriculo collecta, per vomitum evacuetur, primum exhibitis ℥ v. *Aq. Iuniperi per deſcenſum cum pelvi deſtillata.* Si autem ea colluvies in venis Meſar. & Epatis hæreat, ſubtrahatur crebra uſurpatione ſequentis noduli, potione ex eo parata: ℞ Rhab. fol. Senæ an. ʒ j. Sem. Aniſi ℈ j. contuſa involvantur in ſyndonem

V.S. ante tertium paroxyſmum non inſtituenda.

Sal Vitriol. commode ſubſtituitur.

rub. F. nodulus laxus; qui per noctem maceretur in ℥ v. aq. Cicho. Mane fortiter exprimatur, & calefacta ſex horis ante prandium ebibatur. In robuſtioribus corporibus præſcripto liquori utiliſſime admiſceri poteſt vel ʒ 15. *Elect. Roſa. Meſ. vel ʒ. 11. El. lenit. aut Diaprunis laxat. vel ℥ 1. Syr. roſat. ſol. vel ʒ. vj. pulp. caſſ.* & cum una vice bilioſa colluvies ſubtrahi nequeat, præſcriptis remediis crebrius utendum erit: & ſemper cum vena eſt ſecanda, tum evacuantia remedia ſunt exhibenda die quietis. Interim & virium ſubinde habenda eſt ratio, & ſequentis *Elect. Semijugland. q.* devorata, reficiendæ. ℞ *Pyrorum Moſcatell. condit. citrinati conditi ana ℥ ß. Rad. Cicho. condit. ℥ j. Chebul. condit. ʒ vj.* concidantur minutiſſime, iiſdemque admiſc. *Conſ. Roſa. Borag. Nymph. ana. ℥ ß. Sp. Diamarg. frig. ʒ j. ß. Syr. Acetoſ. Citri q. ſ. F. Elect.* Quin & corroborat vires, & tuto concedi poteſt ubi ceſſavit calor febrilis, exhibere buccellam panis in vino Cretico aut Rhena. maceratam. Durante calore febrili præſtat ab omni potu abſtinere. Verum ſi ſitis ſit intolerabilis, ſequenti potione levari poteſt: ℞ *Aq. Cicho. Card. Bened. ana ℔ ß. ſyr. acetoſ. citri ℥ ij. Suc. Citri acidi ℥ j. Miſc. F.* potio. Specifica proprietate ſua febrim extinguunt Tertianam, & bilioſam colluviem abſumunt ſitimque extinguunt, gutt. 7. 9. aut 11. ol Vitr. pro ætatis ratione ac virium, cum tribus cochlearibus aquæ Card. Benedicti commixtis, ante paroxyſmum, aut etiam quotidie Ventriculo jejuno exhibitæ. Ejuſdem efficaciæ eſt & ſequens pulvis ante paroxyſmum, ʒ j. cum hauſt. Aq. Cardui-Benedicti aut centauri. mi. quater aut quinquies ebibitus: ℞ *Card. Bened. fl. centaur. mi. cornu cervi Viſci querci. rub. ana ʒ j. commiſc. F.* pulvis. Vidimus, & ipſi in proprio corpore experti ſumus, Tertianam febrim intermittentem ſolius aq. frigidiſſ. largiori hauſtu diſcuſſam & ſanatam eſſe, præſertim ubi ejus tanta copia aſſumatur, ut patiens eam rurſus

Majorum virium eſt Sal abſinthioes in ſpiritu nitr. ſolutum &

rursum in Crystallos coagulatum ad ℈j.

ſus evomat : Ea enim ratione magna copia bilioſæ colluviei cum vomitu projicitur : Sed non temerè in quibuslibet corporibus, niſi in robuſtis eſt utendum. Topica remedia, veluti ſunt Catapl. Epith. Linimenta & reliqua quæ foris applicari debent, paulò ante in curatione ardentis febris commemorata ſunt. Symptomata vero febrilia quibus remediis ſint tollenda, ac mitiganda, paulò poſt ſeorſim deſcribemus. Hoc tamen unicum topicum obſervandum erit ; tollere febrim Tertianam, ſi manuum carpo alligentur folia plantag. Sambu. & Senecionis, vel ſola Burſa paſto. cum aceto roſa. conſperſa & contuſa, inſtarquè cataplaſmatis applicata. Ejusdem efficaciæ quoque eſt pul. fuliginis cum vireſcente Salvia contuſus, addito albumine ovi & aceti pauxillum, & carpis alligatus.

Topicum.

Fuligo.

Tertiana Duplicata quid, quæ ejus cauſa, ſigna, & quomodo curanda.

Tertiana duplex.

Τριταῖος διπλὸς, Tertiana duplex eſt Febris bilioſa acuta, rara tamen, quæ omni tertio die bis hominem invadit, ut hodie bis paroxyſmum excitet, cras verò nullum, tertio die iterum bis affligat.

CAUSA προηγ. Eſt bilioſa colluvies, eaque copioſa, vel in venis portæ, vel cava, vel in Ventriculo collecta. Προηγ. ſunt fructus & olera citò putribilia, & alimenta omnia vitioſam bilem gignentia, & concoctionem impedientia.

SIGNA duplicatæ Tertianæ ſunt, alternis diebus bis paroxyſmum excitare, ſitis intolerabilis, vigiliæ & Hypoch. inflammatio, & reliqua quæ paulò ante in Tertianæ ſimplicis & ardentis curatione ſunt enumerata.

CURATIO eadem erit quæ in ardenti febre & Tertiana eſt præſcripta, niſi quod bilioſa colluvies crebrius ſubtrahenda eſt, & Venæ ſectio non niſi in plethoricis corporibus ſit molienda. Alvus ſi ſit aſtricta, ſequenti bolo ſubducere oportet : ℞. *pulp. Caſſ.* ℥ ſ. *Diacathol.* ℥ ſ. *F.* Bolus. cum ſaccharo conſpergatur, duabusque horis ante acceptum victum quietis die devoretur. Experientiâ plurimorum comprobatum eſt, ut & paulò ante meminimus, nullum remedium tam in ardentibus febribus, quàm Tertiana duplicata præſtantius eſſe, quam *aq. frigid.* largiſſimè & uſque ad ſatietatem, vel potius uſque ad vomitus rejectionem hauſtam : ſed ut diximus, non temerè eſt eo remedio utendum, niſi hiſce conditionibus diligenter obſervatis : Primò ut vires conſtent, & corpus ſit robuſtum. 2. Ut ſigna concoctionis in Urina appareant, h. e. hypoſtaſis alba & lævis conſpiciatur. 3. Ut non adſit tumor vel Epatis, vel Lienis vel Diaphrag. In iis enim pernicioſa eſt frigidæ potio. 4. Ut non adſit obſtructio vel alvi, vel venarum portæ, vel cavæ. Verum aqua frigida in febribus bibenda debet eſſe quam optima, qualis in hiſce borealibus regionibus eſt, ex ſcaturientibus fontibus hauſta, & quæ citò caleſiat, citoque refrigeretur, nec ſit alieno colore, ſapore odoreque vitioſo infecta. Reliqua remedia ex ſuperioribus febrium bilioſarum curationibus peti poſſunt.

Aqua frigida quibus conditionibus exhibenda.

Semitertiana Febris quid ; quæ ejus cauſa, ſigna, & qua methodo curanda.

Πυρετὸς ἡμιτριταῖος eſt febris compoſita ex Quotidiana continua & Tertiana intermittente, & eſt febris ex genere continuarum : Ratione enim pituitæ putridæ in Venis ſparſæ quotidie affligit ; ratione autem bilis præternaturalis extra venas profuſæ, vel in aliqua corporis capacitate collectæ, tertio quolibet die paroxyſmum habet duplicem vel reduplicatum. Rara quidem hæc febris in his frigidis regionibus, ſed ut plurimùm lethalis.

Hemitritæus.

Rara in his locis.

Hæc febris ſi corpus natura bilioſum occupet, tertio die vehementius affligit ; ſi pituitoſum, tum quotidie gravius affligit, mitior autem eſt tertio die.

CAUSÆ προηγ. Sunt pituita putreſcens intra venas, & bilis vitioſa extra venas collecta. Προηγ. ſunt intempeſtiva & prava victus ratio, per quam & pituita putreſcens, & bilis præternaturalis in corpore

re generatur. Supra diximus ineptam esse divisionem febrium biliosarum in exquisitam sive puram, & notham sive spuriam; Exquisitam enim ajunt generari ex pura vel sola bile, quæ in corpore non nisi in vesicula fellis reperitur; spuriam generari ajunt ex commistione vitiosæ bilis & pituitæ spuriæ; ergo spuria febris Tertiana ex iisdem causis, ex quibus semitertiana generatur, & iisdem remediis curatur; consultò itaque spuriam tertianam omisimus, ne turbarentur Studiosorum ingenia.

SIGNA semitertianæ varia sunt, pro alterutrius humoris vitiosi naturæ exuperantia; si enim bilis in corpore redundet, cum horrore invadit, & crebro cum vomitu, & egestione aut sudore bilioso. Præterea, ut diximus, singulis diebus ratione pituitæ affligit; tertio autem die bilis ratione binos facit paroxysmos. Si verò pituita redundet in corpore, calor est remissior, & paroxysmus è frigore externarum partium incipit, & sitis nulla molestat, & desinit cum sopore; semper autem in Hemitritæo urina est turbida & crassa.

CURATIO. Semitertiana cum ex pituita putrida & præternaturali bile accendatur, qui humores planè contrarii sunt, pituita quidem frigida & humida, Bilis autem calida & sicca: Eam ob causam curatio quoque mixta esse debet ex contrariis facultatibus. Id tamen semper artificiosâ conjecturâ inquirendum est, qui vitiosorum humorum in corpore excellat, id quod ex constitutione corporis, & ex aliis signis Temperamentum indicantibus, à perito Medico facilè deprehendi potest. Si pituitosa fuerit constitutio corporis, major erit ratio habenda concoquendæ, abstergendæ, & detrahendæ pituitæ, quàm Bilis, & tamen interim nec Bilis emendatio & evacuatio negligenda erit. Victus itaque ratio in Hemitritæo talis condu-

Omnia in hac febre temperata sint.

cit: Omnia alimenta & fercula debent parari & administrari temperata, quæ aut naturâ, aut arte ad temperiem reducenda sunt, commiscendo calida frigidis. Talia verò sunt omnia sorbilia, juscula ex luteis ovorum, & cerevisia facta, quibus momentum croci admisceri debet. Lac Amygdal. cremor aut pulmentum Avenaceum, cui nonnihil piperis sit admixtum, carnes pullorum & vitulorum assatæ; ex oleribus Spinachia & Gingidion, ex Radicibus petroselinum & Cariotæ. Cibare *Nota.*
autem largius iis diebus decet, quibus unico Paroxysmo molestantur; tenuius autem tertio die, quo duobus paroxysmis affliguntur. Potus sit aq. hord. in qua Cinamo. & nonnihil Zinziberis Sem. anis. incocta & saccharo condita; & si pituita excellat in corpore, mulsa seu Hydromeli concedi potest, & aq. hord. cum oxymel. mixta. Post victus rationem institutam subducatur colluvies ex intestinis & venis Mesaraicis sequenti Clystere: ℞ *Malv. Mercurialii Violar. ana. M. I. Fl. Absinth.* *Clyster.*
Centaur. mi. ana M.S. concisa coquantur in q. s. aq. ad tertias, colentur, colati juris accipe ℔ j. admisce *Elect. Lenit. Diaphoe. Hyera simpl. ana* ℥ ß. *ol. chamom. Violarum ana* ℥ j. ß. *salis* ʒ j. *Commisc.* F. Enema, quod tepidum intestinis infundatur. Altera die ventriculus leni Pharmaco evacuetur sequenti: ℞ *Rhabarb. el. fol. Sena Alex. Aga. Troch. ana.* ʒ j. *Anisi, Cinamo. ana* ℈ j. contusa & in Syndone colligata simul macerentur per noctem in *aq. Absinth.* ℥ v. diluculo verò in ferventem aquam poculo cum medicamentis imposito ferveant, & fortiter expressa colentur; colato juri admisc. aut ʒ j. *Diapha. Fernelii, aut Elect. Rosa. & Diaphœ. Mes. ana* ʒ j. F. Haustus: qui 6. Horis ante alimenti assumptionem calidus ebibatur. Porrò si constitutio corporis magis est pituitosa, & signa concoctionis in urina conspiciantur, præclare facit statim à cibo sumto vomitum concitare, & colluviem pituitosam biliosamque ex Ventriculo proluere. Vomitum autem excitat, ut superius diximus, haustulus *aq. Iuniperi per descensum destill.* cum *pelvi*, aut haustulus vini in quo *rad. Iugl.* per no-

ctem

ctem sunt maceratæ & mane ebullitæ; peracto vomitu ventriculus corroboretur *duobus cochlearibus succi granatorum vel citri acidi, vel Syr. acetos. citri* assumptis. Quin & vomitus excitari commode potest ebibitis ℥. *ij. ol. Olivarum* calefactis; oleum enim non solum vomitum proritat, sed & alvum benigne emollit. Deinde post tertiam invasionem, si corpus est plethoricum, & vires adhuc constant, sanguinem è vena Epatica dextri lateris detrahere ad ℥4. tuto licebit. His ita procuratis, mixtis remediis, cum alterantibus, tum evacuantibus, subinde utendum erit. In alteratione quidem confert plurimum *Syr. Acetosus*, qui pituitæ putridæ crassitiem attenuat, & bilis præternaturalis acrimoniam obtundit, & meatuum obstructiones aperit. Idem præstat etiam *Syr. de Endiv.* Syruporum autem δόσις per triduum mane ac vesperi erit ℥ ij. pro una vice, & cum *aq. Card. Bened. aut Cent. mi. aut Petros.* vel loco aq. earundem herbarum decocti ℥ ij. simul commixtis.

Alterantia.

In evacuatione vero colluviei & pituitosæ & biliosæ, præstantissimum est 3. aut 4. subinde dies repetere præscriptum haustulum, ex maceratione *Rhab. fol. Sena. & Aga. Troch.* confectum, cui liquori admisceri possunt, si calor vehementius urgeat, ℥ iij. Syr. rosa. solut. aut si validius requiratur purgatio, pro præcellentis humoris copia in biliosa colluvie, ʒ *j*. ʃ. *El. Rosa. Sol. Mes.* Si vero pituita magis redundet, ʒ *j*. ʃ. *Diaphœn.* interim & ventriculus corroboretur, & viscera, internis & externis topicis remediis. Subinde itaque præbeatur ægrotanti semijuglandis quantitas sequentis Elect.

Purgantia.

Confortans.

℞ *Citon. condit. Pyrorum. Moscatell. cond. ana* ℥. *ʃ. Cort. Arant. condit.* ℥ *j.* concidantur minutissime, eisque admisc. conserv. Borag. *Bugl. ana.* ℥ *i. Spe. Diarhodon. Abbatis, Diamarg. frig. an.* ʒ ʃ. *Pul. Coral. rub. prep.* ʒ *i. ol. vitri. rectif.* ℈ *i. Syr. Acetos. Citri q. ʃ.* commisc. F. Elect.

Si corporis constitutio pituitosa est, purgata prius pituita, commode exhiberi possunt singulis diebus mane *gutt. 7. ol. vitr. cum tribus cochl. aq. Card. Bened.* Absumit enim colluviem, sitim sedat & obstructiones aperit, & omnibus fere febribus specifica virtute resistit.

Sp. Vitrioli coralliis impregnatus mire prodest.

Foris vero singulis diebus bis inungantur Ventriculus & Spina dorsi, & utraque Hypochond. sequenti Linimento: ℞ *Ol. è Mastich. Rosar. ana.* ℥ ß. *Nymph. Menta ana* ʒ. *ij. cera alba q. ʃ. F.* Linimentum: Et si calor febrilis vehementior existat, admisceri potest *Mucilag. ex Seminibus Citon. & Psylii cum aceto rosa. facta* ʒ *ij.* Carpis manuum instar cataplasmatis in ipso Paroxysmo alligetur *Bursa pastoris* virescens cum pauxillo aceto rosac. contusa.

Topica.

Si vigiliæ infestant, pedes vesperi laventur in aq. calid. in qua incocta sunt *capita papa. fol. Salicis & fl. Chama: & Beton.* Tempora autem & coronalis sutura inungantur *ol. Rosa. cum aq. & aceto rosa. mixta.* In tota curatione ratio habenda est Symptomatum, quæ in hac febre sæviora esse solent, semperque sunt auferenda, aut saltem mitiganda ante Methodicam curationem. Quibus autem remediis febrium Symptomata omnia sint profliganda ac mitiganda, paulo post, absolutis Febrium curationibus, fideliter docebimus.

Pediluvium in omnibus febribus conducens.

De Febribus Melancholicis.

In humore Melancholico putrescente, quæ Febrium species excitentur.

In Chymi, seu massæ sanguineæ purificatione limosiorem sanguinis partem Lien in proprium alimentum attrahit: Hæc pars terrestrior sanguinis à colore Græcis Melancholia, Latinis Nigra Bilis nominatur, quam si Lien propter imbecillitatem, obstructionem, aut intemperiem ex massa sanguinea assugere nequeat, cum sanguine in totum corpus dispergitur, & varios generat morbos melancholicos, ut IctericiamNigram,Stomacacen,quam Scorbutum

Hanc sententiam alii aliter explicant.

butum appellant, & scyrrhosos tumores. Ubi vero idem humor aut putrescat, aut à præternaturali viscerum calore aduratur, aut retorrida bile commisceatur, suosque tetros vapores sursum ad cor demittat, febrem Quartanam generat. Cujus species Veteres duas constituunt, *Quartanam continuam*; (quæ mihi septuagenario nunquam visa est, & ideo eam aut rarissimam, aut nullam esse judico.) *Et interpolatam*, quæ frequentissima est. Nos itaque omissa ea divisione Quartanarum, pro humoris Melancholici natura dividimus *in quartanam mitem minusque periculosam*, (ideo quod neminem jugulavit unquam, nisi fortè culpâ ægroti vel Medici) quæ ex putrescente Melancholico humore in sanguinea massa generatur; *& in quartanam sævam & pernitiosam*, quæ ex adusta flava bile putrescente, Melancholico humore mixta, originem ducit; & hæ duæ species Quartanarum distinguuntur, & propriis signis & curandi ratione.

NB. Raritatem Quartanæ continuæ.

Quartana mitis.

Pernitiosa.

Quartana Febris Mitis & secura quid; quæ ejus causæ, signa, & quomodo curanda.

Quartana mitis. Πυρετὸς τεταρταῖος ἥμερος, Febris Quartana mitis est, quæ quarto quolibet die recurrit, & suo Paroxysmo hominem affligit, ac inter duas accessiones per duos dies inducias concedit.

Causæ. CAUSÆ προηγȣ. Sunt Melancholicus humor putrescens aut in splene, aut in sanguinea massa, Lienis obstructio & imbecillitas, corporis Melancholica constitutio, consuetarum hæmorrhoïdum, & in fœmellis mensium, suppressio. προκατ. Sunt omnes res Melancholicos humores in corpore augentes & putrefacientes, lienemque obstruentes, ut sunt alimenta crassi succi, carnes ac pisces fumo durati, caro anserina, leporina, cervina, hircina, caseus vetus, & legumina fere omnia; item tristitia ac mœror animi.

Signa. SIGNA mitioris Quartanæ sunt, quarto quolibet die affligere; & ejus rei præter occultam putrescentium in corpore humorum proprietatem, uti diximus jam ante, causa est, quia Melancholicus humor putrefactioni, motuique ad putredinem usque ad 4. diem resistere potest, & quarto tandem die movetur Melancholicus humor ad putredinem, & natura excitatur ad eum exturbandum. Paroxysmus Quartanæ leniter & sensim incipit 1. Cum oscitatione & pandiculatione, quam subsequitur horror, & mox frigus, quod paulatim extenditur, & altius usque ad ossa penetrat, *ita ut ossa sibi confringi patiens conqueratur*; & dentes vehementissimè concutiuntur, ac tandem calor febrilis paulo mitior quàm in tertiana subsequitur; qui in rara constitutione corporis cum sudore exhalat; adest præterea ut plurimum etiam Lienis seu sinistri Hypochondrii dolor; urina extra paroxysmum aquea est, tenuis & alba, sed die paroxysmi magis ad obscuram flavedinem vergit; ante solutionem febris ut plurimum turbida & nigra excernitur. *Nigra itaque urina in quartanis & mensium retentione salutare est signum, in aliis morbis periculosum.* Qui Quartana laborant, iis faciei & oculorum color plumbeus efficitur. In Quartana mitiore appetentia inculpata manet, & vehementior redditur, scilicet ob humoris aciditatem. Προγνωστικά. In omni Quartana splen debilis est & malè affectus. In quacunque Quartana Lien intumescit, Hydrops & periculum vitæ est metuendum. Quartana in senibus rarò & difficilimè curatur. Quartana æstiva brevior, Autumnalis longa, præsertim si hyemem attingat; Quartana ut plurimum finitur, post nigram & turbidam urinam, aut hæmorrhoidum vel mensium eruptionem, aut (rarius tamen) sanguinis è naribus profluvium, aut post livida Aposthemata crurum. A Quartana capti, ab Epilepsia & convulsione immunes sunt.

Cur paroxysmus quarto recurrat die.

Signa incipientis paroxysmi.

NB.

Prognostica.

Cura. CURATIO Quartanæ mitioris Methodica, qua Medici praxin exercentes, utuntur, est valde tarda, difficilis ac incerta, & ea quidem consistit in victus ratione,

venæ sectione, humoris Melancholici extenuatione & incisione, crebraque sed mitiore evacuatione, atque Lienis & Epatis corroboratione. Inprimis autem in omni curatione Quartanæ ratio habenda est Lienis primò, deinde humoris Melancholici putridi, & corporis innati Temperamenti. Alia enim curatio debetur Quartanæ in calidis, alia in frigidis corporibus, alia in Melancholicis & pituitosis, alia in biliosis. Quia verò hæc febris violentis remediis magis exacerbatur, ideo in initio blandè & leniter est tractanda, aliàs intempestivis remediis ex simplici, duplicata & triplicata efficitur Quartana; subinde itaque Quartanæ Paroxysmos & Symptomata prioris febris cum sequentis conferre debet Medicus, & inde de Medicatione ratiocinari. Quartana itaque mitis, si in corpus naturâ Melancholicum aut pituitosum, hoc est, frigidum incidat, tum & ratione victus & medicamentorum, moderatè calefacientia & incidentia sunt adhibenda. Quod ad victus attinet rationem, in naturis Melancholicis & pituitosis juscula debent parari ex iis quæ calefaciunt & facilè concoquuntur: conveniunt autem ex carnibus ovillæ, vitulinæ, pull. gallin. perdicum & columbarum. Pisces verò rarò, & non nisi percæ aculeatæ & Lucii ex sale cocti concedi possunt: condiantur autem & coquantur alimenta cum pipere, Cinamomo, Petroselino & Zinzibere; concedi quoque possunt & ova sorbilia & lac Amygd. & çerasa cocta, & juscula ex ovorum luteis & vino & cerevisia facta. Quin & Condimentorum loco vesci possunt Capparibus & Limoniis Sale conditis, vel intinctionibus ex Sinapi, Pipere, Eruca, Zinzibere & Cinamom. cum q. s. Vini & Sach. confectis, aut resolvantur in vino *rot. Diatrion. piper.* & fiat intinctus. Aceti acidorumque usum sine discrimine Temperamentorum corporis in Quartana fugiendum esse, docent Medici. Nos verò in Melancholicis & pituitosis corporibus, in quibus febris non ex adusta atra bile originem ducit, moderatum aceti acidorumque usum, eò quod incîdat, salutarem esse judicamus: Abstinere autem jubetur æger ab omnibus alimentis putrefactioni subjectis, & crassum ac Melancholicum humorem generantibus, quales sunt Bubula caro & Pisces sale fumoque indurati: Item carne anserinâ, Agninâ, Hircinâ, Cervinâ, Leporinâ & Leguminibus omnibus, veterique caseo. Potus convenientissimus erit Vinum tenue & album, vel si sit Rhenanum forte, cum aq. hord. diluendum erit. In eo autem vino saluberrimum est nodulum ex syndone confectum, in quo insuta sunt cort. Tamarisci & Ceterach herba, imponere, ac macerare. In paroxysmi die præstat ægros à cibo omni abstinere, vel si virium prostratio metuatur, cibandi sunt 4. horis ante febris invasionem. Postquam autem calor febrilis omnino exhalavit, corroborandi sunt oblata buccella panis in vino Cretico aut Rhenano, imbuta ac comesta. Reliquis autem diebus quietis largius nutriendi sunt, post primam aut secundam invasionem; si alvus est obstructa, sequenti Clystere emolliatur, & colluvies ex venis Masaraicis & Liene subtrahatur:

Cautio. — *Quartanæ cura in Temperamentis frigidis.* — *Victus ratio.* — *Opinio de Aceto.* — *Potus.* — *Die paroxysmi abstinendum.*

℞ *Malvæ, Mercur. Fumar. Cetrach. ana M. 5. fol. Senæ. ℥ 5. fl. Anethi, Chamæ. Centaur. mi. ana. P. I. Thymi, Epithy. ana ʒ i. concisa coquantur in q. s. aq. ad medias colati juris accipe ℔ j. in qua dissolve Elect. Lenit. Diacathol. ana ℥ 5. confect. Hamech. ʒ ij. ol. Anethini, Absinth. Rutæ ana ℥ j. Salis ʒ j. F. Enema, quod tepidum intestinis infundatur.* Eluta alvo si corpus gracile sit, & multo redundet sanguine, id quod ex intumescentia Venarum deprehendi potest, Vena Lienaria sinistri humeri, vel Salvatella ramus ejus qui inter minimum & annularem digitum situs est, die quietis, idque post alterum aut tertium Paroxysmum incidatur, habita semper ratione virium & ætatis. Ex secta autem vena si sanguis profluens crassus & niger existat, largius detrahatur; ubi verò tenuis, purus, rubeus aut sub-

Salvatella. — *Venæ sectio.*

ſubflavus conſpicitur, ſtatim ſupprimatur. Ad medicationem mitioris Quartanæ quod attinet, cùm Melancholica colluvies valde ſit inſtar picis liquidæ tenax, & non facilè ablui abſtergiquè poſſit, crebro & longiori tempore ſequentibus potionibus incidenda, extenuanda, abſtergenda, & ſenſim per intervalla evacuanda erit, ſenſimque viſcerum obſtructiones aperiendæ, & eadem remedia tum incidentia tum evacuantia ſubinde repetenda erunt; quando verò Melancholicæ reſolutiones ſunt concoctæ, ſingulis ſeptimanis ſemel leniter ſubducendæ veniunt. Incîdunt autem & concoquunt & abſtergunt, obſtructionesque aperiunt ſequentes Syrupi: *Syr. Byzantinus, Syr. de duab. rad. Syr. è fumaria. S. de lupulis. S. è Capill. Ven. Oxymel. ſimplex*, & ſimiles, quorum ſingulorum aut ex his nonnullorum mixtorum δόσις pro una vice ℥ ij. cum *aq. Fuma. Cardob. cent. mi.* aut ſingulorum aut ſimul mixtorum ℥iij cum *Syr.* mixtis mane offerri poſſunt. Veſperi autem ituro cubitum præſtat duas aut tres rotulas *Diatrion piper.* devorandas præbere; extenuant, calefaciunt, & flatus in Hypochondriis diſſipant, & obſtructiones aperiunt. His per octiduum aut circiter uſurpatis, putrida & reſoluta colluvies leniter per alvum educatur, aut ℨ x. *pulpæ Caſſ.* in die quietis paulò ante prandium devoratis, aut ℥ j. *Diacathol. cum* ℥ 4. *Vini, in quo Cetrah. & fol. Sena. ana* ℨ *ij. ſunt macerata & incocta*: vel, loco Syr. & aq. Stillat. pro concoquenda melancholica colluvie, & aperiendis obſtructionibus viſcerum, ſequentis potionis ℥ 4. manè ac veſperi per octiduum exhiberi poſſunt:

Pharmaca in Quartana.

Zingiber Chinenſe utilius.

Hujus Cenſus ſunt Pill. extr. helleb. nig. cum Specif. purgante Paracelſ.

℞ *Cort. Tamariſci. Fraxini, Rad. Petroſel. Aſparagi, Polypo. an.* ℥ ß. *Elebori nigri prius in aceto ebulliti, & rurſum exiccati* ℨ. *vj. Herb. Cetrah. Chamedryos Fumariæ ana M. I. Roſm. Card. Bened. Cent. min. ana M.* ß. *ſe. Aniſi, Petroſel. ana* ℨ *iij. Cinam.* ℨ *ij. Thymi, Epithy. ana* ℨ *ij. fol. Senæ Alex.* ℥ *j.* ß. *paſſ.* ℥*ij.* concidenda concidantur, & contundenda contundantur, & cum ℔ v. albi vini in Cantharo paſta farinacea oblinito, & in ferventem aquam impoſito, per 2. horas coquantur, & refrigerata colentur: cujus potionis ℥ v. 6. horis ante acceſſionem exhibeantur die paroxyſmi; hæc enim potio non tantum concoquit, extenuat, obſtructioneſque aperit, verùm etiam ſenſim & leniter ſubtrahit & expurgat colluviem Melancholicam. Reliquo autem tempore mane ac veſperi devorandi patienti dentur 2. *rot. Diatrion pip.* aut corroborentur Ventr. & viſcera ſequenti Electuario:

Confortans.

℞ *Conſ. Roriſm. Meliſſ. Borrag. Fuma. ana* ℥ *j. Cort. Arant. cond. & rad. cichor. cond. ac zinzib. conditi ſimul conciſarum ana* ℥ ß. *Ther. Andro.* ℨ *iij. Spec. Di Anthos, Diarhodon. abb. ana* ℨ *ij. cum Syr. in quo cort. Arant. ſunt condit. commiſc. F. Elect. cui admiſc. ol. cina. gutt. vj. cujus ſemijugl. q. mane ac veſperi utiliter exhiberi poſſunt.* Quum autem ventriculus in mitiori Quartana facilè pituitam concipit, & febrim auget, oportet vomitu per intervalla ventr. evacuare, hauſtulo vini prius ebibito in quo cort. medianæ. rad. jugl. ſunt maceratæ ac ebullitæ; aut aſſumpto hauſtulo aq. ex granis Juniperi per deſcenſum cum pelvi deſtillatæ; præſtat autem vomitum ciêre paulo ante Paroxyſmum; poſt vomitum, ante ſequentem Paroxyſ. feliciſſimo ſucceſſu exhiberi poſſunt ℨ j. ß. *Ther. And. cum vino* reſolutæ, idque crebrò repeti debet, ut Galenus jubet. Alia quoque Antidota adverſus Quartanam paulo ante Paroxyſmum exhiberi poſſunt, quale hoc ſequens eſt:

Vomitus in miti quartana prodeſt.

Specifica contra Quartanam.

℞ *Mitrid.* ℨ. *ij. quæ reſolvantur in hauſt. vini in quo incocta ſint fol. Roriſm. & Cetrah. ana q. ſ.* utiliſſimum eſt & ſequentem pul. cum præſcripto ante paroxyſmum propinare:

℞ *Cinam. Piper. nigr. ana* ℨ *j. croci, Myrrhæ, Styracis calam. Sagapeni ana* ℨ ß. *Benzoi* ℈ *ij. Rad. Gentia.* ℨ *j.* ß. conterantur

D 3

tur tenuiss. F. Pul. Dosis est ʒ j. ß. Aut in eodem vino ante Paroxys. exhibeantur *gutt.* 9. *ol. Vitr. Aut pul. castor.* ℈ij. præscriptis remediis non est utendum statim in initio febris, sed ubi aliqua concoctionis signa in urina apparent, & evacuatio colluviei præcessit. His omnibus per mensem usurpatis, tandem abstineat æger ab usu medicamentorum per octiduum, ac deinde eadem remedia repeti possunt. Porro topica & foris usurpanda remedia in simplici sive miti Quartana, præcipua hæc sunt, ubi concocta & evacuata est colluvies melancholica, & obstructiones viscerum sunt apertæ, utilissimum est ægrotum in die quietis in lavacrum sive balneum deducere ac lavare; debent autem in lavacro concoqui *fl. chama. Melilo. Anethi, Origani, Serpil. Betho. Fœnic. Salviæ & similes ana. q. s.* Minimè obstante quod Fuchsius balnea in Quartanis improbet. Tandem post balneum & alias quotidie mane ac vesperi dorsi spinam & Hypochondrium sinistrum inungere, sequenti Linimento, magnum adfert præsidium: ℞ *Ol. è Cappare, è Castor. ana* ℥ß. *Nardini* ʒij. *Chamam.* ʒj. *Ceræ q. s. F. Linimentum, quod aceto rosa. ter eluatur. Aut fol. abrotani in ol. Rutæ* contusa coquantur, & eo prædicta loca inungantur, carpis manuum instar catapl. alligentur, aut *Bursâ Past. cum aceto contusa, aut Ruta ac. salv. cum aceto rosa. contusa.* His omnibus si non cedat febris in corporibus pituitosis & Melancholicis, felicissime uti possumus quotidie bis ℔ j. sudorificæ potionis ex sarmento Indico *Sarsa parilla* dicto, cujus parandi utendique rationem in peculiari libello descripsimus. Porro si quartana Febris corpus Temperamento calidum & siccum, sive sanguineum & biliosum occupaverit, præscriptis remediis minime utendum est, in ejusmodi enim Quartanis Epar ut plurimum inflammatur, & sanguis torretur, bilisque flava aduritur; unde adusta colluvies Melancholica constans ex retorridis sanguine, bile fl. & putrida Melanch. generatur, in qua moderate refrigerantia sunt adhibenda. Talis autem corporis constitutio hisce signis dignoscitur in Quartanis: 1. Prosternitur appetentia, sitis adest vehemens, & capitis dolor; & calor febrilis instar Tertianæ extensior est, & urina rubescit; itaque in ejusmodi constitutione corporis & victus ratio, & medicatio refrigerans & humectans prorsus diversa à præscriptis remediis institui debet. Ac primum quidem præmissa alvi evacuatione per Clyst. & Venæ Epat. dextri humeri sectione, alimenta sunt præscribenda quæ refrigerant & humectant; ut sunt, Pruna, Cremor Ptisanæ, ova sorbil. caro vitul. ovilla, ac pull. gall. Pisces autem non nisi fluviatiles & squammati, & ex his percæ aculeatæ & lucii concedi possunt: alimenta quoque cum uvis omphacii condiri affuso aceto possunt, nec lactucæ usus in acetariis improbatur. In potu conducit aq. hord. aut vinum tenue cum aq. dilutum, aut lac ex 4. sem. frig. major. cum aq. hord. & Saccha. *candi* confectum, aut cerevisia clara & refrigerans, qualis est *Brunsvicensis*; aut apud nos *Hildensis*. Vinum autem plenum, & omnia quæ melle & aromate sunt condita, vitanda sunt. Fervorem & acrimoniam ustulatæ colluviei Melancholicæ ante evacuationem crebra usurpatione *Syr. Viol. de Cicho. Endi. Acetos. Citri Oxy. Sacchari. Syr. de lupulo Borag. & de Fuma.* obtundere & mitigare oportet. Ex eorum autem Syr. singuli aut quorundam ex eis commixti mane ac vesperi pro singulis vicibus exhibendæ sunt ℥ ij. cum ℥ iij. vel 4. *aq. Cichor. vel Endi. vel Fumar.* commixtorum. Prodest pro Syr. uti haustulo uno singulis vicibus seri lactis caprini, in quo Cetrah & Fuma. incocta sint. Aut ℞ *Rad. Cicho. Polypo. ana* ℥ß. *cetrah. capill. Ven. ana M. I.* 4. *se. frig. mai. ana* ʒij. *Conf. Viola. Borrag. Bugl. ana* ʒj. *sacch. candi.* ℥ *iij. seri lactis Caprini* ℔ 4. *Aceti vini* ℥. 4. simul concoquantur in duplici vase per 2. horas. F. Potio, cujus ℥ 4. mane ac vesperi exhibeantur. Præscriptis remediis per intervalla

Topica. *Sudorifica in quartana.* *Cura Temperamenti calidi.* *Signa.* *Diæta.* *Alterantia.* *Purgantia.*

tervalla duorum Paroxyſmorum uſurpatis, putrida colluvies ſubtrahatur *aut* ℨ x. *Pulpæ Caſſ. aut* ℥ 1. *Elect. Lenit. in aq. Endi. diſſoluti.* aut ſequenti hauſtu: ℞ *Rhab. el. fol. Senæ ana* ℨ j. ſ. *Thymi Epith. ana* ℨ ſ. contuſa colligentur in ſyndone. F. nodulus laxus, qui per noctem, in ℥ 4. *aq. Card. Bened. aut Cicho.* maceretur, & diluto poculo in aquam ferventem impoſito ebulliant per octavam horæ partem, deinde Nodulus fortiter exprimatur. F. Hauſtulus, qui die quietis, 6. horis ante prandium exhibeatur. Si quis autem remedium fortius habere velit, huic liquori admiſceri poteſt ℨ ij. *Diacathol. aut* ℥ j. *Syr. roſat. ſolut.*

In bilioſa conſtitutione vomitus ſpontè veniunt. Quartana febris quæ corpora Temperamento bilioſa occupat, ut plurimum in ipſa invaſione evomitiones ſpontaneas excitat: Tales quartanæ ſola *aq. roſ.* probè refrigerata ad ℥ vj. menſuram ante Paroxyſmum exhibita, & paulo poſt cum vomitu ejecta, feliciſſimè curari poſſunt. Superiores purgationes ſubinde repetendæ erunt, poſt 3. aut 4. Paroxyſmos. Vires ægroti continue ſunt corroborandæ ſeq. *Corroborantia.* Elect. ℞ *Rad. Cicho. Cond. Pyrorum Moſcat. condit. & conciſ. ana* ℥ j. *conſ. Borag. Bugl. Viol. ana* ℥ ſ. *Marga. prap. Coral. Rub. prap. ana* ℨ ß. *Syr. Acetoſ. citri q. ſ. F.* Elect. cujus ſemijugl. q. ſæpe exhibeatur. Idem præſtat & *rot. manus Chriſti* vocatæ, & *Diarhodon. Abb.* in ipſo Parox. guſtatæ. Topica remedia foris applicanda in febre quartana præcipua hæc ſunt: In omni *Topica.* Quartana laudatur à Medicis Baln. aq. dulc. verum cum in corporibus bilioſis Quartana laborantibus, vires magis, quam *Lotio pedum.* in pituitoſis ac Melancholicis proſternantur, ego pro balneo, ſola pedum lotione, tum ad refrigerationem, tum ad ſomnum conciliandum, veſperi cubitum ituro uti conſuevi. In ea autem lotione concoqui debent *fol. ſalvia, violaria, capita Papav. & Chamam.* Ventriculus & utraque Hypochondria & tota ſpina dorſi quotidie bis, & ſimul paulo ante paroxyſ. ſequenti Linimento inungantur:

℞ *Ol. Roſa. Nymph. Citon. ana* ℥ ſ. *Mucag. ex ſem. Citon. cum aceto roſa. facta* ℨ ij. *Cera alba q. ſ. F.* Linimentum, cor- *Linimentum.* dis regioni & manuum carpis & dextro Hypochondrio in Paroxyſmo, & aliàs ſequens Epithema duplicatis linteolis exceptum applicetur:

℞ *Aq. roſ.* ℥ 4. *Borag. Meliſſ. ana* ℥ iij. *Aceti roſa.* ℥ ij. *Sp. Diatrionſant. vel Spec. pro Epithem. cordis* ℨ iij. *commiſc. F.* Epith. quod tepidum imponatur. Hæc eſt curatio Quartanæ Methodica, habita ratione congeniti Temperamenti in ſingulis corporibus. Dixi autem ſupra in quartana febre tardas eſſe Methodicas curationes; itaque irregularem curationem hoc loco ſubjungam, qua non tantum recentiores, ut Arculanus & Amatus Luſitanus, verum & Hipp. ipſe, vel ipſius gener Polybius uſi ſunt, qui jubent poſt humoris concoctionem exhibendam eſſe purgationem non tempore quietis, ſed paulo ante Parox. viribus tum conſtantibus. Cum enim Me- *Purgans brevi ante paroxyſmum.* lancholica colluvies valde tenax, & ad motum contumax ſit, in Paroxyſmo autem à natura commoveatur, eò facilius cedit, & per purgationes ſubduci poteſt. Ego hac ratione non tantum febres quartanas, ſed & quotidianas felici ſucceſſu curavi. Ve- *Experimentum.* rum in hujuſmodi curationibus, ut ſupra monui, ratio eſt habenda non tantum humoris putridi, ſed & virium & concoctionis.

Nunc remedia quæ ſpecifica proprietate & congenita ἀντιπαθείᾳ quartanam febrim pellere poſſunt, & quæ longa experientia comprobata ſunt, ſubjungemus: præmiſſis evacuationibus, & reliquis ſuperiùs præſcriptis aq. roſa. ℥ vj. in ipſo Parox. *Egregium eſt Elixir proprietatis ritè paratum.* exhibitæ, & paulo poſt per vomitum rejectæ, ut ante diximus, & quartanæ & ardentibus febribus medentur. In pituitoſis & Melancholis corporibus poſt tertiam colluviei evacuationem, hauſtus vini, in quo fol. Roriſm. ſunt incocta; cuive, ℨ j. ſ. Theria. Andro. & ℥ ſ. aq. Juniper. ſunt admixtæ, in ipſo Paroxyſmo exhibitus,

bitus, ter quaterve repetendo quartanam tollit; aut

℞ *Calamenta viridis M. I.* aut paulo plus, quæ conſpergatur vino Malvatico, ac contundatur, ſuccuſque exprimatur ac coletur, cujus ℥iij. ante paroxyſmum ebibitæ certâ experientiâ Quartanam pellunt. Guttulæ quoque novem ol. Vitriol. cum tribus aut quatuor cochlearibus Vini generoſi quotidie manè aſſumti, ac potiſſimum in ipſo paroxyſmo exhibiti, abſumunt materiam Quartanæ. Si calida & biliosa ſit corporis conſtitutio, hæc ſequentia magis conferunt: ℞ *Syr. è Cicho.* ℥*j. Aq. abſinth.* ℥. *ij. ol vitri. gutt.* 9. *Miſc. F.* hauſtus, qui omni die manè tepidus exhibeatur; Præclarè item facit ad Quartanam, ſi ſpina dorſi & ſiniſtrum Hypochondrium manè ac veſperi ſequenti Linimento inungatur:

Vini uſus.

℞ *Ol. Lauri* ʒ *vj. ſuc. Rutæ.* ℥ 5. *Aq. Iuniperi.* ℥*j.* ſimul concutiantur & conquaſſentur, donec Linimenti formam conſequantur. F. Linimentum. aut ℞ *Salviæ, Rutæ, Abſinth. Roriſm. Cetrach. ana M.* 5. *Maſtic. Olibani ana* ℥ 5. *Vini ſublimati aut aq. Iunip.* ℥. *ij. ol. Olivarum Laurini. ana* ℥. *ij.* Macerentur per octiduum, deinde concoquantur ad aquoſi liquoris evaporationem, colentur. F. Linimentum. Aut ℞ *Pimpinel. Torment. Card. Bened. Cornu cervi uſti. Diptami albi ana* ʒ 5. *F.* pul. cujus ʒj. in vino generoſo 2. horis ante paroxyſm. propinetur. Vel ℞ *Ol. Chamæ.* ʒ 5. *Laurini, Rutacei ana* ʒ. *ij. Cort. Arant. rec. minutim conciſorum No. ij. Vini ſublimati* ℥ *ij.* ebulliant ad vini evaporationem, & colentur, quo quotidie ſpinam dorſi, Hypochondria, & manuum carpos confricare utiliſſimum eſt. Magis autem efficax fit remedium, ſi prædictæ partes ante inunctionem confricentur ſacculo ex *fl. Chamæ.* conſuto & in vino cocto atque expreſſo. Item,

℞ *Telæ aranearum* ℥ 5. *Vnguenti popul. q. ſ.* ex quibus mixtis formentur ſphærulæ, quæ carpis manuum illigentur in Paroxyſmo. Aranea viva, quam fieri poteſt magna capta, inter duas teſtas nucis jugl. occluſa ac colligata, & collo appenſa, & per 4. dies geſtata, ſpecifica virtute à Quartana liberare creditur. Similiter & Cantharides 4. telis Aranearum involutas, & collo appenſas, Quartanam tollere, proditum eſt. Urina patientis in Paroxyſmo projecta, & cum farinæ q. ſ. ſubacta, & in maſſam redacta, & in clibano panis modo cocta, ſi famelico cani, maſculo quidem, ſi maſculus eſt æger, & fœmellæ, ſi fœmina, projiciatur comedendaque præbeatur, idque ter aut quater reiteretur, patiens quidem liberatur à febre, ſed laborabit canis; Novem item piperis integra grana plures dies deglutita, liberant à quartana febri.

Medicina Magnetica.

Quartana Sæva & Periculoſa, quid, quæ ejus cauſa, ſigna, & quomodo curanda.

Paulo ante dixi nunquam à me viſam Quartanam continuam, ſæpiſſimè autem ſævam & periculoſam à ſimplici Quartana diſſimilimam. Eſt autem quartana ſæva & pernicioſa, quæ quarto quolibet die, ut ſimplex Quartana, acceſſionem habet, ſed ab ea differt, quia hæc ſtatim ab initio & vires & appetentiam proſternit, & per duos quietis dies, natura nullo modo refici poteſt, ſed inducta debilitas ſemper perſeverat.

Quartana pernicioſa.

Differentia à miti.

CAUSÆ προηγ. ſunt morbi ardentes febrim antecedentes, & atra bilis, ex aduſtione vel melancholici humoris, vel flavæ bilis, & in cinerem converſione generata, ſanguineæque maſſæ commixta, vel in Epate aut Liene cumulata. Προκατ. ſunt omnia quæ Epar & Lienem inflammare, & ſanguinem & utramque bilem adurere, in cineremque convertere poſſunt. Qualia autem hæc ſint, paulò ante in curatione mitis Quartanæ enumeravimus.

Cauſa.

SIGNA pernicioſæ Quartanæ hæc ſunt, quarto die Paroxyſmus redit, cum maxima virium debilitate, in quo frigus eſt exiguum, ſed calor acris & extenſus ac diutur-

Signa.

diuturnus; Appetentia labefactatur; Urina valde rubet, & est turbida, adest & siccitas linguæ & sitis continua. *Prognost.* In Quartana sæva si Epar vel Splen inflammetur aut intumescat, maximè in corporibus biliosis, aut Melancholicis, citam mortem infert; in Quartana sæva non tantum Lien, sed & Epar obstruitur & inflammatur.

Curatio. Præstaret Medicum hujusmodi Quartanis manus non admovere, Hic enim locum habet: *Hydrops, Quartana, Medicorum scandala plana.* Sed si curatio tentenda est, ea mitissimè est tractanda, ne nimirum Medicamentorum usu vires magis debilitentur. Debet autem & victus ratio & medicatio refrigerans & humectans esse. Initio itaque si adsit obstructio alvi, vel venarum Mesaraicarum, subducatur & aperiatur leni Clystere *ex ℔ j. decocti sive jusculi Malvæ Violæ. Mercur. Alth. & Fuma. cui admixta sunt Pulp. Cass.* ℥j.ß.*ol. viol.* ℥ *iij. & Salis* ʒ*j.* Deinde si corpus sit sanguineum, seu plethoricum, & vires moderate constent, Vena lienaris in sinistro Hypoch. latere, si dolor aut punctio in sinistro Hypochondrio sentiatur; aut Epatica dextri lateris, si in dextro latere dolor affligat, secetur; & ℥ 4. aut 5. sanguinis detrahantur, quo facto victus ratio præscribatur, ut diximus, refrigerans & humectans, in quem usum conferunt *cremor ptisa. Lac. Amygd. cum aq. hord. paratum, Pruna & Cerasa cocta,* ova sorbilia, caro pullorum, & ovilla, & pisces fluviatiles ac squamosi, quales sunt Lucii, percæ aculeatæ & percæ simplices; quæ omnia aut uvis immaturis, aut aceto rosa. condiri possunt; potus sit aq. hord. quæ fervens per *conf. rosa. Nymph. Borag.* percolata est: Virium reficiendarum causa quoque potest vinum tenue concedi, sed in modica mensura & aq. hord. dilutum. Tandem atræ bilis colluvies sensim & blandè subducatur exhibitis. ℥*j.* ß. *Mannæ in q. s. aq. Card. Bened.* resolutis; aut ʒ x. *pulp. cass.* devoratis; aut ℥ *iij. Syr. Viola. solut. cum aq. Lactuca; aut Cicho.* ℥ *ij. solutis & ebibitis. Aut.* ℥.*j. El. lenit. cum haust. aq. Endi. resoluta.* Reliquiæ verò & cinerosæ partes ejus colluviei, quæ in corpore fumigant, earum acrimonia mitigetur & extinguatur aut ℥ ij. *Syr. Viol. aut Syr. è Nymph. aut Syr. acidi è Citro, aut Syr. de Endi. cum* ℥ *iij. aq. Cicho. aut Card. Bened. aut Fumar. aut Lact.* commixtis, & manè ac vesperi ebibitis. Aut loco Syr. manè ac vesperi assumat Lactis haustulum *ex 4. sem. frig. major. & sem. papav. cum aq. hord. vel cum aq. Fuma. vel cum aq. Cicho: confectum, & q. s. Sacch. candi. quod in Syr. Viol. concrevit dulcoratum;* quin & serum lactis caprini, cum ad colluviei adustæ temperationem & ejus lenem subtractionem faciat: eo commodè alternis diebus uti æger poterit in aurora. quæ præstantiùs fit & magis evacuat, si nodulus ex ʒ j. *Rhab. &* ʒ *j. fol. Senæ &* ʒ *j. Polypo. contusis & ejus seri* ℥ *vj. per noctem maceretur.* Et si æger sponte ad vomitionem feratur, per intervalla sumptis (ut ante diximus) in Parox. ℥ vj. aq. Rosa. & rursum evomitis, diminuetur per vomitum & cinerea materia, & mitigabitur febrilis calor. Præter hæc subinde corroborentur vires, *rotulis ij. Manus Christi* devoratis, *aut pyris Moscatellinis condit. vel rad. Cicho. condit. vel* (si haberi possunt) baccis fragorum elotis: & cum vino rub. tenui perfusis saccharoque conspersis. Prodest etiam *suc. Arant. & Granator.* exhibitus, aut corroboretur sequenti Elect.

℞ *Rad. Cicho. cond.* ℥ *j. pyrorum Moscat. cond.* ℥. ß. quæ minutissimè conscindantur, eisque admisc. *Conf. fl. Cicho. Ros. Borag. Bugl. ana* ʒ *iij. Sp. El. de gemmis. Diamarg. frig. ana* ʒ *j. Syr. Citrorum acidorum q. s. F. Elect.* cujus quantitate duarum avellanarum crebrò devoranda exhibeatur. Inter Topica & externa remedia plurimum conferunt, pedum manuumque circa vesperam collutiones; in lavacro verò concoqui debent *fol. Salicis, Lactucæ, capitum papa. Rosa & Chamæ fl.* Conferunt quoque plurimum quoti-

Quomodo cura instituenda.

Corroborans.

Topica.

dianæ inunctiones spinæ dorsi & Hypochondriorum manè & vesperi adhibitæ, cum sequenti Linimento:

℞ *Ol. Rosa. Nymph. Viol. ana* ℥ ß. *Mucag. ex sem. Citon. & Psylii cum aceto. Rosa. facta* ℥ ij. *Unguenti popul.* ʒ j. *cera alba. q. s. F. Linimentum.* carpis manuum applicetur in Parox. aut Bursa Pastoris herba virescens cum aceto rosa. contusa, aut placentulæ ex telis aranearum cum q. s. Unguenti pop. confectæ, & collo appendatur aranea viva in Syndone aut testis nucum jugl. inclusa, & gestetur per quatriduum. Symptomata hujus Febris quibus remediis sint tollenda, paulò post enumerabimus.

Quæ Febres in Solidis corporis partibus accendantur.

Naturam humanam ex tribus substantiis, *Spiritibus*, *Humoribus & solidis partibus* constare, ex *Hipp.* docuimus. Omnem itaque febrim in una earum vel omnium accendi, & fundari, necesse est. At febres, quæ in spiritibus & humoribus excitantur, quibus item mediis curandæ sint, in superioribus declaratum est. Sequitur itaque nunc ut de ea febre disseramus, quæ in solidis partium corporis substantiis, inprimis autem cordis, figitur atque hæret, easque vastat ac depopulatur. Hanc & Græci & Latini *Hecticam* vocant.

Hectica febris. *Hectica Febris Quid? Quæ ejus causa, signa, & qualis curatio in ea instituenda?*

Πυρετὸς ἑκτική, id est, Habitualis, vel in habitum conversa febris, quæ in solidis partibus tam hæret firmiter, ut congenita esse videatur, & difficilimè ab eis divelli queat; Hæc febris processu temporis confirmata Græcis μαρασμὸς, Latinis Tabes, Marcor, nostratibus die Dörre q. d. ariditas, oder die Schwindt-sucht nominatur, id est, morbus consumens. *Marasmus.*

Quid? Est autem Hectica febris continua, id est, semper in corde & partium substantiis ardens, easque absumens, arefaciens & ad extremam macilentiam totum corpus deducens, calor etsi quidem mitis, uniformis & æqualis esse videatur, adeo ut æger ipse minimè se febrire sentiat, nec dolores inferat, (nullos enim excitat Paroxysmos) tamen præternaturalis & acris est, urens & exsiccans, qui brevi tempore omne primogenium sive humidum radicale primùm in corde & per universas partium substantias perfusum absumat ac depopuletur. Deinde & humores secundarios ex assumpto alimento confectos, & partibus nutriendis apponendos absumit & exsiccat. Tertio, quicquid in corpore pingue ac molle est, id omne colliquat & instar flammæ absumit, & ita universum corpus in extremum marcorem conjicit, nec medullis ossium parcens.

CAUSA autem cur Hectica febre deprehensi nec se febrire sentiant, nec calorem doloremque percipiant, ita ut sæpe & probè ratiocinando, & compositè loquendo, extinguantur, instar accensi luminis, hæc est, Quod intemperies in Hecticis æqualis & uniformis, & calor febrilis calorem nativum suppressit ac vicit, in ejusque locum in tota Substantia hominis successit, nullamque in corpore sibi habeat contrariam Qualitatem, ex qua contrarietate & dolor & Paroxysmus excitetur. Ideò calorem febrilem non sentit æger in Hectica, nisi post sumptum alimentum, ex quo cordis substantia ardens nonnihil irrigatur, qui mador ferventem vaporem excitat, & exteriorem propellit. Quemadmodum calx viva aut silex candens si aqua conspergatur, vaporem & æstum exhalat. Figmentum anile est, Febrim hecticam in 3. Species distinguere, cum unicus & uniformis sit calor, solidas partes vastans: non tamen ineptè eam quis remissionis & intensionis ratione, in tria tempora dividere potest, *in Principium, Medium & Finem*: vel potius in 3. gradus; & principium quidem *Cur hectici se febre corripi non sentiant.* *Tria hectices Tempora.*

quidem Hecticæ difficulter cognoſcitur, ſed cognitum facilè curatur: Finem autem & confirmatam Hecticam, quam *Maraſmus incurabilis.* μαρασμὸν à Græcis vocari dixi, non niſi Deus ipſe miraculosè curare poteſt.

Cauſæ. CAUSÆ *Hectices* προηγ. Sunt febres ardentes vel putridæ, vel Ephemera diu perdurans, Hecticam antecedentes & in ipſam degenerantes: Item viſcerum internorum ac potiſſimum cordis & partium Thoracis, Renum, Ventr. Diaphr. & colluvies bilioſa, & ſalſa pituita in thoracis capacitate collecta, ſimiliter & pleuritis & φθίσις, & περιπνευμονία, & Ventriculi inflammatio, & colicus dolor malè & infeliciter curatus. Excitatur quoquè nonnunquam Hectica febris ex mœrore, doloreque animi cor torrefaciente. *Summa*, Quidquid cor ipſum arefacit, Hecticam excitare poteſt; ſine enim cordis ſicca temperie ea generari nequit. Προκατ. ſeu foris incidentes cauſæ ſunt, aſſumpta intra corpus venena, alimenta ac potiones impenſius calefacientes, & exiccantes, aut exulcerantes, diuturna mora in gelido balneo, aut vaporario, & poſt balneum frigidiſſimæ potionis larga aſſumptio, & diuturna mora in gelido & extremè frigido aëre, item viſcerum vulnerationes.

Signa incipientis hecticæ obſcuriſſima. SIGNA Hectices febris incipientis quidem nulla dari poſſunt, niſi quis eam ex gracilitate tenuitateque & bilioſa conſtitutione corporis & pectoris anguſtia, aliquem in Hecticam incidere, prædicere velit; εὔσαρκα enim & pinguia corpora non facilè ab Hectica febre infeſtantur. Jam verò factæ Hecticæ ſigna manifeſta ſunt, nimirum totius corporis macilentia; quæ proceſſu temporis ita ingraveſcit, ut præter cutim & oſſa in corporis partibus nihil conſpiciatur, aut deprehendi queat. Faciei cutis ſquallida eſt, oculi concavi, Tempora collapſa, ungues longi & incurvi, & totius corporis vividus color evanuit, ſomnus eſt inquietus & turbulentus, calor corporis ad contactum initio quidem mitis eſſe videtur, ſed paulo poſt magis magiſque acris, erodens & ſiccus redditur. Volæ autem manuum & plantæ pedum ſemper calidiores ſunt quàm reliquæ partes corporis; id autem certiſſimum ſignum eſt Febris Hecticæ, quod paulo poſt aſſumptum alimentum & æger ſentiat vaporem calidum in corpore aſcendere, & à quolibet tactu deprehendatur, & ex pulſu dignoſcatur, calorem ſolito majorem in corpore excitari; cujus rei cauſam paulo ante commemoravi, dato exemplo à viva calce liquore perfuſo. In medio Hecticæ *Signa factæ hecticæ;* febris puncto, propter pinguedinis & mollium partium colliquationem, & excrementa alvi pinguedine perfuſa cernuntur, & in urina pinguedo inſtar aranearum telis innatat; quæ tamen ſigna ceſſant, ubi He- *Conſummatæ.* ctica ultimum gradum attigit, & in μαρασμὸν tranſivit, quia nulla amplius pinguedo in corpore ſupereſt. Pulſus autem durus eſt, tenuis & creber, verum urina in principio ſalubri ſimilis eſt, ſed deinde tenuis, ſubtilis & paulo rubicundior evadit.

SIGNA *Prognoſt.* hæc ſunt: Hectica febris in initio non curata, proceſſu temporis in μαρασμὸν tranſit, μαρασμὸς autem eſt certiſſima via ad mortem. Pinguedo urinæ innatans Hecticæ certum eſt indicium. Quamquam etiam in pleriſque putridis febribus & inflammatione Renum diſcerni poteſt. Furfures in urina non affecta veſica, item crurum tumor in Hectica, & fluxus ventris, & capillorum defluvium, præſentis mortis indicia ſunt.

CURATIO: Etſi Hectica curatio dif- *Curatio.* ficillima ſit, quantum tamen in Medico eſt, minimè debet operam ſuam ægroto & ſuis amicis denegare, prædicendo ſaltem cauſas difficultatis. Oportet autem Medicum in Hecticæ curatione vigilantiſſimum eſſe, & omnem errorem in cu- *Cautio.* rando præcavere, præſertim qui deinceps emendari nequit; ac primum conſiderare debet, utrum Hectica morbus ſit aut Symp-

 toma,

toma, qualis est in exulceratione pulmonum: Ubi enim Symptoma est Hectica, frustra laborabit Medicus in ejus curatione, nisi prius morbum tollat. Porrò universa curatio Hecticæ febris consistit in alteratione, id est, refrigeratione, & humectatione potius quàm in evacuatione. Quamquam nec ipsa evacuatio pharmacis mitissimis, si corpus sit κακόχυμον, aut viscera sint obstructa, negligenda. Alteratio autem, id est, caloris & siccitatis refrigeratio & humectatio, perficitur victus ratione, remediorum intra, tum extra corpus exhibitione, & Symptomatum, quæ Hecticam comitantur, emendatione. Circa victus rationem causæ naturam nostram alterantes, quas *Res non-naturales* Medici vocant, ita gubernandæ erunt; Aerem in quo versetur æger & decumbat, oportet esse vel naturâ vel arte frigidum & humidum. Talis autem arte redditur, si cubiculi pavimentum vel solum aqua frigida crebrò conspergatur, aut floribus foliisque virescentibus refrigerantium herbarum, ut sunt rosæ, violæ, gramina, fol. Salicis & Nymph. consternatur. In tali loco versetur æger, & lectus in quo decumbat adornetur. In lecto autem subjiciendæ sunt stragulæ molles, non multis plumis tumentes, quibus utilissimè aluta seu pellis undè culcitræ præparantur, imponitur, & mollissimis & quàm mundissimis linteolis obtegatur, quæ lintea veluti & stragula subinde mutentur. Stragula autem quibus se contegit æger, non plumacea, sed ex pannis & lana, aut ex alia materia consuenda sunt. Ex plumis enim facilè inflammatur corpus, & exacerbatur Hectica. Hyeme tamen & frigida constitutione aeris, antequam se in lectum conferat æger, moderatè calefacere oportet stragula.

Victus ratio.

Ad cibum ac potum quod attinet, omnia debent esse refrigerantia & humectantia optimumque sanguinem generantia, cujus generis sunt ex carnibus caro pullorum gallinaceorum, caponum, perdicum, avicul. sylvest. hædorum, vitulorum, agnorum, & bovis juvenculi. Hæc autem elixa potius & jurulenta quàm assa conveniunt, & omnia saccharo & uvis passis minutis condienda sunt: ex piscibus concedi utiliter possunt percæ aculeatæ, simplices, & lucii, item passeres & strumuli ac aselli indurati pisces, qui nostratibus Schullen und Bergerfisch nominantur, probè macerati ac cocti, anguillæ pinguiores non elixæ, sed assæ concedi possunt. Reliqui autem elixari debent & condiri saccharo & uvis passis, quorum juscula addita pauca Ichtiocolla cogi ac congelari debent. Inter pisces autem omnes convenientissimi sunt Hecticis, cancri fluviat. non ultra modum saliti: ex oleribus prosunt, Lactuca, Portulaca, Spinachia, Gingidion & Cariotarum radic. His addi licebit ova sorbilia, aut ova confracta & in ferventem aquam elixa, ac cum albuminibus non nimium induratis comesta; item ex ovis & lacte parati casei; utilissimum quoque est lac ex amygdalis confectum, & cremor Ptisanæ. & Hord. excorticatum; lac. item caprillum recens mulctum & saccharo conditum. Ex fructibus prosunt pruna Ungar. dul. cerasa, uvæ passæ & uvæ recentes, Amygdala, Pineæ & Pistacea. Lac omnium utilissimus cibus est Hecticis: id enim non modò nutrit, sed & assumptam substantiam restaurat, humectat & refrigerat. Inter lactis autem genera laudatissimum est sugere lac mulieris sanæ & nitidæ; quod si haberi nequit, Lac caprinum recens mulctum & adhuc tepens pauxillo saccharo conditum manè ac vesperi bibitum. Verùm circa lactis & lacticiniorum usum id observabit Medicus, ut ne Hecticæ adjuncta sit alia febris putrida, ne adsit capitis dolor, ne ventriculus biliosa, aut alia vitiosa colluvie sit infarctus. His enim minimè convenit Lac, statim enim assumptum corrumpitur & varia infert Symptom. Ideo explorare debet Medicus, utrum æger lactis usum tolerare queat,

Cibus & potus.

Cautio in usu Lactis.

Ventri-

Ventriculo prius leni purgatione evacuato, exhibeat initiò ℥ iij. aut 4. lactis; id si probè concoquat, & nihil molestiarum ex eo sentiat, nec post assumptum lac gravitas in ventriculo sentiatur, aut singultus excitetur, aut vomitus nauseaque succedat, nec calor in corpore, nec pulsus intendatur, tum poteſt integra ℔ manè ac vesperi propinari; post sumptum autem lac, nec violentius se commovebit, nec dormiet æger. In potu ad mensam utilis est Hecticis Cerevisia clara, qualis est *Brunsvicensis*, vel apud nos *Hildensis*. A mensa verò si sitis urgeat, levanda est aq. hordei cum Sacch. aut Syr. Viol. dulcorata, aut lacte ex 4. se. frig. ma. & aq. hord. confecta. Aqua autem hordei præparabitur ex hordeo & uvis passis adjectis, quæ per conservam Rof. ac violar. transcolari potest fervens. Aut levetur sitis aq. Stillat. ex capone, quæ non tantum sitim sedat, verum etiam corroborat, & assumpta restaurat. Aromata autem omnia & quæcunque exiccant ac calefaciunt edulia ac potabilia, ut perniciosa, fugienda erunt. Cum autem in Hectica febre nihil sit magis perniciosum repletione cibi ac potus sive saturitate, hic ordo & motus in alimentorum assumptione est servandus. Parum cibi ac potus pro vice assumat æger; interim tamen inediam ac sitim evitet diligenter. Præstat itaque Hecticis, ter aut quater cibum ac potum offerre, & quidem parum ac boni succi ex iis quæ paulò ante sunt enumerata.

Somnus. Vigiliæ.

Somnus longus utilis est Hecticis, sed præfertur nocturnus diurno. Verum ubi vigiliis nocturnis infestantur, à somno diurno minimè sunt arcendi. Somni autem tempus oportunissimum est, 3. aut 4. horis ante alimenti assumptionem, aut post Balneum, de quo paulo post dicam. E-xercitium omnemque corporis validiorem motum debet vitare Hecticus, quia exsiccat & calefacit. Satis itaquè fuerit si peracto somno æger artus omnes leniter volâ confricet, & caput pectine demulceat, ut pori aperiantur, & leniter obambulet.

Exercitia.

Quantum ad excretionem & retentionem superfluitatum attinet, cavendum est, ne alvus Hecticorum sit adstricta; neve excrementa cum alvi tum Vesicæ diutius retineantur; id si contingat, leni Clystere subducatur alvus hunc in modum parato: ℞ *Malva. Mercur. Violar. Lactuca ana M.* 5. *Fl. Viol. Rosa. Nymph. Hordei ana M.* I. *Sem. Lini* ℥ *iij.* concisa & contusa coquantur in q. s. aq. ad tertias, colati hujus juris accipiatur ℔ j. cui admisceantur *Pulpa Cass.* ℥ *ij. ol. Viol.* ℥ *iij. Salis* ʒ *j. F. Enema.* Ubi verò & reliqua viscera obstructa esse conjiciantur, violenta quidem omnia pharmaca evacuantia vitanda erunt, & satis erit exhibuisse ʒ *x. Pulpæ Cass. aut* ℥ *j.* ß. *Manna in jure gallinaceo solutas, aut* ℥ 4. *Syr. Viol. sol. cum aq. Lactuca.*

Pharmaca sint levia.

Animi vehementes perturbationes, ac imprimis Ira, Tristitia & Sollicitudo vitandæ sunt Hectico; convenit autem moderata lætitia, quæ per Musica Instrumenta, & suavia amicorum colloquia comparari potest.

Animi motus.

Medicatione autem & Topicis & intra corpus assumtis remediis, ita procedendum est. Initiò si alvus sit adstricta, aut si hectica febris ex affectione Viscerum, Epatis, Renum, Ventr. aut intest. originem traxit, Clystere leni paulo ante descripto, aut Cass. Mannáve excrementa flatusque subducenda veniunt. Deinde in Hectica febri utilissimum est singulis diebus bis, aut ad minimum semel in lavacrum aq. dul. tepidæ ægrum deducere. Cupham autem sive tinnam lavatoriam oportet tantæ altitudinis esse, ut æger usque ad collum se mergere queat, & in ea quidem aq. concoquendæ sunt sequentes herbæ: ℞ *Malv. Alth. Viola. fol. salicis capita papa. albi fol. Lactuca, gramina viridia. fol. Tilia. fl. Rosa. Nymph. an.* ad libitum conscindantur & concoquantur. In eadem aqua decoquatur quoque sacculus in quo consuta sunt *Semi. Lini fœnu Graci, ana* ℔ 5. *Se. Psilii* ℥ *ij. Rad. Althea* ℔ 5. *Cort. Tiliæ* ℥ *iij.* Quo sacculo in balneo universum corpus confricetur.

Balnea.

fricetur. Fiat autem lotio pro virium ratione ad ſpacium unius aut ſemihoræ, & oportuniſſimum lavandi tempus erit vel manè jejuno exiſtente Ventriculo; vel paulo ante cænam, ſemper prius depoſitis excrementis alvi & veſicæ, ſi modò natura ad egeſtionem ſit prompta. Cavendum autem ne inter lavandum ipſum caput humectetur. At ſi vires valde ſunt debiles, una hora antequam in balneum deſcendat æger, commodè illi offerri comedenda poſſunt ova tremula ex aq. Roſa. ſaccharo conſperſa, vel ſi famem ferre queat, ea ipſa ova poſt balneum offerantur. Lotione peracta, univerſum corpus mundis linteolis æſtate ad luculentum ignem; Hyeme verò in tepido Hypocauſto abſtergatur, ac poſteà rurſum madefiat cum madidis linteolis in *aq. Roſ.* imbutis, & ita per ſe ſiccare dimittatur; corpore exiccato inungatur ſpina dorſi, & utraque Hypochond. ſequenti Linimento:

Linimentum à balneo.

℞ *Ol. viol. Roſa. Nymph. Citon. ana ʒ ij. Amygd. dul. ʒ iij. Mucag. ex ſe. Citon. & Pſylii cum lacte muliebri confecta ʒ ij. ceræ albæ q. ſ. F. Linimentum. aut* ℞ *Ping. Gallin. rec. Medullæ cruris vitul. Butyr. rec. non ſaliti ana ʒ ij. liqueſiant, eiſque admiſc. ol. viol. Amygd. dul. Nenuph. ana ʒ j. Ceræ q. ſ. F. unguentum, quod ter quaterve eluatur cum aq. Roſa. Deinde admiſc. Mucag. ex ſe. Citon. & Pſylii ʒ ij. cum lacte muliebri facta, probè ſubigantur. F. unguentum.* Hiſce unguentis & inunctionibus uti poterit æger quotidie bis, etiam extra lotionem. Interim tamen ſi in Hectica adſit quoque vel Epatis, vel Renum, vel Ventriculi vel inteſtinorum inflammatio, illorum quoque viſcerum regiones peculiaribus Linimentis & oleis convenientibus diligenter ſunt inungendæ; ut ſi Epar ſit inflammatum, dextrum hypochondrium inungatur *ol. Roſa. & Nymph.* ſi ventriculus uratur, inungatur *ol. Maſti.* & ſic de reliquis. Poſt balneum & inunctionem ad unam vel ſemihoram quieſcat æger; ſi ſomnus irrepat, dormiat parum; ſed ſi à ſiti urgeatur, ante ſomnum bibat hauſtum vel *lactis Amygd. vel Caprilli.* Ac tandem poſt unam vel alteram horam alimenta ſeu cibi ac potiones parciſſime, ut ſupra monuimus, ex iis quæ annotata ſunt, vel ex caponibus pulliſque contuſis eis offerantur. Remediis autem & alterantibus, & naturam corroborantibus abſumptamque ſubſtantiam reſtituentibus, & hiſce ſimilibus hac ſequenti ratione utatur: Foris applicentur Epithemata per intermedias horas, & cordi quidem tale:

Epithema.

℞ *Aq. Still. Nymph. Lact. Viola. Roſa. ana ℥ ij. Aceti roſa. ℥ j. Camphoræ in eis diſſoluta ℈ j. Sandali rub. Sp. Diamarg. frig. ana ʒ j. F. Epithema,* quod duplicatis linteolis exceptum cordis regioni imponatur, & exſiccata in eo iterum madefiant; Epatis verò regioni ſeu dextro Hypochondrio tale concinnetur Epithema: ℞ *Aq. cich. Roſ. ana. ℥ ij. Acet. roſ. ℥ j. Spec. Diarrh. Abb. Santal. omnium ana ℈ j. Aq. viol. ℥ i ß.* Miſce, fiat Epithema; quod linteolis exceptum imponatur; intra corpus hiſce utatur remediis: ℞ *Rad. Pimpin. Endiv. Cicho. ana ℥ ſ. Rad. Borrag. ℥ j. Conſ. Roſ. Borrag. Bugloſſ. Viol. Nymph. ana ʒ vj. Hord. mundati M. I. pru. Vngar. N°. x. Paſſ. mi. ℥ j. Sebeſten N°. x. concoquantur cum ℔ 4. aq. in duplici vaſe per ij. horas colentur, colato juri admiſc. Syr. Cicho. Nymph. ana ℥ j. ß. Viol. ℥ ij.* cujus mane ebibat ℥ v. donec tota potio ſit aſſumpta. Veſperi autem ituro cubitum, præbeatur *lactis ex 4. ſe. major. contuſis cum q. ſ. aq. Hord. parati & Saccha. Candi. in Syr. Viol. concreto,* ad palati ægrotantis placitum dulcorati hauſtus. Et eo quidem lacte & interdiu ad ſitim reſtinguendam uti poterit. Quamvis nihil utilius hecticis quàm aqua ex 4. ſem. frig. major. fl. Cordial. & herb. Epat. cum ſanguine porcelli deſtillata, & man. Chriſti cum perlis dulcorata. Aut matutino tempore bibat hauſtum ſequentis potionis:

Aqua Caponum.

℞ *Lactucæ. Bugl. Portul. omnium vireſcentium M. S. 4. ſe. frig. ma. ana ℥ ſ. ſe. Berberis ʒ ij.* cum hiſce præſcriptis herbis

bis decoquatur capo vel pullus gallin. qui è jure extractus unà cum herbis contundatur, & in balneo Mariæ destilletur. F. liquor limpidiss. Aut ℞ Caponem aut pullum galli eviſceratum, cujus capacitati impone anguillas excoriatas & in frusta concisas, simulque concoque ad semiperfectionem. Deinde è jure exemptus contundatur & in balneo Mariæ destilletur; præscripti utriusque liquoris sæpe bibat æger ℥ 4. Mirum enim in modum refrig. & humect. Idem præstat & aq. stil. cancr. flu. à testis liberatorum & semicoctorum sine sale, aut utatur sequenti potione manè ac vesperi: ℞ *Rad. Buglos.* ℥ *j. Glycyr. abrasæ* ℥ *ß. Rad. Satyr.* ℥ *j ß. Herb. Lactucæ, Portul. Cicho. ana M. ß. Se. Malvæ M. I.* Sebesten *N°. x. 4. sem. frig. ma. ana* ʒ *ij. Sem. Alkekengi* ʒ *j. ß. Berberis, Sem. Citon. ana* ʒ *j. Conf. Viol. Buglos. Nymph. ana* ℥ *ß. carnium cancrorum semicoctorum sine sale & à testis mundatorum* ℥ *ij.* His omnibus contusis & concisis affundatur aq. hord. simpl. ℔ 6. & simul concoquantur in cantharo probe obturato & in ahenum aq. plenum collocato, sive in duplici vase per 2. hor. refrigerata colentur, & colato liquori immisce Saccha. candi Viola. q. s. pro dulcoratione: F. potio. Utilissimum quoque erit subinde bibere aquam stillatic. Violarum purpurearum cum *aq. Nymph. aut aq. cancrorum, prius sine sale coctorum, aut aq. testudinacea.* quæ si in promptu haberi nequeunt, subinde, ut diximus, utatur æger aut *lacte caprillo, aut cremore ptisanæ, aut aq. hord. cum q. s. sacch. candi.* aut *Syr. Viol. dulcorata.* Porrò ad virium corroborationem, & assumptæ substantiæ restaurationem crebro, & diu & noctu, gustet æger frustulum Marcypanis placentæ, quæ conficienda est *ex Amygdalis, nucleis pineis, aut Pistaciis ana* ℥ *iij. prius probè emundatis & crassiusculè concisis, & in aq. Ros. per noctem maceratis, ac deinde cum albissimi sacchari* ℔ *j. in mortario diligenter contusis, irrorato pauxillo aq. Rosa, cum quibus simul contundi possunt 4. se. frig. ma. ana* ℥ *ß. F. s. a. panis Martius.* Ex præscriptis rebus commodè confici quoque possunt & morsuli adjectis carnibus caponum aut perdicum concoctis & minutissimè concisis *cum sach. albiss. in aq. Viol.* resoluto & ad perfectionem cocto, quibus addi possunt *& Spec. Diamarg. frig. aut Diatrag. frig.* pro Medici arbitrio, aut æger gustet crebrò & semper post sumptum alimentum, ubi amplius non bibere vult, semijuglandis quantitate sequentis Electuarii: ℞ *Rad. Cicho. condit. citri. condit. ana* ℥ *j. pyrorum Moscat. cond. Diaciton. ex succo Citon. & Sacch. sine speciebus conf.* ℥ *ß. quibus minutissimè concisis admisc. conf. Ros. Viol. Borr. Nymph. ana* ℥ *ß. ß. Diamarg. frig. Diatrag. frig. ana* ʒ *j. ß. pul. sem. pap. albi sem. Portul. ana* ʒ *j. Coral. rub. præp.* ℈ *ij. cum q. s. Syr. Viol. F. Elect.*

Aq. anguillarum.

Aq. Cancrorum fluviatilium.

His adjici potest aq. limacum.

Ditioribus ol. perlarum & omnia ex perlis facta auxilium præsens ferunt.

Quia verò diuturnior semper est curatio Hecticæ, quàm aliarum febrium, ne æger unius aut alterius remedii continua usurpatione fastidium concipiat, subinde medicamenta mutanda sunt, & nunc illud, nunc aliud ei offerendum. Porrò ubi Hectica febris adjunctam habet sibi putridam febrim, quod non rarò accidere consuevit, tum nec illius curatio omitti debet: Sed si vires ferant, certis intervallis validioribus remediis putrida illa colluvies & materiæ putridæ febris concoquatur & evacuetur, benignis tamen Pharmacis: Quibus evacuatis præscriptis remediis, ad Hecticæ curationem statim procedatur. Quæ autem remedia singulis putrescentibus humoribus maximè accommodata sint, supra in curatione febrium humoralium tradidimus. Quibus præterea remediis Symptomata Hecticæ febris, ut sunt alvi fluxio, Syncope, & similia, quæ Hecticam comitari solent, mitiganda ac tollenda, paulo post in Symptomatum febrilium curatione & enumeratione dicemus.

Hectica

Hectica senilis.

Hectica Senilis, sive Senum marcor, quid? quæ ejus causa, signa, & quomodo curanda.

Non ab Hectica febre tantum exarescit humidum primigenium in corde & aliis visceribus, & absumuntur molliores corporis partes; verum etiam à senio ætateque decrepitorum, quæ tamen absumptio longè diversa ratione fit, quàm in Hectica febre; in qua præternaturalis calor Substantiæ partium imbutus depopulatur & humidum radicale & humores alimentarios, & colliquat corporis partes. In senecta autem diminuitur calor nativus, & augetur frigiditas, quæ conjuncta est cum summa siccitate; per exiccationem itaque, non per inflammationem, in senibus absumitur substantia partium, corrugaturque cutis ac debilitantur omnes vires. Constat autem macilentiæ & absumptioni senum nullum hactenus remedium inventum fuisse, quo & nativus calor & humidum radicale restaurari potuisset. (Hoc enim si possibile esset, immortalitatem senibus polliceri possemus.) Quicquid tantem impudentissima Paracelsi pecora de suo auro potabili & gemmarum tincturis ac magnalibus nugentur ac glorientur, se nimirum posse illis hominibus jam decrepitis juvenilen formam, & vires restituere, & vitam ad multa secula producere: quæ meræ sunt præstigiæ. Cum itaque inevitabile sit fatum semel mori, satis erit cordatis Medicis de conservatione sanitatis senilis Homericum præceptum illis adhibere. Ita autem inquit Homerus; ἐπὴν λούσαιτο φάγῃτε, εὑδέμεναι μαλακῶς· ἡ γὰρ δίκη ἐστὶ γερόντων. Hæc conveniunt & salutaria sunt senibus, crebò lavari, ferculis bonis vesci, que vino uti, in molli lecto placidè dorbonomire, nullis curis gravari.

Diæta senum.

Est tamen marcor morbus, quo non tantum senes, sed & in aliis ætatibus constituti corripi possunt; quam Hecticam senilem, inde quod marcorem & rugas seniles inducere consuevit, sed minus propriè vocitant. Non enim est Hectica, nec febrim habet adjunctam ut Hectica, sed potius ex siccitate solidarum partium originem habet.

CAUSÆ hujus seniles marcoris sunt, προηγȣ. quidem, extrema siccitas, & caloris nativi penuria in solidis partium substantiis, ac potissimum cordis & aliorum viscerum, in quibus humidum radicale & alimentarium exsiccatur. Item immoderata refrigeratio partium Nutritioni servientium: Aut durus & Scirrhosus tumor earundem partium, imprimis Epatis, Ventriculi, Renum & intestinorum. Προκαλ. causæ possunt esse venena & alimenta impensius refrigerantia & exiccantia; imprimis mœror.

SIGNA Hecticæ senilis, quantum ad habitum corporis attinet, similia sunt marcori Hecticæ febris atque φθίσεως. In his tamen differunt, Extremæ partes semper frigent, ideo ignis luculenti præsentia delectantur, nec post assumptum alimentum calor in corpore, uti in Hecticis magis augetur, neque volæ manuum sunt calidæ, Urina magis est cruda, & albidior, verùm ex urinis non potest certi aliquid statui, cum & color urinæ & substantia per assumta subinde mutentur. *Signa.*

Prognosticum est; consummatus diuturnusque marcor sine febri; in quo cor aridius est factum, ejus frustrà curatio tentatur. *Prognost.*

CURATIO Hecticæ senilis in humectatione & moderata calefactione, virium corroboratione, & assumptæ substantiæ restauratione consistit, quæ per victus rationem, remediorum adhibitionem, & balnea humectantia ac modicè calefacientia tentanda sunt. *Cura.*

In victus ratione aër ad humiditatem & moderatam caliditatem declinare debet, cibi quoque sint humectantes & moderatè calefacientes, concoctuque faciles, ac purum sanguinem generantes, ut sunt carnes pullorum gall. caponum, perdicum, avicularum sylvestrium & bovis juvenculi, ex iisque parata juscula, ova sorbilia, & ex iisdem cum cerevisia confectum jusculum. Ex piscibus percæ aculeatæ cum

febrim

vino coctæ, ac cum cinamomo ac sacccharo conditæ; item lac amygd. Amygdalæ pineæ nuclei & uvæ passæ. Lac caprillum & oryza cum lacte caprillo, & sacccharo cocta; Item cremor ptisanæ & grumi hordeacei, id est, hordei excorticati (Gerstgruben nostrates vocant,) cocti cum jusculo carnis ovillæ aut caponum. In potu conferunt vinum Rhenanum opt. cujus ℔ admixtæ sint ℥iij. aut 4. *aq. hord & sacchar.* ad arbitrium ægrotantis: de ordine & modo bibendi edendique id observetur, ut pro vice parum, & in die ter aut quater alimentum offeratur; idque prospiciendum, ut si alvus sit obstructa, leniatur enemate ex foliis *Mal. alth. flo. chama. Melil. & anethi decoctis, cujus* ℔ *admixta sint pulpa cass.* ℥*ij. & ol. anethi ac Chama. an.* ℥*j.* ß. *salis* ʒ*j.* Quo Enemate singulis septimanis semel aut etiam pluries, si necessitas exigit, uti poterit. Balneum instituatur aq. dulcis in tinna sive cupha, in qua concoquantur herbæ odoratæ humectantes & moderatè calefacientes, ut sunt *rad. Alth. Malv. cum foliis Meliss. Salvia, Major. Melil. Chama. Aneth. Bethon, Serpill, & similes.* Post balneum inungatur spina dorsi *ol. amygd. dul. chama. Aneth. ping. rec. gall.* & ex his præscriptis concinnato unguentum, cui *mucago ex se. lini & rad. Alth.* cum lacte muliebri confecta pro arbitrio admisceri potest. Ventriculus autem semper inungatur cum ol. calefacientibus & humectantibus, qualia sunt *de Mentha, Absint. Nardo & Mastiche.* Vires corroborentur, & absumpta substantia partium restauretur *Elect. & Morsellis & Marcipane*, quæ paulo ante in hectica febri præscripta sunt, additis tamen aromatibus, ac speciebus moderate calefacientibus; ut *Zingib. condit. cinam. & specieb. aromatic. Rosa. Diarhod. abb. & similibus.* Hæc de hectica senili mihi dictanti anno 1577, die 12. Augusti oblatus est æger, Vir Nobilis *Iohannes Rekentin* Hectica senili satis confirmata correptus, & tam macilentus ut vix ossibus hærere videretur, in cujus curatione præter præscripta remedia primum exhibui ʒ *x. P. Cass.* Deinde cum originem mali ex ventriculi & intestini vitiosa constitutione haberet, quotidiè manè ac vesperi exhibui *gutt. xj. ol. vitriol.* & quotidie semel in balneum collocavi & inunxi, ac spero salutares *manus Christi* summi Archiatri, quem mihi collegam exoravi, adeoque meam curationem prosperum eventum habituram, confido.

SECTIO III.

DE PESTE.

Quæ Febris in omnibus humanæ naturæ partibus accenditur, totique naturæ perniciem adfert?

PEstis, *sive febris pestilentialis.* Omnes enim aliæ febres incenduntur aut in spiritibus, aut in humoribus, aut in solidis partibus tantum. Ex iis enim tribus partibus constare humanam naturam, ait *Hipp.* Pestilens verò febris, omnes hasce partes brevissimo temporis spatio adoritur, vastat & destruit: ac primum quidem pestilens contagio cum aëre infecto intra corpus hausta, accendit Spiritus, & levissimam excitat febrim, Ephemeræ similem, ac mox in humores transilit, eosque corrumpit; aut primum humores aggreditur, cum sævissima febre, & diris symptomatibus: Paulo post humidum primigenium in solidis partibus sparsum depopulatur, in eoque calorem nativum extinguit, vitæque pernicem adfert.

Pestis sive Pestilentialis Febris quid.

Λοιμὸς Pestis, & ἐπιδημία morbus popularis, πυρετὸς λοιμώδης Pestilens febris seu contagio idem significant, & sunt nomina unius sævissimi & contagiosi perniciosissimique morbi, qui eodem tempore certisque in locis sua contagione permultos inficit & jugulat. Febris autem pestilens nominatur, quia perpetuò cum febre miti quidem, si spiritus *Appellationes Pestis.*

ritus occupavit; ſæviſſima autem, ſi in humoribus primum eſt accenſa, homines invadit. Peſtilentem febrim *Hieronymus Fracaſtorius* Italus, Medicus ac Philoſophus Doctiſſ. Ita deſcribit: *Peſtilentem febrim dicimus eſſe febrim ſordidæ & profundæ putrefactionis, includentem ſeminaria acutiſſimæ contagionis per ſe, propter quod & lethalis eſt, & ad alios contagioſa.* Verum cum putredo per ſe non ſit ſufficiens, ut contagioſa ſit febris, niſi incluſa habeat ſeminaria peſtis; & quid illud ſit ſeminarium, nondum ſit ſatis explicatum, quod nos Qualitatem ſeu tincturam venenoſam eſſe judicamus, & tamen quale ſit illud ſeminarium, & unde in aërem accedat, ignoremus, aliam definitionem Peſtis cauſalem, Chriſtianæ fidei analogam ſubjicimus. Nimirum, *Peſtilentiam ſive peſtilentem febrim eſſe pœnam divinam ulciſcentem enormia ſcelera hominum, per venenata ſeminaria peſtis in aërem à Deo ſparſa, ac deinde per contagionem, in multos propagata.* Et ab hac definitione non diſſentit *Hippocr.* Qui peſtem Divinum quiddam eſſe fatetur; nec *Gal.* ipſe, qui *lib.* 1. *cap.* 4. *de differentiis febrium*, ubi de cauſa febris peſtilentialis diſſerit, ita inquit, *τὸ περιέχον ἐμφέρεσθαι τινὰ λοιμοῦ σπέρματα*, id eſt, in aëre contineri quædam peſtilentiæ ſeminaria. Et cum *Galenus* non explicet quid ſint ſeminaria peſtis, nos venenatam & contagioſam qualitatem à Deo in aërem ſparſam judicamus.

Definitio Theologica.

Quid vocetur contagium, & qui morbi ſint contagioſi.

Contagium quid.

Contagium eſt quicquid aut corporali ſuo contactu, aut mediante ſpiritu, aut aëre halituque, aut fomite alium inficit, & ſuam venenatam qualitatem communicat. *Fracaſtorius* dicit: *Contagium eſſe infectionem quandam ab uno in alium transeuntem.* Plures autem ſunt morbi contagioſi, ſed non, ut peſtis, lethales, quales, lepra, elephantiaſis, & Siphilides, quas *morbum Gallicum* vocamus, variolæ & morbilli, qui ſuo contactu inficiunt; *φθίσις* contagioſa eſt per halitum ex infecto attractum. Lippitudo contagioſa eſt per radios ſpirituum; Peſtis autem contagioſa eſt, cum per aërem infectum, tum per halitum infecti, tum fomitem ſemina peſtilentiæ in ſe continentem.

Quomodo, & quot modis Peſtilens contagio inficiat hominum corpora.

Peſtis quot modis contagioſa.

Diximus ſeminaria peſtis ſive tincturam per aërem eſſe ſparſam; cum autem ad conſervationem vitæ, aëre ne momento quidem carere queamus, ſed ſubinde intra corpus noſtrum attrahere cogamur, idque tum per inſpirationem per os & nares; tum per perſpirationem per poros cutis, qui non aliud ſunt, quam oſcula arteriarum ac venarum, per quæ corpus univerſum perſpirabile eſt, in quæ ubi aër peſtilens irrepſit, ſtatim in venas ipſas fertur, & ſanguinem reliquoſque humores inficit ac corrumpit, ſi verò per oſcula arteriarum irrepit, ad cor defertur, & ſpiritum vitalem inficit, & febrim peſtilentialem accendit. Secundò inficiuntur corpora per halitum & vapores ex converſatione infectorum attractos, ſimili ratione ac per aërem inſpirando & perſpirando. Tertiò inficiuntur fomite, id eſt, contrectatione & uſurpatione rerum corporumque à peſtilenti contagione infectorum, in quibus ſeminaria peſtis continentur, tincturaque peſtifera imbuta ſunt, ejuſmodi ſunt veſtes, ſtragulæ, lectuli, merces, ciſtæ, vaſa lignea, ædes infectæ, conclavia infecta, parietes, libri, & omnia vaſa utenſilia in loco non perflabili, & peſtilentiali contagione infecto contenta & occluſa, in quibus peſtilens contagio etiam per multos annos deliteſcere, ac alios ſuo contactu inficere poteſt. Nec id ſanè admirationi nobis eſſe debet, cum videamus alieno odore & lignea vaſa & cubicula imbui, imbutumque odorem longo tempore in iis conſervari; & videmus parietibus tabulatiſque tincturam fumi tam tenaciter inhærere; at tinctura peſtis per aërem ſparſa longè tenuior eſt, penetrantior ac tenacior,

Peſtis communicatur corpori tribus modis.

Simile.

cior, quàm ullus odor aut fumus, quæ tinctura ſimilis ferè eſt odori exigui fili ſulphurati, ſi accendatur, qui citiſſimè totum conclave replet & inficit, & ad nares omnium, qui in cubiculo ſunt, ſine deprehenſione viſûs, fertur.

Quæ corpora ſint magis apta ad concipiendam peſtilentem contagionem? Et cur quidam, cum contagioſis continuè converſantes, non inficiantur.

Corpus corpore in imbibenda peſte capacius.

Non omnis peſtifera contagio ejuſdem eſt naturæ, vel non ad omnia corpora æqualem habet conformitatem; aliæ enim contagiones peſtiferæ analogiam habent ad corpora puerorum ac juvenum; aliæ ad corpora adultorum; aliæ, ſed rarius, ad ſenes; &, ſi quid conditio fortunæ ad id faciat, aliæ habent analogiam ad corpora prædivitum; aliæ ad tenuioris fortunæ hominum corpora; aliæ magis ad alterutrum ſexum; præterea aliæ analogiam habent ad ſpiritus, quæ omnes, quotquot corripiunt, jugulant; aliæ ad corpora ſanguinea, aliæ ad bilioſa, aliæ ad pituitoſa; rariùs ad Melancholica. Ea itaque corpora ad quæ peſtilens contagio analogiam & ſimilitudinem habet, omnium maximè & citiſſimè inficere ſolet. In genere autem ea corpora, quæ temperamento humidiora & calidiora ſunt, & quæ multa ſordida colluvie ſunt referta; item quæ cutis raram habent texturam & conſtitutionem, & poros nimium dilatatos ac patentes, ea magis ſunt apta ad concipienda ſeminaria Peſtis. Quod autem quidam in peſtilenti aëre, & inter infectos continuè verſantes, non inficiantur à peſtilenti contagione, hujus rei tres potiſſimum poſſunt dari rationes: *Prima & præcipua* eſt Divina conſervatio ac protectio, quæ eos potiſſimum conſervat mirabili ratione, qui in officio ſuo verſantur fideliter, ut ſunt, ægri adminiſtri, verbi Divini Concionatores, & fideles Medici, qui ratione officii ſuam operam & præſentiam infectis denegare non poſſunt; idque juxta illud; *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in viis tuis*, id eſt, *tuâ vocatione. Secunda eſt*, quod peſtis ſeminarium ſive tinctura, ea corpora, ad quæ non habet analogiam, non facilè tingit aut inficit. *Marſilius Ficinus* recitat hiſtoriam, quales & hodie ſæpe contingunt, ſe habuiſſe puellam 12. annorum peſte infectam, quæ filiolum infantem per integrum diem geſtarit, & præmanſum cibum ex ore infecto præbuerit, & tamen non ſit infectus infans, reliquos autem qui procul ſtarent, infectos fuiſſe. *Tertia eſt*, aſſuefactio & audacia: *Conſueta enim minus lædunt, teſte Hipp. 2. Aph.* 50. Qui itaque ſoliti ſunt diutius cum infectis converſari, non facilè inficiuntur.

Rationes, cur aliqui, cum peſtilentibus converſantes, non inficiantur.

Quæ ſint cauſæ Peſtilentis contagii.

Cauſæ peſtilentiæ.

Cauſas morborum diſtinguunt Medici in προηγουμένας interiores ſive intra corpus deliteſcentes, & in προκαταρκτικὰς, id eſt, externas, quæ foris accedentes, morbos excitant. Peſtilentis autem contagii προηγ. cauſas ajunt eſſe Medici, ſordidam in corpore putreſcentem humorum colluviem: Venarum & arteriarum obſtructiones, quam ſemper ſequitur putrefactio, & animi perturbationes & anxietates; *Nam tempore peſtis plures metu peſtilentiæ & mortis ferè inficiuntur, quàm è contagioſo aëre.* Perturbationem itaque animi ego maximi momenti cauſam eſſe judico, per quam magna hominum pars peſte corripitur. Omnium autem cauſarum προκατ. quarum aliæ ex aſtris, aliæ ex aëris ſuprema regione, aliæ ex aquis, aliæ ex terra pendent. Ex aſtris aërem infici ajunt Medici, ubi Martis & Saturni ſtellæ in humana figura aſteriſmo coëunt, vel cum ipſis erraticæ ſtellæ aut conjunguntur, aut nos infeliciter intuentur; id autem probant aſtrologicis rationibus: Sed certum eſt ex aſtris non poſſe contagionem peſtilentem pendêre, niſi per accidens, ubi nimirum motu aut lumine ſuo vapores tetros ac venenatos è terra & aquis eliciunt & in aëra trahunt: Itaque hæ cauſæ ex aſtris ut non contemnendæ, ita non magnoperè ex-

 timeſcen-

timeſcendæ. Ex aëris ſuprema regione inferiorem & noſtrum corpus ambientem aërem infici tradunt, ubi ex aquis & terra, ut diximus, vapores halituſque ſyderum virtute ſurſum trahuntur, & in ſuprema aëris regione exiccati incenduntur & exuruntur, quorum cinis recidens inferiorem aërem venenata peſte tingit. Vt cum Cometæ, aut cauſmata ſeu incenſiones aliaque ignita portenta in aëre flagrant & conſumuntur: & Porphyrius de Cometis ſcribens, Cometam ab Oriente emergentem ad Occidentemque vergentem, graviſſimam peſtem, quam nemo evitare queat, inferre hominibus, ait. Ex aquis peſtilenti contagione aërem infici ajunt, ubi ex putreſcentibus lacubus, & ſtagnantibus aquis, in quibus ob inſignem putredinem piſces moriuntur, anguillæ ad ripas progrediuntur, & reptilia innatantia in littus prorepunt, matutino tempore halitus elevati in aëre tanquam nebulæ diutius hærent, ac tandem per aëra diſperguntur. Ex Terra oritur contagio, cum per terræ motum venenatus halitus erumpit, qui aërem facilè inficere poteſt; aut ubi per terram in aliqua regione cadavera clade occiſa inhumata manent ac putreſcunt; aut ubi in aliqua regione annonæ caritas fameſque durius ac diutius homines affligit. Ex prava enim victus ratione peſtilens putredo in corporibus generatur, quæ tandem per mutuam converſationem ex venenata exſpiratione ſe mutuò inficiunt, juxta vulgatum dictum: λοιμὸς μετὰ λιμόν. *Peſtis poſt famem.* Et has quidem cauſas ac conſimiles, peſtilentem contagionem excitare & ſignificare poſſe, ipſa ratio & experientia teſtatur. Verum quia non ſemper eventus has cauſas ſequuntur, ſæpiuſque fallunt, vel ſanè aliam calamitatem quàm peſtem mortalibus adferunt; (*pura enim corpora æquè, & ſæpe citius quàm ſordida colluvie & helluatione infarcta, inficiuntur*) ſæpè & ad Cometarum apparitiones, & ſtagnorum putreſcentiam Peſtes non ſequuntur. Longè alias & certiores venenatæ Peſtis cauſas è *Moyſe & Prophetarum* ſcriptis haurire poſſumus. προηγȣ. quidem eſſe flagitia, & enormia peccata hominum; Προκατ. autem iidem docent eſſe, ipſum Deum iraſcentem peccatis, & ſpargentem ſeminaria Peſtis in aërem, quibus flagitia puniuntur, non multum habita ratione corporis, utrùm ſint pura vel impura, nec ætatis, aut ſexus.

Signa Peſtilentiæ, & infectorum, quæ.

Triplicia ſigna peſtilentis contagionis traduntur, Peſtis videlicet futuræ, præſentis & infectorum.

Signa futuræ peſtis.

Signa futuræ peſtilentiæ in cauſis Procatharcticis, quæ & cauſæ & ſigna ſunt, recenſuimus, nimirum aſtrorum infelices collocationes, cometarum & cauſmatum incenſiones, auſtrorum crebros & pluvioſos flatus, aquarum inuſitatas inundationes, ſtagnorum putrefactiones, locuſtarum & cadaverum corruptiones, terræ motus, annonæ diuturnam caritatem, & ſimiles, quæ ſigna ut plurimum hæc lues ſequi ſolet. Præterea certiſſima futuræ Peſtis indicia ſunt, ubi in alia regione vel urbe ſcelera hominum accumulantur, & vitia pro virtutibus habentur, & enormia flagitia impunita relinquuntur, Deique verbum contemnitur, hominesquè amplius à Spiritu DEI ſe regi non patiuntur.

Præſentis;

Signa præſentis Peſtis evidentia ſunt; ubicunque enim in eodem loco ac tempore conſimili morbo plurimi moriuntur, & alii ab aliorum conſuetudine ac converſatione inficiuntur, præſentis peſtis ac contagii certiſſima ſunt indicia. Remotiora ſigna præſentis peſtis ſunt, canum nocturni fœdi latratus atque ululatus in faſtigiis domorum.

Infectorum.

Signa verò contagione jam infectorum, alia ſunt communia, alia lethalia. Communia, & vulgata ipſa ſymptomata ſunt, ab infectione in corporibus excitata, quæ tamen variantur pro natura & temperamento corporum; ejus generis ſunt febres vel mites & inſidioſæ, vel feroces atque

atque malignæ. Febrium autem ſatellites, qui & antecedunt & comitantur febres peſtilentes, ſunt hi præcipui; Inſolita laſſitudo corporum, capitis dolor, ſomnus profundus, nonnunquam vigiliæ, faciei decoloratio, anxietas, cordis palpitatio, morſus circa præcordia, appetitus proſtratio, nauſea, vomitiones, ſitis vehemens, linguæ ariditas, quandoque ſordities, bubones & anthraces circa emunctoria; ex quorum eruptione quoque dignoſci poteſt, quodnam principale membrum maximè ſit infectum; Bubones enim ſive tumores, vel carbunculi, ponè aures aut circa collum erumpentes, cerebrum; ſub alis, cor; circa inguina, epar, venenata peſtis qualitate imbuta eſſe, oſtendunt. *Quando verò nulli vel bubones vel anthraces in peſtilenti infectione erumpunt, eò eſt peſtis pernicioſior.* Venenum enim tum in ſpiritibus, & non in corruptis humoribus deliteſcit, & naturæ expulſiva vis, quæ venenum expellere debebat, proſtrata eſt. His ſignis accedunt alvi nonnunquam obſtructio, item excretio alvi putrida & fœtida. Ex pulſu autem & urina infectorum nulla certa indicia ſumi poſſunt, quæ ſubinde variantur pro humoris corrupti natura. Urina enim in quibuſdam rubet, in aliis livida aut ſubnigra, in aliis craſſa & urinæ ſubjugalium ſimilis, in quibuſdam tenuis & cruda. Nonnunquam ſanis & inculpatis urinis ſimilima. Hujus cauſa eſt tinctura peſtis non in ſanguine aut humoribus, ſed in ſpiritibus hærens. Alii dicunt cauſam eſſe expulſivæ facultatis imbecillitatem, quæ craſſiores ſanguinis & humorum partes per renes non ampliùs ſecernere & propellere queat.

Signa lethalia. Signa lethalia & pernicioſa ſunt repentina omnium virium in initio proſtratio, nigræ evomitiones, bubonum carbunculorumque & macularum ſubita eruptio extra cutem, & ſubita iterum evaneſcentia, anhelitus fœtidus, ſanguinis è naribus profuſio, ſi nulla ſequatur morbi levatio; Remotum ſignum mortis eſt, noctuarum ad feneſtras ægrotantis volatus, & infelix clamor. Punctorum liveſcentium ſubnigrorum per cutem effuſio, certiſſimum eſt indicium præſentis mortis.

Peſtilenti contagioni qualis ſit adhibenda curatio.

Veteres nihil laudabile de curatione Peſtis. Admiratione dignum eſt, quod veteres Medici, *Hippocrates*, & *Galenus*, etſi Peſtis & peſtilentium febrium ſæpe mentionem faciunt, de ejus tamen curatione nihil laude dignum tradant; forſan quod ejus curationem valde incertam ac difficilem eſſe viderint; vel quia peſtem à Deo ipſis mortalibus immitti, cujus potentiæ ac voluntati nullis remediis reſiſti poſſit, arbitrati ſunt. *Hippocrates* enim peſtem *divinum quiddam* eſſe dicit: Et Galenus ejus cauſam *præpotentem eſſe*, ſcribit. Et Hipp. quidem hæc verba ſubjungit: τὰ φυσικὰ βοηθήματα ȣ̓ λύει τὴν ἐπιδημίαν λοιμικȣ̃ πάθȣς, id eſt, *Naturalia remedia non tollunt luem peſtilentis morbi.* Nos Deo auxiliante tripartitam Peſtilentis contagionis inſtituemus *curationem*; nimirum, *Præſervativam*, *Liberativam* & *Symptomatum remotivam.*

Curatio Peſtis Præſervativa, in quibus rebus conſiſtat.

Præſervativa curatio, quæ Græcis προφυλακτικὴ nominatur, verſatur circa juſtam gubernationem cauſarum naturam noſtram conſervantium, ſeu earum rerum, citra quarum inculpatam adminiſtrationem homo diu vivere nequit, quas Medici *Res non-naturales* vocant, quæ ſunt numero VI.

I. Aër. II. Cibus & potus. III. Somnus & Vigiliæ. IV. Motus & quies. V. Excretio & retentio. VI. Animi perturbatio ſeu affectus. His adjicitur & *remediorum intra & extra corpus adminiſtratio:* de quibus rebus breviſſimè diſſeremus, & remedia prophylactica ubique referemus; ac in fine experta quæque pharmaca enumerabimus.

Aëris qualis habenda ratio sæviente Pestilente contagione.

Aër principale pestis receptaculum.

Aërem seminariorum Pestis esse receptaculum, & tempore Pestis semper venenata qualitate tinctum & imbutum esse, paulo antè commemoravimus. Quicunque enim peste inficiuntur, sive id contingat per inspirationem, sive per perspirationem, sive per fomitem, corporumque infectorum contrectationem aliorumque exhalationem, ac transitum ab uno ad alium, omnes eos Peste contaminari mediante aëre, necessum est. Quare inter omnes causas, quibus natura nostra conservatur, *curatione præservativa omnium maxima & diligentissima habenda est ratio Aëris*, ut nimirum quàm fieri possibile est, eum evitemus infectum, & è corporibus nostris excludamus, aut tantum ut prius correctum & probè purgatum purificatumque admittamus & hauriamus. Ad evitandum autem aërem contagiosum, omnium Medicorum consensu, & rationis approbatione, nullum præsentius remedium est tempestivo discessu è loco infecto in salubrem. Hæc *tria* enim *adverbia* cum *tribus* suis *verbis* certissima sunt remedia Pestis: *citò fugere, procul discedere*, & *tardè redire*. Verùm cum non omnibus liceat suæ saluti fugâ consulere, & sine notâ impietatis vocationem suam deserere, ex infectoque loco in salubriorem discedere, summa cura adnitendum est, ut & publicus communisque aër, & domesticus subinde alteretur, corrigatur, purificetur, & pestis seminaria in eo extinguantur.

Quomodo & quibus rationibus publicus ac communis aër commodè purificari queat.

Publici aëris purificatio quomodo instituenda.

Ad publici aëris purificationem necessariò requiritur boni ac pii Magistratus autoritas & officium, ut nimirum Magistratus præcîdat omnes occasiones putrefactionis & infectionis publici aeris; id quod fieri potest, si omnibus subditis severè injunxerit studium mundiciei, & curaverit ex publicis plateis ac cisternis omne cœnum, sordes & spurcitiem, in quibus maximè hæret & delitescit tinctura Pestis, extra urbem removeri ac deportari. Si stabula porcorum (quorum virulentus fœtor ipsa pestilentia perniciosior est,) è publicis plateis demoliantur. Si laniis ac tonsoribus severè interdicatur, ne mactatorum animantium, aut venæ sectione detractum cruorem venenatum; & salsamentariis, ne suos putridos garos & putrefactorum piscium salsugines fœtentes, ante ædes suas (ut hîc moris est) profundant; si denique curaverit, ne publica balnea, in quæ promiscuè & bene habentes & infecti simul ingrediuntur, haberi permittantur; si caveatur, ne peregrini ex infectis locis intra civitatem hospitio excipiantur, aut contagio infectæ merces importentur: si ædes, ex quibus plura funera elata sint, ad minimum ad duos menses studiosè occludantur, & inhabitantibus injungatur, ut interim purificationi ædium & aëris contagioni per fumigationes & flammam studeant; si Magistratus publicam aliquam habitationem in aliquo Templo extra urbem cum lectis aliisque rebus necessariis & oportunis administris exstruat, & adornet sumptibus publicis à civibus exactis, in quas misera plebecula, pauperiores, famuli & ancillæ deduci & sustentari queant; si corpora mortuorum Peste, non intra mœnia, sed ante portas urbis in honesto cæmiterio sepeliantur, & in terram altiùs defodiantur. Cum autem nulla re citiùs commodiusque infectus publicus aër purificari, & seminaria pestis in eo extingui possint, quàm flammâ aut fumo: procurare debet Magistratus, ut vesperi post occasum Solis, & manè ante ortum, per compita & publicas plateas fumi suffitusque ex congerie fruticum juniperi, & flamma luculenta, ex doliis picatis incensis excitetur; ea enim ratione, *nimirum flammæ & fumi beneficio, olim divinus Hippocrates pestilentem luem ex Æthiopia in Græciam delatam, citissimè extinxit, & Athenas à contagione liberavit:* Non dissimili

mili quoque modo Patrum nostrorum memoria Civitas *Tornacensis* à Peste, fumo ex bellicis tormentis sive globulis pulvere nitrato explosis ante Solis ortum & post occasum excitato, brevi liberata est. Hæc Magistratus prudentia etsi non careat calumniis & detrectationibus, tamen plenissima est officiis pietatis & humanitatis; & DEO plurimum placet.

Aër privatus ac domesticus, quibus rebus corrigendus ac purificandus.

Aër privatorum quomodo corrigendus. Nihil magis alterat aëris quamlibet constitutionem, quàm gelu, sive excellens ac constringens frigus, ignis sive flamma, & fumi sive vapores odorati; ut igitur de publico aëre est dictum; ita omnium primùm ex aëre domestico & privatis domiciliis removenda erunt omnia putrescentia, & cœnum & sordes, quæ aërem corrumpere & suo vapore inficere queant, summaque cura munditiei est studendum; cum autem, ut dictum est, flamma ignisque luculentus aërem exsiccando purificet, & pestis seminaria extinguat, ut Atheniensium testatur historia, qui moniti ab *Hippocrate* integram sylvam propè urbem incenderunt, & à lue pestilenti statim sunt liberati: Plurimum itaque ad præservationem & aeris infectionem confert, ubi & facere licuerit, in ædibus & conclavibus cubiculisque perennis focus ignisque luculentus, Autumno potissimum & Hyeme, ex lignis solidis, ut sunt robur, juniperus, picea, fagus & *fraxinus*, (quæ tantam habet ἀντιπάθειαν cum venenis, ut nec serpentes, nec virulenta animantia ejus umbram ferre possint) incendatur ac foveatur; cavendum autem, *ne putrida ligna in ignem conjiciantur, quibus nihil est pestilentius*. Ad domestici quoque aeris purificationem plurimum proderit, ventos (qui non sunt aliud quàm commotiones aëris) australes, pluviosos & à regione infectâ flantes; item nebulas matutinas & vespertinas, occlusis fenestris & januis excludere, & flantem Aquilonem, si serenus est, in perflanda conclavia fenestris patefactis admittere. Præcavendum quoque quàm fieri potest diligentissimè in præservatione aeris domestici à contagione, ne aliquis peste infectus, aut cum infecto commercium continuum habens, ædes non infectas ingrediatur. *Persæpe enim contingit, ut per colloquium & familiaritatem tertiæ personæ mediæ inter infectum & non infectum aliquis vel ex halitu vel fomite inficiatur*, pro analogia seminariorum pestis ad diversa corpora. Et sanè non tantum per personam tertiam pestilentem contagionem in salubres ædes propagari posse; verum etiam per feles & canes in infectorum lectulis cubantes, pestem in vicinas ædes esse introductam, disertè testatur *Marsilius Ficinus*, etiamsi ipsis canibus catisque non fuerit noxia contagio; ideoque arcendi sunt ex ædibus alieni canes & cati. Id quoque in aeris domestici commutatione observandum est, qui diutius aliquo in infecto loco sine noxa commorati sunt, minimè consultum esse, ut deinde subitò locum mutent, & se in salubriorem aerem conferant; si enim seminaria pestis ii ante conceperint domi, nec eis fuêre noxia, ubi in alienum aerem pervenerint, citius ac acrius incendentur; sicuti etiam manifestum est ex salubriore aere in infectum temerè se ingerentes, citius corripi & interire, quàm qui contagioso aeri sunt assuefacti. Quia verò non omnibus nec ubique semper datur copia luculenti ignis & flammæ, tum ex usu erit, quotidiè manè ac vesperi fumis odoratis & suffitibus domesticum aerem lustrare & purificare. Quibus autem rebus odoratis in ædibus & omnibus conclavibus fumi excitari debeant, nunc præcipuas tantum enumerabo, videlicet surculis juniperi accensis, ac baccis juniperi carbonibus incensis impositis; *comis floribusque absynthii & lavend. rutæ, menta, spica Celtica, basiliconis, majoran. meliss. & rad. angel.* accensis, vel in cacabum igni impositis; præstantiora iis sunt *Myrrha*, *thus & succinum* in ignitos carbones injecta; opulentiores

tiores verò possunt aërem purificare suffitibus pretiosioribus, quibus & spiritus animales ac vitales suavi odore recreantur, quæ ex myropoliis facile comparari possunt, ex quibus præstantissimus est pulvis subsequens: *Suffitus.* ℞ *Benzoi, styrac. calamit. ana* ℥ *j. Carioph. Fl. Lavand. an.* ℥ *ß. Gran. Iuniperi* ʒ *v. Succ. albi* ʒ *iij. Ros. rub. fol. mentæ ana* ʒ *j.* conscindantur crassiusculè ac contundantur, commisceantur, fiatque pulvis grossus, cujus tanta quantitas, quæ tribus digitis comprehendi potest, aut ignitis carbonibus in cubiculis & conclavibus imponatur, eorumque fumo cubilia compleantur, in quo fumo & vestes & indusia tingi possunt; nam spirant suavissimum odorem; aut idem pulvis ejusdem quantitatis potest inspergi in cacabos fornacum. Alio modo ita præparari potest: ℞ *Ligni Aloës, lig. cupressi ana* ℥ *ß. Myrrhæ, Caryophyllorum, Styrac. calam. Benzoi ana* ʒ *ij. crass. contusa misceantur*, quo ut antea dictum est suffitus odoratus excitetur; quin & supellectilia, stragulæ vestesque & quæcunque alia corpora porosa, si sequenti liquore odoratissimo conspergantur, ea ab omni contagione ac labe pestilentiæ conservat, qui hoc modo præparabitur: ℞ *Spe. Diambræ* ʒ *j. ß. Cariophy. Nucis Moscha. Cinamo. ana* ʒ *j. Campho. gran. iv. Benzoi Styra. cala. ana* ʒ *j. Moschi gran. vj. Hæc omnia crassiusculè contusa in vitream cucurbitam reponantur, eisdemque affundantur ol. Angel.* ℈ *j. ol. ex gr. Iuniperi gutt. v. Aq. Ros.* ℔ *j. ß. Aq. Lavand.* ℔ *j. Aq. juniperi, vel ejus loco vini Rhenæ. Opti.* ℥ *iiij. Aq. mentæ odoratæ* ℥ *iij. Aceti Rosa.* ℥ *ij. commisc. & probè obturata in aquam tepidam sive balneum Mariæ* imponantur & per triduum macerentur, orificio vitri probè obturato, deinde ebulliant per semihoram, & ad usum conserventur. Hoc liquore tempore pestis non tantum vestes & alia supellectilia utiliter conspergi queunt; verum etiam eo, in publicum progredientes, manus, nares, regionem cordis & arterias carpi inungere possunt. Excindit enim omnem aëris venenatam qualitatem; Præstantissimus est hic liquor si spongiola exceptus, & in sphærulam vel argenteam, vel ex ligno juniperi fabricatam pluribus foraminibus perviam includatur, manibusque gestetur, & odorandi causa naribus subinde admoveatur. Plurimum confert tempore pestis, cordis quoque omnium maximè rationem habere. Est enim cor vitæ fons, ac domicilium spirituum vitalium, & cordi potissimum adversatur contagio pestilens. Itaque subinde cor roborandum, & spiritus vitales reficiendi. Sacculus ex syndone paratus in quo sequentia sunt insuta, regioni cordis applicatus, & diu noctuque gestatus conservat & corroborat cor & spiritus vitales; *Sacculus pro corde.* Res autem sacculo imponendæ hæ sunt: ℞ *Ros. rub. redolentium, fol. Melissæ, ana M. I. Pul. Sandali rubri, ligni aloës, Cinamo. Benzoi ana* ʒ *j. Zedoar. Carioph. ana.* ʒ *ß. Cort. arantiorum se. citri. ana* ℈ *j. commisc.* & sacculo insuantur, qui quotidie vel præscriptâ aqua odoratâ, vel vino generoso irrorari commodè poterit.

Quid privatim agendum antequam quis in publicum aërem prodeat.

Satius sanè esset tempore Pestis in domicilio & domestico aëre nondum infecto se continere, & à conversatione hominum & ab omni congregatione abstinere; *Quid prodeuntibus in publicum agendum.* sed quia tum propter privata cujuslibet negotia atque officia, & propter assuetudinem societatis paucissimi se continere in domestico aëre possunt, idcircò qui in publicum prodire vult, ita se gerere debet: initio antequam è lecto surgat, omnes artus leniter volâ manuum confricabit; deinde, ut pori cutis præmuniantur à receptione seminariorum Pestis, si fieri possit, universam cutim, aut saltem emunctoria & cordis regionem illinat aut confricet paucis guttis præscripti liquoris odorati, aut com-

masticet

masticet allium, aut rad. Angel. & inungat saliva aut aquâ tantum rosarum, cui pauxillum vini sit admixtum, & in qua *rad. Tormentill.* & caryoph. & nonnihil *Theriac. Andro.* sunt macerata. Deinde surgat è lecto, sed non nisi post horam à solis ortu, seque induat, quàm fieri potest vestibus mundissimis, indusiis prius odorato fumo, ut diximus, imbutis, tandem caput pectine leniter confricet, & aquâ pura & non fœtida, in qua per noctem sunt macerata vel cort. malorum Arantiorum, vel *fl. Lavend. vel majoran. vel ruta* in linteolum colligata, manus & faciem abluat, dentes perpurget, & os ipsum aquâ, cui nonnihil aceti vini *vel Rosa.* sit admixtum, colluat, naribus autem momentum *ol. nucis mosch.* illinat, aut saltem aq. odoratæ paulò antè descriptæ guttam, & arterias manuum potissimum, ut diximus, inungat. Et ita in verâ fiduciâ & ardenti precatione se suosque Deo commendet, & assumpto aliquo salutari antidoto in publicum prodeat, negociaque sua & officia in timore Domini exequatur.

Quibus antidotis, seu remediis, Pesti adversantibus, singulis diebus quilibet uti debeat.

Antidota per vices usurpanda. 1. Ore mandenda.

Remediorum pestilentis veneni & seminariorum ejus in aëre hærentium, quæ Græcis *antidota* nominantur, tria sunt genera. Alia enim in ore manduntur ac tenentur tantum; alia in manibus gestantur odorandi causa; alia intra corpus assumuntur; Quæ in ore masticantur ac retinentur remedia magis comprobata, hæc sunt: Ex simplicibus quidem, *Rad. angel. Zedoa. Dauci Cretici, Nasturti. Pimpinel. Cardopat.* Quæ radices si per noctem in aceto vini macerentur, præstantiores fient; item his quoque præstantius habetur nobile scordion, sive recens, sive ore masticatum & retentum; deinde *gr. juniperi, Bacca Lauri & semina citri.* Ex compos. sunt præstantissimi pastilli in ore retinendi, qui ex his conficiuntur: ℞ *Sp. Diamos. dulc. Diambra ana* ʒ 1. *Zedoa. Angel. Dauci Cretici. ana* ʒ ij. *Caryoph. Styra. Cala. ana* ℈ ij. *Sacch. candi* ℥ ij. *cum q. s. Theria: Andro:* diutissimè conterantur, fiat massa duriuscula, ex qua formentur exigui pastilli, qui in umbra exiccentur, & necessitate exigente unus ex hisce sub linguâ retineatur, donec resolvatur, qui tandem deglutiri potest. Excludunt enim seminaria pestis, & purificant aërem per inspirationem attractum, & cerebrum, spiritusque animales mirificè corroborant: Utilissimè quoque dentes & gingivæ inungi possunt pauxillo Ther. Andro. aut antidoto nostro de scordio, cujus præscriptionem in Antidotis intra corpus sumendis tradituri sumus.

Scordion.

Trochisci sublinguales.

Antidotorum, quæ tempore Pestis ad corrigendum aërem infectum, corroborandum cor atque cerebrum, reficiendosque spiritus, odorandi gratia in manibus gestari soleant, exquisitiora hæc sunt:

2. Manibus gestanda.

Ex rebus quidem simplicibus, Mala Arantior. Cidonia. Absinth. ruta, Majoran. Mentha, Rad. Angel. Valeria. Campho. Casto. & styrax calam: Ex compositis, Ruta viridis cum pul. Caryoph. contusa & pauxillo aceto conspersa, ac in syndone aut tenui linteolo colligata, est præstans odorativum remedium. Præstantior autem est sequens aqua spongiola excepta & in sphærulam inclusa: ℞ *Aq. Rof. Lavend. Aceti rosa. ana cochlea. vj.* commisc. in vitro quibus parum pul. caryoph. admisceri potest, aut parum camphoræ. Eadem ratione & spongiola liquore odorato paulò ante ad conspergendas vestes præscripto, imbuta & odorandi causa in sphærula inclusa manibus gestari potest; aut manu gestetur sphærula, quam pomum Ambræ vocitant, quæ hac ratione in officinis paratur: ℞ *Ladani rec. & odorati* ʒ ij. *Ros. rub. Sandali Citrini ana* ʒ j. *styra. cala. Benzoi. ana* ℈ ij. *cinamo. odoratiss. Macis. Ligni Aloes, Caryoph. ana* ℈ j. *Myrrha* ℈ s. pulverisata in præcalido mortario & pistillo contundantur, subinde admiscendo mucag.

Acetum rutæ, præsertim autem mille folii, præstantius.

Pomum ambræ.

mucag. liquidam *ex aq. rosa & Tragacantho* macerato, factam, donec in massam tractabilem redigatur. Ex qua massa sphærulæ conformentur & inungantur *pauxill. ol. Angel. aut oleo Caryoph.* & involvantur Bombaci seu lanæ Xylinæ, quæ prius paucis granis, pro cujuslibet arbitrio, excrementi Zibetti felis aut Moschi illita sit, & Sphærulis vel argenteis vel ligneis includantur, quarum odor aërem contagiosum mirum in modum emendat, & cor cerebrumque corroborat; Nullæ siquidem res spiritus vitales & animales magis reficiunt, ac refocillant quam suaves & fragrantes odores; in olfaciendis tamen rebus odoratis, ratio habenda est temperamenti cerebri, ut quilibet eos eligat odores, quibus omnium maxime delectatur; calidis enim & siccis cerebris frigidarum rerum odores; frigidis vero & humidis calidarum magis conveniunt, quibus & natura magis delectatur.

3. Intra corpus assumenda. Antidota porro pro depulsione contagionis intra corpus assumenda & ab infectione præservantia omnia debent esse talia, quæ tota sua substantia sive forma substantiali adversantur pestilenti veneno, & quæ simul spiritus vitales & animales reficere, atque humores à putrefactione præservare, & interna viscera principalia corroborare queant. In his autem usurpandis habendus est delectus pro diversitate temperamentorum corporis, aliis enim alia magis conveniunt & salubriora sunt. Cavendum deinde diligenter ne talia sint remedia, quæ suis primis qualitatibus extensis, congenitam corporis temperiem destruant, neve impensius vel calefaciant vel refrigerent, exiccentque. Tum enim non levem naturæ noxam inferunt, magisque destruunt, quam præservant. *Cautio in usurpatione antidotorum.* Ex antidotis autem intra corpus assumendis simplicia quidem probatissima hæc sunt: *Simplicia.* *Pul. terræ Lemniæ, boli Arme.* Si hæc vera & non adulterata in myropoliis haberi possunt, cornu cervi, qui in Autumno captus est, ramenta, *pul. nobilis scordii, pul. Cardui Benedicti, pul. torment. pul. se. citri mali. pul. corall. præparat. & sal. absynth. vel scordii, quod ex lixivio à cineribus eorum in vino maceratis coquitur.* Laudatissimum quoque est sal urinæ (quod ex urina hominis coquitur.) *Sic Sal vitium & Millefolii præstantia.* Hæc præscripta antidota intra corpus assumpta, non tantum à contagio præservant validissime, sed liberant infectum etiam efficacissime: Assumuntur autem pro ætatis ratione & temperamenti, pulveres quidem pondere ʒj. aut. ß. Salia vero pondere ʒß. aut ℈j. cum haustulo vini aut aquæ Scordii, aut aq. rosa. aut aceto rosaceo.

Composita. Composita autem nobiliora ab infectione præservantia, quæ partim in myropoliis parata servantur, partim à nobis experientia comprobata, & hactenus in secretis habita, hæc fere sunt: Pill. communes pestilentiales, quarum ʒj. semel ad minimum per septimanam deglutitæ humores à putrefactione tuentur. Ventriculum & Epar corroborant, & spiritus vitales reficiunt, alvique obstructionem prohibent. Earum compositio talis est: *Pill. Pestilentiales.* ℞ *Aloës puriss. croci, Myrrhæ ana ʒ ij. contundantur* cum vino generoso, *vel Syr. citri acidi*, fiat massa, ex qua formentur pillulæ exiguæ, & ante cænam assumantur. Egregiè quoque præservat semel vel bis in septimana ʒj. *Conf. Mithrid. in haustulo aq. scordii* resoluta & exhausta, confectio quoque Liberantis in rotulas confecta, quæ in myropoliis prostat. Nobilissimum est antidotum, si ejus rotulæ ij. aut iij. jejuno ventriculo devorentur: quæ quia sunt suaviores gustu, & gravidis, & infantibus, & cujusque ætatis hominibus, tuto exhiberi possunt; Cor enim & spiritus vitales corroborant, & singularem habent ἀντιπάθειαν contrà seminaria Pestis. Præterea pueris & gravidis, infantibusque, quia non ferunt validiora remedia, exhiberi possunt rotulæ ex albissimo saccharo, in aqua scordii soluto ℔ß. cui admixta sint *Antidota Angelica Joëlis.* *pulvis Coral. rub. ʒ ij. & ol. Angel. ℈j.* Simili ratione & *Antidotum*, sive electuarium Angelicum à nobis confectum, cujus si vel avellanæ nucis quantitas aut devoretur,

retur, aut cum hauſtulo aquæ cardui Benedicti ebibatur, eo die tutum reddet à contagione. Ejus compoſitio ita habet: ℞ *Rad. Angel. odorat.* ℥ ſ. *Rad. Cardopat: Dauci Cretici, Diptami albi ana* ʒ *ij. Zedoar. myrrhæ ana* ʒ 1ſ. *fol. cardui Benedicti* ʒ *iij. fol. rutæ, Veron: ana* ʒ *i. cornu cervi uſti præparati* ʒ *iij. camphoræ* ℈ *ij.* omnibus tenuiſſimè pulveriſatis admiſceantur *confect. Mithridati optimi* ℥ *ii. Syr. è ſucco cardui Benedicti q. ſ.* Diu multumque contundantur in mortario, & redigantur in maſſam mollem ſive electuarii. Nobiliſſimi quoque ſunt morſuli noſtri contra peſtem, ſi unus eorum manè comedatur. Quorum compoſitio ſic ſe habet: ℞ *Specier. Liberantis* ℥ *j. pul. ſcordii* ʒ ſ. *Zedoa.* ʒ *ij. cornu cervi uſti & cum ſucco ſcordii præparati, corall. rub. præparat. ana* ʒ 1ſ. *ſem. citri excorticati & inciſi* ʒ *ii. Sacch. albi in aq. cardui Benedicti reſoluti* ℔ *i. quibus inter commiſcendum admiſc. Ol. Angel.* ℈ *j. ol. cinam. gutt. v.* Ex quibus formentur morſuli Rhomboides pondere ʒ *ii.*

Morſuli antipeſt. Ioëlis.

Efficaciſſima quoque eſt Aq. vitæ contra peſtem, quæ & contagium arcet, & Spiritus vitales, omniaque viſcera corroborat, cujus parandi ratio hæc eſt: ℞ *Zedoar. Angel. Pimpin. ana* ʒ *ij. Valerianæ, Oſtrutii ana* ʒ *j. Dauci Cretici* ʒ *j. ſ. Croci* ʒ ſ. *Scordii. Veron. Card. Bened. ana M. S. Roſa. rubr. p. 1. Radices contundantur, & herbæ minutim concidantur. Quibus admiſc.* ℥ *iiij. Sacchari candi. pulveriſati, in vitrum anguſti orificii imponantur, eiſque affundantur* ℔ *v. Aq. Iuniperi:* & ſimul per octiduum macerentur in loco tepido probè obturata. Deinde vitrum in balneum Mariæ, ſive Ahenum aq. plenum imponatur, & ſimul per ſemihoram ebullire ſinatur, ac per ſe frigerata percolentur, & in vitrea cucurbita probè clauſa conſerventur. In liquorem impoſito prius nodulo ex Syndone. rub. cui illigatæ ſint *Sp. Diamb. Diamoſch. dul. Elect. Liberant. an.* ʒ *j. Garyoph. Cinam. an.* ʒ ſ. cujus aq. vitæ contra peſtem unum cochleare ebibitum mane, eo die immunem reddit à peſtilenti contagione. Hæc quidem enumerata antidota omnia, ut antea de ſimplicibus diximus, & præſervare & ab infectione liberare poſſunt, ſi juſta menſura & tempeſtivè exhibeantur. Quorum, in præſervatione, non ſemper uno, ſed alternatim, hodie illo, cras alio uti decet, ne videlicet per unius continuum uſum, id in naturæ familiaritatem tanquam alimentum convertatur. Porrò hæc omnia præſcripta remedia; virtute & admiranda efficacia ſuperat cœleſtis illa confectio miſeris mortalibus divinitus tradita, quam ab ejus inventore Theriacam Andromachi vocant, ſi ejus ʒ j bis in ſeptimana cum vino aut Scordii aq. aſſumatur. Galenus inter peſtem & Theriacam venuſtam ponit ſimilitudinem, inquiens, Peſtem quidem Draconem eſſe, cum corpore aëreo ſuum virus & venenum contra homines ſpirantem; Theriacam autem purgatorium eſſe quoddam, venenum ſubinde expurgans & Draconem domans. Cur autem ego Theriacam inter Antidota præſervantia non poſuerim, nec ea quenquam, ut intra corpus pro præſervatione utatur velim, ratio hæc eſt, quam veram eſſe longâ obſervatione & experientia didici: Quicunque efficaciſſimis Antidotis, qualis eſt Theriaca, in præſervatione utuntur, ad eam natura adſueſcit, eique tanquam familiare redditur remedium, ac crebra conſuetudine efficacia diminuitur; ideo illos deinceps, ſi Peſte infici contingat, venenum Peſtis iiſdem remediis, quibus ante uſi ſunt, diſcutere & propellere minimè poſſe, ſed naturam à virulentia Peſtis vinci, & ſuccumbere neceſſum eſt. Quare præſtantiſſima remedia, quæ omnium maximè præſervant, reſervari debent, & inter Alexipharmaca (quæ vincunt venenum) retinenda, donec neceſſitas eis uti compellat: & hæc eſt ratio, cur Theriaca ad præcautionem neminem uti velim ac ſuadeam, niſi forſan quis ejus fabæ quantitatem in ore tenere velit, ubi cum infecto ei converſandum ſit.

Aq. vitæ contra peſtem.

Nota.

Theriaca.

Cur Theriaca inter præſervantia non ſit poſita.

Antipestilentialia tolerabilioris pretii.

Quibus Medicamentis se à contagione præservare debent homines tenuioris fortunæ & domestica familia?

Paterfamilias non suæ familiæ permittat quenquam jejunum in publicum prodire. sed imperet ut antequam prodeat, buccellam tosti panis aut aceto vini maceratam, aut butyro oblitam; & pul: vel scordii vel Pimpin. vel Rutæ conspersam edat, aut 9. gr. plus minus Juniperi comedat; aut iij. baccas lauri, aut nucleum allii devoret, aut sequentis Mithridatii domestici à veteribus celebrati, quod quilibet paterfamilias facilè conficere & comparare poteſt, semijuglandis quantitatem absumat, cujus ratio conficiendi hæc est: ℞ *Ficuum ping.* ℥ *iiij. Nucle: Iugland. à pelliculis purgator.* ℥ *ij. Rutæ virid.* ℥ *j. Scordii. Card. Bened. ana* ℥ *ij. concidantur* crassiuscule, & cum pauxillo aceti vini irrorentur, & in formam *Elect.* reducantur. Uti quoque cum magno præsidio jejuni poterunt uno aut duobus cochlear. sequentis aceti medicati. ℞ *Theriac. Androm.* ℥ *j. pul. Bacc. lauri, Tormentill, Aristol. rot. an.* ʒ *ʃ. Castor. Angel. ana* ʒ *ij. Scordii M. ʃ. Rutæ p. 1. contundantur & conscindantur, & per plures dies in vitro macerentur affusis* ℔ *iiij. Aceti vini*; Pauperiores qui ea habere non possunt, edant singulis diebus vel frustulum *rad. Angel.* aut devorent folia *quinque Rutæ. cum nucleis jugland. & ficu modico Sale conspersis.*

Nihil præsentius pauperioribus Extracto Iuniperino.

Theriaca Saxonica.

Acetum antipestilentiale.

Peste infectos adituri, quibus remediis sese munire debeant?

Peste infectos congressuris quid agendum?

Pestilens contagio & seminaria ejus non tantum ex infecto aëre concipiuntur, verùm etiam, & quidem citissimè ab infectorum halitu & venenata respiratione hauriuntur ab iis, qui ejusdem sunt naturæ ac temperamenti cum infectis. Ad eos enim protinus transilit pestis & tenaciter adhæret, & quamquam præstaret à conversatione & colloquio peste infectorum abstinere, tamen cum id sine violatione suæ conscientiæ plurimis intermittere non liceat, præsertim iis, qui ratione officii sui ægrotos invisere coguntur, ut sunt verbi Divini Ministri, ordinarii in rebus publicis Medici & Cheirurgi; aliique coguntur infectos accedere ratione φιλοστοργίας & sanguinitatis conjunctione; quæ est inter conjuges, parentes, liberos, fratres & sorores. Exigit quoque in genere ab omnibus Christiana Pietas, & humanitas ægrotantium visitationem; ut nequeant amicos vicinos & proximos, in extremo periculo constitutos deserere, juxta dictum filii Dei: *Quod vobis fieri non vultis, id nec proximo faciatis.* Et quid quæso crudelius, & ab omni humanitate & pietate magis alienum, quàm tempore pestis exuere στοργάς, & parentes deserere suos liberos, aut liberos suos parentes? ut in superioris Germaniæ partibus contingere vidimus! Non decet certè hominem Christianæ professionis mortem ita expavescere, ut Christianam charitatem propter pericula deponat, & vel suæ fidei commissos, aut vinculo amicitiæ devinctos, operâ suâ & consolatione omni negligat. Spe itaque & certissima fiducia in Filii Dei protectione conjecta, omnes qui in officio administratorio constituti sunt, aut sanguinis conjunctione inter se devincti, audacter miseros ægros, aut peste infectos accedant, eosque amanter consolentur, & quantum in ipsis est, suâ operâ & industriâ juvent, certoque statuant, Deo ipsos curæ esse, ab ipsiusque Angelis protegi, juxta illud: *Angelis suis mandavit de te &c.* Statuantque si in suâ vocatione vel vivant, vel moriantur, ipsos esse Domini, & dominos mortis. Et quidem quæso, cur quis mortem in Peste ita expavescat, quæ per Christi mortem sanctificata est; & cum omnibus semel paulò post moriendum sit, quis non mallet Peste magis mori, quæ nec diu, nec magnis cruciatibus ægrotantes affligit, sed ut plurimum intra quartum diem finem imponit? Et mens ac ratio in Peste rarissimè labefactatur, & plerumque homines magis intenti sunt pietati, quàm

Piæ cogitationes de morte contemnendâ.

quàm in aliis morbis ullis, in quibus per plures menses cum morte conflictandum est. *Sed horribile est tot millia hominum simul interire?* At quis non mallet cum tanto Sanctarum animarum comitatu in regnum alienum & rationi ignotum commigrare, quàm solum? Hæc etsi πάρεργα videntur, tamen & consolationis plurimum habent, & meditatione digna sunt tempore Pestis. Non tamen vellem quenquam temerè & sine ulla necessitate & præter officii rationem, (si modò apud ægrotantem propinquiores adsint,) seipsum in periculum conjicere, & sua spontè se ingerere: Qui autem ex officio & conjunctione sanguinitatis infectos adire coguntur, iis suadeo, ut remediis & antidotis paulo ante enumeratis, cùm iis quæ in ore masticanda tenendaquè, tum iis quæ odorandi causa, manibus gestanda; tum etiam quæ intra corpus assumenda præscripsimus, utantur sedulò: Inter reliqua præstantiora sunt hæc; Si narium foramina *pauxillo Theriaca Androm:* oblinantur, aut ejusdem fabæ magnitudinem in ore retineant, aut pastillos paulò ante commemoratos. Intra corpus verò aut ex superioribus antidotis, aut sequentis *Elect. q. nucis avellanæ* devorent: ℞ *Bac. Iuniperi, terræ Lemniæ veræ an.* ℥ *ij.* pulverisata cum Syrupo citri, excipiantur & in formam Elect. redigantur. Aut frustulum *Zedoar. cum pauxillo Glycyriz. & uvis passis* mandant & deglutiant. Utilissimum quoquè esset, si ea commoditas haberi posset, ut inter ægrotantem & astantes luculenta flamma, aut saltem plures cereæ candelæ accenderentur: Talis enim flamma absumit seminaria Pestis, & corrigit respirationem pestilentem; id si fieri nequeat, suffitus tamen & fumigationes odoratæ ex rebus supra recitatis inter infectum & colloquentes excitentur. Præstat autem colloqui procul & per justam distantiam cum infecto; minus enim ab ejus exhalatione & respiratione afficitur. Hæc de aëris infecti purificatione, & remediorum præservantium usurpatione dixisse, satis esto; jam quid circa cibum & potum aliasque causas naturam nostram conservantes & alterantes, sit observandum tempore Pestis, brevissimè commemorabimus.

Electuarium.

Circa cibum & potum tempore Pestis quæ sint observanda.

Sine cibo potuque salubritas corporis diu consistere non potest; horum abusu, non tantum corrupti & putrefacti humores generantur, qui Pestis sunt receptacula; verùm etiam cum cibo ac potu tanquam fomitibus sæpe pestilens contagio devoratur & hauritur. Studendum itaque ut quilibet tempore Pestis vescatur alimentis concoctu facilibus & purum sanguinem generantibus, & ex quibus puri generantur Spiritus. Vitentur studiosè omnia quæ facilè putrescunt in ventriculo, vel difficulter concoquuntur. Vitanda *quoque sunt alimenta in infectis ædibus pendentia, præsertim recentia*; similiter & fructus atque olera in infecto aëre generata aut exposita. In genere autem esculentorum ac potulentorum ea, *quæ consuetudine sunt recepta, etsi paulò sint deteriora, non tamen subitò sunt mutanda, teste Hipp. 2. Aph. 50.* Cum nulla repentina mutatio careat noxa. Etsi autem frugalis temperantia omni tempore, & maximè tempore pestilenti, meritò laudanda est, tum in hac parte consuetudini est aliquid tribuendum propter dictam causam. Cavendum tamen sedulò ne corpus nostrum tempore Pestis gravetur crapulâ, ebrietate & ingluvie; nevè corpus varietate multoque cibo refarciatur. Simili ratione caveatur ne inedia ac fame diuturnâ natura nostra fatigetur. Cibi vero ex carnibus & piscibus tempore potissimum autumnali concoquantur, & condiantur *Omphaciis* sive immaturis uvis, quæ peculiari sua proprietate omni venenatæ Qualitati ac putrefactioni adversantur. Condiantur & croco & cinamomo, quæ spiritus vitales reficiunt, & viscera corroborant. Alia aromata calefacientia vitare, est melius; potus sit cerevisia clara & defœcata,

Alimentorum delectus instituendus.

Consueta tutius usurpanda.

Cautio in assumenda aqua pro ciborum præparatione. fœcata, aut vinum optimum moderatè sumptum: circa ciborum præparationem id quoque observatu utile est, aquam, in qua alimenta elixantur, nisi sit scaturiens, semper esse prius decoquendam & despumandam. Domestica enim aqua, & præsertim stagnans, facilimè seminaria pestis ex ambiente aëre concipit. Condimenta mensæ utilia sunt Limones, Capparis, Acetum, Radicula, Sinapi & Vinum cum Sacch. & Zinzibere temperatum. Sed quæ & qualia debeant esse in genere alimenta, illud cujusque vitæ conditio ac consuetudo docet.

Circa somnum & vigilias tempore Pestis, quæ sint observanda.

Somnus. Vigiliæ. Somnus & vigiliæ sunt quoque ex iis rebus, quæ sanitatem nostram ac naturam conservant ac tuentur, si moderatè debiteque usurpentur. Rectè enim dixit *Hippocrates 2. Aphor. 3. Somnus & vigilia, utraque si modum excesserint, malum.* Longæ enim vigiliæ extinguunt calorem nativum, & labefactant spiritus animales. Somni similiter longi generant in venis, ac potissimum in cerebro, plurimos pituitosos humores putrefactioni obnoxios. Est itaque & in somno & in vigilia modus servandus, & eis alternatim utendum. Naturæ convenientissimus est somnus placidus septem, vel ad summum octo, horarum. *Somnus diurnus.* Somnus diurnus omnibus est noxius, præterquam calidum & siccum cerebrum habentibus, & qui nocturna vigilia fatigati sunt.

Circa exercitium sive motum quietemque corporis, quæ sint tempore Pestis observanda.

Motus. Quies. Quiete moderata reficiuntur vires, & ad consuetas actiones vegetiora redduntur corpora; otio autem, ignavia ac desidia & corporis & animi vires enervantur, & universum corpus crassis & vitiosis humoribus completur. Quemadmodum enim aqua stagnans non commota facilè putrescit; ita sanguinea massa, nisi per exercitia corporis subinde commoveatur, putrescit facillimè & contagium admittit; quies itaque & labores motusque corporis moderatè alternatim ac tempestive adhibenda sunt. *Nam Quod caret alterna requie durabile non est, &c.*

Vitanda sunt tempore Pestis laboriosa corporis exercitia, per quæ pori cutis aperiuntur, & sudores profunduntur, ut choreæ, saltationes. Et cum in Venere vehementior fiat corporis commotio, nihil tempore Pestis est perniciosius immoderata ac difficili Venere, per quam vires prosternuntur, cor affligitur, & spiritus vitales diminuuntur: *Nihil Venere perniciosius.* in laboribus quoque corporis consuetudini & vitæ conditioni aliquid est tribuendum.

In evacuatione superfluitatum, & retentione utilium tempore Pestis quæ sint observanda.

Excernenda. Non aliter, ac alimentorum assumptorum Retentio, Alteratio & Assimilatio in Substantiam, partim necessaria est ad naturæ conservationem; ita sanè ad sanitatis tutelam humorum excrementitiorum, qui subinde in corpore colliguntur, evacuatio summè est necessaria. Sæpe autem impeditur aut debilitatur facultas expultrix in Natura, ut excernere superflua nequeat. Id ubi contingat, diuturniorem excrementorum retentionem semper comitatur putrefactio; Putrefactionis comites sunt Febres & aliæ ægritudines, quæ occasionem præbent infectioni pestilenti. Ut igitur excrementorum corporis, præcipuè autem ventriculi, alvi, vesicæ & cerebri, quotidie vel natura vel arte debita fiat evacuatio, & superfluorum humorum subtractio, omni quidem tempore, sed maximè vigente Peste, studiosè laborandum est; *Vomitus.* Ventriculus itaque si pituitosâ colluvie sit repletus, per vomitum statim evacuandus erit, assumto prius haustulo vini, in quo *rad.* vel *cort.* potius *rad. Iugland.* per noctem fuêre maceratæ, & sequenti die coctæ. Excitat enim hic haustus facilem vomitum. Quibus autem alvus est suppressa, emolliatur aut subducatur assumta ʒj. *pill. communium*, aut comedantur ʒ x. *pulp. cass.*

caſſ. rec. extr. aut moveatur alvus leni aliquo Clyſtere, ex conſilio periti Medici, aut inſeratur recto inteſtino Glans ſive ſuppoſitorium ex Sapone confectum. Si verò veſica ſit obſtructa, & urina debito modo non procedat, *Guttæ novem* aut paulò plures *Ol. vitr. cum ij. cochl. vini* exhauriantur. Meatus enim urinæ probè aperiunt, & ventrem roborant, appetentiamque excitant; ſi verò cerebrum coryza laboret, & cribriforme os circa radicem naſi ſit occluſum, pauxillum *ſuc. Betæ* defecati per nares surſum attrahatur; aut *radicula Gentianæ* inſtar calami adaptata naribus inſeratur; ſi autem ſanguis in corpore redundet, corpus plethoricum afficiat, ut ex rubedine totius corporis & faciei facilè deprehendi poteſt, venæ ſectione ſanguinem diminuere convenit, ſecta nimirum vena vel Epatica dextri lateris, vel vena Mediana vocata, ſiniſtri humeri. At ubi redundant in corpore vitioſi humores omnes, & corpus fuerit κακοχυμικὸν, aut unus tantum humorum redundet, per pharmaca convenientia ſubduci & evacuari ex prudentis Medici conſilio debet. Medicis autem deſtituti, primum ſtudeant dignoſcere redundantis humoris ſpeciem, ac deinde ſequentibus remediis ſubtrahant. Corpora κακοχυμικὰ, id eſt, in quibus humores omnes ex æquo vitioſi ſunt, dignoſcuntur ex fœdo & faciei & cutis colore, ea ſæpe ſunt evacuanda ſequenti hauſtulo: ℞ *Agar. Troch. Rhab. fol. ſenæ an.* ʒ j. *ſeminis Aniſi* ℈ j. *craſſ. contuſa ligentur in Sindone,* & fiat Nodulus laxus, qui in cantharum aut poculum ponatur, eique adfundantur ℥ 4. *aq. Card. Bened.* & ſimul per noctem macerentur. Manè poculum in aquam ferventem collocetur, & ſimul aliquantiſper ebulliant, deinde nodulo fortiter expreſſo tinctus liquor tepidus 9. horis ante prandium ebibatur. Huic liquori in robuſtis corporibus admiſceri poterit *Elect. Diacathol.* ʒ *iij.* Si corpus eſt pituitoſum, id quod ex albedine faciei & cutis, atque ex continua humiditate oris ac linguæ, & ſapore per linguam vel inſipido vel ſalſo cognoſci poteſt, tum ſequenti hauſtulo pituita expurgari debet. ℞ *Agar. Troch. fol. ſenæ an.* ʒ *j.* ſ. *Zinzib. albi* ℈ *j. contuſa in ſindone colligentur, F. nodulus. qui in poculo cum* ℥. 4. *aq. Abſinth.* per noctem maceretur, ac diluculo in ferventi aqua ebulliat, expreſſoque nodulo liquor tepefactus exhauriatur 6. horis ante prandium; cui in robuſtis corporibus admiſceri poſſunt ʒ. *ij. Diaphœn.* Corpora bilioſa ex flavedine faciei, & cutis ac oris amarore deprehenduntur, quæ purganda erunt ſequenti hauſtulo: ℞ *Prun: Vngar. N. o. V. Thamarind.* ℥ *j. Macerentur in aq. Cicho.* ℥ *vij. per ix. horas*, deinde ebulliant, & expreſſa colentur, colati juſculi accipe ℥ *v.* in quibus macerentur per noctem *rad. Ellebo. nig. præp.* ʒ. *iij. Fol. Senæ. Zinzib. ana* ʒ. ß. quæ contuſa & in ſindonem ligata, per noctem macerata, altero die leniter ebulliant, & expreſſo nodulo liquor tepidus ebibatur; vel expurgetur Melancholicus humor, *Confect. Hamech. & Elect. Diacathol.* ʒ *vj. cum* ℥ *v. aq. Card. Bened. reſolutis*, & ſex horis ante prandium aſſumptis. Porrò in evacuandis muliercularum, virginum & puerorum corporibus, pro ætatis & virium ratione, ſatis erit, *Caſſ. rec. evulſæ* ʒ *x.* devorandas præbere: Pueris verò tantum ʒ vj. vel ℥ ſ. aut exhibere *Mannæ* ʒ *vj.* Et junioribus paulo minus, uſque ad ℥ j. ß. in juſculo pulli reſoluta. Breviſſimè enim corpora tenella expurgant. Mallem tamen ſemper ut purgantia remedia ex conſilio Medici aſſumerentur. Quicunque corpora vitioſis humoribus obnoxia hac ratione tempore Peſtis evacuant, & tandem reliquis præſervantibus Antidotis tempeſtivè utuntur, rariſſimè inficiuntur, & infecti celerius liberantur.

Ol. Vitrioli.

Radix gentianæ in Coryza.

Purgantia ſine conſilio Medici non uſurpanda.

Affectus, & animi perturbationes tempore Contagionis quomodo ſint moderandæ?

Fœlix & beata eſſet vita hominis, ſi non continuis affectionum procellis perturbationibuſque agitaretur: Adeo enim obnoxia eſt mens humana affectibus, ut donec

Affectus.

nec

nec ratio & ſenſus vigent, ſemper cum eis inter dormiendum etiam confligtandum ſit.

Affectuum autem genera duplicia ſunt, Bona nimirum & mala, ſive triſtia & ſuavia. Bona ſeu ſuavia tantum ſunt, Bona ſpes & moderata lætitia, quæ naturam conſervant: reliqua autem mentem excruciando deſtruunt, ac demoliuntur. Is itaque prudentiſſimus cenſendus eſt, qui affectus moderari novit. Omnium autem peſtilentiſſimi affectus ſunt tempore contagionis, *Triſtitia, ſollicitudo, Timor & metus mortis atque conſternatio.* Hi enim affectus inſidias ſtruunt vitæ, qui Spiritus Sancti ſubinde quoque fugandi, vincendi & diſcutiendi ſunt auxilio. Plures enim horum affectuum faculis, tempore Peſtis, inficiuntur & intereunt, quam ipſa Peſte, vel venenatis halitibus morientium; & experientia teſtatur, ut qui hujuſmodi affectibus non ſunt obnoxii, quales ſunt mente capti, aut ſervi fatui, eos Peſte nunquam, aut rariſſimè infici & interire. Cum itaque animi anxietas, & de vita præſenti ſollicitudo, mortiſque metus tempore peſtis animum tam violenter perturbent, ſpiritus vitales labefactent, & cordis, quod vitæ arx eſt, temperiem deſtruant, & peſtilenti infectioni, adeoque morti feneſtram & januam aperiant: omnibus ſingulari diligentiâ enitendum eſt, ut forti animo, indubitatâ fide, & ſpe bonâ per moderatam lætitiam & hilaritatem in timore Domini talia diſcutiamus, ut omnes occaſiones, nobis ejuſmodi terrores ac pernicioſos carnifices, per profundas cogitationes mortis, & ſenſus auditum & viſum inferentes, omni ſtudio fugiamus atque evitemus. Sunt autem occaſiones talia monſtra nobis ſuggerentes, tremoremque incutientes, profundæ cogitationes, de morte narrationes, crebræ hiſtoriarum & eventuum, qui circa præſentis temporis mortuos contingunt, de celeritate obituum: de miſerabili pauperum ac peregrinorum ſollicitudine ac deſertione; de defunctorum multitudine

Motus citatiores expledendi.

ſeu pluralitate. Item aſpectio pomparum funebrium divitum; & contra aſpectio miſeræ conditionis pauperum & peregrinorum, quibus vix ea pietas contingit, ut reperiantur quidam, qui eos efferant terræque mandent. Aſpectio proceſſuum funebrium, in qua demortuorum corpora ordine & agminatim ad ſepulchra deferuntur. Hæc omnia animos hominum non poſſunt non validiſſimè perturbare, terrorem, tremoremque & conſternationem animis incutere, & infectionis mortiſque cauſam præbere. In his non poſtremum locum obtinet ſuperſtitioſus, non dicam impius, campanarum boatus; primùm ut puto per ſacrificulos & monachos in Eccleſiam DEI introductus, & ad avaros fructus excogitatus, qui tamen nec animæ, nec corpori, nec famæ demortuorum quicquam prodeſſe poteſt. Nec caret hic campanarum abuſus manifeſtâ ferme impietate, cum vulgus arbitretur, ſe ſalvari non poſſe, niſi cum ſonitu efferatur. In quos rectiſſimè convenit illud Davidis, de impiis loquentis: *Memoria eorum perit cum ſonitu.* At pietati magis conſonum eſſet, præſertim tempore Peſtis, unius tintinnabuli ſonitu plebem ad funera convocare, quàm miſerorum amicorum & propinquorum animos tali campanarum ſtrepitu & tumultu magis magiſque excruciare & vulnerare.

Campanarum frequentior pulſus formidinem incutit.

In benè conſtitutis Eccleſiis ac Rebuspublicis, jam dudum abrogatum eſt ejuſmodi aucupium; & *Lipſiæ* quidem, *Noribergæ*, & in *Ioachimica Valle* in funebribus pompis, vix una auditur campana; ne videlicet boatu campanarum, ac ſtrepitu, animi hominum, præſertim puſillanimorum, magis perturbentur. Idcirco piorum Eccleſiæ Doctorum & boni Magiſtratus officium erit, ejuſmodi infectionis occaſiones præſertim tempore Peſtis tollere, & hanc conſuetudinem inutilem emendare & abrogare.

Præter has occaſiones mortis, ſolet Sathan quoque tempore Peſtis, vitæ humanæ acer-

acerbissimus hostis, miseris mortalibus pavorem & pernitiosam consternationem incutere, & varia spectra eaque horribilia, & phantasmata mortis nocturno tempore afferre & objicere, per apparitiones Dæmoniorum, & per voces mortuorum, præsertim in plateis & circa cæmiteria ambulantibus; quibus ita consternantur & exanimantur homines, ut nulli ferè, quibus apparent, supervivere possint, sed paulò post moriendum iis sit. Quilibet itaque nocturno tempore in Peste se apud suos, vel in sua habitatione continere debet, nec per plateas, ac potissimum ubi corpora mortuorum sunt sepulta, divagari. Magna sanè est barbaries & inconsiderantia apud nos Boreales, qui tempore Pestis omnium ferè demortuorum corpora, non tantùm in templis, verùm etiam in cæmiteriis in media urbe constitutis, sine discrimine sepelimus; unde tandem adveniente Vere per exhalationem cadaverum novam pestem excitamus, & nos nostrosque inficimus. Sed hujus mali quoque correctio, ad officium Pastorum Ecclesiæ, & pium Magistratum pertinebat. Pia & sapiens Antiquitas inde ab initio extra urbem suos demortuos in honesto loco contumulare curavit; & adhuc hodie in benè constitutis Rebuspublicis observatur studiosè. *Spectra.*

Hæc de curatione præservativa dixisse, satis esto. Hic tamen colophonis loco adjiciatur, homini Christiano nullum esse præstantius & efficacius præservativum remedium, quàm posse contemnere mortem, vitam caducam parvi facere, & cum æternâ vitâ, nobis per Christum partâ DEO sic volente, commutare libenter velle. Hæc sunt S. S. Alexipharmaca.

Curatio Pestilentis contagii liberativa quæ, quotuplex, & quando adhibenda.

Curatio Infectorum. Θεραπεία ἐλευθερωτική pestilentis contagionis est, quæ jam infectis & ægrotantibus extirpandi veneni contagionis, & sublevandæ humanæ naturæ causa adhibetur, præsidiumque adfert. Duplex autem, & quidem statim in initio infectionis, ac simul eodem tempore instituenda est *Liberativa curatio*, una animi, altera corporis.

Qualis, & unde peti debeat animi curatio Peste infectorum.

Cum tanta sit Pathematum, seu Perturbationum animi vis, & violentia cùm in conservatione valetudinis, tùm in destructione humanæ naturæ, ut paulò ante demonstratum est, præsertim tempore Pestis, impossibile est corporis sanitatem restitui, & à morbo quenquam liberari, nisi prius animi tollantur perturbationes, aut saltem in tranquillum statum reducantur, liberenturque à naturæ adversis affectibus, ut sunt sollicitudo, metus, terror & anxietas. Horum hostium naturæ depulsio, non è Medicorum decretis petenda est, sed S. S. Alexipharmacis, hoc est solidis consolationibus, ex verbo DEI per Ministerium haustis, & cum spirituali, tum Sacramentorum corporali usu ac manducatione Corporis ac Sanguinis Jesu Salvatoris obsignatis, occurrendum erit. Eam enim curationem, facilè ac spontè sequetur & corporea liberatio à Peste. Nullum autem præsentius & efficacius Remedium, anxium animum, pacatum ac tranquillum reddere potest, quàm bona conscientia in fide ac spe in Christum collocata: id quod *Nazianz.* hisce testatur verbis: οὐδὲν οὕτως εὐφραίνειν ἡμᾶς εἴωθεν, ὡς τὸ συνειδὸς καθαρὸν, καὶ ἐλπίδες ἀγαθαί; id est, *nihil nos magis exhilarare solet, quàm pura conscientia & spes bona.* Conscientia autem pura fide comparatur, D. Paulo teste, *Iustificati fide pacem habemus cum Deo.* *Animorum Cura.*

Corporibus infectis Peste quando & qualis adhibenda curatio liberativa.

Statim ubi aliquod ex paulò ante enumeratis signis, & qualia in præsenti peste sunt, capitis dolor, somnolentia inusitata, frigus febrile, Nausea, Tensiones Præcordii, Tormina ventris, & Bubones seu glandularum tumores in emunctoriis: ex his, inquam, signis si unum aut plura compareant, *Non sunt infectis danda induciæ.*

nullo modo sunt parvi facienda, aut procrastinanda, & contagioni induciæ concedendæ, sed statim ac celeriter in ipsa infectionis hora aut paulò post, etiam in media nocte, antequam vis pestilens contagii, & fraudulentus vitæ hostis cor (*arcem vitæ*) occupet, & Spiritus vitales prosternat, vitæ dimicanti quovis modo auxilia & subsidia sunt ferenda. Methodus autem liberativæ curationis consistit primum in celeri excrementorum ventriculi, & intestinorum, si necessitas requirit, (sæpè autem necessitas non exigit,) evacuatione. Secundò in venæ sectione, quæ & ipsa non in omnium corporibus admitti debet, aut potest. Tertio in Alexipharmacorum, id est, remediorum venenum pestiferum vincentium, & per sudorem propellentium exhibitione. Quartò in cordis & Spirituum vitalium corroboratione.

Methodus infectos curandi. Hæc omitti debent, & statim ad alexiteria properandum.

Circa evacuationem ventriculi & Alvi contagione infectorum quæ sint observanda.

Non omnia peste infecta corpora necesse habent vel ventriculi vel alvi evacuatione, sed ea tantum quæ ventriculum habent cruda colluvie refertum, aut paulo ante infectionem cibo potuque repletum, aut quæ tensiones punctionesque circa præcordia sentiunt. His ante venæ sectionem, si ea necessaria videbitur, aut ante Alexiteriorum sudorificorum assumptionem, ventriculi colluvies statim in principio morbi, per vomitum evacuanda erit. Vomitus autem facilè excitabitur præsertim iis, qui sunt apti ad vomendum, assumpto haustulo aquæ tepidæ; qui verò difficilius vomunt, assumptæ haustulo liquoris aquosi *ex granis Iuniperi cum pelvi per descensum destillati*, & immisso in fauces digito. Quibus verò pestilenti contagione infectis alvus fit adstricta, & triduo aut amplius nihil per alvum egesserunt, aut qui torminibus ventris affliguntur, statim in pestis invasione, antequam vel sanguinem detrahant, aut sudorifico remedio utantur, alvum solvere oportet, aut glande medicata, quam *suppositorium* vocant, *ex melle salv. pulv. Colocyn. parata*, aut ex *Sapone Veneto* instar calami formato, & oleo inuncto, & *ano* indito; aut quod salubrius est, Clystere ex jure carnis bovillæ, aut gallinæ, in qua incoctæ sunt *Malva*, *Mercur. fl. Chamam. & Anethi cujus* ℔ *j. admixta sint Cass.* ℥ *ij. Ol. Cham.* ℥ *iij. Salis* ʒ. quæ tepida in rectum intestinum infundantur. Ab aliis verò violentioribus Pharmacis evacuantibus omnino abstinendum est, nisi forsan processu temporis, aut corruptæ bilis copia purgationem desideret, quæ aut ʒ *x. Cass. aut* ℥ *iij. Syr. Ros. sol.* evacuari potest. Pituitosa autem colluvies expurgari debet infuso Agarici. Qui autem nec ventriculi evacuatione, nec alvi emollitione, nec sanguinis missione egent, infecti, iis statim in initio Alexipharmacum sudorificum propinandum est.

Suppositorium ex Colocynthide.

Aut tantum clyster ex lacte & butyro, vel oleo oliv.

Circa venæ sectionem Peste infectorum, quæ sint observanda.

Magna est inter Medicos dissensio de quæstione, *Virum Peste infectis corporibus prosit venæ sectio, aut non*? Maxima eorum pars non modo utilem, sed & necessariam sanguinis extractionem esse judicat. Excellentissimi verò nostræ ætatis Medici, *Montanus*, *Fernelius* & *Hieronymus Fracastorius*, non modò inutilem, sed & perniciosam esse venæ sectionem, peste affectis, asseverant, his nixi rationibus: Per vehementem putridorum humorum agitationem, magis augetur putrefactio, & pernitiosi excitantur halitus. In venæ sectione vehemens fit corruptorum humorum agitatio. Ergo venæ sectio infectis noxia & pernitiosa est. Item: Pestilentiæ seminaria extrinsecus in corpus trahuntur, & in venis arteriisque extremis in initio morbi hærent tantum. Venæ sectione autem propter commotionem universi sanguinis introrsum ad principalia membra corporis trahuntur, & universæ massæ sanguinis miscentur; Ergo præstat sanguinem non commoveri. Hæc

In Peste non phlebotomandum.

Hæc probant ſimilitudine quadam: Vt enim, inquiunt, ſi poculo aquæ, ſalis aut fellis quippiam injiciatur, donec aqua quieſcit, minus ſalſa aut amara percipitur. Vbi autem aqua agitetur, tota ſalſa & amara redditur; Idem contingere & in ſanguinis miſſione, cum ſeminariis peſtis; & addunt experientiâ compertum eſſe, maximam partem infectorum, quibus ſecta eſt vena, periiſſe. Ideò venæ ſectionem fugiendam docent. Verùm etſi hæc excellentiſſimorum Medicorum argumenta plurimum ponderis apud me habeant, tamen venæ ſectionem, ut non in omnium corporibus moliendam eſſe profiteor, non tamen omninò è curatione Peſtis tollendam eſſe, judico, hiſce regulis obſervatis:

Simile.

Cur V. S. interdum admittenda?

I. *Omnis tinctura contagionis ἀναλογίαν* habet aut ad Spiritus, aut ad putridos humores; Quæ ad Spiritus, citiùs infectos interficit, ut plurimum ſine tumoribus, Bubonibus & Carbunculis perdit; iis quidém fruſtrà, & non ſine noxa adhibetur venæ ſectio. Quæ ad humores, tardiùs interimit, & cum tumoribus, carbunculiſque erumpentibus interficit; in ea concedi poteſt venæ ſectio, ſi cætera conſentiant.

II. *In venæ ſectione ſemper habenda eſt ratio virium, ætatis & conſtitutionis temperamentique corporum*; quibuſcunque enim infectis robur virium adeſt; & ætas non prohibet, & illi corpus habent Plethoricum, id eſt robuſtum, carnoſum, rubrum & piloſum, & venas ſanguine turgentes, iis maxima cum utilitate, audacter vena incidenda erit. E contra in quibus corporibus unicus tantùm humor vitiatus prædominatur, ſi vires & ætas ferant, præſtat illis redundantem humorem ac vitioſum benigno Pharmaco ſubducere, quàm per venæ ſectionem ſanguineam maſſam agitare.

III. *Peſte infectis, quibus aut menſes fluunt, aut Hæmorrhoides, aut ſanguis è naribus uberius erumpit, iis non eſt vena ſecanda.*

IV. *Quibuſcunque infectis vires, ætas & conſtitutio corporis, venæ ſectionem concedit, iis ſtatim in initio & ipsâ horâ invaſionis, aut paulo poſt intra quatuor horas priusquam indormiat æger, vena incidenda erit.* Nam ubi differatur & procraſtinetur venæ ſectio, ægritudoque aliud morbi genus eſſe putetur quàm Peſtis, & interim ſeminaria peſtis per ſpiritus & univerſam ſanguineam maſſam diffundantur, (quod ut plurimum intrà 24 horarum ſpatium fieri contingit,) tum non tantum fruſtranea, verùm etiam noxia eſt Venæ ſectio.

V. *Quibuſcunque peſte infectis ætas, vires & conſtitutio corporis, venæ ſectionem deſiderant, & vel tumor, vel Bubo vel Anthrax prodiit, ſi prope aures hæreat, aut circa collum, Cephalica; ſi ſub alis, Mediana aut Hepatica, ſemper ejusdem lateris incîdi debet.*

VI. *Venæ ſectio periculoſa eſt Nauſeantibus, & qui per Venæ ſectionem in Lipothymiam incidere ſolent. Difficilis quoque iis qui ad venæ ſectionem non ſunt aſſuefacti.*

VII. *In inciſione Venæ cavendum eſt; ne ſcalpellum, quo inciditur vena, antea infecto & venenato ſanguine pollutum ſit & contaminatum.*

VIII. *A venæ ſectione per 6. ad minimum horas æger à ſomno eſt arcendus.*

Quibus Remediis tinctura & Seminaria Peſtis ex infectorum corporibus ſint propellenda, & extinguenda?

STatim in initio peſtilentis morbi, paucis aut pluribus ſignis infectionis apparentibus, poſt peractam evacuationem ventriculi & alvi, & ſanguinis detractionem, ſi eas neceſſitas efflagitet, nec ætas, nec temperamentum impediat, aut eis, ſi non ſit opus, prætermiſſis, Remedia Alexipharmaca intra corpus ſunt adhibenda, quæ ſua ἀντιπάθεια ſpecificaque proprietate Venenatam Peſtis tincturam per ſudorem propellere, & ſeminaria peſtis extinguere valeant, & quæ primis ſuis Qualitatibus corporis tempe-

Alexipharmaca.

ramentum non deſtruant. Nulla enim eſt via in corpore humano, per quam contagionis ſeminaria commodius expelli queant, quàm per poros cutis ſudorem movendo, præſertim in eo genere peſtis, quod *ἀναλογίαν* habet cum ſpiritibus.

Quanquam & putridi humores per ſudorem purificentur. Sunt autem Alexipharmaca ferè infinita & varia à Medicis enumerata, quorum pleraque non tantum ſunt inepta & fallacia, verùm etiam ſæpè noxia; plurimis enim libellis de Peſte hujuſmodi inſerta ſunt remedia, cùm præſervantia, tùm liberantia, quorum nemo fermè experientiam fecit, ſed aut proprio ingenii diſcurſu excogitavit, aut unus ex alio recepit & ſuis ſcriptis inſeruit. Iſta omnia nos conſultò negligimus, ea tamen fideliſſimè traditturi, quæ per plures Peſtes, uſu, obſervatione & experientiâ comprobavimus.

Author propriâ experientiâ comprobata tantùm recenſet.

Omnia remedia in præcedentibus, quæ pro Præſervatione propoſita ſunt, commodè & in curatione liberativa, certâ tamen menſurâ ac modo uſurpari poſſunt, quorum alia ſimplicia, alia compoſita exiſtunt. Ex ſimplicibus præſtantiſſima ſunt, ſi *una.* 3. *pul. vel nobilis ſcordii, vel rad. Petaſitidis,* vel *Sarmenti Indici, quam Salſam Parillam* Hiſpani *vocant, aut fol. Card. Bened.* tepida propinetur. Eſt & inſignis vis in propellendis ſeminariis peſtiferis, (ſi in initio invaſionis ebibantur,) ℥ *iij. ſucc. Calendulæ,* aut tantundem *ſucc. Scabioſæ,* quorum tamen ſuccorum periculum ego nullum feci. Iis tamen authoritate *Galeni* excellentiora ſunt *Pulv.* ʒ. *j. Boli Armen. aut Terræ Lemniæ,* ſi genuina & non multum adulterata ad nos portaretur. Sed his omnibus præſtantior eſt *pul. unicornu Hercinii* ʒß *cum hauſtu aq. Scord. vel Card. Bened. vel aceti vini* aſſumpta. Eſt autem *Vnicornu Hercinium*, meo quidem judicio, ſpecies Mineræ, quæ ante paucos annos è montibus Sudetorum in Hercinia ſylva effodi cepit, ſimilis oſſibus grandium animalium. Et incolæ fabulantur in Diluvio montes ipſos unà cum unicornibus & aliis grandioribus animalibus ibidem eſſe conglomeratos & induratos. Cujus vires in expellendo ſudore tantæ ſunt venenis extinguendis, ut experientiâ propriâ didici, acullius alterius rei. *Corallia quoque & Margaritæ in ſucco Limonum aut aceto reſolutæ,* præterquam quod peſtilenti contagioni adverſentur plurimùm, Cor, Epar & Ventriculum mirificè corroborant. Doſis autem earum in robuſtis eſt ʒß; in imbecillioribus, ℈ 1. Hæc ſi haberi nequeunt, præſtantiſſimum eſt *Cornu cervi*, apicés præſertim, reſpondent enim unicornu in duplo ſumpti, tempeſtivè capti, cujus abraſus pulvis, & tenuiſſime contritus, per ſudorem venenum efficaciſſimè propellit: Uſtum verò ſeminaria peſtis exiccando extinguit. Inter has *ſal Scordii* & *ſal urinæ humanæ*, ſi eorum ʒß exhibeantur *cum hauſt. aqu. Scordii, aut aqu. Card. Benedicti.* Porrò compoſitionum Alexipharmacorum omnium nobiliſſima & maximè veneranda eſt *Theriaca Andromachi.* Quæ ſuâ divinâ quadam *ἀντιπάθεια* & compoſitionis ſuæ cœleſti Harmonia venenatis omnibus & Peſtilentiæ tincturis mirificè adverſatur, ejuſque veſtigia delet. Intellige autem *Ther. Andro.* non illam, quàm vel Italiæ Vrbes, Venetiæ, Genua, & aliæ Civitates; vel quam Belgium in doliolis nobis mittit; ſed eam quæ in Germaniæ pleriſque Vrbibus, in Norinberga, Lipſia, Witeberga & aliis locis ab eruditis & induſtriis Pharmacopolis in corona plurium Medicorum paucos ante annos, & hodie cœpit præparari, atque præparatur. Reliqua pretioſa auro gemmiſque ſplendentia, & ad oſtentationem confecta alexipharmaca, nec rationi conſentanea, nec experientiâ comprobata, ut vana, ſtulta & ſæpe venenata, prorſus rejicimus. Qui enim libellos de Peſte conſcriptos legerit, reperiet ea non à ſe excogitata, aut diſcurſu ingenii inventa, ſed ex aliorum libris deſcripta eſſe. Ego verò adnotabo tantum ea Alexipharmaca compoſita, & quidem perpauca, quæ *jam ſeptuagenarius* per plures Peſtes obſervavi, & expertus ſum ſalutaria; & verè Alexipharmaca, quibuſque ſemper felici ſucceſſu

Optima ſimplicium Antidotus.

Vnicornu, Hercinium quid?

Compoſita Antidota.

ceſſu

cessu usus sum, enumerabo, quorum primum erit *Pulvis aureus Ioëlis*, qui sic habet:

Pulvis aureus Ioëlis, cui officinæ semen citri addere solent, quod tamen in Manu scripto non extat.

℞ *Scordii* ℥ j. *Card. Bened.* ℥ ß. *Veron.* ʒ. II. *Rad. Petasitidis, Sarmenii Indici, (quod Hispani salsam Parillam vocant) ana* ℥ ß. coru cervi usti cum succo scord. præpar. ʒ. v. Coral. rub. præpar. ʒ. III. Tenuiss. pulverisata commisceantur, & ad usum probè reserventur. †Dosis hujus nostri pulveris robustioribus est ʒ. II. pond. Mediocris constitutionis ʒ. I. ß. Imbecillioribus, mulierculis & virginibus ʒ. I. Infantibus puerulis ℈ I. aut paulo plus. Exhibetur mixtus cum haustu aq. Scord. aut Card. Bened. aut aceti medicati, jam ante in Præservat. Pestis descripti.

† Dosis.

Ex hoc *aureo meo pulv. & Andr. Ther.* valde salutares haustulos sudorificos pro infectis à præsenti contagione ita parare soleo, nec aliis utor remediis:

Sudoriferum.

Robustis. ℞ *Pulv. Aur. Ioëlis.* ʒ. II. *Ther. And.* ʒ I. ß. *aut vice versa, Ther. And.* ʒ. II. *Pulv.* ʒ I. *Commisc. cum haust. aq. Scor.* aut aceto medicato, fiat Haustus. In mediocri corporis const. viribus adhuc constantibus:

℞ *Ther. Andr. pulv. Aurei. ana* ʒ. I. ß. *cum præscriptorum liquorum uno, fiat Haustus.* Imbecillioribus puellis, ac pueris:

℞ *Ther. And. pulv. Aure. ana* ʒ I. *cum uno liquorum præscript. Commisc. F. Haustus.* Infantibus bimulis & infra accipi potest, singulorum ℈ I. plus aut minus, pro annorum numero & virium robore, cum iisdem liquoribus.

Hisce præscriptis Alexipharmacis & sudorificis haustulis quicunque in præsenti Peste tempestive, antequam Pestilens venenum spiritus vitales & humores tinxit, usi sunt, omnes (soli DEO gloria) iterum sanitati restituti sunt; ne uno quidem mortuo.

Electuarium de Scordio Ioëlis.

Alterum meum Alexipharmacum paulò efficacius priori, propter celerem penetrationem, ejusdem est farinæ, cui nomen in Myropolio indidi *Electuarium de Scordio Ioëlis*, cujus compositio sic se habet:

℞ *Pulv. Scord. Card. Bened. ana* ℥ ß. *Veroni.* ℥ II. *Rad. petasitid.* ℥ VI. *Sarm. Ind. seu salf. parill.* ℥ ß. *cornu. cervi rasi & in tenuiss. pulv. redacti* ℥ V. *unicornu Hercin. paulò antè descripti* ℥ III. *Croci.* ℥ I. *Corall. rub. præpar.* ʒ I. ß. *omnibus tenuiss. pulverisatis & commistis admisc. Ther. And.* ℥ IV. *& diu multumque in mortario contundantur, admiscendo si necessitas exigit q. s. Syr. è suc. citri acidi ad consequendam formam duriusculæ massæ, qualis est recens massa Pill. cui massæ circa finem contusionis admis. Olei Vitr.* ʒ *III. Ol. Angel.* ℈ *II. F. massa; & in denso fictili aut in argenteo vase conservetur. Dosis exhibendi hujus Elect. nostri, Robustis quidem est* ʒ *I. Pueris* ʒ ß. *Infantibus* ℈ *I. cum haust. aq. Scord. aut Card. Bened. aut aceto medicato.* Pauperiores, & qui præscripta remedia præsto habere nequeunt, ut qui vel in villis, aut itinere, contagione deprehenduntur, ii recipiant herbas virides paucas aut plures, quas habere possunt, *Scordii, Card. Bened. Rutæ, Calendulæ aut Rad. Tormentill. aut Petasitidis*, quæ contundantur aceto conspersa, & succus exprimatur ad mensuram ℥ IV. aut unius mediocris haustuli, & tepidum ebibatur pro sudorifica potione.

Dosis & usus.

Pro pauperibus.

℞ *Pulv. Bacc. Lauri & Bacc. hederæ arboreæ ana* ʒ. I. *cum haustu aceti ebibantur.* Habitâ tamen ponderis ratione ad ætatem & vires. Adjiciam hoc loco duo remedia à Paracelsi asseclis vehementer commendata, quæ quia à ratione non abhorrent, uti illis licebit; sed cum ratione, & in robustis corporibus: quorum I. est *Georgii Phædronis in libello de Peste*, quod sic habet:

Remedia Paracelsistarum.

℞ *Euphorbii, Myrrhæ elect. Thuris albiss. ana* ʒ II. *Trag. puriss.* ʒ I pulverisata involvantur in massam panis farinaceam, quæ coquatur in furno donec panis sit perfectè coctus. Deinde ex refrigerato pane eximatur ex recitatis rebus materia compacta, ac iterum in pulverem redigatur, eisque *admisc. tenuiss. pulverisat. Corall. rub. præpar. succini fulvi præpar. ana* ʒ ß. *unicornu veri gr. VII. Opii puriss.* ʒ ß. *Moschi gr. III. Croci* ℈ ß. *cum q. s. Syr. de Citro acido, F. massa Electuarii.* cujus dosis puerulis infra X annos est ℈ I. Adultioribus ʒ ß. Robustis verò ʒ I cum haustu vini. Verùm cum unicornu

verum rarissimè haberi queat, ejus loco ego substituerem 3 ß. *Vnicornu Hercinii. aut* 3 I. *Rasuræ cornu cervini in Septemb. capti.* Alterum Alexipharmacum est prorsus Chymicum, id est venenatum, quo neminem uti velim, nisi in rigidis & robustis corporibus, quod ita habet:

N. Chymica cum venenatis convertuntur.

℞. *Mercur. siv. Argenti vivi Chymica arte pp. & sæpius abluti* ℈ 5 *Auri Vngari. in scobem rasi gr. V. Misce. Quibus adjici poterit unicornu Hircin.* ℈ 5. *F. Pulv. cum vino aut aq. Scord. ebib. poterit.* Reliqua Remediorum Alexipharm. genera ad imposturam excogitata, quæ à Paracelsi pecudibus, passim viris Principibus & opulentioribus proponuntur, iisque plus quam divinæ vires in profligandis Pestilentiæ contagiis tribuuntur; cujus generis sunt *Aurum potabile. tinctura Saphyri, tinctura Hyacinthi*, liquoresque aliarum gemmarum; Item *venenata olea Antimonii & Mercurii*; quoniam meræ sunt imposturæ & perniciosæ, hic non commemorabo; nec eis uti velim quenquam, priusquam fabricatores eorum præbiberint prægustarintque, & in proprio corpore periculum fecerint. Detestor quoque ego inconcinnam, ineptem, fatuam & omni ἀξίᾳ carentem atque venenatam compositionem popularis Alexipharmaci, quod *Ovum aureum* vocant; & quo in tota ferè Europa in omnibus familiis, ob quorundam Medicorum commendationem, tanquam divinitus monstrato remedio utuntur: Ex cujus usu infiniti quoque extinguuntur. Jure autem *aureum ovum* tanquam perniciosum toxicum damno: *Primùm*, quia recipit Nucem Vomicam, fructum venenatissimum, & citò extinguentem, ut quilibet periculum facere queat in cornicibus & canibus. *Secundò*, quia admiscentur extremè calida, quæ sua caliditate destruunt ἰδιοσυγκρασίαν & corporis & spirituum. *Tertiò*, quid quæso crocus exustus, & ovi luteum adustum in corpore aliud agere possunt, quam ut cinis & fuligo, nempe viscera exurere? *Quartò*,

Ovum aureum explodit ur.

Quare?

Ejus descriptio non est uniformis, sed in omnibus Myropoliis, adeoque in omnibus familiis diversam & aliam aliamque habet præparandi rationem.

Quando & quomodo utendum præscriptis Alexipharmacis, iis, qui Peste infecti sunt?

QUemadmodum antea de evacuatione ventriculi & alvi, atque de sanguinis detractione diximus, ea statim in initio morbi sive infectionis, antequam pestilens virus & spiritus & humores tinxit, eisdemque se in totum miscuit, molienda esse, ita & de Alexipharmacis assumendis statuimus, nimirum ea statim in initio morbi, ubi unum aut plura signa infectionis comparuerint, & intra 4. horas, & antequam somno opprimatur æger, assumenda esse, nisi sanguinis missione sit opus; duabus enim horis post sanguinis missionem quiescere à Medicamentis oportet. Nam si oportunum tempus in infectione prætereatur, & leviora Pestis signa contemnantur, aut ad aliud morbi genus referantur, veluti vulgus facere solet, & sic argumentari: *Nullus adest tumor, aut Bubo, aut carbunculus; Ergo non adest Pestis; Sed est febricula, aut capitis dolor.* At certe tempore Pestis omnis morbus, etiam ipsa vulnera suspecta nobis esse debent. Si quis enim signa lethalia exspectat, nempe halitum ægri fœtentem, vomitiones, & egestiones alvi nigricantes, vel Bubonum Anthracumque eruptiones, quæ mox evanescant, aut postliminiò erumpant, iis & evacuatio frustranea est, & sanguinis missio noxia, & Alexipharmaca assumpta parum efficere poterunt: quia venenum jam vicit Naturam, & mors triumphare videtur. Ex recitatis itaque sudorificis haustulis unus isque tepidus ebibatur, & æger in lecto decumbens, probè obtectus vestibus, ad sudandum se componat, & per duas, aut ad minimum ad sesqui horam sudet strenuè, sudorémque subinde calidis linteolis sub ipsis stragulis abstergat,

Alexiteria statim in principio exhibenda, antequam somnum capiat æger.

Occasio.

caveat-

caveatque ne frigidi aëris appulsu aut stragularum remotione, sudoris effusio impediatur, intraque viscera repellatur. Arceatur quoque æger sudans ne inter sudandum dormiat, & si somno vehementius infestetur, subinde spongiola, aut linteolum aceto vel vini, vel Rosar. imbutum naribus odorandum admoveatur. Sudore ita probè effuso, denuo mundis linteolis per totum corpus abstergatur, & novo indusio vestiatur, & in lectum novis linteaminibus adornatum deponatur, mundis cervicalibus suppositis; & si dormituriat æger, prius panis buccellam in vino maceratam, & pauxillo Sacchа. Cinamomoque consperfam, corroborationis virium gratiâ devoranda præbeatur, & sic per unam aut alteram horam, quiescere ac dormire permittatur. Qui ubi evigilaverit, tandem & remediis & alimentis spiritus vitales & cor corroboretur.

Non dormiendum inter sudandum.

Quibus remediis ad cordis & spirituum vitalium corroborationem, & qua ratione, utendum.

CVm Peste infectis cor & spiritus vitales omnium maximè periclitentur, veluti milites in acie constituti, ne à continua pugna cum veneno Pestis succumbant, eis & remediis & alimentis convenientibus subinde succurrendum & opitulandum erit.

Confortantia.

Sunt autem corroborantia remedia duplicia; Alia quæ intra corpus assumuntur, & quæ foris applicantur alia. In remediis autem corroborantibus exhibendis duo sunt consideranda. I. Vt eis semper admisceantur ea quæ seminariorum pestis reliquias extinguere queant. Deinde considerandum est corporis ægrotantis Temperamentum, utrum vel calidum vel frigidum sit; ut si calidum est, & calidos æstus circa præcordia sentit, crebrasque calidas exhalationes per universum diffundi corpus percipit, tum sequenti Elect. subinde refocillandus erit:

Cautio.

℞. *Conf. Rof. Borag. Bugl. Pyrorum Moscatell. condit. & minutim concisorum ana ℥. j. commisc. eisdemque admisc. pul. tenuiss. Coral. rub. & Boli Arm. veri ana ʒI. ß. Diamarg. frig. ʒII. se. Card. Bened. Acetosæ an. ʒ ß. Marga vel præpar. vel in suc. Limo. vel aceto rosa : solutarum. ℈ II. Syr. Acetos. citri q. s. F. Elect. cujus q. semijugl. aut nucis Avellanæ crebrò & diu & noctu gustet, aut sæpiuscule devoret rot. II. Manus Christi cum perlis vocatis, aut rot. Diamarg. frig.* Foris autem in Temperamentis calidis cordis regioni & manuum carpo subinde applicetur sequens Epithema, duplicatis linteolis exceptum:

Calida temperamenta quomodo reficienda.

Externa.

℞. *Aq. Rof ℥VI. Nymph. Viol. Boragin: ana ℥ II. Aceti rosa. ℥ I. Spec. Diatrion sant. pul. sem. Acetosæ ana ʒ II.* vel conficiatur saccus quadratus cordis regioni adaptatus ex sindone, in quo sequentia consuantur:

℞. *Rosa purpur. M. II. Fl. Nymphææ Citrinæ M. I. pulv. Sand. rub. ʒ. II. ß. cordialium frig. Diamarg. frig. ana ʒ. j. Sem. Acetosæ ʒ. ß. contusa misceantur, ac cum Epithemate præscripto irrigentur, & cordis regioni alligentur.*

In frigida verò constitutione corporum, qualia sunt Pituitosa, & ut plurimum fœminarum, quæ nullas sentiunt febrium reliquias, nec calidas evaporationes, sed potius ventriculi cruditatibus laborant, iis hæc sequentia exhiberi & applicari utilissimè possunt:

Quomodo frigida temperamenta reficienda.

℞. *Cort. Citri Condit. Arant. Condit. ana ℥. j. conf. Rorisma. Borag. Meliss. ana ℥. ß. pul. se. Citri excort. & tenuiss. concisorum ʒ. II. pulv. Cinam. el. ʒ I. Gariopb. ℈ I. Coral. rub. pp. Marga. ana ʒ. ß. Sp. Aromat. rosa. ℈ II. commisc. eisdemque admisc. Ol. Cinam. gutt. IV. Ol. Vitr. ℈ ß. cum q. s. Syr. Citri condit. F. Elect.* cujus nucis avellanæ quantitate sæpè devoranda ægro; aut sæpè gustet mearum morsularum particulam, supra in præservandi ratione descriptarum; aut bis in die exhibeatur *Vnius Cochl. mensura, aq. Cinamomi.* Foris autem imponatur frigidioribus corporibus sequens Epithema:

℞ *Aq.*

Externa. ℞ *Aq. Meliss. Borag. Bugl. ana* ℥ II *vini Malv. seu alterius generosi, & aq. Rorismar. ana* ℥ I. *suc. Citri mali* ℥ ß. *Aq. Cinam.* ʒ I. *Sp. Diamb.* ʒ I. *commisc. F. Epithema*: Quod linteolis exceptum cordis regioni & carpis manuum applicetur. Hoc ipso liquore & nares confricandæ sunt. Aut cum ipso liquore irrigetur sequens ex Syndone Sacculus:

℞. *Melissæ M. j. Rorisma. Basilic. ana M. ß. Pulv. Garyoph. Cinam. ana* ʒ ß. *cort. Citri* ʒ I. ß. *styrac. calam. Benzoi. j. ana* ℈ *j. Sp. Diambræ* ʒ ß. *commisc. & Syndoni insuantur. F. sacculus.* Plurimum quoque corroborat, in calidis quidem corporibus & æstuantibus præcordiis, si orificium Ventr. bis in die ante alimenti assumptionem sequenti Linimento inungatur:

℞ *Ol. Ros. Nymph. Citon. ana* ʒ. II. *ceræ albæ q. s. Redigantur in Linimenti formam, ac tandem eluantur ter cum aq. Rosa. ac postremò cum succo Citri vel aceto rosa. cui deinde admisc. tenuiss. pul. Coral. rub. præpar. ana* ʒ I. *F. Lin.* In frigidis verò corporibus, ventriculi orificium inungatur *aut Ol. è nucibus Moscatis, cui parum Ol Gariophyl. sit adjectum*, aut sequenti linimento:

℞ *Ol. è Mastich. Nardi, Menta ana* ʒ II. *ceræ q. s. F. linimentum quod eluatur, aut cum aqua Iuniperi aut aq. Cinam. ac deinde admisc. tenuiss. pulv. Mastich. & Garioph. & Coral. rub. ana* ʒ *j. F. unguentum.*

Etsi præscriptis remediis spiritus vitales, cor, ac reliqua viscera plurimùm corroborari certum sit, tamen nihil magis universam naturam & omnia viscera corroborat ac reficit, quam alimenta convenientia assumpta. Sed quia ut plurimum appetentia prosternitur in Peste, præsertim in puerulis & fœmellis, iis pro alimento subinde offerenda est, *aq. Stillat. caponum*, cum cujus carne & *conserva, & species paulò ante enumeratæ* commodè destillari possunt. (*Aq. Caponum.*) Reliqua infectorum alimenta, quum pro cujusque conditione ac fortuna liceat, debent esse optimi succi & facilis concoctionis: Cum autem alii acidis, alii dulcibus magis delectentur, ad palati cujuslibet placitum debent præparari. In genere autem convenientissima sunt infectorum alimenta, *cremor hordei, Avenæ, aut cum sacch. passulisque dulcoratus, aut aceto aut Omph. conditus.* (*Infectorum cibi.*) Præstant enim acida dulcibus ad veneni exstinctionem. Omphacia autem cum alimentis cocta, suâ quadam proprietate specifica extinguunt reliquias seminariorum Pestis, & ventriculi corroborationem appetentiamque excitant; Ideoque commodissimè cum omnibus ferculis concoqui possunt. Item conferunt infectis quoque *ova rec. sorbilia*, in quorum luteo commodè *pul. Coral. rub. Marg. & Macis* immisceri possunt. Conferunt & juscula ex ovis & cerevisia; item juscula pullorum, & caro contusa pullorum, item juscula carnium Bovillarum cum Omphac. aut aceto condita: Oryza quoque in jure Gallinæ aut carnis bovillæ cocta, item pruna Ungar. acida, Lac Amygd. ex carnibus pullorum, perdicum & avicularum Montanarum cum aceto aut omphac. & pauco croco condit. Ex piscibus laudabiles sunt, soli Lucii & Percæ aculeatæ. Conferunt quoque poma pyraque assata, aut in pulmentum cocta. Potus infectorum convenientissimus est cerevisia clara & palato grata; verùm si calor febrilis in infecto nondum est sedatus, *aq. hordei cum Cinam. cocta*, quæ fervens per *cons. Ros. Borag. & Nymph.* percolata est ac refrigerata. Confert quoque cremor hordei, cum uvis pass. & *Lac ex* 4. *sem. maj. cum aq. acetosæ* paratum, saccharoque *candi* dulcoratum.

Post virium aliquam restaurationem quid agendum cum infectis?

ET ante & post corroborationem virium, post sudorificam potionem assumptam, pro extinctione reliquiarum Pestilentis veneni, & dilutione putridorum humo- (*Post confortantia exhibita quid agendum.*)

humorum, quotidie manè ac veſperi præbeantur ægrotanti ℥ III. ſequentis potionis:

℞ *Syr. de Citro acido, è ſuc. Limonum, & è ſuc. Card. Bened. ana* ℥ *II. Aq. Scord. Card. Bened. ana* ℥ *IV. Miſc. F. potio.* Quarto à ſudore die, ſi vires mediocres ſint, humorum putridorum à Peſte tinctorum colluvies, quæ adhuc in corpore hæret, placidiſſimo aliquo remedio iterum ſubducatur, qualia hæc ſubſequentia: ℥ *x. Pulp. Caſſ. Fiſtul. aut* ℥ *III. Syr. roſa. ſol.* aut nodulo ex *Rhab. Agar. Troch. & fol. Sena ana* ʒ *j.* in Sindone ligatorum, & in ℥ *IV. aq. Card. Bened.* per noctem maceratorum, & diluculo fortiter expreſſorum; in eo liquore validioribus miſceri & reſolvi poſſunt, aut *El. lenit.* ʒ *iij. aut Diaphœn.* ʒ *ij. aut in bilioſis corporibus El. Roſ. Meſ.* ʒ *j.* Hæc aſſumi debent diluculo, 6. horis ante prandium.

Curatio Symptomatum in Peſte. Quæ Symptomata comitentur Peſtilentem infectionem.

Symptomata quæ? SYmptomata peſtem comitantia duplicia ſunt: Propria & Communia. Propria, quæ ſimul & ſigna ſunt Infectionis, ſunt I. *Tumor Glandularum*, ſive Bubo in Emunctoriis vocatis partibus. II *Anthrax* ſeu carbunculus in muſculoſis partibus. III *Febris peſtilens*, quæ eſt aut mitiſſima aut ardens & ſæviſſima. Quam deinde IV comitatur capitis dolor. V Dormiendi inexpugnabilis cupiditas. VI Æſtus præcordiorum. VII Sitis vehemens. VIII Vigiliæ continuæ, ſive dormiendi impotentia. IX Nauſea & vomitio. X Alvi fluxio. XI. Alvi nimia ſuppreſſio. XII Reſpirationis & ſuſpirii difficultas. De quorum Symptomatum curatione breviſſimè quàm poſſumus ordine diſſeremus.

Circa tumores ſeu bubones Peſtilentes, quæ ſint obſervanda, & quæ curatio.

Bubo peſtilens. IN peſte, potiſſimum quæ ad humores putridos habet analogiam, ut plurimùm circa adenoſas partes, ut ſunt ponè aures, circa collum, ſub alis & circa inguina, tumores peſtilentes excitantur, qui Græcis generaliter *Bubones* appellantur. Quanquam proprie *tumores inguinum* eo nomine tantum vocitentur, circa quos notatu neceſſaria ſunt hæc.

Tumores peſtilentes quantò ſunt majores, & è cute eminentiores, tanto ſunt ſecuriores. Minores verò, & ſub cute altiùs deliteſcentes, magis ſunt periculoſi, quàm flavi; pernicioſi autem lividi & nigri. Bubones circa collum & ſub alis periculoſiores ſunt, quàm in Inguinibus, propter cordis vicinitatem. Statim in initio erumpentes Bubones ſecuriores ſunt, quàm qui tertio aut 4. die primò apparent. Maximè autem pernicioſi ſunt, qui erumpentes paulò poſt evaneſcunt manente virium debilitate. *Prognoſtica.*

CURATIO BUBONUM in eruptionis principio ejuſmodi inſtitui debet: Si Bubo altius ſub cute deliteſcat, foras eliciatur: aut cucurbitulæ affixione, aut catapl. *ex rad. Raphani & Scroph. maj.* & ſale pauxillo acetoque conſperſis ac contuſis facta impoſitione. Si verò *tumor* ſub extenſa cute emineat, ſummo ſtudio conandum eſt, ut à nobilioribus partibus cordique vicinis ad ignobiliores & remotiores detrahatur, ut ſi ponè aures, aut circa collum, aut ſub alis hæreat, ad volam manus; ab inguinibus vero ad plantam pedis revellatur. Ubi commodius & cum minori periculo curari, incîdi & venenata materia ex eo extorqueri poteſt. Revelli autem aut detrahi *tumor* peſtilens, qui nondum radices egit, facilè ſequenti *catapl.* poterit, eo volæ manus vel plantæ pedis ejuſdem lateris, in quo Bubo inſidet, impoſito, ac per noctem ter quaterve renovato. *Curatio.* *Quæ bubonem eliciunt.*

℞ *Rad. glanduloſarum Scrophul.* (Braunwurtz / *quæ eſt ſpecies Ballotes ſeu Urticæ mortuæ, & quæ* Bubonium *jure appellari debeat.*) *maj.* ℥ *II. Rad. Raphani* ℥ j. *contund. ejuſdemque admiſceatur fermenti acerr.* ℥ *j. ſ. & cum aceto*

Cataplasma pro translocando bubone. *vini q. s. concoquantur, & in formam catapl. redigantur*, & volæ aut plantæ, prout necessitas exigit, imponantur calida. Verùm ubi Bubo sive Tumor radices egit, & tenacius loco hæreat; quàm ut in alium locum se trahi patiatur, tumori statim cucurbitula magna cum multa flamma per horam unam imponatur, crebroque avulsa iterum affigatur, sine ulla cutis incisione; tandem post avulsam cucurbitam sequentium cataplasmatum maturantium & attrahentium unum calidum ter quaterve per horas VI. imponatur, subindeque renovetur:

℞ *Rad. Raph. Scroph. ana ℥ II. salis ʒ. VI. Saponis nig. ℥ I. Fermenti acer. ℥ I. ß. cum aceto sufficienti concoquantur, contusa & in catapl. formam redigantur*, per duplicatum linteolum extensa, tumori imponantur. Post horas autem sex, remoto *catapl.* rursum cucurbita imponatur, cutisque totius Tumoris altius scalpello convulneretur, & sanguis venenatus tam diu eliciatur, donec nihil amplius sanguinis profluat. Post sanguinis evulsionem iterum aliud sequens cataplasma, maturativum & attractivum, per noctem imponatur: sæpiusque renovetur calefactum.

℞ *Cepam grand.* cujus interna medulla excavetur; ejusque cavitas *Theriac. Andr.* repleatur, & aut linteolo, aut lino madido involuta in ferventibus cineribus ad mollitiem usque concoquatur; quæ deinde contusa in pultis formam redigantur, ac tantundem *pulmenti Avenac. in Aceto cocti admisc. F. catapl.* Aut, ℞ *Farin. sem. Lini. fœnug. Pulv. rad. Alth. ana ℥ I. Rad. lil. Alb. Scroph. ana ℥ I ß. contundantur omnia, & cum q. s. Aceti decoquantur. F. catapl.*

Cataplasma valdè maturans; Aut ℞ *Cortic. Med. Sambuci M. ij. concisa coquantur cum flore lactis: Quibus contusis admisc. fermenti a. p. F. catapl. quod mirum in modum maturat & attrahit.* Aut ℞ *Radic. Symphit. maj.* conterantur inter duos lapides, & tumori cataplasmatis modo imponatur; altero die nulla expectata ampliori maturatione, ipse tumor in inferiori parte, aut candenti auro altiùs inuratur, aut novacula incidatur, aut grandi scalpello perfodiatur; (cavendo tamen ne nervus subjectus ulla ratione lædatur,) ex quo & sanguis & venenata sanies exprimatur, & mundificetur, vulnusque apertum eò usque retineatur, donec omne venenatum pus fuerit expurgatum, subinde imponendo Empl. mundificativum, quale est hoc sequens:

Mundificans; ℞ *Terebinth. cum aq. Scordii elota ℥ I. Mellis rosac. ℥ ß. Misc. F. Empl.* Aut ℞ *Medullæ panis Silig. in lacte maceratæ uvarum passar. seminibus seu acinis evulsis, Ficuum ping. ana ℥ I. coquantur in q. s. cerevisiæ, quibus addantur butyri sine Sale pro arbitrio, & redigantur in formam Catapl.* Emollit enim & mundificat egregiè. At si Tumor adhuc durus est & callosus, emolliatur *Empl. Diachyl.* aut imponatur *Empl. ex Gum. Galbano Ammonia. & Serapino ana ℥ ß. in aceto liquef.* compositum. Id quoque pro Naturæ miraculo haberi debet, si quis *Bufonem terrestrem* (venenatum animal) ligneo cuspide transfixum sub dio exiccavit, siccatumque tempore Pestis per noctem in aceto maceravit, tumorique aperto vel carbunculo imposuit, omne contagii venenum ad se trahere, & hominem certo præsidio à periculo Pestis liberare. *Attractivum ex bufone;* Porrò delicatiores, quales sunt virgines, fœmellæ & pueri, qui nec ustionem, nec incisionem tumoris tolerare queant, iis *Empl. cutem rumpens* imponi tumori debet, quale est:

Rumpens ℞ *Ammon. Bdellii Sagapen. ana ℥ ß. colliquefiant in pauxillo aceto, ut fiat similis pulti. Quibus admisc. acris fermenti ℥ j. pul. rad. Piretri, Sem. Sinapi ana ʒ. II. Euphorb. castor. ana ʒ ß. vitrioli. Ro. ʒ. III. Cantharid. ʒ. II. Misc. F. Empl.* quod per linteum extensum Buboni imponatur; sed quia hoc empl. adurendo dolorem excitat, sequens sine dolore cutem perrumpit, & dolores aperit:

Dolorem mitigans. ℞ *Sem. fœnugrec. Lini ana ℥ ß. contusa macer. in pauxillo aceto vini donec F. crassa* mu-

mucago, quæ per rarum linteum transfigatur, cujus ℥ ſ. admiſc. ℥ j. fermenti acerr. & pul. canthar. ʒ II. F. catapl. & imponatur tumori per noctem.

Carbunculus Peſtilens quomodo tractandus, & curandus.

Carbunculus quid? ANthrax eſt puſtula fervens inſtar igniti carbonis, adjacentem carnem & cutem adurens, exedens, exulcerans & cruſtam generans, (eine Fewerblaſe oder brandige Peſtilentzblatter noſtrates vocant) qui colore quanquam rubeus eſt & minus periculoſus, nonnunquam cinereus & niger, pernitioſus; & omnis carbunculus per carnoſas partes erumpit. *Prognoſt.* Carbunculi qui circa cordis regionem erumpunt, pernitioſi ſunt; deinde qui circa Epar & circa Orificium ventriculi; nec illi periculo carent, qui in collo enaſcuntur. Minus autem periculoſi ſunt, qui in cruribus, brachiis, aut natibus proveniunt. *Cautio.* Cavendum eſt ſedulò, ne refrigerantibus remediis impoſitis carbunculi ad interiora repellantur, aut eorum eruptio impediatur, ſed ſemper attrahentia & venenum elicientia imponantur. *Proba ſanabilis aut lethalis carbunculi.* Exploraturus utrum ſanabilis, aut lethalis ſit carbunculus, *Empl. ex molli Galbano impoſito*, quod ſi ulceri tenaciſſimè adhæreat, ut non niſi cum cruſta revelli valeat, ſalutis ſpes eſt; ſi eidem non adhæreat, incurabilis, & ut plurimum lethalis eſt.

Similiter ſi *Empl. ex Ther. Andro.* carbunculo imponatur, & ipſa Theriaca ſuper carbunculum citò exareſcat, aduraturque, & Anthracis conſtitutio à Theriaca nihil immutetur, lethale ſignum eſt.

Sectio periculoſa. In curatione peſtilentis carbunculi fruſtra & non ſine periculo ſectio tentatur, ipſum tamen auro candenti inurere utiliſſimum eſſet. Quod ſi nec id fieri liceat, ſtatim in initio Cucurbitula magna puſtulæ imponatur, & altius ſcalpello ſcarificetur, virusque peſtilens eliciatur.

Maturativum & attractivum. Poſt ſufficientem ſcarificationem ſequens ex fuligine Emplaſtrum, (quod mirificè & venenum elicit, & maturat, & putrida à puris partibus ſeparat, cruſtamque aufert,) imponatur, cujus parandi ratio hæc eſt:

℞ *Ther. Andr. Mithrid. opt. ana* ʒ *II. Terebinth. in ſuc. aut aq. Scord. elota* ℥ ſ. *Mellis roſa.* ʒ *III. buty. rec. ſine ſale,* ℥ ſ. *ſalis torrefacti.* ʒ *II. Fulig. (quæ fumus eſt in caminis concretus)* ʒ *V. ſaponis nig.* ʒ *VI. Vitell. ovorum N. O. j. contundantur, & ſubigantur omnia diutiſſ. F. Empl.* Maturat quoque Carbunculos, doloremque in eis mitigat ſequens *Epithema:*

Epithema mitigans. ℞ *Album. ovorum N°. III.* In quibus reſolvantur ʒ *III. Alum. crudi,* & ſimul diutiſſimè concutiantur, in ſpumamque redigantur, quæ linteolis excepta carbunculo imponantur, & areſacta lintea ſubinde renoventur; Idem præſtat & maximè mundificat ſequens Linim. linteolis exceptum & carbunculo impoſitum, ſæpeque renovatum:

Ὑπόθεσις ℞ *Terebinth. in aq. Scord. lota, Mellis Roſa. ana* ℥ ſ. *commiſc.* Simpliciora ſunt & pauperibus magis obvia, non minus tamen in maturando attrahendoque & mundificando carbunculo efficacia hæc quæ nunc ponimus:

℞ *Ovi luteum, cui admiſc. ſal torrefactum pro arbitrio, & parum fellis bovini, ex quibus F. Lin.* Aut:

℞ *Pomum Arantium* per medium diviſum, & utramque partem circa medullam *Ther. Andro.* infarctum, quæ iterum conjunctæ in linum madefactum involvantur, & ſub cineribus ferventibus ad mollitiem coquantur, & Anthraci imponantur. Aut pauperiores *Cynogloſſam herbam,* aut *Rad. Conſolid. maj.* aut *ſcabioſam* inter lapides contuſam, carbunculo imponant, ſæpiusque immutent: Similiter *triticum* ab homine ſano & adhuc jejuno exiſtente commaſticetur, & inſtar Emplaſtri, carbunculo imponatur. Maturat enim egregiè & dolorem mitigat. Specifica virtute carbunculum extirpant, & virus eliciunt *fol. uvæ lupinæ,* quæ *Aconithum* eſt *Græcorum.* Eſt autem *Aconithum* herba u- *Specifica.*

 nico

nico caule, 4. fol. è regione ſibi ipſis inſtar ſtellæ poſita habens, & in ſummitate unicum nigerrimum fructum ferens. Vnde noſtris ein Bärenkraut/ aliàs *Herba Paris* dicitur.

Bufo. At bufo exiccatus & in aceto maceratus Carbúnculo impoſitus; in Veneno elicien-do reliqua omnia ſuperat. Ne autem carbunculus latiùs ſerpat, & adjacentes partes adurat & inficiat, ſequens defenſivum Lin. circumquaque per ambitum Anthraci illiniatur, cavendo ne eo Anthrax attingatur:

Defenſivum. ℞ *Boli Arme. tenuiſſ. contriti* ℥ II *cum q. ſ. ol. Roſa. in plumbeo mortario exactè commiſc.* & in unguenti craſſioris formam reducantur. Cruſta carbunculi Butyro non ſalito inungatur, donec ſine dolore detrahi & adimi queat. Detracta cruſta ſuperioribus recitatis remediis facilè mundificari, & *catapl.* ex fuligine perſanari poteſt. Si impura & ſuperflua caro ex ulcere carbunculi pronaſci deprehendatur, extirpari debet, vel *unguento Ægypt.* aut *Rad. Ranunculi*, quæ & *flammula* dicitur, contuſa & impoſita. Porrò in curatione tum Bubonum tum carbunculorum peſtilentium, ſtudiosè cavendum eſt, ne vel ſanies virulenta, aut *catapl. Empl.* & alia remedia ab iisdem ſublata manibus contractentur, ac pedibus conculcentur à quovis, ſed ſtatim aut in fluvium projiciantur, aut in loca ſolitaria deportentur ac ſepeliantur. *Obſervatio.* Facillimè enim ſuo contactu & venenata contagione homines inficere poſſunt. Plura vide in Chirurgia noſtrâ.

Æſtus Febrilis infectorum, quibus remediis curandus.

Æſtus. PEſtis per ſe, ut diximus, morbus eſt, & quidem, ut *Hippocrates* vocat, divinus, &, ut *Galenus* ait, ex omnipotenti cauſa ortus. Febris autem eſt perpetuum accidens peſtis; ideo Medici Peſtem inter ſpecies Febris retulêre. Peſtilens autem febris vel eſt mitiſſima, vel ſæva & pernitioſa. De Febrium curatione in ſuperioribus tradidimus: ſæpe verò in infectis æſtus Febrilis reliquias habet, & inflammationem circa præcordia ſentiunt. Quod Symptoma infectorum ſequentibus remediis extingui & mitigari poteſt: ℞ *Syr. Acetoſ. Citri* ℥ *II. Aq. fragorum aut Card. Bened.* ℥ *VI. Miſc.* ac crebrò bibenda offerantur, aut ſubinde bibat æger *lac ex ſeminibus frig. ma. cum aq. Cicho. confectum*, aut bibat crebrò *aquam hordei*. *Inlapium.* Foris autem Spina dorſi & Hypochond. ſequenti Linimento inungantur:

℞ *Ol. Roſa. Viola. Nymph. ana* ℥ *I. Mucag. ex ſem. Citon. & Pſylii facta* ℥ *I. ſ. Cera parum. F. Lin.* Æſtum febrilem ſemper comitatur ſitis & linguæ ariditas; *Linim.* ſitim ſedat *ſucc. Arantiarum Syr. è citro, Rob. è ribes* linguæ illita, aut *Tamarindi* fructus in ore retenti.

Capitis dolor in Peſte affectis quibus remediis curandus.

Capitis dolor. CApitis dolor in Peſte infectis provenit ex venenatis & calidis halitibus, ad cerebrum delatis, qui vix in totum tollitur, donec cauſa evaporationum non evacuatur. Supprimit tamen vapores ad cerebrum adſcendentes creber uſus *Syr. Viol. cum aq. Cicho.* mixti, & mitigat dolorem ſequens Epithema capiti impoſitum:

℞ *Aq. Roſa.* ℥ *VI Aceti roſa.* ℥ *II. Albu. ovo. concuſſ. No. II. commiſc.* & duplicatis linteolis excepta capiti imponantur. *Epithema.*

Dormiendi cupiditas, ſive Somnus profundus in infectis, quibus remediis diſcutiendus.

Cupiditas dormiendi. SOmnus & dormiendi cupiditas in Infectis provenit ex craſſis vaporibus ad cerebrum delatis, & venas arteriaſque ſoporales *Carotidas* dictas, obſtruentibus, qui diſcuti debet leni frictione Temporum cum linteolis calidis, & odoratione acrium; qualis eſt ſequens nodulus: ℞ *Caſtor.* ℥ *II.* in ſyndone colligantur, & *in aceto vini* *Odoriferum acre.*

forti

forti macerentur, naribusque ægri ſubinde olfacienda applicentur.

Vigiliæ continuæ, ſive Dormiendi impotentia in Peſte infectis, quibus remediis curanda.

Vigiliæ. CONtinuæ vigiliæ & inquietudo oritur ex tenuibus, acribus & calidis vaporibus ad cerebrum delatis, ibidemque ſpiritus animales turbantibus. Infectis itaque inquietudine laborantibus ſomnus eſt conciliandus; ſomnum verò conciliant, ſi veſperi crura, pedeſque & brachia ac manus lavantur *in aq. cal.* in qua ſunt incocta *fol. ſalicis, Malvæ, Lactucæ, Roſæ, fl. Cham. ac capita Papav. ana ad placitum.* id ſi peragere non liceat, temporibus imponatur, atque Suturæ coronali ſequens Epithema:

Epithema pro capite. ℞ *Sem. Papa. albi* ℥. *j. Nucl. Perſic.* ℥ ß. quæ minutiſſima conterantur in mortario, eiſque admiſc. *album unius ovi, Aq. Roſ.* ℥. *II, Solani, Lactucæ & Aceti Roſa. ana* ℥ *j.* Diu agitata & ſubacta linteoliſque duplicatis excepta imponantur.

Nauſea & vomitiones in Peſte affectis, quomodo & quibus remediis curanda.

NAuſea & vomitio in Peſte excitantur à venenata colluvie in ventriculo collecta. *Vomitus.* Vomitiones non ſunt temerè ſiſtendæ, niſi prius omnis colluvies per vomitorium hauſtum probè ſit eluta: in quem uſum, ut ſupra diximus, plurimum facit, *Prognoſt.* ſi exhibeatur hauſtus ægro *liquoris aquæ ex gr: Iuniperi per deſcenſ. in pelvi deſtillati.* Aut hauſtulus *aceti & aq.* ſimul mixtorum; in quibus per noctem ſimul macerati & manè incocti cortices rad. Iugland. Poſt detractam per vomitum colluviem, ſtatim vomitum ſiſtunt 2. aut 3. *Cochl. vini*, in quo cocta ſunt *Carioph. Maſti. ana* ʒ. ß. *Roſ. ſic. p. j.* *Vomitum ſiſtens.* Ventriculus autem foris inungatur *Ol. Roſa. aut Maſti.* ac poſt inunctionem *Lamina panis toſta & cal. cum aceto vini aut roſa. irrigata, & cum Pulv. Maſtich. & Carioph. conſperſa.*

Alvi fluxio in infectis quomodo curanda.

UT nec vomitum temerè ſiſtendum eſſe diximus, ita nec alvi fluor, ſi non inferat virium ſenſibilem proſternationem, reſtringi debet, *Alvi fluxus.* quia per alvi fluxionem venenata ac putrida colluvies ex inteſtinis & Venis Meſaraicis evacuatur. *Nigra alvi fluxio lethale eſt ſignum.* Verùm ſi vires per egeſtionem continuam debilitentur, & per ſe non ſubſiſtant, utendum crebrò eſt Patienti *Prunellis Sylv. Sacch. conditis & lacte Amygd. cum aq.* in qua extinctum ſæpius ſit ferrum candens. Conducunt & lutea ovorum dura ac in aceto macerata. *Aut:*

Placenta alvum ſiſtens. ℞ *Sem. ſanguinariæ* ʒ I *Nucis Moſchatæ, Carioph. ana* ʒ ß *pulveriſata commiſc. cum ovi vitello,* & in focum ferventem ab igne & cineribus purgatum adfundantur, & in placentulam pinſentur, & ægro comedenda per duas vices præbeantur. Sanguis quoque leporinus exiccatus, & ʒ I cum *vino rub.* exhibita potenter alvum ſiſtit: aut ʒ I ſequentis pul: exhibita:

Sanguis leporinus, præſertim ſi captus ſit in Martio. ℞ *Boli Armen. Acatiæ vulgaris. Coral. rub. præpar. ana* ℈ *j. Miſc. F. pul.* ventri imponatur *Catapl. ex far. fab. albæ. ovorum & pauxillo aceto confectum.*

Alvi ſuppreſſio infectorum Peſte, ut ſolvenda?

TOto morbi tempore alvi ſuppreſſio noxia eſt propter virulentas exhalationes ad cor & cerebrum delatas, ex alvi ſuppreſſione ortas. *Alvi ſuppreſſio.* Semper itaque ut alvus lenis ſit & laxa, enitendum eſt; & ſuppreſſio quidem alvi facilimè aperiri poteſt, aut leni Clyſtere; aut glande, ex melle aut Sapone confecta, quæ ſuperius annotata ſunt; aut ſi febrilis calor abeſt, imponatur umbilico *Fel Bubulum*, cui nonnihil *Aloës & Salis* eſt admixtum, lino aut ſtupa exceptum. *Fel Bubulum.*

Sanguinis è Naribus effluxio in Peste affectis quomodo sistenda?

Prognost. NOnnunquam erumpit Sanguis ex naribus infectorum, plerumque in plethoricis & mulierculis menses suppressas habentibus. Post sanguinis eruptionem si nihil levaminis sentiat æger, lethale est signum. Sistitur autem sanguinis eruptio hisce sequentibus: *Hæmorrhagiam sistentia.* Fronti applicentur Rosæ, quæ in aceto Rosa: servantur expressæ; aut macerentur rosæ sicc: in aceto, & linteolo fronti constringantur & alligentur. Lanugo sive Papulæ in capitibus Card. Bened. repertæ & convolutæ, naribus inditæ, sistunt sanguinis fluxum. Similiter si auricularis digitus ejus lateris ex quo sanguis erumpit, dolorificè constringatur vinculo, statim sistitur sanguis; Sed his magis præstat Ranæ palustris in ollula crematæ cinis, instar noduli in Syndonem colligatus & naribus insertus.

Suspiria ac Respirationis difficultas in Peste affectis, quibus removenda remediis.

Respirationis difficultas. DIfficultas respirationis & suspirii, oscitationisque & eructationis in Peste infectis provenit ex crassis vaporibus, vel diaphragma opprimentibus, quod ex gravitate Hypochondriorum deprehenditur; aut thoracis cavitatem replentibus; cujus indicium est tussicula sicca; aut capsulam cordis occupantibus, id quod ex palpitatione cordis dignoscere licet; tumque præstat, ℈ ß ol. vel Anisi, vel Angel. vel cimini cum tribus cochlear. vini aut aquæ *Remedia.* Card. Bened. exhibere; Hæc enim per eructationem expellunt crassos vapores. Similiter & cortices Arantiarum condit. comestæ, aut radix Zedoariæ comesta ac deglutita. Extenuant enim & discutiunt crassos vapores, & organa respirationis ab impedimentis omnibus liberant.

SECTIO IV.
De Curatione symptomatum Febrilium.

Quæ Symptomata comitentur Febres.

SYmptomata sive accidentia Febrium sunt affectiones non per se, seu à causis morbificis ortæ, sed ex aliis antecedentibus morbis genitæ. *Febrium symptomata.* Nulla Febris est quæ non alia Symptomata molestaque accidentia secum trahat. Etsi autem regulare est, morbum prius esse curandum, quàm ejus Symptomata, fit tamen interdum ut neglecto morbo, Medicus cogatur statim in initio ad symptomatum curationem accedere. Sunt autem præcipua Febrium Symptomata:

I. RIGOR.
II. ÆSTUS VEHEMENS.
III. CAPITIS DOLOR.
IV. SITIS.
V. ARIDITAS LINGVÆ.
VI. SOMNVS PROFVNDVS.
VII. VIGILIÆ CONTINVÆ.
VIII. DELIRIVM.
IX. SANGVINIS E NARIBVS ERVPTIO.
X. RESPIRATIONIS DIFFICVLTAS.
XI. VENTRICVLI DOLOR.
XII. APPETENTIÆ PROSTRATIO.
XIII. VOMITIO.
XIV. ICTERITIA.
XV. ALVI OBSTRVCTIO.
XVI. ALVI FLVXIO.
XVII. SVDORIS IMMODERATA PROFVSIO.
XVIII. ANIMI DELIQVIVM.
XIX. TVMOR PEDVM.
XX. RECIDENTIA FEBRIS, sive RECIDIVA.

Horum Symptomatum nudam tantum medicationem brevissimè subjiciam.

Rigor Febrilis quomodo curandus.

Rigor. FEbres communes ut plurimùm cum rigore seu frigore invadunt: Rigor autem & frigus febrile, extensione ac remissione tantùm differunt. Rigor enim fortis est frigiditas, in qua membra concutiuntur. Frigus autem est, ubi extremitates partium manuum ac pedum, Digiti, Nasus & Spina dorsi tantum refrigerantur. Vterque autem oritur ex fumosis vaporibus, à cordis inflammatione ad carnosam membranam propulsis, ibidemque refrigeratis, quæ ubi flamma è corde tanquam clibano erumpit, eos discutit & extinguit, rigoremque sistit, & immensus æstus subsequitur; Rigor molestissimus est, & in Quartana ac Quotidiana Febre.

Cura. *CVRATVR FRIGVS febrile* confricatione partium refrigeratarum cum pannis aut linteis calefactis, & tegumentis concalefactis corporique impositis. In Rigoris initio utilissimè exhiberi possunt, ʒ j. ß. *Ther. Andro. cum* ℥ II *aq. Iuniperi cremabilis.* Foris autem prodest, inungere spi-*Remedia.* nam, paulò ante Paroxysmum, vel *ol. Chamam. vel Anethi, vel Rutæ,* cui momentum *aq. Iunip.* aut *vini* sit admixtum. Poros enim aperiunt, & crassos vapores extenuant, & membranas musculorum molliter calefaciunt. *Sed raro admittitur Rigoris curatio.*

Ardor sive æstus Febrilis quomodo curandus.

Æstus. ÆStus sive ardor in Febribus est ipsa Forma Essentialis Febrium. Æstus utplurimùm rigorem subsequitur. Nulla re citius restinguitur calor Febrilis atque finitur, quàm abstinentia Potûs in ipso æstu. Bibere enim in Paroxysmo, est frigidissimam aquam in silicem, aut candens ferrum affundere. Remedia, æstum febrilem mitigantia sunt Syrupi refrigerantes, quales sunt *Viol. & Citri acid. & è succ. Granatorum,* quorum ℥ I. admisceri possunt ℥ II *aq. Card. Bened.* & in febrili ardore crebrò cochlear pro vice haurire. Quin & sequens haustulus mirificè extinguit æstum Febrilem;

℞ *Iulapii vel Syr. Viol.* ℥ IIII *Aq. Rosa.* ℥ II *Aq. Iun. cremab.* ℥ I *ol. vitr.* ʒ ß *Moschi gr.* II. *Misc. F. potio*, cujus cochlearis mensura subinde assumatur. *Iulapium. N.* Foris autem ante Parox. spinam dorsi & Hypochond. inungere, utilissimum est, sequenti Linimento, quod extinguit Æstum Febrilem.

℞ *Ol. Ros.* ℥ ß *Nymph. Citon. ana* ʒ II *Topica.* *Mucag. ex se: Citri & Psylii, cum aq. Rosa. facta* ʒ I ß *cera candida q. s. F. Lin.* *Cui admisce momentum Aceti Rosar.* cordi verò, Epati, & carpis manuum imponatur sequens *Epithema* in æstu Febrili:

℞ *Aq. Rosa.* ℥ III *Lactucæ, Borrag. Epithema.* *ana* ℥ II *succ. semperviv. maj.* ℥ I*s* *Aceti Rosa.* ℥ j *Sp. Diatrion: Sandalon* ʒ II *Misc. F. Epithem.* Quod duplicatis linteolis exceptum imponatur. Abstrahit quoque æstum Febrilem à partibus principibus *Tinca piscis,* si *viva* sub plantis pedum, donec sponte emoriatur, ligata fuerit, Idem præstat, si carpis manuum *Bursa pastoris cum rad. contusa & Aceto rosa: conspersa instar catapl.* imponatur.

Capitis dolor in Febribus quomodo curandus.

DOlor capitis in febribus à calidis & acribus vaporibus ad cerebrum delatis, ejusque temperiem turbantibus excitatur. *Capitis dolor.* CURATIO ejus requirit Putridorum humorum, in quibus accensa est febris, artificiosam evacuationem, sive id fiat per venæ sectionem, sive per purgans medicamentum, sive per Enemata; quorum omnium utendi ratio in febrium curationibus est descripta. Hoc loco Topica tantùm pauca subjiciam; in quibus nobile est sequens Lin.

℞ *Ol. ex fl. salicis. Nymph. Viola. ana* ʒ II *Cera alba q. s. F. Lin. Eluatur cum aq. Rosa.* eoque inungantur Tempora & sutura Coronalis: aut imponatur sequens Epithema:

℞ *Aq. Rosa.* ℥ III *Aceti Rosa.* ℥ I.

Aq.

Aq. fl. Sambuc. & suc. semper vivi ana ℥ j. *Albu. j. ovi concussa* & stupa excepta, ac potissimùm Coronali suturæ imponantur. *Cucum. condit. ex frigidiss. aq. elota* & in latas laminas concisæ, frontique & Temporibus impositæ, capitis dolorem tollunt.

Sitis immodica in æstu febrili quomodo restinguenda.

Sitis. Sitis in febribus est soboles æstus. Sitis vehemens cum ariditate & nigritie linguæ si repentè & spontè cesset, lethale est *Prognost.* signum. Sitis in febribus post somnum cessans, est salutare signum. In initio Paroxysmi ab omni potu studiosè arcendi sunt ægri. In declinatione verò febris, si ampliùs sitim tolerare nequeunt, *largiss. haust. aq. hord.* propinare convenit: vel etiam purissimam ac frigidissimam aquam fontis scaturientis; quam si rursùm evomat æger, salva res est: Omnis enim calor febrilis extinguitur. Interea autem sitis vehementia mitiganda erit suctione *suc. Arant. aut suc. granat.* aut crebra collutione oris *cum aq. frig. cui parùm aceti sit admixtum*; aut retentione & commasticatione in ore *fructuum Tamarind. aut uvarum pass. in aceto maceratarum, aut saccha. cand. cum suc. viola. parati*, aut quod in *Syr. Viola.* concrevit. Gustare quoque crebrò utilissimum est *Syr. Citri acidi*, sive per se, sive cum pauxill. *aq. Fragor. aut Viol.* commistum. Aut lambendo sæpè intra os assumat *Rob. è ribes.* Aut:

Iulapium. ℞ *Syr. acidi citri* ℥ *j. Suc. Citri* ℥ ß *Aq. Card. Bened.* ℥ *III. F. potio.* de qua sumat crebrò 1. cochlear. mensuram; aut bibat in ipsa declinatione Febris *aquam Hord.* quæ hac ratione parari potest: ℞ *Hord. mundati M.* I I *Vvarum pass.* ▪▪: *M. j. Se. Anisi* ʒ I I I *Cinamo. Glycer. rasa ana* ʒ I I. Excepto hordeo, reliqua contundantur & cum aq. ℔ 4. in canthara fermento oblinito, & in ahenum aqua plenum collocato, per 11 horas coquantur.

Ariditas, scabrities, nigredoque linguæ in Febribus ut curanda.

IN ardentibus Febribus exarescit Lingua, & exusta scabra fit, & fuliginoso vapore imbuitur atque nigrescit. Tale Symptoma vulgus die Breune vocat. In curatione ardentis febris & hujus Symptomatis magna est habenda ratio, ac primum quidem prodest venam utramque sub lingua sitam incidere; deinde os *aq. Hord.* tepida colluere, moxque omnem scabritiem & sordes vel ferrea furcula, vel ex ligno salicis facta, aut argenteo cochleari abradere & emundare oportet, rursùmque colluere cum *aq. Stillat. vel Fragor. vel fl. prunell. vel aq. Prunell. herba*, aut decocto *cort. rad. Prun. Sylv.* ac tandem inungenda est lingua pauco *melle rosa. cui ol. vitr.* sit admixtum. Hæcque omnia sæpe per diem sunt molienda, sæpeque confricanda lingua aut aspero panno, aut *fol. Salviæ* in aceto madefactis. Si verò rursùm arescat, subinde inungatur sequens mucago: *Lingua arida, nigra, scabra.* *Remedia.*

℞ *Se. Citon.* ʒ ß *Se. Psylli* ℈ *j. contusa macerentur in* ℥ *ij. Aq. Rosa. donec crassa mucago efficiatur, quæ per rarum linteolum cernatur, cujus* ℥ *j. admisc.* ℈ *j. ol. vitr. & Sacchar. Candi in Syr. Viol. concreti* ℥ *5. F. Lambile.*

Somnus profundus, sive sopor continuus in febribus, quomodo curandus.

SOmnus profundus in Febribus generatur ex crassis vaporibus ad cerebrum delatis, ibidemque refrigeratis & nervorum meatûs leniter obsidentibus. In profundo somno si excitati absurda loquantur, nec paulò post ad se redeant; aut ubi somnus in febribus laboriosus est, id est ubi expavescentiam & tremorem infert, lethale est signum, juxta illud *Hipp.* 2. *Aphor.* 1. *In quo morbo somnus laborem facit, mortale est; si vero juvet, non mortale.* Somnus in declinatione Paroxysmi, ubi calor jam evanescere incipit, salutaris est. *Sopor.* *Prognost.*

CVRATIO soporis seu somni profundi

di in febribus est, ut æger crebrò excitetur, & suavibus confabulationibus à sopore avocetur, & ut caput leniter calefactis linteolis confricetur, nimirum ut vapores crassi extenuentur ac discutiantur. Naribus autem in somniculosis nodulum admovere ex *castor.* in Syndonem ligato confectum & *in aceto acerr.* maceratum, aut *succ. rad. Fœnic:* naribus oblinire, utilissimum est.

Vigiliis in Febribus quomodo medicandum.

Vigiliæ. Vigiliæ continuæ in Febribus facilè turbant Rationem, & vires prosternunt, propter calidos & siccos vapores ad cerebrum delatos, idque mordicantes; Somnus itaque conciliandus primo quoque tempore erit. Somni ergò tempore in tenebroso loco detineatur æger, & silentium imperetur, ac intra corpus haustulus *lactis ex seminibus Papaveris albi cum aq. Lactuc. confecti* exhibeatur. Foris autem temporibus & suturæ coronali imponatur sequens Epithema: *Emulsio.*

℞ *Se: Papav. albi* ℥ j. *Nucl. Pers.* ℥ ß conterantur tenuissimè, eisdemque admisc. *albu. j. ovi. Aq. Rosa.* ℥ i i *Aq. Solatri, Lact. Aceti rosa. ana* ℥ j. Diu agitata ac commixta linteolis duplicatis excepta applicentur. *Aut:* *Epith.*

℞ *Se. Papa. albi* ℥ j. *Coriand. præpar.* ℥ ß *Se. Lactucæ* ʒ i i *Santal. albi* ʒ i *fl. Ros. Viol. Nymph. ana M. j.* contusa insuantur raro linteolo. F. sacculus capitalis, qui ambo tempora & suturam coronalem contegere queat, & irroretur *Aq. Rosa.* cui pauxillum *Aceti Rosa.* sit admixtum, & capiti alligetur. Violenta somnifera, quale est *Opium & Mandragora,* semper fugienda sunt, nisi extrema urgeat necessitas: Tumque citissimè somnum conciliat sequens Linim. temporibus & naribus illitum:

Linim. ℞ *Opii Thebaici* ℈ ß *in aceto Rosa. ad ignem resoluti, cui admisce unguenti popul.* ℥ i *F. Lin.*

Delirium Febricitantium quomodo curandum.

In ardentibus febribus ex calidis & mordacibus vaporibus cerebrum ferientibus, item ex capitis dolore; & continuâ vigiliâ sæpè turbatur ratio, ut æger absurda loquatur, sed discusso febrili calore & somno concepto, iterum placatur delirium; si verò cessante febre maneat mentis turbatio, lethale est signum. Ideo studendum est, ut primo quoque tempore in febrili delirio somnus concitetur; conciliandi autem somni remedia jam commemorata sunt; Nunc satis sit formulam sacculi subjecisse ad vapores è cerebro eliciendos, & somnum conciliandum, quæ sic habet: *Delirium.* *Prog.*

℞ *Fol. Lactucæ, salicis ana M. I. fl. Rosa. Viol. Nymph. ana M. 5. capit. Papa. albi cum sem. contusi. M. I. Fol. Rorisma. Majora. fl. Chamæ. ana P. 1. concid. & in sacculo oblongo,* qui & syncipit & tempora obtegere queat, insuantur ac intersuantur, ac tandem ebulliant in *aq. Rosa.* aut *aq. Simplici,* & sacculus fortiter expressus calidus coronali suturæ imponatur. *Sacculus.*

Sanguinis è naribus in Febribus eruptio quomodo sistenda.

Ex vehementiore Febrili calore fervet & extenuatur in corpore sanguis, & ab inflammatis spiritibus sursum per venas jugulares in cerebrum propellitur, indeque per nares sæpè excernitur, præsertim in Corporibus Plethoricis. Aëtius utramque & exiguam & immoderatam sanguinis è Naribus eruptionem in febribus malam esse dicit. Sanguinis autem è naribus immoderata fluxio, quæ die Critico, id est die 4, aut 7, aut 14, ab initio febris accidit, salutaris est; eo enim capitis dolor cessat, & febris solvitur, juxta *Hipp. 6. Aphorism. 10. Caput dolenti & circumdolenti pus aut sanguis è naribus effluens, salutaris est.* Ideò non temere est sistendus sanguis, qui in crisi profluit, nisi forte vires dejiciantur. *Hæmorrhagia.* *Prognost.*

K At si

At si extra κρίσιν sanguis copiosus erumpat, & nec capitis dolor, nec mitigatio febris effluxionem sanguinis sequatur, perniciosum est, ideoque omni curâ compescendum. Præterea sanguis è naribus manans, quantò rubicundior, eò melior; quantò nigrior, eò pejor existit. Salutaris quoque est effusio sanguinis è naribus, iis qui in Febribus surdescunt, & mulieribus menses suppressos habentibus.

CVRATIO fluentis è naribus sanguinis, consistit in sanguinis refrigeratione & condensatione; ea autem perfici possunt crebrâ exhibitione *Syr. & Aq. refrigerantium*, ut sunt *Syr. Violæ. Syr. è Portulaca cum Aq. Plantag. aut Tormentillæ*, de quibus suprà in nostris curationibus abundè diximus. Ideo satis sit hoc loco pauca quædam Topica subjecisse. Sedato calore Febrili, si corpus est plethoricum, vena secetur Epatica dextri lateris; aut aversionis ergo applicetur magna cucurbita dextro Hypochondr. sine tamen scarificatione. Collo imponatur *instar Epithe. aq. frigidiss.* cui pauxillum aceti vini est admixtum, latis fasciis excepta, quibus venæ jugulares moderatè constringantur. Fronti imponatur sequens Epithema: — *V. S.*

℞ *Aq. Rosa.* ℥ *VI. Aceti Rosa.* ℥ I *Albu. unius ovi, simul concutiantur eisdemque admisc. pulv. Thuris & Boli Armeni. ana* ʒ II *F. Epithema.* In Masculis sanguine è naribus erumpente, si testiculi involvantur panno *in aceto Rosa. aut aceto vini imbuto*, statim sistunt eruptionem sanguinis. Auricularis quoque digitus ejus lateris ex quo effluit sanguis, si vinculo arctissimè constringatur, cessabit fluxio. Odor quoque *aq. Rosa. in qua Camph. est resoluta*, linteolis excepta naribusque admota, sistit sanguinem.

Respirationis difficultas in Febribus ut removenda.

UBi in Febribus aut crassi vapores Thoracis cavitatem complent, aut vitiosi humores circa orificium Ventr. Diaphragma obsident, atque gravant, Respirationis difficultatem & angustiam inferunt. *CVRATVR hoc malum* remediis vapores crassos extenuantibus, & per eructationem discutientibus, aut per vomitionem humores gravantes evacuantibus. Resolvunt & discutiunt vapores *7 gutt. olei Cymin. aut ol. Angel.* cum duobus cochlearibus *vini* extra Parox. exhibitæ. Si circa orificium Ventr. tensio & dolor sentiatur, vomitus est irritandus ℥ *V. aquosi liquoris Iuniperi per descensum destillati* exhibitione. Post vomitum verò corroborat ventr. *Ol. Vitr. si ejus gutt. 2. cum* II *Cochl. vini* exhibeantur: similiter plurimùm facit ad respirationis difficultatem aq. Juniperi per ascensum destillata, & cum *Sacch. cand.* concremati, si ejus cochlear. II exhibeantur. Idem præstat & comestio ac deglutitio *rad. Zedoar.* Foris autem utilissimum erit præcordia *ol. Mentæ & ol. Anethino* inungere, & hæc omnia extra Paroxysmum sunt molienda. — *Respirationis difficultas. Medicamina Vomitus. Linim.*

Ventriculi dolor in Febribus ut mittigandus.

VEntriculus sæpè dolet in Febribus aut ex colluvie pituitosa in eò coacervata, aut ex flatulentis vaporibus ipsum distendentibus. *CVRATVR* evacuatione per vomitum haustu *liquoris aquosi Iuniperi per descensum destill.* ℥. 4. aut haustu *vini* assumpto, in quo *cortices rad. Iugl. arboris* per noctem sunt macerati & ebulliti. Si flatulentis & crassis vaporibus distendatur Ventriculus, tum exhibendæ sunt 7. *gutt.* aut *ol. Cymini aut Angel. aut Anisi aut Absinth.* destillati, ut paulò ante de difficultate respirationis removenda, à nobis dictum est. Imbecillem ventriculum habentibus post Paroxysmum & caloris febrilis remissionem *panis lamina tosta*, & in vino Cretico sive alio generoso macerata, utilissimè devoranda exhiberi potest. Utile quoque est *Cort. Arant. condit.* sæpe gustare, & ℈ ß *ol. vitr. cum haustu vini*: mirum in modum corroborat ventriculum, Febrim extinguit, ac pituitosam materiam absumit; Foris verò inungatur Orificium Ventriculi, si æstuet, *ol. Rosa.* — *Dolor ventriculi. Vomitus.*

Rosa. è Mastiche & Ol. Nymph. ana ℥ II *simul mixtis*; Si verò absit calor, inungatur *ol. è Menta & Absinth.* Flatibus referto ventriculo imponatur pannus madefactus *in decocto Menta, Ruta & Chama. & sem. Cimini cum vino*, sed extra æstum Febrilem.

Appetentia prostratio in Febribus quomodo restauranda.

Anorexia. EXceptâ Quartanâ Febre in reliquis omnibus semper prosternitur appetentia; cum propter imbecillitatem Ventriculi, tum propter Epatis præternaturalem calefactionem. Appetentiæ refectionis in Febribus diligens est habenda ratio; longa enim inedia extinguit vires, & augetur putrefactio & calor præternaturalis. Non ergo omnia vitanda sunt in Febri quæ æger appetit, sæpissimè enim ea quæ appetit æger, & famelico sunt vetita, avidiùs assumpta salutem attulerunt. Quæ enim cum aviditate & voluptate assumuntur, ea facilè à Natura alterantur. Ideò rectè monet *Hippocr.* ubi inquit: 2. *Aph.* 38. *Parum deterior cibus & potus, suavior tamen, melioribus & minus salubribus est anteferendus.* Idem 2. *Aphor.* 50. *Consueta, etsi paulò deteriora, salubribus insuetis, tamen præferenda sunt.* Id tamen studiosè adnitendum est, ut causa prostratæ appetentiæ, sive sint humores vitiati in ventr. sive in Epate, sensim subtrahantur, & vis eorum viscerum subinde corroboretur. Porrò appetentiam excitant suâ naturâ omnia acida, qualia sunt alimenta *cum aceto vini*, aut *uvis immaturis* cocta. Confert quoque plurimùm in restauratione appetentiæ *Diacitoniton simplex ex succ. Citon. & Sacch. confectum.* *Acida appetitum excitant.* In prostratione appetentiæ varia fercula, pro cujusque palati arbitrio ingeniosè sunt excogitanda, & crebrò ægris offerenda. Alii enim acidis magis, alii dulcibus delectantur. Ubi verò æger omne repudiet alimentum, tum nutriendus est per intestina, infuso nimirum per Clysterem *jusculo Caponum aut carnium, & luteorum ovorum, cum lacte Amygdalino mixtorum* & similibus alimentis. *Enemata nutrientia.* Ex alimentis enim in intestinis existentibus Venæ Mesaraicæ benigniorem partem exugunt, & ad Epar sanguinis officinam deferunt; verùm semper intestina antea per convenientem Clysterem à fecibus evacuanda sunt. *Observatio.*

Vomitio immoderata in Febribus ut sistenda.

Vomitus. VOmitio est actio ventriculi, qua putridam colluviem in se contentam exonerare conatur. Vomitus non prius est compescendus, donec noxia colluvies omnis probè sit evacuata. Si enim ante vitiosorum humorum evacuationem sistatur vomitus, laborem & anxietatem infert; Nec critica vomitio, quæ circa 4, aut 7, aut 14 diem accidit, est sistenda; ut plurimùm enim magnum adfert levamen. *quid agendum?* Primum itaque antequam sistatur vomitio continua, exhibeatur ægro haustus vomitorius, videlicet haustus aq. calid. cui salis nonnihil sit admixtum, aut haustulus *aquosi liquoris Iuniperi*, aut vini in quo *Corj. Iugl.* sunt incocti, de quibus antea diximus: & fiat vomitio ante Paroxysmum. Ac si neque tum spontè cesset vomitio, sciendum erit colluviem internæ Tunicæ Ventr. imbutam esse, tum præstabit alvum subducere, cum *Diapœn: & Hyer. simpl. ana* ʒ *IV. in* ℥ 4 *aq. Absinth.* solutis. Tandem si opus sit constrictione & prohibitione vomitus:

℞ *Carioph.* 4. ß. *Masti.* ℈ *j. Rof. rub. p.* 1. concisa coquantur in ollula vitreacea & cooperta cum *vini rubei* ℥ *VI.* ad tertias, ac colentur, hujusque liquoris mensura unius aut alterius cochlearis post assumptum cibum exhibeatur. Foris autem inungatur Ventriculus, si æstuet, *Ol. Rosa. & Citon.* si absit calor, *ol. è Mastich. Nard. è Menta aut Absynth.* *Topica.* Quin & corroborationis ventriculi causâ foris imponatur *Empl. de crusta Panis*, cujus descriptio extat in libris Pharmacopæorum, quos *Dispensatoria* vocant.

Icteritia in Febribus ut curanda.

Icterus. MOrbus Regius in Febribus Epatis inflammationem, & Bilis ex propria vesicula

ſicula in Epar regurgitationem, meatusque ex veſicula fellis in Inteſtina obſtru-ctionem ſequitur; *Quibuſcunque in febribus ante diem 7. morbus regius accedat, eſt ſignum malum, inquit Hipp. 4. Aph. 62.* Ita videlicet ſi nulla ſequatur materiæ expulſio, vel per alvum, vel per veſicam cum urina, vel per narium eruptionem, vel per ſudorem; quæ evacuationes ſi ſequantur Icteritiam, non eſt pernitioſa: *Septimo die apparens Icteritia, quia eſt Critica, non poteſt eſſe mala*: poſt 7 quoque diem, omnis Icteritia in Febribus apparens, ſi non ſequatur expulſio excrementorum, mala eſt cenſenda.

Prognoſt.

CVRATIO Icteritiæ peti debet ex ſuperioribus, quæ tamen non poteſt commodè adhiberi, niſi prius curata febre. Ceſſante Febri ſubducatur Bilis flava nodulo hunc in modum parato:

Remedia.

℞ *Rhab.* ʒ II *Se. Aniſi* ℈ II colligantur in Syndone contuſa, *F.* nodulus qui per noctem maceretur in Aq. Abſynth. ℥ IV. Altero die ebulliat, exprimatur & exhauriatur. Ceſſante Febri exhibeantur ſequentes potiones manè ac veſperi ℥ v:

℞ *Rad. Chelido.* ℥ß. *Aſari.* ʒ II. *Fragor. cum rad. Card. Bened. Centau. Min. Roriſma. ana M. S. Bacc. Iuniperi* ʒ III *Croci* ℈j. conciſa & contuſa coquantur in *vini albi* ℔ II in Cantharo probè obturato, & in aheno collocato ad II horas, *fiat potio.* Fœdum colorem cutis in Icteritia tollit crebra lavatio cum aq. dicta, in qua cocti ſunt flores Chamæ. & Melil. In faciem autem & oculos quotidie bis excipiatur vapor *acerr. aceti* ferventis, & evaneſcet flavus color. Interim & bilis flava *Rhab. infuſione* ſubducatur, & Hypoch. præſertim dextrum, ſæpè *ol. Roſ.* inungatur.

Externa.

Alvi obſtructio in Febribus quomodo lenienda.

Obſtructio alvi.

ALvus ob caliditatem & ſiccitatem febris, præſertim in corporibus ſiccioribus, conſtipatur atque conſtringitur. Cum autem obſtructiones alvi plures vapores ad cor & cerebrum ſurſum pellant, minimè ejus curatio negligi debet, ſed ſtatim vel eodem vel altero die glande *ex melle, Sale & pulv: Colocinth.* facto, aut leni *Clyſt.* aperiatur & leniatur. Clyſteris formula talis eſſe poterit:

℞ *Malvæ. Mercu. violæ. ana M. ß. fl. Chamæ. Anethi ana p. I.* conciſa coquantur in jure pulli non ſaliti ad tertias, colati juris accipe ℔ I *Ol. Chamæ.* ʒ III. *Pulpæ Caſſiæ* ʒ II *F.* Enema, quod tepidum recto inteſtino infundatur. Qui Clyſteris uſum non ferunt, eis exhiberi poſſunt ʒ x *Pulpæ Caſſiæ*, lenit enim & clementer ſubducit Alvum.

Clyſter.

Alvi fluxio in Febribus quomodo ſupprimenda.

ALvi fluxio & perturbatio in febribus ſi critica eſt, id eſt die critico 7, aut 14, aut 20. ab initio Febris accidat, ſemper levamen morbi adferre ſolet, niſi modum excedat, ideò minimè ſupprimenda eſt. At verò ſi vires proſternat, & extra criſin eveniat, continuè ſupprimatur: Supprimenda quoque erit, ſi excrementum alvi nigrum eſt, & vehementer fœtidum, aut cruentum, aut fæci ſimile, quod perpetuò perniciem ſignificat. Antequam autem fluxio ſiſtatur, & excrementum ſit bilioſum aut nigrum, præſtat ante ſuppreſſionem leni clyſtere elui Inteſtina, aut ʒ x *Pulpæ Caſſ.* Quo facto commodiùs alvus aſtringi poteſt.

Alvi fluxus.

Remedia.

In fluxione alvi ægro alimenta offerantur conſtringentia & refrigerantia, in quibus optimum eſt *lac Amygdal.* quod cum *aq. Chalybeata* (vel in qua ferrum candens eſt extinctum) ſit paratum, & pulmenta ex *far. hord. aut fabæ.* cum lacte in quo candens ferrum ſit extinctum. Potus verò conveniens erit cereviſia clara & antiqua, in qua macerata eſt *lamina Panis toſti cum Nuce Moſchata* confricata. Remedium verò aſtringens tale exhibeatur:

℞ *Sem: Sanguinariæ Nucis Moſch: Caryoph. ana* ʒß. pulveriſata miſceantur cum unius ovi luteo, & in ferventi foco ab igne & cineribus purgato infuſa vel per laminam ferri calefactam poſita, in placentulam coquantur, quæ per duas vices ante

Aſtringens.

ante aliorum ciborum assumptionem exhibeatur. *Vel:*

℞ *Gum. Arab. Spodii præpar. Boli Arme. Acatiæ ana* ʒ ß. *pulverisata commisc. & ejus* ℈ j. *aut cum Syr. è Papav. aut cum vino rub. exhibeatur.* Foris imponatur ventri Cataplasm. calef. ex limo ferri, qui reperitur in fabrorum ferrariorum vasis, in quo candentia ferra extinguuntur, cui & *far. fab.* commodè admisceri potest.

Cataplasma ex limo ferri.

Sudoris crebra & immoderata eruptio in febribus quomodo curanda.

Sudor nimius.

SUdor est serosius excrementum massæ sanguineæ, quod per poros cutis excernitur. Contingit autem in febribus, ubi præternaturalis calor vitiosos humores in vapores resolvit & ad cutem propellit: Et quidem sudor in febribus hic tantum salutaris est, qui post Paroxys. evanescente jam calore febrili provenire solet, aut qui ipso die Critico erumpit; alias si contingat semper caloris nativi imbecillitatem, & caloris præternaturalis violentiam, & humorum vitiosorum copiam, morbique diuturnitatem significat. Est quoque salubris sudor, qui calidus per totum corpus profluit, ex certis autem tantum partibus, ut cervice, Thorace aliisque emanans, earum partium imbecillitatem, easque humoribus vitiosis gravatas ostendit. Frigidus verò sudor viribus debilitatis, & in acutis febribus mortem significat; sudores Critici, & qui fiunt in paroxys. nunquam sunt cohibendi, sed potius promovendi. Promovetur autem sudoris effusio, assumpto bono haustu *aq. hordei cal.* aut assumpto haustu sudorifico supra in institutione de Peste præscripto. Sed talis haustus exhibendus est, ubi Febres sunt venenatæ, qualis fuit Febris, quam *Sudorem Anglicum* vocant, quæ grassata est *Anno Christi* 1486. In sudoris excretione, donec vires constant, & pulsus arteriarum validus est, non est cohibendus. Quibus in febribus crebri & superflui sudores erumpunt, materia Sudoris, id est, humores vitiosi leniter evacuandi sunt, & spontè cessabit sudor. Constat ex præmissis, non temere esse sedandum sudorem; at si necessitas urgeat, his remediis sine noxa uti poterimus Topicis:

Prognost.

Frigidus sudor.

℞ *Terræ Sigill.* ʒ II. *cort. granat* ʒ I. *plumbi usti* ʒ S *Farinæ volatilis* ℈ II. *Alum:* ℈ I. *tenuiss. pulverisata commisc. & cum* ℥ I. *Ol. Citon. in Lin. formam reducantur*, quo universa corporis cutis inungatur. *Aut:*

Unguentum pro sistendo sudore.

℞ *Aq. Rosa. Plantag. Tormentillæ ana* ℥ III. *Albu. ovorum N°. ij.* Subigantur & concutiantur simul, & eo liquore cutis illiniatur. *Aut:*

℞ *Sulph. Citrini* ʒ II, *Salis Nitri* ʒ I, *Alum.* ʒ S. *ol. Myrtill.* ℥ j. *Misc. F.* Linimentum. *Aut:*

℞ *Ol. Rosa. Myrtill. ana* ℥ S. *succ. Citon.* ℥ II *Succ. Granato.* ℥ I *Pul. Sang. Draconis, Acatiæ ana* ʒ I *Se. Citon.* Ebulliant ad succi consumptionem, & colentur, F. Ltm. Intra corpus crebrò assumantur frustula *Citon. Sacch. condit.* Aut *rotulæ rosatæ novellæ, aut* ʒ I *Troch. è Carabe cum aq. Nymphea.*

Interna.

Animi deliquium in Febribus quomodo reficiendum.

Lipothymia.

ANimi deliquium hoc loco non omnium virium amissionem, qualis fit in Syncope morbo, sed summam imbecillitatem virium & cordis anxietatem intelligimus, nostrates Ohnmacht / oder Krafftlosigkeit vocant. Contingit hoc Symptoma ubi spiritus vitales in corde aut dissipantur, aut suffocantur impensius.

CVRATIO est, ut statim Spiritus corroborentur, & calor nativus excitetur. In hanc rem facit *aq. Stillat. Cinamo.* si ejus cochlear. unum in ipsa anxietate exhibeatur, & naribus *acetum rosa.* odorandum admoveatur, si denique tempora & arteriæ in carpis manuum pulsantes *cum aq. Rosa. pauxillo aceto Rosa. commixta* confricentur. Cordis regioni sequens Epithema imponatur:

Remedia.

℞ *Aq. Rosa.* ℥ III *Meliss. Borag. ana* ℥ I *Aceti Rosa. Vini generosi ana* ℥ S *Pul. corall. rub. præpar.* ʒ I *Sp. Cordialium* ʒ II

Epith. *Commisc. F. Epith.* duplicatis linteolis excipiendum atque imponendum. Refectis Spiritibus vitalibus, si absit calor febrilis, ad virium omnium corroborationem exhibeatur *lamina panis vel in vino Cretico, vel in suc. acido citri aut in suc. granat.* recens expresso macerata; aut crebrò gustet æger *rot. manus Christi perlat.*

Tumor pedum in Febrium terminatione ut curandus.

Pedum tumor. Circa terminationem Febrium, præsertim in pituitosis corporibus, propter pravam victus rationem & pituitosæ colluviei copiam, quæ ad pedes decumbit, intumescunt, & œdematosi efficiuntur pedes, ac tibiæ, præsertim vesperi. Etsi autem pedum tumor in febribus processu temporis spontè discutiatur, modò æger bona & moderata utatur victus ratione, tamen si tumor diutius molestet, convenit pituitosam materiam convenientibus remediis iterum atque iterum subducere atque evacuare. *Pituitam subducens Pharm.* Ejusmodi remedium est *infusum Aga. Troch.* ℥ *iij. in haust. aq. Absynth.* aut in robustis, *Diaphan.* ℥ *x. in haust. aq. Absynth.* resolutæ. Pedes autem tumentes vapore aq. & aceti simul mixtorum, in quibus incocti sunt *flores Chamæ. & Anethi & fol. Sambuci* aut Ebuli, singulis diebus per horam macerentur, ac tandem inungantur *ol. Chamæ.* cui nonnihil *ol. vitr.* sit admixtum. *Topica.* Hæc si minus conferant, tumentes pedes in dolium sive tinnam ad genua usque imponantur, & siliginibus in aheno sine liquore torrefactis ac ferventibus obruantur ac sepeliantur. Siligo enim per poros pituitosam colluviem elicit & provocat, aut plantis pedum tumentium sequens cataplasma imponatur:

℞ *Sapo. nigri, Mellis crudi, Salis ana p. æ.* Quæ commixta cum aceto sufficienti coquantur ad justam crassitiem *F.* catapl. *Cataplasma.* Quod per duplicatum linteolum extensum ituro cubitum imponatur. Quod etiam ipsis pedibus tumentibus commodè circumponi & applicari potest. Cavendum tamen sedulò, ne per crebras lotiones pedum tumor vel materia tumoris, sursum in ventrem ac reliqua viscera ex pedibus propellatur. *Cautio.*

Recidentia sive recidiva Febris quomodo curanda.

Febrim vocamus recidivam, ubi quis per aliquod tempus liberatus, rursum post octiduum, aut citius, tardiusve denuò in eandem incidit. *Recidiva.*

Causæ recidivarum προηγꙋ. sunt reliquiæ vitiosorum humorum per corpus sparsæ, & nondum satis evacuatæ.

προκατ: sunt vel in victus ratione, intemperantia, & alimentorum putrefactioni obnoxiorum, visceraque obstruentium assumptio; vel aëris tenuis & temperati consuetique subita mutatio. Videmus enim qui paulò post in nubilosum crassumque aërem prodeant, *aut flumina & aquas pertranseant,* aut laquearia, *aut templa ingrediantur,* statim de novo in febrim recidere, eò quod per crassitiem aëris pori cutis obstruantur, & reliquiæ humoris putrefacti in corpore adhuc fumigantis accendantur, & novam febrim excitent. *Causæ.*

Signa manifesta sunt.

Prognosticum autem id observatu dignum est: In recidivis, si æger adhuc à priori febri valde sit debilis, & denuò recidat, vix mortem evasurus est. Præstat itaque Medicum honestâ excusatione prætensâ à recidivarum ejusmodi curatione abstinere. Si verò post priorem febrim vires constent, quiete & abstinentia, id est moderata & convenienti victus ratione facilè curabitur; At si viscera pravis humoribus sunt infarcta, benignissimis remediis veluti sunt ℥ *X Pulpæ Cassiæ,* aut ℥ *II Mannæ,* aut ℥ *III Syr. rosat. sol.* liberanda venient; à multis autem violentioribusque remediis omnino abstinendum est. *Prognost.*

Finis libri de Febribus.

LIBER

Liber Secundus De CURATIONE MORBORUM ET SYMPTOMATUM,

Ex rebus Venenatis, corporibus quoquo modo illatorum.

Sectio I.

Generalia circa venena continens.

PRÆLOQUIUM.



Deò miſera eſt conditio vitæ mortalium, ut non tantum infinitis morborum in corpore genitorum generibus oppugnetur affligaturque quotidie, verum etiam foris mille ſubindè venenis petatur & periclitetur: non rarò enim homines per propriam imprudentiam, ſæpè & aliorum ſceleratorum veneficiorum fraudulentam malitiam vitæ exitioſa devorant hauriuntque venena; quod homicidii genus ut in Germania noſtra execrabile eſt, & rariſſimè contingit, ita apud alias pleraſque nationes, Italos potiſſimum & Hiſpanos, uſitatiſſimum eſt, & impunè ferè exercetur; adeò etiam, ut eorum quidam doctiores artem pernitioſam conficiendi venena, quæ vel confeſtim interimant, vel quæ homines in longum tempus torqueant & tabefaciant, ac deinde necem inferant, crudeli auſu docere, laudi ducant. In quibus eſt *Magus* ille *Neapolitanus Iohannes Baptiſta Porta*, & alii plerique. Quin ſæpè etiam homines incauti per contactum, ictum morſumque venenatarum beſtiarum, & rerum venenoſarum applicationem, exitioſum virus attrahunt ac concipiunt, & vitam in præſens periculum conjiciunt.

Mortales infinitis miſeriis obnoxii.

Ejus generis morbos & ſymptomata *ad univerſales morbos* nos referre voluimus, eo nimirum nomine, quod omnia venena univerſæ naturæ adverſentur, & pernitiem adferant, deſtruendo partium temperiem, corrumpendo humorem primigenium, extinguendo, aut ſuffocando calorem ſpiritumque vitalem: Ea enim eſt proprietas omnium venenorum, ut etiam certo in loco, aut certa corporis particula internâ vel externâ hæreant, paulò poſt tamen ſuas virulentas qualitates in totam naturam, quæ ex *ſpiritibus*, *humoribus* & *ſolidis partibus* conſtat, diffundant, & per venas arteriasque citiſſimè ad cor ipſum vitæ fontem perreptent, & ſpiritum vitalem extinguant aut ſuffocent. Cum autem de venenato morbo ex aëre infecto generato, quam *Peſtilentiam* vocamus, & ejusdem Symptomatibus, paulò ante tradiderimus, nunc de eorum curatione, qui vel *ex rerum venenatarum intra corpus aſſumptione*, vel *foris per contactum* inferuntur; obiter ſcitu utilia & neceſſaria docere decrevimus; breviſſimè demonſtraturi, communiſſimas venenorum proprietates & remedia; quibus quoque venenum profligari debeat; omiſſis venenis quæ in hiſce Borealibus oris vix nomine nota ſunt, ſedulo Deum orantes ne unquam hominibus innoteſcant.

Cur venenati inter univerſales morbos numerandi.

Venenum quid, & in quo differat à Medicamento, & quot modis corpora inficiat.

Quicquid intra corpus aſſumitur, aut eſt *alimentum*, aut *medicamentum*, aut *venenum*. *Alimentum* eſt quod aſſumptum à calore nativo alteratur, & per modum nutritionis in ſubſtantiam corporis noſtri convertitur. *Medicamentum* eſt quod aſſumptum

Alimentum quid?

Medicamentum quid?

sumptum ipsum corpus alterat, & in substantiam corporis non convertitur. *Venenum* est, quod assumptum universæ naturæ adversatur, & congenitam temperiem labefactat, humores corrumpit, & solidas corporis partes putrefacit, totique naturæ necem infert. *Venenum* Græcis generali vocabulo φάρμακον, *medicamentum*, appellatur, forsan quia, præter exitiosam facultatem, adjunctam plerumque sibi habet vim medicamentosam; nullum enim fere venenum est, quod vel aliis venenis non sit Medicina, vel alios morbos persanet. Sed eruditi distinguunt à salutaribus remediis, & venena vocant φάρμακα δηλητήρια, *exitiosa remedia*. Inficiunt porrò venena, sive res venenatæ, aut per *assumptionem intra corpus*, idque vel sub specie *cibi*, vel *potionis*, vel *medicamenti*, aut *contactu* & *applicatione ad corpora* nostra; ad quem modum referuntur & ictus & morsus venenatorum animantium.

Venenum quid?

Vbi virus, ibi virtus.

Venenatarum rerum genera quot sunt?

Tria, quæ animantibus & intra corpus assumpta, & foris applicata, suumque virus per ictum morsumque jaculantia pernitiem inferunt. *Primum genus* est earum, quæ è terra pronascuntur, veluti sunt stirpes, herbæ & fungi venenosi. *Alterum* est earum rerum, quæ ex cavernis montium terræque cuniculis effodiuntur, quales sunt metalla, mineræ & lapides. *Tertium* genus est eorum, quæ animantia sunt; & eorum quædam in terris, quædam in aquis degunt, ut sunt serpentes, scorpiones, hirundines, bufones, canis rabiosus, simia, & homo secundum partes. Earum venenatarum rerum omnium aliæ rursum sunt venenatæ, aut suâ naturâ & congenita proprietate, ut sunt Arsenicum, bufones, serpentes & similes; aliæ redduntur magis venenatæ arte ac præparatione, ut sunt Opium, Mercurius sublimatus ac præcipitatus, vitriolum, chalcantum & similia. Ad artificiosa venena referenda sunt omnia venenata pharmaca, & philtra exitiosa, quorum artifices Græcis φαρμακοδήλητες, id est, venefici nominantur.

Primum genus vegetabilium. Secundum, Mineralium. Tertium, Animalium:

Venena naturalia.

Artificialia.

Venenatæ res, quibus potentiis efficaces sint, pernitiemque animantibus inferant.

Duplici ratione efficaces sunt res venenatæ, & Naturæ perniciem inferunt, aut excellenti qualitate Elementari, in quarto gradu constituta, caliditate, siccitate, frigiditate & humiditate; aut destruunt naturam forma substantiali, sive specifica congenitaque venenata proprietate. *Extrema & ignea caliditas* rerum destruit Naturam, inflammando, exurendo & erodendo; talis est vis in *Elleboro*, *Euphorbio*, *Arsenico* & *Mercurio sublimato*. *Extrema frigiditas* rerum venenatarum naturæ, pernitiem adfert, *refrigerando, congelando*, *stupefaciendo*, *meatus spirituum & humorum constringendo spiritusque suffocando*; ejus generis sunt *hydrargyrium*, *Lithargyrium*, *Cerusa*, *opium* & *fungi venenati*. Excellenter *sicca* res naturæ adversantur, humores cum primigenium tùm alimentarem *exiccando*, *absorbendo*, partesque solidas *rumpendo* ac *dividendo*: ejusmodi sunt *calx viva*, *calchantum* & similia; Extremè *humida* res per se nullam noxam naturæ inferunt, nisi ubi simul cum aliis perniciosis qualitatibus calidis, vel aliarum rerum venenata qualitate sunt imbutæ. Pestilentiores autem sunt naturæ, animantium res venenatæ, quæ formâ substantiali, sive congenita proprietate venenatæ sunt; ut sunt serpentes, bufones & similes.

quomodo venena noceant.

Hæc ob seculi ejus infelicitatem, quando Magistris contradicere nefas erat.

Quæ sint communiores venenatarum rerum species.

Ex genere Plantarum venenata sunt:

Venena ex tribus vegetabilium.

Aconitum.	Taxus.
Tithymalus.	Oleander.
Mesereum.	Veratrum.
Laureola.	Colocinthis.
Anacardus.	Ciclamen.
Staphisagria.	Cataputia.
Nux Vomica.	Juglans.

Sam-

Sambucus.	Euphorbium.
Agaricus.	Hyoſchyamus.
Viſcus arborum.	Pſyllium.
Cicuta.	Coriandrum.
Turbith.	Mandragora.
Scammonium.	Opium & papaver.
Ranunculus.	

Ex genere Foſſilium ſive metallorum ac mineralium venenata ſunt:

Venena ex familia mineralium & metallorum. Arſenicum, Auripigmentum, Argentum vivum, Mercurius ſublimatus, Mercurius præcipitatus, Cinabrium, minium, plumbum uſtum, gypſum, lithargyrium, Vitriolum, Calx, Sulphur, Sal Ammoniacum, Borax, æs uſtum, ærugo, ſtibium ſive Antimonium, Lapis Armenius, lapis lazuli, lapis Magnes, arma veneno imbuta, halitus venenatus ex ſpecubus.

Ex genere animatorum Venenata ſunt:

Venena ex claſſe Animalium.

Serpentum genera.	Veſpertilio.
Hirudo.	Aranea.
Canis rabioſus.	Apes.
Equus.	Rana paluſtris.
Muſtela.	Lacertus.
Cantharides.	Lupus.
Veſpæ.	Baſiliſcus.
Bufo.	Mus.
Scorpio.	Bupreſtis.
Felis.	Simia.
Cervus.	Lac in ventriculo coagulatum.
Homo.	

De quarum venenatarum rerum naturis & pernitioſa proprietate, & per ea illatis Symptomatibus, eorundemque curationibus, quam poſſumus breviſſimè differemus.

Quæ remedia in genere omnibus adverſentur Venenis.

Etſi ſingula venenorum genera, ſua habeant peculiaria remedia, ut paulò poſt indicabimus; tamen in genere hæc ſequentia, tum ſuis primis qualitatibus, tum ſua ſubſtantiali forma ſuisque ἀντιπαθείαις omnibus in genere adverſantur venenis, eaque validiſſimè propellunt, diſcutiunt & extinguunt, quorum, ut & venenorum, tria ſunt genera; alia enim ex herbis herbarumque partibus, alia ex foſſilibus, alia ex animalibus ſumuntur.

Alexiteria ex herbis veneno reſiſtunt:

Alexipharmaca ex herbis, fructibus & ſuccis.

I. RADICES

Petaſitidis.	Ariſtolochiæ longæ.
Aſclepiadis.	Raphani.
Angelicæ.	Agarici.
Valerianæ.	Pentaphylli.
Allii.	Dauci Cretici.
Rhabarbari.	Elenii.
Pimpinellæ.	Dictamni.
Morſus Diaboli.	Zedoariæ.
Oſtrutii.	

FOLIA

Scordii, Rutæ, Cardui bened. Hyperici, Calamenthæ, Veronicæ, Roriſmarini, Centauri minor. Salviæ.

SEMINA

Citrii mali, Thlaſpi. FRVCTVS.

MALA Citria, Arantia, Limonia.

Caſſiæ pulpa, grana Juniperi, Baccæ Lauri.

SVCCI

Hederæ arboreæ, Millefolii, Myrrhæ.

Sagapenum Vinum, Oleum.

Ex Foſſilibus lapidibusque veneno adverſantur:

Alexiteria ex mineralibus & foſſilibus.

Terra Lemnia, Bolus Armenus, Succinum Candidum, Corallium, Vnicornu Hercinium.

Gemmæ. Sapphyrus, Hyacinthus, Praſſius.

Ex animalibus hæ partes veneno reſiſtunt:

Alexiteria ex animalibus.

Vnicornu, Cornu Cervi, Caro viperæ, Caſtoreum, Coagulum leporis, Lac caprillum,

Lac canis, Butyrum recens, ſtercus gallinarum,

Lachrymæ Cervi.

L De

De lachrymis Cervi id obſervatione dignum eſt; Cervos in ſolitariis & aridis locis vagantes, & ſiticuloſos, anxiè fontes aquarum inquirere, quos ubi reperire non poſſunt, ad ſerpentum cavernas confugere, ſerpenteſque attractione violenta ſpiritus ex cavernis prolicere, & refrigerandi cauſa deglutire, & ita infici veneno ſerpentis. Verùm naturæ beneficio diſcutitur ac propellitur totum venenum ad oculos cervorum, & in lachrymas reſolvitur, quarum magna pars in angulis oculorum in lapideam duritiem concreſcit, & à venatoribus è cervis captis colligitur: Tales lapides ab Arabibus *Bezoar*, id eſt, veneni victrices nominantur, & ad omnia venenorum genera tum intra corpus aſſumpta, tum per contactum illata præſentiſſimo remedio uſurpantur.

De generatione lapidis Bezoar recentiores certiora proferunt.

Compoſita bezoartica.

Quæ ex commixtis compoſitisque antidotis, veneni violentiam refringant, eique potentiſſimè adverſentur?

Theriaca Andromachi, Mithridatica confectio, & noſtrum medicamentum è ſcordio, cujus deſcriptionem paulò ante in curatione Liberativa Peſtis propoſuimus. Mirifice quoque prædicatur à Veteribus illud paratu facile antidotum, quod in theſauris *Mithridatis* repertum eſſe *Græci authores* perhibent, quod conſtat *ex fol. rutæ, ficu, nucleis nucis juglandis & momento ſalis.* Verùm cum in eo præter *rutam* reliqua magis ſint alimenta, quam medicamenta, non video quid eximii præſidii & contra venena conferre poſſit; ideò præſcriptis potiùs ſimplicibus & compoſitis antidotis, quàm eo uti ſuaderem: ſequens tamen pulvis, ex quo & *Electuarium*, addito *Syrupo de citro*, confici poteſt, ad reprimenda venena utiliſſimus eſt:

Mithridatium non adeò magnarum virium.

℞ *Calamenthi, rutæ, Scordii ana ℨ ſ. Ariſt. long. baccæ Lauri, gran. Iuniper. ana ℈ j. Gentianæ ℈ ij. boli Armen. veri, terræ Lemniæ ana ℨ j. F. pulvis tenuiſſimus.* Præſcriptis alexiteriis pharmacis & veneni violentiam vincentibus, quomodo & in qua menſura, cum quibusque liquoribus pro ratione ætatis, & veneni qualitatibus cùm ad præcautionem, tum ad liberationem utendum ſit, in ſequentibus paſſim indicabimus.

Venenorum Curatio quotuplex ſit.

Venenorum curatio duplex:

Duplicem curationem requirunt venena, προφυλακτικὴν, id eſt, præſervativam unam; ne videlicet noxam perniciemque præſentis veneni quis ſentiat, aut concipiat. & θεραπευτικὴν, id eſt, liberativam, cujus præſidio à venenata infectione quis liberari queat.

Præcautio venenatæ infectionis quibus in rebus conſiſtat.

Præſervatio à venenata infectione ſita eſt in cujuslibet ſedula providentia, abſtinentia, atque in præſcriptorum cùm ſimplicium tùm compoſitorum alexipharmacorum debita uſurpatione. Si cui itaque vel inter occultos inimicos, vel in locis venenatis animalibus refertis, vel apud veneficos converſandum eſt, vel in regionibus veneficio infamibus, quales ſunt *Italia* & *Hiſpania*, ubi viris magnatibus & eruditione excellentibus, exteris potiſſimùm, à venenatis ferculis potionibusque metuendum eſt. Apud *Italos* enim adeò familiare eſt hoc homicidii genus, præſertim apud eos, qui pietatis & virtutis exemplaria haberi volunt, ut ſunt *Cardinales, Epiſcopi*, &c. ut ſuum magiſtratum *Pontificem Max.* & inter ſe mutuò veneno extinguere minime piaculum ſit. Prætereo hic quod tanta ſit *Italorum* invidia erga exteras nationes, præſertim *Germanos*, qui apud ipſos verſantur, & aliqua eruditione & authoritate excellunt, ut nunquam ſint tuti ab eorum inſidiis & veneficiis: id quod duorum præclariſſimorum virorum noſtri ſeculi miſerabilis ex veneno interitus, *Sabini* videlicet, illuſtris Poëtæ, & *Valerii Cordi*, Medici, luculenter teſtatur; *Cordus* enim *Romæ* hauſto veneno ſtatim extinctus eſt; *Sabinus*

V. Cordus & Sabinus toxico interierunt.

binus autem ebibito vino ei per *Epiſcopum* magni nominis propinato, rediens in *Germaniam*, ex veneni virulentia contabeſcere cœpit, & tandem miſerè interiit. Prudentia itaque & circumſpectione atque abſtinentiâ in ejusmodi locis opus eſt illi, qui tutus à veneno manere velit. Cavendum tamen præterea ſtudioſè eſt, ne quis in locis ſylveſtribus & venenatis animantibus refertis, videlicet ſerpentibus & ſcorpiis, qualis eſt *Italia*, ſomnum capiat, aut humi decumbat, humilique loco cubet, ne ex ictu morſuque venenato ſaucietur. Præſtat quoque in ejusmodi locis, alexipharmacis antea recitatis præmunitum eſſe, & quotidie ventre jejuno exiſtente, aliquid eorum aſſumere, inter quæ celebriora ſunt 20. gr. juniperi comeſta, aut ℥ j. *Theriacæ Androm.* vel *confectionis Mithridaticæ* aſſumpta. Aut *malum citrium* comeſtum; aut tres nuclei *allii* devorati, aut toſti panis buccella, butyro recenti oblinita & eſitata.

Venenatæ Infectionis ſigna quæ ſint.

Tria ſignorum genera circa veneni & præcautionem & liberationem ſunt obſervanda: *Signa videlicet præſentiæ veneni, ſigna aſſumpti vel concepti veneni, & ſigna naturæ qualitatisque veneni aſſumpti.* Præſentia veneni & imminentis periculi ex veneno duplici ratione deprehenditur.

Signa præſentis veneni.

1. Occulto naturæ horrore & exhorrentia averſioneque à cibis, potionibus propoſitis venenoque imbutis, quam anxietas ſudorisque eruptio ſine ulla evidenti cauſa ſubſequitur. Vidimus nos virum Nobilem, qui naturali ἀντιπαθεία præſentiam felis ſive catti in conclavi occultati, & nuſquam viſi, ferre non potuit, & ubi adeſſe cattum præſenſit animo, ſtatim in animi deliquium & ſudoris frigidi eruptionem ſine ulla evidenti cauſa incidit, donec animal latitans eductum eſſet. Ita multi ad latitantis ſerpentis præſentiam ſine manifeſta cauſa exhorrent.

2. Deprehenditur præſentia veneni per rerum quarundam venenis adverſantium ſenſibilem immutationem, ut lingua ſerpentis & lapis Bufonius, in capite bufonis repertus, in menſa depoſiti, ubi venenum latitat, ſtatim ſudant atque madore perfunduntur. Gemma ſimiliter, praſſius vocata, & corallia rubra veno præſente aut aſſumpto, ſtatim colorem immutant.

Signa aſſumpti veneni.

Signa venenatæ infectionis, quæ pro natura & qualitate ſpeciei veneni varia & multiplicia excitat ſymptomata, quæ ſimul & ſigna ſunt: ex quibus & infectio & ſpecies veneni deprehendi poteſt: alia enim venena à forma ſubſtantiali, alia ab excellentia primarum qualitatum, extrema videlicet caliditate, frigiditate & ſiccitate, ſymptomata & perniciem inferunt. Humiditas verò extrema venenatam affectionem inducere nequit, niſi per accidens. In univerſum autem omnem venenatam infectionem, præſertim quæ à forma ſubſtantiali rei venenatæ excitatur, hæc ſymptomata, tanquam certiſſima indicia infectionis, ſubſequuntur:

Signa communia.

Subitanea totius naturæ humanæ immutatio, anxietas extrema, virium proſtratio, animi deliquium, ſudoris frigidi eruptio, faciei decoloratio, pulſus inæqualitas ac delirium.

S. Calidi veneni.

Venenatæ autem infectionis *à rebus venenatis extreme calidis* hæc apparent ſigna: Inflammatio viſcerum & totius corporis, ſitis intolerabilis, exhalatio & reſpiratio fervens, viſcerum eroſio, fœtida exſpiratio, ſudoris calidi ac tenuis eruptio.

S. Frigii veneni.

Frigido veneno infectorum communia ſigna hæc ſunt: Capitis dolor, vertigo, extremarum partium, & nonnunquam totius corporis perfrigeratio, inconſueta ſomnolentia, ſtupor, tremor, ſudoris frigidi ac fœtidi eruptio, palliditas faciei & tremor labiorum.

S. Siccor. venenor.

Sicca venenata infectio, ut plurimum complicata eſt, aut cum caliditate & frigiditate, & earundem qualitatum ſigna ſecum habet. Sive au-

tem cum caliditate, ſive frigiditate ſit adjuncta ſiccitas venenata, ſemper linguæ ariditas & continua ſitis ſiccum venenum arguit. Fit & infectio venenata ex halitibus venenoſis atque putridis per reſpirationem, aut per ſpirationem attractis, aut ex iis rebus venenatis aſſumptis, quæ humores citò putrefaciunt, & flatus in corpore excitant: quarum venenatarum affectionum comites ſunt difficultas reſpirationis, tenſio hypochondriorum, tumor faciei, & ſæpe tumor totius corporis. Signa enim ſymptomatum, ex quibus ſingulæ ſpecies rerum venenatarum, intra corpus aſſumptarum, aut applicatarum, internoſci poſſunt, in curatione ſingulorum venenorum paulò poſt commemorabimus.

Curatio liberativa generalis venenatarum infectionum, qua methodo ſit inſtituenda.

Methodus curandi infectos.

Cum omne venenum, ſive ſub cibi, potus vel remedii forma, ſive per reſpirationem intra corpus ſit aſſumptum, ſive per contactum, ictum morſumque ſit conceptum, celerrimè ad cor perreptet, nullæ ſunt induciæ dandæ, ſed ſtatim ſine mora, cognita infectione ex ſymptomatibus; vel etiam, ſi tantum ſuſpicio venenatæ infectionis adſit, ſolers eſt adhibenda curatio, & ad alexipharmaca confugiendum. Curatio autem omnium venenorum in genere conſiſtit in veneni evacuatione ſive expulſione, in venenatæ qualitatis violentiæque veneni extinctione, in cordis ſpirituumque vitalium & virium corroboratione, & in læſa partium reſtauratione & perſanatione.

Veneni aſſumpti aut concepti evacuatio & expulſio quot modis tentanda.

Omne venenum expulſioni aptum evacuari debet, ſtatim in initio, antequam ſpiritus vitales proſternantur, aut per vomitum, aut per ſudorem, aut per alvi ſubductionem. Cognita itaque natura ac proprietate concepti veneni, & quo in loco corporis illud hæreat, ſtatim ſi in ventriculo conſiſtat, id quod *ex dolore, tumore & eroſione ventriculi* deprehendere licebit, protinus vomitio iterum atque iterum eſt molienda, donec omnis materia veneni probè ſit evacuata. Facilem autem vomitionem concitat, & omnibus venenis adverſatur *hauſtus 4. aut 5. ℥ aq. Iuniperi per deſcenſum cum pelvi deſtillata*; aut hauſtulus vini, in quo per noctem *cort. rad. jugland.* minutim conciſæ ſunt maceratæ, ebullitæ & expreſſæ; Item præſtat & ʒj. *pul. Iulorum ſive catulorum Iuglandis arboris*, qui non ſunt aliud quàm *flores juglandis.*

Iuli juglandium.

Vomitorium ex helleb. albo & raphano.

Aut ℞ *Raphani rad. recent. in quibus infigantur fruſtula Ellebori albi, quæ per noctem in hauſtu vini aut cereviſiæ macerentur, ebullitaque exprimantur, qui liquor tepidus aſſumatur.* Omnem enim venenatam materiam validiſſimè evacuat. Poſt evomitionem veneni commodiſſimè uti poſſumus ad ventriculi corroborationem, in calida quidem qualitate veneni, ℥ij. *Syr. acetoſ. Citri aut Syr. granatorum cum ℥ iij. aquæ acetoſæ.* In frigida autem qualitate veneni ℥ij. *Syr. de Mentha, cum ℥ iij. aq. menthæ aut ſcordii.* prodeſt quoque poſt evomitum venenum, aut *recens butyrum* liquefactum, aut *oleum dulce olivarum* aſſumere. Vbi verò materia veneni concepti in inteſtinis hæreat, id quod ex torminibus, flatibus, eroſionibus & ventris inferioris tumeſcentia deprehendere licebit, tunc non eſt vomitio tentanda, ſed venenum acribus clyſteribus, præſertim ſi abſit fluxio alvi, ſubtrahere oportet, *habita ſemper ratione qualitatum veneni, utrum calidæ aut frigidæ ſint.* In calidis & erodentibus venenis: ℞ *Violariæ, malvæ, mercur. ana Ma. j. violarum ſicc. roſarum ana M. ſ. Se. acetoſæ ℥ j. conciſa & contuſa nonnihil concoquantur in q. ſ. ad medias. Deinde colentur, & colati juris accipe* ℔ 1. *cui admiſce pulpæ Caſſ. ℥ iij. ol. violarum ℥ ij, album: ovorum №. ij. Salis ʒj. F.*

Roborans ventriculi à vomitu.

Ene-

Enema & tepidum applicetur. Frigido verò exiſtente veneno, quod ex obſtructione alvi, flatibus, & colicis doloribus dignoſci poteſt: ℞ *Flor. Chamomil. anethi, rutæ, Scordii, Centauri min. abſinthii. Card. bened. ana M. ſ. Sem. Citri, Cimini ana ℥ ſ. Bacc. Lauri, Iuniperi ana ℥ iij contuſa & conciſa coquantur in q. ſ. aq. & in fine coctionis injiciatur nodulus ex ℈j colocynth. in linteolo ligati, ac ſemel atque iterum cum reliquis ebullire permittatur. Deinde colentur, colati juris accipe ℔ j cui admiſce Hieræ Simp: Diaphænic. ana ℥ ß. Ther. Andromachi ℥ ſ. ol. rutæ ʒ j ſ. ol. Lauri ℥ ſ. ſalis ʒ j. F. Enema & applicetur tepidum.* At ſi veneni concepti virulenta qualitas jam commixta ſit humoribus in venis contentis, tum ſi veneni qualitas calida eſt, vena eſt ſecanda mediana, & poſtea levibus catharcticis pharmacis prolicienda, & ſyrupis veneno adverſantibus, venenatamque qualitatem alterantibus, crebrò repetitis utendum erit. In æſtuantibus itaque venenis, quod ex rubore faciei & totius corporis caliditate dignoſcitur, putreſcentes humores ſubtrahantur, aut ℥ j. *pulpæ caſſ. extr. cui Rhabarb. pul.* ℈ ij *ſunt admixti*; quod inſtar boli devorari poteſt, unâ horâ ante prandium; aut reſolvi in hauſtulo *aq. Cichorei*; ſequentibus autem diebus manè ac veſperi exhibeantur ℥ ij. *Syr. acetoſ. Citri cum ℥ iij aq. acetoſæ*, & ſi vires ferant, tertio die rurſum cum præſcripta *Caſſia*; aut ℥ ij. *mannæ in juſculo pulli gallinacei diſſolutis* evacuetur. Et quoniam calidis & æſtuantibus venenis utplurimum ardens febris cohæreat, ibidem iterum venæ ſectione & ſyrupis præſcriptis alterantibus diutius utendum erit. Si autem venenum humoribus mixtum frigidæ ſit naturæ, id quod ex artuum gravitate, & totius corporis laſſitudine dignoſci poteſt, purgetur venenatus humor ℥ vj. *diaphænic. & ℥ ij hieræ picræ cum aq. ſcordii, aut Card. bened. hauſtulo commixtis, & ſex horis ante prandium ebibitis.* Sequentibus autem diebus manè ac veſperi exhibeantur ℥ ij. *Syr. è Card. Bened. aut de ſucco ſcordii facto cum ℥ iij aq. ſtillatitia earum herbarum.*

Porrò ſi venenum conceptum ſpiritus vitales contaminavit, & jam in arterias irrepſit, id quod fit ubi veneni curatio negligentius tractetur, aut diutius protrahatur, aut ubi veneni qualitas ſubtilis, tenuis & aërea ſit, tum quàm celerrimè venenatæ qualitates per ſudorem diſcuti & propelli debent, aſſumpto hauſtu ſudorifico hac ratione parato: ℞ *Theriacæ Androm.* ʒ j ſ. *Pul. Scordii, rutæ, Card. Bened. Cornu cervi uſti ana* ℈ j. *Vnicornu veri ſi haberi poteſt* ℈ ſ. *Quæ omnia ſimul diſſolvantur in hauſtulo aq. Scord. F. Hauſtus ſudorificus.* cum quo pro virium ratione, aut per ij. aut ſeſquihoram probè ſudet infectus. Hæc ſi præ manibus non ſint, uti licebit pro ſudorifica potione, ʒ ij aut *boli Armeni veri*, aut *Terr. Lemniæ*, aut *Pulv. Scordii* aut ʒ ij *diaſcordii noſtri in Peſtis curatione præſcripti*, aut ʒ ij aliorum *alexipharmacorum* remediorum, quæ paulò ante inter remedia veneno adverſantia propoſita ſunt, *cum liquore Scordii, aut Card. Bened.* Poſt ſudorem *Syrupis* uti licebit in calidis venenis *acetoſ. citri*: In frigidis verò *Syr. de Card. Bened. cum aq. acetoſæ, rutæ aut ſcordii diſſolutis*, ut paulò ante dictum eſt. Nunc ad ſpecialem venenorum conceptorum curationem accedemus.

Curatio Liberativa ſingularum ſpecierum Veneni corporis, qualis eſſe debeat.

Paulò ante tradidimus venenatarum rerum alias eſſe ſtirpes, aut ſtirpium partes; alias eſſe foſſilia, & è terra eruta, ut ſunt mineralia & metalla; alia eſſe animalia, aut partes animantium; quibus ſingulis intra corpus conceptis, ſingularis adhibenda eſt curatio, pro natura & qualitate veneni ac ſymptomatum, quæ ab iis excitantur, qualitate & ſævitia.

SECTIO II.

De Venenis ex vegetabilium familia oriundis.

De herbis venenatis & earum partibus.

Herbarum Venenatarum earundemque partium quæ sint naturæ, & quæ excitent symptomata, quibusque remediis & antidotis persananda.

HErbarum & stirpium aliæ partes aliis magis sunt venenatæ, & intra corpus assumptæ majorem inferunt perniciem, vel extremis suis qualitatibus, vel forma substantiali.

Aconitum seu Napellus quid, quæ excitet symptomata, & quibus remediis succurrendum.

Aconitum. Ἀκονῖτον παρδαλιαγχὲς vel λυκόκτονον, id est, *Aconitum*, Pardos luposque enecans, Wolfeswurtz. *Aconiti* plures sunt species, quarum una duntaxat nobis est cognita, in hisque locis à mulierculis in hortis seritur, & ornamenti causa in fenestris collocatur, quæ *folia* habet *artemisiæ*, & flores ex nigro cæruleos, *Monachorum cucullis* similes. Vnde Monck oder Monnichskappen dicitur. *Error multorum.* Errant verò qui *Aconiti* speciem alteram esse putant eam herbam sylvestrem quam *uvam lupinam*, vel *uvam inversam & herbam Paridis* nominant, *Herba Paris, Ein beer.* quæ ex unico caule rotunda est, 4. *fol. Bethæ similia* per ambitum caulis ita inter se disposita habens, ut crucis formam constituant, & in ejus summitate inter alia 4. angusta foliola niger acinus sive bacca succrescit, quæ herba adeò non est venenata, ut semina ex illis baccis collecta & in pulverem redacta, crebroque exhibita, veneficiis omnis generis medeantur, & ejus fol. carbunculis pestilentibus utilissimè imponi, in curatione Pestis demonstravimus. *Aconitum*, quod & *Napellus* nominatur, habet naturam calefacientem, & formam substantialem venenatam & corrumpentem, assumptum intra corpus pernitiosa excitat symptomata: *Labia enim & lingua statim ab illa inflammantur, & vehementer intumescunt, oculi protuberant, & corpus universum intumescit, instar hydropicorum, & livido colore defœdatur*, deinde animi deliquium, & mors ipsa, nisi tempestivè succurratur, subsequitur. *Prognost.*

Vomitorium Anethum. CVRATIO *napelli* sive *Aconiti* statim in initio tentanda est, & studendum diligenter ut exhausta potione vomitoria, cujus in superioribus fecimus mentionem, aut exhausto decocto anethi, in quo recens butyrum largiùs est liquefactum, veneni materia evomatur ac projiciatur.

Antid. Antidota autem hujus pernitiosi veneni sunt, si post vomitum exhibeantur ʒ *ij boli Armeni genuini*, aut *terræ Lemniæ, aut* ʒ ij *pul. seminis napi sive rapæ* cum haustulo vini; aut *Theriacæ Andromachi* ʒ *ij cum vino.* Esitandum quoque crebò offeratur ægro *recens butyrum*; foris autem inungatur tumidum corpus subinde *Ol. Scorpionum & Ol. hyperionis*, *quibus Theriaca Androm. quippiam est admixtum.* *Topica.*

Tithymalus seu Esula quid, quæ ejus natura, quæ excitet symptomata, & quibus succurrendum remediis.

Esula. Τιθύμαλος, Teuffels oder Wulffesmilch. Dioscorides septem ejus species enumerat, quæ vel lacteo succo refertæ sunt, ex quibus duo genera nobis tantum sunt cognita, quas communiter *Esulam majorem & Esulam minorem vel rotundam*, quia *portulacæ* folia habet, vocamus; totâ formâ substantiali venenatæ sunt herbæ, cum præternaturali caliditate: *succus, semen, & radices Tithymali*, nisi probè correcta, si intra corpus assumantur, violentissima excitant symptomata. Ventriculi enim primum, deinde jecinoris temperiem destruunt, & cordis anxietatem excitant, totum corpus inflammant, sitim & singultum inferunt. *Symptomata ejus.*

Curatio. Vomitus. CVRATIO *Tithymalorum* seu *Esulæ* con-

consistit in evomitione, *oleum* itaque *anethi cum aq. tepida* potandum præbeatur, ac post vomitum & clysteres ex *ol. rosar. vel oleo Citon. & album*: *ovorum* confectum, cui nonnihil *mucag. Sem Psyllii* fit admixtum, infundatur. Postea loco antidoti exhibeantur ʒ ij *Theriacæ Androm. cum aq. Card. Bened.* aut ʒ ij seq. pulveris:

Antid. ℞ *Boli Armeni* ʒ ß. *Terræ Lemniæ* ℈ ij *Tragacanthi* ℈ j *Corall. rub. præp. Cornu Cervi usti, Gum. Arabici ana* ℈ ß. *F. pulvis & exhibeatur cum vino.*

Mezereon quid, quæ symptomata inferat; & quæ adhibenda curatio.

Mezereum. Μεζέρεον *Arabum* non est alia herba quàm ea quæ Græcis χαμελαία, seu potius θυμελαία nominatur. Sunt enim hæ duæ herbæ congeneres, cujus semen *Dioscoridi* granum gnidion, & officinis *cocognidium* vocatur, nostrates autem Kellershals nominant, quod fauces commasticatum acerrimè urat. Etsi autem *Mesereonis* folia correcta remediis aquam hydropicam evacuantibus utiliter admisceantur: neque tamen folia, nec semen ejus ob extremam caliditatem & violentam purgatricem vim, veneno caret, & assumptum intra corpus sæva hæc infert Symptomata, *Sympt.* vomitiones & alvi fluorem continuum, ventriculi tormina, angustias & sitim vehementem.

Curatio. Curatio consistit in evomitione assumpto *oleo anethi cum aqua tepida*, & in alvum *Clysteris* infusione ex *ol. rosarum cum decocto Chamæmel.* Antidota Mesereonis sunt *Antid.* ʒ ij *Theriacæ Androm*: aut ʒ ij *pul. Scordii aut* ʒ ij *corall. rub. præp. & terræ Lemniæ*, quæ cum vino exhiberi possunt. Deinde utile est *lac* crebrò bibere, in quo *butyrum recens* sit liquefactum.

Laureola quid, quæ excitet symptomata, & quibus curanda remediis.

Laureola. Laureola, Græcis δαφνοειδὲς vel χαμαιδάφνη, id est, *humilis Laurus*, nominatur. Hic frutex in Germanicis myropoliis ignotus est. In montibus Tridentinis luxuriat, folia *lauri foliis* similia habet. Per ambitum unius caulis disposita; Semen nigrum instar piperis profert, vomitoria & purgatoria facultate prædita, cum exurenti caliditate. Folia & semina venenata sunt, quæ sæva accidentia, ut *mezereon*, infert, & per superiora & inferiora violentiùs purgat, & acerba ventris excitat tormina.

CURATIO & antidota eadem sunt adhibenda quæ in *Mezereonis* seu *cocognidii* curatione commemoravimus. *Superior Cura adsciscenda.* Prodest tamen præterea ægrum in *balneum aq. frigidæ* collocare, vel frigidam aquam linteolis exceptam ventri imponere, & *lac* subinde *cum recenti butyro* exhibere, & *veri Armenii Boli* ʒ ij propinare.

Veratrum quid, quæ concitet symptomata, & quibus remediis eisdem sit opitulandum.

Veratrum, Græcis ἐλλέβορος. Duo sunt *Ellebori* genera à radicum colore sumpta, *Helleborus.* album videlicet & nigrum. Album Græci Elleborum λευκὸν, nostrates Nießwurtzel oder Schaffönnle/ Nigrum verò elleborum nostrates Christwurtz vocant. Etsi autem Ellebori utriusque non contemnenda sit utilitas in arte Medica, si probe correcta & venenata qualitate exuta exhibeantur, per se tamen utrumque est pernitiosa & venenata qualitate imbutum, & horrenda excitat symptomata. Et albus *Hell. alb. Sympt.* quidem Elleborus, ventriculi & alvi violentam commotionem & supra infraque furiosam dejectionem & ingentes ventris cruciatus, strangulationem, sive respirationis interceptionem, sudorem frigidum, convulsionem, & postremò mortem repentinam, nisi mature succurratur, infert. Eorum autem Symptomatum curatio ex albo Elleboro ortorum consistit in matura evacuatione Ellebori, & ab eo commotorum humorum & flatuum, per vomitionem, epoto prius *ol. rutæ, cum aq. tepida*; quæ *Curatio.* crebriùs repeti debet, & per alvi subductionem cum acri clystere ex decocto *centaur. min.* in quo ebullitus sit ℈ j *colocynthidis & ol. anethino*, quibus peractis antidotum exhi-

Antid. exhibeatur, nempe *Theriac. Androm.* ʒ ij. aut *pul. rad. nymphaæ. vel flor. ejus alborum*, aut *seminis pastinacæ* ʒ *ij. cum vino* assumptæ, postea subinde propinetur *butyrum recens* liquefactum cum *lacte* aut *hydromelite*. *Topica.* Ventri autem foris imponatur sacculus confectus *ex mentha*, *rosis rub. & Sem. Cimini*, qui *in vino* fit coctus & expressus. Ubi autem convulsio subsequatur, æger in solium sive *balneum calidæ* collocetur, & convulsi artus *ol. anethino* probè confricentur & inungantur. *Vsus helleb. nig.* Porrò *veratrum nigrum*, sive elleborus niger, cujus dilutum vel succus per coctionem extractus, seu pulvis ejus, admixtis tamen ejus violentiam corrigentibus, utilissimus est in expurgando melancholico humore, in Quartana febre & in adultorum Epilepsia, si tamen certo pondere ac mensura cautissimè exhibeatur. Incorrectus verò & largiore pondere assumptus, *Sympt. helleb. nig.* gravissima inducit symptomata, alvi continuam fluxionem & ventriculi vomitionem, cordis palpitationem, ventris intumescentiam, angustiam & suffocationem, linguæ ariditatem, & totius corporis inflationem ac contremiscentiam.

Curatio. Curatio noxarum Ellebori nigri est, ut statim in initio materia Ellebori expellatur cùm per vomitionem, tum per Clysteris injectionem; quemadmodum de curatione albi diximus. *Antidota* verò *Hellebori nigri* erunt ʒ *ij. Theriacæ Androm.* aut ʒ ij. sequentis pulveris:

℞ *Sem. Absinthii fol. Scordii ana* ℈ *ij. sem. anisi, Cimini, Castorei ana* ℈ *j. nardi Indici, rutæ, ana* ℈ *ß. pulverisata commisceantur, & cum vino exhibeantur*; aut propinentur eidem *pul. rad. aut flor. nymphææ albæ cum vino*; Ventri verò imponatur *sacculus ex mentha, pulegio, ruta, baccis lauri & cimino confectus: & in vino aut cerevisia ebullitus & expressus*. Prodest eidem & *lac cum butyro recenti liquefacto* crebro bibitum, vel *butyrum cum melle virgineo* sæpè gustatum.

Colocinthis quid, quæ inferat symptomata, & quibus remediis eisdem succurrendum.

Colocynthidem, Græci κολοκύνθην, & *Colocinthis.* in officinis satis barbarè *Coloquinthida* nominant. Est autem Colocynthis fructus instar pilæ, sive ovi, nascens per sarmentosam herbam per terram expansam instar cucumeris. Colocinthis in multis remediis immiscetur per *Galenum* & alios Medicos: quæ sua extrema amaritudine omnia reddit ingrata; & si paulò largiùs exhibeatur, sæva infert symptomata: Validissimè enim alvum cum torminibus turbat & subducit, & *ventriculum mirificè offendit*: cordi quoque & jecinori *Noxæ.* noxam infert, & erodit intestina, ac dysenteriam generat, appetitum quoque prosternit, & nauseam infert; ejus verò exigua quantitas ut pondere ℈ j. tutissimè *in clysteribus.* in clysteribus incoquitur.

Cura. CVRATIO assumptæ colocynthidis est Clyster ex *lacte & ol. rosarum* vel *anethi* confectus, aut recipiatur *succi plantag.* ℔ *j. Vitella ovorum no. ij. boli Armen.* ℥ *ß. tenuissimè contriti ol. Rosarum* ℥ *iij. mucag. Tragacanth.* ℥ *ß. commisceantur, F. Clyster*, quod tepidum infundatur. Ventri autem, ut cruciatus & tormina sistantur, imponatur sacculus ex *mentha, absynthio, rosis, anetho & sem. Cimini, ana.* ad placitum confectus, & in vino ebullitus & expressus. Antidoti loco ʒ ij. *Theriacæ Androm. cum vino* exhiberi possunt. aut *boli Armeni veri & Corall. rub. præpar. ana* ʒ *ij. cum vino exhibeatur.* *Antid.*

Cyclamen vel panis porcinus quid? quæ inferat symptomata, quæ eorum remedia.

Cyclamen, vel cyclamenos, κυκλάμινος, *Cyclamen.* *Artbanita*, Sawbrot / est radix rotunda & tuberosa, folia proferens *Asaris* similia. Hæc radix in Enematibus intestino injecta crassam pituitam potenter educit, & inde generatos dolores colicos sedat statim. *Vsus.* In Errhinis verò, vel ut vocant *nasalibus*, si naribus inseratur, cerebri obstructiones aperit,

aperit, & excrementa per nares prolicit. Cyclamen verò si intra corpus non correctus, vel non justa mensura assumatur, sæva inducit symptomata, vomitum videlicet & alvi egestionem continuam, suffocationem, eaque omnia excitat, quæ de *Elleboro albo* dicta sunt, symptomata.

Noxa.

Cura.

CVRATIO symptomatum cyclaminis consistit in subita evacuatione per Clysterem *ex lacte & ol. laurino* confectum. Pro antidoto exhibeatur sequens pulvis:

℞ *Bacc. lauri piperis albi, fol. rutæ ana* ℈ *ij.* Fiat pulvis, & cum haustu vini exhibeatur; aut propinentur Theriacæ Andromachi ʒ ij.

Cataputia quid, quæ inferat symptomata, & quæ remedia.

Cataputia.

Cataputiæ duæ sunt species, major & minor. Major Græcis κρότων, Latinis *Rhicinus*, inde quod semen ejus Rhicinis animalculis pecudum cuti adhærentibus effigie persimile est; Arabibus autem *Cerba*, nostratibus Wunderbawm. Minor cataputia est Tithymali species, quia lacteo succo madet, Græcis λάθυρις, cujus semina nostratibus Sprinckörner nominantur. Vtriusque autem Cataputiæ Sem. & Rhicini & Lathyridos eisdem facultatibus pollent, videlicet violenter & per inferiora & superiora purgantibus. Et eadem si inconsiderantius devorentur inferunt symptomata, ut sunt Dysenteria, appetitionis prostratio, ventris cruciatus, animi deliquium, & alia quæ Tithymalorum species inferre possunt.

Cura.

Curatio quoque eadem adhiberi debet, quæ in Tithymali venenis adhibenda docuimus; præstat autem statim exhausta vomitoria potio *aquæ Iuniperi per descensum destillatæ*, & intestinorum elotione cum Clystere *ex decocto anethi. & ol. anethi* parato. Antidoti loco conducunt ʒ ij. *Theriacæ Androm.* Deinde ʒ ij. *Sp. liberantis.* Confert quoque *lac* potitatum, in quo *butyrum recens* est liquefactum.

Vomitor.

Turbith quid, quæ ejus symptomata, quæve symptomatum curatio.

Turbith.

Turbith, vel Turbethum, ut quidam putant, est radix *Alypi* Græcorum: qualis autem ejus radicis herba sit, nec Græci, nec Latini descripserunt. Hæc radix ritè præparata, vel aliis remediis admixta, pituitam potenter evacuat; ideoque est usitatissimum in myropoliis ex præstantissimis remediis compositis, ut sunt *Diaturbith*, *Diaphœniconis* pituitæ evacuationis causa admiscere. Verùm Turbith non correctum & in majori mensura, quàm decet propinatum, venenum est, & violentissimè alvum ducit, & turbat, & nauseam vomitionemque laboriosam excitat.

Noxa.

CVRATIO ejus est subita evacuatio alvi atque ventriculi, cùm per vomitum, tum per Clysteres. In clysteribus autem seu elotionibus alvi plurimum confert *Hydromel*, vel *aqua mellis cum ol. amygdalarum amar*: præstat quoque potio *hydromel. cum ol. amygdal. amar*: Antidotum ʒ ij. *Theriacæ*, *vol* ʒ *ij. specier. liberantis.*

Scammonium quid, quæ excitet in corpore symptomata, & quibus eisdem succurrendum remediis.

Scammonium.

Σκαμμωνία, Latinis Scammonia, est herba in Mysia Asiæ & Syria nascens, Volubili minori similis, hederacea habens folia, sed longè pinguiora, nobis Europæis ignotissima. Ex ejus foliis succus lacteus exprimitur, ac deinceps condensatur, & inde Venetiis adportatur. Is succus in Myropoliis Scammonium nominatur. Si verò idem succus præparatus, quod fit si succo Citoneorum incoquatur, tum Medicis *diagridion* appellatur, quod est usitatissimum in Officinis medicamentum. Pauca enim prostant Electuaria, & pillularum massæ laxantes, quibus Diagridion sive Scammonium præparatum, tum non immisceatur, propter ejus excellentem vim purgatricem. Laudatissimum autem censetur Scammonium, quod

Diagridion.

notæ Scamm. opt.

quod leve est & nitidum, & linguæ admotum, aut comestum, in succum lacteum resolvitur. Scammonium per se, & ultra modum assumptum, violenta purgatrice facultate & insigni caliditate venenum est, & excitat hæc Symptomata, alvi nimirum immoderatum fluorem, ac dysenteriam, & noxam infert cordi, epati, ventriculo & intestinis, & universum corpus inflammat, febrim accendit, sitim intolerabilem & animi deliquium inducit. *Noxa.*

Curatio. Vomitus. Curatio Scammonii est evomitio statim in principio assumptionis, quæ debet fieri *cum aqua calida & ol. anethino.* Post vomitum *Syrupus è succo Citri aut rosarum cum aqua Tormentillæ*, aut *aqua hordei* præstat exhiberi. Ut autem fluxio alvi sistatur, *confert ægrum in aquam frigidam usque ad umbilicum collocare.* *Hypercatharsis quomodo sistenda.* Antidotum autem Scammonii, ut omnium fere venenatarum rerum violentiùs purgantium, est *Theriaca Andromachi*, si ejus ℥ ij. cum *aq. rosarum*, aut *plantaginis* exhibeantur; aut sequens pulvis: ℞ *Boli Armeni veri* ℥ *j. corall. rub. præpar. Cornu cervi usti ana.* ℈ 5. Misce, & propinentur cum *aqua Rosarum*, aut *Tormentillæ*; plurimum quoque confert, si æger *lac recens mulctum cum butyro recenti*, aut cum *oleo amygdal. dulc.* bibat: Confert & *succum Cituniorum condensatum* sæpius gustasse.

Ranunculus quid, & intra corpus assumptus quæ concitet symptomata, & quomodo ea curanda.

Ranunculus. Βατράχιον, Hanenfuß / Brenkraut / *Flammula, & Apium risus* nominatur, eò quod per ejus usum, vel sua venenata qualitate, nervos potissimùm cerebri & faciei convellat, & musculos distendat, morientibusque ridentis effigiem inferat. Plures sunt ranunculorum species, sed omnibus una est facultas, nimirum acris & exulcerans. Radix ranunculi contusa & cuti imposita vesicam excitat, & cutim exulcerat; intra corpus assumptus ranunculus gravia infert symptomata, exulcerando viscera & nervos, ut dictum est, faciei etiam ac maxillarum, lædit & memoriam. *Sympt.*

CURATIO est cita ejus revomitio, hausta prius *aq. Iuniperi per descensum destillata*: deinde somni conciliatio. Antidota ejus sunt *succus Melissæ, cum vino rub.* mixtus, & *lac caprillum cum recenti butyro* bibitum. *Antid.*

Euphorbium assumptum, quid, quæ inferat symptomata, & qua ratione ea curanda.

Εὐφόρβιον est succus cujusdam arboris ferulaceæ in *Mauritania* & *monte Atlantis* nascentis, ex cujus cortice inciso succus prostillat, & instar gummatis concrescit in grumos, cujus qualitas & odore & sapore omnium est ferventissima & acerrima. Qui tamen ritè præparatus, & intra corpus exhibitus, hydropicorum aquam validissimè subducit: aliàs si intra corpus ultra modum ingeratur, extremam infert pernitiem: Ideò non nisi rectè præparatus, & in certa quantitate hydropicis frigidum ventrem habentibus, & in colicis doloribus ex frigida pituita ortis exhibetur. Paratur ex eo oleum ad frigidissimos quosque morbos foris inunctum utilissimum. Euphorbium incorrectum assumptum totius corporis veluti incendium, intensissimum ardorem & sitim inducit. Deinde animi deliquium frigidos sudores, dysenteriam & mortem infert. *Euphorbium. qualitas ejus. Usus. Noxa.*

CVRATIO Symptomatum ex Euphorbio est, ut materia Euphorbii statim per vomitum dejiciatur, quæ si ad intestina descendit, ibidemque erosionem facit, per clysterem subducenda erit, ac protinus ignea ejus qualitas in visceribus extinguenda. Vomitio perfici potest commodè *cum aqua tepida, cui oleum violarum* est admixtum. Clyster paretur ex *aqua hordei*, cui nonnihil *mucaginis sem: Psilii* est admixtum, aut *ex lacte* in quo *ol: rosarum* est resolutum. Antidotum *Cura. Antid.*

tum Euphorbii eſt *Theriaca Andromachi* ʒ ij. *& ſpecies liberantis* cum *crebro lacte* uſurpata. Prodeſt & *Syrupus de Citro cum aq. roſarum* crebrò potitatus. Similiter & *butyrum recens in lacte* reſolutum. Quin & *ol. violarum* cum *aq. hordei* commixtum crebrò exhiberi commodè poteſt. *Serum* quoque *lactis acidum* unicè probatur.

Anacardus quid, quæ inferat ſymptomata, & quibus remediis ſuccurrendum.

deſcriptio fructus anacardini. Etſi Anacardi vocabulum Græcum eſſe videatur, Græcis tamen authoribus fructus Anacardi penitus fuit ignotus. Sunt autem Anacardi fructus magnitudine amygdalarum, cordis gallinacei, aut avium grandium effigiem & formam referentes, colore rubri, ſub eorum cortice ſuccus melleus & inſtar ſanguinis rubeus continetur, quod mel *anacardinum* *Mel anacard.* in myropoliis dicitur. Arbores Anacardi in *Sicilia* ad *Veſuvium* montem, *Elect. Anacard.* qui perpetuis ignibus flagrat, reperiuntur, ex eisque fructus Anacardi colliguntur, conficiturque in officinis ex Anacardis medicamentum, quod *elect. Anacardinum* vocant. *Vſus.* Vtiliſſimum in paralyſi linguæ, ſi in ore retineatur, & in omnibus frigidis cerebri morbis & obſtructionibus nervorum, quod *& memoriam, ſi cum ratione aſſumatur, amiſſam reſtaurat.* Aſſumpti anacardi ſanguinem exurunt, & fauces atque guttur, *Noxæ.* ventriculum quoque erodunt, nervos convellunt, & cerebri temperiem labefactant, rationemque turbant.

Cura. CVRATIO ſymptomatum ex Anacardis eſt cita revomitio, & per clyſterem ſubductio, atque larga lactis & recentis butyri potitatio. Confert quoque plurimum *ol. amygd. dulc. & ol. è ſemine papaveris & medulla ex oſſibus vel cruribus bovium cum ptiſana hordei* bibita. Pro antidoto erunt ʒ ij. *boli Armeni cum ſero lactis.* Æger ſæpe comedat *nucleos pineos, & nucleos nuc. Iugland.* torrefactos.

Staphiſagria quid, quæ inferat ſymptomata, & quibus remediis iisdem ſuccurrendum.

Σταφὶς ἀγρία, Latinis *herba pedicularis*, eò quod pediculos enecet, nominatur. *Staphiſagria.* Ejus ſemen acri & urente facultate eſt præditum, & per omnia ſimile Anacardis. Vtimur ſeminis ejus decocto *Vſus.* in gargariſmatibus pro eliciendis ex cerebro excrementis pituitoſis, quæ lenta & tenacia ſunt. Intra corpus aſſumta ſemina Staphiſagriæ eadem excitant ſymptomata, quæ anacardi. Fauces enim *Noxa.* & palatum adurunt, vomitiones movent, ventriculum erodunt, & dyſenteriam inferunt, &, niſi tempeſtivè ſuccurratur, ſtrangulant.

CVRATIO Symptomatum ex Staphiſagria eſt evomitio, hauſto prius *ol. amygdal.* & ſi in alvum deſcenderit, præſtat & Clyſter *ex ol. amygdalarum dulc. & lacte* paratum. Antidotum ejus eſt ʒ ij. *Boli Armeni & Butyrum recens.* *Antidot.* Reliqua remedia partim ex curatione Anacardorum petenda erunt, partim infra in curatione Cantharidum commemorabuntur.

Nux vomica quid, quæ excitet Symptomata, & quibus remediis ea ſint curanda.

Nuces Vomicæ, & *Græcis* & *Latinis* *Nux Vomica.* ignotæ, per *Arabes* in officinas introductæ ſunt. Sunt autem nuces vomicæ fructus cujusdam arboris orbiculares & inſtar paſtillorum compreſſi, tenuiſſime lanuginoſa pellicula contecti, qua abraſa ſubalbidi ſunt & inſtar cornu duri. Venenatæ ſunt nuces vomicæ, & pro- *dupliciter exitioſa.* prietate ſpecificâ & extremâ caliditate, & non ſolum canes & aves, aſſumptæ, citiſſimè enecant, verùm etiam hominibus lethales ſunt quoquo modo aſſumptæ. Proinde *deteſtanda eſt illa uſitatiſſima & Medicis & Myropoliis & certis familiis compoſitio, qua tempore Peſtis utuntur, quam Electuarium de ovo, vel*

ovum aurum vocant, *eò quod nucem vomicam recipiat*; Nuces vomicæ noſtratibus **Kranßeuglin** / id eſt, gruum oculi vocantur. Aſſumptæ excitant periculoſa ſymptomata, vomitionem laborioſam, animi anxietatem, & omnium virium ſubitam proſtrationem.

CVRATIO eorum ſymptomatum conſiſtit in cita revomitione excitata aut cum *aq. Iuniperi per deſcenſum deſtillata*, aut cum *ol. anethi cum aq. calida* commixto exhauſta. *Antid.* Antidota ejus ſunt ℨ ij. *pul. Zedoariæ cum vino* exhibitæ, & *ſuccus citri acidi*, *corticesque* ejus in pulverem redacti aut condîti, & *ſuccus Citoniorum* condenſatus.

Taxus. *Taxus quid, quæ inferat ſymptomata, & quibus remediis ſuccurrendum.*

Σμίλαξ, **Eibenbaum** / arbor eſt baccifera, magnitudine & foliorum figura ac diſpoſitione *abieti* & *piceæ* non multum diſſimilis, quæ in *Italia* & *Sylvis Herciniæ ac Tridentinis* plurimùm luxuriat. *baccæ ejusdem.* Baccæ Taxi rubeſcentes ſunt, & inter folia prona naſcuntur, vinoſæ & guſtu non ingratæ, quæ devoratæ ardentem febrim excitant, totum corpus inflammant, & dyſenteriam inferunt, *Noxa.* ſicuti & Foliorum pulvis comeſtus. Quin & ſub ejus umbra ſedentibus, aut paulò diutius degentibus pernitiem infert; & fumo foliorum taxi mures enecantur in ædibus.

Curatio. Curatio Taxi eſt ut aſſumpta quàm citiſſimè evomantur. Antidotum ejus ſunt *Theriacæ Andromachi* ℨ *ij.* cum vino aut *ſucco Citoniorum* ebibitæ, & crebra uſurpatio *Syrupi è citro.*

Oleander quid, quæ in corpore excitet ſymptomata, & quibus remediis ſubveniendum.

Oleander, *Mauritanorum* eſt vocabulum, in officinis tamen cum aliis Barbaris vocabulis receptum, Græcis verò νήριον ῥοδόδενδρον, id eſt, *arbor roſas ferens*, & ῥοδοδάφνη, id eſt, *laurus roſas ferens*; ſic dicta, quia folia habet *fol. lauri* ſimilia: Arbuſcula *ab extra ſalutaris,* eſt in *Germania* ignotiſſima. Nerei & folia *intra lethalis.* & roſæ ſive flores venenatis morſibus aut carbonibus peſtiferis foris impoſita venenum eliciunt & diſcutiunt, ſed intra corpus aſſumpta & hominibus & pecudibus omnibus non ruminantibus pernitiem præſentiſſimam inferunt. Excitant enim extremam anguſtiam, alvi intumeſcentiam, & totius corporis inflammationem: Quin & umbra ejus (ſicuti de Taxo dictum eſt) ſub ea quieſcentibus periculum inducit.

CVRATIO oleandri & ſymptomatum ex eo excitatorum conſiſtit in revomitione cum *aq. Iuniperi per deſcenſum deſtillata*, & Clyſteribus *ex decocto ficuum & ol. Amygd.* parato, & crebra potitatione *decocti dactylorum & ficuum.* *Antidota.* Antidotum ejus ſunt ℨ *ij. diacaſtorei*, aut ℨ *ij. pul. bacc. Iuniperi*, aut ʒ *j ß. ſem. rutæ & ſem. viticis* ſive *agni caſti*; conferunt quoque *ficuum & dactylorum & butyri recentis* crebræ eſitationes.

Iuglans & Sambucus Arbores, quid, quomodo ſuâ umbrâ lædant, & quibus remediis noxa depellenda.

Iuglans. Sambucus. Juglans arbor, Græcis κάρυον βασιλικὸν, id eſt, *nux regia* ſeu communis, noſtris **ein Walnußbawm**. Sambucus Græcis ἀκτῆ, noſtratibus **Holdersbaum oder Flederbaum** nominatur. *Cur juglans & Sambucus inter venenata referenda.* Has duas arbores nos non alio nomine inter venenatas referimus, quam ſi quis ſub earum umbra diutius verſetur, aut quieſcat, quemadmodum de Taxo & Nerio diximus, ob gravem earum odorem, gravia inducunt ſymptomata, nimirum capitis dolorem, vertiginem, ſæpè Epilepſiam & Apoplexiam. Quare qui in viridariis vel hortis ſub earum umbra menſas ac ſeſſiones collocarunt, ſuæ ſaluti minus rectè conſulunt. *Admonitio.* Alioqui & partes Juglandis & ipſa nux ſuas habent utilitates: *Vires juglandis.* ex corticibus enim radicum jugland: ſi in vino per noctem macerentur, & manè ebulliti exprimantur colenturque, hic liquor vomitum excitat pituitoſorum in ventriculo

Vomitorium ex Corticibus & julis. Sambuci utilitates. N. Ecr. Cort. rad. Sambuci in hydrope. Elegans in Quartana Medicament. ol. ex acinis Sambuci. Spir. ejusdem nobile remedium in Epil. & Strangulatu uteri.

triculo humorum. Similiter ſi flores ejus, quos *julos* ſive *catulos* nominant, in pulverem redigantur, & pondere ʒj cum *vino* aut *hydromelle* exhibeantur, itidem præſtat. Sambuci autem mediani cortices cum *centauri min.* æquali pondere decocti in aqua, & ebibiti, ſeroſos humores ducunt, *& epar ab obſtructione & putrefactione ex nimia Venere concepta præclarè liberant.* Quin & *ſemina ſambuci ex baccis à pelliculis ablutis collecta* & in pulverem redacta, & pondere ʒj crebrò *cum vino* exhibita, hydropicam aquam egregie ſubducunt; Symptomata capitisque dolores ex odore & umbra utriusque arboris contracta, tollenda ſunt capitis lotione cum Lixivio, in quo vel *frondes Roriſmarini*, *vel Majoranæ*, *vel Bethonicæ vel Serpilli* ſunt incocta. Deinde irrigatione capitis cum *aq. Lavendulæ* & maſticatione *ſem.* earum. Antidotum eorum ſymptomatum eſt vinum meracius, ac devoratio trium aut quatuor *rotular. diamoſchi.*

Agaricus quid, quæ inducat ſymptomata, & ea quibus remediis medicanda.

Agaricus. Agaricus, Dannenſchwammen / eſt tuber ſeu fungus, vel excreſcentia quædam ex caudice *laricis arboris in ſylvis Sarmaticis*, *Tridentinis*, *Italiæ* pleriſque locis copioſè pronaſcens; *Notæ boni agarici.* probatiſſimus Agaricus recenſetur, qui eſt albiſſimus, levis, laxus, & facilè friabilis, guſtu primum dulcis & mox amareſcens. *Vires legitimi.* *Exitioſus autem & Venenatus eſt* Agaricus niger, & cujuscunque alterius coloris, durus, gravis, lignoſus, & longas habens venas; Optimus Agaricus nobiliſſimum & utiliſſimum eſt remedium, præſertim ubi ritè præparetur & in paſtillos redigatur. Pituitam enim & putreſcentes humores è corpore clementer ſubducit, & jecoris pulmonisque obſtructionem aufert, & omnibus principibus membris, Cerebro, pulmoni, Jecinori, ventriculo & articulis familiaris eſt medicina. *Noxæ vitioſi.* Niger autem & vitioſus Agaricus, intra corpus aſſumptus, hæc excitat ſymptomata, nauſeam, ventriculi ſubverſionem, vomitum, alvi fluorem & anxietatem. Horum ſymptomatum curatio conſiſtit in aſſumpti mali Agarici cita evomitione, aſſumpto prius hauſtulo *vini* in quo *cort. radicum Iugland.* per noctem ſunt macerati & incocti. *Curatio.* Poſt vomitum confert *butyrum* recens cum *lacte caprillo* liberaliùs potum. Antidotum Agarici mali ſunt ʒij *Boli Armeni veri*, *aut terræ Lemniæ*, *aut pulv. cortic. Citri aut Arantiarum pond.* ʒj & *Syrupus è ſucco Citri acidi*, aut *ſuc. Citon.* Condenſatus ſæpeque guſtatus.

Viſcus arborum quid, quæ inducat ſymptomata, & quibus ea profliganda remediis.

Viſcus arborum.

ἰξὸς, viſcus, Vogel Leim / peculiaris & *Natalitiæ.* ſui generis frutex ſeu planta eſt, colore bucceo inter frontes quarundam arborum, ut *Quercus*, *pyri*, *mali*, *betulæ* & ſimilium. Ex ſtercore avium viſci fructibus veſcentium, & per eas arbores pernoctantium, ex quarum genere ſunt *turdi*, *palumbes*, *cuculi* & aliarum enata. Ex ejus baccis inſtar Margaritarum candidis viſcus excoquitur, materia lenta & tenax ad aviculas capiendas utilis. Hunc fruticem noſtri Miſtel vocitant; & viſci quidem per *Viſci quercini vires.* quercum naſcentis ligno, quod nobis Eſenkinſter dicitur, in pulverem redacto, in profliganda Epilepſia commodiſſimè utimur. Fol. viſci commaſticata deglutitionem impediunt propter vehementem conſtrictionem. Acini verò viſci & eorum ſuccus intra corpus aſſumptus infert hæc ſymptomata; Vertiginem, rationis perturbationem ac continuos flatus ac rugitus alvi. Horum ex viſco ſymptomatum curatio eſt evomitio, aſſumpto prius hauſtu *aq. Iuniperi per deſcenſum deſtillatæ* & alvi per Clyſterem ſubductio, *Curatio.* cum *ol. abſinthii* & decocto ejusdem & *lactis cum recenti butyro crebra potitatio*, *& lactis caprilli recentis eſitatio.* Pro antidoto optimum eſt crebrò bibere *vinum abſinthites & ſcordii decoctum*, aut

M 3 pul-

pulveris scordii ℥j. Laudatur & *Theriaca Androm.* ℥ij assumpta, aut ℥ß *coaguli leporis cum aceto* exhibita.

Cicuta quid, & intra corpus assumpta, quæ excitet Symptomata, & quibus remediis eisdem succurrendum.

Cicuta. Κώνιον, Wüterich / Wotunck oder Schirlunck / est herba notissima, fœdi & teterrimi odoris, quæ præter venenatam proprietatem extrema frigiditate est noxia. Narrat *Matthiolus* asinos cicutam depascentes, in profundissimum somnum resolvi; adeò, ut rustici putantes asinum esse mortuum, aliquando corium ei detraxerint, & inter excoriandum asinum discusso somno, evigilasse, & prosiliisse, non sine risu spectantium. Succus cicutæ *somnificis Epithematibus* commodè admisceri potest & applicari. *N. Cataplasma ex cicuta in excrescentiis singulare.* *Cicutæ herba, semen aut radix* comesta, gravissima infert symptomata, Vertiginem & oculorum caliginem, insaniam ac furorem, compressionem diaphr. vehementem cutis pruritum, & animi anxietatem. *Mala ex hujus assumptione.*

Cura. CURATIO horum symptomatum est revomitio subita, exhausto prius ol. irino cum aqua tepida & momento salis, aut hausto *aq. Iuniperi per descensum destillatæ* ℥v. & subductio alvi injecto acri clystere. Deinde exhibeatur ægro *vinum Absinth.* affatim & crebrò. Antidota Cicutæ sunt ℥ij *Theriacæ Androm.* aut ℥j. *pul. gentianæ cum vino*, aut *gutt. vij ol. Angelic. cum vino.*

Hyoschyamus quid, quæ inferat symptomata, & quibus remediis depellenda.

Hyoschiamus. Ὑοσκύαμος, *hyoschyamos* vel *Apollinaris*, Billeren oder Billersamen / est nota & vulgata herba, semen in calicibus proferens. *Usus.* Radices hyoschyami minutim concisæ & in aceto decoctæ, dentium doloribus ex calido fluxu ortis præclarè medentur. Fumo sem. hyoschyami galli gallinacei concepto è tignis delabuntur; & semine devorato pisces in aquis supernatant, ut manibus rapi queant. Semen hyoschyami, aut succus, aut radix, intra corpus assumpta mentem perturbant, & tam turbulentos furores inferunt, ut à cacodæmone agitati, aut instar ebriorum continuè rixari ægri videantur, & vertiginem strangulationemque, & difficilem respirationem excitant. Idcircò intra corpus propinari non debet, quia malitia ejus vix corrigibilis. *Mala ex hyoschyamo.*

Curatio. CURATIO perfici debet Vomitione & per Clysterem acrem alvi subductione. Ad vomitionem autem juvabitur assumpto priùs haustu *aq. Iuniperi*, Clysteri verò admisce *ol. rutæ*, bibendumque offeratur *lac*, in quo *castoreum & ruta* sunt incocta, bibatque crebrò *Vinum Absinthite.* Antidota sunt ℥ij. *Ther. Androm.* aut *Mithridaticæ confectionis*, aut *guttæ vij ol. angelicæ*, aut ℈ij *coaguli hœdini cum vino*; & si hæc desint, exhibeantur ℥ij *piperis longi cum vino.* *Ἀντίδοτα.*

Psyllium quid, quæ excitet symptomata, & quibus eisdem medicandum remediis.

Psyllium. Psyllion, Psyltenkraut / Flohsahmen / quia pulicibus similia sunt semina, nominantur. In myropoliis, seminibus tantùm utimur, ex quibus in *aq. Rosarum* aut alio liquore maceratis *mucago* seu lentor conficitur, qui unguentis refrigerantibus & Epithematis in febribus & calidis affectionibus utilissimè commiscetur: quo si spina dorsi & hypochondria inungantur, febrilem calorem sensibiliter mitigant. *Vires mucilaginis Psylii.* Idem lentor sive mucago, si per se illiniatur, faucium linguæque ariditatem ac scabritiem lenit, & sitim compescit. Quin & in febribus ardentissimis mucago psyllii cum tantundem syrupi violarum utiliter exhiberi potest: Calorem enim febrilem extinguit, alvum emollit, & bilem educit; præterea si mucago ex integris & non contusis seminibus parata exhibeatur, dysenteriæ & alvi fluori ex assumptis calidis remediis & violenter purgantibus, ut sunt Scammonium, colocinthis, Euphorbium, excitato, probè medetur. Verùm si pulvis, *Cautela.*

vis, vel contusum semen intra corpus assumatur, sua substantiali venenata qualitate & summa caliditate, quæ est iu medulla seminis, ventriculum & intestina exulcerat, jecur & universum sanguinem inflammat; *NB.* caute autem & ipsa mucago, & cum certa mensura exhiberi debet intra corpus, aliàs totum corpus refrigerat, mœrorem infert, & alvi intumescentiam, Spiritus interceptionem, & cordis anxietatem, quam sudor frigidus cum gelida morte subsequitur.

CURATIO Symptomatum ex Psyllio in evomitione *cum aq. Iuniperi assumpta* & cum alvi subductione *per Clysterem, cum ol. rutæ & decocto absinthii & centaurii consistit*. Deinde prodest *Vini meracioris* *Antidota.* crebra potitatio. Antidota sunt *Theriaca Androm. ℥ ij aut ℥ j. pul. Vincetoxici cum vino assumpti.*

Coriandrum quid, quas inferat noxas, & quibus eisdem succurrendum remediis.

Coriandrum venenatum. Κορίανδρον, Koriander / herba fœtida est; Cimicum enim animalium fœdum odorem refert vel spirat, dum viridis est, & tota substantia venenata est, semen au- *Seminis commoda.* tem ejus maturum & exiccatum, adeò non est venenatum, ut & odoris suavitate, & saporis gratitudine ventriculo & cerebro esitatum prosit; ideo si saccharo incrustatum, post cibum assumatur, cerebrum corroborat, & evaporationes ex ventriculo prohibet. *Herba autem & succus superficialis herbæ humiditate ac frigiditate, & fœdo odore capiti est inimicissimus.* Herba itaque & succus intra corpus assumptus vocem exasperat, & rationem perturbat.

CURATIO Symptomatum ex Coriandri succo est evomitio, assumpta prius aqua tepida cum oleo anethi. Antidotum vero ejus est Theriaca Androm. Si ejus ℥ duæ cum vino assumantur.

Mandragora quid, quæ inferat symptomata & quomodo ea curanda.

Mandragora. Mandragora, Alruhn / est herba radice crassa & bifurcata, foliis Lactucæ similibus, in *Germania* quidem ignota, sed *Italia*, præsertim circa *Garganum montem*, copiosè nascens; & quia radix ejus est bifida, & tanquam in duo crura divisa, hinc antiquorum quidam eam ἀνθρωπομόρφην appellarunt; & impostores quidam circumforanei credulæ plebeculæ persuaserunt, *Impostura ex hac radice.* Mandragoræ radicem homunculi imaginem habere, pilis in capite & circa pudenda ornatam, & deinceps conformarunt hominis imagunculam ex radice brioniæ, cujus capiti & circa pudenda semina mylii perforando inseverunt, & eo usque terrâ cooperuerunt, donec germina mylii prodiissent instar pilorum. Has imagunculas, mulierculis & aliis credulis pro Mandragora grandi pecuniâ vendiderunt, & juramento affirmarunt, hujus radicum possessores nunquam egere pecunia; steriles que fœcundas fieri; & in quibuscunque haberetur ædificiis, veneficia & dæmoniorum præstigias, & tempestatum noxam nihil nocere posse. Harum scelaratarum nugarum occasionem sumserunt *ex lib. 7. c. 25. Iosephi* bellum Judaicum describentis, qui cujusdam radicis *Baaras* vocatæ, & instar flammæ fulgentis meminit, ac asserit *eam non posse sine vita periculo evelli, sed circumfossam canis vinculis alligari, & à cane tandem evelli, canemque statim interire, & ita tandem ab hominibus à canis collo recipi*. Hæc audientes impostores suas nugas de *mandragora* mendaciis amplificarunt, & radices suas Mandragoræ sub patibulis ex semine, aut urina, vel lotio furum in strangulatione perfusa nasci, & inde homunculi effigiem acquirere. Radices Mandragoræ *ex monte Gargano* vehementer refrigerant, & somnum conciliant; quæ intra corpus assumptæ, aut pomis ejus devoratis, Veternum & pro- *Noxa.* fundissimum somnum Lethargo similem inferunt, ac tristitiam & amentiam excitant, ita ut æger ex profundo somno excitatus vociferetur, ac statim iterum indormiscat, præterea facies intumescit, & oculi prominent, nisi maturè occurra-

curratur, in vitæ discrimen æger conjicitur.

Curatio. CURATIONIS Methodus est, ut primum vomitio excitetur; præsumpto haustu *aquæ Iuniperi per descensum destillatæ*, ac tandem alvus subducatur *Clystere acri ex hydromelle & oleo rutæ* confecto; deinde ut excitetur *Sternutatio inserto Errhino, ex radice Gentianæ formato*, naribus, aut inserto pulvere naribus *ex Castoreo, pyretro & Majorana* concinnato. Caput præterea circa suturam coronalem & tempora inungantur *Ol. rosarum & aceto Rosaceo simul mixtis:* Odor quoque *aceti acerrimi* subinde naribus applicetur, & bibat crebrò *vinum absinthites*. Antidota Symptomatum Mandragoræ sunt *Theriaca Androm.* ℥ ij *cum vino aut pulvere ex castoreo, & scordio, & ruta ana* ℈ j *cum vino.*

Opium. Papaver.

Opium & Papaver quid, quæ inferant symptomata, & quibus remediis curanda.

Nullum papaver veneno contaminatum. Μηκώνειον, Opium, est succus papaveris. Papaver enim μήκων, Mahn oder Mahnsadt nominatur, cujus sunt duæ species, à seminum colore, alba & nigra; quæ etsi inter venenatas res numerantur, tamen nec semen albi nec nigri papaveris venena esse deprehenduntur, cum in *Austria & Styria* ejus semina & nigra & alba in cibis cum pane recenti ad ℥ iij, aut iiij, à rusticis esitentur, & *ol. ex semine papaveris expressum* in cibis quotidiè utantur, nec inde aliquid mali percipiant, aut somnolentiores efficiantur. *Usus Capitum papaveris.* Capita verò papaveris, præsertim cum nondum sunt exiccata, vehementer refrigerant, & somnum conciliant, ideò in calidis morbis instar cataplasmatis cocta & contusa capiti applicamus, aut lavacra pedum ac manuum ex eis paramus. *Opium ut fiat.* Opium autem est præsentissimum venenum, & fit ex incisis adhuc virescentibus capitibus papaveris, ex quorum cæsura succus emanat, qui collectus aut in sole, aut in loco calido in massas condensatur & odore & sapore horribili. *Usus opii.* Utimur Opio in unguentis somnum conciliantibus in exigua quantitate admixto, ut si recipiatur *Opii* ℥ ß & in minutas partes concisum *cum pauxillo aceto rosaceo* ad ignem dissolvatur, eidemque admisceatur *ung. populei* ℥ ij. fit præstantissimum *Unguentum somniferum.* Vnguentum somno conciliando in continuis vigiliis; sed quia hac ratione conciliatur somnus, laboriosus est, eo non temerè est utendum, nisi extrema urgeat necessitas. Ego vero usus sum *opio* felicissime *in Dysenteria* & cruciatibus intestinorum hac ratione: *Usus opii in dysenteria & colica.* Formavi ex opio glandem cum filo appenso, quam crebrò per vices podici inservi, & post quadrantem horæ extraxi ac iterum inserui, donec tormina & fluor alvi conquiescerent. Per os autem intrà corpus exhibere nunquam sum ausus: *Autor usu opii interno abstinuit.* In compositis verò medicinis, quas *Opiatas* vocant, exhibui, sed non nisi summa urgente necessitate; & ubi vigiliæ vires debilitarunt, aut extremi dolores hominem cruciarunt. Sunt autem *opiata remedia*, quæ in Myropoliis prostant, *Elect. Philonii, Zazenea, Requies Nicolai, Triphera magna, & Triphera Saracenica:* *Opiata in officinis.* quæ sanè remedia non temere sunt exhibenda, nisi summa necessitas expostulet, adhibita prudenti circumspectione. Opium sive per se, sive in mixtis medicamentis imprudentius assumptum, hæc symptomata pernitiosa infert; *Symptomata ab Opio.* statim sanguinem & spiritus vehementer refrigerat, & somnum profundum, ac ferè inexcitabilem inducit, quam ungium lividitas, anhelitus frigiditas, maxillæ inferioris laxatio & labiorum intumescentia subsequitur, ac tandem singultus, sudor frigidus & violenta mors.

Curatio. CVRATIO, ut fere in omnibus venenatis affectionibus, ita in symptomatibus ex opio, consistit in tempestiva evomitione, præhausto *vino in quo cortices radicum juglandum* sunt incocti, & in subductione alvi cum *Clysteribus ex hydromelle*, in quo cocta sunt *Centaurium minus, ruta, Scordium & Castoreum cum oleo*

Casto-

Castorei. Tandem sudor proliciatur assumpto *antidoto Theriacæ* ℥ ij. *Sternutatio* quoque cum pulvere exiguo *Euphorb. Majoranæ* naribus indito excitata plurimum confert. Sutura verò coronalis & tempora inungantur *oleo castorei* cum *aq. Iuniperi per ascensum destillata* diluto, ægerque subinde excitetur è somno naribus admoto nodulo *ex castoreo & pauxillo Euphorbii in aceto acerrimo macerato.* Antidota præter *Theriacam*, plurimum confert crebrò exhibere duo cochlearia *aq. Iuniperi per ascensum destillatæ, aut gutt. vij olei Angelicæ, aut gutt. Xiij. ol. Vitrioli cum vino generoso.*

Fungi. *Fungi quid, quæ eorum symptomata, & quibus remediis curanda.*

Μύκηλς Boletum. Fungorum plura sunt genera: Alii enim ex terra, alii ex caudicibus arborum pronascuntur & extuberant, & eorum alii rursum sunt esui apti, alii vero venenati atque mortiferi. Esui apti sunt etiam quos nostrates Prisschen & Pfifferlinge nominant; Venenatos autem generali vocabulo omnes Poggenstöle / Fungos *Dioscorides* inter plantas recenset, sed cum nec folia, nec radices, nec semina proferant, qua ratione inter plantas recenseantur, nescio. Gulæ luxuries fungos quoque inter alimenta recipit, præsertim in *Italia* & *Superiori Germania*: præstaret verò nunquam fungis vesci, cum vel inter salubres fungos venenati etiam reperiantur; *& omnes sunt mali & tenacis succi.* Fungorum symptomata sunt vehemens capitis dolor, oris ventriculi coarctatio, respirationis difficultas, singultus, frigidus sudor, anxietas, ventris & faciei intumescentia, quandoque colici dolores, ac postremò suffocatio. *Fungis abstinuisse, salutare.* *Noxa.*

Curatio. Curatio symptomatum ex fungis consistit in matura evomitione fungorum comestorum, præsumpto *haustu vini, in quo cortices radicum Sambuci macerati & incocti sunt*, & subductione alvi *cum acri clystere ex decocto Scordii, rutæ, Valerianæ addito ol. rutæ & hyera simplici.* Bibat quoque æger crebrò *vinum absinthites*, quod quovis tempore per macerationem facilè parari poterit. Offerantur etiam crebrò *radices Raphani & nuclei allii.* Antidota fungorum sunt ℥ ij *Theriacæ Androm. cum haustu vini, aut* ℈ ß. *ol. absynthii destillati, cum vino; aut ol. Cimini* ℈ ß. *aut salis absynthii* ʒ ʃ. *aut* ℥ j *pul. stercoris gallinarum* ℥ j. *cum vino assumpta.* *Stercus gallinarum.*

SECTIO III.

De venenis ex Metallorum & Mineralium familia oriundis.

Ex Fossilium genere quæ Venenata habeantur.

INter res, quæ ex cavernis montium eruuntur, venenatæ sunt omnes materiæ, ex quibus *metalla & mineralia* excoquuntur; & *lapides plerique*, sive metallorum lapideæ materiæ, generali vocabulo, Græcis πυρίτες, *Germanis* Ertz oder Gießstein nominantur; & tot sunt Pyritum species, quot & Metallorum, quæ inter se colore tantum differunt: aliæ enim aurei coloris, aliæ argentei, aliæ ferrei, aliæ cinericei sunt. Pyritem auri Goltgeiß / Golt Ertz/ *Chymici Arabico* vocabulo *Marcasitam*, nostri Gülden oder Golterß vocant. Ex hisce lapideis materiis coquuntur omnia metallorum genera: nunquam enim in montibus purum & putum reperitur metallum, excepto *auro*, *argento* & *Mercurio*, quorum nonnunquam surculi puri effodiuntur. Sunt itaque metalla ex pyrite sive lapideis materiis ignis violentia excoctæ massæ, quæ in igne colliquantur fluidæque redduntur, ut malleis extendi ac formari possint. Metallorum species septem sunt, quæ à *Chimicis* septem Planetarum nominibus ornantur, qui quidem aurum Solem, argentum Lunam, æs sive cuprum Venerem, stannum Jovem, ferrum Martem, plumbum Saturnum, & *Marcasita.* *Metalla quid?* *Metalla 7.*

& hydrargyron, sive argentum vivum, Mercurium vocitant. Ex quibus per præparationem venenatæ fiunt materiæ sive res, ut ex auro & argento Lythargyrium & Lazurum; Ex ære, æs ustum & ærugo sive æs viride; ex ferro fit crocus Martis; ex plumbo cerussa; ex argento vivo Mercurius *sublimatus* & *præcipitatus*, & per additionem Sulphuris fit *cinabrium* ac *minium*. *Mineralia* sunt etiam terrestres & lapideæ, materiæ è terra & montibus erutæ, quæ etiam si in igne diffluant, diu tamen violentiam ignis sustinere nequeunt; sed vel aduruntur, vel in aliam formam convertuntur, & malleo extendi formarique minimè possunt. Mineralium primariæ species sunt *Sulphur*, *Antimonium*, *Calchantum sive vitriolum*, *Arsenicum*, *Auripigmentum*. *alumen*, *gypsum*, *Nitrum*, *borax*. Lapides venenati, qui è visceribus terræ eruuntur, sunt lapis Armenius, *Lapis Lazuli*, *Lapis Magnes*, *Lapis calaminaris*. Etsi autem metalla & mineralia, excepto auro & argento purificato, omnia sunt venenata, tum proprietate sua, tum præparationis ac mistionis ratione, tamen sunt subjectæ materiæ artis nobilissimæ *Chymices*, cujus artificiosa operatione, & ignis moderatione ex iisdem rebus saluberrima remedia ad curandos morbos difficiliores eliciuntur, eaque aut sub forma oleosi liquoris, quem *Spiritum* artifices vocant, aut in formam aquei liquoris, quem illi *quintam essentiam* nominant, aut in forma calcis pulverisque, quem *salem* illi vocant, de quibus nos Deo auxiliante, eorumque præparandi & administrandi ratione *in nostra Iatrochymia* fusius tractaturi sumus. Sicuti autem omnium corporum mixtorum, ita & metallorum & mineralium principia, 4. Elementa esse statuimus, minimè obstante, quod veteres *Philosophi ac Chimici* principia omnium metallorum ac mineralium duo constituerunt, *Sulphur* & *hydrargyrum*, & ex horum varia commistione, puritate & impuritate, & coctionis ratione metalla cùm perfecta tum imperfecta, & mineralium species in montium visceribus generata asseruerunt; & hinc sumpta occasione, *Paracelsus* adversus omnes Medicos negat Elementa mundi esse corporum principia, sed tria alia commentus est: *Sulphur*, *Salem & Mercurium sive argentum vivum*. Quibus discipuli ejus addiderunt quartum, *Spiritum* videlicet; in hisce tribus contentum: & ex iis quatuor principiis asserunt omnia componi, & omnia in eadem resolvi; & vocant quidem illi *Sulphur*, quicquid è rebus in igne in cinerem sive calcem convertitur. At sanè eâ ratione Sulphur in corporibus non erit aliud, quàm ignis, nec Mercurius aliud quàm aqua: Sal verò, sive calx quid aliud erit quàm terra? *Spiritus* autem in hisce tribus aëris rationem obtinet: & ita tota contentio *Paracelsorum* de principiis rerum nil aliud erit, quàm *fatua λογομαχία*. Nunc tempestivum est fossilia venenata ordine recensere.

Venenata ex metallis, — *Mineralia.* — *quot?* — *Lapides Venenati.* — *hæc omnia cum grano salis accipienda.* — *Encomium Chimiæ ab effectu.* — *Morte præventus hanc non absolvit Autor.* — *Metallorum origo ex Elementis.* — *Hæc paulò acutius perpendunt Chymici saniores.*

Tabella Venenatarum rerum fossilium.

METALLA sunt:

Aurum, *Chimicis* ☉	Argentum ☽
Æs sive cuprum ♀	Plumbum ♄
Ferrum ♂	Argentum vivum ☿
Stannum ♃	

Ex Metallis venenatæ res sunt:

Aurispuma vel Lithargyrium,
Lasurinus color ex argento,
Ærugo ex cupro,
Scorium ferri,
Plumbum ustum,
Minium ex plumbo,
Mercurius præcipitat. ex argento vivo,
Argenti Spuma,
Æs ustum ex cupro,
Crocus ♀ ex cupro,
Crocus ♂ ex ferro,
Cerussa usta ex plumbo.
Mercurius sublim. ex Argento vivo,
Cinabrium ex Argento vivo & Sulphure.

Mine-

Mineralia Venenata:

Sulphur,	Sal Armeniacum,
Arsenicum,	Vitriolum,
Nitrum, gypsum,	Alumen,
Antimonium,	Borax.
Auripigmentum,	

Lapides Venenati:

Lapis Armenius	Lapis Lazuli
Lapis Magnes	Lapis Calaminaris.

Aurum quid, quæ ejus facultates.

Aurum Cor Metallorum. Chymicorum opinio.

Χρύσος, *Chimicis* ☉. Non solum inter reliqua metalla, verum etiam inter omnia corpora inanimata nobilissimum & preciosissimum, teste *Pindaro in Olympiis Hymno.* 1. Est autem aurum metallum splendore ac nitore amabile, ex æquali pondere argenti vivi purissimi & sulphuris rubri defecatissimi constans, in montium visceribus calore cum nativo tum alieno per multa secula generatum. Aurum cum argento vivo insignem habet συμπάθειαν, omnia siquidem metalla quamvis ponderosa, in argentum vivum imposita supernatant: aurum verò etiam quantitate grani milii impositum statim mergitur, & argenti vivi colorem induit. Duplex, ut paulò antè diximus, reperitur aurum, nativum & per se in montibus generatum, gediegen Golt/ quod in Orientalibus partibus & montibus *Arabiæ*, item ex rivulis inde effluentibus, fluminibusque inter arenas creberrimè reperitur. Aliud verò aurum ex lapidea materia sive pyrite fusoria vel Chimica arte excoquitur. Mirum est *Græcos* autores de facultatibus auri nullam fecisse mentionem; *Arabes* autem frequentissimè. In auro igne excocto ac defæcato adeò nulla inest venenata qualitas, ut etiam ex eo, cum à veteribus tum recentioribus *Chimiæ Magistris*, omnium nobilissima & saluberrima conficiantur remedia, ac potissimum liquor, quem *aurum potabile* vocant, cui tantas tribuunt vires, ut si vera esset eorum prædicatio de auro potabili, & posset facilè parari, vel levi pretio comparari, nulla alia in curandis morbis mortale genus egeret medicina: ajunt enim auri potabilis virtute omnia morborum genera facilè curari, vitam hominum ad multa secula produci; decrepitis juvenilem formam & robur restitui posse; & deploratos quosque morbos, quales sunt *lepra*, *carcinomata*, *Apoplexia*, *Epilepsia*, *paralysis*, *hydrops* & *podagra*, eodem solo tolli. Verùm cum ego tale quid nunquam fuerim expertus, nec audiverim quempiam propriâ experientiâ comprobasse; nisi quod eorum scripta hujusmodi de *auro* gloriationibus sint referta; atque cum hunc liquorem propter ejus caritatem & precii magnitudinem non nisi Imperatoribus, Regibus & opulentissimis Principibus usurpare liceat; & præterea cum præsenti annô 1577, *Romanum Imperatorem Maximilianum Secundum*, & *Fredericum Electorem Palatinum*, & paucos ante annos *Ioachimum Secundum Marchionem Electorem*, qui omnes Chimiæ artifices magnis impensis aluerunt, & auro potabili abundarunt, & tamen nec industria artificum, nec virtus *auri potabilis* eorum vel morbos tollere, vel senii molestias mitigare potuit; quid de eo & artificum prædicatione mihi certi polliceri queam, non video: Nolim tamen prorsus ex auro parata remedia damnare; sed tantum detestor impostorum impiam & fraudulentam temeritatem, qui plus promittunt, quàm præstare possunt. Qua autem ratione aurum in liquorem potabilem resolvi debeat, & quæ cæteroquin remedia utilia ex auro artificiosè confici queant, *in nostra Iatrochimia* fidelissimè docebimus.

Sympatheia Auri cum Mercurio.

Aurum duplex; nativum & excoctum.

Aurum potabile quibus scateat viribus.

Argentum quid, quæ ejus vires, & venena.

Argentum,

Ἄργυρον, Chimicis ☽, est metallum, puritate & nobilitate proximum *auro*, cujus vena sive materia, sicuti aliorum metallorum omnium, est sulphur impurum & incoctum, & argentum vivum paulò purius. Argentum, veluti & aurum, aliud est *nativum*, quod per materiam lapideam nonnunquam instar capillorum vel telarum

duplex, nativum & excoctum.

larum aranearum spargitur, vel instar cujusdam stirpis aut animalis expanditur, visuque percipitur. Tale argentum nostrates Gedieusilber nominant. Aliud ex Pyrite seu materia lapidea coquitur, quod *factitium* dicitur. Materia verò argenti vario conspicitur colore, alia enim rubeum colorem carbunculi, gemmæ similem habet, quod Poderrtz nominatur; alia cinericeum seu plumbeum, quod Grawertz & Bleyfarb / ac Silberertz nominatur. Nec argentum nativum nec factitium (nisi fortè Venere prægnans sit) per se venenata qualitate est imbutum, & parvum habet in arte Medica usum: Præterquam quod ex eo instrumenta quædam parentur, & utensilia vasa: sed potest ex argento venenatum quid Chimica arte confici, veluti est cæruleus color, quem Lasurinum vocant, Blawfarb / de quo paulo post.

Usus ejus in affectionibus capitis insignis.

Cuprum quid, quæ ejus Venena, & quæ inferant, symptomata; quibusque remediis iisdem succurrendum.

Χάλκος, æs sive cuprum, *Chimici* ♀, *Germ.* Kupffer. *Æris* vocabulum sæpe pro pecunia & aliis metallis indifferenter usurpatur, sed propriè pro eo metallo, quod vulgus cuprum appellat, sumitur. Ejus vena sive materia lapidea constat ex æquali ferè portione Sulphuris & argenti vivi, sed impurissimi, & non satis in terræ visceribus cocti; unde sumpta occasione *artifices Chimiæ Chrysopoiëticæ* improbi & semper egeni, se gloriantur cuprum facillimè in aurum purum & argentum transmutare posse, quod tamen nunquam præstant. Materia sive vena *cupri* generali vocabulo pyrites, nostri Schifferstein & Kupffererz vocitant, ex qua æs coctum, etiam defæcatissimum, retinet tamen venenatam qualitatem, quæ & esculenta & potulenta, præsertim quæ aceto aut vino condiuntur, aut cerevisia, si in vasis cupreis aut coquantur, aut diutius serventur, venenato sapore & qualitate tinguntur, & intra corpus assumpta, nauseam, vomitiones, ariditatem linguæ, & erosiones ventriculi excitant.

Cuprum. Scilicet impostores, qui alienam paupertatem ægrius ferunt, quam propriam, de genuinis artificibus aliud judicium.

Noxæ ex cupro.

Curanda autem hæc sunt symptomata, evomitione ciborum aut potuum infectorum, assumpta prius *aqua tepida cum oleo olivarum*: Deinde & alvus acri *clystere* eluatur, ac postea *lac* crebrò potandum ægro exhibeatur. Antidota ejus sunt ℥ ij *Theriacæ Androm.* aut ℥ ij *Boli Armeni cum haustu hydromellis* exhibitæ. Ex cupro aliæ quoque res medicamentosæ & venenosæ *arte Chymica* conficiuntur, ut sunt *Crocus seu flos* ♀, *squama æris*, *æs ustum*, de quibus paulò post tractaturi sumus.

Curatio.

Aurichalcum quid, quæ ejus venena. Quavè, ejus remedia.

Ορείχαλκον, q. d. montanum æs, *Latinis* Aurichalcum, Messinck / non est aliud quam cuprum, sive æs per crebram liquefactionem subinde admiscendo, *lapid. calaminarem*, & ita defæcando purissimo colore aurum mentiens. Aurichalcum autem eandem in se retinet virulentiam, & cibis potionibusque avidis in eo coctis communicat, quam cuprum habere dicitur; & iisdem remediis, Symptomatibus ab aurichalco conceptis, succurrendum est, quibus & veneno.

Aurichalcum; Noxas cum cupro habet communes.

Stannum quid, & quæ symptomata stanni veneno excitentur, quibusque curanda remediis.

Κασσίτερος, stannum & plumbum album, *Chimicis* Jupiter, nostratibus Zinn. Plumbi species duæ sunt, Plumbum album quod *stannum* est, & plumbum nigrum, quod propriè *plumbum* dicitur. Ejus pyrites seu rudimentum lapideum constat ex argento vivo perparum purificato, & sulphure impuro & nondum cocto, quæ stanni materia Græcis μωλυβδένα, Latinis *plumbago* vel *Galena*, metallorum fossoribus verò Lentz oder Zinertz nominatur. Stannum defæcatum minus est venenum, quàm plumbum, ideoque ejus usus frequens est ad conficienda vasa utensilia propter argenteum nitorem. Intra corpus assumptum eadem quæ plumbum infert symptomata, & eisdem remediis curanda sunt.

Stannum seu plumbum album.

Plumbago.

sunt. De plumbo autem & ejus virulentia, & quæ venena ex eo parentur, paulò post differemus.

Ferrum. Chalybs.

Ferrum quid, & quæ ex eo venena.

Σίδηρος, *Chimicis* Mars, ferri purior duriorque species, Latinis *Chalybs* nominatur. Vix ullius metalli in rebus & actionibus hominum major est & amplior usus & abusus quam ferri. Vena seu lapidea materia constat argento vivo. Ferrum excoctum per se venenatum non est; parantur tamen ex eo & medicamenta salutaria, præsertim ex scoria ferri; & medicamenta venenata, qualis est *Crocus Martis*, sive *flos ferri*, de quibus paulò post.

ferrum per se non venenatum, nec ille venenatus.

Plumbum nigrum.

Plumbum quid, & quæ ejus vires.

Μόλυβδον, *Chimicis* Saturnus. Duplex est, ut paulò ante diximus, species plumbi: album & nigrum. Plumbum nigrum, metallum est, ex multo impuro & terrestri argento vivo, & pauco impuro & rudi sulphure in visceribus montium concretum. Plumbi vena sive materia Græcis μολυβδῖνα, lapis plumbarius, Bleyertz nominatur, qui vario conspicitur colore; alius enim cinericeus, alius luteus, alius ceruleus, pro diversitate lapidis, in quo hæret, tinctus. Ex plumbo venenatum fit plumbum ustum, quo figuli ad illinenda & vitreanda sua fictilia utuntur. Conficitur arte ex plumbo & cerussa Chirurgicum remedium, de quo paulò post. De plumbo autem rudi excellentissimum Linimentum conficitur ad ferventes & inflammatos tumores, qui vel in tibiis ut in igne sacro; aut in pudendis, aut in ano, ut in hæmorrhoïdibus cæcis; aut in mammis, mulieribus, exoriuntur; quod hac ratione parari potest: Formetur mortariolum & pistillum ex plumbo nigro, in quod infundatur liquor aliquis refrigerans, quales sunt aut oleum Rosarum, aut violarum, aut albumina ovorum, aut succus plantaginis, aut mucago ex seminibus Psylii cum aq. rosacea, facta, pro arbitrio utentis, quæ cum pistillo plumbeo tantisper agitetur, donec liquor nigrescat, & instar unguenti crassitiem consequatur, quod linteolis excipiatur & locis inflammatis applicetur, statim enim dolorem sedat & ardorem omnem extinguit. Quibus autem mortariolum tale ad manus non est, hi liquores prædictos super lapidem cum globo vel massa plumbi tamdiu conterant, donec unguenti nigri formam consequantur.

Linimentum ex plumbo in inflammationibus.

Argentum vivum.

Argentum vivum quid, quæ excitet symptomata & quæ eorum curatio.

Ὑδράργυρος, Latinis à colore *argentum*, & à continuo motu, *vivum*, *Chimicis* Mercurius, Quecksilber. Inter omnia metalla solum *argentum vivum* per se liquidum & fluidum est. Duplex autem reperitur argentum vivum, unum nativum, quod & in montium cavernis spontè confluit, ex sua vena seu materia lapidea ob gravitatem suam prostillans. Alterum factivum, quod ex materia lapidea, quæ instar terræ fragilis, & ex nigro rubescens, atque instar plumbi ponderosa est, per descensum destillatur ex uno fictili vase in aliud, igne superposito in patenti area, ne videlicet noxam ejus fumus inferat. Materia argenti vivi, Græcis ἄνθραξ. Lat. vena Minii sive Cinabrii, Quecksilbertz vocatur. Argentum vivum tota sua substantiâ & extrema frigiditate venenum est: quanquam plurimi Medicorum illud contra sensum & rationis judicium extremè calidum esse contendant; quorum sententia si de argento vivo, violentiâ ignis densato, vel in aliam speciem traducto, veluti est *Mercurius præcipitatus* & *sublimatus*, intelligatur, tum verissima est: non autem de crudo argento vivo. Argentum itaque vivum intra corpus assumptum, & foris corpori inunctum, aut fumo ejus membra imbuta, semper perniciem & gravissima infert symptomata. Intra corpus assumtum, si stando assumatur, suo pondere & sphærica figurâ paulò post ex ventriculo per meatus intestinorum in anum delabitur, & inde è corpo-

Noxa.

re profluit, nec multum noxæ præterquam refrigeratioem viſcerum infert. Inter cubandum autem aſſumptum, ſi in aliqua cavitate partium diutius hæreat, calorem nativum & ſpiritum vivificum extinguit, & pernitiem mortemque inferre poteſt; ſimiliter ſi per poros cutis cum aliis unguentis mixtum & inunctum, (quemadmodum tonſores hujus temporis *ſcabiem Gallicam* curare conſueverunt) vel ſi ex ejus fumo ac vapore venenato partes corporis imbuantur, frigidâ ſuâ qualitate ſæviſſima infert ſymptomata, imprimis oris exulcerationem, dentium mobilitatem, oſſis palati putrefactionem, nervorum contractionem & artuum tremorem, paralyſin, ſæpè & Epilepſiam, Apoplexiam, & omnium ſenſuum debilitatem; quemadmodum videre eſt in iis, qui argento vivo ſunt inuncti, & in aurifabris qui crebrò tractant argentum vivum. Sunt tamen viri doctiſſimi, qui argenti vivi in aceto probe eloti & per tenue corium expreſſi ℈ j intra corpus ad lumbricos enecandos, & muliérculis difficultate partus laborantibus exhibere docent ſine ulla noxa; ſed id tentandum erit *erecto corpore*, ut ſuo pondere per anum rurſum deſcendere queat; & ſemper argentum vivum, non autem ſalivâ extinctum, quod inteſtinis adhæreſcit, adhibendum eſt.

Cura luis Gallicæ per inunctionem hydragyri periculoſa.

Uſus ejus in lumbricis.

Curatio ex aſſumpto Mercurio.

CURATIO ſymptomatum argenti vivi per imprudentiam intra corpus aſſumpti eſt valida corporis commotio, qua argentum vivum per meatus inteſtinorum & anum profluere queat. Si autem alvus ex duris fæcibus ſit obſtructa, ita ut argentum vivum ſponte effluere nequeat, *clyſter ex hydromelle*, cui admixtum ſit *ſal, nitrum & hyera picra*, inteſtinis infundendum erit, aut, ſi ita neceſſitas expoſtulet, devoranda præbeatur *pill. aurearum* ʒ *j* cum *Trochiſc. Alhandal. gr. iv.* Expurgato argento vivo, ut ejus venenatæ qualitatis veſtigium ſopiatur, utile erit ægrotanti exhibere *Theriacæ Androm.* ʒ *ij.* & ad ſudandum cogere. Symptomata autem quæ ex fumo argenti vivi in corpore concitata, ſunt tremor membrorum, debilitas articulorum, & paralyſis; Curabuntur crebra ſudoris profuſione *in balneo ſicco ſudorifico*, cui inſutæ ſunt herbæ facultatem habentes poros cutis aperiendi & nervos corroborandi, quales ſunt *Salvia, Chamæpithis, Betonica, & Lavendula cum baccis Juniperi.* Confert quoque plurimùm ſi æger *hauſtulum vini* ebibat, in quo *folia & frondes Roriſmarini, ſtœchados Arabicæ, & centaureum minus incocta ſunt.* Symptomata verò quæ ex inuncto argento vivo à perfidis tonſoribus, præſertim *in curatione Gallici morbi*, introducta ſunt, aut Cinobrii venenati fumigatione excitata, ut ſunt capitis continui cruciatus, languor & imbecillitas artuum, ſenſoriorum omnium labefactatio, & inſanabilia ulcera. Nullum eſt præſentius ac ſalutarius remedium, quam methodica curatio noſtra cum duabus nobiliſſimis radicibus *Chinæ & Sarmenti Indici* decoctis, quæ curatio earumque radicum præparatio & uſurpandi ratio, in curatione morbi Gallici à nobis fideliter eſt propoſita. Porrò paulò ante quidem diximus principia ſive elementa metallorum juxta *Chimicos, qui ſe ſolos Philoſophos eſſe jactitant*, eſſe argentum vivum & ſulphur, verùm minimè putandum eſt eos de argento vivo & ſulphure, quæ in myropoliis habentur, loqui; ſed de materia ſimpliciſſima Sulphuris & Argenti vivi, quæ ſunt puriſſima, & inſtar vaporis in montium cuniculis elevantur, lapidibuſque adhærent, commiſcentur & concreſcunt. Quemadmodum nec nos ubi de elementis diſſerimus, illa elementa quæ ſenſibus noſtris ſunt objecta intelligimus, ſed ſimpliciſſima illa, quæ non ſenſu, ſed ratione tantum in mixtis corporibus comprehenduntur, & potentia ſingulis Elementis inſunt. Talis autem vapor, ſive principium argenti vivi & ſulphuris veri, duplex eſt, alius *ſiccus*, qui materia eſt ſulphuris; alius *udus*, aquæ ſimpliciſſimæ ſimilis, ex quo argentum vivum per decoctionem multorum ſecu-

Curatio ex fumo ejuſdem.

Curatio ab inunctione ejuſdem.

quomodò Elementa ſ. e. principia rerum ſint conſideranda.

ſeculorum in montibus generatur. Ex his duobus principiis tandem pro ratione & qualitate, puritate & impuritate lapidum, quibus adhæreſcunt & inſinuantur, generantur tum pura, tum impura métalla.

Ex metallis, ac primum ex auro, quæ fiant res venenatæ, præparatione.

Aurum per accidens venenatum redditur.

Ex auro nulla fit venenata materia, eſt enim per ſe puriſſimum metallorum, niſi forte per accidens ex ignorantia *Chimiſtarum, aurum potabile* venenatum reddatur; quod *aurum potabile* Profeſſores Chimiæ miris modis prædicant, & præferunt omnibus in univerſum remediis in morborum difficilium curatione; atqui pauciſſimi ſunt artifices, qui ſine venenatis liquoribus aurum fluidum reddere queant, ſed neceſſe habent, ut primum *cum aqua forti* in pulverem reſolvant, & ita in liquorem redigant. Manet autem in ipſo auri liquore ſemper venenata *aquæ fortis* qualitas, quæ niſi debito modo ab aureo liquore in totum ſeparetur, quod nunquam, aut rariſſime fit, impoſſibile eſt aurum illud liquidum intra corpus ſine noxa aſſumi poſſe. Proinde cavebunt ipſi Principes & opulentiores, (nam pauperes tuti ſunt ab eo veneno) vel hujusmodi Chimicorum impoſtura ac veneficio. Nos auri potabilis conficiendi rationem *in noſtra Iatrochimia* deſcribemus.

Facile eſt ſine venenato liquore aurum liquidum dare.

Ex argento quæ fiant res venenatæ.

Ex argento duæ utiliſſimæ res præparatione conficiuntur; utræque tamen intra corpus aſſumptæ, venenatæ & pernicioſæ habentur; de quibus ſingulis ſeorſim breviſſime dicam.

Cæruleus color quid, quæ inferat ſymptomata, & quibus curanda remediis.

Color Laſurinus.

Præparatur color amœniſſimus, pictoribusque gratiſſimus cæruleus ex argento, qui *Græcis* non eſt deſcriptus: Pictores enim *Laſurinum* colorem, Latini *cæruleum*, noſtri Laſuhrblaw vocant, qui hac ratione paratur: Argentum malleo extenditur in bracteas ſive laminas, quæ obliniuntur Linimento ex argento vivo facto, & exiccatæ laminæ in ollam vitreatam aceto vini acerrimo ſemiplenam, in quo aceto antea reſoluta ſunt *Sal Armeniacum & Tartarus* in calcem redactus, ſuſpenduntur, ita tamen ne argenti lamina acetum attingat, ſed tantùm in obtecta olla vapore ejus maceretur, idque ad dies 14. Deinde excipiuntur argenti laminæ, in quarum ſuperficie hæret *color Laſurinus*, qui colligitur abraditurque à laminis, & rurſum argento vivo inunguntur, ac in vapore aceti macerantur, donec lamina argenti in colorem dictum vertatur. Fit quoque Cæruleus ſive Laſurinus color ex *lapide Laſuli*, de quo paulò infra dicturi ſumus. Materia hujus Laſurini coloris cùm propter argentum vivum, tum propter vaporem aceti medicati, & cum *ſale Armeniaco* mixtis venenum eſt, & ſi per imprudentiam intra corpus aſſumatur, erodit ventriculum & inteſtina, & nervos debilitat, reſpirationisque difficultatem infert. In horum Symptomatum curatione prodeſt primò evomere materiam coloris præſumto hauſtulo *aquæ Iuniperi per deſcenſum deſtillatæ.* Deinde affatim crebrò edendum offeratur *recens butyrum*; bibendum vero *Vinum optimum*, in quo coctæ ſunt *frondes Roriſmarini.* Antidoti loco utile eſt Theriacæ Androm. ℨ ij. aſſumere, & cum ea ſudorem provocare.

Damna ex colore Laſurino aſſumpto.

Cura.

Spuma argenti quid, quæ inducat ſymptomata, & quibus remediis curanda.

Spuma argenti.

Lythargyrium, cum adjectione *auri* vel *argenti*, cùm tamen una & eadem res ſit, & non niſi ſplendore coloris albo vel rubeo diſtinguatur, noſtrates Silberglledt nominant. Eſt autem *ſpuma argenti* lapidea materia in excoctione, ſeparatione & purificatione argenti, in fornacibus ex plumbo nigro & pyrite liquefacto, ſimul mixtis conflata. In ſeparatione enim argenti, ut commodiùs liquefiat materia, & fluidum magis reddatur argentum, plumbum nigrum ut plurimum admiſcetur: Magnus uſus eſt ſpumæ argenti in Chirurgicis curationibus, refrigerat enim, exſiccat & con-

Origo ejus.

Vſus.

& consolidat, ideoque emplastris miscetur, & Emplastrum in myropoliis *Triapharmacum* sive *Brutenicum*, Brunzuch/ *ex oleo & pul. lythargyri ex aceto conficitur*. Intra corpus assumptum lithargyrium venenum est, & hæc infert symptomata : *calorem nativum & spiritum vitalem extinguit, sanguinem in venis & arteriis condensat, respirationem intercipit, & facultatem motricem artuum opprimit, ventriculi concoctionem tollit, & corpus totum livido colore tingit*. *Noxa.*

Curatio. CVRATIO horum symptomatum consistit primum in valida alvi subductione per *acre Clysma ex decocto Centaurei min. pauxillo colocinthidis*, cui admixtum sit *ol. rutæ, & hyera picra* factum. Per vomitum enim argenti spuma propter ejus ponderositatem per superiora expelli nequit. Ideò eò crebriùs clysteribus est utendum. Deinde confert butyrum recens crebrò & affatim esitatum. Item *ol. amygdalarum cum tepida Cerevisia* subinde bibitum. Utilissimum quoque est sæpè gustare *aquam Iuniperi per ascensum destillatam*, quæ vim habet *Vini sublimati*. Antidotum Lythargirii est *Theriacæ Androm.* ʒ *ij. cum vino generoso, aut ol.* myrrhæ, aut angelicæ ℈ j. aut ol. vitrioli ℈ ß. cum vino.

Ex cupro sive ære quæ res venenatæ præparentur.

Æs sive cuprum, ut paulò ante diximus, per se est perniciosum venenum, & suam virulentam qualitatem cibis & potionibus communicat, quæ in cupreis vasis vel coquuntur, vel conservantur diutius, præsertim quæ sunt acida. Tres autem venenatæ res, si intra corpus sumantur, ex ære parantur; quæ tamen extra corpus suas habent præclaras utilitates in arte Medica. *Æs ustum, squama æris, & ærugo*, sive *viride æs*, de quibus singulatim breviter dicemus. *tria venenata ex ære.*

Æs ustum quid, quæ inferat symptomata, & quibus remediis curanda.

Æs ustum. Χάλκος κεκαυμένος, Æs ustum, Chimicis *Crocus Veneris*, nostratibus gebrandt Kupffer/ quod ita conficitur : Sumuntur laminæ sive bracteæ cupri, & obliniuntur Linimento *ex sale & aceto facto*. Quæ ubi exsiccatæ sunt, in tegula aurificum concremantur, & candentes eximuntur, & in aceto acerrimo extinguuntur, iterum atque iterum Vnguento præscripto illiniuntur, uruntur que, ita tamen ne in igne cupri laminæ liquefiant, donec in pulverem redigi queant; qui pulvis in calida aqua crebrò eluitur, ut omnem acrimoniam erodentem deponat, & tum utilissimus est, ad ulcera putrida persananda, expurgat enim ulcera, astringit & exsiccat, & ad cicatricem ducit. Intra corpus autem assumptum, ventriculum subvertit, concoctionem extinguit, & cruciatus intestinorum infert. *Confectio Croci Veneris.* *Usus.* *Noxa.*

CVRATIO æris consistit in evomitione assumpto prius *ol. anethi cum aq. calida* commixto, ubi in intestina delapsum est æs ustum : *acris* quoque *clyster* est adhibendus ex *ol. rosarum* & *decocto centaurei min.* Vtilis quoque est *butyri recentis & lactis* esitatio. Antidotum æris usti est *Terræ Lemniæ* ʒ *j. aut corall. rub. præparat.* ʒ *j.* cum *aqua hordei* assumpta. Prodest foris simum ventrem subinde inungere *ol. Rosarum calid.* *Curatio.* *Antid.*

Squamma æris quid, quæ ejus symptomata, & quibus remediis succurrendum.

Λέπις χαλκοῦ, squamæ cupri seu æris, Kupfferschlag / oder Keßlbren nostratibus. Sunt autem squammæ æris tenuissimæ laminæ ex superficie cupri igniti malleis percussæ ac discussæ. Paucissimi hoc tempore eo utuntur remedio, & non nisi eloto & probè præparato. Easdem habent cum ære usto facultates in sanandis ulceribus: & intra corpus assumptæ eadem inferunt symptomata, quæ æs ustum : ideoque iisdem remediis antidotisque curari possunt. *Squama æris.* *Squama æris ritè parata præsens in lumbricis remedium.*

Ærugo quid, quæ inferat symptomata, & quibus succurrendum remediis.

Viride æs, Spansgrün/ est materia viridis coloris, ex cupri laminis collecta, pictoribus & in re Medica usitata, quæ intra corpus assumpta perniciosum est venenum, *Viride æs.*

num,

num, & hac ratione paratur; Laminæ cupri illiniuntur Unguento *ex sale & aceto* confecto, ac tandem in aërem suspenduntur, & illita materia altera die per superficiem cupri convertitur in viride æs, quod abraditur ac colligitur, laminæque rursum illiniuntur. Est & alia ratio parandi æruginem excellentissima: Fit unguentum crassiusculum *ex melle, sale, aceto* probè inter se mixtis, quod bracteis sive laminis cupri inungitur, & in ollam nondum coctam imponuntur, & in figulina fornace exuruntur, donec fictilia vasa sunt decocta: quæ materia nigricans excipitur, & sub dio collocatur; per noctem enim mutatur color niger in æruginem & colorem viridem venustissimum.

Confectio ejus. *Alius modus.*

Magnus est usus æruginis in curationibus Chirurgicis: Vlcera enim sordida egregie mundificat, orisque ac gingivæ ulcera persanat, superfluas excrescentias carnis in ulceribus tollit. Ideo & Emplastro & Gargarismo commiscetur. Intra corpus assumpta ærugo perniciosa infert symptomata. Statim enim guttur constringit, & arterias pulmonum obstruit, vias respirationis intercipit, violenter suffocat, & extinguit. In ventriculo autem existens continuas excitat vomitiones.

Vsus in Chirurgia. *Incommoda ab assumpta.*

Curatio. CVRATIO est ut epóto *recenti butyro* statim revomatur: & in intestina si descendit, neque *clyster ex lacte caprillo & ol: Chamæmelino* negligendus erit, & subinde *lac calidum* ebibendum. Antidotum æruginis est, *Terræ Lemniæ aut corall: rubr. præparat. aut pulv: Zedoariæ* ʒj. *aut ol: Anisi* ℈ ß. *cum vino assumpti.*

Ex Ferro quæ fiant res venenatæ.

Paulò ante dictum est ferri species duas esse, unam ex materia crudi ac rubri coloris, excoctum ferrum, Eysen: Altera species est ferrum purius ac durius, quod *Græcis* στόμωμα, *Latinis* Chalybs, Staal/ nominatur. Quatuor autem res utilissimæ in medicationibus ex ferro conficiuntur, quæ si non ritè præparentur, aut in largiori copia quàm decet assumantur, venenatæ sunt, & varia inferunt symptomata. Sunt autem, squamma ferri, excrementum ferri, Ferrugo, & *Chimicis crocus Martis*, de quibus nunc singillatim.

Squamma ferri, quid, quæ ejus præparandi ratio, quæ vires, & quæ inferat symptomata.

Λεπὶς σιδήρου, Squamma ferri, Hammerschlag/ est ex superficie candentis ferri malleo decussa lamina, quæ probe præparata, saluberrima præstat remedia & extra & intra corpus. Squammæ autem ferri præparatio ejusmodi est: Accipiantur *squammæ ferri* ℥ iiij. quæ in aqua calida abluantur, & vola manuum confricentur, donec nihil sordium in eis remaneat, deinde & tegulâ aurifabrorum in ignem collocentur, & candentes *in aceto vini acerrimo* extinguantur, iterumque exiccentur, siccatæque denuò ter quaterque iterum urantur & in aceto extinguantur: Postremò in tenuissimum pulverem redigantur, & *in aceto vini q: s.* in vitrea cucurbita per tres septimanas macerentur, probè obturata. Postea vitro in ferventem arenam collocato & aperto, acetum omne evaporari permittatur, ut pulvis pro usu conservetur. Alii pro squamma ferri *scobem sive limituram chalybis* eadem ratione præparant, ex eo pulvere pillulæ præparantur, quæ nomen habent pillularum scobis ferri, quibus utimur *in dissolutione ventriculi*. Pulvis autem exhibetur commodissimè in dysenteria, in muliebribus fluxionibus, & in æstuanti colluvie humorum, in ventriculo & lienis obstructionibus. Verùm squamma ferri non ita præparata, aut ultra justam mensuram exhibita, hæc infert symptomata, Intestinorum cruciatum, ariditatem linguæ, siccitatem totius corporis, & continuum capitis dolorem.

Squamma ferri. *Præparatio squammarum ferri.* *pillulæ scobis ferri.* *ferrum crudum aperit magis ob Salis vitrioli præsentiam; calcinatum stringit ob ejusdem absentiam.*

CVRANTVR hæc mala acrioribus clysteribus, & crebra potitatione *lactis caprilli* recentis, & crebra esitatione *butyri*

recentis & pinguioris jusculi: Capitis autem dolorem sedat crebra inunctio cum *oleo Rosarum* & *aqua Rosarum* simul mixtis. Corporis ariditatem tollunt *crebra balnea* in aqua dulci, in qua *malva* & *althea cum radicibus* sunt incocta. Pro antidoto opportunè exhiberi possunt pul: terræ Lemniæ ʒ ij, aut corall: rub: præpar ʒ j. cum jusculo galli gallinacei.

Curatio à præpostero ferri usu.

Recrementum ferri quid, quas habeat in Medicina utilitates, & quas inferat noxas, quibusque curandum remediis.

Scoria seu Excrementum ferri, σιδήρου, Germanicè Schlacken oder Sünderstein / est materia lapidea in massam foraminibus instar spongiæ plenam, concreta, in fornacibus fabrorum ferrariorum, quæ ab ipsis ut plurimum extra projicitur. Intra corpus assumptum ferri recrementum paulò antè commemorata squammæ ferri infert symptomata, & iisdem remediis curanda. Extra corpus autem utimur ejus vapore in balneis, pro exsiccatione vitiosorum humorum inter cutem & carnem collectorum, sudorem ac pruritum excitantium. Propria experientia didici excrementorum ferri candentium vapore *serpigines & Lichenas*, die Flechten / facilimè curari posse: & quidem hac ratione; massæ scoriæ ferri quatuor aut quinque in igne candescere permittantur, & una ex his primum, deinde & secunda & tertia, ubi extinctæ sunt in ollam capacem imponantur, & manus aut pes, aut alia quævis pars super illam ita disponatur, ut ne pars affecta, à calore excrementorum offendatur, tandem pars affecta in olla & alio quovis vase culcitra contegatur, ut ne quid à vapore exire queat, & alia manu spongiolam vino rubro plenam patiens habeat, & sensim vinum in candentia excrementa exprimendo instillet, ut vapor inde excitatus locum affectum feriat, & ita per horam integram aut paulò ulterius calido vapore, singulis diebus bis foveatur per octiduum: Omne enim virus Lichenis per sudorem prodit, ulcus exsiccatur, & solida sanitas succedit.

Scoria ferri.

Usus topicus in lichenis.

Ferrugo sive Rubigo ferri quid, quæ ejus utilitates, & quæ inferat symptomata.

Ἰὸς σιδήρου, Flos sive Rubigo ferri, Eysenrust. Rubiginis hac tempestate in arte Medica nullus est usus, & tamen si ex optimè purgato ferro acetoque perfuso, rubigo colligatur, & contrita intra corpus adhibeatur, profluvia muliebria sistit ac restringit; & ejusdem pulvis *cum melle rosaceo* mixtus instar Unguenti putredinem gingivarum & ulcerationem persanat. Non ritè præparata eadem symptomata infert, quæ in squamma ferri sunt commemorata, & iisdem remediis curari possunt.

Ferrugo. Ejus usus maximus quidem in cachexia seu febre virginum, & viscerum obstructionibus pertinacibus.

Crocus Martis quid, quomodo parandus, & quas habeat in re Medica utilitates.

Ἄνθος σιδήρου, flos ferri, Chimicis *Crocus Martis* nominatur, Eysenblumen Germanis dici potest. Est autem crocus Martis ferrum resolutum & in pulverem rubeum redactum: Inter res obscurissimas & hactenus ignotas, quas *Paracelsus* in lucem produxit, est quoque *Crocus Martis præparatus*, qui etiamsi multa impia & absurda scripsit, hic tamen merita laude non defraudandus. Ita autem conficiendus est: Accipiatur Chalybs, & in laminas sive bracteas tenues extendatur, quæ candentes iterum atque iterum in forti aceto vini eo usque donec acetum rubeo colore affatim tingatur, extinguantur, subinde chalybem renovando, & in aceto novo extinguendo, donec sufficiens mensura tincti aceti habeatur. Deinde omne acetum simul in vitream cucurbitam imponatur, ac destilletur, abstracto aceto remanebit pulvis rubeus in fundo vitri, qui diligenter colligatur, exiccetur, & in tenuiorem pulverem redigatur, & pro croco Martis nobilissimo remedio conservetur. Hic enim flos ferri tutò intra corpus exhiberi potest. Fit & alia ratione Crocus Martis; Laminæ Chalybis crassiusculo Unguento *ex Sulphure & Tartaro*

Crocus Martis.

part.

Alius Croci Martis præparandi modus. *part. æqual: cum aceto vini facto* obliniantur, & in tegulam aurificum ſiccatæ ponantur, ac in furno reverberatorio adurantur; ac ſimul tandem in aceto extinguantur, & contrita cum aceto in ferventi arena acetum deſtillando ſubtrahatur, pulviſque in fundo vitri rubeus colligatur. *Tertius modus.* Fit quoque crocus Martis *cum aqua forti*, ſed is ſine pernitie & vitæ periculo intra corpus ſumi non poteſt. Habet *Crocus Martis* in reſtrictione admirandas vires, & aſſumptus ſtatim omnes tum externas tum internas fluxiones ſiſtit; Ideò confert ſanguinis ex ulceribus eruptioni, ſi inſpergatur; hæmorrhoïdum fluxiones, gonorrhæam, muliebria profluvia, menſium immoderatam fluxionem, diarrhœam, dyſenteriam, & urinæ incontinentiam mirabiliter ſiſtit, & contraria virtute lienis obſtructiones aperit, & præterea ſordida & perpetuò manantia ulcera inſperſus exſiccat, & perſanat. *Uſus.*

Doſis. Doſis exhibendi croci Martis intra corpus eſt à ℈j uſque ad ʒj. Exhibetur autem cum aliquo aſtringente liquore, *ut aq. plantaginis, ſucc: Citoniorum aut vino rubenti*. Foris verò & ſiccus inſpergi, vel cum aliquo liquore inſtar unguenti mixtus, illiniri, aut Emplaſtris admiſceri poteſt.

Ex ſtanno quæ parentur res venenatæ.

Sal ejus in uteri affectibus mira præſtat. Stannum, ut paulò ante diximus, *Iovem* vocant *Chimici*, ſed ex eo nulla fit venenata materia, nec eo in medicamentis utimur. Et cum ſtannum nil ſit aliud, quam plumbum album, nunc de plumbo nobis dicendum erit.

Ex Plumbo quæ fiant materiæ venenatæ.

Plumbum & *Chimici* & *Aſtrologi* Saturno conſecrarunt, ex quo arte Chimicâ utiliſſima remedia & extra corpus adhibenda parantur; quæ ſi intra corpus aſſumantur, venena ſunt. Ejus autem generis ſunt *plumbum uſtum, ceruſſa alba, minium, ocra*, de quibus ordine ſigillatim differemus.

non quidem ritè parata, & cum ratione exhibita, venenata ſunt plumbea, ſed ſæpè aurea fiunt.

Plumbum uſtum quid, quæ inferat ſymptomata, & quibus remediis curanda.

Μόλυβδος κεκαυμένος nil eſt aliud quàm plumbum adurendo converſum in cinerem. Fit autem *plumbum uſtum*, ſi ejus laminæ in crudo fictili poſitæ, & in figulinam fornacem collocatæ adurantur, donec vaſa fictilia exactè ſunt cocta. *Plumbum uſtum.* Ejus in Medicinis hodie nullus eſt uſus; ſi tamen abluatur, & in ſordida ulcera inſpergatur, ea aſtringit & exſiccat. Figuli utuntur ad oblinienda ſive vitreanda ſua fictilia. *Prodeſt, & in ophthalmiis.* Si plumbum uſtum per imprudentiam intra corpus ſumatur, infert ſymptomata lithargyrii; videlicet ſuffocationem, & iiſdem remediis curantur: ideò ex lithargyrii ſymptomatibus remedia ſunt petenda. Ejus tamen antidotum eſt *Theriaca Androm*: ʒ *ij. cum vino generoſo*.

Ceruſa quid, quomodo paranda, quæ ejus vires, quæ inferat ſymptomata, & quibus remediis curanda.

Ceruſſa foris applicata refrigerat, exiccat, & poros obſtruit; ideo unguentis & emplaſtris Chirurgicis admiſcetur, & pictoribus familiaris eſt. *Ceruſſa.* *Ejus uſus merè externus.* Fit autem Ceruſſa ex laminis plumbi ſuper vaporem & exhalationem aceti acerrimi in olla ampla vitreata poſitis, ita ut acetum minimè attingat, ſed tantum à vapore aceti ſubinde feriatur; olla verò cooperienda eſt ea lamina, ne ejus vapor exhalet, & deponenda eſt in calidum cinerem, poſt 14. dies adhærebit laminis à vapore aceti candidiſſima materia, quæ leporino pede detergatur ac colligatur. Laminæ autem rurſum vapori aceti imponantur, donec ſufficiens quantitas Ceruſæ ſit collecta. Intra corpus aſſumpta ceruſſa hæc infert ſymptomata, ſingultum, faucium & linguæ ariditatem, anhelitus difficultatem, præcordiorum tumorem, ſtrangulationem, artuum frigiditatem, totius corporis torporem, mentis commotionem. *Noxa ab interno uſu.*

CURATIO tentanda eſt valida evo

 mitione

mitione & *acribus clysteriis*, assumpta prius *aqua calida, in qua ficus & malvæ radices sunt incocta, & ol. irinum sit admixtum*; clysteri admisceantur scammoneata remedia; quale est *Diaphænicon & ol: Costinum cum decocto Centaur. min: & card. Bened.* Deinde offeratur *lac* potandum *recens* mulctum. Antidotum cerusæ erit *ol. angelicæ* ℥ ß. *aut ol: Vitrioli gut. viij. & Theriaca Androm*: ℥ ij. *cum vino generoso.*

Minium. *Minium ex Plumbo quid, quæ inferat symptomata, & quibus curanda remediis.*

Minium ex plumbo est color rubeus ex plumbo usto confectus; Pictoribus familiaris, quem nostras Mennige vocant. Differt plurimum à veterum Minio, quod minerale est è montibus erutum, ex quo argentum vivum paratur; sed nobis hodie ignotum. Falluntur meo judicio qui *in Bucolicis Virgilii*, ubi canit: *Sponte sua sandix pascentes vestiet agnos*: Sandicem pro minio usitato interpretantur; nunquam enim quispiam vel vellera, vel lanas ovium extinguere vidit: Ideo Sandicem aut flores, aut radices cujusdam herbæ tempore *Virgilii* sic vocatæ, quales sunt *radices rubeæ tinctorum*, quibus pannifices purpureo colore suos pannos tingunt, esse crediderim. Minium nostrum ex plumbo cum sale calcinato aut ex cerussa adusta fit, quod in olla in validum ignem collocatur, & continua agitatione cum ferreo bacillo uritur, donec rubeum assequatur colorem. Minium imprudenter intra corpus assumptum, eadem infert symptomata, quæ *lithargyrium*, aut *cerusa*, & iisdem remediis curantur; quæ ex superioribus peti debent. Peculiariter autem veneno minii adversatur tempestiva vomitio *ex decocto sem: rapæ & butyro recenti confecto*, aut *ol. anethino & clystere ex decocto rad. malvæ & gran. Iuniperi cum oleo anethi confectum*. Antidoti loco exhiberi possunt *Theriaca Androm.* ℥ ij vel *ol: Vitrioli* ℈ ß. aut corall: rub: præparat: ℥ j.

Locus Virgilii explicatur.

Minii tinctura cum aceto facta præsentem fert opem excrescentiis gingivarum.

Minium Luteum ex plumbo usto quid, quæ inferat symptomata, & quibus remediis curanda.

Minium flavum, Pictoribus nostris Bleygelb nominatur. Fit autem ex plumbo in cinerem converso simili ratione, ut minium rubeum, sed paulò languidiori igne torretur in olla subinde agitando: donec flavum seu luteum consequatur colorem. Nam si ulterius & violentius uratur; Minii rubei colorem imbuit. Assumptum, eadem quæ *minium* vel *lithargyrium*, infert symptomata, & iisdem remediis curatio est tentanda. *Confectio.*

Ex Argento vivo per præparationem quæ conficiantur venenata Pharmaca?

Argentum vivum, ὑδράργυρος *Græcis*, ab aqua & argento nomen habet: Colore enim argentum imitatur, & consistentia instar aquæ fluidum est, & non nisi in alienis terminis contineri potest: Quemadmodum & aqua, & quælibet ejus minima particula instar aquæ, sphærica est & rotunda. Ideò quidam Chimicorum argentum vivum aquam siccam vocitant. Parantur ex argento vivo arte Chimica & utilissimæ & longè perniciosæ res, ex quibus tres sunt præcipuæ: *argentum vivum sublimatum*, *argentum vivum præcipitatum vel Mercurius*; & *Cinabrium*; de quibus sigillatim nunc tractabimus.

Aqua Chimicorum sicca.

Argentum vivum sublimatum, sive Mercurius sublimatus quid; quæ ejus symptomata, & quomodo eorum curatio tentanda. *Mercurius Sublimatus.*

Argentum vivum sublimatum sursum delatum sive exaltatum, Chimicis *Mercurius Sublimatus*, Rottenkrudt / & nihil est aliud, quàm argentum vivum, violentia ignis in vitrea cucurbita in sublime coactum, fixum & condensatum, quod hac ratione paratur: Argentum vivum cum sale in lapideo mortario diu multumque subigitur, subinde sale sordido & nigrefacto permutato. Tandem ita purgatum argentum vivum rursum cum aliqua *Confectio ejus.*

parte

parte *salis* & *Calchanti* sive *Vitrioli* permiscetur, & in vitream cucurbitam luto Chimico incrustam imponitur, ejusque vitri osculum galea sive capitello vitreo rostro carente, quod Chimici *caecum alembicum* vocant, imponitur, & clauditur, eaque in furno ascensorio inter candentes prunas collocatur, & valido igne urgetur, donec omne argentum vivum in sublime elevetur, in capitellum sive galeam deferatur, ejusque parieti instar crystalli niveique candoris adhæreat, atque condensatum accrescat. Hic *sublimatus Mercurius* causticæ & instar ignis adurentis est naturæ, adeo ut suo contactu, sive foris applicetur corpori; sive intra corpus sumatur, non tantum partes omnes usque ad ossa adurat, corrumpat, & putrefaciat, sed & ferro cum aliquo liquore illitus, ipsum erodat & absumat. Est itaque argentum vivum sublimatum omnium rerum venenatarum penetrantissimum, pernitiosissimum & immedicabile: habet tamen & ipsum suam in Chirurgia utilitatem. Nam si ejus quantitate nucis avellanæ in *aq. Rosarum* ℥ *vj vel plantaginis, in qua semina Psylii sunt macerata*, resolvatur, & foris serpigini, lichenibus & pustulis ex *Gallica lue* ortis, illiniatur, eas exiccando, & pruriginem tollendo, facilè persanat. Intra corpus autem vel tantillum ejus assumptum, statim ventriculi & intestinorum tunicas erodit, & corrumpit, inflammationem intumescentiamque linguæ & faucium infert, ac paulo post cruoris per alvum effusionem; pòst miseram mortem inducit. Hujus venenatæ rei symptomata immedicabilia ferè sunt, nisi post assumptionem (antequam materia veneni membranas penetravit) ejus substantia evomatur, hausto *ol. rosarum*, ac deinde ejus virulenta erosio *lactis caprilli potione, in quo semina psylii sunt macerata, & multa butyri recentis esitatione frænetur.*

Natura Sublimati.

Sublimatus toxicorum potentissimus.

Usus in Chirurgia.

Curatio ab usu Sublimati.

Mercurius præcipitatus, quid, quomodo parandus; quæ ejus vires; quæ inferat symptomata, & quibus curanda remediis.

Mercurius præcipitatus.

Argentum vivum, sive *Mercurius præcipitatus*, est pulvis crocei coloris ex argento vivo per aquam fortem mortificato, ac tandem calcinato confectus. Hujus pulveris sive Mercurii præcipitati usus introductus est longe ante tempora *Paracelsi*, circa annum Christi 1494. cum primum *lues Gallica* inter homines sævire cœpisset; tum enim ad ejus mali sævitiam profligandam, quod novus esset morbus, nullum extabat remedium, excepto argento vivo, quod inunctionibus miscebatur, & in pulverem forti aqua redactum intrà corpus exhibebatur; cujus venenata qualitate plurimi in discrimen vitæ, & ipsa morte acerbiora symptomata, præcipitabantur. Verùm postea tandem, industriâ Medicorum, & alia magis salutaria remedia inventa fuere; & circa annum *Incarnationis Dei* 1532, commodior ratio *Præparandi* & *præcipitandi* Mercurii à *Paracelso* est inventa, qui etsi *impius magus, & affectatæ obscuritatis homo* fuerit, tamen constat ipsum in *arte Chimica* præstantissimum fuisse artificem. Possunt itaque ex ejus obscuritatibus quædam præclara remedia granis auri similia ex stercore colligi, si quis attentius ejus legat & observet scripta, & se in præparationibus Chimicis studiosè exerceat. Pulverem autem hunc præcipitatum *Paracelsus* ipse, ut hominibus celaret, suo modo ignoto vocabulo *Thurpetum minerale* nominavit, quem hac ratione parare docuit: Accipiatur argenti vivi pro arbitrio q. s. quod ab omni sorde studiosè purgetur, cum sale communi, diu multumque in lapideo mortario subigendo & conterendo, sale impuro & nigricante subinde cum recenti ac puro permutando. Postea affusa aqua calida pluries colluatur, huic puro argento vivo singulis ejus ℥ j auri puri, aut foliorum ʒ j. admisceatur, & in vitream cucurbitam imponatur, superindaturque aqua fortis

Ortus ejus, & usus.

Præcipitatus præcipitat in mortem.

Turbith minerale.

ejus præparatio.

 quan-

Aurum hoc si non ægroto, tamen præparanti prodest.

quantum sufficit, & in tepido loco collocata cucurbita, simul macerentur, donec argentum vivum omne in liquorem sit resolutum. Tandem vitreæ cucurbitæ galea rostrata vitrea imponatur, & aqua fortis omnis in ferventi arena destillando subtrahatur, & argentum vivum una cum auro in tegula aurificum imponatur, & in patenti loco inter prunas candentes collocetur, tegula argentum vivum baculo ferreo continuè agitando ac calcinando, donec in croceum convertatur Pulverem. Postea idem pulvis iterum in vitream cucurbitam imponatur, denuò aq. fortis affundatur, ac per noctem maceretur, denuoque destillando aq. fortis subtrahatur, & adhuc tepido existente argento vivo, in pateram vitream aquâ frigidâ plenam infundatur: Ita aurum subsidebit in fundo pateræ, quod à reliqua massa argenti vivi separetur, ac singulæ tam aurum quàm argentum vivum seorsim iterum denuo calcinentur in tegula aurificum, & pulvis rubens in cucurbitam novam indatur, & q. s. fortissimi vini sublimati sive spiritus vini affundatur, & per noctem maceretur, deinde destillando subtrahatur, pulvisque tam auri quàm argenti in tegula denuò calcinetur; hæcque calcinatio & maceratio novies ad minimum reïteretur: ea enim ratione cum ex auro, tum ex *Mercurio præcipitato* per vinum sublimatum, omnis venenata qualitas extrahitur: Postremò pulvis Mercurii præcipitatus crocei coloris reservetur in usum, qui, ut diximus, Paracelso *Turbith minerale* vocatur; aurum similiter seorsim conservetur, quod Paracelsus *aurum* vocat *diaphoreticum*; dosis exhibendi utriusque est à gr. iij. ad ℈ s. Exhibentur autem commixta *pulpæ cassiæ* ℥ j, aut ℥ j *conservæ rosarum*: Aurum diaphoreticum per sudorem, Mercurius autem præcipitatus per supernam & infernam evacuationem satis violentam, omnes putridos humores venenatamque colluviem extirpat. Nobilissima est medicina in curationibus deploratorum morborum, ve-

Vires & laudes.

luti sunt, lepra, Morbus Gallicus, continuus capitis dolor, epilepsia, cachexia, Phagedenici tumores, ulcera sordida, & omnis generis vulnera. Cavendum tamen est Medico, ne viribus resolutis hisce remediis utatur, sed viribus consistentibus, & in corporibus robustis. Pulvis præcipitatus si non satis probè sit præparatus, aut non justa mensura exhibeatur, symptomata infert argenti vivi; potissimum autem putridæ salivæ ex ore continuam effluxionem, & dentium vacillationem, membrorumque tremorem. Hæc symptomata curari possunt *decocto rad. Chinæ aut Sarmenti Indici*, cujus præparandi & utendi rationem ex curatione *morbi Gallici* superius à nobis traditam petere licet. Quia verò in præcipitatione argenti vivi nunc facta est mentio *aquæ fortis*, quæ tota sua substantia venenata est, nimimè eam prætereundam ducimus.

Cautela.

Noxa præposteri usus.

Curatio symptomatum.

Aqua fortis quid, quæ parandi ratio, quæ inferat symptomata, & quomodo curanda.

Aqua fortis.

ὕδωρ βίαιον, Aqua fortis & violenta, quæ à Chimicis aqua regia sive regalis, & aqua *separationis*, nostris Scheidewasser inde nominatur, quod per eam impura à puris separentur, adeò violenta est, ut omne metallum in eam conjectum in liquorem resolvat; ideò *Chimici* sua remedia, mediante aqua forti & calcinatione præparant. Paratur autem aqua fortis hac ratione: Accipiantur *Calchanti* vel *Vitrioli* in olla nova cremati sive calcinati *aluminis* & *salis nitri non calcinati*, omnium *partibus æqualibus*, ut ad minimum ℔ ij, quæ simul pulverisata in vitream cucurbitam, aut densum fictile cucurbitæ forma, cujus collum nonnihil intortum sit, quod luto Chimico probè incrustetur, in quod imponantur pulveres, & in furnum reverberatorium vocatum transversim collocetur. Oportet autem cucurbitæ dimidiam partem vacuam relinquere, ejus autem orificia extrà fornacem prominenti capacissimum vitrum

Aqua regia fit cum aq. forti additur sal ammoniacum.

Præparatio ejus.

vitrum subjiciatur, & luto Chimico amborum orificia conglutinentur, deinde subjiciatur initiò lentus ignis, ipsum magis magisque augendo, eousque donec vitrum recipiens instar flammæ candescat, semper ignem continuando, donec vas vel vitrum recipiens per se iterum inclarescat, perspicuumque reddatur, tandem subducto paulatim igne, & furnus & vasa destillatoria per se sensim refrigerari permittantur; & ex recipiente, liquor omnis seu aqua fortis in aliam vitream cucurbitam infundatur, ac probè *luto Chimico* obturetur, obsigneturque, & ad usum reservetur. Hac aqua forti, varia præparari possunt ex metallis remedia, quæ sanè intra corpus non temere sunt exhibenda, nisi prius per crebras calcinationes & ablutiones omnis venenata qualitas ab eis sit abstracta & separata. Quemadmodum de *Mercurio præcipitato* fieri docuimus. Si quis enim non exactè à veneno separatum remedium Chimicum; sive sit ex auro, sive ex argento, sive ex Mercurio, aut aquam fortem per se exhibuerit, infert corporibus perniciosa & immedicabilia symptomata, quæ de Mercurio sublimato commemorata sunt. Statim enim violenta sua penetrandi vi instar ignis, ventriculi, intestinorum, fauciumque & linguæ tunicas erodit, corrumpit & putrefacit. Si quis curationem tentare voluerit, per ea remedia curari potest, quæ de *Mercurio sublimato* proposuimus. Prædicta tamen remedia, & ipsa quoque aqua fortis in externarum partium vitiis curandis, suum habent usum, quem nos in *nostra Iatrochimia* docebimus.

Cinabrium quid, qua ratione conficiatur, quæ inferat symptomata, & quibus curanda remediis.

Cinabaris. Non procul Marpurgo in Hassia minera nativi Cinabaris se aperit.

Cinabaris, officinis *Cinabrium*. Longè autem diversa res est Cinabaris veterum, quod fossile & nativum est, & nemini hoc tempore notum. Nostrum verò Cinabrium factitium est. Sunt tamen inter eruditos, qui arbitrantur *Cinabrium veterum esse* rubicundissimum succum, qui in myropoliis *sanguis Draconis* nominatur. Quàm verò rectè, viderint ipsi. Cinabrium autem, usitatum hoc seculo & Medicis & Pictoribus, hac ratione conficitur: Argentum vivum mortificatur primò, sive dissolvitur in vitro cum aqua forti, aut resolvitur etiam sine aqua forti violentiâ ignis, addito *Sulphuris & Salis partibus æqualibus*. Ex quibus calcinatis, niger pulvis producitur. Qui si cucurbitæ vitreæ imponatur, & huic galea sine rostro vel aliud vitrum superponatur, & luto Chimico conglutinetur, validoque igne sublimetur in superius vitrum, sive *cæcum alembicum*, materia cinabrii & instar lapidis hæmatitis adhærescit & condensatur; fitque cinobrium factivum, & Pictoribus & Chirurgicis Medicis utile remedium. Vtuntur autem ejus suffitu in curandis ulceribus certarum partium *ex lue Gallica* contractis. Etsi enim fumus acerbissimos dolores partium sedat, atque ulcera consolidat, tamen deinde longè acerbiora infert symptomata; quemadmodum de argento vivo diximus. Vtendi autem ejus ratio hæc est: ℞. *Cinabaris* ℥ j. *Thuris, ligni aloës, myrrhæ, Ladani ana* ℥ ij *Bac. Lauri* ℥ ß. Ex quibus omnibus pulverisatis formentur pastilli, quorum unus & alter injiciatur carbonibus ignitis in vase sive dolio, in quo partes ulceratæ sunt collocatæ & probè contectæ, & eo usque fumo horum macerentur donec probè sudare incipiant.

Error quorundam. Præparatio ejus.

Usus externus.

Mineralia quid sint, & quæ ex eis præcipuè venenata.

Hactenus docuimus de Metallis, & ex eis arte paratis venenatis rebus; nunc de mineris sive mineralibus primariis, & ex illis provenientibus venenatis rebus, dicendum est. *Exceptis septem metallis, omnia quæ ex visceribus terræ eruuntur, inter mineralia numerari debent*; quæ juxta *Chimicos* ex iisdem principiis, *Sale* videlicet, *Sulphure & Mercurio*, atque *ex spiritibus in illis contentis* generantur, quæ sanè 4 prin-

Quatuor elementa.

eum Chimicorum principiis conveniunt. principia, si *Chimici* non præstigiis luderent, juxta veterum *Philosophorum* sententiam, nihil aliud sunt quam 4. Elementa. *Sulphur* enim quid aliud est quam ignis; & *Mercurius* quid aliud quam aqua; *Sal* autem terrestrior pars est omnium rerum; & *spiritus* aëri respondet. Mineralia itaque omnia ex Sulphure & argento vivo, sed impurissimis, neque probè mixtis, & à natura non satis concoctis, constant: *Differentia inter metalla & mineralia.* Differunt à metallis, quod metalla in igne liquescunt, & malleorum percussione ductibilia fiunt: Mineralia verò etiamsi in igne liquefiant, tamen rursum concreta, non, ut metalla, condensantur, sed friabilia sunt, & ictu malleorum non possunt extendi, sed in pulverem rediguntur. Sunt autem præcipua mineralium genera, & ex eis parata Pharmaca, quæ intra corpus sumpta noxam inferre solent, hæc sequentia:

Sulphur.	*Sal Ammoniacum.*
Arsenicum.	*Antimonium.*
Nitrum.	*Gypsum.*
Vitriolum.	*Borax.*
Auripigmentum.	

Calx atque *vitrum*. Quibus nos *ex terra venenatos halitus* annumeramus. De iis itaque sigillatim necessaria tantum proponemus.

Sulphur quid, quæ ex eo parentur remedia, & quas noxas conferant, quibusque remediis curanda.

Sulphur Chimicis duplex. Principium & Principiatum. *Sulphuris* vocabulum *Chimici* bifariàm usurpant, primò pro materiâ primâ, ex cujus purissima portione cum argento vivo puro in visceribus terræ juxta & à natura per multas ætates concocta *aurum* generari tradunt. Ex ejus autem impuriori parte cum impuro argento vivo inæqualiterque commixta & non satis decocta, reliqua impura metalla & mineralia conflari opinantur. Hoc verò sulphur nihil aliud esse ajunt, quam vaporem in visceribus montium excitatum, & in poris venisque terræ concretum, de quo hoc loco non disputamus. Secundo usurpatur Sulphuris vocabulum pro fœtido illo Sulphure, quo & Medici & Chimici creberrimè utuntur, & sua parant Pharmaca: cujus fœtidi Sulphuris tres species, seu potius partes in Myropoliis prostant: *Tres sulphuris species.* *Sulphur nativum* sive vivum, & non est aliud quam minera Sulphuris. *Sulphur vivum, Coctum, Nigrum.* *Sulphur coctum* sive defæcatum Citrini coloris, quod ex superiori arte excoctum est; & *Sulphur caballinum* sive *nigrum*, quod non est aliud quàm sulphuris vivi, inter excoquendum Sulphur Citrinum, excrementum. Multas præclaras vires & Medicas facultates *Dioscorides* & *Galenus* Sulphuri attribuunt, & intra extraque corpus applicare docent. Et *Dioscorides* quidem dicit, Sulphur impensius calefacere & exsiccare, prodesseque tussientibus & difficultate respirationis laborantibus cum vino intra corpus sumptum: *Vires Sulphuris.* Foris autem persanare lepras, *Usus externus.* scabies & pruritus cutis, conferreque Scorpionum ictibus, & erumpentes sudores prohibere; atque suffitum ejus in aurem demissum, gravitatem auditus tollere. *Galenus* adjicit, se experientia comperisse, Sulphur venenatorum animalium morsibus & punctionibus salutare esse remedium, si ejus pulvis cum saliva jejuna in unguenti formam redactus, aut cum urina maceratus, vulnusculis illiniatur infriceturque. Verum sulphur, ut experientia docet, nisi probè *arte Chimica* præparetur, & etiam præparatum cum judicio intra corpus exhibeatur, facilè noxam infert. Et vidimus nos hac tempestate, sententia *Dioscoridis* perperam intellecta, *Intempestivus Sulphuris usus nocivus.* quosdam *Chimicos flor Sulphuris & ol. sulphuris phthisicis* vehementer tussientibus & difficultate respirationis laborantibus exhibuisse, eosque brevi tempore interemisse. *Dioscorides* enim de tussi & difficili respiratione loquitur, quæ ex frigida colluvie pulmones obstruente originem habet, *Quibus tussientibus sulphur propinandum.* & non phthisicorum tussi, qui una cum phthisi semper affliguntur hectica febre; *Phisicis* itaque *florem aut ol.* ♀ *exhibere*, *est*

ignem

ignem igni addere. Caute itaque & summa cum prudentia. & non nisi recte præparatum sulphur debet intra corpus administrari. Fiunt autem arte Chimica ex Sulphure tria remediorum genera, *aqua sulph. flos Sulphuris & ol. Sulphuris.*

Aqua & flos sulphuris.

Aqua & flos Sulphuris quomodo paranda, & quæ eorum utilitates.

Excocti sulphuris & præparati usus in medicina potior.

Sulphuris citrini & arte excocti potissima in arte medica usurpatio; quod tamen citra præparationem & purificationem intra corpus tuto exhiberi nequit. Præparatio autem ejus fit per calcinationem & ablutionem. Et aqua quidem ex Sulphure materia siccissima exigua elici potest. Ideò pulvisculi sulphuris præparati crebrior est usus quàm vel aquæ & olei ejus. Aqua autem & flores una operatione confici possunt. Accipiatur itaque sulphuris Citrini, puri & in tenuissimum pulverem redacti pro arbitrio q. s. Imponaturque in vitream cucurbitam luto Chimico, quod *lutum sapientiæ* vocant, oblinitam, cui galea rostrata imponatur, & in ferventi arena furni ascensorii valido igne urgeatur; & in initio quidem profluet aquosus liquor, qui etsi exiguus sit, tamen in vitro recipiente colligendus erit & reservandus. Est enim utile remedium ad ἀχῶρες, i. e. ulcera madentia puerorum eo confricata, & ad quamlibet scabiem, cutisque pruritum Morsus quoque & ictus venenatorum animantium illitus persanat.

Sic utilissima aqua illa stillatitia est in lumbricis.

Aq. Usus. Tandem remoto vitro recipiente *cum aq.* Sulphuris obstruatur rostrum galeæ luto Chimico, ne quid vaporis exire queat, vel refrigeratorio vitro galea cæca imponatur; & validiori igne sublimetur Sulphur. Ascendit enim ex Sulphure vapor siccus, qui parietibus galeæ instar fuliginis adhæret; & condensatur in materiam citrini vel aurei coloris, quæ *flos* dicitur Sulphuris, vel sulphur *sublimatum* vocatur: Talis autem sublimatio sive destillatio *fl. sulphuris* ter quaterve repeti debet; eo enim redditur purior ac præstantior. Ut autem ejusmodi sublimatum Sulphur omnem fœtorem deponat; in pulverem redigendum, in vitrum novum reponendum, & in q. s. *vini destillati* sive ardentis, aut *in aq. Iuniperi per ascensum destillata* in loco tepido per triduum macerentur, ac rursum in arena destillandum, liquor omnis à flore subtrahendus; idque ter vel quater repetatur, ac postremò flos sulphuris tenuissimè pulverisandus, & in vitro ad usum conservandus.

Flos quomodo parandus.

Usus & vires. Utilissimus autem est in arte Medica hic flos sulphuris ad colluviem pituitosam exiccandam & extenuandam in thorace collectam, & ex ea generatam tussim. Ulcera quoque in thorace excitata sanat, atque crassos vapores pulmonum arterias obstruentes, & difficultatem respirationis inducentes discutit & exiccat. Foris autem venenatorum ictuum ulcuscula persanat, & unguentis ad scabiem commodissimè misceri potest. *Dosis.* Dosis ejus intra corpus est à ℈ j. ad ʒ j. *Cautio.* Cavendum tamen ne tabescentibus & marcore affectis, aut febre hectica laborantibus intra corpus exhibeatur.

Oleum Sulphuris.

Oleum ex Sulphure, qua ratione paretur, & quæ ejus utilitas.

Chimici variis modis præparant *Ol. Sulphuris*, quorum nos tres tantum breviter subjiciemus. *Primus præparandi modus.* Primus est: Flos sulphuris præscripta ratione confectus, & ter quaterve sublimatus, si in pulverem redigatur, & in vesicam bovillam imponatur, & in tepida aqua sive balneo Mariæ per octiduum maceretur, sua sponte in pinguem liquorem resolvitur, qui ol. Sulphuris merito vocari potest: Et easdem habet vires & utilitates, quas de flor. Sulphuris recensuimus. Dosis ejus est à ℈ j. ad ʒ j. *cum vino aut aqua hyssopi.* *Secundus.* Secundus modus est: Accipiatur Sulphuris citrini puri & tenuissimè pulverisati q. s. cui tantum ol. olivarum admisceatur, ut inter se mixta pultis formam acquirant, quæ deinde in cucurbitulam vitream conjiciantur, & imposita rostratâ galeâ in ferventi arena destillentur, & ol. per destillationem

extractum ad usum conservetur. Utile ad scabiei genera omnia & cum aq. plantaginis mixtum linteolisque duplicatis exceptum, & ulceribus sordidis impositum, ea praeclarè abstergit & persanat. Intra corpus verò minimè exhibetur. Tertius modus ita habet; Accipiant pulveris Citrini ℥ vj. & vitreae cucurbitae imponantur, eisdemque affundatur aqua fortis ea mensura ut supra, sulphur 4. digitorum latitudine superet, & innatet cum aqua; Sulphur probè commisceatur macereturque per diem & noctem saepe commiscendo & agitando. Tandem destillentur in ferventi arena donec omnis aqua fortis à sulphure subtrahatur, subtractaque aqua rursus in ipsum sulphur in fundo vitri relictum affundatur, & denuo maceretur ac destilletur priori modo, idque ter quaterque reiteretur. Postremò calx sulphuris eximatur, pulverisata in vitream patellam reponatur, & in humido loco collocetur, ubi sensim in ol. resolvatur. Hoc oleum sulphuris tanquam perniciosum venenum, intra corpus minimè exhibendum erit. Utilitates tamen ejus sunt, si foris linteolis exceptum imponatur, verrucas tollit, haemorrhoïdum fluores compescit; Ficus, i. e. tumores in anu genitos persanat, carnem in vulneribus succrescentem extirpat, & suo confrictu dentes reddit candidos. Sulphur porrò non praeparatum, aut ultra justam mensuram intra totum corpus sumptum, sua extrema siccitate epar & ventriculum torrefacit, linguae ariditatem infert, ac postremò totum corpus in marcorem conjicit.

Usus secundi. *Tertius.* *Usus externus in verrucis & haemorrhoïdibus.* *Noxae ab sinistro usu.*

Curatio. CURATIO horum symptomatum est continua sulphuris evomitio, oleo prius violaceo cum aqua tepida mixto assumpto, & crebra potitatio *Syrupi è succo granatorum, aut citrorum acidorum cum aqua plantaginis mixti.* Utile quoque est *cremorem ptisanae hordeaceae & lac acidum* crebrò gustare. Antidotum Sulphuris est ʒj *Crystalli praeparati cum lacte exhibita*, *aut* ʒ ij *Lemniae terrae, aut* ℥ ß. *mucag. sem. Citoniorum cum aq. rosarum facta.*

Antimonium quid, & quae ex eo eliciantur remedia.

Antimonium. Stibium, Chimicis & Officinis *Antimonium*, Germanicè Spießglas / est minera plumbi & colorem & ponderis gravitatem referens, & in igne ut plumbum liquescens; intus argenti splendoris venulis nitens. Fuliginosa fumosaque Philosophorum familia, (se enim solos Philosophos esse gloriantur Chimici) reconditam suam sapientiam & medendi artem circa remedia arte Chimica ex 4. potissimis fossilibus elicita ostentant & praedicant, *auro, argento vivo, antimonio, & chalchanto* sive *vitriolo.* Ea autem metallica remedia ex mera invidia impropriis & peregrinis nominibus celandi gratia ornant, & *quintas essentias, tincturas, arcana, magisteria, balsamum, elexiria & spiritus* vocitant, quae revera nihil aliud sunt, quàm corporum formae substantiales, sive, ut saniores Philosophi vocant, humiditates radicales sive primogeniae, spiritu & calore perfusae, & ipsa creatione, per omnium corporum substantias diffusa, *in qua humiditate latentes rerum vires continentur, & ejus beneficio omnia corpora cohaerent, vivunt, vegetantur ac conservantur.* Hanc ipsam coelestem ac divinam humiditatem è corporibus violentia ignis elicere, & ab omnibus elementaribus partibus separare se posse, gloriantur Chimici. Et esset sanè ejusmodi Medicina in persanandis magnis ac difficillimis morbis tanquam Dei manus potentissima & efficacissima, si ejus praeparario tam esset facilis, ut est impudens jactatio Chimicorum? qui omnes quidem se artem eliciendi *quintas essentias* nosse gloriantur, & tamen vix eorum millesimus vel liquores elementares producere, aut eos à venenatis qualitatibus separare novit; & longè etiam pauciores sunt, qui ea remedia habita ratione aetatis, temperamenti, virium, & morborum, ritè & tempestivè exhibere sine

Praeconia Paracelsist. haec quidem nulla injuria, si à peritis fit, praedicantur. Vocabula artificum arbitriis subjecta: *Seculum quo vixit, autorem excusat.*

ſine noxa poſſint; id quod quotidiana conteſtatur experientia, metallicis rebus intra corpus exhibitis plures interire, quàm ſanitati reſtitui. Sedula itaque circumſpectione opus eſt omnibus ſanitatis ſtudioſis, ac potiſſimum Illuſtribus viris, ne *Chimicorum auro potabili*, aut pulvere *argenti vivi præcipitati*, quem illi *Turbith minerale* atque *Mercurium Diaphoreticum* vocant, aut *vitro Stibii ſive Antimonii*, aut *ol. Chalcanti* intra corpus utantur, niſi certò ſciant ea à peritiſſimo artifice eſſe præparata, & à tali Medico exhibeantur, qui in Phyſiologia & omnibus partibus artis Medicæ Hippocraticæ ſit exercitatiſſimus. Stibio ſive Antimonio tantam efficaciam tribuunt Paracelſi aſſeclæ, quantam vix humana ratio explicare queat. Aſſerunt enim Antimonii facultates à prima rerum conditione uſque ad hoc ſeculum integras incorruptasque manſiſſe, ideoque *Antimonium* arte Chimica in ſui primam materiam redactum & exhibitum, cujuscunque morbi malitiam facile abſumere, & corpora impura pura reddere, ut ad ſummam perfectamque ſanitatem nihil omnino deſiderari poſſit. O generoſum & planè divinum remedium ſi ita eſſet, ut illi prædicant. Quid enim amplius opus eſſet uſu & experientia artem Medicam addiſcere, ſi unico remedio *Antimonii* omnes morbi tolli poſſent? Sed ad inſtitutum redeam. Ex ſtibio ſive Antimonio tres remedii ſpecies forma differentes arte Chimica præparantur: *Vitrum Antimonii, tinctura ſeu eſſentia Antimonii, & oleum Antimonii.*

Antimonium nemo propinet, niſi qui didicit.

Vitrum Antimonii. Paracelſi ſcripta cur avellenda.

Vitrum Antimonii qua ratione conficiendum, & qui ejus effectus ſeu facultates.

Virgilius interrogatus cur obſcura Ennii Poëtæ legeret Poëmata, reſpondit ſe ex illius ſcriptis aurum tanquam è ſtercore colligere. Ita Medici debent ſedulò legere barbara & obſcura ſcripta Paracelſi, ſunt enim in eis tanquam floſculi inter ſpinas utiliſſimæ res diſperſæ, ex quorum numero eſt, *Vitrum Antimonii*, quod ſoli Paracelſo acceptum ferre debemus, qui etſi fuerit homo maledicentiſſimus, tamen iniquum, ipſum meritâ laude in earum inventione defraudare, qui Antimonii vitrum hac ratione parare docet: Accipiatur *Stibii puri & oblongis linteolis micantibus, ſcintillantis*, ℔ j. quod in pulverem redactum novo fictili non vitreato imponatur, & in furno calcinatorio ſuper laterem collocetur in loco libero & perſpirabili, admotis undique carbonibus incenſis, & primo lento igne, deinde validiori liquefiat, & calcinetur Antimonium, & ſubinde (averſa facie, ne fumus in nares aut faciem irrepat Antimonii) ferrea & oblonga ſpatula liquefactum verſetur ac ſubigatur, donec univerſum in glebas concreſcat; quod ubi factum eſt, ex igne exceptum Antimonium & refrigeratum, denuo in pulverem redigatur, priorique modo in aliam novam ollam ſive fictile impoſitum calcinetur, priorique modo ferreo ſtylo agitetur, donec iterum in glebas coëat: & talis calcinatio & reiterata pulveriſatio toties perficiatur, donec *antimonium* nullum fumum exhalet, nec tetrum odorem ſpiret, nec amplius in glebas concreſcat, ſed pulvis cinericei aut albi, aut crocei coloris remaneat. *Hujus calcinati Antimonii pulveris accipiantur* ℥ *vj. Pul. Antimon. crudi & ſemel tantum, ut viroſus ejus fumus exhalet liquefacti, & rurſus in pulverem redacti* ℥ *j. & pul. Chryſocollæ ſive Boracis* ℥ *j.* quæ ſimul contrita & commiſta in tegulam fuſoriam aurificum imponantur, & in furno calcinatorio liquefiant inſtar plumbi liquefacti, & eouſque coquantur, donec extremitati ferreæ ſpatulæ liquefacto Antimonio immiſſæ, Antimonium adhæreat; quod refrigeratum, & lapidi aut ferro illiſum, inſtar vitri frangatur, & politiſſimi Rubini gemmæ colorem diaphanum conſequatur: tum ex igne detractum ſuper marmore, aut lapide polito inſtar teſſerarum aut paſtillorum rotundorum adhuc tepens cum ferrea ſpatula projiciatur; idque

Hic præparandi modus exolevit ob boracis virulentiam: parandum igitur per ſe ſine additamento.

gemma aut vitrum Antimonii nominari poteſt. Quod ratione crudi Antimonii & Boracis, quod prius calcinato ſtibio admiſcetur, multis Medicis ſubjectum eſt; alias ſanè præclariſſimas hoc Vitrum habet facultates, præcipuè purgatorias; & gratiſſimum eſt remedium propter ejus exiguam doſin: Ejus enim tria grana in mediocribus corporibus, & quinque in robuſtioribus, validiſſimè utramque bilem & pituitam, omnemque putridorum humorum colluviem & venenatas ſuperfluitates primùm quidem per vomitum, ac deinde per alvum, & quidem ſpatio dimidiæ horæ expurgat, & efficaciſſimè educit. etſi non temere & viribus planè deſtitutis exhibendum hoc remedium ſuaderem: tamen experientia deprehenſum eſt, nobiliſſimas vires habere in perſanandis difficillimis & complicatis morbis, ex venenatis & putreſcentibus humoribus & intemperie ortis. Perſanat enim facilè, ſi prudenter habita ratione ætatis, virium, & naturæ morbi, exhibeatur, diuturnas febres, καχεξίαν, inveteratos capitis dolores, catharros & fluxiones continuas cerebri; præterea etiam pulmones, & ventriculi inflammationem extinguit: cordis palpitationem ſedat, reſpirationis difficultati auxiliatur, ſitim ſedat, & faucium linguæque ariditatem lenit, appetentiam proſtratam reſtituit, fuliginòſas nidoroſasque eructationes compeſcit, peſtilentem contagionem, ſi tempeſtivè exibeatur, expellit, & omnium venenorum malitiam frangit; ſed imprimis præſidio eſt omnibus morbis atrabilariis, ut Melancholiæ hypochondriacæ, Melancholicæ inſaniæ, Epilepſiæ & virulentis ulceribus. Doſis hujus vitri, uti diximus, eſt à gr. iij. ad vij. quæ quantitas, non niſi in robuſtis corporibus cum aliquo liquore exhiberi debet, aut admiſcenda drachmæ uni *Pulpæ Caſſiæ* aut *Conſ. roſarum.*

Doſis. — *Vires.* — *Infuſum ejus ex vino tutius propinatur.*

Tinctura Antimonii.

Tinctura Antimonii quomodo paranda, & quas habeat facultates.

Tincturæ nomen inde ſumptum eſt, quod hoc remedium aſſumptum per ſubſtantiam partium penetret, easque tingat; dicitur *& quinta eſſentia Antimonii*, quæ hac ratione arte Chimica confici poteſt. Accipiatur Stibii puri & rutilantis in pulverem redacti pondus pro arbitrio, & in furno reverberatorio per integrum menſem continuo igne in vitrea cucurbita luto Chimico probè occluſa calcinetur. Deinde rubea maſſa vel calx è vitro eximatur, & in aliam vitream cucurbitam imponatur, eique adfundatur tantum ſpiritus vini liquoris, cujus parandi rationem in noſtra Iatrochimia docebimus, ut liquor palmi latitudinem ſupra calcem Antimonii emineat: quæ ſimul obturata macerentur per menſem in loco tepido indies agitando, deinde in ferventi arena vini ſpiritus ſubtrahatur deſtillando, ſubtractusque liquor ſubinde feci Antimonii ter quaterque infundatur, ac deſtillando ſubtrahatur, poſtremò reſervetur liquor, qui *tinctura Antimonii* dicitur: cujus tincturæ ſolius uſus etiam in minima quantitate, ut guttæ unius, vix tutus eſt; ideoque ut ſine noxa aſſumi & uſurpari queat, conſultum eſt, ut tempore vindemiæ recentis muſti & nondum per eſſerveſcentiam defecati pro arbitrio accepti ſingulis diebus ſive ℥ xvj. admiſceatur, cujus tincturæ ʒ j & permittatur ſimul cum muſto fervere, donec muſtum reſideat, vinumque clarum evadat: quod *vinum Antimonii* nominari poteſt, cujus vires ſunt excellentiſſimæ: Quemadmodum enim Antimonium aurum ab omni ſorde purificat, & in eo aliena metalla abſumit; ita hujus vini ſive tincturæ Antimonii, ſi per menſem omni die ℥ iiij ebibantur, corpus univerſum ab omnibus vitioſis humoribus ac venenatis, omnique intemperie atque obſtructionibus liberat ac purificat, & integram ſanitatem efficaciſſimè reſtituit. Imprimis autem confert leproſis, morbo Gallico & ſcabie laborantibus; & fiſtulas, cancros, lichenas, omniaque vitioſa ulcera perſanat.

Tinctura quidem appellationem præparatio hæc non meretur: nihil aliud eſt quam infuſum. Vera Antimonii tinctura nullam κάθαρσιν, ſed ſolos ſudores ciet.

Vinum Antimonii.

Oleum

Oleum Antimonii quomodo parandum, & ejus facultates.

Variis modis ac rationibus per calcinationem, macerationem, resolutionem, destillationem, aliasque laboriosas operationes elicitur *ol. ex Antimonio*. Præstantiss. remedium, cum ad externas tum internas affectiones, quas in nostra Iatrochimia docebimus. Hoc loco satis erit unum & alterum conficiendi modum breviter proposuisse: Primum itaque accipiatur Antimonii puri & tenuissimè pulverisati q. s. pro arbitrio, quod toties diluatur ac maceretur in aceto destillato, semper acetum immutando, donec omnis color rubeus Antimonii in acetum transeat, nec acetum amplius ab eo tingatur; quo facto illud acetum coloratum simul commixtum, priusque colatum in vitream cucurbitam infundatur, cui galea rostrata imponatur, & in ferventi arena vel cinere destilletur, in qua destillatione primò profluet aquosior pars aceti, deinde exibit mellei coloris liquor, qui pro *ol. Antimonii* conservetur: qui quidem liquor prius per circulationem in vitro pellicano, sive in duobus vitreis cucurbitis cum orificiis suis conglutinatis corrigatur ac rectificetur. Hoc quidem oleum intra corpus exhibere minimè tutum est, cum propter aceti destillati erosivam vim, tum propter Antimonii non satis digesti venenatam naturam. Foris autem & vulnera & ulcera virulenta cum lana xilina exceptum, & eis impositum citissimè & facillimè persanat. Alius modus *Olei Antimonii* eliciendi est similis destillationi *ol. vitrioli*, de quo paulò post, si nimirum accipiantur ℔ 6. *Antimonii* in pulverem redacti, & toties calcinentur in furno calcinatorio, donec in pulverem rubrum redeat, qui in cucurbitam fictilem retortum collum habentem, & luto Chimico incrustatam ponatur, & transversim in reverberatorium furnum collocetur, colloque ejus amplissimo vitrum recipiens vocatum, extra fornacem applicetur & luto Chimico adglutinetur. Deinde igne succenso initiò quidem lente destilletur, donec aquosior pars Antimonii profluat. Tandem liquore aqueo remoto vitrum recipiens immutetur, ac valido fortissimoque igne destillatio urgeatur. Tum enim nihil humoris prodire conspicitur, sed vitrum crasso vapore instar flammæ replebitur, ac ignis quidem violentus tantopere conservetur, & destillatio urgeatur, donec omnis vapor per se in liquorem condensetur, in fundumque vitri recipientis subsideat, ac vitrum rursum inclarescat; quo facto & furnus & vasa omnia sensim per se refrigerari permittantur, refrigerata excipiantur, & liquor Antimonii in aliam vitream cucurbitam transfundatur, eidemque rostrata galea imponatur, & in ferventi arena si quid aquosi humoris oleo insit, subtrahatur, idque quod in fundo remanet, *Ol. antimonii* erit; quod ante ejus usum ita rectificabitur: Si ter aut quater spiritus vini affundatur oleo, & per destillationem in ferventi arena semper iterum subtrahatur. Easdem hoc oleum habet vires & longè præstantiores, quàm quæ in vitro Antimonii sunt commemorata. *Dosis* autem *ij. gutt.* excedere minimè debet, quæ vel cum liquore aliquo, vino nimirum, cerevisia, aut cum *Theriaca Androm.* ℨ *j.* exhiberi potest.

Præparatio.

Huic oleo si ulterior cultura accesserit, virtutibus suis etiam præstantissima remedia vincet.

Antimonium perperam intra corpus ingestum, quæ inferat symptomata, & quibus curanda remediis.

Noxa Antimonii perperam exhibiti. Antimonium intempestivè vel non ritè præparatum intra corpus assumptum, laboriosissimas & vomitiones & alvi dejectiones cum summa angustia infert. Hisce symptomatibus remedio sunt *vini potio*, in quo *Cariophylli contusi & mastix* sunt incocta. Similiter & *cortices Arantiarum conditi*, aut *Cidoniæ conditæ* sæpè esitatæ, conferunt quoque suavia odoramenta cerebrum corque corroborantia. Antidota sunt *guttæ IV. ol. Caryophyll.* cum pauxillo vini assumptæ, & ℨ ij. *Theriacæ Androm.* *Remedia.*

drom. aut ſequens pulvis: ℞ *Pull. Caryophyll. maſticis, cornu cervi uſti ana* ℈ j. Fiat pulvis tenuiſſimus, qui cum *ſucco Citoniorum* exhibeatur. Extrinſecus verò plurimum confert applicuiſſe ventriculo *Emplaſt. de cruſta panis,* cujus faciendi ratio in libris pharmaceuticis extat, aut *lamina panis ſiliginei toſta, & cum vino Cretico, vel alio generoſo conſperſa.*

Vitriolum.

Vitriolum quid, quæ ex eo parentur Chimica remedia.

Χάλκανθον, q. dicas χάλκε ἄνθος, i.e. flos cupri. Quia ut plurimum materia vitrioli in fodinis cupriferis ſive ærariis colligitur & effoditur. Latinis antiquis *atramentum ſutorium,* recentioribus *Vitriolum,* noſtratibus Kupfferwerck vel Kupffer dicitur. *Quid?* Eſt autem vitriolum vapor humidus in cavernis & ſpecubus montium excitatus, & cavernarum parietibus accretus. *Duplex, Album & Viride.* Duplex reperitur vitriolum in montibus, Nativum ſive ſtillatitium, quod in cavernis montium inſtillantibus vaporibus inſtar ſtiriæ concreſcit, colore aluminis ſive glaciei, quod noſtris Weißkupfferrauch dicitur, eoque in ocularibus collyriis utimur. *Cæruleum.* Alterum eſt factitium, quod ex terra è montibus erutum & in glebas congeſtum, inſtar ſalis nitri per macerationem & coctionem conficitur, quod colore aut viride eſt; veluti Vngaricum; aut cæruleum, quale eſt Hiſpanicum. Vitrioli quoque ſpecies, ſed hoc ſeculo ignota eſt, quam Veteres *chalcitida* nominabant, & Theriaces confectioni admiſcebant; *Chalitis ignota.* quam ego quidem ſalvo aliorum judicio nihil aliud eſſe arbitror, quam *Vitriolum factitium*, quod temporis diuturnitate ab aëris ambientis & ſolis irradiatione ac calore in calcem albam convertitur, id enim minus eſt venenatum. Tempore *Dioſcoridis* Vitriolum intra corpus exhibebatur adverſus alvi lumbricos & fungorum venenatorum comeſtionem; *Vſus Empiricus vitrioli.* & nos non ſemel vidimus à vetulis inter ruſticos nucis avellanæ quantitate vitrioli viridis cum aqua tepida contra febrim non ſine felici ſucceſſu exhibitam eſſe. Validiſſimè enim per vomitum pituitoſam colluviem exturbat. Et ipſe poſtea tenuioris fortunæ ruſticis, pituitoſam habentibus conſtitutionem, & quotidiana febri laborantibus feliciter exhibui, ſed ſoleo prius hac ratione præparare; *Vſus rationalis.* ℞ *vitrioli* ℥ *j. & in aqua roſacea reſolvo, aquamque affuſam in ferventi aquâ rurſum evaporare ſino*, & ubi neceſſitas exigit, ejus ʒ. j. in pulv. redactam *cum aq. roſac.* exhibeo, *Experimentum.* quod me nunquam fefellit in pituitoſis corporibus. Præparantur autem ex vitriolo arte Chimica, duo præſtantiſſima utiliſſimaque in arte Medica remedia: *Oleum & Aqua*, quam Chimici ineptè *phlegma* vocant; utrumque autem una operatione ita conficitur: *Accipiatur chalcanth. ſive vitrioli puri. at, ſi haberi poteſt, Vngar.* ℔ 7. *quod pulveriſ.* in ollam novam nondum coctam imponatur, operculoque novo contegatur, & in fornacem figulinam, una cum coquendis ollis collocetur, & ſimul concoquatur, ut in calcem rubeam concreſcat. Deinde excipiatur, & rurſum in pul. redigatur, & in cucurbitam fictilem oblongi & intorti colli, luto Chimico prius benè incruſtatam reponatur: Ita tamen, ut cucurbitæ tertia pars vacua relinquatur, ac deinde in furnum reverberatorium transverſim collocetur, ita ut ejus collum per foramen parietis furni promineat. Ejus deinde cucurbitæ collo vas vitreum ſubjiciatur, ac cum eo luto Chimico coaptetur ac conglutinetur. Denique ignis ex carbonibus primum quidem lentus, deinde validior ſuccendatur ac deſtilletur. Inter deſtillandum primum quidem prodibit aqueus humor, qui ubi in univerſum profluxit, ſubſequitur albus vapor, qui vitrum recipiens univerſum implet, tum removeatur vitrum recipiens cum aqua vitrioli, & novum idque ampliſſimum recipiens vitrum ſubjiciatur, colloque cucurbitæ conglutinetur, ignisque magis augeatur, & tamdiu deſtilletur, donec vapores in vitro recipientis inſtar flammæ moveantur, & donec

donec hi vapores in liquorem resoluti in fundum recipientis vitri subsidеant, & vitrum iterum inclarescat; Tum tandem non amplius ignis urgeatur, sed sponte & per se, & furnus & vasa omnia refrigerari permittantur; quibus refrigeratis collectus in vitreo receptaculo humor in aliam vitream cucurbitam effundatur; & si quæ in eo aquosior pars remansisse suspicio sit, ea subtrahatur hac ratione: Cucurbita vitrea cum liquore Chalcanthi in tepidum balneum Mariæ collocetur, & probe obturatus per triduum in eo maceretur ac digeratur. Exemptæ cucurbitulæ galea rostrata imponatur, & in ferventi arena destilletur, per eam siquidem destillationem omnis aquosi liquoris pars profluet, & *ol. vitr.* pingue in vitro remanebit. Hoc ipsum tandem ol. purificetur, ac corrigatur ab omni venenata qualitate, admixta illi dupla proportione ad oleum vini sublimati; & cum eo ter aut quater, ut dictum est, in ferventi arena destilletur, semper novum vinum sublimatum addendo. Ita enim ab illo subtrahitur vinum, & in eo omnis venenata qualitas, oleum enim purissimum & rectificatum in fundo cucurbitæ manebit. Admirandæ, & propè divinæ sunt hujus olei vires & efficaciæ, maximè in morbis ex frigida & putrida colluvie ortis. Vt multæ ita & nobilissimæ sunt vires & efficaciæ cum aq. tum ol. vitr. & aqua quidem, quæ in destillatione primum profluxit, commodissimè uti possumus, ad mundificationem & abstersionem sordidorum ulcerum & scabiei, & putrescentes gingivas in scorbuto; similiter & in Aphtis ulcusculisque faucium & linguæ, si eo ulcera colluantur, aut linteolo excepta eis imponatur. Oris autem ulcusculis si ea cum *melle Rosar.* mixta illiniatur. Olei verò admiranda vis est in plurimis morbis facilè persanandis: Confert enim febribus omnibus ex putridis humoribus ortis. Confert præterea Cephalalgiæ, Hemicraniæ, Apopl. & Epileps. cum *aq. Lavend.* exhibitum. Auxiliatur

Ol. Vitrioli vires.

Vires aquæ.

ventriculi affectionibus ex crudis & pituitosis humoribus generatis, ejusque imbecillitati & appetentiæ prostratione; Item Nauseæ, vomitioni & singultui, si cum *vino generoso* aut *aqua Menthæ* propinetur, deglutitionis difficultati ex refrigerata gula medetur: Epatis Lienis & Renum obstructiones tollit, in eisque bilem flavam crassam, Melancholicum humorem & pituitosam colluviem extenuat, & expellit; & deinde Hydropi, Scorbuto, Icteritiæ & Cachexiæ medetur, & tollit omnes febres (exceptis ardentibus & Hectica) cum *aq. Card. Bened.* sumptum; Intestina refrigerata excalefacit, & Venas Mesar. ab obstructione liberat; ideoque colico & Ilii doloribus ex frigida & crassa pituita vaporibusque flatulentis ortis, confert, & lumbricos potenter expellit; Renum & vesicæ obstructiones aperit, calculum comminuit, & urinam provocat; verùm in calculo urinæque suppressione non ante est exhibendum, priusquam alvus vel leni Clystere aut cathartico subducta sit: Mensibus suppressis, purgato prius corpore, felici successu propinari potest: Vterum enim refrigeratum calefacit, & ad concipiendum idoneum reddit; Articularibus morbis, veluti sunt Arthritis, Podagra, Chiragra, coxendix & spasmus, ex frigidis defluxionibus excitatis, egregiè auxiliatur; tum intra corpus assumptum, tum foris illitum. Sigillatim autem extrinsecus corpori utilissimè illinitur, cum aliis lentis oleis, aut liquoribus commixtum & impositum; cervici quidem in Apopl. & Epileps. dorsi verò spinæ in paralysi: Articulis autem in morbis articularibus, suturæ coronali & temporibus in capitis & dentium doloribus, orificio Ventriculi, refrigerato Stomacho, Diaphragmati in viscerum obstructionibus, Hypogastrio in uteri refrigeratione: Et instar Epithematis feliciter imponi potest, Erysipelati, *cum aq. Sambuci* commixtum. In Aphtis & exulceratione faucium, linguæ & tonsillarum, & putrefactione Gingivarum utilissimè

lissimè illinitur cum *melle rosa.* mixtum. Dentium dolores cum lana xilina exceptum, & excavato denti insertum, statim omnem dolorem sedat: & si confricentur eo dentes, reddit eos candidissimos: sed crebra ejus illinitio, vitanda est; emollit enim, & instar cretæ frangibiles reddit dentes; pustulas faciei, si illiniatur, aufert, & Verrucas, die Wartzen / & clavos, die lyckdorn / si prius convulnerentur, & gutta ejus olei instilletur, extirpat, & radicitus absumit. Porrò verò in olei vitrioli usurpatione, præsertim intra corpus, tria sunt potissimum observanda: I. Vt sit ritè & probè paratum, destillatum, ac deinde rectificatum; aliàs enim facilè interna viscera inflammare & perniciem inferre potest. II. Ut intra corpus nemo utatur, nisi ex consilio exercitatissimi Medici. III. Vt in convenienti mensura assumatur; quibus & IV. adjici potest, videlicet ut ante assumptionem corpus leniter expurgetur. Est autem Dosis sive exhibendi mensura olei Vitrioli, habita ratione ætatis, & virium, atque qualitatis morbi *à gut. III. ad. gutt.* 9. cum tribus cochlearibus vel vini, vel stillatitii alicujus liquoris: Id quoque commonefactionis causa addam, sedulò esse vitandam imposturam quorundam Chimicorum, qui *ol. vita* vel non ritè paratum vendunt, vel alias imposturas cum eo exercent. Narravit enim mihi quondam doctus Adolescens *Matthæus Swindius*, *Leonhardi Thurnhuseri Berolinensis*, indoctissimi & maledicentissimi Chimistæ, Amanuensis, ipsum *Thurnhuserum ol. vitrioli* aliquo colore tingere solere, ut aureo & pro auro potabili; aut rubeo, & pro tinctura corallii; aut viridi, & pro tinctura smaragdi; aut cæruleo, & pro tinctura Hyacinthi; aut splendidissimo, & pro essentia margaritarum Principibus viris magno precio vendere: quam ipsius imposturam mirabili ratione Deum puniturum, minimè est dubium.

Observanda circa ol. vitrioli usum.

Dosis.

Fumo periit, qui fumum vendidit.

Vitriolum qua inferat symptomata, & quibus ea curanda remediis.

Vitriolum crudum, aut perperam præparatum & assumtum, nauseam & vomitionem excitat, & si non statim per vomitum ejiciatur, tandem & ventriculum erodit & intestina excruciat, Dysenteriamque excitat, sitimque intolerabilem infert. CVRATVR, si maturè quàm primum est assumptum, per vomitum ejiciatur, assumpta prius *aq. cum ol. Anethi*; sedato vomitu, confert plurimùm *recens Butyrum* subinde largiùs gustare: & si erosio in intestinis sentiatur, proderit *ex cremore Ptisana & ol. Rosar.* in intestina clysterem infundere, postea eidem *aqua Hord. cum Syr. violar.* sæpe bibenda præbeatur. *Pro Antidoto Terra Lemniæ* ʒ ii. *Mucag. se. citon.* ℈ʃ. *cum aq. hord. propinentur.*

Noxa Vitrioli.

Cura.

Arsenicum, Auripigmentum, Sandaraca, & Realgar, quid; qua inferant symptomata, & quibus ea remediis curanda.

Arsenicum, *Auripigmentum*; Operment oder Rottenkrudt. Arsenici tres sunt species, ejusdem naturæ, in iisdem fodinis repertæ, iisdemque venenatis & urentibus qualitatibus imbutæ, eademque inferunt symptomata, & iisdem curantur remediis. Sunt vero Arsenici species omnes lapidosæ substantiæ, quæ in squamas findi possunt, & solo colore inter se differunt. *albo, rubeo & aureo.* Album officinæ vocant *Arsenicum album*: Rubrum verò Græci *Sandaracam*, officinæ *Arsenicum rubrum* vocant. Aureo verò colore splendens solum vocant, *Auripigmentum*, quo & pictores & librorum compactores in tingendis librorum marginibus frequentissimè utuntur. *Realgar* quoque, venenata materia, non aliud est, quàm Arsenicum cum pauco sulphure & sale calcinatum. Hæ omnes Auripigmenti species intra corpus assumptæ sævissimi excitant symptomata, ventriculum enim & Intestina cum vehementi cruciatu erodunt,

Arsenicum.

Cura.

Noxa.

dunt, quam erosionem ut plurimum sequitur Dysenteria, interdum etiam spasmus & paralysis; præterea fauces & linguam arefaciunt, & sitim intolerabilem inferunt, quibus accedit & difficultas meiendi, cum difficultate respirationis.

Curatio. CVRATIO symptomatum ex assumpto Auripigmento sive Arsenico est ut initio æger arceatur à somno, donec venenata materia per vomitum sit evacuata, hausto prius *decocto semin. Rapæ & Atriplicis in quo Butyr. recens aut ol. Lini sit liquefactum*; & deinde, si cruciatus intestina affligant, *clyster ex decocto seminis lini Malv. & Violar. flor. confectum, cuique ol. violar. & pulpa Cass. sit admixta*, applicetur, cui & *Mucago psylii* commodè admisceri potest. Quo facto, confert plurimum subinde *recenti butyro & lacte tepido*, in quo *semen lini* sit incoctum uti. Conferunt quoque *juscula pinguia, cremor ptisanæ & oriza cum lacte cocta*. *Antidotus.* Antidotum adversus venena Auripigmenti est *pul. tenuiss. cristalli fossilis.* ℨ 1. *cum ol. Amygd. dulc.* exhibita. Ariditati linguæ ex Arsenico prodest *Mucag. sem. Lini aut citon. cum Syr. Violæ.* mixtam subinde linguæ & faucibus illinire.

Alumen quid, quæ inferat symptomata, & quibus curanda remediis.

Στυπτηρία, Allun. Excoquitur alumen nostrum ex lapidea materia è montibus quibusdam effossa. Deinde comminuta, calcinata & macerata, quemadmodum *sal nitri.* Alumen vehementer astringit, & in igne in calcem aduritur. In aqua verò instar salis in liquorem resolvitur. Veteribus plura fuerunt aluminis genera, quæ nobis omnia nunc ignota sunt. Vtimur alumine in medicamentis foris applicandis. Intra corpus autem nemo sine noxa eo uti potest, & utuntur eo tinctores pannorum: pulvis Aluminis usti carnes excrescentes in vulneribus exstirpat & absumit: Intra corpus assumptum alumen hæc infert symptomata: Alvi meatus obstruit, atque constringit, ventriculumque subvertit, & nauseam parit, anxietatemque inducit.

Facultates. Aluminum species nobis incognitæ. Vsus internus nullus; in quadratis tamen corporibus febrifugum est.

Externus usus. Noxa.

Curatio. CVRATIO horum symptomatum ex Alumine est crebra esitatio *pulpæ cass. fistularis & cremoris ptisanæ lactisque potitatio.* *Antid.* Antidotum ejus est *ol. vitr. si gutt. 7. cum iij. cochl. vini exhibeantur.*

Gypsum quid, quæ inferat symptomata, & quibus curanda remediis.

Gypsum. Γύψος, Gypsum, Gyps/oder Marien Eiß/ fossile est lapideum, quod in laminas scindi potest. Ex Gypso peculiari arte parato, candidissima & tersissima vasa utensilia quæ *Alabrastina* vocantur, conficiuntur. *Vsus œconomicus.* Gypsum sive crudum, sive calcinatum in tenuiss. pulv. redactum, & media parte farinæ, quæ molendinarum parietibus insidet, commixtum, atque deinde cum albumine Ovi in Linimenti formam redactum pilisque leporinis exceptum, ac vulneribus aut naribus impositum, omnem sanguinis eruptionem compescit. *Topicus usus in hæmorrhagiis. Noxa.* Intra corpus sumptum venenata sua proprietate noxium est, & periculosa excitat symptomata: Tusses vehementes, singultum, Rationis perturbationem, ac postremò, uti *Dioscorides* docet, strangulando jugulat, constringendo meatus respirationis.

CVRATIO *Symptomatum ex Gypso*, in principio est Gypsi assumpti revomitio *exhausta prius aqua tepida cum largo butyro liquefacto, aut ol. Amygd. dulc. ei admixto.* Deinde propinetur subinde potandum ægroto *decoctum rad. & sem. Malvæ, Alth. Fænugræci.* Vtaturque pinguioribus jusculis; *Antid.* Antidotum Veneni ex gypso est *ol. vitr. si ejus* ℈. ß. *post vomitum exhibeatur, aut gutt. 7. ol. Angel. aut Ther. Andro.* ℈ j. ß. *cum aq. Iunip. mixta.* Solet assumptum Gypsum & alvi obstructionem inferre, quæ *clysteribus ex decocto Malvæ & fl. chamam. cum Hyer. picr. & ol. Aneth. tollitur.* Confert & purgatio *cum pulpa*

 cass.

caff. fift. Reliqua Remediorum genera ex ceruſſæ & fungorum aſſumptorum curatione peti poſſunt.

Nitrum quid, quæ inferat ſymptomata, & quibus remediis curanda.

Nitrum. Νίτρον, Nitrum, *Arabibus* Bauras, officinis ſal nitri & Salpetræ, Germ. Salpeter nominatur. Differt autem plurimum Nitrum noſtrum à Veterum nitro, quod hodie nuſquam notum eſt. *quid?* Noſtrum autem *Salpetrum* eſt ſpecies ſalis ex terra multa urina Jumentorum imbuta & putrefacta, in locis ſolitariis inventa, macerata & excocta, inſtar aluminis concreta. *Aphronitri ſuccedaneum.* *Aphronitron* verò, cujus Veteres mentionem faciunt, & hoc ipſum ignotum eſt. Latinis ſpuma ſive flos Nitri vocari poteſt, cui ſucceſſit ſal candidum ex parietibus & muris antiquis cellariorum inſtar pruinæ eſſloreſcens. *Vſus nitri.* Nitrum ſive Salpetræ valdè tenuis & aëreæ eſt ſubſtantiæ, ideoque admiſcetur pulveri tormentario ſive bombardico, citiſſimè enim flammam concipit, & crepitum edit; in fumumque diſſolvitur accenſum; Vtuntur Chimici Sale nitri ad deſtillationem *aq. fortis* vocatæ. Habet Salpetrum & hanc utilitatem, quod ſi æſtivis menſibus vinum aut cereviſia in aquam frigidam in cantharis collocetur, & eidem aquæ nonnihil ſalpetræ aſpergatur, eum calefieri non ſinit, ſed reddit potum frigidiſſimum. Valet præterea ſal nitri ad ſcabiem, ſi cum aliquo liquore vel ol. commixtum inungatur. *pul. Tormentarius in febribus, præſertim Vngaricis, prodeſt.* Pulvis tormentarius *ex nitro & ſulphure* in pituitoſis febribus exhibitus eas facilè perſanat. *Symptomata.* Symptomata excitat Sal nitrum, ſi intra corpus aſſumatur, ventriculi nimirum ſubverſionem, Nauſeam & continuam inſtar Aluminis expuitionem.

CVRATIO SYMPTOMATVM Aſſumpti Nitri, in principio evomitio tentanda eſt, aſſumpta *aq. tepida cum Butyr. aut ol. olivarum mixta.* Deinde vinum potandum exhibeatur, in quo *Carioph.* ebullierunt. *Antid.* Pro antidoto exhibeantur *gutt. 7. ol. carioph. cum hauſt. vini.*

Sal Hammoniacum quid, quæ inferat ſymptomata, & quibus curanda remediis.

Sal Ammoniacum. Sal Hammoniacum q. d. Arenaceum, ἄμμος ſeu ψάμμος Græcis Arenam ſignificat, eſt quo Chimici & aurifices frequentiſſimè utuntur, idque corruptè ſalem Armeniacum noſtri Salzmack vocant. *quid? qualitates.* Eſt ſpecies ſalis colore Alumen imitans, niſi quod nigriores ſordes in fundo ejus ſubſedisſe conſpiciantur: unde conſtat *Sal Ammon.* noſtrum factitium eſſe, & arte Chimica excoctum forſan ex calcis & aluminis cum urina commiſtione; (ejus enim materia ſcripto quod ſciam nondum eſt prodita) Differt autem *Sal Ammoniac.* à Veterum *Sale Hammoniaco*, quo hæc ætas deſtituta eſt: *Vſus.* Noſtrum *Sal. Ammon.* aſtringit & exiccat vehementer, & metalla erodit. Ejus itaque pulviſculo tubercula dura in lingua ex morbo Gallico exorta, ſi crebrò confricentur, eradicari poſſunt, & ulcera faucium *cum aq. roſar.* illitum facillime abſtergit & ſanat; *Symptomata.* ſymptomata ſi intra corpus ingeratur, excitat Sal Ammo. ſimilia Mercurio ſublimato aut Arſenico. Ventriculum enim, & inteſtina exurit, linguam arefacit, & fauces exulcerat, ſitimque vehementem inducit.

Curatio. CVRATIO Veneni ex Sale Ammoniaco eadem eſt cum curatione ſymptomatum ex Mercurio ſublimato aut Arſenico ortorum, ex quibus locis remedia peti poſſunt.

Borax quid, quæ inferat ſymptomata, & quibus curanda remediis.

Borax. Χρυσοκόλλα q. d. Gluten auri, eo quod Aurifices Borace ferruminant & conglutinant aurum, officinis *Borax*, noſtris Borras. Verùm Borax aurifabrorum plurimum differt à Chryſocolla Veterum, quæ Praſſini ſeu porracei viridiſque eſt coloris, nec ejus uſus amplius eſt in arte medica. *Noſter borax factitius.* Noſter autem Borax nitri factitii colorem refert, & ipſe factitius eſt. Etſi autem ejus natura ob invidiam artificum nondum eſt patefacta, tamen procul dubio conficitur ex Alumine, Vitri Spuma quam *fel. vitri* vocant, Nitro & Sacha. candi cum urina macera-

Preparatio. maceratis, & tandem instar salis nitri excoctis. Borax parvum habet in arte medica usum; & intra corpus assumptus venenum reputatur. Foris autem Vnguentis admiscetur cosmeticis, ad venustandam faciem. Ego verò semper felici successu ejus pulv. in mulieribus difficulter parturientibus sum usus. Pulvis autem hac ratione conficitur: ℞ *Boracis ℈ ij. succin. albiss. ℈ j. croci ℈ 5. tenuiss. contrita misceantur, & cum haustu vini parturientibus exhibeatur*, facile enim liberat, & fœtum educit sine noxa. *Noxa.* Symptomata infert Borax, si ultra justam mensuram intra corpus ingeratur, qualia sal nitrum infert. Ex curatione itaque salis nitri & ejus Symptomatum curatio est petenda.

Calx quid, quæ ejus symptomata, & quomodo curanda.

Ἄσβεστος, Calx, quo nomine Græci non extinctam calcem potissimum ornant. Calces ex calcario lapide albicante & è scopulis divulso, qui passim ad hæc Borealia loca *ex Norvegia* navibus adportantur, aut ex terra calcinosa, qualis est *Pannonica*; Vrendi & conficiendi ratio omnibus est nota. *Viva.* Calx non extincta, *viva* dicitur, quæ cuti crustas infert exurendo. Calx autem aquâ conspersa & extincta, non tantum ad exstruenda ædificia, sed ad plurima externa remedia, utilissima est. *Vsus.* Nam pulvis tenuissimus ex calce cum *aq. rosac.* ter quaterve elotus, & rursum in pulv. redactus, magno præsidio est ulceribus pudendi ex Venerea lue contractis, si eo inspergatur: *pulvis in ulceribus Venereis.* abstergit enim & absumit omnes in eo impuritates, & cicatricem citò inducit. *Liquor C. V.* Paratur & liquor è calce viva utilissimus ad omnia ulcera sordida persananda, si eo ulcera colluantur, & instar *Epithem.* linteolis exceptus eisdem imponatur, qui hac ratione confici debet: *Preparandi modus.* Accipiatur *calcis vivæ* pro arbitrio q. s. & in ollam novam conjiciatur, eidemque *aqua fervens pura* affundatur, & simul subigantur, spumam subinde auferendo, sicque per triduum simul macerentur quotidie bis terve movendo spumamque auferendo. Tandem ubi calx subsederit in ipsam ollam, margo panni aut pannus mundus duorum digitorum latitudinis liquori imponatur, ita ut ejus media pars in liquore mergatur; altera verò pars ex olla propendeat, & propendulæ parti panni vitreum vas subjiciatur: ita enim per pannum sensim omnis liquor limpidus & clarus à calce exstillabit. Quo collecto & tepefacto singulis diebus eluantur ulcera, & linteolis exceptus imponatur. Sanat enim sine dolore & molestia, & omnem iuflammationem aufert, ulcusque carne sana complet. *Vsus ejus præsens in ambustis.* Hæc ipsa aqua ambustis partibus imposita præsentiss. est remedium. *sicuti & salsugo ex Butyro salito sudoris instar profluens.* *taxantur Chirurgi imprudentes.* Nunquam enim ambustis partibus, ut imprudentes Chirurgi faciunt, refrigerantia & repercutientia sunt imponenda. *Aliud in ambustis.* Efficacius est remedium ad ambusta, si calx viva in decocto raparum extinguatur, & ipsa aqua Epithematis modo, inflammatis partibus imponatur, dolorem enim citissimè aufert, & brevi tempore persanat. *Psylotron.* Ex *calcis vivæ & auripigmenti ana ℥. 5.* simul contritis & in acri lixivio decoctis, donec pultis crassitiem consequantur, & si penna immergatur, ac plumæ decedant, si loco aliquo piloso quem glabrum esse cupimus, inungatur, pilos omnes radicitus evellit. *Cautio.* Sed cavendum est statim ubi pili deciderunt, ne amplius eo in loco relinquatur Pharmacum, quia cutem exulcerat, sed abluatur calx aqua, & inungatur locus *ol. rosar.* *Noxa calcis assumptæ.* Intra corpus assumpta calx pernitiosa infert symptomata, similia symptomatibus ex Arsenico assumto, aut Mercurio sublimato & cantharid. ut sunt ventr. & intest. ex erosione cruciatus, faucium & linguæ ariditas, inexplebilis sitis, Tussis, Respirationis difficultas, urinæ suppressio, & Dysenteria; *Inspiratio ex calcis vaporibus perniciosa.* Non autem ex assumptione calcis duntaxat talia excitantur symptomata

ptomata; verùm etiam ex calcis vapore nidoreque per inſpirationem intra corpus hauſto. Quare ſeduló cavendum eſt, ne diutius quis in conclavibus calce noviter illitis commoretur: ea ratione vaporis extinctus eſt nobiliſſ. & prudentiſſ. vir *Georgius à Platen* Rugiæ Præfectus, qui cum *Wolgaſti* in nuptiis *Ducis Erneſti Ludov.* clementiſſ. noſtri Principis, in conclavi pridie calce oblinito, commorari cogeretur propter hoſpitiorum penuriam, & in Peripneumoniam, Catharrum, Tusſim, & inextinguibilem ſitim incidit, & pauló poſt interiit. Pari ratione cavendum eſt à largiori potu vinorum, quæ in loco calce ſcaturiente nata ſunt, qualia ſunt: *Hungarica*, *Gallica & Miſnicorum pars benè magna*, ex quorum largiori potu non tantum præſcripta ſymptomata, ſed & ardentes febres, nervorum contractiones, & paralyſes excitantur.

Curatio. CVRATIO SYMPTOMATUM ex calce perficitur potionibus lenientibus & lubricantibus, calciſque acrimoniam refringentibus; Conveniunt itaque per os crebra potatio *decocti rad. & ſe. Mal. Alth. ſe. Lini & Syr. Violar. & pulp. caſſ.* Per inteſtina autem conducunt *Clyſteria ex decocto Malvæ Pulpæ Caſſ. & Mucag. ſem: Pſylii confecta.* In cibo verò proſunt *Butyrum rec. Lac tepidum, cremor ptiſanæ, Avenaceæ & eriza cum lacte cocta.* Antidotum veneni calcis eſt ʒ i i. *Terræ Lemniæ cum aq. roſar. aut lacte aſſumptæ.* Plura quæ ad curationem attinent ex curatione Arſenici & cantharidum peti debent.

Vitrum quid, quæ inferat ſymptomata, & quibus curanda remediis.

Vitrum. Conſideratio vitri Theologica. Ὕαλος ſeu ὕελος *Vitrum*: pulcherrima in Vitri conficiendi ratione imago nobis proponitur reſurrectionis corporum noſtrorum in noviſſimo die. Vt enim artificis manus ex cinere conflat ſplendidiſſima corpora vitrea, ita Filius Dei ex cinere corporum noſtrorum excitabit pulcherrima & quovis criſtallo ſplendidiora animabus noſtris organa, in quibus æternâ lætitiâ Conditorem noſtrum celebrare queamus. Conflatur vitrum ex cinere & arena combuſta. *Plinius lib. 36. cap. 26.* dicit vitri conficiendi rationem primum à nautis in littore repertam eſſe, qui cum ad arenoſum littus appuliſſent, in navibus nitri glebas ferentes, & lapidibus deſtituti, fornaces ad coquenda edulia extruere volentes, nitri glebas in arena pro lapidibus diſpoſuerunt, quæ Nitri gleba ex ſuccenſo igne liquefacta, arenæque candenti mixta, in vitream ſubſtantiam confluxit, ac concrevit, & inde tandem artificium excogitatum eſſe, ut ex violentia ignis ex cineribus nitidiſſima vitrea vaſa conficerentur. Idem *Plinius* ſcribit ætate *Tiberii Imperatoris* eam fuiſſe excogitatam vitri temperiem & conficiendi rationem, ut vitra æquè ac metalla malleo extendi & ductilia reddi potuerint. Quod *Tiberius Cæſar* agnoſcens, totam officinam artificis abolevit, & deſtruxit, ne auri & argenti pretio detraheretur. Nobiliſſima vitra fiunt ex cineribus & fragmentis criſtalli lapidis combuſtis & liquefactis, quæ *vitra criſtallina* vocantur. Etſi autem vitrum ex cineribus conflctur, non tamen ipſe cinis naturæ & ſubſtantiæ eſt vitri, ſed ipſa humiditas radicalis puriſſima, quæ per ſubſtantiam corporum incineratorum ſparſa erat, & ex violentia ignis in operatione vitri confluit. Extat in officinis ſalis cujusdam fuſi ſpecies, quam *Fel vitri* vocant, noſtri Glaßgall/ quo aurifices quandoque in penuria boracis utuntur. Ejus naturæ mentionem nemo hactenus, quod quidem ſciam, fecit: Exiſtimo tamen *fel vitri* non eſſe aliud, quam ſpumam ex liquefactis vitris. Veterinarii jumentorum Medici pulv. hujus fellis vitri in equorum oculos ſufflant, ubi equi ungue, id eſt, pellicula in oculis pronata, laborant & excæcantur, eam enim hic pulvis erodit, abſtergit & extirpat. Symptomata vitri aſſumpti ſimilia ſunt ſymptomatibus Arſenici & calcis vivæ; erodit enim cum cruciatu internam

Præparatio. *Inventio.* *Cryſtallina vitra.* *Materia vitri.* *Spiritus Salini Chymicorum hoc opus peragunt.* *Fel vitri quid?* *Symptomata vitri aſſumpti.*

internam tunicam ventriculi inteſtinorum & Dyſenteriam adfert.

Curatio.

CVRATIO aſſumpti vitri matura revomitio eſt aſſumpto hauſtu *aq. calid.* cum copioſo *recenti Butyro.* Conducunt quoque *Butyri recentis & pinguiorum juſculorum crebræ eſitationes, & potationes decocti radic. ſeminumque lubricantium, ut ſunt rad. & ſem. Malvæ, Alth. Lini & fænugræci.* Prodeſt & alvum crebro ſubducere *pulpa caſſ.* devorata. Antidoti loco exhibeantur *terræ Lemniæ aut Boli Arme.* ʒ. I I. *cum lacte tepido.* Reliqua ex curatione Arſenici & calcis peti poſſunt.

Antid.

Qui Lapides venenata ſua proprietate noxii ſint hominibus.

Lapides quoque non immerito inter Mineras numerari poſſunt. Ex lapidibus autem Venenata qualitate maximè imbuti ſunt, *Lapis Lazuli, Lap. Armenius & Lapis Magnetes.*

Lapis lazuli quid, quæ inferat ſymptomata, & quibus ea curanda remediis.

Lapis Lazuli.

Λίθος κυάνεος, *Lapis Cæruleus* & officinis *Lapis Lazuli*, noſtris Laſurſtein / ex quo non ſecus ac ex argento, ut ſupra oſtendimus, cæruleus color pictorum quem *Laſurinum* vocant, conficitur. Optimus autem eſt Lapis cæruleus, qui aureis maculis ſcintillat, qui tamen raro apud nos reperitur: Invenitur autem copioſe in Germaniæ fodinis, qui probè & multum elotus ac præparatus, in officinis aliis medicamentis ac potiſſimum *pillulis è lap. Laſuli* vocatis commiſcetur, cujus vires ſunt atram bilem evacuare, & inde natam inſaniam tollere poſſunt. Crudus autem non elotus lapis cœruleus, ſi intra corpus aſſumatur, ſymptomata infert, cruciatum & ſubverſionem ventriculi & tormina inteſtinorum, anxietatem & vomitionem, & ſiniſtri hypochondrii dolorem; Erodit enim, & putrefacit ſua proprietate. Horum ſymptomatum ex *lap. Lazuli* curationem præcedat *vomitio cum hauſtu aq. tepidæ, aut eum aq. Iuniperi per deſcenſum deſtill.* Deinde ſubducatur alvus *per clyſterem ex decocto Malvæ, Hord. & violæ.* *cui pulpa caſſ. & ol. roſa. eſt commixtum.* Confert & crebra potatio *lactis caprilli tepidi*, & eſitatio *recentis butyri & cremoris ptiſanæ hord.* Antidotum ejus eſt *pul. ex ſuccino albiſſ. & coral. rub. præp. ana.* ʒ. 5. *cum vino aſſumptus.*

Nota opt. lazuli.

Extr. lap. lazuli inſigne in mania & melancho. affectionibus.

Noxæ.

Curatio.

Antidota

Lapis Armenius quid, quæ inferat ſymptomata, & quibus curanda remediis.

Lapis Armenius.

Lapis Laſuli & Lap. Armenius in eisdem fodinis non tantum in *Armenia*, ſed in *Germania*, & in eadem gleba eruta, promiſcue reperiuntur, & nec viribus aut efficacia admodum inter ſe differunt, niſi colore & ſubſtantiæ denſitate; colore enim Lapis Laſuli cœruleus eſt; Armenius autem æruginis colorem ex cœruleo vireſcentem habet, & mollior friabiliorque, i. e. frangibilior eſt, quam Lapis Laſuli. Lapis Armenius per crebras ablutiones præparatur, ut de Lap. Lazuli eſt dictum, & *pondere à* ℈. *j. ad.* ʒ *j. cum aliquo liquore* exhibitus, teſte *Alexandro Tralliano*, Melancholicam colluviem & infra expurgat, & Melancholicos morbos, dementiam, lepram & ſimiles tollit. Non præparatus autem ſi intra corpus ingeratur, eadem infert ſymptomata, quæ *Lap. Laſuli*, & eisdem curari poteſt remediis.

Parva inter lap. laz. & armenium differentia, niſi colore.

Lapis Magnes quid, quæ inferat ſymptomata, & quibus curanda remediis.

Magnes.

Λίθ☉ μαγνήτης, ἢ σιδήριος, i. e. *Lapis Magnes aut ferreus*, qui & *Lapis Herculeus* dicitur, noſtratibus ein Magnet oder Siegelſtein. Eruitur Lapis Magnes in montibus *Herciniæ* circa *Goslariam*, ut plurimum colore ferreo vel ex nigro ruſeſcente. Duo memorabilia miracula conſpiciuntur in Magnete, quorum cauſas nullus Philoſophorum hactenus reddere potuit. I. Quod Magnes ſua ſubſtantiali forma & ſympathia latenteque proprietate ferrum validiſſimè ad ſe alliciat, ac trahat non tantum proximum, ſed & per aliud ferrum Magneti adhærens, ita ut acus adhærens magneti aliam acum, & ea rurſum aliam atque aliam, uſque ad ſeptenarium numerum ad ſe trahat, & alia

Ortus.

Miranda in Magnete.

 ab alia

Acus nautica. ab alia dependeat. II. Est ferreus index in nauticis & horariis pixidibus, quas Plinius *Versonas*, nostri autem ein Compas vocant: is, inquam, index sua alterâ extremitate, perpetuò in Boream versus polum Arcticum se convertit. Ejus itaque beneficio nautæ omnes suos cursus dirigunt, & perficiunt; Magnetum tamen ejusmodi ἐνέργεια attrahendi ferri hebetatur & extinguitur; si Magneti apponatur gemma Adamantis aut sapphyri albi, aut si oblinia-*Noxa assumpti.* tur succo Allii, aut oleo aliavè pinguedine; Magnes intra corpus assumptus id tantum symptoma infert, ut rationem perturbet, & Melancholicam insaniam excitet.

CURATIO ejusdem symptomatis est matura evomitio assumpti Magnetis, exhaustis prius ℥ *V. aq. Iunip. per descensum destillat.* Aut assumptis *gr. iij. Vitri Antimon. cum* ʒ *j. conserv. Rorism.* ac deinde confert alvum quoque Clystere *ex decocto Malvæ, Althæ. Beton. Scordii & Melilot.* parato, cui *Hyera simplex & ol. Amygd. dulc.* sit admixtum, subducere; aut intestina *Antid.* evacuare ℥ *X. pulpæ cass.* Antidotum veneni Magnetis sunt, ʒ 11. *Ther. Andr. aut seq. pul.* ʒ 1. ℞. *Auri puriss. derasi* ℈ 1. *Vnicornu*, aut ejus loco *cornu cervi: circa calend. Septemb. capti. coral. rub. præp. ana* ℈ *j. Misc. f. pul. qui cum vino exhibeatur.*

Vapores venenati in montium cavernis & specubus quæ inferunt symptomata, & quibus eadem curanda remediis.

Vapores & halitus venenati, diversimodè excitantur. Ἀτμὸς, vapor, vel ἀναπνοή, halitus, est quælibet exhalatio à calore in visceribus terræ contento excitatus, sive is sit humidus, sive siccus, squalidusque. In fodinis & cuniculis montium sæpe venenati vapores excitantur, qui tanquam densæ nubes elevantur adeo perniciosi, ut nisi fossores metallorum in montibus existentes proni in terram se prosternant, & respirationem contineant, eos omnes suffocari necesse sit; & tamen ex tali vapore, ut plurimum respirationis difficultatem & nervorum convulsionem concipiunt. Simile quid accidit quoque ab aëre in cellariis & specubus longo tempore occlusis corrupto & putrefacto, si quis temerè eos ingrediatur; is enim per respirationem aëris corrupti intra corpus hausti in subitam incidit vel Epilepsiam, vel Apoplexiam atque strangulationem. Fit quoque exhalatio & evaporatio venenosa è poris terræ initio Veris, ubi primum per calorem Solis terra se aperit, quæ & ipsa corpora facile inficere potest, si ea aut per inspirationem & perspirationem in poros cutis trahatur: attracta enim statim excitat aut catharrum, aut paulò post febres, scabiem & totius corporis intumescentiam. Ad id genus veneni referri quoque debet fumus virulentus carbonum diuturnitate in terra putrefactorum, is enim quoque facilè meatus cerebri obstruit, & epilepsiam, Apoplex. suffocationesque excitat. Symptomata itaque venenatæ evaporationis & putrefacti aëris in montium cavernis sunt, subita strangulatio & respirationum difficultas, & nervorum convulsio. Aëris autem corrupti in cellariis & specubus occlusis sunt, Epilepsia & Apoplexia, similiter & fumi putrefactorum carbonum, aëris verò crassi ac densi è poris terræ Vere evaporantis symptomata sunt: Catharrus, scabies, febres & corporis intumescentia. *Noxa harum exhalationum.*

CVRATIO præservativa à venenatis vaporibus, est studiosè cavere, ne quis temere se in cavernas montium aut specus, cellariaque diu occlusa intromittat, aut nidorem fumumque putridorum carbonum aut putrefactorum lignorum respirando attrahat: ubi verò quispiam vel necessitate coactus, vel per imprudentiam à venenata exhalatione putrefactoque aëre in numerata symptomata incidat, singulorum symptomatum Curatio ex suis locis in superioribus descriptis peti debet. In genere autem, conveniunt, in ejusmodi symptomatibus, suffitu & suavibus odori- *Prophylaxis.*

odoribus spiritus refocillare, & meatus obstructos per vomitionem haustu prius *aq. Iuniperi* reserare, & nervos contractos per confricationes linteorum calidorum partium affectarum corroborare; ac deinde partes affectas, item cervicem, & tempora cum *aqua Lavend.* & momento *ol. ex gra. Iuniperi* confricare. Antidoti loco conveniunt aut ℥. I I. *Ther. Andr. aut gut. 7. ol. Angel. cum vino generoso exhibita.*

Antid.

Enses sagittaque Veneno imbutæ quæ inferant symptomata, & quibus curanda remediis.

Arma venenata.

Oportunè hoc loco & symptomata per arma venenata corporibus illata inseri posse, nobis visum est, cum & armorum materia ex montibus eruatur, quæ per se satis cum sint noxia generi humano, per abusum & veneni infectionem longè efficiuntur perniciosiora; talia siquidem venena gladiis & jaculis illita, si cum eis vulnera inferantur, citissimè illud virus ad partes principales repit, & exitium infert, aut ipsam læsam partem adeò corrumpit & putrefacit, ut vel nullam, vel difficillimam admittat curationem, nisi maturè venenum è vulneribus extirpetur, ejusque violentia infringatur. Non hominum sed cacodæmonum est inventum, arma veneno imbuere: ideò etsi *Dioscorides* venenum, quo *barbari* suas sagittas illiniebant, generali vocabulo τοξικὸν vocet, quid tamen per τοξικὸν intelligi velit, minimè explicat: non est enim boni viri, rem universo generi humano exitiosam patefacere aut edocere. Ubi itaque vel certo constet, vel ex quibusdam indubitatis signis deprehendatur vulnus per arma toxicata esse illatum, confestim curatio est auspicanda, & ante omnia oportet prudentem Chirurgum è vulnere venenum prolicere, & veneni vim infringere; Elicitur autem venenum sanguinem infectum exprimendo, & vulnus diligentissimè eluendo *cum vino rubeo tepido* in quo incocta sint *scordium, centaur. Agrimo. & Veronica*, & statim vulnus obliniendum & confricandum erit Linimento *ex flore Sulphuris & Saliva jejuni ac sani hominis confecti.* Si verò suspicio sit, venenum ex vulnere jam ad partes principales & viscera serpsisse, statim vomitu expurgandum venit, assumpto prius haustulo *aquæ Iuniperi per descensum destill.* aut haustu *aq. tepidæ, cui ol. olivarum* abunde sit admixtum. Post vomitum subinde ea exhibeantur remedia, quæ veneno adversantur, & partes principales corroborant, qualis est sequens haustus:

Venenum ut ex vulneribus eliciendum.

Linim. ex sulph. & saliva hominis.

quomodo ex toto.

℞. *Vini rubei in quo candens aurum sit extinctum.* ℥. *III. succ. agrimo. desp.* ℥. *I. Boli Arme. veri, coral. rub. præp. ana* ʒ. ß. *fiat haustus diaphoreticus*, cum quo sudet æger ad unam aut sesquihoram. Inter sudandum verò corroborentur spiritus vitales sequenti Epithemate, cordi imposito linteolis duplicatis excepto, *ex* ℥. *VI. Aq. Rosar. Aq. Melis.* ℥. *III. Vini generosi* ℥. *ij. Aceti rosa.* ℥. I. simul confusis admisceantur *Sp. cordialium* ʒ *iij fiat Epithema.* Antidoti loco quotidiè exhibeatur ʒ. I. sequentis pul. cum haustu vini: ℞ *sem. citri excorticati* ʒ. I. *Aristol. rot. Asæ fœtidæ, Myrrhæ ana* ʒ. ß. *cort. Arant. Rhab. el. ana* ℈. I I. *Coral. rub. præp. gr. III.* commisceantur, fiat pul. tenuiss. Vulneri autem statim post primam ablutionem & mundificationem imponatur frustum pro vulneris magnitudine, aut *pulli gallinarum, aut catelli, aut ovis viventis & recens discerpti.* Aut si vulnus tantillum fuerit, ut cucurbitula medica contegi queat, eidem imponatur *cucurbita*, & venenum eliciatur, quo facto vulnus quotidie bis *cum vino præscripto* eluatur & abstergatur. Sequensque *Empl.* ad consolidationem usque imponatur. Cavendum autem ne vulnus ad cicatricem deducatur, donec omne venenum sit extractum ac devictum. ℞ *Galbani, Asæ fœtidæ ana* ℥. I. *quæ simul in aceti rosac. q. s. liquefiant ad lentum ignem*, & liquefacta per rarum linteolum colentur, ac ad mellis crassitiem lento igne deducantur, quibus tandem admisceantur ℥. *ij. Empl. Basiliconis*, quæ

Sudoriferum.

Venenum extrahentia.

Consolidans.

Cautio.

nis, quæ ſimul in maſſam coacta extendantur per linteolum, & vulneri inſtar aliorum Emplaſtrorum imponantur.

SECTIO. IV.

De venenis ex animalium familiâ proficiſcentibus.

Quæ ſint venenatorum animalium præcipua genera hominibus perniciem inferentia, & quot modis perniciem inferant?

GRæcè ἰόβολα *Diſcorides* vocat omnia animantia, quæ venenum eiaculantur, & ſua virulentia perniciem inferunt, quorum quæ in noſtris hiſce Borealibus regionibus communiora ſunt, hoc loco breviter recitabimus, & hac in tabella complectemur.

Ex genere inſectorum	*Cantharides, Bupreſtes, Papiliones, Erucæ, Araneus, Veſpa, Apes.*
Ex genere Reptilium	*Serpens, Vipera, Hydrus, Scorpio, Bufo, Rana, Baſiliſcus.*
Ex genere Aquatilium	*Torpedo, Paſtinaca.*
Ex genere Quadrupedum	*Canis, Felis, Lupus, Glires, Veſpertilio, Cervus*

Hominis virus, præſertim linguæ, reliquor. nocentiſſimum. His addi debet *Homo*, ut animalium nobiliſſimum & divinum, ita per morſum ac depravationem Sathanæ virulentiſſimum. Ex his autem alia inficiunt homines, aut ſui aſſumptione intra corpus, aut ictu, aut morſu, aut contactu ſui virulenti madoris, aut ſpiritus venenati ejaculatione. Aſſumptione nocent *Cantharides*, Ictu *Scorpiones*, & *ſerpentes*, Morſu *canes rabioſi*, contactu *Bufones*, ſpiritu *Baſiliſcus*.

Cantharides quid, quis eorum Medicus uſus, & quæ inferant ſymptomata, quibus item remediis curanda.

Cantharides. Κάνθαρος Græcis, *ſcarabæum* ſignificat, ein Kefer/ Quorum plura ſunt genera, ex ſtercore boum & Equorum generata. Ex ſcarabæorum familiâ ſunt & cantharides, per diminutionem ſic dictæ, q. parvi ſcarabæi. *quid?* Cantharides itaque Germanicè Goltwurme oder Hiſpaniſche Fliegen/ ſunt inſecta, ſeu vermes volitantes magnitudine veſparum, pulcherrimo colore ex viridi in aureum ſplendentes. *Uſus.* Cantharidum pulvis ſi cum fermento acido commixtus, inſtar Emplaſtri cuti imponatur, per unam & alteram horam veſicam excitat ſeroſi humoris plenam: ac ſi diutius imponatur, carnem & cutim erodit, ideo in dentium doloribus ponè aures imponere ſolemus, & excitatam veſicam perforare, ſeroſumque humorem exprimere, quo expreſſo dolor ceſſat dentium, ſublata ejus cauſa. Tumorum quoque aperiendorum gratia eadem ratione imponimus. *Noxa ex aſſumptis.* Symptoma cantharidum aſſumptarum præcipuum eſt, Exulceratio veſicæ & meatus urinæ; ſua enim forma ſubſtantiali & occulta proprietate cantharides aſſumptæ, reliquis viſceribus præteritis, ad veſicam ſtatim deferuntur; ideo earum aſſumptionem ſequitur ſtranguria, ſive urinæ ſtillicidium, & cruentæ urinæ proſtillatio, & virgæ exulceratio, Deinde paulatim inflammatur & epar, & eroduntur inteſtina & immenſi dolores in Hypogaſtrio excitantur, quos dolores, mentis alienatio & mors ſubſequitur, niſi properè venenum expellatur, ejuſque vis infringatur.

Curatio. CVRATIO cantharidum conſiſtit in cita evacuatione. 1. per vomitionem, aſſumpta prius *aqua tepida cum ol. violar.* mixta, quæ aliquoties reiterari debent. Deinde per alvi ſubductionem *cum acri clyſtere ex decocto Malvæ, Alth. Viola. centaurii, cum quibus* ℥. ſ. *pulpæ colocynth. in petia ligata ſit concocta, cujus colatura admiſceatur. ol. Roſar. & Elect. Diaphœ.* Deinde crebo eſitet æger *Orizam cum lacte caprillo, cremorem Ptiſanæ, Butyrum recens cum mucag. ex ſe. cito. mixtum.* Præterea *lac caprillum, juſcula pinguia & carnes pingues*, quales ſunt Porcinæ: In potu vero

vero usurpet *lac Amygdal.* aut *lac ex nucleis pinea & sem. papa. albi & Alkek. cum. aq. hord. paratum*, vel *lac ex 4. se. frig. cum aq. lactu.* factum. Conferunt quoque *Syr. Nymph. & violarum*: Æstum enim & inflammationem viscerum sitimque restinguunt. Deinde si dolor in intestinis perseveret, optimum erit *alium clysterem lentum ex decocto rad. Alth. se. Lini & Malvæ factum ac cum ol. viol. mixtum* intestinis infundere: Foris verò prosunt *Epith. ex suc. semper vivi, portula. & Lactu. simul mixtis linteolisque duplicatis exceptis Hypogastrio imponere & ol. viol. inungere.* Virgæ meatui exulcerato *mucago ex se. Citonior. cum. aq. Rosac. facta immittatur ad doloris lenitionem*; Antidotum est sequens pul. ad omnia symptomata utilissimum:

Antidotum.

℞ *Troch. de Alkek. Terræ Lemniæ ana ʒ 1. exhibeatur cum vino dulci aut lacte Muliebri*, Sunt, qui ex *Galeni* decreto utantur *pul. cantharidum* contra cantharides tanquam antidoto, præsertim ad urinæ suppressionem. Sed cum ea Galeni sententia mihi sit suspecta, non suaderem quemquam in alieno corpore illud experiri.

dissentit à Galeno.

Buprestes quid, quæ inferant symptomata, & quibus ea curanda remediis.

Buprestes. Βουπρέστις, nomen à Bobus obtinuit. Nam boves & jumenta Bupreste verme devorato, paulo post intumescentes disrumpuntur, nostrates ein Knolster oder Qualster vocant. Est autem Buprestis vermis duriusculum corticem præ aliis habens, quemadmodum scarabæus, quem nostri ein Kefer vocitant. Duæ sunt Buprestis species, una nigra altis pedibus per pascua incedens; alia est quæ in sylvis pineis, per arborum cacumina reptitat ac volitat, & inde pinorum Eruca nominatur, quæ appropinquante hyeme in arboribus se carioso velleri implicat, in eoque immoritur, & in semen resolvitur, ex quo rursum adventante vere reviviscit, ac regeneratur. Hoc lanugosum involucrum pineæ erucæ sanguinem erumpentem citissimè sistit, si loco affecto imponatur; sed pineæ Eruca sive buprestis pini non reperitur facilè. Symptomata ex assumptis intra corpus buprestibus hæc subsequuntur: Ventriculi & Intestinorum erosio, dolor & totius ventris instar Hydropis intumescentia, & urinæ suppressio, reliquavè cantharidum assumptarum accidentia.

Species hujus animalis. *Eruca pinorum.* *Usus involucri erucarum.* *Noxa assumptarum.*

Curatio. CURATIO assumptarum Buprestium per omnia ferè similis est curationi cantharidum, videlicet evacuatio per vomitionem & alvi subductionem cum clystere. Sed peculiari antipathia plurimum confert *crebra potitatio decocti ficuum aridarum, cum musto aut vino, & crebra esitatio dactylorum.* Antidotum ejus est *lac muliebre* indies ex uberibus factum.

Antid.

Erucæ & Papiliones quid, quæ excitent symptomata, & quibus eadem curanda remediis.

Erucæ papiliones. Κάμπαι, Erucæ, nostratibus Rupen. Erucæ vocabulum & oleri tribuitur à Medicis, nostrates weissen Senp nominant, de quo hic nobis non est sermo. Sunt porrò Erucæ vermes oblongiusculi, arboribus & oleribus perniciosi, una enim nocte & folia olerum & flores ac novellos fructus arborum pomiferarum & quercuum absumere & depopulare possunt, fructuumque caritatem totius anni inducere. Erucarum tres sunt species cognitæ. Una, quæ arborum pomiferarum & quercuum frondes depascitur, quæ in lanuginosis instar telis aranearum involucris per frondes arborum verno tempore generatur, ex semine milii granis similibus; primum oblongiusculi efficiuntur vermes, & deinde alas crustaceas acquirunt, & per arbores volitant. Altera species generatur in olerum, ac præcipuè Brassicorum foliis ex stercore papilionum, quod simile est granis milii. Tertia Erucarum species, sunt vermiculi illi admiratione digni; quos vermes sericeos, die Seidenwürmer / nominant, qui per æstatem serica fila texunt, adveniente autem Autummo & perfecto

Species Erucarum.

opere, involucrum lanoſum tenui pelliculæ ſimile, tanquam ſepulchrum ſibi parant, in eaque capſula emoriuntur, & in ſemina milii granis ſimilia reſolvuntur; quæ adveniente Vere, ſi in Solis radiis ponantur, reviviſcunt, ac paulo poſt in vermes transformantur, priorem formam recipiunt: in quibus etiam venuſta Reſurrectionis imago nobis propoſita eſt.

Bombyx imago Reſurrectionis.

PAPILIONES ſunt vermes alati & circumvolitantia animalcula, omnium leviſſima & imbecillima, quæ ut generantur ab exiguis vermiculis, ſic etiam ex limo & excrementis maris in putredine terræ à calore Solis productis, ex quorum ſtercore generantur Erucæ in oleribus. Plures ſunt Papilionum ſpecies, colore, figura & magnitudine differentes, quæ omnes ut Erucæ, venenatæ ſunt. Cum Erucæ, ut dictum eſt, infeſtiſſimi ſint vermes hortis, eos extirpare docet *Plinius* hac ratione; ut ſi caput equæ demortuæ palo ſuffigatur in hortoque collocetur; aut ſi in horto ſuſpendantur cancri fluviatiles, Erucas ab eo loco abigi & extirpari. Aut ſi in horto inter olera, vervecis recenter mactati ventriculus, unà cum excrementis, terra leniter cooperiatur, poſt biduum, ad eum confluere omnes Erucas pedibus conterendas; ſed certius remedium judico, quod *Columella* tradit nimirum ut poſt pluvias ex arboribus manu colligantur Erucæ; aut ut manè concuſſis frondibus arborum, quibus inſident, conculcentur, torpentes enim frigore noctis ſemel delapſi nunquam amplius ſurſum repere queunt: ſed his omnibus magis certum eſſe puto, ut arbores ſuffitu ſtyracis, aut etiam picis per aliquot dies fumigentur. Symptomata Erucarum ac papilionum intra corpus aſſumptorum ſunt ventriculi, oris, linguæ, & gulæ inflammatio, & dolor pruriginoſus, ac tandem totius corporis exæſtuatio.

Species papilionum varia.

Suffitus pro arboribus.

Noxa aſſumtarum.

CURATIO ſimilis eſt inſtituenda, qualem in Cantharidum curatione propoſuimus. *Antidotum eſt terra Lemnia & coralli rubei præp. pul. cum Mucag. ſe. citon.* Foris optimum eſt corpus inungere *ol. citon.*

Curatio. Antidotum. Topica.

Araneus, Phalangia, & Tarantula quid, quæ inferant ſymptomata, & quomodo curanda?

Ἀράχνης, Araneus, eine Spinne / eſt vermiculus, tuguriis pauperum familiaris; qui tenuiſſima retia & tela ad capiendas muſcas in domorum angulis texit, quæ tela Spinnenwebe nominantur. Plures ſunt Aranearum ſpecies, quantitate & colore differentes. Etſi autem Araneus venenato madore turgeat, habet tamen non contemnendas utilitates. Quicquid enim veneni in domeſtico aëre continetur, id in ſe allicit & abſorbet. In medicatione quoque ſi Araneus vivus inter duo nucis juglandis putamina incluſus, collo appendatur, & donec moriatur, geſtetur, Quartanæ febri & Icteritiæ mederi, multorum experientia probatum eſſe fertur. Quin & telæ araneorum in vulneribus recentibus impoſitæ, ſanguinis eruptionem ſubitò ſiſtunt, & vulnus ab intumeſcentia præſervant. Domeſtici itaque aranei per ſe nemini ſunt noxii, niſi per imprudentiam compreſſi, cuti inhæreant, & madore ſuo cutim imbuant. Aut niſi caſu in eſculenta & potulenta delabantur, & cum eis intra corpus ingerantur; tum enim ſequentia inferunt Symptomata; Appetentiæ proſtrationem, Epatis debilitatem, corporis intumeſcentiam, & Icteritiam; quæ tamen mala in principio facile curari poſſunt, ſi ebibito hauſtulo *aq. Iunip. per deſcenſ. deſtill. aut aſſumpta* ʒ. I. *pul. catulorum ſeu flo. juglandis arbo. aranei vomitu rejiciantur; ac poſtea loco Antidoti* ʒ. II. *Theriac. Andro. cum hauſt. aq. Card. Bened. aut vini exhibeantur, ſudorque proliciatur, atque corpus cum ol. Hypericonis, cui Theriaca nonnihil ſit adjectum, illiniatur.* Sunt & ex araneorum genere animalcula, quæ & Græcis & Latinis *Phalangia* nominantur, nobis eine Welſche Spinne / in hiſce tamen regionibus Borealibus

Araneus.

Aranearum ſpecies.

Uſus & utilitas.

Periapton.

Noxa.

Curatio.

Antid.

Phalangia ſeu Phalangia.

alibus ignotæ; quæ araneorum grandiorum formam obtinent, sed domesticis longè majores, & veneno perniciosiores, morsu ictuque hæc sequentia inferentes symptômata; *Noxa ex illis.* Vulnus infligunt adeò exile, ut visu deprehendi nequeat, sed ex dolore & livida intumescentia loci demorsi dignosci potest, quod tamen paulò post subsequitur faciei pallor, artuum tremor, & totius corporis intumescentia, ac deinceps sudoris frigidi eruptio, continuum emingendi sterile desiderium, lachrymæ involuntariæ, ac postremò, neglecta curatione, mors.

Curatio. Matura itaque CURATIO à Phalangiis ictis adhibenda est, & initio exhibeantur ʒ. II. *Theriac. Andro. cum vino optimo, aut aq. Scord.* & sudor provocetur, deinde mane ac vesperi *tepidus haustus vini in quo rad. Asparagi. scord. & herba aut semen Aparines sint incocta*, qui quotidie propinetur, donec corpus detumescat. *Topica.* Foris verò, ut dolor mitigetur, *Balneum.* collocetur æger in balneum aq. cal. & vulneri imponatur *catapl. ex cinere Fraxini arboris, sale, nitro, sulph. simul cum vino mixtum.* *Emplast.* Tumor quoque tùm vulneris, tum totius corporis post sudoris profusionem probè abstergatur *lixivio tepido ex cinere Fraxini & aceto facto, spongiaque excepto.* Prodest denique corpus tumidum obvolvere *catapl. ex far. hordei, stercore capril. p. æ. & q. s. vini & mellis, simulque in Cataplasmatis formam redactis.*

Tarantula. TARANTULA *Italorum* quoque est vermis, magno araneo similis, utrinque ternis pedibus & cauda aculeata & venenata præditus, qui in arvorum segetumque cavernulis ac rimis latitat, & in æstate progrediens, messores incautos pernitioso vulnere pungit. In plerisque *Italiæ* locis, maximè in *Apulia*, familiaris est hic vermis; in nostris autem Borealibus regionibus nomine solo notus est, ideo illum silentio præteriissem, nisi admiranda symptomata, quæ ex ejus morsu contingunt, & eorum æquè mirabilis curatio, commemoratione digna mihi visa fuissent. *Symptomata miranda.* Quemadmodum vinum meracius, largiùs potum, varios animorum affectus concitat, pro diversitate temperamenti bibentium: Ita icti ab *araneo Tarantula*, pro diversitate temperamenti corporis, variis afficiuntur animi passionibus. Sanguinei enim exhilarantur, rident, saltant & indesinenter tripudiant: Pituitosi à *Tarantula* icti torpent & continuè dormiunt, & sudore frigido madent; Biliosi crebò vomunt, irascuntur, rixantur & Phrenetici redduntur: Melancholici verò, mœrore afficiuntur, contristantur, & variis phantasmatis territantur, & in maniam incidunt. *Curatio.* Ex iis sanguinei facilius curantur solis Musicis instrumentis, ad quorum sonum avidissimè tripudiare & saltare gestiunt; ac si sine intermissione Musices, eò usque saltent, donec venenum per sudorem & insensibiles evaporationes discutiatur, statim liberantur ac sanantur. Initio itaque in omnibus temperamentis *Theriac. Androm.* ʒ. II. *cum vino* exhiberi debent; & ad sudoris propulsionem cogi. Deinde pro temperamenti cujuslibet ratione, prædominans humor jam veneno infectus subducendus est; ac tandem ea ipsa remedia, quæ paulò ante de phalangiarum ictu commemorata sunt, & intra & extra corpus exhiberi & applicari possunt.

Apes, Vespæ & Crabrones quid, & quæ ictu suo inferant symptomata; & qualis eisdem debeat adhiberi curatio.

Apes. Vespæ. Crabrones. Μελίσσαι, *Apes*, die Immen / σφῆκες, *Vespæ* die Bromsen / Ἀνθρηνοι, *Crabrones* die Hummelen / sunt congenera insecta, mellificantia, aculeata, volitantiaque; ictu morsuque suo noxam inferentia. Ex iis Apes sunt nobilissima animalcula, & humanæ vitæ utilissima, ut quæ hominibus mel, & *Commoda ex apibus.* ceram, præstantissimis medicamentis, gratis, magno cum quæstu subministrant. Proposuit nobis Deus in apiculis pulcherrimam imaginem justæ & optimè constitutæ Reipublicæ, & illustria exempla multarum virtutum, pietatis, beneficentiæ, casti-

 tatis,

tatis, justitiæ, providentiæ, sedulitatis; parsimoniæ & reverentiæ, ac obedientiæ erga Magistratum; quæ omnia à nobis *in peculiari oratione de Regia Apum Republica in hac Academia publicè declarata sunt*: quæ hoc loco πάρεργα esse judicamus. Admiratione dignum est Apes in alios homines tam esse benignas ac propensas, ut etiam lacessitæ & catervatim ei insidentes, tamen minimè pungant, aut noxam inferant; in alios verò adeò infestos, ut eos extremo prosequantur odio, si propius astiterint, & suos aculeos omnes cum suo intercidio jaculentur; moriuntur enim ubi aculeum amiserunt, disruptis interioribus. Non aliud symptoma inferunt apes suo ictu, præter acerbissimum & pungentem dolorem, & aliquam loci puncti rubedinem. *Apum ictus CVRATIO facilis est*, si statim aculeus in vulnere hærens artificiosè vel unguibus, vel acu extrahatur: & si fieri non queat, locus punctus fomentetur & irrigetur *aq. calida marina*; deinde vulnusculo imponatur *folium Malvæ aceto imbutum*, aut *catapl. ex farina hordei, & pul. fol. Malvæ cum aceto simul mixtum*; aut imponatur herba *Melissa viridis* contusa. Verum hæc omnia superat in dolore sedando, si apes captæ & contusæ, cataplasmatis modo icto loco imponantur.

Noxæ ex ictu apum.

Curatio.

Cataplasma ex apibus.

Vespæ ex genere sunt Apum, sed nonnihil majores & longiores, quæ nullam hominibus præstant utilitatem, sed longè acrius & violentius pungunt, quam Apes, nec inter pungendum aculeos amittunt ut Apes. Symptomata excitant vespæ præter acerbum dolorem, etiam loci puncti tumorem cum rubore; sed & hæc symptomata iisdem pharmacis mederi possunt, quibus Apum ictus. In genere autem præstat loco affecto hæc sequentia imponere: *Catapl. ex stercore bubulo, cum aceto temperatum*; *Aut Cataplas. ex campho. & ol. Rosac. contritis paratum.* Leniunt dolorem & *lenticulæ palustres cum aceto contritæ* & loco puncto impositæ. Similiter & *aq. rosar.* linteolis excepta & applicata. Similiter *fol. Sisimbrii aut Mellissophyli* contusa & imposita. Crabrones quoque sunt ex Apum genere, sed Apibus Vespisque majores, rotundæ, nigræ, hirsutæ, & circulo luteo intersectæ, quæ cum bombo seu murmure volitant. Crabrones ictu suo similia Vespis symptomata inferunt, quibus eisdem remediis succurrendum est.

Noxa vespārum.

Curatio.

Crabronum noxa.

Serpens quid, & quæ serpentum species.

Ὄφις, *Anguis, sive Serpens*, eine Schlange / nomen habet à *serpendo*, quod videlicet *citra pedum adminiculum*, quibus caret, per terram serpat, & convolvatur. Omnes serpentes venenati sunt, & suo morsu animantibus exitium adferunt. Hominibus verò non tantùm morsu sunt perniciosi, sed sæpe intra corpus per os & gulam oscitantibus & dormitantibus ingrediuntur, & molestissimis torminibus excruciant. Quin & suo aspectu ex quadam antipathia homines perterrefaciunt: proculdubio vi & efficacia Maledictionis Divinæ in Antiquum Serpentem, ubi scriptum est: *Inimicitias ponam inter te & Semen. Mulieris.* Serpentes verno tempore pellem exuunt, inter duos lapides; & novam acquirunt pelliculam, quas *serpentum exuvias*, Græci γῆρας ὄφεως, id est *senectam serpentis*, Plinius *vernationem serpentum*, nostri, eine Schlangen Haut oder Schlangen Bauch nominant. Earum exuviarum utilitas est, teste *Dioscoride*, quod si in vino aut aceto decoquantur, & dolentibus auribus aliquid instilletur, aut eo decocto, dolentes colluantur, statim cessat dolor. Plures serpentum species enumerant Veteres, quæ maxima ex parte in hisce Borealibus regionibus incognitæ sunt, ut sunt Vipera, Ammodita, Acontiæ, Ἀμφισβαίνα sive Cæcillia, Druynus, Hæmorrhous, Dipsas, ὕδρος natrix, Cerastes, Aspis. Ex his serpentum speciebus *Italiæ* familiares sunt Vipera, Dipsas & Hæmorrhous; *Germaniæ* autem

Serpens.

Serpens homini multis modis noxius.

Exuviarum serpentum Usus.

Multa serpentum species.

autem familiares sunt Coluber & Hydrus. De eorum itaque duntaxat morsibus, & inde excitatis symptomatibus, eorundemque curationis ratione, breviter ordine tractabimus.

Vipera quid, quæ inferat symptomata, & quibus curanda remediis.

Vipera; Ἔχιδνα, *Vipera*, eine Adder/ serpens est ferus & virulentissimus, *Italiæ* familiaris, *Germaniæ* ignotus. Sola vipera inter serpentes intra se semen concipit, & fœtum in utero gerit. *ejus partus.* Non tamen vera est opinio *Plinii*, qui scribit, fœtus Viperarum maternos uteros erodere, matrique necem inferrè. *Usus Carnium ejus.* Sed id verum est, viperas diu parturire, & numerosos fœtus parere, singulis diebus unum usque ad 23. Carnem viperinam miris modis celebrat *Galenus* in propulsione impuritatum sanguinis ad cutem externam. Ideò Theriaca nobilissima antidotorum genuina parari non potest, nisi caro viperina in pastillos redacta, eidem admisceatur. Narrat præterea *Galenus 11. simplicium* duas venustas historias, de efficacia & virtute Viperarum; *In Elephantiasi.* Unam quam *in Asia* contigisse, & se vidisse testatur, ubi cum quidam Elephantia laborans, à reliqua consuetudine hominum separatus, extra pagum in tuguriolo miserrimè viveret: Messores ejusdem loci vesperi domum redeuntes, vinumque secum referentes, in quo fortè fortuna *vipera* erat illapsa, & extincta, quod ipsi bibere, tanquam perniciosum venenum, abhorrerent, ex quadam commiseratione Elephantiaco bibendum obtulerunt, sperantes ea ratione hominem miserum moriturum, suæque miseriæ finem consequuturum. Elephantiacus vino exhausto præter messorum expectationem, adeò non est mortuus, ut altero die omnis lepræ crusta è corpore decideret, & integræ sanitati restitueretur. Altera historia huic non est dissimilis; Erat *in Misia Asiæ* prædives quidam Elephantiacus, qui ad thermas profectus, habebat secum administram scortum, quæ pertæsa consuetudinis tam fœdi heri, ut ab eo liberaretur non inveniebat occasionem, nisi quod viderat in dolio vini, ex quo herus ipsius bibebat, viperas esse illapsas, & in eo extinctas; (mirificè enim delectantur viperæ vino) ipsa hac occasione læta, simulans se ignaram esse vino mersas esse viperas, & ipsa quidem ab eo abstinebat, sed domino etiam solitò crebriùs & largiùs propinabat; sperans herum brevi à venenato vino interiturum; sed quantò herus vinum assumebat largiùs, tantò quotidiè à lepra purgabatur magis; & brevi sanitati est restitutus. Unde tandem facta diligenti inquisitione à muliercula, quid novi sibi remedii in esculentis aut potulentis exhibuisset, ipsa tandem confessa est viperas in vino quod bibisset extinctas fuisse; & ea ratione tandem caro viperina in usum medicum translata est; & usque in hodiernum diem, Theriacæ contra omne venenum, præparata, & in pastillos conformata admiscetur. Pastilli vero ex carne viperina ea ratione conficiuntur: *Pastilli ex carne viperina ut præparentur.* circa initium æstatis capiuntur viperæ, eis caput & cauda abscinduntur, ut partes venenosiores; reliqua verò corporis pars à pelle extrahitur, & cum intestinis abjicitur, & aqua salita probè abluitur, caroque in partes concisa cum aqua coquitur, adjecto viridi *Anetho.* Tandem caro à spina separatur, & in mortario diligentissimè contunditur, & singulis unciis carnis viperinæ admiscentur *medullæ panis ex puriss. farinæ coctæ, epiccatæ & in pul. redactæ* ℥ ij. Quæ simul subiguntur in mortario, & in tenues pastillos conformantur, inque radiis solaribus exactissimè siccantur; quotidie verò ne marcescant pastilli invertuntur, & ad usum reservantur. Ex morsu viperarum dira & lethalia oboriuntur symptomata: *Mala ex viperæ ictu.* statim enim post ictum universum intumescit corpus, & faucium vehemens siccitas, & capitis dolor subsequitur: Ex vulnere autem cruenta sanies manat, & circum tumens vulnus pustulæ adustæ & nigricantes excitantur; intra corpus epar sensibiliter inflammatur,

quam paulò poſt bilioſæ evomitiones comitantur, in quibuſdam accedit ſopor & ſudor frigidus cum cruenta urina, niſi etiam citiſſimè veneno occurratur, alios intra 7. horas, alios tertio, alios ſeptimo die interimit.

Curatio acceleranda. CVRATIO itaque celeriter eſt adhibenda, & violentia veneni infringenda. Ubi itaque quis à vipera demorſus fuerit, vulnus & tumor circa vulnus ſcarificentur, & cucurbitula imponatur; viruſque eliciatur, aut vulneri ſtatim imponatur gallina vivens diſcerpta, interioribus ſuis adhuc tepens, idque aſſiduè repetatur: Interim & vomitio excitetur, aſſumpto hauſtulo *aq. Iuniperi per deſc. deſtillat.* aut multa *rad. Raphani* comeſta, & iterum evomita. *Vomitus.* Poſt evomitionem exhibeantur ʒ. I I. *Ther. Andro. cum vino*, quo aſſumpto ſudor eliciatur, ac denuo vomitus procuretur. *Antidotus.* Poſtea multum *allii* devorandum, aut *cum vino* contuſum bibendum propinetur. His peractis *ſuccus fol. Fraxini arboris fol. Meliſſæ cum baccis Iunip. contuſis parumque vino addito*, exhibeantur. Præſtat quoque alternatim potandum offerre *vinum, in quo cort. rad. fraxini ſint incocta, commodiſſ. & pul. Nigellæ ſive Melanthii* ʒ *ij. cum eodem vino exhiberi poſſunt.* Itidem præſtat & *vinum* ſubinde bibitum in quo *ſcord. rad. verbaſci rad. Ebuli & baccæ juniperi ſunt incoctæ.* Similiter utiliſſimè exhiberi poſſunt *cancri fluviatiles cum lacte caprillo contuſi & expreſſi, ſubindeque bibiti.* Foris verò prodeſt vulnus diu multumque fovere *decocto Scordii & Cort. fraxini cum vino. Fraxinus* enim *arbor* eam habet cum omnibus ſerpentibus antipathiam, ut ejus arboris umbram ferre nequeant. *Fraxinus arbor ſerpenti fuga.* Deinde vulneri *Theriaca cum ſucco fol. fraxini* temperata inſtar Epithematis imponatur, aut *ex ſtercore caprino cum pauxillo vini Empl.* paretur, aut imponatur *catapl. ex fol. Fraxi. & baccis Iunip.* ſimul contuſis, aut *catapl. ex furf. tritici cum ſucco rutæ confectum.* *Cautela in conſolidatione vulneris.* Oportet autem ſtudioſe cavere, ne vulnus ex Viperæ morſu illatum citò conſolidetur, ſed diu apertum retineatur, inſerta *rad. Gentianæ* vulneri. Ex genere Viperarum quoque ſunt hæc tria ſerpentum, *Italiæ* cognitiorum: *Aſpis, Amotida*, & *Dipſas*, viperis non diſſimilia, ex quibus Aſpis reliquis peſtilentior eſt. Aſpidum applicatione *Cleopatra Regina* ſubitam ſibi necem conſcivit; & ex Aſpidum quidem morſu vulnus acceptum, aut nunquam, aut rariſſimè curatur. Referunt tamen ſi morſis ab Aſpidibus *centaurium minus cum vino contritum* bibendum propinetur, & illud pharmacum vulneratus evomat, nullam reſtare amplius reſtituendæ ſanitatis ſpem. *Aſpidis lethales morſus.* Si verò non evomuerit, adhibita diligenti curatione ſervari poſſe hominem, applicatis iiſdem remediis, quæ in morſu viperæ commemorata ſunt. Et propria quidem Aſpidum remedia ſunt ℈ I. *ol. è Myrrha, aut* ʒ. I I. *Ther. Andro. cum vino propinata, aut* ʒ. I. *oppopanacis cum vino diluta & ebibita*, rurſumque evomita. Foris autem Aſpidum ictibus commodè applicari poteſt *centau. min. cum Myrrha, & pauxillo opio in catapl. formam redactum*: ſimiliter & Amotidæ & Dipſades, quæ ab inextinguibili ſiti, quam inferunt, nomen habent, tam ſunt virulentæ, ut trium horarum ſpatio homines enecent; in his eadem remedia tentanda erunt, quæ in morſu viperæ ſunt prolata. *Remedia contra aſpidis virus.* Peculiare autem Antidotum eſt *pulv. Caſtor. & Menthæ ana* ℈ 5. *cum Ther. Andro.* ℈ 5. *in vino exhibita.* *Antidotum.*

Coluber quid, quæ inferat ſymptomata, & quibus ejus mordicatio curanda remediis.

Coluber. Ὄφις, *Serpens*, *Anguis*, *Coluber*, Eine Schlange oder Schnake/ ſynonyma ſunt, quæ omnibus ſerpentibus toti Germaniæ familiaribus tribuuntur, qui verno tempore inter gramina in vepretis, in ſylvis cænoſis, & circa urbium muros, aggeres, circaque loca paluſtria paſſim conſpiciuntur. Quanquam ſint qui Angues in aquis, colubros verò in ſylvis degere exiſtiment;

ment; & angues natrices & ὕδρυς appellent; sed & apud probatos autores hæc omnia confunduntur. Omnes homines inopinato serpentum conspectu perterrefiunt, & ipsi serpentes similiter conspecto homine contremiscunt, & ad cuniculos suos fugiunt; sed tamen si per imprudentiam vel pedibus concutiantur, vel alia corporis parte attingantur, morsum inferunt, & venenum in vulnus inflictum ejaculantur, sævaque excitant symptomata. Nos itaque omissis reliquis serpentum generibus à *Græcis* autoribus recitatis, nobisque incognitis, de communibus hisce & omnibus cognitis serpentibus breviter differemus. Ut autem supra dictum est, omnium serpentum genera venenata esse, & suo morsu venenata inferre symptomata; ita & nostri serpentes, sive hi in sylvis aut vepretis, sive in aggeribus, sive in locis stagnantibus degant, morsu suo hæc potissimum inferunt symptomata: dolorem tu-

Noxa. moremque loci demorsi, deinde virulentæ saniei è vulnere profluvium; nauseam, capitis dolorem, & tandem neglecta curatione subsequitur totius corporis intumescentia, & ipsa denique mors.

Curatio. CVRATIONIS Methodus iisdem pharmacis est instituenda, quæ paulò ante in morsu viperæ à nobis est proposita; peculiariter autem ab omni genere serpentum demorsis symptomatibus plurimum prodest *Fragaria herba cum rad. in vino cocta & bibita*: Itidem præstat & *herba Veronica*, quam *Teucrion* esse certum est; aut exhibeatur sequens pul. ℞ *rad. Gentia.* ʒ I. *Rutæ*, *Scordii, piperis ana* ℈ I. *commisceantur & cum vino exhibeantur*. Aut ℞ *Herbam frag. cum rad. & sarmentorum mori batti* oder Bramberen. *M.* I. *concisa commisceantur, & in vini albi* ℔ II. *in duplici vase concoquantur, colato vino admisceatur* ℥. I. *Ther. Andro. de eo singulis diebus* ℥ III. *calidè mane ac vesperi ebibantur*. Aut ℞ *Ther. Andro.* ʒ I. *pul. cornu cervi in Autumno capti, Terræ Lemniæ ana* ℈ I. *quæ simul cum* ℥ 4. *aceti*

Antidotum contra omnium serpentum plagas.

Rosa. mixta ebibantur. Porrò foris vulnus ex ictu serpentum scarificetur, & venenata sanies, vel cum cucurbitula applicata eliciatur, aut pullus galliano deplumato vulneri applicetur; & ubi emoritur pullus, novus vivus applicetur, ejusque applicatio eo usque reiteretur, donec pullus vivus remaneat. Reliqua ex curatione morsus viperini petere licebit. *Topica.* Contingit autem, quamvis rarissimè, ut vel pueris, jumenta sua in vepretis & sylvis pascentibus, vel hominibus lassitudine defessis, & hiante ore dormientibus, serpens intra corpus irrepat, qui ventriculi continuam frigiditatem & acerbissimos colicos cruciatus excitat; præsertim ubi diutius à cibo abstineat æger; aut si cibi potionesque & pharmaca, palato serpentis minus grata ingerantur; in ejusmodi casu medicamentis vel extingui serpentem, vel propelli extra corpus, valde difficile est, & summo cum dolore tentari potest; & tamen experientiâ compertum est, si lac dulce, fervens & vaporans, corpore toto antrorsum incurvato, capiteque versus terram inclinato, aperto ori in aliquo vase subjiciatur, ita ut lactis dulcis vapor in gulam elevetur, serpens in ventriculo contentus nidore lactis allicitur, & per os progreditur, & in ipsum lac insilit. *Curatio à serpente vivo deglutito.* Si autem serpens in intestinis delitescat, quod ex frigiditate ventris infra umbilicum agnoscitur, multum proderit, *prius vinum bibere, in quo cort. cum rad. fraxini sunt incocti*; deinde *fumum veterum calceorum, aut fumum serpentum adustorum, aut fumun fol. frax. per fistulam infundibuli intra os assumere ac deglutire*: Hac enim ratione per alvum egreditur vivus serpens. *quomodo serpens per anum deturbandus.* Cavendum autem ne decipiatur Medicus, & sibi persuaderi patiatur quenquam serpentem in corpore gerere, nisi ex certis indiciis, ac potissimum *frigiditate continua ventris, & torminibus* ex fame deprehenderit: Sæpè enim homines Melancholia detenti sibi imaginantur & persuasum habent serpentem & ranas in ventre

ventre delitescere: id quod & *Galeno* contigit, qui cum ægroto persuadere nullis rationibus posset, eum non habere in corpore serpentem, tandem consensit ægroto, & ipsius opinionem confirmavit, salutaremque ei curationem promisit; obtulit autem Melancholico potionem validè per vomitum purgantem, jussitque ut clausis oculis in pelvim evomeret, ipse verò vivum serpentem, cui virus erat detractum, inter vomendum pelvi injecit, ac ægrotantem inspicere jubet, gratulabundus quod à tanto hoste esset liberatus. Nec id silentio prætereundum puto, in capite colubri lapillum contineri, qui hac ratione eximi potest; captus vivus coluber circa caudam funiculo constringatur, & demisso capite deorsum versus terram suspendatur, capitique pelvis aqua pura plena subjiciatur, ita tamen ne aquam serpentis caput attingat, & ita suspensus anguis altero vel tertio die moriturus in pelvim lapidem evomit; à quo omnis aqua in pelvi contenta, brevi temporis spatio exsiccabitur. Hic lapis si ventri tumenti Hydropicorum alligetur, latenti facultate & substantiali forma aquam Hydropicorum exsiccabit.

Lapis in capite colubri hydropicorum aquas sorbet.

Scorpio quid, quæ inferat symptomata, & ut ea curanda.

Scorpio.

Σκόρπιος, *Scorpius.* Sunt autem Scorpii, vermes subnigri exiguis cancris nonnihil cum suis chelis similes, caudam habentes senis aut septenis internodiis distinctam: In cujus caudæ extremitate hamum habent incurvum, quo pungunt & inficiunt. In hisce frigidis nostris regionibus ignoti sunt Scorpiones; In *Italia* autem cubicula, cellaria & alia loca Scorpionibus referti sunt. Adferuntur ad nos Scorpiones in ol. extincti, quod *ol. Scorpionum* dicitur, & ritè præparatum, copiosisque Scorpionibus in illis extinctis, utilissimum est remedium. Nam præterquam quod vulneribus à Scorpionibus illatis illinitur, & dolorem sistit, citissimeque vulnus persanat; etiam in calculi doloribus illitum renibus & inguinibus, statim eos mitigat; Quin & in omni veneno intra corpus assumpto, si non est corrosivum, temporibus & corporum arteriis cordique illinitum, violentiam veneni frangit, pestilentibus quoque bubonibus utilissimè affricatur. Ipsi autem Scorpiones si vivi concrementur, & cinis eorum in vino exhibeatur, calculum tum renum, tum vesicæ potenter expellunt. Ex ictu autem Scorpionum satis sæva excitantur symptomata, & nonnunquam etiam lethalia; locus enim punctus primum inflammatur cum rubore & acerbo dolore: Deinde inæqualis subsequitur intemperies corporis, quod nunc æstuat, nunc rursum frigore infestatur. Tandem & sudor frigidus subsequitur, & horror cum tremore; ac si quis in pede à Scorpione ictus sit, ei bubo circa inguina, si verò in manus, bubo circa axillas excitatur.

Ol. Scorpionum usus.

Usus Scorpionum.

Noxa.

CURATIO autem morsus Scorpionum facillima est, si vulnus confricetur oleo, in quo Scorpiones sunt extincti, aut capto Scorpione vivo ac contrito, vulneri imposito; intra corpus ictis à Scorpionibus utilissimum erit exhibere ʒ I. *pul. Aristolo. longa & salvia cum vino.*

Curatio.

Antid.

Rana terrestris, sive bufo, quid; quæ ranarum species? Quæ utilitas; item quæ inferant symptomata, & quibus iisdem subveniendum remediis.

Βάτραχος, *Rana*, est animal quatuor pedibus proreptans & omnibus notum. Sunt autem plures Ranarum species, ex quibus innoxiæ sunt Ranulæ virides, per stirpium & arborum folia reptantes & braxantes, *Germanicè* Laubfrosch / quarum utilitas est, si inopinatæ inventæ syndone includantur, & in febri tertiana collo appendantur, febrim citissimè auferunt. Secunda species ranarum est Rana palustris, quæ in rivis degunt, & aut viridis aut cinericii sunt coloris, & in Vere manè ac vesperi coaxant, *Germanicè* ein Wasserfrosch / & minus sunt venenatæ; siquidem in *Italia* gulam irritarunt, & pro

Rana.

Laubfrösche *fortasse curatio à frigore subinde corpus alterante. Harum Epata admirandum auxilium ferunt*

Epileptecis, etiam adultioribus.

& pro cibo uſurpantur; eſitatæ autem ſerpentum venenatis ictibus medentur.

Bufones.

Tertium genus Ranarum eſt earum quæ ex terræ putredine generantur, & in vepribus aut in hortis circa ſepes aut cellis humidis degunt, craſſæ & venenatiſſimæ. Turgent enim venenato humore, & Græcis *βάτραχοι γαιώδεις* aut *χερσαῖοι* vel *φρῦνοι*, Latinè Rubetæ & Bufones, noſtratibus Kröten nominantur. Ex quarum genere ſunt illæ, quæ duriſſimâ teſtâ ſunt armatæ, adeò ut nec perfodi, nec gravi onere frangi lædivè poſſint, noſtris ein Schiltpogge. Etſi autem bufones totâ ſubſtantiâ exitioſo imbuti ſunt veneno, & non tantum ſuo contactu, vel intra corpus aſſumptione perniciem afferunt, verùm etiam ſuo madore, ſaliva & urina venenata, quam longè lateque ſpargunt, & herbas, radices & fructus terreſtres veneno imbuunt, & homines inficiunt, tamen ſuas quoque habent utilitates.

Armatæ illæ potius inter paluſtres cenſendæ.

Hiſtoria.

Iohannes Bocatius venuſtam hiſtoriam de triſti caſu duorum amantium adoleſcentis & puellæ recitat, qui cum ut ſe mutuis colloquiis oblectarent, ingreſſi eſſent amœnum viridarium, & conſediſſent ad *ſalviæ herbæ fruticem*, ac inter confabulandum decerpſiſſent *fol. Salviæ*, eisque dentes & gingivas confricaſſent, ſubitò extincti ſunt. Nam primum adoleſcens guſtans *Salviam* ſtatim procumbendo vitam exhalavit; quo miſerabili ſpectaculo conſternata puella, ex viridario profugit ad parentes adoleſcentis, eisque interitum filii denuntiavit; parentes rati ipſam puellam filium ſuum jugulaſſe, captam ad Prætorem deducunt, & ut torturæ eam ſubjiciat, orant: Prætor prudens, ut veritatem rei certiùs explorare poſſet, effecit ut puella cum ipſo in viridarium deſcenderet, eique locum, ubi Adoleſcens erat extinctus, oſtenderet; & quid Adoleſcens ante interitum egiſſet, enarraret. Ipſa cum Prætore in hortum deſcendens, eodem loco, ubi ſederat antea *ad radicem Salviæ* conſedit, decerptaque *folia Salviæ* ut prius Adoleſcens fecerat, gingivas confricat, & in conſpectu Prætoris ſtatim & ipſa concidit & extinguitur. Id videns Prætor *Salviæ fruticem* evellere jubet, ſub cujus radice horribilem ſtabulari conſpicit bufonem, unde facilè conjicere potuit, *Salviam* à bufone virulento madore fuiſſe contaminatam. Hæc ob eam cauſam recito, ut homines, fruges, herbarumque folia & radices & fructus terreſtres, quales ſunt *fraga*, non temerè guſtent, antequam probè ſint abluta.

Utilitas bufonum.

Ad utilitates quod attinet, Bufo palo acuto confoſſus, & in libero aëre exiccatus, ſi tempore peſtis in aceto madefiat, & carbunculis peſtilentibus imponatur, omne venenum peſtiferum è corpore elicit.

Lapis bufonum.

Geſtant in corpore Bufones *lapillum*, quem noſtri Ein Kroten Stein/ oder Poggen Stein nominant, excellentis efficaciæ adverſus omnia venenorum genera, qui tamen non in omnibus locis reperitur, nec facilè ab eis eximitur; poteſt tamen commodiſſimè hac ratione acquiri: Bufo vivens quam maximus in fictili multis foraminibus pervio ex abrupto captus imponatur, & cooperculo contegatur, ac in myrmetion ſive formicarum acervum defodiatur ac contegatur, poſt menſisque curſum eximatur: tunc enim in fictili omni carne à formicis exeſa ſola oſſicula, & in capite Bufonis lapis reperitur, qui auro incluſus & in digito geſtatus, omnis veneni præſentiam ſtatim oſtendit; ſudore enim madeſcit, & ejus lapidis ℈ 1. contritus, & cum vino aſſumtus venena tum ſerpentum, tum quoque ipſius Bufonis extinguit.

hæc magis rumori vulgi, quam rationi & experientiæ conveniunt. qui pro veris habentur, magis hæmorrhagias ſiſtunt, quàm venena tollunt.

Symptomata ex bufonibus aſſumptis.

Symptomata pernicioſiſſima ſunt, quæ ex cinere combuſti Bufonis intra corpus aſſumpti, aut ejus carne deguſtata, aut ſanguine hauſto, aut ex herbis, radicibus aut fructibus ſaliva urinave Bufonis infectis, & intra corpus ingeſtis excitantur, quorum præcipua hæc ſunt: Totius corporis ſubita intumeſcentia cum buxeo, id eſt, ex flavo in viridem vergente colore, faucium & gutturis inflammatio, & reſpirationis

interceptio, gravis & fœtidus halitus, fastidium, vomitio, vertigo, delirium, convulsio, animi deliquium, & postremò misera mors; & si qui per tempestivam medicationem liberantur, tamen ut plurimum edentuli redduntur.

Curatio. CVRATIO veneni Bufonis statim initio maturanda est, & ita procedendum: Initio assumto haustulo *aq. Iunip. per descens. destill.* excitetur vomitio, post vomitum statim exhibeantur per triduum singulis diebus ℨ *ij. Ther. Andro. cum vino*, quo assumto in calido clibano, aut in vaporario balneo calido sudor proliciatur, post sudorem *gutt. V. ol. vitr. aut ol. Angel. cum trib. cochlea. vini* exhibeantur, & subinde vinum meracius, in quo *ruta fol.* sunt macerata, bibendum propinetur. Antidotum adversus venena Bufonis est ʒ. ß. *Gemma Smaragdi aut* ℨ ß. *Lap. Bufonis, aut gr. V. Vnicornu in vino exhibita.* Foris autem manè ac vesperi utilissimum erit universum corpus tumens *ol. Scorp. cui ol. vitr. nonnihil sit admixtum*, inungere. *Elegans antidotus plantaginis decoctum.*

Hirudo quid, qua ejus utilitas, qua excitet symptomata, & quomodo ea curanda.

Hirudo. Βδέλλα, *Sanguisuga*, ein Egel/est vermis lumbrico terrestri non dissimilis, niger, in aquis palustribus stagnantibus, & limosis ac cœnosis natans, qui nudis pedidus hominum in aquis ambulantium adhæreſcit, sanguinemque tam diu sugit, donec repletus spontè decidat.

Vsus in Medicina. Hirudinum insignis est utilitas in arte Medica, quibus utimur, vice cucurbitularum, aut venæ sectionis in evacuatione impuri & putridi sanguinis, in quibusdam morbis particularibus, veluti sunt Hæmorrhoïdum tumor, varices sive venæ tumentes: Bubones pestilentes, Anthraces, Serpigines, & alia maligna ulcera; ex iis enim applicatæ hirudines cucurbitularum modo putridum & adustum sanguinem eliciunt. Applicandæ autem sunt Hirudines, ita ut primum toto corpore includantur calamo arundinaceo, capitibus tantum ex calamo prominentibus: Locus verò affectus primò fovendus erit *aq. cal.* donec rubescat, & mox loco affecto capitibus admoveantur, quæ eo usque sanguinem sugere permittantur, donec sponte decidant; quibus delapsis, si necessitas efflagitat, aliæ atque aliæ applicari possunt. *quomodo applicanda.* Vbi verò post suctum sanguinis ultrà modum erumpat, ejus eruptio cohiberi debet imposita vulneri *tela aranearum*, aut insperso pul. tenuiss. cineris. Si quis autem suctum Hirudinis non amplius ferre velit, revellique eam cupiat, capiti ejus modicum salis inspergat aut calcis, & statim sine noxa decidunt; aliàs si violenter revellantur, rostra sua in vulnere relinquunt, & dolorem, vulnerisque difficiliorem curationem pariunt; possunt tamen ea quoque vulnera facilè sanari, si eis *cera viridis sigillatoria* instar emplastri imponatur. Contingit crebrò ut iter facientes defessi & siticulosi aquam quamlibet obviam ex lacubus & stagnis avidissimè potitent, & accidit crebrò, ut per imprudentiam unà cum aqua limosa hirudinem hauriant, quæ statim adhæreſcit aut faucibus ipsis, quod ex sanguinis expuitione dignoscere licebit; aut adhæreſcit orificio ventriculi, aut capacitati ejus; id quod ex suctionis sensu percipi potest, ac ita molestissima nec periculo carentia, si negligatur curatio, excitat symptomata, ut prostrationem appetentiæ, & varias ac melancholicas imagines; Matura itaque iisdem curatio est adhibenda.

Curatio CVRATIO itaque Hirudinum epotarum, est earum revulsio & expulsio, aut mortificatio. Si itaque Hirudo in faucibus aut gutture hæreat, tum universum corpus aqua calida immergatur, capite eminente, assumatque æger os plenum aq. frigida, & subinde ea mutetur; ea enim ratione toto corpore calefacto ad aq. frigiditatem in os prorepit hirudo, & cum aqua exspui potest; aut subinde gargarisentur fauces *hirudinum faucibus adhærescentium.*

cum

cum aq. in qua nonnihil *aluminis & calchanti seu vitrioli* est incoctum. Si verò in ipso ventriculo aut ejus orificio hæreat hirudo, crebro, sed leniter, bibatur *muria*, aut bibatur *acetum* in quo *Asa fœtida* sit dissoluta, aut bibatur *suc. radic. Rapha. cum aceto mixtus.* Sed his præstantius remedium ℈. ß. *ol. vitr. cum tribus cochlearibus vini* ebibitus. Quin & *ol. olivarum* si crebrò propinetur, extinguitur hirudo, quæ cum *Hiera picra simplici* expurgari poterit.

In ventriculo.

Basiliscus quid, & qualem inferat perniciem, & quibus succurrendum remediis.

Βασιλίσκος, *Regulus*, ein Basilisch, Basilisci nomenclatura duobus venenosis & ferocissimis animalibus tribuitur. Serpenti, & monstroso gressili animanti. Basiliscus serpens coronatus, non tantum suo morsu, sed solo intuitu & sibilo cuncta animantia interimit, quem *Ælianus & Plinius* in Cyrenaica regione reperiri scribunt. Basilisci verò sæviss. feræ meminit Galenus *in lib. de Ther. ad Pison. eumque* βασιλικὸν θήρειον *vocat*, dicens, quod sit belua subflava, triplici frontis apice munita, quæ & ipsa quidem serpens. Basiliscus solo intuitu & sibilo videntes & audientes necat; & si quod præterea aliud animal illum etiam mortuum attingat, statim extinguitur. De hujus Basilisci historia & ejus procreatione vulgus multa fabulatur, & aniles nugas profert; ait enim vulgus, gallum annosum ac decrepitum, circa nonum suî annum, æstivo tempore ovum parere ex putrefacto semine genitum, forma orbiculari & colore vario, ex quo ex incubatu Bufonis generatur Basiliscus monstrosum animal, caudam serpentis, corpus autem gallinæ habens, quod obvios quosque solis radiis visivis interimat, & bufonem hunc suum virulentum fœtum statim genitum in subterranea antra, in fontium margines & cellaria deserta deportare; quæ loca quicunque accesserit, statim interire; & quamquam experientia testetur, ex annosi galli ovo, vel proprio fœtu, vel alius animantis vermem, aut aliud animal monstrosum & venenatum generari: tamen illud esse Basiliscum, & intuitu suo posse occidere animantia, rationi consentaneum non videtur; nec illius temporis historiæ contestantur. Nam quod quidam in subterraneis cuniculis, aut ad fontes & in solitariis cellariis subitò extinguantur, id non arguit ibidem esse Basiliscum, qui solo intuitu interficiat, sed potius venenatum halitum, qui ex specubus exhalet. Symptoma Basilisci est mors subita atque citissima. At mortuis frustra adhibentur Antidota; de ejus itaque curatione quicquam dicere, supervacaneum esse judico; veruntamen, modò non sit fabula, ajunt, inter omnia animantia solam mustelam esu pastuque *ruta* armatam, cum Basilisco serpente congredi audere, & illum extra suas latebras protractum, fortiter interimere. Laudatur à Medicis ad Basilisci morsum. ℥ I. *castor. cum vino epota*; quæ Erasistrati Medici est sententia.

Basiliscus. Ubi inveniatur.

Torpedo quid, quæ inferat symptomata, & quibus curanda remediis.

Νάρκη est piscis marinus in *Germania* ignotus, validissimo veneno imbutus, ex genere planorum & cartilaginosorum piscium, quales apud nos sunt *solea*, die Schullen, & *Salpa* die Bütten. Dorsum habent rubicundum nigris quibusdam maculis, tanquam oculis, insignitum, suprema verò earum pars albicans est; *Oceano Germanico* ignotus, sed mari Mediterraneo familiaris. Nomen habet à torpore, quia non tantum suo contactu, sed mediante reti aut hamo hastaque manûs stupefacit, & tremulas reddit. Veteres Medici applicabant in capitis doloribus, ubi stupefactione opus erat: & nunc quoque in *Italia* in ardentibus capitis doloribus, qualis est φρενίτις, torpedinem mortuam applicare solent. Torpedo itaque capta & adhuc vivens per interventum retis, etiam antequam manu attingatur, hæc infert symptomata, rarò quidem lethalia, sed tamen formidabilia, manuum videlicet ac pedum musculorumque stuporem ac totius

Torpedo.

Unde nominetur.

Usus medicus.

tius corporis tremorem; mortuis autem nihil tale ineſt, ſed comeduntur in urbibus *Italicis*.

CVRATVR ſtupor ac tremor à Torpedine illatus crebra confricatione membrorum ſtupeſcentium, cum jejuni hominis ſaliva, & illinitione *olei Rutæ* aut *Scorpionum*, quibus adjectum ſit nonnihil *aq. Iunip*. Intra corpus autem *Ther. Androm.* ℥ *ij. cum vino hauſta* diſcutiunt torporem partium.

Paſtinaca marina quid, quæ ſuo punctu inferat ſymptomata, & quibus curanda remediis.

Paſtinaca marina. Τρυγὼν θαλασσία. Paſtinacæ vocabulum tribuitur etiam hortulanæ herbæ, quæ noſtratibus Paſternake nominatur, cujus radice in cibis, ſeminibus verò in medicina creberrimè utimur. Paſtinaca verò cum appendice, marina, piſcis eſt ex genere planorum & cartilaginoſorum piſcium, caudam habens incurvis & aculeis acutiſſimis, ſive radiis armatam. Hic piſcis Sole exſiccatus ex Oceano Septentrionali ad hæc maritima loca adfertur, uſurpaturque in cibis, qui noſtratibus ein Roche nominatur. *Symptomata ex harum punctione.* Sæpe autem piſcatores dentata ſua cauda pungit & vulnerat; quod vulnus valde difficilis eſt curationis; & ſi altius figat radices, nervosque in corpore lædat, pernicioſa infert ſymptomata, acerbum & continuum dolorem, vulneris ab ictu denigrationem, quod ubi digitis comprimitur, atra profluit ſanies, quæ omnia comitantur crebræ convulſiones, totiuſque corporis ſtupor, ac tandem mors.

Curatio eadem inſtituenda eſt, quæ ſupra de viperarum morſu curando eſt demonſtrata; peculiariter autem conferunt in principio ictus *Theriacæ Androm.* ℥ *ij. cum vino exhibitæ, aut* ℥ 1. *pulv. Scordii, aut* ℈ 5. *ol. Angel. cum vino meraciori.* Bibat præterea æger quotidie vinum, in quo *Scordion. fol. Roriſmarini & Salviæ ſunt incocta.* Foris autem ſtatim in initio cucurbitulas, cum ſcarificatione figere oportet, & ſanguinem venenatum elicere. Deinde cataplaſma *ex furfure & aceto* confectum, aut aliud Emplaſtrum attractivum vulneri imponere, & crebrò inſtillare *ol. Sulphur.* & cum eo adjacentes partes inungere. *Spinæ paſtinacæ utilitas.* Porrò etſi venenati ſunt radii illi in cauda paſtinacæ, tamen habent in medicatione non contemnendas utilitates: ſi enim his radiis gingivæ ſcarificentur, aut vulnerentur, dentium dolores ſtatim tollunt, ac ſi radii illi cum *Elleboro albo* ſimul conterantur, & denti illinantur, ſine dolore dentes extrahunt. *dentes ſine dolore extrahi poſſunt.* Equos quoque qui ſubcutaneis vermibus exeduntur, ſi eo ulcera ſcarificentur, aut purgentur, ſtatim perſanat.

Canis rabioſus quid, quæ cauſa rabiei, & ex quibus ſignis eorum rabies dignoſcenda.

Canis rabioſus. Κύων λυσσώδης, ein toller oder wütend Hundt / Canis omnium animantium hominibus familiariſſimus eſt, fideliſſimus domino ſuo, rerumque domeſticarum cuſtos, comes & excubitor, beneficiorum etiam poſt longum tempus memor, & injuriæ ab hero acceptæ citiſſimè obliviſcens. *Vſus Canum in medicinæ.* Habet canis in medicatione quoque ſuas utilitates; pinguedo ſiquidem canis, quæ impensè calefacit, humectat & extenuat, utiliſſimè inungitur in nervorum refrigeratione & luxatis articulis; ſimiliter & ſtercus canis candidum, & per gramina excretum, exſiccatumque, quod vulgò *album Græcum* appellatur, in pulverem redactum, *melleque roſac.* mixtum, faucium tumoribus & exulcerationibus illitum, egregie medetur. Sed canes inter omnia animantia, quæ rabie agitantur, veluti ſunt lupi, ſues & ſimiæ, creberrimè rabie corripiuntur, & cum hominibus, tum pecudibus, non tantum ſuo morſu, verùm etiam contactu ſuo venenatæ ſalivæ perniciem inferunt.

Cauſa rabiei in canibus. Cauſæ porrò rabiei in canibus προηγούμεναι ſunt calida & ſicca canum intemperies, quâ ſanguis eorum torretur & in aduſtam melancholiam convertitur, aut nervoſæ illius congeriei vermibus ſimili, quæ ſub

ſub linguis canum conſpicitur, & Græcis λύσσα, id eſt, vermis nominatur, putrefactio & inflammatio. Hæc enim vermiformis congeries ſi canibus catulis exiſtentibus ſecundò eximatur; aut ſi eorum caudæ extremitas abſcindatur, perpetuò immunes erunt à rabie, teſte *Columella*. Vbi verò hic vermis inflammatur & putreſcit, linguam ſimul inflammat, in tumorem elevat, & totum os contagioſa ſpuma & pituita replet. Cauſa προκαταρκ. ſunt ardor Solis, vigente enim Canicula in medio æſtatis ſanguis torretur, item vulnus ſive morſus ab alio cane aut rabido animali, aut ſpuma rabidorum animalium canibus inſperſa, quæ etiam citra morſus eis perniciem infert.

quomodo canes à rabie præſervandi.

Signa rabiei.

Signa & indicia, ex quibus canem rabidum eſſe cognoſci poteſt, præcipua hæc ſunt: Cibum & potum averſantur, auribus & cauda demiſſis ingrediuntur, vocem amittunt, aut raucam edunt, linguam ex ore propendentem gerunt, ex ore & naribus quotidie larga ſpuma & pituitoſa colluvies profluit, oculis torvis & rutilantibus homines intuentur, in omnes etiam homines & beſtias, ac ignotos & familiares irruunt, & ſine latratu mordent: Contingit verò nonnumquam, ut antequam hæc enumerata in cane appareant ſigna, ipſum jam rabie teneri, & ſuo morſu poſſe & hominibus & pecudibus pernicioſum morſum inferre; id quod accidiſſe ſcribitur, longè *Clariſſ. & Excellentiſſ. Iuriſconſulto Baldo*, qui cum *Tridenti* cum catulo luderet, quem in delitiis habebat, morſus eſt leviſſimo vulnuſculo in inferius labium; quod *Baldus* ignorans catulum rabiem concepiſſe, vulnuſculum contempſit; hoc verò altero die ſpontè perſanatum fuit, ſed quadrageſimo à morſu die in hydrophobiam ſive pavorem aquæ incidit, ac deinde miſerabili morte extinctus eſt. Proinde morſi à canibus explorare debent, utrum canis fuerit rabie infectus, vel non: Præſertim qui æſtate vigente Canicula commordentur. Vbi autem in ipſo cane commemorata ſigna non appareant, tum hac ratione eorum infectio explorari poteſt: Sanguis è vulnere morſus manans fruſtulo panis illiniatur, & alii cani famelico objiciantur. Nam ſi vulnus à cane rabido eſt illatum, canis alius panem illum ne olfacere quidem ſuſtinebit, quem aliàs avidè ſtatim devoraret. Aut vulneri à cane illato per integram noctem imponatur *Catapl. ex nucleis nucum jugland. contuſis confectum*, & illud ipſum manè pullis gallinaceis objiciatur; qui ubi comederint, paulò poſt moriuntur, ſi canis fuerit rabioſus; ſin ſecus, non moriuntur.

Rabidi Canis morſus quæ excitet ſymptomata? & Hydrophobia, quale ſit ſymptoma, & quando conſequatur morſum canis rabioſi.

Symptomata à rabido cane.

Rabidi canis morſum præter dolorem loci demorſi, alia quoque pernicioſa comitantur ſymptomata; verùm non continuò poſt illatum morſum, ſed primum poſt 40. aut etiam plures dies, ubi vulnus jam eſt conſolidatum, & nihil periculi metuitur; tunc enim ſine ulla evidente cauſa ſolito ſubtriſtior efficitur morſum paſſus, & paulò poſt in fixas & melancholicas cogitationes incidit; ac nocturno etiam tempore de canum ferocium invaſione ſomniat, pavoribus infeſtatur, & cum clamore evigilat, tandem augeſcente Melancholica colluvie, lucem & converſationem hominum averſatur, & ſecum ſolus emurmurat, alloquentesque torvè intuetur. His interdum accedit febris, faciei & oculorum rubor, nunc intenſus, nunc remittens, & tandem extremarum partium convulſio. Hiſce ſymptomatibus, tanquam certis indiciis veneni rabiei, niſi tempeſtivè ſuccurratur, adhibitis convenientibus remediis, æger in vehementiſſimam ſitim collabitur, in qua tamen omni potu cujusvis liquoris abhorret, expaveſcit, abſtinet, donec miſerabili morte, & ſiti intereat. Nam ubi veneni violen-

Hydrophobia curam non admittit.

violentia Spiritus animales in cerebro contaminavit, & rationem omnem perturbavit, in hydrophobiam, id est pavorem ac metum aquæ, omniumque liquorum potabilium, incidit, quod symptoma in morsu rabidi canis est perniciosum, & spem omnem salutis adimit; quis enim hunc sanabit, qui aquam, cujus potu potissimum sanitatem consequi poterat, adeò exhorrescit, atque aversatur, ut si paulò diutius in conspectu ipsius aquæ detineatur, ingentissimis clamoribus, canum latratu & ejulatu similibus, omnes adstantes ad tremorem usque perterrefaciat, & ipse præ anxietate animi per universum corpus desudet, deliret, & in animi deliquium, ac si in ignem & flammam positus, incidat. Ideò etsi ipse æger extremè sitiat, ac humidi teneatur desiderio, tamen ab omni potu abstinet, quando etiam & ipse aliquando more canis rabiosus efficitur, ut morsu violento administros lædat. *Avicenna* dicit, quod admiratione dignum est, quendam post hydrophobiam sanguinis grumos, seu carnis frustula, formam exiguorum catulorum habentes, ingenti cruciatu eminxisse. Statim itaque ubi à morsu rabidi canis melancholica apparent symptomata, & antequam hydrophobia confirmetur, turbeturque ratio, sedula & tempestiva curatio est adhibenda, & ubi jam aquæ formido infestat demorsum, statim speculum tersum ei offeratur, in ipsumque tueri jubeatur, in quo æger seipsum agnoscat; si denique balneum intrare non expavescat, & aquam bibere non recuset, pristinæ sanitati restitui facile posse, sperandum est: Quemadmodum evenisse *Ætius* cuidam Philosopho scribit, qui post rabidi canis morsum aquæ pavescentia tentatus, melancholicas imaginationes de canibus in aquam versantibus forti animo excussit, & balneum ingressus, id proverbii exclamavit: *Quid cani cum balneo?* ac tandem frigidam aquam largiter bibit, ac paulo post sanitati est restitutus.

Notæ an æger possit restitui.

Rabidi canis morsus, & ejus symptomata, quo ordine & quibus remediis curanda.

Curatio morsus rabidi canis minimè in longum tempus est protrahenda; sed statim cognito cane fuisse rabie affectum, à quo illatum est vulnus, confestim & ante omnia si mare salsum propinquum est; aut si id absit, in proximum fluvium aut lacum deducatur morsus, & ex improviso in aquam conjiciatur, ac ter quaterve submergatur; ejusmodi equidem baptismus præsentissimum est remedium adversus futuram hydrophobiam; postea cogatur ut patiens aquam bibat, usque ad nauseam & cognitionem. Quibus peractis vulnus à cane inflictum aut candenti auro inuratur, aut urendo amplificetur. Atque ubi exustione vulnus crusta obductum est, eidem unguentum imponatur *ex Vernice pictorum, butyro recenti & vitello ovi confectum*: id enim vulnus à crusta brevi tempore liberat. At si tam sit delicatus æger, ut ustionem perferre nolit, tunc scalpello incidatur & dilatetur vulnus, caroque adjacens scarificetur, sanguisque ex vulnere digitis exprimatur, aut affixa cucurbitula cum multa flamma eliciatur. Quia verò vix aliud genus vulneris sua sponte citiùs coït ac consolidatur, quàm quod à rabioso cane est inflictum, accurate cavendum est, ne vulnus ante tres vel plures menses coalescat. Ne autem conglutinetur, hac ratione præcaveri potest, si vulneri frustulum *rad. Gentianæ* adaptatum quotidiè recens imponatur, aut si vulneri quotidie pulveris *argenti vivi calcinati*, quem Chymici ☿ *præcipitatum* vocant, super emplastrum attractivum, quod & *Bruthenicum* dicitur, sparsum imponatur, ac indies renovetur, non permittat, & virus omne à centro ad superficiem eliciat. Ejusmodi autem emplastrum quotidie bis renovandum erit, & vulnus cum pueri urina semper eluendum. Præter emplastrum attractivum, utilissimè quoque vulneri quotidie imponi possunt, si superiora non ad sint, hæc sequentia cataplasmata.

Per submersionem & aquæ potum.

Per vulneris cauterisationem.

Per Cucurbitas.

Vulnus per tres quatuorvè menses hiet.

℞ *Allii*,

Cataplasmata venenum elicientia. ℞. *Allii, cepæ, porri, scordii, centaur: min. ana pro libitu, quibus virescentibus contusis admisceatur pulvis sem. Erucæ & cum q. s. butyri. salis & mellis F. cataplasma*: Aut, quod magis virus elicit, ℞ *Gum. Opopanacis in aceto liquefacti* ℥. *j. ficuum Nov. fol. rutæ & teneriora folia brassicæ rubeæ ana M. 5. simul contundantur, & cum q. s. butyri & mellis. F. cataplasma.* Quod si nec hæc ad manus sint, eâdem ratione quotidiè imponatur cataplasma *ex cinere fraxini cum urina pueri aut cum aceto confectum*; aut tenuioris fortunæ homines continue foveant vulnus, (*radicem Gentianæ infigendam esse*, ne coalescat, paulò ante diximus,) *urinâ pueri*, aut alterius sani hominis, duplicatis linteolis excepta, quæ ubi exaruerint, rursum madefiant. Porrò ubi canis rabidus circa morsum, sola contagiosa saliva nudam cutem contaminavit, (cujus est tanta venenata violentia, & penetrandi facultas, ut per poros cutis citissimè & sanguinem & spiritus vitales inficiat) & ipsa prædicta inferat symptomata, his statim occurrendum est, ac ita symptomata præcaveri possunt: Si locus saliva rabiosa contaminatus salsugine *ex sale marino & aqua confecta*, diu multumque fricetur & abluatur, atque si loci natura patitur, cucurbitulæ cum scarificatione applicentur, sanguisque infectus eliciatur. Porrò interim dum hæc externè aguntur, minimè & interna remedia veneni rabiei adversantia, negligenda erunt. Protinus itaque ubi quem canis rabiosus momordit, & æger, ut diximus, in aquas præcipitatus ac baptisatus est, aquamque largiter bibit, tandem exhibeantur *Theriacæ Andromachi* ʒ *ij. cui olei Angelicæ* ℈. ß. *sit admistus cum haustu aquæ scordii, aut Centaurei min.* quo exhausto probè contectus, aut in balneum vaporarium ductus, sudet per unam atque alteram horam, aut loco *Theriacæ* sumatur hic pulvis: ℞. *Scordii rutæ, flor. Centaurei min. Rorismarini ana* ℈ *j. rad. Ostrutii, Angelicæ, Zedoariæ ana* ℈. 5. *corall. rub. præp.* 35. *Unicornu, vel ejus loco cornu cervi tempestivè capti* ℈ *j. pulver ista commisceantur, sudorque in balneo excitetur.* His peractis per totum deinceps curationis tempus, quod per novem septimanas, aut etiam ampliùs, protrahendum est, quotidiè jejuno ventriculo medicamentum veneno rabiei adversum, *cum Scordii aut Centaurii aqua* exhibeantur, inter quæ *Galenus lib.* 11. *de simpl. medic.* mirificè exollit *cinerem cancrorum fluviatilium* solum tantum, aut cum admistione *rad. Gentianæ & thuris*, quod medicamentum se *ex Æschrao* sene Empirico præceptore suo accepisse refert; & dicit cancrorum fluviatilium cinerem totius substantiæ proprietate adversari veneno rabiei. Ita autem conficere docet: Sumantur *cancri fluviatiles* recenter capti, & adhuc vivi pro arbitrio, & in cinerem comburantur, & in ærea patella (id quod ego in olla vitreata & cooperta perficere soleo) *hujus capiantur* ʒ. X. *Gentianæ* ʒ *v. thuris* ʒ *j. Misceantur F. pulvis.* Ego verò ita commisceo: ℞ *Cineris cancrorum fluviat. in olla ustorum* ℥ *j. pul. Gentianæ* ℥ 5. *thuris, myrrhæ ana* ʒ *ij. Roris marini, Centaurei min. Scordii ana* ℈ *j. misceantur. F. pulvis, cujus* ʒ *j, aut* ʒ 5. *cum aq. Centaur. aut Scordij quotidiè exhaurienda præbeatur.* Interim verò & diætæ, id est, alimenti, ratio est habenda, in qua æquè ut satietas, ita & longa inedia vitanda est, & cibus atque potus tales sint, qui & veneno rabiei resistant, & per urinam, impuritatem sanguinis propellant. Conducunt autem in genere cibi facilis concoctionis & purum sanguinem generantes; vitanda autem sunt dura & crassa, omniaque sale fumoque durata, adeoque omnia quæ melancholicum generant sanguinem. Prodest autem in esculentis concoquere *rad. Petroselini & fœniculi*, & condire fercula *semine fœniculi, cimini, carvi, anisi, cepæ similiter & porrum cum eis concoqui possunt, sed caro cancrorum fluviat*: in morsu rabidi canis omnium præstantissimus cibus habetur.

Saliva rabidi canis virulentia.

Interna. Sudoriferum.

Pulvis contra rabiem.

Tempus curæ diutius protrahendum.

Cancrorum cinis.

Ioëlis præparatio & confectio pul. cancrorum.

Diuretica non negligenda. Cibi sint εὔπεπτοι.

Potus. tur. In potu *vinum tenue & album, hydromel etiam & cerevisia absynthiaca lactisque serum conveniunt.* *V. S. & purgatio quando instituenda.* Venæsectio aut purgans medicamentum in morsu canis rabidi ante 40. dies minimè molienda sunt. At postea si æger bene se habet, & corpus sit plethoricum, vena tali sinistri pedis secari potest, & humor melancholicus priùs *decocto rad. polypodii. cetrah. Thymi. & hellebori nigri* concoctus, cum *Extracti Ellebori nigri* ʒ. ß. commode expurgari potest, aut cum confect. hamech. ʒ. vj. ubi verò post dies 40. aut post menses 7. aut etiam revoluto anno (his enim potissimum temporibus reliquiæ veneni rabiosi morsus exacerbari consueverunt) melancholicæ speculationes, & præter morem tristitia, & initia hydrophobiæ appareant, antequam mens prorsus turbetur, & pavor aquæ invalescat, venenata melancholica colluvies statim præscriptis remediis concoquatur & evacuetur, ac post evacuationem aut *bituminis Iudaïci* ʒ. 1. *quod Asphaltum dicitur*, & ex mari mortuo advehitur, in pulverem redactum *cum aq. centaur. min.* exhibeatur, aut ʒ. *j. coaguli catuli cum eadem aqua*, quod etiam si in initio morsus exhibeatur, præservat hominem ab hydrophobia. *Præservantia ab hydrophobia.* Deinde aquam bibere, & crebrò balnea intrare cogatur æger, & si eò processit venenum, ut æger limpidam aquam bibere exhorrescat, vel alium potum, tum atro colore est imbuendus, cum *pulvere nitrato sive bombardico*, qui per se ratione *salis nitri & sulphuris* veneno resistit. *Admonitio.* Præstat autem potum ægrotanti porrigere per oblongam fistulam, si liquoris aspectum ferre non potest.

Felis sive Cattus, quæ & quomodo inferat symptomata, & quibus curanda remediis.

Felis. Γαλῆ, Latinis *felis*, Germ. ein Katze/ est animal domesticum, quod ad murium injurias propulsandas in domibus alimus: inter quadrupedia agile & facile, levissimum, adeò ut ex altissima turri deturbatum semper pedibus in terram incidat, statimque tamen tanquam nihil mali passum fuerit, aufugiat. Felium duo sunt genera, domesticum, & sylvestre, cui & tertium addi potest Zibeti catus, cujus excrementum est *Moscus*, res odoratissima atque preciosa, sed apud nos ignotus. *Tria Cattorum genera.* Felis fœmella *Arist. lib. 5. de historia animalium*, teste, & salacissima & libidinosissima, quæ cum Venere turget, ut mense Februario ac Martio, ploratu suo marem ad coïtum invitat & allicit, qui si parêre non vult, ipsum horribili garritu & clamore morsuque cogit & pungit. *Libido felium.* Non tantùm verò morsu, sed & saliva ac halitu unguiumque laceratione dolorem & tumorem, vulnusque non facile curabile, infert. *quomodo noceant.* Reperiuntur nonnulli homines qui præsentiam felium antipatheiâ quadam perferre non possunt, sed statim in sudorem & deliquium animi incidunt. Verùm longè perniciosiora excitat Symptomata felis cerebrum, execrabili fraude vel in cibo aut potu intra corpus exhibitum; *Cerebrum comestum.* id enim statim cerebri temperiem perturbat, crebras infert vertigines, & in amentiam conjicit, in qua æger diu noctuque oberrare & alia loca scandere, nisi vinculis cohibeatur, cogitur; & nisi tempestivè huic malo succurratur, in ea amentia vitam misere finit.

Curatio morsus. Curatio vulnerum ex morsu & laceratione unguium felis ita institui oportet; vulnus subinde abluatur *vino, in quo radix Valerianæ & herba Veronicæ* coctæ. Deinde vulneri imponatur cataplasma *ex fabis, jejunis dentibus masticatis*; tumidæ verò & adjacentes partes inungantur *oleo scorpionum*, aut imponatur cataplasma *ex stercore columbino cum pueri urina, aut aceto confectum, aut ex cepis contusis paratum*, ac tandem apparente suppuratione, consolidetur Chirurgicâ industriâ *emplastro attractivo imposito.*

Sumpti cerebri Vomitus. Curatio autem maleficii & amentiæ ex cerebro felium assumpto, hac methodo est instituenda: Statim ubi suspicio assumpti hujus cerebri, vomitio moliatur *cum haustu*

haustu aq. juniperi per descensum destillatæ, idque antequam venenata materia in corpus est digesta, & vis veneni in cerebrum delata. At si venenum jamdudum turbavit rationem, tum ad veneni expurgationem exhibeatur ℈j. *extracti helleb. nigri*, *aut grana vj. vitri antimonii.* Deinde sedata evacuatione, & collectis nonnihil viribus, exhibeatur haustulus diaphoreticus ex ʒj *Theriacæ Andromachi*, *& pulv. terræ Lemniæ ac corall. rub. prap. ana* ʒ ß. *cum aq. scordii commixtis*, quibus ebibitis, vel in lecto, vel balneo, per unam atque alteram horam sudare cogatur æger. Postremò quotidiè manè ac vesperi corroboretur cerebrum & spiritus animales, exhibita semper semijuglandis nucis quantitate, sequentis electuarii: ℞ *Conserv. Rorismarini* ℥ij *pul. carui, cubeb. sem. pæoniæ ana* ʒ ß *sp. diamoschi dulcis, diambræ ana* ʒj *Serapii de Betonica. q. s. ac parum aq. Iuniperi, per ascensum destillatæ, misceantur.* Fiat *Electuarium*: aut exhibeantur manè ac vesperi duæ rotulæ *Diamoschi dulcis.* Præsentissimum remedium putatur esse ℈ ß. *Moschi cum vino contriti & exhibiti.* His remediis anno Christi 1570, feliciter curavimus adolescentem rusticum *Danielem Temel* in pago *Glashagen*, qui per insidias aliorum rusticorum cati sylvestris cerebrum assumpserat; hic diu noctuque in agro vagabatur amens, & quicquid cernebat, id omne illi sylvæ & nemora esse videbantur; sed beneficio Dei restitutus adhuc hodie vivit & valet.

Diaphoreticum. *Confortans.* *Præsens remedium* *Historia.*

Lupus quid, quæ morsu suo inferat symptomata, & quomodo ea curanda?

λύκ☉, *Lupus*, ein Wolff / est animal sylvestre rapax, & grandi ore cani non absimile; Lupi ferociores & tum hominibus tum pecudibus magis infesti sunt circa brumam mense *Ianuario.* Id admiratione dignum est in lupis, quod ubi hominem prius viderint, quam ipsi ab homine videantur, statim illi vociferandi facultatem adimant, & vocis raucedinem inferant. *Rugia* nostra, insula nobilissima, hoc memorabile habet, quod nec lupos ferat, nec glires patiatur; & si in eam importentur, in proximum mare præcipites ruant. Insignem utilitatem in arte Medica præstant lupi suis dentibus, epate, excrementis & intestinis. Dentes lupi argento inclusi, prosunt ad infantium dentitionem: si enim gingivæ illis confricentur, sine cruciatu dentes eliciunt. Epar lupi in vino ablutum, in frustula concisum & exsiccatum, posteaque in pulverem redactum, & cum vino pondere ʒj. exhibitum, corruptioni epatis ex nimia Venere contractæ opitulatur. Lupi excrementum, præsertim ex ossibus constans, in vepres & spinas oblongaque gramina excretum, siccatum, & in pulv. redactum, ʒj. pondere in vino exhibeatur, colicos cruciatus sistere, docet *Galenus.* Lupi intestina exsiccata & in pulverem redacta, non tantum *Avicennæ* testimonio, sed attestante quotidiana experientia, præsentissimum auxilium adferunt in colicis doloribus, si ejus ʒj *cum vino* propinetur. Morsu suo lupus dolores acres & tumorem permorsæ particulæ, difficilioremque sanationem infert; iis verò longè perniciosiora infert symptomata morsus lupi, qui est rabie percitus, nam & ipsi nonnunquam more canum rabie corripiuntur.

Lupus. *& hoc ex philosophia vulgi.* *Usus Medicus partium Lupinarum.* *NB.* *Intestina.* *Sympt. à morsu.* *Lupi rabiosi.*

Curatio vulneris Chirurgicâ industriâ perficienda est, prius adhibendo, si natura loci patitur, cucurbitulas cum scarificatione; deinde eluendo vulnus cum vino, in quo *radix Valerianæ & herba Veronica* seu *Teverion* sunt incocta, imponendoque quotidie bis novum Emplastrum attractivum. Si exhibeatur potandum vinum cui incoxerunt *rad. Vincetoxici & Valerianæ cum fol. calaminthæ*, *& in ejus* ℥ *v. commisceatur pul. Gentianæ & lapillorum cancri ana* ʒ ß. plurimum confert, & curationem facilem reddit. Ubi verò lupum mordentem rabie correptum suspicio adsit, omnia ea accuratè usurpanda sunt, quæ paulò ante in canis rabiosi morsu scripta fuere. Peculiariter autem *ol. è myrrha pondere* ℈ ß. *aut succi allii* ℥ j. *cum vino mixta utilissimè propinari possunt.*

Antid.

Cervus quid, quæ partes ex cervo in Medicina usurpentur, quæ venenata; quæve excitent symptomata, & quibus curanda remediis.

Cervus. Ἔλαφος, ein Hirsch / est animal sylvestre, adultum mediocris equi proceritatem habens, duobus grandioribus cornibus ramosis armatum, quæ ipsi bimulo primùm enascuntur, & singulis annis, usque ad sex uno ramo augentur, ac postea ea crebrò deponit ac nova recipit. Animal est velocissimi cursus, & circa *Calendas Septemb.* omnium salacissimum, & ad insaniam usque libidinosum. *Salax & vivax.* Etsi autem libidinosa animantia natura ut plurimùm brevioris sint vitæ, cervi tamen vivacissimi sunt. Nam *Plinius lib. 8. c. 32.* scribit post annos centum cervum captum esse cum torque aureo, quem *Alexander Magnus* addiderat; alioquin simplex animal est, quod ad omnium rerum miracula obstupescat, & ita crebrò à venatoribus facilè interimatur. *Partes rei medicæ utiles.* Sumuntur ex cervis ad hominum salutem in Medicationibus variæ particulæ, veluti sunt cornu, lapis in oculis cervorum concretus, ossiculum ex corde cervi, Genitale cervi, sevum & medulla. Cornu cervi tempestivè, id est, circa *Cal. Septemb.* capti in scobem seu pulverem redactum, & cum *aq. Apparine aut vino* exhibitum, salutare est remedium adversus cardialgiam sive orificii ventriculi tumorem, quem nostri das Hertzgespan vocant, quo infantes creberrimè laborare solent. *Vires C.C.* Idem cornu cervi non secus ac unicornu omnibus venenis assumptis præclarè medetur. Præstat itaque ramenta cornu cervi pro adulterino unicornu in expellendo per sudorem veneno, & in pestilenti contagione uti. Idem cornu cervinum ad candorem calcis in olla exustum, & in pulv. redactum pondere ʒ j. addita exigua *Tragacanthi* portione, singultum compescit. Dysenteriæ & omni alvi fluori & Gonorrhææ, albisque mulierum mensibus medetur, quin & alvi lumbricos cum melle mixtus enecat, regioque morbo opitulatur. Si autem *piperis & myrrhæ* nonnihil admisceatur, colicos dolores sedat. Lapis in angulis oculorum annosorum cervorum post absorptionem serpentum concrescit, quem *Arabes Bezahar*; id est, venenum vincentem, vocant, qui tamen inventu difficilis: Hunc tanquam omnium præstantissimum antidotum contra omnia venenorum genera prædicant, si ℈ ß *cum vino generoso* exhibeantur: Per sudorem enim omne virus propellit. *Bezahar verum non ex angulis oculi cervi, sed ventriculo caprarum Indicarum, salutares plantas depascentium eximitur: Os cordis cervi.* In corde cervorum annosorum caput arteriarum cartilaginosum in os degenerat, quod Principes viri pro thesauro colligunt ac conservant; nam quod in myropoliis ostenditur os de corde cervi, est fœda impostura; non enim aliud est, quam cartilago ex cordibus mactatorum boum exemta exsiccata. Os verò genuinum è corde cervi exemptum, & in pul. redactum, omnibus venenis mirifice adversatur, & cor à violentia veneni munit ac corroborat, ideoque meritò antidotis pretiosis corroborantibus, venenoque adversantibus salutariter admiscetur. Genitale verò cervi, circa *Cal. Sept.* capti exsiccatum, & in scobem redactum, ac cum vino pondere ʒ j assumptum, sopitam Venerem excitat; morsibus viperarum auxiliatur, & colicos dolores aufert, ac dysenteriam persanat. *Sevum. Medulla.* Sevo & pinguedine, medullaque cervina magno successu utuntur Chirurgi, & emolliendis tumoribus in humectandis nervis & consolidandis ulceribus, vulneribusque ea Emplastris & unguentis commiscentia, veluti in sequenti tractatione indicabimus. Porrò bilis vesicula, quam reliqua animantia sub epate habent, carent cervi, ideoque omnem bilem dispersam habent per venas mesaraicas in intestinis sparsas, cujus tamen major & perniciosior pars ad caudam est collecta, viridi porraceæque bili similis, hinc cauda cervorum pro veneno præsentissimo habetur, quæ comesta, vel ejus bilis intra corpus assumpta, sævissima excitat symptomata, intolerabiles angustias, crebra animi deliquia, ac brevi tempore nisi succurratur, interitum infert. *Cauda cervina venenata; per fumum ejus convocantur serpentes. Cura sympt. quæ assumpta infert.*

CURATIO symptomatum ex Veneno caudæ cervinæ est subita post assumptio-

nem

nem evacuatio, vel revomitio, assumpto haustulo *aq. Iunip. per descensum destillata*, *aut largiore butyro liquefacto epoto*, post vomitum confert *exhibitio Theriacæ ℥ j. & Corall. rub. præp. terræque Lemniæ ana ℈ j. aut ℈ ß gemmæ smaragdi.* Foris verò prodest totum corpus inungere *oleo rutaceo*, & crebrò vesci *nucleis pinearum.*

Sorex quid, & quæ inferat symptomata.

Sorex. Glis. Μυογάλη, *Sorex*, *Glis*, Germ. Eine Ratze oder grosse Mauß / & in nostra *Pomerania*, à longa cauda, quam habet acuminatam, Langestart nominatur. Murium & agrestium & sylvestrium, ut & montanorum plura sunt genera, inter quæ & mustelas, die Wiesel / & talpas die Maulworffe / autores numerant. Domesticorum autem murium tantum duo sunt genera: Mures parvi & domestici, die kleine Meuse / & mures majores sive sorices, die Ratzen / quos ideo μυογάλας à Græcis dictas fuisse arbitror, quod cum felibus congenitam hostilitatem & inimicitiam habeant. Utrumque murium domesticorum genus, sed soricum imprimis, patribus familias plurima incommoda damnaque infert. Non enim frumentum tantum in ædibus, sed & quævis alimenta, & vestimenta vastat, corrodit & exedit. Mures majores sive sorices magis sunt venenati, adeò etiam ut feles, etiamsi eos interimant, tamen non gustent; quod si verò præ nimia fame devorarint, Elephantiasi sive lepra corripiuntur: suo itaque morsu & urinæ conspersione, valde periculosa inferunt symptomata: vulnus siquidem ex eorum morsu ut plurimum inflammatur, & putrescit, & circa vulnus nigricantes pustulæ sanieque atra turgentes excitantur, ac tandem in ulcus depascens & serpens degenerat. Simili ratione etiam urina eorum venenata per cutem sparsa, instar serpiginis exulcerat, nisi subitò locus contaminatus salsugine abluatur, *Theriaca Androm.* confricetur, & *oleum scorpionum* linteolis exceptum imponatur.

Feles ex esu glirium Elephantiasi corripiuntur. Symptomata.

Curatio. sympt. Curantur hæc symptomata primò cucurbitulis cum scarificatione impositis, sanguinisque venenati extractione: Post cucurbitulas ulceri imponatur cataplasma *ex solo Galbano cum pauxillo aceti liquefacto*: Id enim potenter virus elicit. Tandem utilissimè imponi potest cataplasma *ex allio & cepis simul contusis* confectum. Intra corpus ne veneni vis penetret, prodest singulis diebus *haustum vini* ebibere, in quo *Abrotanum, baccæ Lauri, Ciminum & folia scordii sunt incocta.* Quod si contaminatione urinæ soricis cutis exulceretur, ulcus subinde vino lavetur ac foveatur, in quo *cortices mali granati fol. veronicæ, Lysimachiæ* sunt incocta: post lotionem ulceri inspergatur *pul. tenuissimus hordei tosti.*

Vespertilio quid, quæ inferat symptomata, & quibus remediis curanda.

Μῦς ἀράχνεος, sive νυκτερὶς, *mus volans*, Eine Fledermauß. Admiratione dignum est, quod veteres *Græci* volantis hujus & venenati muris (quod ego quidem sciam) nullam fecerint mentionem. *Dioscorides* quidem meminit muris aranei, quem morsum suum, si illi discerptus imponatur, curare, & veneficii sui pœnam luere, dicit, sed qualis sit, non describit. Ego verò *vespertilionem* ideò *murem araneum* appellatam esse judico, (salvo tamen cujusvis judicio) quod si ejus alæ sive pinnæ membraneæ utrinque extendantur, telis araneorum similes conspiciantur. Νυκτερὶς vocabulum non tantum vespertilionibus, sed etiam papilionibus vesperi ad lucernam volitantibus tribuitur. Dicitur autem vespertilio, quod vesperi duntaxat & in tenebris volitet; & si accensum lumen, aut gladius splendens in aëre vibretur, in ipsum volitando ruat, & seipsum conficiat. *Plin. lib.* 10. & 11. *c.* 37. & 38. de vespertilionibus differens, *Volucrum*, inquit, *vespertilio tantum animal parit, dentes habet & lacte nutrit.* Adferunt quoque vespertiliones quædam ad medicationem; nam, ut itidem *Plin. lib.* 29. *cap.* 4. & 7. testatur, sanguinem Vespertilionum cum *carduo* contritum, morsibus viperarum auxiliari; & eundem sanguinem ventri illitum, acer-

Vespertilio.

Derivatio nominis.

Usus in Medicina.

bissimos ilei dolores tollere, asserit. *Lib.*30. *cap.* 14. *scribit* sanguinem vespertilionis pilos exstirpandi vim habere, si loco piloso, quem glabrum esse cupimus, inungatur; ac efficaciorem reddi, si post inunctionem cataplasma *ex semine erucæ aut cicutæ* imponatur: pilos enim eo loco in totum tollit; aut ultra lanuginem excrescere non permittit. Idem præstat etiam oleum, cui vespertiliones sunt incoctæ usque ad ossium separationem, si illo locus inungatur; Oportet tamen prius pilos evellere, & ita ol. inungere. Vespertiliones tota sua substantia venenatæ sunt, & tum morsu, tum aliqua suæ partis assumptione perniciosa excitant symptomata, per omnia similia iis, quæ ex morsu rabiosi canis concitata sunt; & si intra corpus assumantur, statim hydrophobiam inferunt. Habent enim vespertiliones quodammodo canis naturam, capitisque canini formam & dentes caninos; quin etiam exili voce canum latratum æmulantur.

Psylotron ex vespertilionibus.

Symptomata canis rabidi symptomatibus conveniunt.

Curatio itaque tum vulneris ex morsu accepti, tum hydrophobias ex assumptione acquisitæ, eadem ratione iisdemque remediis est tentanda, quæ paulò ante in curatione rabiei canis enumerata sunt. *Rhases Arabs* ita de vespertilionibus scribit: *Qui comederit linguam, aut cor, aut sanguinem vespertilionis, fugiet potum aquæ & siti morietur, nisi confestim præveniatur vomitu cum butyro liquido & aceto, caputque ejus subinde perfundatur lacte recenter mulcto.* Erit itaque symptomatum vespertilionum præcipuum antidotum *pul. ex cinere cancrorum fluviatilium & gentianæ,* supra allegatus.

Antid.

Homo quid, quæ Hominis partes, remedia, quæ venena, & quas inferant noxas, & quomodo curandæ.

Homo. Ἄνθρωπος, qui tum propter externum & internum ornatum, tum ob amplissima ejus dona, μικρόκοσμος Veteribus nominatus est; in ipso enim in prima creatione expresserat Deus imaginem suam, & cunctarum rerum naturas solius hominis causa, ipsum verò propter *Se* condiderat. Verùm quemadmodum animantia à cane rabioso demorsa per totam Naturam rabiei veneno imbuuntur, suasque amittunt proprias operationes: ita homines antiqui serpentis morsu vulnerati, adeò ejus veneno imbuti sunt, ut inditam illis divinam naturam penitus amisisse videantur. Nullum enim genus animantium, generis sui individuum magis hôstiliter persequitur, præter hominem, nisi renatus antidoto Spiritus Sancti, à serpentis veneno liberetur: alias ceu rabie correptus, proximum & clam & insidiosè, armis & dolo malo virulentissime calumniis atrocissimè persequitur, lædit & interimit. Cum tamen juxta normam divinitatis illi attributæ, debebat esse humanus & beneficus:

Conveniens homini est hominem servare voluptas:
Et melius nullâ quæritur arte favor.

Ex humani corporis partibus ejusque contentis in usum medicum veniunt *cranium hominis, lac muliebre, particula umbilici post colligationem infantibus delapsa, pinguedo humana, saliva hominis, & excrementum.* Mumia, *Arabum* est inventum, estque cadaver hominis *pissasphalto h. e. pice maris mortui* repletum, quod diuturnitate temporis colliquatum cum cadavere & induratum ad nos defertur. Opulentiores non tantum pissasphalto cadavera sua condiunt, sed admiscent quoque *crocum, myrrham, aloën & balsamum.* Verum quia peregrina res est Mumia ex *Arabia* delata, neque de ea inter Doctos convenit, raro ea utimur, nisi quod vulgò receptum sit *ejus drachmam unam cum aceto exhibere* iis qui è sublimi sunt delapsi, aut sub gravi pondere vena aliqua intra corpus rupta sanguinem concretum fundit; hunc enim resolvere creditur. Cranium hominis (præsertim circa verticem) suspensi, aut palo affixi arefactum, in pulverem redactum, si ejus ℨ j. *cum aqua Lavendulæ* exhibeatur, comitiali morbo laborantes sublevat; oportet autem cranium ejusdem sexus esse, cujus est epilepticus. Lac mu-

Nulla ferè pars hominis in usum medicum trahi non potest.

Usus Mumiæ.

Usus Cranii.

Lactis. muliebre, dulcissimum & omnium præstantissimum remedium, tabe laborantibus aut erosionem in stomacho sentientibus, si id crebrò ex mammis ipsi exugant. Quin & oculis cruore perfusis & scabie laborantibus illitum, præclarè medetur. Itidem præstat butyrum ex lacte muliebri confectum; omnem enim oculorum asperitatem tollit. *Umbilici.* Vmbilici infantium particula, quæ post ligaturam putrescendo decidit, in pulverem redacta, & cum vino bibita, cruciatus tollit. *Pinguedinis.* Pinguedo humana nervis contractis & membris arefactis tabescentibusque utilissimè illinitur; fovet enim nativum calorem, & humidum radicale conservat. *Saliva.* Salivæ hominis valida vis est, præsertim jejuni ac sitientis, quæ illita lichenas ac serpigines, antequam radices egerunt, abstergit & persanat. Similiter dolorificos tumores ex venenatarum bestiarum contactu, si ea confricentur, adimit. *Pisa* aut *triticum* in ore jejuni hominis masticata & saliva contemperata, crustosæque scabiei in capitibus puerorum imposita, mirificè illam tollit. Saliva jejuni hominis argento vivo commista, ejus mobilitatem adimit & extinguit, adeò ut in pulverem redigi, & commodiùs unguentis admisceri queat; & bestiolas omnes virulentas suo contactu enecat. *Noxæ salivæ contagiosorum.* Nihil verò pestilentius est & magis contagiosum homini, quam saliva leprosi aut morbo gallico, scorbutovè laborantis; proinde cum ejusmodi morbis affectis, ex eodem poculo bibere, periculosum est. Vrina hominis, ut *Dioscorides* scribit, confert morsui viperarum aliorumque virulentorum animantium; si bibatur, aut cum ea vulnus foveatur. Propria urina pota incipientem aquam intercutaneam discutit, & addita *nuce moscata* à contagione pestis liberat, febresque curat: Capitis ulcera & furfures, si cum urina colluantur, caput persanant. Vrina hominis cum pauco melle in æreo vase cocta, & oculis illita, visum clarificat; & oculorum cicatrices tollit. Ex urina hominis arte Chimica sal saluberrimum excoquitur, quod pestilenti veneno resistit, & sanguinem purificat, veluti in nostra Iatrochimia latiùs declarabimus. *Galenus* pro certo experimento didicisse periculumque fecisse scribit, quod stercus pueri arefactum & in pulverem redactum, ac cum optimo melle instar unguenti commixtum, si tumoribus faucium ac gutturis inflammationis, & suffocationis metum minitantibus illinatur, statim antipatheia quadam & dolorem lenire, & perrumpere tumorem. *Sal illud Epilepticis & hydropicis mirè confert.* Ego verò non antipatheia, sed stercoris acrimonia illud fieri existimo, ideoque stercus sani hominis, & bile affatim tinctum croceique coloris sumendum judico. Idem stercus adustum & in pulv. redactum, vulnerique ex morsu accepto inspersum, magnum adfert auxilium. *Paracelsus* ex stercore humano se Balsamum elicere arte Chimica posse, nativo balsamo nobiliorem, gloriatur: quem quidem ego ipsius asseclis usurpandum permitto. *Carbon. Paracel.* Virulentæ ac venenosæ partes in homine hæ sunt; *halitus*, *saliva*, *sanguis impurus*, *dentes*, & *sanguis menstruus*. Halitu inficiunt homines secum conversantes, qui vel peste vel φθίσει, id est, pulmonis exulceratione sunt correpti, ex quorum respiratione intra corpus attracta simili modo afficiuntur. *Halitus sani hominis nihil in tota Medicina præstantius.* Quorum morborum curationem in superioribus tradidimus. Saliva venenata inficiunt qui lepra, aut morbo Gallico, aut scorbuto sunt infecti, si alii ex eodem poculo cum ipsis bibant, & poculi labro nonnihil salivæ adhæreat. Quorum quoque morborum curationem in superioribus demonstravimus. Sanguis similiter impurus & venenatus lepra & morbo gallico laborantium, si intra corpus sumatur, similes generat morbos. *nec sanguis, dentes & sanguis menstruus eximia utilitate carent.* Dentibus verò mordendo periculoso inferunt symptomata homines, tum maximè ubi jejuni sunt, aut furore perciti, sive etiam crapula & ebrietate gravati: tum enim dentes venenato lentore imbuuntur. *Sympt. ex morsu hominis.* Morsum itaque hominis hæc symptomata comitantur, dolor ac tumor vulneris, inflam-

matio, nonnunquam etiam & putrida sanies, atque Gangræna.

Curatio. Curatio vulnerum ex hominis jejuni morsu acceptorum hac methodo instituatur, ut primùm sanguis statim ex vulnere exprimatur, aut ore exugatur, aut cucurbita eliciatur, deinde *vino in quo radix* sive *sarmentum Indicum*, quam *Hispani sarsam parigliam* vocant, cum *herba Veronicæ & agrimoniæ* sunt incocta, quotidie fomentetur ac abluatur, ac deinceps cataplasma, aut *ex tritico masticato solo*, aut *nucibus juglandium, cepa, sale & melle* confectum imponatur. Tumenti verò vulneri, donec tumor resideat, imponatur *cataplasma ex farina fabarum cum aq. rosarum & ol. confectum*; Sedato tumore, curatio perficiatur emplastris attractivis & consolidantibus, quale est illud, quod conficitur *ex æquali parte ceræ, sevi hircini, picis nigræ, & Galbani.* Ubi verò vulnus ex hominis morsu putrefieri incipiat, tum eloto & probe abstersо vulneri inspergatur *pulvis stercoris humani adusti*, qui mirabili ratione vulnus à putredine vindicat ac persanat, cui etiam *ol. vitrioli cum pauxillo mellis rosarum* mixtum purificandi gratia illiniri potest, aut etiam *fel taurinum*. Anno Christi 1574. ascitus fui Sundium ad curationem venustæ virginis, quæ filia civis *Iohannis Hoppii* erat; Hæc cum adolescenti temulento osculum petenti illud denegaret, morsa ab ipso in superius labrum fuit, quod statim intumescens, adhibitis tamen Chirurgicis remediis variis, tandem computruit, & gangrænosum est factum, hinc indies parte adjacentes ab ulcere depascebantur; itaque consului ut emortua caro præscinderetur, atque sic totum superius labrum sine dolore est abscissum, tandem jussi ut vulnus *vino, in quo Veronica & Agrimonia* essent incocta, singulis diebus ablueretur, statimque *unguentum ex elota Terebinthina & melle*, quibus exiguum *ol. vitrioli* sit admistum, imponeretur. Hisce remediis tantum brevi integram sanitatem est consecuta, retenta tamen deformitate ex nudatione superiorum dentium, quam postea juvenis ille Chirurgus, qui medicamenta administravit, in uxorem duxit, qui adhuc feliciter valet.

Historia.

Sanguis menstruus mulierum in utero gerentium & lactantium non est venenatus, siquidem eo & in utero & post partum infantes nutriuntur; nec tam venenatus est hic sanguis in mulieribus temperatis ac sanis, ut *Plinius*, & alii scribunt; & nostro etiam tempore *Paracelsus* asserit: qui menstruum sanguinem tam perniciosum virus esse dicit, ut cælum & terram inficere possit: Mulierculas item menstruo laborantes, solâ imaginatione aëre mediante, homines per multa miliaria inficere posse. Minimè tamen negandum est menstrui materiam, in intemperatis & morbosis fœmellis præsertim, diu retentam, tum suo contactu noxiam, tum intra corpus assumptam, perniciem adferre posse; ideoque non sine ratione Deus prohibuit *Levit.* 10. ne vir cum muliere tali colluvie inquinata congrediatur; nam experientia testatur, menstruum suo contactu infecta enecare, gramina arefacere, & specula cruentis maculis inficere. Itaque non est dubium, quin suo contactu, noxam, & ab execrabilium veneficarum intra corpus exhibitione, maniam & mentis alienationem, totiusque naturæ corruptionem inferre possit. Hujus detestabilis veneficii curatio est repentina evomitio, assumpto haustulo *aq. jugland. per descensum destillatæ.* Postea commodè exhiberi possunt ℥ *ij. Theriacæ Andromachi cum aq. melissæ, aut* ʒ *j. pul. margaritarum.* Antidoti loco fertur *sperma hominis* exhibitum, aut *trochisci de vipera*, bibatque æger subinde vinum, in quo *melissa sit decocta*. Vtatur lavacro sive balneo dulcis aquæ, ac indulgeat crebriùs Veneri. Aliarum rerum tum stirpium, tum animalium venenatorum symptomata, & noxæ facilè hisce remediis enumeratis curari possunt, si prudenti consideratione venenatæ rei natura cum hisce conferatur.

Sanguis menstruus.

Paracel. de impuro, corrupto, venenis adulterato sanguine loquitur.

Antid.

DEO SAPIENTI ET POTENTI GLORIA.

Finis libri de Venenis.

FRAN-

FRANCISCI JOELIS OPERUM MEDICORUM TOMUS SEXTUS. De CHIRURGIA.

PRÆLOQUIUM.

Chirurgiæ necessitas.



Hirurgica Morborum ac Symptomatum curatio, ut est vetustissima, ita in humana vita utilissima & cognitu maxime necessaria; multi enim morbi præsertim inter plebeios sine arte Medica, solius Naturæ beneficio persanandi relinquuntur: paucissimi autem ex morbis Chirurgiæ subjectis existunt, qui sine ope Chirurgicæ prosperè tolli queant; Quod autem ea præclarissima Medicæ artis pars non ab ipsis Medicis, sed ab aliis certis hominibus, qui se falsò Chirurgos nominant, hodie administretur, id nemini mirum videri debet, cum ipsa se tàm latè extendat, ut sola integrum hominem, & quidem minime desidiosum desideret, & sicuti olim, ita & nunc certas Chirurgiæ partes, ut sunt oculorum medicationes, Ramicum & calculorum per sectionem curationes, dentium dolentium evulsiones & lumbricorum extirpationes certi homines exercebant, ac profitebantur; Cur autem non integra Chirurgia certis artificibus demandetur non video; Verùm id non tantum admiratione dignum est, quod hac tempestate optima & nobiliss. Chirurgia tanquam spuria filia artis Medicæ à sua genetrice avulsa, & ab omnibus ferè Medicis neglecta ac spreta, in servitium, indoctissimorum hominum omnisque disciplinæ ac literarum rudium tonsorum detrusa & ablegata sit; Quotusquisque enim quæso ex Medicis hujus seculi reperitur, qui exemplo divini Hippo. & Galeni Sapientiss. aliquid studii in ea vel impendat, aut propriis manibus eam exerceat, aut errata enormia lanionum hominum tonsorum imperitorum demonstrare, corrigere, & certam Methodum curandi illis præscribere possit. Sunt sanè plurimi Medici, qui ex aliorum præscriptis & libris de Chirurgia multa blaterare sciunt, sed sua judicia rationibus firmis & experientia confirmare paucissimi qui possint, inveniuntur. Fallitur enim qui Chirurgiam perfectam ex libris se perficere posse confidat, nisi eisdem accedat & experientia & manuale exercitium. Cum autem ars Medica circa Chirurgiæ cognitionem manca & imperfecta sit, sequitur neminem bono jure Medici nomen mereri, qui Chirurgiæ prorsus rudis, de morbis Chirurgiæ subjectis nil rectè judicare possit: perpaucæ enim nobis affectiones occurrunt, quarum Symptomata manuariam curationem non requirant. Quomodo verò manus fœliciter applicabit Medicus, aut tonsori ministro modum operandi monstrabit, Chirurgiæ ignarus? Decet itaque Medicinæ tyrones non levem operam ac studium in addiscenda Chirurgia impendere, qui excellentes cupiunt fieri Medici. Vt itaque nos in tradenda Curativa Medicinæ parte nil prætеriisse videamur, brevissima quam possumus methodo, omnia, quæ ad Chirurgicam curationem spectant, ultimo hoc loco fideliter tractare, ac proponere præsente Deo conabimur. Porro cum morbi Chirurgiæ subjecti certas Corporis partes ut plurimum affligant, non immeritò quis mirabitur, cur nos inter Vniversales morbos referre voluerimus? cui id respondemus, nostrum factum non habere alias rationes, quam quia morbos Chirurgicos inter affectiones particulares sine ingenti confusione reponere minimè

Quam late pateat.

Quod non sit relinquenda imperitis Chirurgis.

Chirurgia ex libris perfecte disci nequit.

Morbi Chirurgiæ subjecti cur inter Vniversales censeantur.

me potuerimus, & propterea omnes eruditi in Therapeutices descriptione ultimo loco Chirurgiam collocarunt, quia hi morbi universis partibus ejusdem generis & nominis accidere possunt, ut Tumores, Ulcera & Vulnera omnibus carneis & subcutaneis partibus. Fractura omnibus ossibus, luxationes omnibus articulis contingere possunt: non tamen pugnamus cum ipsis qui alium sequuntur in collatione morborum Chirurgicorum ordinem & locum.

Chirurgia quid est?

Chirurgia, quid? *Chirurgia, si ἔτυμον vocabuli spectas, idem est quod χειρεργία i.e. manuum operatio in curandis morbis, nostratibus* Wundartzney/ *& Chirurgus idem quod χειρεργὸς i.e. manu operans*, ein Wundartzte. *Est itaque χειρεργία ultima pars θεραπευτικῆς sive Curativa medicina, qua docet modum & qualitatem manualium operationum qua in morbis exercentur, præsertim in conglutinando unitatim soluta, & dividendo incidendoque continuitatis malè affecta, & aliarum operationum qua ad sanitatis restaurationem desiderantur, quas paulo infra enumerabimus.*

Qui morbi sunt Chirurgiæ subjecti?

Morborum Chirurgiæ subjectorum sex genera. *Sex sunt morborum Chirurgiæ subjectorum genera, Tumor, ulcus, vulnus, Fractura ossium, luxatio articulorum & Ruptura membranarum.*

Tumor quid? Tumor præternaturalis *Gracis ἀπόστημα Lat. abscessus, & exitura*, ein Swulst / *est extuberantia sive incrementum in aliqua corporis parte, in quo vel colluvies humorum vel flatuum copia collecta replet, distendit & partis continuitatem solvit, in molemque non-naturalem attollit: Et omnis tumor præternaturalis in se omnia tria morborum genera continet, videlicet intemperiem, pravam Compositionem & continuitatis divisionem. Tumorum species in sequentibus declarabimus.* Ulcus, ἕλκος, Ein alter oder fauler schade/ *est continuitatis in partibus mollioribus carnosisque, veluti sunt cutis & musculi solutio & cavitas, ex quo non sanguis ut ex vulnere, sed purulenta sanies manat. Ulcera ut plurimum tumorum præternaturalium sunt comites, & semper excitantur à materia erodente, qualis est humor acris internus, aut materia erodens foris parti imposita. Ulcerum species suis in locis enumerabimus.* Vulnus *vel plaga Gracis τραῦμα sive πληγή*, eine frische Wunde/ *est continuitatis solutio, qua cadit in quamlibet corporis partem, ab extrinseco instrumento cæsim facta; Graci perperam confundunt in suis definitionibus ulceris & vulneris vocabula, cum tamen multis nominibus inter se differant; Vulnus enim semper fit à causis extrinsecis: Ulcus vero à causis intrinsecis; ut erosione humorum ut plurimum, & per accidens ab extrinsecis, venenatis pharmacis. Item vulnus semper sanguine madet; ulcus vero purulentam saniem excernit. Vulnerum species plures sunt, pro partis vulnerata natura, quas suo loco explicabimus.*

Fractura *κάταγμα*, ein Beinbruch/ *est continuitatis ossium vel cartilaginum solutio, vulnus seu contritio, qua à violenta externa causa irruente accidit, & os aut incidit aut contundit, comminuitque; franguntur autem ossa aut transversaliter aut per longitudinem.*

Luxatio *Gracis ἐξάρθρημα*, verrenckung der Glieder/ *est articuli alicujus à propria & nativa cavitate ac loco in alienum & insolitum prolapsus, quo motus voluntarius partium luxatarum aut tollitur aut impeditur, cujus plures sunt differentia suo loco explicanda.*

Ruptura *Gracis κάταγμα τῶν ὑμένων.* ein Bruch der välle/ *est vulnus & laceratio ac continui solutio, qua accidit in ipsis tunicis sive membranis.*

Quæ Symptomata morbos Chirurgiæ subjectos potissimum comitantur?

Varia & periculosa sæpe Symptomata morbos comitantur, quibus nisi confestim succurratur, ipsos morbos perniciosiores reddunt & curatu difficiliores. Sunt autem præcipua sympto- Symptomata morborum.

Chirurgiæ subjectorum. *ſymptomata* Tumorum *quidem ſive Apoſtematum dolor, inflammatio, induratio, pruritus & lividitas.*

Ulcera comitantur *quoque eadem Symptomata, Dolor, Inflammatio, Intumeſcentia, Siccitas, Putredo, Sordities, Fœtor, carnis ſuperflua incretio, Gangræna, Verminatio, Pruritus.*

Vulneri *accidunt ſanguinis implacabilis eruptio, ἴχωρ ſive aquoſa humiditas ex vulnere profluens, quam noſtri* das Gliedwaſſer *vocant, ſanies putida, dolor, tumor, inflammatio, carnis ſuperflua increſcentia, puris fruſtratio, pruritus, Febris, alvi obſtructio, vomitio, convulſio, animi deliquium, vigiliæ, gangræna, & macilentia ſeu tabes partis vulneratæ.*

Fracturarum *oſſium Symptomata ſunt, dolor, inflammatio, inepta oſſium coaptatio, oſſis à toto liberati intra cutem reliquiæ, vulnus, tumor, oſſis mortificatio, ac denigratio, caries ſive eroſio, pruritus.*

Luxatorum articulorum *Symptomata ſunt, inepta & imperfecta repoſitio ſemotorum oſſium, craſſi & lenti humoris inter conjungenda oſſa collectio; dolor, tumor, inflammatio, & oſſis luxati fractio.*

Ruptarum membranarum *Symptomata ſunt dolor, & carnis aut alterius partis per rimam ruptam prolapſio, qualis fit in hernia, id eſt in ruptura membranæ peritonæi, ubi vel inteſtinum vel muſculoſa caro prolabitur. De his omnibus Symptomatibus in ſingulorum morborum enumeratorum curationibus fuſius docebimus.*

Chirurgum bonum & inculpatum, qualem virum eſſe decet?

Quæ Chirurgo cognoſcenda. *Chirurgum præſtantem, oportet eſſe prudentem, acris judicii, & in artis Medicæ partibus ſingulis mediocriter doctum.* Ex phyſiologia *enim debet addiſcere humorum naturas, corporum & partium temperamenta.* Ex αἰτιολογικῇ *addiſcet morborum & Symptomatum Chirurgiæ ſubjectorum cauſas & qualitates.* Ex σημειωτικῇ *ſigna cum ſalutaria, tum pernicioſa, & quæ facilitatem & difficultatem curationis oſtendunt, percipere ſtudebit.*

Chirurgi officia. Ex φαρμακευτικῇ *remediorum tum ſimplicium tum compoſitorum ad curationem Chirurgicam neceſſariorum facultates cognoſcere ſtudebit; oportet præterea Chirurgum inculpatum eſſe, animo pium, modeſtum, miſericordem, & affabilem; non avarum, non garrula jactantia tumentem, vanaque ſpe & falſis promiſſis ægrotantes alentem; in ſectionibus & uſtionibus oportet ipſum eſſe fortem & imperterritum, corpore agilem, acie viſus & ſenſu tactus excellentem, manibus ac digitis promptum, minimeque tremulum; & in artis operibus multum diuque exercitatum: & in ſumma is excellentiſſimus Chirurgus habebitur, qui curationem Chirurgicam citò, tutò facile & ſine magno cruciatu perficere poteſt.*

Quarum rerum potiſſimum notitia Chirurgum inſtructum eſſe decet?

Quatuor ſunt quæ Chirurgum ſcire oportet. *Quatuor potiſſimum rerum noticia & uſurpandi ratione Chirurgum inculpatum inſtructum eſſe oportet, Anatomes, Operationum Chirurgicarum, remediorum & inſtrumentorum Chirurgicorum.*

Ex anatome quæ ſunt cognoſcenda Chirurgo?

Ex Anatome quæ cognoſcenda Chirurgo. *Ex Anatome ſedulo cognoſcere debet Chirurgus partium omnium corporis, aut ſaltem partium principalium & ſimilarium vocatarum ſubſtantiam, ſitum, officia & actiones, ac ſi quæ earum vulnerentur, ſintne lethales, pericloſæ, & facilis vel difficilis curationis.*

Quæ ſunt partes principales, poſtprincipales & quæ ſimilares?

Partes principales. *Principales partes ſunt quæ primarias edunt actiones in corpore humano. & ſunt 4. Cerebrum, Cor, Epar, teſticuli.*

Poſtprincipales *ſive majoris momenti ſunt Spinalis medulla, Aſpera arteria, pulmones, gula, ventriculus, inteſtina, ſeptum tranſverſum, Renes, Veſicula bilis, Veſica urinatoria, & Matrix.*

Similares partes *ſunt, quarum ſingulæ partes à toto diſſectæ, totius ſubſtantiam & nomen retinent; ſunt autem ſimilares partes, Nervi, Arteriæ, Venæ, Membranæ, Muſculorum Caro, Ligamenta, Tendones, Cartilagines,*

gines, Ossa, quibus & articulorum constitutio addi potest.

Quæ est natura & constitutio enumeratarum partium?

Brevis descriptio partium quæ ad cerebrum. Εγκέφαλος, Cerebrum, Das GEHIRN oder BREGEN, *est medulla capitis, substantiam habens concreto lacti similem, quod duabus membranis involutum est, quarum interiorem tenuem Meningem & piam Matrem vocant. Exterior autem dura Menynx sive dura Mater nominatur. Cerebrum 4. in se continet cavitates, quæ officinæ sunt Spirituum animalium; Cerebri posterior pars Cerebellum, ex quo derivatur Spinalis medulla; ex cerebro 7. paria nervorum oriuntur ad instrumenta sensoria deducta, exinde eorum surculi in subjectas quasdam partes.*

Officium & Vtilitas Cerebri est cum Spiritu animali potentias animæ locomotivam & sensitivam universis corporis partibus per nervos communicare.

Ejus vulnera. *Cerebrum vulneratum ut plurimum lethale est, etsi nonnullos cerebro vulneratos sanitati restitutos fuisse, quidam magni authores testificantur.*

Cor. Καρδία, *Cor, est fons Vitæ; substantia cordis est caro dura & compacta, situm habens sub osse pectoris, non quidem perpendicularem sed obliquum, ita ut ejus mucro ad lævam papillam tendat: binas habet* Cor *in se cavitates, quæ officinæ sunt Spiritus Vitalis. Ex Cordis sinistra cavitate oritur Aorta, omnium arteriarum truncus; Officium & usus cordis est vitalem spiritum & calorem nativum per arterias universis corporis partibus distribuere.* Ejus vulnus lethale. *Corde vulnerato necessario subita mors subsequitur.*

Iecur. Ἧπαρ, Iecur. *Substantia Epatis mollis est & concreto sanguini similis; situm habet Iecur sub infimis costis dextri lateris, latum digiti dependens infra septum transversum. Ex Epatis gibba & suprema parte omnium exoritur magna & cava vena, quæ truncus est totius corporis venarum; cava autem sua parte ventriculo incumbit. Officium & actiones jecinoris sunt, Chylum assumptum in sanguinem convertere, eumque purificare, & purificatum, universi corporis partibus nutriendo per venas distribuere. Vulneratum Epar circa venam cavam lethale est, circa vero reliquas partes per accidens est lethale: quandoque enim persanatur: & quidem cum difficultate.* Ejus vulnera.

Testiculi. Ὄρχεις, *Testiculi, substantiam habent glandulosam atque spongiosam, situm inter inguina; in maribus è corpore prominent, in fœmellis autem intra corpus circa inguina latitant. Vsus & Officium testiculorum est materiam seminis in vasis seminariis, quæ testiculis sunt annexa, elaborare, & fœcundam reddere.* Eorum vulnera. *Vulnera testicul. difficillime curari possunt, sed toti artificiosè execti curari quidem possunt, sed perit facultas prolificandi: sæpe autem contusi testiculi per accidens propter symptomata mortem inferunt.*

Post principales maximiquè momenti partes sunt:

Medulla Spinæ. Μυελὸς ἐσχάτης *Græcis, Latinis Medulla spinalis*, der Rugckegradt / Oder Das rucken March. *Est rivulus per dorsi Spinam fluens, substantia ejus substantiæ cerebri persimilis est, sed paulo duriore cerebro, quia, ut cerebrum, duabus tunicis est vestita, situm habet in cavitate vertebrarum. Officium & usus spinalis medullæ est, 30 paria nervorum utrinque per dorsum pro ducere, & eorum surculos per totum corpus dispergere, & per eosdem motum voluntarium & sensum ex cerebro acceptum, universis partibus distribuere.*

Ejus vulnera. *Vulnerata spinalis Medulla lethalis est, statim enim convulsionem infert, statimque ubi præciditur, omnes inferiores partes incisione resolvuntur, i. e. motu ac sensu privantur, intercipitur enim spiritus animalis ex cerebro per eam defluens.*

Aspera arteria. Τραχεῖα ἀρτηρία, *Aspera arteria*, Das Lüftrhor / *cujus caput sub collo eminens, Larynx sive guttur nominatur, substantia constat ex circulis cartilagineis inter se foris, & intro membranis convestitis, situm habet in antica colli parte, faucibus enim per collum & initium*

initium thoracis in pulmones implantatur. Officium & utilitas Asperæ arteriæ est, aërem per inspirationem ex ore & naribus attractum intra pulmones deferre, & fuliginosos cordis vapores per respirationem provehere; atque voci sonoræ inservire. Ejus vulnus. *Vulnerata aspera arteria usque in ejus cavitatem, lethalis est. intercipitur enim respiratio, sine qua homo vivere nequit.*

Pulmones. Πνεύμονες, *Pulmones*, die Lunge/ *substantiam habent mollem & raram, Spumæ sanguinis similem, situm habent utrimque in thoracis antica parte; officium & utilitas pulmonum præcipua, est respiratio & cordis ventilatio: vulnerati pulmones ut plurimum lethales sunt, tum quia intercipitur respiratio,* Eorum vulnus. *tum etiam quia pulmo vulneratus propter continuum motum, coalescere nequit; ideo etiamsi aliquando mors diutius protrahatur, attamen in tabem delabuntur pulmone vulnerati, ac tandem intereunt.*

Gula. Οισοφάγος, *Gula*, Der Slunck/ *est canalis cibi ac potus, substantia constat duabus tunicis sive membranis, situm habet in colli & thoracis postica parte; orta enim à faucibus, vertebris colli membranulis quibusdam alligata est, inde deorsum protensa transit per septum transversum, cui undique connascitur, ac sub septo transverso ventriculo implantatur, qui locus orificium ventriculi nominatur.* Ejus vulnus. *Vulnerata gula lethalis est ratione Symptomatum; intumescit enim, & alimenti ingestionem intercipit.*

Diaphragma. Διάφραγμα, *Septum Transversum, vel præcordium*, Das Scheidellfell oder Hutlein/ *substantia constat duabus validissimis & musculosis membranis, & Thoracem ab infimo ventre, tanquam tabulatum per transversum intercipit ac distinguit, situs ejus est sub pulmonibus & supra ventriculum; in antica enim corporis parte Cartilagini ensiformi,* Dem Hertzgröbelin/ *in postica parte duodecimæ vertebræ dorsi, circumquaquè autem & per latera thoracis costis inferioribus adnascitur, per illud transit gula, Cava Vena ac Arteria magna; Cujus foramina ejusdem partibus arctissimè connata sunt. Utilitas ejus est separare organa vitæ ab organis Nutritionis, ac inservire respirationi, atque per ejusdem voluntariam extensionem juvare expulsionem excrementorum alvi.:* Ejus vulnus. *vulnerato Septo transverso statim perit respiratio, & extinguitur vita; semper itaque lethale est.*

Ventriculus. Κοιλία, γαστὴρ, *Græcis, Latinis Ventriculus, sed minus propriè, nominatur &* stomachus, *cum stomachus propriè sit orificium ventriculi, ubi nimirum implantatur gula ventriculo; nostris* das Hertzgröbelin/ *ventriculi substantia constat ex duabus crassis tunicis sive membranis, situm habet sub septo transverso inter cavitatem Cartilaginis ensiformis, ac inter Umbilicum. Officium ventriculi est alimentum assumptum conficere, alterare, & in Chylum convertere.* Ejus vulnus. *Vulneratus ventriculus, præsertim circa ejus orificium, lethalis est, quanquam Fallopius dicat se quosdam curasse, quibus ventriculus usque ad cavitatem ejus erat vulneratus, & ex quo chylus profluxerit, id quod miraculum potius, quam medica curatio censendum est.*

Intestina. Ἔντερα, intestina, die Darmen / *continuum corpus sunt, ejusdemque substantiæ gula, ventriculus & intestina; figurâ tamen, situ & officiis variant. Intestinorum substantia est duplicata membrana sive tunica. Etsi autem intestina unicum sint corpus, tamen quia aliæ ejus partes sunt tenues, aliæ crassæ, ideo in plures species distinguuntur, quæ in Spiras convoluta, situm habent in infimo ventre, infra umbilicum; progenerantur ex inferiore orificio ventriculi, & in spiras convoluta in anum desinunt. officium & utilitas intestinorum est benigniorem partem alimenti per venas Mesaraicas, quibus sunt referta, ad Epar distribuere, feculentiorem verò partem foras propellere & excernere.*

Eorum vulnera. *Vulnerata intestina præsertim tenuia, lethalia sunt; crassiora quoque si vulnerentur, nisi imposita intestinis argentea fistula, serico filo obligentur, utplurimum lethalia sunt. Si vero non sint læsa intestina, & tamen ex vulnere Abdomina prolabantur, sine omni periculo iterum reponi possunt.*

V 2 Περι-

Abdomen. Περιτοναῖον, Abdomen, das Kinsterwedt/ *est capsula sive pera, in qua omnia viscera sub septo transverso, veluti sunt Renes, Epar, Lien, Ventriculus, intestina, Vesica & Matrix, continentur, & tanquam colligata suis in locis hærent. Substantia peritonæi constat ex simplici & pellucida membrana, multa pinguedine conspersa; situm habet sub Diaphragmate, & totum inferiorem ventrem complet usque ad pubem. Usus ejus est omnia viscera infimi ventris in proprio loco continere;* Ejus vulnus. *Raro vulneratur Abdomen, quin simul vulnerentur quædam in eo contentarum partium, & tum non caret periculo, sed ut plurimum lethale est; at si solum Abdomen sit vulneratum, & partes in eo contentæ foras prolabantur, si artificiosè repositæ fuerint, & abdomen consutum, facillimè sanari potest.*

Renes. Νεφροί, Renes, die Nieren/ *Renum substantia carnea est & densa, situm habet ad internas partes Vertebrarum dorsi sub Diaphragmate. Ren tamen dexter elatior est sinistro; officium & utilitas Renum est in purificatione sanguinis, quæ fit in Epate, aquosiorem sanguinis partem per venas emulgentes attrahere, & deinde in vesicam percolando destillare.* Eorum vulnera. *Vulnerati Renes usque ad eorum cavitates, lethales sunt; si vero vulnus non penetret ad eorum thalamos, curari possunt, nisi accedat inflammatio.*

Lien. Splen, Lien, *substantia constat carnea, sed peculiari, livida, & rara, situm habet sub septo Transverso, ac sub infimis costis sinistri lateris, è regione Epatis. Officium & utilitas Lienis est in purificatione sanguineæ massæ terrestriorem & feculentiorem partem sanguinis in se attrahere.* Ejus vulnus. *Vulnerato Liene non necessariò sequitur mors, nisi vulnus penetret ad magnum canalem, per quem excernitur melancholica colluvies, & accedat tumor & inflammatio.*

Vesica fellis. Κύστις χοληδόχος, *vesicula vel capsula bilis flavæ*, die Galle/ *substantiam habet membraneam simplicem, sita vero est sub cava parte Epatis. Officium & utilitas ejus est, ex massa sanguinea, quæ in Epate confecta est, igneam partem, quam fel seu bilem vocant, attrahere, & in se colligere, ac deinde in intestina exonerare.* Ejus vulnus. *Vulnerata hæc vesicula fellis semper necessariò mortem infert, sed raro læditur sine læsione Epatis.*

Vesica urinaria. Κύστις, *vel cum adjectione* οὐροδόχος, *vesica urinaria*, die Blåse/ *substantiam habet contextam ex tribus tenuissimis tunicis, situm vero in termino infimi ventris inter ossa pubis, cujus fundus amplus est, & sursum erectus versus Umbilicum; Cervix vero sive collum constrictum in pudenda desinit. Ejus postica pars in viris recto intestino incumbit, in fæmellis vero Matrici. Matrix enim inter* intestinum rectum *& vesicam collocata est. Officium vesicæ est urinam excipere à renibus, & in se eousquè colligere, donec aut mole ejus gravata vesica, aut acrimonia irritata, urinam per pudendum, cui ejus collum est insertum, foràs expellat.* Ejus vulnera. *Vulnerata vesica circa fundum aut capacitatem ejus lethalis est; circa cervicem periculosa & difficilis curationis.*

Matrix. Μήτρα, *Matrix, sive* ὑστέρα die Moder/ *est nostræ procreationis hortulus, substantia constat unica & simplici membraná, & crassa ac robusta. Collum deorsum versus sicuti vesica habet. Sita est inter utraque ossa* pubis, *postica sua parte incumbit intestino* recto, *antica vero parte incumbentem sibi habet vesicam. In cavitate sua plena est exiguis foraminibus sive osculis quæ* cotyledones *Græcis, i. e. acetabula, nominantur, per quæ* Cotyledones quid. *singulis mensibus mulieribus sanis inter decimum septimum & quinquagesimum annum constitutis (alii à duodecimo incipere statuunt; & post 50. annum concepisse mulieres certum est) impurus & menstruus sanguis expurgatur, nisi sint gravidæ, (utero enim gerentibus cessat sanguinis fluxio). Utilitas matricis est ex concepto semine fœtum producere.* Ejus vulnus. *Vulnerata Matrix ut plurimum lethalis est tum per se, tum ratione Symptomatum.*

Similares partes cur cognoscendæ. Similares partes *omnium maximè Chirurgo sunt cognoscendæ propter incisionem, vel præcisionem vasorum: Sunt autem præcipue partes similares hæ:*

Nervi. Νεῦροι, *Nervi*, die Sehnader/ *Nervos*, *arte-*

arterias, & venas Medici vasa nominant, ideò quod per ea tanquam canales potentiæ animæ unà cum materia distribuuntur. Per nervos enim Spiritus animalis cum potentia Locomotiva & sensitiva; per arterias spiritus vitalis & calor vivificus; per venas Spiritus naturalis & sanguis in omnes corporis partes defluit ac distribuitur. Substantia nervorum similis est cerebro indurato, alba & instar Corrigiolæ, teres & oblonga. Omnes nervi originem habent aut ex cerebro, aut ex spinali medulla; & ex cerebro quidem septem paria molliora; ex Spinali Medulla 30. paria duriora producuntur, duabus tenuissimis tunicis à membranis cerebri ortis vestita. Hi nervi suos ramos in omnes corporis partes distribuunt. Officium sive utilitas est, ut dixi, Spiritum animalem cum potentia sensitiva & locomotiva deferre & communicare.

Eorum vulnera. Nervorum vulnera sive cæsim, sive punctim contingant, eorumque à carne denudatio difficilime curantur, & ut plurimum vulnera nervorum convulsionem, aut resolutionem secum afferunt. At si præcidantur nervi iis partibus quibus sunt implantati infra præcisionem sitis seu constitutis, omnem statim sensum ac motum auferunt, aut notabiliter vitiant.

Arteriæ. Ἀρτηρίαι, Die Pulsadern / Canales sunt venis similes, quarum substantia ex duabus constituta est membranis. Arteria magna ex sinistro cordis ventriculo tanquam caudex omnium arteriarum exoritur, & in infinitos ramos tanquam arbor inversa divaricatur, qui venarum ramis adjuncti, in totum corpus disperguntur. Nulla siquidem vena, excepta unica, in corpore reperitur, quæ sibi arteriam conjugem non habeat. Arteriarum officia sunt vitalem spiritum & calorem vivificum, ex corde in universum corpus deferre, & omnes partes corporis vivificare, suoque motu continuo, quem ex corde habent,

Earum vulnera. fuliginosos vapores sese dilatando per poros cutis expellere, & sua constrictione aërem ambientem attrahere, & totum corpus ventilare atque perspirare. Vulnera arteriæ magnæ sive Aortæ prope cor, semper lethalia sunt, sed in reliquis ramis arteriarum sanari possunt. Quanquam eruptionem sanguinis ex Arteriis non facile compescimus.

Venæ. φλέβες, Vena, Die Blutadern / sunt canales, per quos sanguis ex Epate in universum corpus singulasque ejus partes distribuitur. Substantia venarum unica & simplex est Membrana; Originem ducunt venæ ex gibba parte Epatis, ex qua vena cava tanquam truncus producitur, sursumque repit usque ad cor: Deinde in ramos infinitos divaricatur, qui arteriis juncti in omnes corporis partes distribuuntur. Officium Venarum est sanguinem in Epate elaboratum & purificatum nutriendi causa in omnes corporis partes deferre. Cava Vena sive truncus reliquarum Venarum vulneratus, necessariò mortem infert, & ejus rami qui sunt in collo, & jugulares nominantur; item quæ in temporibus habentur, vulnerata, periculosæ sunt, & difficillime curantur. Earum vulnera.

Membranæ. ὑμὴν, Membrana, & pellicula, quæ & χιτὼν, i. e. tunica nominatur, nobis ein Hütlin / Tunicarum substantia constant simplici, tenui ac lata membrana, nullum enim viscus in corpore est, quod non aliqua tenui pellicula sit vestitum, cujus beneficio & Epar, & pulmo, & cerebrum, & ossa nonnihil sentire videntur; inter membranas nobilissimæ sunt cerebri Menynges, & oculorum tunicæ.

Officium Membranarum est, vestire viscera, iisque sensum contribuere. Vulnerata membranæ ossium & Musculorum curari possunt facilè; sed membranæ cerebri, Epatis & pulmonis vulneratæ, periculum, & curandi difficultatem, ac sæpè mortem ratione inflammationis inferunt: Membranarum vulnera à Medicis rupturæ dicuntur. Earum vulnera.

Caro sive Musculus. σάρξ, Caro, est pars simplex in Musculis; nulla enim caro simplex in universo corpore reperitur, quæ non sit nervis, arteriis & venis intertexta; qualis constitutio carnis Græcis Μῦς i. e. musculus, nostris ein Mußelin nominatur. Sunt itaque Musculi carnosæ

nosæ partes nostri corporis ossibus universis adnatæ, & membranis propriis cute vestitæ; substantia musculorum, ut diximus, est Caro, venis, Arteriis & Nervis intertexta, & tenuissima membrana contecta. Omnis autem Musculus dividitur in Caput, Ventrem & Caudam; Caput *est ubi ligamentis ossium adnascuntur;* Venter *dicitur eorum pars latior;* Cauda *verò, ubi iterum in ligamenta nervosa desinunt, & articulis alligantur. Omnes enim articuli caudis musculorum contracti, motum edunt voluntarium. Officium itaque musculorum est ossa corporis contegere, & ossium articulos per insertas illis nerveas caudas pro arbitrio movere.* Ejus vulnus. *Nulla corporis pars vulnerata tam sanatur facile quam* musculus; *Sed si ejus caput præcidatur transversaliter, aut cauda eorum amputetur, tum articuli quibus cauda est implantata, motum amittunt, aut sensibiliter læduntur. Et si temporum musculi vulnerentur, difficilime & periculosè curantur, propter venas & arterias quæ ibidem in cerebrum repunt.*

Ossa. Ὀστέα, *Ossa, sunt partes corporis nostri simplices ex crassiore & terrestriore parte seminis in generatione concreta; Ossium substantia terrestris est, omniumque partium siccissima & durissima. Numerus ossium corporis nostri hoc disticho comprehenditur;*

hoc est, 246. *Adde quater denis, bis centum senaque; habebis,*
Quam sis multiplici conditus osse semel.

Officium seu utilitas ossium est fulcire & gestare totum corpus humanum; Sicut enim sunt, ut Galenus ait, pali in tentoriis, ita ossa in humano corpore. Eorum fracturæ. *Ossium vulnera,* fracturæ *Medicis appellantur. Ossa temporum graviter vulnerata & juguli ossa confracta; Item ossa vertebrarum usque ad medullam vulnerata, ut plurimum lethalia sunt. Reliquorum ossium* fracturæ *si accedat artificiosa repositio, rursum callo conglutinantur, sananturque.*

Cartilagines. Χόνδροι, *Cartilagines,* Das Knospricht vnd wekeste theil an den knaken/ *Osseam habent substantiam, sed minus quam ossa duræ sunt; Vtilitas & officium cartilaginum in capitibus sive tuberculis ossium & acetabulorum, i. e. cavitatum in quas inseruntur ossium capita, est, ne ex continuo motu articulorum dura ossa se mutuo atterant.* Earum fracturæ. *Fracturæ Cartilaginum lethales non sunt, nisi forsan interiores primæ Vertebrarum, quæ Cartilagines sunt, confringantur, quæ sævissima inferunt Symptomata.*

Ligamenta. σύνδεσμοι, *Ligamenta,* Glider sehnen oder Glidt Bende/ *substantiam nerveam habent, sed nervis longe duriorem, pronascuntur ligamenta ex coarticulatorum ossium Cartilaginibus, eorumque utilitas est ossa firmiter colligare inter se, & capita musculorum articulis connectere; utilitas & officium ligamentorum est prohibere, ne ossa coarticulata, in validioribus motibus luxentur, aut loco dimoveantur; Grandiora & magis conspicua ligamenta conspiciuntur in Cervice, quæ caput cum vertebris connectunt. & ligamenta, quæ humerum cum brachio, & crus cum fœmore, & fœmur cum tibia colligant; Deinde & vertebrarum spinæ ligamenta nobis maximè obvia sunt;* Eorum vulnera. *vulnerata ligamenta, & maximè si præcidantur, auferunt motum omnem articuli, cujus sunt ligamenta, & difficilis sunt curationis.*

Tendines. Τένοντες, *Tendines, seu* ἀπονευρώσεις, *i. e. enervationes,* De Harstranck oder Harsehnen / *sunt caudæ musculorum ex confluxu fibrarum nervosarum per musculos sparsarum progeneratæ, ac nerveæ substantiæ. Officium & utilitas tendinum est connectere articulis musculos, & sua dilatatione ac constrictione articulos & musculos ad motum voluntarium cogere. Ligamenta nervos sextuplo crassitie superant, quæ in quibusdam locis lata, in aliis verò rotunda, ac teretia conspiciuntur.* eorum vulnus. *Vulnerato tendone aut dissecto, semper ejus articuli motus aufertur, & notabiliter vitiatur, & difficilime, veluti & nervi, curari potest.*

Articuli. Ἄρθρον, *articulus,* ein Glide oder Lencke/ *est qualibet ossium commissura, ad motum voluntarium comparata: præsertim verò duorum*

duorum ossium coaptatio, in qua alterius caput sive extremitas rotunda in alterius acetabulum sive cavitatem commissum est. Officium articulorum est pro voluntatis arbitrio motui servire, & quanquam non sit una forma coarticulationum omnium, finis tamen unus est, videlicet motus voluntarius. Vulnerati articuli motum lædunt, & difficilimè curari possunt, propterea quod nervorum, ligamentorum & Tendinum *propagines in iis concurrunt: ut plurimum in vulneribus articulorum* ἰχῶρες, *sive aquosi humores colliguntur, quos nostri tonsores* das Glidtwasser *vocant; qui nisi statim exsiccentur, vulnera curari non patiuntur.*

Eorum vulnera.

Gliedtwasser.

Curationes Chirurgicæ per quas operationes perficiuntur?

Tres sunt efficientes causæ omnium curationum; in primis autem curationum Chirurgicarum. Prima ac principalis causa est ipsa Natura: vocamus autem hoc loco natu-ram, *calorem nativum in humido radicali consistentem, & per omnes corporis partes diffusum; Secunda, sunt remedia; Tertia est ipse Chirurgus. Quæ duæ posteriores administræ sunt Naturæ; remedia enim adjuvant operationes Naturæ, & Chirurgus tollit ac removet impedimenta Naturæ, eamque studiosè conservat; donec enim impedita est Natura, operationes suas minimè perficere potest. Naturæ itaque solius operationes sunt digestio, concoctio, alteratio & expulsio. Naturæ autem & remediorum simul operationes sunt discussio, attractio, puris generatio, agglutinatio, carnis bonæ generatio, & cicatricis obductio.*

In curatione Chirurgica tres causæ concurrunt.

Solius Naturæ operationes: Naturæ & remediorum:

Remediorum solorum operationes sunt, Refrigeratio, humectatio, calefactio, exiccatio, repercussio, condensatio, extenuatio, rarefactio, mollificatio, doloris mitigatio, & stupefactio. Chirurgi solius operationes sunt continuitatis solutio, quæ perficitur per incisionem, præcisionem, punctionem, venæsectionem, scarificationem, armorum extractionem, & per ustionem, & solutæ continuitatis initio, quæ perficitur per coaptationem, distantium partium, per consuitionem, & luxatarum partium à sua sede in alienum locum delapsarum restitutionem, deligationem, & convenientium remediorum applicationem.

Solorum remediorum.

Chirurgi solius.

Quibus addi debet puris remotio & detersio, vulneris ablutio & emundatio. Chirurgi & remediorum simul operationes sunt, sanguinis ex vulnere erumpentis inhibitio, seu suppressio, & ichorum sive aquosæ colluviei in vulneribus collectorum absumtio & exsiccatio; porrò omnis tum Chirurgi, tum remediorum operatio perpetuò debet esse affectioni contraria, & naturæ analoga.

Chirurgi & remediorum.

Quibus potissimum remediis instructus esse debet Chirurgus?

Instructus esse debet Chirurgus & notitiam habere omnium selectiorum cum simplicium *tum* compositorum *remediorum, quæ facultates habent enumeratas operationes perficiendi, quæ in has classes distribui possunt, ut alia sint* repercussiva, stupefacientia, *dolorem* mitigantia *alia* attractiva, *alia* resolventia, *alia* emollientia, *alia* maturantia, *alia* ruptoria & aperientia, *alia* mundificantia, *alia* sanguinis eruptionem cohibentia, carnem generantia, *alia* conglutinantia, *alia* cicatricem inducentia, & *alia* partium restauratarum corroborantia; *& hæc quidem remediorum genera omnia, in curationibus Chirurgicis foris & extra corpus usurpantur; nam quæ ad singula Symptomata arcenda tollendaque intra corpus exhibentur, ea in superioribus abunde sunt proposita.*

Remediorum Chirurgicorum facultates.

Repellentia sive repulsiva remedia usitatiora quæ sunt?

Ἀποκρουστικὰ *& obstruentia, & stupefacientia, atque somnifera, cognata sunt remedia, & non nisi extensione & remissione frigiditatis differunt; omnia siquidem ea frigida sunt & facultatem habent refrigerandi, obstruendi, condensandi & fluxionem humorum ferventium cohibendi; Vtimur autem repellentibus remediis, ubi ex adfluxione ferventium humorum tumor fervens, aut inflammatio in aliqua corporis parte*

Repellentia quæ.

Eorum usus.

parte excitatur. Verum in usurpatione repellentium sedulo observandum est, primum ne ea imponantur tumoribus ex venenatorum humorum colluvie ortis, quales sunt Bubones pestilentiales; neque imponenda sunt tumoribus ex adfluxu frigidorum humorum excitatis, veluti sunt Oedematosi *tumores. Secundo, ubi ferventis humoris adfluxio copiosa est, & corpus sit* κακόχυμον, *semper vitiosus humor ante applicationem repellentium convenientibus remediis evacuari debet. Tertiò in usurpatione repellentium materia medicamentorum subinde renovanda erit, ne videlicet diutius parte inhærens, incalescat nimium, & duplicet inflammationem partis. Remedia repellentia usitatiora hæc sunt:*

Repellentium materia.

Rosæ, plantago, polygonium, sempervivum, querci fol. teneriora, Rubi fol. & immaturi ejus fructus, lentes palustres, hyoschyamus, papaver, sem. citon. sem. psylii, vinum rub. auste. acetum rosa. ol. rosa. ol. myrti. Cort. gran. Balaustia, Nuces cupressi.

Chimici commendant lapidem Medicamentosum Crol. sacchar- ♄ sal ✕ spir. ✕ Magisterium Solani, Sempervivi Lactuc. Psyllii. Plantag.

Ex compositis, *Vng. popul, & è cerusa. Qua ratione autem ex enumeratis remediis confici debeant aq. stillatit. succi. Mucilag. decocta. Vnguenta. Empl. Catapl. & Epithemata, quomodove omnibus sit utendum, in processu curationis explicabimus.*

Obturantia remedia quæ sunt?

Emplastica quid? & quis usus.

Ἐμπλαστικά, *i.e. infarcientia & poros cutis obstruentia remedia, quæ, ut diximus, affinia sunt repellentibus, eisque utimur in tumoribus ex affluxione humorum viciosorum aliqua parte excitatis, ut eos condensemus, & meatus obstruamus, quæ ut plurimum repellentibus miscentur, quorum usitatiora sunt:*

Eorum materia.

Ovi cand. farina triticea, far. fabarum, pul. gland. Amylum, Cerusa, Plumbum ustum, Antimon. Thus, Mastix, Tutia, Coralli. Bolus Armen. Terra Lemnia, Gipsum, & Lithargyr. Eorum quoque componendi & utendi rationem in curationibus ostensuri sumus.

Chimici commendant Balsam. ex Galbano, Elemio ↔ præp. liquorem rubeum Egentiam plantag.

Stupefacientia Remedia usitatiora quæ sunt?

Narcotica quæ.

Narcotica, *i. e. stuporem & insensibilitatem partibus inducentia, dolorisque sensum auferentia, omnia ea Naturæ, non tantum ratione suæ extremæ frigiditatis, verum etiam ob suam venenatam formam substantialem, adversissima sunt; non itaque eis nisi summa exigente necessitate temerè utendum est, ac diligenter cavendum, ne illis regionibus corporis, in quibus principes partes continentur, ut cerebrum, cor, epar & testiculi, admoveantur. Sunt autem remedia stupefacientia:*

Eorum usus.

Cautio.

Opium i. e. succus è capitibus papaveris adhuc virescentibus incisis collectus; item hyoschya. rad. & se. & succus, similiter cicutæ rad. fol. & suc. Mandragoræ, Ol. è Papa. & ol. è Mandragora.

Materia. Chimicis laud. opiat. solutio opii, cujus facta Magister. Mandra. Hioschiam. cicut. Item salictorum.

Soporifera Remedia quæ sunt?

Soporifera quæ.

ὑπνωτικά, *i. e. somnifera, remedia cognata sunt cum stupefacientibus: omnia enim quæ stupefaciunt, eadem & somnum conciliant, si temporibus imponantur; sed magna opus est circumspectione, ne temerè* tempo*ribus imponantur, nisi mitiora; turbant enim rationem & somnum laboriosum efficiunt. Mitiora autem sunt succus ex contusi sem. Papa. & nucl. Persicorum cum aq. Rosa, & Solani & pauxillo aceti rosa. commixta.*

Eorum usus. Materia.

Dolorem mitigantia Remedia quæ sunt?

Anodyna quæ.

Anodyna *dolorem partium affectarum mitigantia remedia hoc loco ea vocamus, quæ non per stupefactionem, sensum doloris obtundunt, nec quæ contraria sua qualitate dolorem mitigant, sed quæ specifica proprietate & temperamento partium Naturæ familiari, affectioni verò adversante cruciatus leniunt, & quæ pro affectionis Natura tam calidis quàm frigidis morbis applicari possunt; Ejus classis sunt Althea, Malva, Rad. li. fl. Melilo. Medulla panis similari in lacte macerata, lac, ovorum luteum, Buty. recens, se. Lini, fæ. graci. Adeps suillus, gallinaceus, humanus, Medulla ex ossibus Cervinis*

Eorum materia. Commend. Chimici Empl. stiptic. Crollii. Extract. sangilum ♂. ♀. nitri, ⊙. Ammoniaci, ⊙ cum mistat. ♂ Ovorum, Magister. Croci.

vinis & Vitulinis, Ol. Carna. oll. li. alb. Qua ratione autem ex enumeratis remediis mucagines, fomenta, Emplastrum, Catapl. & Vng. confici & applicari debeant, suis in locis in curationibus exemplis declarabuntur.

Attractiva remedia præcipuè quæ sunt?

Attrahentia quæ.

Attractiones quæ fiunt sine medicamentis.

Attrahentium medicamentorum materia.

Ἑλκτικὰ, *sive* ἐπισπαστικὰ *remedia contraria sunt repellentibus, omnia enim attractiva sua proprietate calida sunt & tenuis substantiæ, & specifica sua forma ex alio corporis & humores viciosos & flatulentos habitus & venenatas qualitates, tela, aculeosque corpori infixos extrahunt & eliciunt.*

Fiunt etiam artificiosæ humorum & flatuum extractiones per cucurb. Hirudines, suctus, Vincula & frictiones, de quibus hoc loco sermo nobis non est, sed tantum de attractionibus per remedia; Sunt verò mitura attrahentia Annagallis, cum flo. purpu. Rad. Aristo. utriusque Rad. Narcissi, Hermodact. Lac Thytimalorum, Rad. Arundinis, stercus columbarum, stercus anserinum, Gummi Ammon. Sagapenum Opopanacum, & Galbanum; Validiora sunt quæ humores in superficiem cutis attrahunt, & vesiculas excitant ut Euphorb. Tapsus. Et ex compositis, Empl. Oxycroceum è Meliloto, è baccis lauri. Quomodo verò ex superioribus succi, unguenta Empl. & Catapl. confici & applicari debeant, in processu curationum indicabitur; Attrahentibus remediis affinia sunt remedia Caustica, & crustas corpori inferentia, quæ paulo infra enumerabimus.

Chimici Extract. Mitridat. Theriac. Aq. Theriacal. Empl. stil. Crollii.

Emollientia sive Mollificantia medicamenta usitatiora quæ sunt?

Emollientia quæ?

Eorum materia.

Μαλακτικὰ *sunt, quæ duros tumores & crassos humores in aliqua parte condensatos, & membra frigore indurata, moderata sua caliditate emolliunt ac relaxant. Eorum siquidem proprietas est mitissimè calefacere & humectare; ex mollificantium ordine præcipua sunt, Althea, Malva, Parieta. Branca Vrsina, Viola sicca, Violaria fl. Chamom. Ebulus, lib. alb. flo. rad. Brion. se. lini. Se. fœnugraci, far. Tritici, adeps suillus, Medulla cervi & Vitul. Ovorum lutea, stirax liquida, Terebinthina, Ammoniacum, Bdellium, Galba. Ol. Chama. Lill. alb. Vng. Dialth. & Empl. Diachyl. Ex præscriptis pluribus aut paucioribus formari possunt fomenta, sive decocta, Mucag. Catapl. Empl. & Vnguenta, ut in curationibus, exemplis, declarabitur.*

Chimici commendant Ol. pingued. taxi, Galbanetum Misturam spir.

Therebint. & Ol. sulph. oleum ♃ Ol. adip. human.

Discutientia sive Resolventia remedia usitatiora quæ sunt?

Discutientia quæ.

Eorum materia.

Διαφορητικὰ *i. e. per evaporationem humores resolventia, & elicientia remedia sunt, quæ sua proprietate cutis poros dilatant & humores extenuant, ac sensim per halitus extrahunt, ita ut tumor subsideat. Affinia autem sunt emollientibus; & ejus classis usitatiora sunt, Chama. Aneth. Melilot. Malva, Parieta. Fuma. Ebulus, Sambucus, Hypericon, Brassica, Majoran. Rosma. Se. Lini, fenugraci. Cimini, Carvi, Dauci, Rad. Aristo. Gentia. Cepa. Rad. lill. Medulla panis Fermentum & Ovi luteum: ex quibus qua ratione fomenta, decocta, Catapl. Empl. Cerota & Vng. confici debeant, suis in locis declarabimus.*

Chimici laudant Magisterium lithargyrii Minii, ♀ Cerussæ. Marcasitæ lapid. Cal. Sal. Verb. balf. hyper.

Maturantia sive Suppurantia remedia potiora quæ sunt?

Maturantia quæ?

Eorum usus.

Πεπτικὰ *sive* ἐκπυητικὰ, *maturantia, seu humores in tumoribus contentos in pus convertentia, affinia quoque sunt emollientibus. Vtimur autem maturativis in tumoribus quibus putridus humor resolvi ac discuti nequit, Maturatio sive suppuratio quidem est Naturæ operatio; sed remedia in suppuratione adhibentur ut conservent Naturam, & adjuvent ejus operationem, ut nimirum celerius fiat colluviei concoctio, & in pus conversio. Sunt autem suppurantia præcipua hæc, Fotus aq. cal. Ol. dulce, Buty. Oesypus, adeps suillus, pinguedo anserina, Medulla cervi Medulla vitulina, Medulla panis triticei, far. triticea, & triticum ipsum jejuna saliva, præmansum fol. Tussilag. sub cinerib. cocta. Rad. alth. lil. cepæ sub cineribus cocta. Ovi luteum, Stirax liquida, Ammon. Galbanum, ex compositis Vnguentum Basilicum, Vnguentum de Althea,*

Materia.

Chimicis in usu est Empl. stipt. Croll. ex Melilota Paracelsi.

Althea, Agrippina & Empl. Diathylon. Ex horum pluribus aut paucioribus conficiuntur fomenta, Catapl. Empl. & Vnguenta: quorum exempla in curationibus nobis obvia erunt.

Cutem rumpentia quæ & quotuplicia.

Cutem rumpentia, erodentiaque remedia præcipua quæ sunt?

Καυστικὰ *i.e. adurentia, &* ἐσχαρωτικὰ *crustam inducentia, &* σηπτικὰ *i.e. corrumpentia remedia, inter se cognata sunt, & ignei caloris extensione & remissione tantum differunt, quæ cuti imposita primum vesicam excitant; deinde cutem erodunt, & subjectam carnem exedunt, atque corrumpunt. Vtimur hisce remediis ubi tumor maturus & suppuratus sua sponte non disrumpitur, & pus in eo contentum sibi viam facere nequit; aut ubi pus crassius factum tumorem durum effecit.* καυστικὰ *itaque sive aperientia remedia mitiora hæc sunt; Ther. Andro. Sem. Vrticæ, Adeps ranarum viridium per arborem reptantium, adeps leporinus, Lac Tuimali, Rad. Ranunculi, Canthar. cum fermento, Stercus Caninum, Columbinum, Mel sive succus melleus ex Anacardo. Validiora autem hæc sunt, &* ἐσχαρωτικὰ, *quæ fere instar ignis urunt, & crustas inducunt; Tapsia, Calx viva, fex vini cremata, Cinis cort. fraxini arboris cum saliva jejuna temperata. Validissima verò &* σηπτικὰ, *quæ & cutem, & carnem usque ad ossa exedunt, & corrumpunt, ut sunt Arsenicum, Merc. Sublima. Aq. fortis, Troch. de Arsenico. Hæc quidem venenata sunt & violenta remedia, proinde eis minime utendum est nisi prius probè correctis admixtisque talibus remediis, quæ venenatam qualitatem refringant; nec patiendum est ut diutius corpori inhæreant, sed statim ut cruciatus est excitatus, & inflammatio exardescit, removenda sunt à corpore, & inflammatio refrigerantibus mitiganda. Quomodo autem* καυστικὰ *cum aliis sint temperanda, & in formam linimenti aut Empl. redigenda, suis locis in curationibus ostendemus.*

Eorum usus. Causticorum materia. Escharat. materia Septicorum materia. Chimici adhibent Ol. ☿ Ol. vitr. Aurip. ♀ ☉ sulph. Aqua fort. spir. calcis, spir. sapon. Causticis quomodo utendum.

Detergentia sive Mundificantia remedia præcipua quæ sint?

Detergentia quæ. Eorum usus.

Καθαρτικὰ, *expurgantia,* ῥυπτικὰ *abstergentia remedia sunt quæ sua quadam acrimonia saniem, & sordes in ulceribus & vulneribus extergunt & purgant; & quanquam ulcerum & vulnerum mundificatio sit operatio propria Chirurgi; ejus enim prima cura esse debet, ut vulnera & ulcera subinde ab omni impuritate pro qualitate ulceris aut sero lactis, aut vino austero, aut Hydromelle abluat, mollique linteolo aut spongiola abstergat; & remedia indita purificant emundantque egregiè, ut deinceps Chirurgus eò facilius ac commodius sordes auferre queat. Sunt autem usitatiora abstergentia remedia, vinum austerum, Hydromeli, mel rosa. chelido. ma. centau. mi. Hypericon, Persicaria, Sabina, Agrimo. Beton. Apium, Cinoglos. earumque omnium & singulorum succus, decoctum & pulvis. Item far. fabarum, cicerum, hordei, lupinorum & pul. Aristol. utriusque; validiora etiam sunt, ut quæ non tantum saniem, sed & carnem superfluam ulceribus increscentem extirpare queant; Hellebo. niger, Fistulosis ulceribus insertus, pul. vitr. usti & probè eloti, quæ omnia excellit Mercur. præcipitat. Chimicorum. prostant in officinis unguenta mundificantia Ægyptia. & Apostol. Ex præscriptis commodè confici possunt ad mundificationem vulnerum & ulcerum succi, decocta, pul. Catapl. Empl. Vnguenta, quorum conficiendi rationes in processu curationis docebimus.*

Materia. Chimici sacch. ♄. Essentia Apii, spir. mellis Essentia therinc. Spir. alumin. utuntur.

Sanguis justo uberius ex vulneribus aut ulceribus erumpens, & ichor sive serosa humiditas in iisdem collecta, quibus remediis sistatur & exiccetur.

Ἱσχαιμα quid. Sanguis non statim sistendus. Ischaimorum usus.

Αἱμοῤῥαγία, *Sanguinis fluxio, Symptoma est & vulnerum & ulcerum, &* αἱμοστατικὰ *remedia sunt, quæ sanguinem justò largius profluentem sistunt. Sanguis è vulneribus profluens in corporibus robustis, carnosis & plethoricis & etiam macilentis non statim ac propere est restinguendus, sed pro virium ratione effluere permittendus, & digitis etiam exprimendus:*

Eorum materia. Chimicis essentia buff. pastor. Martis, Ol. ♂ Ol. ex sarda, Carniolo, hæmathite, Magister. portulac. spir. × sperniolæ compositum, Ol. & Magister. stabinæ. Ol. de myrrha extract. cort. granat.

mendus: alioquin aut recidivam facit, aut alia infert incommoda, si justo citius cohibeatur fluxio; ubi autem quod satis est profluxit, aut animi deliquium metuamus, tum vulnus cum leni spongia aut linteolis in aq. frig. cui quarta pars aceti sit admixta, imbutis, sanguis abstergatur, ac linamenta ovi albumine & vitello simul conquassatis imbuta, vulneri imponantur; aut succi aut pul. unguenta catapl. ex sequentibus pharmacis concinnata superponantur, & ante tertium diem non removeantur. Sanguinem autem supprimentia pharmaca usitatiora hæc sunt; Ovorum album. & lutea, poligo. crassula major, fol. Pimpi. Rad. Pentaphyl. R. urticæ lanugo ex salicis floribus resoluta, lanugo per mala cidon. hærens, fragaria herba, fol. isatis. Rad. Symph. major Aloës, Succinum Tragantum, pix sicca, Colopho. Gypsum Gallæ, Lap. hæmæ, cor. rub. Mumia, thus, Sanguis Draconis, Bolus Arme. Terra Lemnia, pili leporini, Tela aranea, præsertim ex molendinis, Balaustiæ, Cort. granat. Acatia, Hypocistis. Inter quæ facile primum locum obtinet Chimicorum illud egregium remedium Crocus Martis. Quomodo vero ex præscriptis pharmacis, succi, pul. Catapl. & Epithe. confici debeant, & simul utendi modum, in curatione sympto. vulnerum edocebimus. Verum ad remedia sanguinem sistentia, ubi necessitas exigit, adhiberi debent & operationes industriæ ipsius Chirurgi, per quas sanguis averti queat, veluti sunt venæ sectio, Curcurbitularum & Hirudinum h. e. sanguisugarum applicatio, vinculorum constrictio & frictio; sed hæ operationes omnes moliendæ sunt in adversa parte vulneris; quandoque adeò sæva est irruptio & implacabilis, ut ad caustica remedia, quæ paulo ante sunt commemorata, confugere cogatur Chirurgus.

Operationes Chirurgi quæ sanguinem avertunt. Causticis quoque sanguis sistitur.

Ichor in vulnere quid.

Porrò ἰχὼρ h. e. corruptus & tenuis sanguis, aquæ vel sero persimilis, aut multæ aquæ diluto sanguini, qui in vulneribus apparens curationem impedit, nostri Das Gliedwasser *vocant; Theophrastus autem Paracelsus novo & ineptissimo vocabulo* sinobiam *vocat: Magnâ cura est adhibenda, ut & ejus adfluxio sistatur, & absorbeatur; ejus itaque ichoris curatio consistit in sanguinis purificatione & alteratione, tum per boni succi alimenta, tum per convenientia remedia; exiccant autem venenosam colluviem eadem remedia quæ sanguinis cohibitioni sunt dicata, inter quæ nobilissimum est pharmacum chimicum crocus Martis, & Muscus per capita mortuorum in cemiteriis generatus, si tenuissimus pulvis inspergatur vulneri aut ulceri: Sed confert plurimum circum jacentes partes vulneris subinde Epithemate ex aceto rosarum facto imbuere.*

Gliedtwasser. Ejus curatio.

Medicamenta quæ saniem exiccant. Usneæ insignis usus. Optimum est Galbanum aceto dissolutum, & vulneri instillatum.

Glutinantia quæ.

Glutinantia remedia usitatiora quæ sunt?

Κολλητικὰ & συμφυτικὰ, *h. e. conjungentia remedia sunt quæ vulnerum & ulcerum labra partesque disjunctas contrahunt & conglutinant; & quidem in levioribus vulneribus ulceribusque conglutinantibus duntaxat in Medicinis fæliciter uti possumus; sed in vulneribus amplis carnosarum partium operationes quoque Chirurgi accedere debent, nimirum labiorum & carnosarum partium in vulnere coaptatio; artificiosa suitio, fibularum h. e. vinculorum injectio; remedia autem conglutinantia omnia debent habere proprietatem astringentem & siccantem; quorum usitatiora & experientia magis comprobata hæc sunt; plantago, Arnoglossa, lingua avis Cynoglossa, Consol. major. Hippuris. Auricula muris, Anagallis, Hypericon, Millefolium, Carduus benedictus, isatis, fol. pentaphylli, centau. min. flo. & fol. atque cortex salicis, sanicula herba, & fol. atque cortex ulmi arboris; omnium autem præstantissimè conglutinat liquor melleus in vesiculis foliorum ulmi adnatis contentus. Similiter aqua ex vitibus abscissis emanans, sempervivum nauticum quod Aloës est, & ad nos ex Ulyssibona adportatur, & propter perpetuam viriditatem, quam in æstuantibus hypocaustis per hyemem retinet, ad laquearia suspenditur, sarcocolla, pix arida, Aloës, Sang. Draconis, Thus, Bolus Arme, & vinum austerum. Ex compositis sunt nobiliora Empl. Barbarum à Celso descriptum, & Empl. Basilicum. Ex his succi, decocta,* pul.

Eorum usus.

Glutinantium materia.

Chimici utuntur unguento stellato Paracelsi. aqua Aluminos. simp. vel comp.

pul. & Empl. conficienda sunt, quorum exempla suis in locis inter curationes proponemus.

Carnem bonam in vulneribus & ulceribus generantia remedia quæ sunt?

Sarcotica quæ? Σαρκωτικὰ, *incarnativa remedia sunt quæ adjuvant naturæ operationem in generanda carne.* Carnis generatio, naturæ solius opus. *Solius enim naturæ operatio est, ex sanguine puro bonam carnem generare, & carne vulnerum & ulcerum cavitates complere.* Eorum usus. *Remedia autem carnem bonam generantia, & naturam adjuvantia, semper debent esse naturæ carnis ἀνάλογα, ita ut semper mollioribus partibus carnosis mitiora, durioribus validiora applicentur remedia. Ex mitioribus pharmacis sunt farinæ fœnugræci & lupini, Ovi luteum, Mel, Therebintina, pul. Thuris, & Ol. ex plumbo arte Chimica distillato; His validiora sunt σαρκοκόλλα in lacte soluta, Ol. ex strobillis piceæ, aloes cum aq. rosa soluta, Aristot. utraque. Ex compositis prostant in myropoliis Empl. carnem generantia, Basilicum magnum Empl. Gratia Dei & Vngt. aureum. Ex præscriptis Sarcoticis remediis Empl. Vnguenta, Linimenta & pulveres sunt conficiendi, quæ in curationibus edocebuntur.*

Chimici commendant Emp. stiptic. Crolli. Ol. myrrh: Ceræ, essentiam aloës, sang, Dracon scabios. Veronic. cort. granat. gallar. magisterium Ceruf. aris ust. alum. vitrioli.

Cicatricem inducentia remedia quæ sunt?

Epulotica quæ? ἐπουλωτικὰ *sunt, quæ vulnera & ulcera jam carne bona oppleta obsignant & cute vestiunt; Cicatricis obductio est, ut videmus in brutis vulneratis, quæ nullis utuntur remediis, & tamen cicatricem acquirunt; juvatur tamen Natura impositis remediis, ut citius cicatricem nanciscatur.* Eorum materia. *Remedia cicatricem inducentia omnia oportet esse frigida & omnis mordicationis expertia. Ejus autem generis sunt Bolus Armenus, Terra sigillata, lithårg. Cerusa, Cortex & flor malorum granat. Lapis Calaminaris ustus & elotus, Spodium, plumbum in tenuiss. laminas redigatur, deinde concidatur minutissimè, & in aceto rosa. per triduum maceretur, singulis diebus acetum renovando, deinde exiccetur in loco tepido, & in mortario in tenuiss. conteratur pul. qui ulcerib. sordidis & malignis inspersus dolorem sedat, carnem bonam generat, & Cicatricem inducit.* Modus conficiendi pulv. plumb. *Est & remedium præstans Calx viva, septies in aq. rosa. elota, & æs ustum probè elotum; composita ἐπουλωτικὰ habentur in officinis, Vnguentum è Cerusa, Vnguentum Diacalcitis; ex præscriptis simplicibus Empl. Vnguenta, Pulveres concinnari possunt, quorum exempla in curationibus trademus. Observatu autem necessarium est in cute vulneri obducenda, ne ea remedia ante usurpentur quam ubi carne repleta sit vulneris cavitas, aut si in ea luxuriet caro superflua, ea extirpetur remediis causticis, aliàs enim vel cavum, vel extuberans σίγμα in loco vulnerato aut ulcerato remanebit.*

Chimici commendant Essent. gall. myrti. gers. serp. sab. magist. litarg. Tutiæ, Ceruf. Empl ex Antim. Paracelf.

Epulo ticorum usus.

Corroborantia seu Confortantia remedia partium læsarum quæ sunt?

Corroborantia quæ? *Confortantia sunt quæ artus & læsas partes, ex vulnere aut ulcere debilitatas, corroborant, & facultates naturales restituunt, sapè siquidem ex magnis vulneribus, ossium fracturis, & luxationibus Musculorum, nervorum, venarum & Arteriarum naturales potentiæ labefactantur, & debilitatur calor nativus in hisce partibus; post restitutam itaque illis sanitatem, aliquandiu remedia corroborantia imponenda erunt, Vnguenta Empl. & Epithemata;* Eorum materia. *Ex quibus nobiliora sunt Epithemata ex vino generoso, in quo fl. Rosar. Absinth. & Muscus quercinus sunt incocta; Aut eadem cum vino in Catapl. redacta. Item fol. Mastich. Ol. Rosa. & ol. Hyper. Empl. Oxycroc. quæ prostant in Miropoliis;* Vsus. *Corroborantia autem remedia semper sunt varianda, pro diversitate Symptomatum, quæ in particulis post curationem sunt relicta; de quibus in suis locis tractaturi sumus.*

Quibus communissimis Compositis, sive unguentis Empl. Ol. & pulv. commixtis instructus esse debet Chirurgus?

*Communiora composita quæ Chirurgis in promptu habere debet. *Ex unguentis in promptu habere debet omnis Chirurgus hæc sequentia:*

Vn-

Vnguenta.

Vnguentum popul. ad repellendum & dolorem mitigandum.
V. de Althea, ad emolliendum & discutiendum.
V. Basilicum ad maturandum & suppurandum.
V. Apost. & Ægypt. ad abstergend. & mundificandum.
V. aureum, ad carnem generandam.
V. album è cerusa ad cicatricem inducendam.

Ex Emplastris:

Emplastra.

Empl. Diachylon ad emolliendum.
De meliloto ad maturandum.
Oxycroceum ad emoll. attrahend. & discutiendum.
E. Brutenicum sive Tetraphar. ad conglutinandum & Cicatricem obducendam.

Ex Oleis:

Olea.

Ol. Rosa. ad Mitigationem ferventium dolorum.
Ol. Chamom. ad emollitionem durarum partium.
Ol. lip. alb. ad maturationem.
Ol. Hyperic. ad discussionem & nervorum corroborationem.
Balsamum artificiale ad glutinationem & carnis generationem.

Ex Pulv. Compositis:

Pulveres.

Pul. Sarcoticum ad carnis generationem.
Pulv. rubeum restringentem ad sanguinis fluorem sistendum.
Pulv. Cephalicum ad vulnera capitis.
Hæc omnia in promptu habentur in Miropoliis.

Sed præter hæc communia remedia, quilibet ferè Chirurgus sua habet experimenta; quæ pro secreto habet; nos verò nostra experimenta inter curationes Chirurgicas liberaliter Studiosis communicabimus.

Instrumenta Chirurgica.

Quibus Instrumentis instructus esse debet Chirurgus?

Extant in Chirurgorum libris, & ab ingeniosis artificibus varia excogitari possunt, pro partium affectarum figura & constitutione, instrumentorum Chirurgicorum genera; verum hæc quæ enumerabimus cum apud Chirurgos, tum apud tonsores hac tempestate maximè usitata sunt:

I. Acus sutoria mediocris, ad vulnera consuenda necessaria.

II. Filum lineum duplicatum tenue, robustum tamen ad eundem usum.

III. Novacula seu culter rasorius, ein Schermesser / *ad incidendos tumores, & præcidenda in corpore corrupta vel superflua.*

IV. Hamus nonnihil obtusus, ad tollendam cutem, & separandas rimas vulnerum, ad sublevandasque venas, nervos & arterias in vulneribus.

V. Scalpellum φλεβοτόμον, *ad scarificationem, venæsectionem, & maturorum tumorum apertionem.*

VI. Scalprum inflexum ad ossa corrupta aut cariosa abradenda.

VII. Serrula ad præcidenda ossa.

VIII. Forfex sive tenaculum, eine Zange / *ad duras materias corpori infixas extrahendas.*

IX Forfex, quibus crines abscinduntur ad præscindenda superflua.

X. Terebra, ad ossis capitis contusi, & intra calvam impressi extractionem.

XI. Volsella, ad globos & alias materias è corpore evellendas.

XII. Ossagra, forcipis genus, ad extrahenda Ossa confracta.

XIII. Specillum, ad investigandam profunditatem vulnerum & ulcerum.

XIV. Speculum oris, ad os aperiendum dilatandumque.

XV. Spatula, ad deprimendam linguam.

XVI. Cochlear, ad sublevandum in faucibus Gurgulionem.

XVII. Spongia, ad abstergendum sanguinem, & pus in vulneribus & Vlceribus.

XVIII. Penicillus ex filamentis linteolorum detritorum factus, & bacillo alligatus, ad remedia in ulcera & vulnera, & fauces affectas illinenda.

XIX. Linamenta, Kopen *nostris tonsoribus, sunt abrasa filamenta, instar lanæ mollis ex attritis linteis decerpta, ad*

extergenda ulcera, & excipienda remedia liquidiora, & ulceribus vulneribusque imponenda.

XX. Licinium est convolutum Linamentum, ulcerum aut vulnerum profunditati, exiccandi gratia, & ne coalescant vulnera, infigenda, Germanis Eine Wecke.

XXI. Plumaceolum seu pulvillum, ein Pulsterlein / *fit ex convolutis mundissimis linteolis, pro cavitatis ulcerum & vulnerum figura concinnatum; aut quadrata, aut triangulari, quo remedium tutius hæreat.*

XXII. Fascia seu vinculum, quod debet esse ex linteolo mundissimo, & molli, pro ratione loci affecti, ad deligationes ulcerum & vulnerum, fracturaram, luxationum, affectarumque partium.

Curationes Chirurgicæ quotuplices sunt?

Quadruplices sunt Chirurgicæ curationes. Prima καθολικὴ, *sive generalis, quæ generalem singulorum morborum Chirurgiæ subjectorum curationem docet.*

Curationes Chirurgicæ quadruplices.

II. κατὰ εἶδος, *specialis, quæ circa species singulorum morborum curandas occupata est.*

III. κατὰ τόπον, *secundum loca, h. e. particularis, quæ partium certarum morbos, eorumque species curare docet; alia enim remedia in eodem morbo debentur cerebro, alia thoraci, alia denique peritonæo: & alia nervis.*

IV. κατὰ συμπτωμάτων, *quæ morborum accidentia tollit.*

Chirurgicæ curationes de Tumoribus.

SECTIO I.

Tumor præter naturam quid, & quæ tumorum præcipua genera?

De Tumoribus. Tumor quid.

Ἀπόστημα, *Abscessus, exitura, & tumor præter naturam, Synonyma sunt; etiamsi quidam scrupulosas inter ea nomina quærant differentias; nostratibus* ein Swulst oder ein Geswer / *Est autem tumor præter naturam, ex sententia Galeni, incrementum alicujus partis corporis, naturalem ejus constitutionem cum in quantitate tum in qualitate excedens. Hanc Galeni definitionem Hali Abbas, Arabicæ familiæ Medicus, ita declarat: Apostema est tumor præternaturalis, in quo aliqua materia superflua, humor videlicet, aut flatuosus Spiritus, locum affectum replens, ac distendens, est collecta & aggregata*, Dicitur itaque Aposthema, h. e. abscessus talis alicujus partis dispositio, in qua abscedunt ab invicem corpora; quæ prius erant continua.

Materia enim vel humoralis, vel flatulenta, vel simul ex his mista, tumorem excitat, ac divellit ab invicem, Musculorum & cutis partes, & cavitatem inter eas efficit, quæ materia nisi tempestivè discutiatur, in varias tumorum species convertitur. Quandoque enim illa materia, & quidem frequentissimè in pus convertitur, *nonnunquam* instar lapidis induresçit, *quandoque in calcem arenosamque materiem cogitur, &* nonnunquam in cænosam, oleosam, melleam, aut feculentam materiam transmigrat; constat itaque in tumoribus omnia tria morborum genera concurrere, nempe δυσκρασίαν, h. e. intemperiem, ἀμετρίαν, h. e. vitiosam conformationem seu quantitatem, & συνεχείας λύσιν i. e. continui solutionem. *Hæc enim tria, nec plura, sunt morborum genera, ad quæ omnes reliquæ species ægritudinum referri possunt. Loquimur autem nos hoc loco de majoribus & extrinsecis duntaxat tumoribus: siquidem de minoribus cutis extuberantiis, ut sunt pustulæ, scabiei, & his similes, suprà in curatione affectionum cutis abunde diximus. Porro tumorum in universum genera nos sex constituimus, sumpta differentia à materia in tumoribus collecta; excitatur enim omnis tumor aut ex confluxu & collectione humorum in aliquam partem; sunt autem 4. humores, sanguis, flava bilis, pituita, & atra bilis. Quæ humorum species pro redundantia sua in sanguinea massa quatuor species constituunt tumorum. Quinta generatur ex flatibus in aliqua parte collectis: Et sexta à venenata infectione.*

Materia tumorum.

In tumoribus insunt omnia tria morborum genera.

Tumorum sex genera, ratione materiæ.

Prima

Prima itaque species tumorum est quæ ex fervore redundantis sanguinis generatur, quæ *Græcis φλεγμονὴ, Latinis inflammatio, vel tumor inflammatus, nominatur.*

Secunda, tumor, qui ex colluvie in qua bilis flava excedit reliquos *humores, generatur, qui Græcis* Erysipelas, *Latinis* biliosus tumor *dici potest.*

Tertia species, ex redundantia pituitæ *in massa sanguinea excitatur*, Græcis *οἴδημα*, h. e. tumor laxus aquosus, *seu pituitosus, & doloris expers nominatur.*

Quarta est tumor *ex colluvie* sanguineæ massæ, in qua redundat melancholicus *humor, Græcis σκίῤῥος, Lat.* tumor *Melancholicus vel induratus nominatur.*

Quinta est tumor ex flatulentis spiritibus generatus, Græcis πνευματώδης Lat. flatuosus *tumor dicitur.*

Sexta est tumor ex colluvie venenata in aliquam partem collecta excitatus, qualis est Bubo pestilens, & *qualis* ex morsu ictuvè venenatorum animantium est generatus. *Alii cum Græci tum Latini Chirurgiæ Scriptores tradunt & alias ex humoribus excitatorum tumorum subdivisiones; primò enim tumores dividunt in veros; & veros quidem esse dicunt, qui ex unico & simplici humore generantur. Verum quia solus & sincerus humor sine admistione aliorum in corpore non reperiatur præterquam in fellis capsula, non potest ex simplici humore ullus tumor externus excitari; ideò nos eam divisionem consulto præcidimus. Secundo dividunt tumorum genera, sumpta differentiâ ab humorum mistorum ratione ac redundantia; in phlegmones; si in sanguine redundet bilis flava, in Erysipelatidem; si melancholicus, in scyrrhodem. Ita quoque subdividunt reliqua tumorum genera; quæ subdivisio, quia parum facit ad curationem tumorum; qui enim genera tumorum curare novit, is species eorum facilè curabit; nos subtiles tales distinctiones, tyronum ingenia turbantes, consultò omittimus.*

Reliquæ tumorum distinctiones non necessariæ.

Recitata hæc sex Tumorum genera, quas habent species?

I. Tumorum ex sanguine ortorum genus φλεγμονὴ dicitur, cujus species sunt carbunculus non venenatus, Bubo non venenatus, Gangræna, & Sphacelus.

Species tumorum sex prædictis generibus subjectæ.

II. Tumorum ex biliosa colluvie genus est Erysipelas, cujus species sunt herpes, Formica &c.

III. Ex pituita ortorum tumorum genus est Oedema, cujus species sunt struma, Scrophula, sive glandulæ & Hydrops.

IV. Tumorum ex Melancholica colluvie excitatorum genus est Scyrrhus, cujus species sunt lepra, Phagedæna, varix, & cancer occultus.

V. Tumorum, qui ex flatulentis spiritibus originem ducunt, genus est inflatio, quæ non habet species nisi flatulentus Spiritus pituitosæ colluviei sit admixtus, & tum Oedema flatuosum appellari potest.

VI. Tumorum venenatorum ex venenata infectione humorum in venis, ac spirituum in arteriis, aut venenatorum animalium ictibus morsibusque illatorum species, sunt bubo pestilens, Carbunculus pestilens, & inflatio venenata. Hæc tumorum præternaturalium genera cum suis præcipuis speciebus sequens tabella ob oculos ponit:

Tabula tumorem genera & species continens.

Tumorum genera & species sunt

1. *φλεγμονὴ ex sanguine*, ein Blutschwer/ *cujus species sunt:*	*Bubo non venenatus. Carbunculus nonvenenatus. Gangræna, Sphacelus.*
2. *ἐρυσίπελας, tumor biliosus*, das H. Dinck/ *cujus species sunt:*	*Herpes. Formica. Phlictena.*
3. *Οἴδημα, Pituitosus tumor*, ein Quippich swer/ *cujus species sunt:*	*Hydrocele. Hydrops. Scrophula. Struma.*
4. *σκίῤῥος, tumor durus & Melancholicus.* Ein verhardet Swell/ *cujus species sunt:*	*Phagedena. Lepra. Cancer.*
5. *Tumor flatuosus*, ein windig Swer/ *cujus species sunt:*	*Priapismus. Tympanites.*
6. *Tumor venenatus*, ein gifftig Swel/ *cujus species sunt:*	*Bubo pestilens. Carbunculus pestilens.*

Quæ

Quæ potissimum Symptomata sequuntur tumores præternaturales?

Communissima omnium tumorum præternaturalium Symptomata sunt Dolor, inflammatio, Laxitas vel mollities, induratio & Febris.

Tumores præternaturales quomodo generantur, & quæ eorum generales causæ; quæve universalia signa?

Tumorum generatio. *Omnis Tumor ex vitiosis humoribus excitatus, generatur per fluxionem ex aliqua parte corporis, & collectionem in aliquam partem, sive per dimissionem ex aliqua parte, & receptionem materiei in aliquam partem; Et pars quidem à qua fit demissio, seu defluxio, nominatur Medicis pars mandans, sive demittens, seu propellens. Pars autem ad quam fit collectio, nominatur pars excipiens, vel pars affecta.*

Causæ fluxionum. *Causa porrò fluxionis ex una in aliam partem sunt* humorum copia, tenuitas & acrimonia, item partis propellentis robur, & meatuum pororumque, atque potissimum venarum & Arteriarum, per quas fit defluxio, laxitas & amplitudo.

Causæ congestionis. *Causa autem collectionis vitiosorum humorum in aliquem locum est ejusdem partis imbecillitas, & ignobilitas atque dolor; Regulare siquidem est, quod natura ex crementosos vitiososque humores semper ab internis ad exteriora, & à nobilioribus partibus ad ignobiliores propellat.* Dolor *præterea* in aliqua corporis parte semper allicit ad se defluxionem humorum: *alioquin sicuti omnium ferè aliorum morborum, ita & tumorum omnium triplices sunt causæ.*

Causæ tumorum procatarcticæ. Προκαθ. *sive evidentes & foris incidentes, quas* primitivas *vulgus vocat; ut sunt casus, sive præcipitatio, violenta percussio, veneni assumptio, & venenatus morsus, ictus; deinde sunt* προηγούμεναι *interna & abdita, quas* Antecedentes *nominant, ut sunt humorum fluidorum copia, qui aut qualitate aut pondere membra ad propulsionem irritant, ut paulo post in singulis speciebus tumorum ostensuri sumus.* 3. *dicuntur*

Antecedentes. Continentes. συνεκτικαὶ *h. e.* conjunctæ, *quas nos consultò negligimus, ejusmodi sunt humores in aliquam partem decumbentes, qui nondum sunt in parte recipiente collecti, & impacti, sed sunt tantum in fluxu.*

Signa tumorum periodica. Signa universalia *sive generalia tumorum manifesta sunt, nimirum insolitum incrementum partis affectæ, eam distendens, ejusque actiones lædens; & in cute ea parte extuberantia.*

Periodica tumorum tempora quot, & quæ sunt, & quomodo terminantur aut finiuntur tumores?

Tempora tumorum periodica. *Quemadmodum & alii morbi antequam finiantur, quatuor retinent tempora, ita & tumores ante suam terminationem, quatuor habent periodica tempora,* Principium, Augmentum, Statum, Declinationem.

Initium *tumorum est, cum primum incipit fluxio & insensibilis collectio humorum in aliqua parte.*

Augmentum *est, cum particula excipiens jam evidenter est distensa, & in insolitam molem elevata, tumorumque Symptomata adsunt manifesta.*

Status *est, ubi jam materia in tumente parte collecta non amplius augetur, sed alterari incipit, & Symptomata in summo vigore consistant.*

Declinatio *est, ubi tumor præternaturalis subsidere & detumescere incipit, Symptomataque remittere, & mitiora fieri usque ad terminationem incipiunt.*

Hæ periodicæ mutationes tumorum scitu & consideratione summè necessariæ sunt Chirurgo; alia enim remedia in principio, *alia in* augmento, *alia in* statu, *& alia in* declinatione *sunt adhibenda; ut in particularibus tumorum curationibus ostendemus.*

Terminatio tumorum quintuplex. *Ad finem seu terminationem tumorum quod attinet, omnis tumor terminatur ac finitur quatuor potissimum modis; alii enim tumores terminantur* beneficio naturæ, *per insensiles evaporationes sive resolutiones, quæ optima est terminatio. Alii* per suppurationem *tum Natura, tum per suppu-*

suppurantia remedia adhibita. Suppurationis autem signa sunt in tumoribus; dolor pulsatilis & caloris incrementum; ita enim inquit Hippocrates 2. Apho. 7. dum pus in tumore conficitur, dolores accidunt, & febres; *aliaque Symptomata: & hæc quoque terminatio laudabilis est.* Alii per indurationem *sive in scyrrhum conversionem, quæ mala est terminatio; alii* per corruptionem *partis affectæ, & ulcerationem, quæ tumoris terminatio omnium pessima habenda est; cujus signa hæc sunt; ulcera sordida, partis affectæ lividitas, nigrities & indolentia; his addunt & quintam terminandi rationem, per* subitam tumoris evanescentiam, *& ad interiora regressionem, quæ in virulentis tumoribus perniciosa est; nisi enim* venenata materia statim evacuetur, recidivam facit, & alia periculosa Symptomata excitat.

In tumorum curatione, quæ generales regulæ Chirurgo sunt observandæ?

Regulæ generales de tumoribus. *In omnibus tumorum præternaturalium curationibus sequentes regulæ studiosè sunt observandæ;*

I. Partis cum mandantis sive expellentis à qua fit defluxio, tum partis exicipientis sive tumentis substantia, natura, & constitutio: Item per quas vias fiat defluxio.

II. Materiæ fluentis tumoremque excitantis qualitas, & copia, utrum videlicet vitiosus humor defluens sit sanguineus, pituitosus ac melancholicus; *aut utrum sit flatulentus spiritus, & utrum humor tenuis sit, an crassus.*

III. Tumoris jam excitati ætas periodica; *Utrum videlicet tumor sit in principio, augmento, statu aut decrescentia; secundum enim ea tempora varianda sunt remedia.*

IIII. Conandum est ut defluens humor in parte mandante cohibeatur & intercipiatur, ex parte autem excipiente aut divertatur, aut discutiatur, aut evacuetur.

V. In incremento tumoris, ubi vitiosus humor jam radices egit, nec discuti nec averti possit, tum Symptomata, dolor præsertim & inflammatio, mitigentur, & tumoris methodica curatio instituatur.

VI. In Methodica curatione ita procedendum erit, ut materia in tumore maturetur, & ad suppurationem deducatur, apertaque cute pus evacuetur, ulcusque mundificetur, & postremò cicatrice obducatur.

VII. Cavendum est in puris evacuatione, præsertim in majoribus Aposthematibus, ne simul & semel totum pus evacuetur, sed pedetentim. *Repentina enim totius Materiæ evacuatio, partis tumentis temperiem destruit, & imbecillitatem infert.*

VIII. Puris *ex tumoribus* profluentis qualitatem probè consideret Chirurgus; *inde enim facilitas & difficultas curationis dijudicari potest, juxta præclaram Hipp. sententiam, quæ* 1. præsagiorum sectione ultima, *sic inquit;* Pus illud optimum censetur quod album est, æquale, sibique undique simile, & leve ac minime fœtidum: quod verò huic maxime contrarium apparet, pessimum; *Tumor enim in ulcus difficilis curationis, aut in corruptionem terminatur.* Puris optimi conditiones.

IX. In curatione tumorum methodica, juxta temporum periodos variari debent remedia, & quidem in ferventium tumorum principio, commodissimè repercutientia remedia applicari possunt, *exceptis hisce 4. Casibus in quibus repercussio perniciosa est. Primo* ubi tumoris Materia venenata *est, ut in Bubonibus & Carbunculis pestilentibus, & in tumoribus ex ictu morsuque animantium venenatorum excitatis.* 2. Ubi Tumor in emunctoriis, h.e. ignobilioribus partibus, videlicet in Inguinibus, *in collo sub axillis* hæret, *aut ubi tumor regiones partium principalium, nempe tempora, pectus & Hypochondria obsidet; ibi enim sine noxa partium principalium materia repelli nequit.* 3. Si tumori impacta materia adeò crassa ac lenta est, ut frustrà repulsio tentetur. In quibus tumoribus repellentia non sunt ex usu.

tetur. 4. ubi tumor à προκατ. causis, videlicet plaga, ictu, aut lapsu est excitatus.

Cautiones in aperiendis tumoribus.

X. *In apertione tumorum diligenter sunt observanda primo* ut non nisi post maturationem aperiantur. 2. *Vt tumoris incisio semper fiat in* molliori tumoris parte, ac in decliviori, *quo pus commodius effluere queat.* 3. *præstat semper tumorem aut novaculâ, aut scalpello incidere, quàm causticis remediis.* 4. *Cavendum est in tumoris sectione*, ne sectio peragatur secundum latitudinem musculorum; sed secundum processum fibrarum. 5. *Diligenter cavendum in sectione tumoris, ne nervi aut arteriæ, aut etiam, si fieri queat, Venæ lædantur ac convulnerentur. Restat nunc singulorum tumorum eorumque Symptomatum curationem prosequi.*

Tumor ex inflammatione Sanguinis quid, quæ ejus causæ, signa, & qua ratione curandus?

Phlegmones vocabulum duobus modis accipitur. Phlegmone quid?

φλεγμονή. *Phlegmones vocabulum bifariam à Medicis* usurpatur, pro omni inflammatione; φλέγεσθαι *enim inflammari & aduri, & inde* φλόγωσις *inflammationem significat* 2. *quemadmodum hoc loco* pro tumore ex inflammato impuro sanguine excitato *sumitur, qui nostratibus* ein Hitziges Blodtswer oder swulst *nominatur: Est itaque Phlegmone tumor ex incensa ferventique massa sanguinea in aliquam particulam collecta, & impacta progeneratus, non obstante, quo potissimum humore sanguinea massa sit diluta; Sincerus enim sanguis nunquam in corpore deprehenditur, modò talis sit ut reliquos humores sua copia sanguis vincat. Hujusmodi itaque sanguis impurus si in alicujus partis cavitatibus collectus hæreat, & affetur, corrumpitur, & primum quidem rubeum & dolorificum tumorem excitat, qui* φλεγμονή *nominatur.*

species phlegmones ex sanguine adusto.

Vbi verò diutius affetur, in naturam Melancholici humoris degenerat, & colorem floridum in lividum aut subnigrum permutat; & tum non amplius φλεγμονή, *sed vel Carbunculus, vel Gangræna, vel Sphacelus, qui sunt species phlegmones, nominatur.*

Causæ phlegmones.

CAVSÆ φλεγμονῆς προκατ. *sive evidentes, sunt omnes res corpori foris accidentes, quæ sanguineam massam in venis & arteriis inflammare, & ad fluxionem concitare possunt; & tales quidem sunt alimenta, & medicamenta*, impensius calefacientia & extenuantia, *item dolor vehemens in aliqua parte, qui sanguinem concitat & fluxionem in se allicit: item contusio & vulnus, aut luxatio, aut ossium comminutio.* προηγκμ. *Internæ & antecedentes causæ phlegmones sunt* πληθώρα *h. e. plenitudo vel sanguinea constitutio corporis, tenuitas sanguinis, & calida intemperies Epatis.*

Signa.

SIGNA Phlegmones evidentia sunt corporis totius rubedo, præsertim in ætate virili ac florida, venarum eminentia, & tumor rubeus in parte affecta, & in tumore fervens ac pulsatilis dolor.

Curatio.

CVRATIO Phlegmones ejusque Symptomatum, doloris videlicet & inflammationis consistit, omnium primum in doloris & inflammationis mitigatione. 2. *in venæsectione.* 3. *In convenienti victus ratione.* 4. *In sanguinis affluentis condensatione & interceptione.* 5. *In materiæ sanguineæ jam tumori impactæ suppurati apertione, mundificatione & cicatricis inductione. Vt itaque in aliis omnibus tumoribus, ita & in phlegmones initio considerandum est tempus periodicum, utrum tumor sit in sui principio, incremento, statu aut declinatione.*

Et juxta hæc tempora variare oportet remedia; Deinde ubi tumor hæc tempora superavit, considerare oportet ad quem modum terminationis inclinet tumor; utrum videlicet finiatur per διαφόρησιν, *h. e. per exhalationem, vel per suppurationem, seu maturationem, vel indurationem, vel putrefactionem. Præterea diligenter observandum est, quæ sit in tumoribus* pars mandans, & quæ sit pars recipiens, *& per quas vias fiat materiæ defluxio; quibus cognitis talis in phlegmone instituatur methodica curatio:*

In

Venæsectio.

In phlegmones initio *antequam acerba excitentur Symptomata, statim venæsectio molienda erit hac ratione, ut semper ea incidatur vena quæ è directo tumoris posita est, quam sectionem Græci* κατ' ἴξιν *h. e. secundum directum vocant. Dicuntur autem* loca directa, *quæ ejusdem lateris sunt cum tumore; ut si tumor est in dextro latere, ex eodem detrahendus est sanguis; si in sinistro, ex sinistro, ea tamen servata lege, ut si phlegmone est in partibus sub Diaphragmate sitis, tum semper talaris, aut sub malleolis, aut sub poplite, vena ejusdem lateris incidatur; si verò phlegmone sit supra Diaphragma, tum vena incidenda erit Epatica; ejusdem humeri in quo latere tumor hæret. Id quoque circa venæsectionem in phlegmones curatione observare oportet, quod si corpus aliquo vitioso humore sit infectum, bile videlicet flava cum pituitâ, ut is ante venæsectionem, convenientibus remediis, quorum copiam in superioribus proposuimus, evacuetur, ac potissimum si alvus sit dura & obstructa, ea aperiatur ac leniatur leni Clystere injecto;*

Purgatio.

interea statim in initio, ægro conveniens victus ratio præscribatur, & si cum phlegmone sit inflammatio sanguinis, victus ratio debet constare ex alimentis & potionibus refrigerantibus, & humectantibus: convenientia itaque alimenta erunt, cremor ptisanæ, Caro & juscula pullorum cum uvis immaturis cocta, pisces & cancri fluviatiles, pruna Vngarica & Lactuca in acetariis. Ad secundam mensam possunt gustari & Arantia, & mala acida, & cerasa cocta; in potu conveniunt aq. hordei cum cinamo. temperata, & cerevisia clara non adeo plena, qualis est Brunsvicensis, *& huic similes. His in initio curationis probè ordinatis, statim si Symptomatum acerbitas molestet, præsertim dolor & inflammatio, iis succurrendum, & ante omnia statim opitulandum, quia vires prosternunt, fluxionem ad partem affectam concitant, & methodicam curationem impediunt. Dolor itaque in phlegmone sequentibus remediis anodynis, h. e. sensum doloris compescentibus, tumori*

Victus ratio.

Topica. Anodinæ.

impositis facilè sedari possunt: ℞ *Lut. ovo.* No. *ij. Ol. Rosa.* ℥ *j. Medulla pan. similac. & in aq. cal. per horam macerata & ab aq. express.* ℥ *ij. Hæc simul commisceantur in mortario, instar pultis fiat catapl. quod hyeme tepidum, æstate verò frigidum applicetur. Aut* ℞ *Ol. Rosa.* ℥ *ij. albu. ovo.* No. 4. *Aq. Rosa.* ℥ *ij. simul concutiantur, & commixta duplicatis linteolis excipiantur & instar Epithem. tumori imponatur. Aut imponatur sequens catapl. Narcoticum, quod statim dolorem extinguit:* ℞ *rad. & fol. tener. recent. Hyosch. aut cicutæ aut utriusque simul, quæ contunde in mortario eisque admisc. ung. popul. cujus* ℥ *ij. admixtus sit* ℈ *s. opii Thebaici in aceto rosa. dissoluti. Idem præstant Solæ rad. Hyosch. contusa & imposita, aut ejus fol. sub cineribus ferventibus cocta, & cum suilla pinguedine in mortario contusa tumorique imposita, quæ non modo calorem sopiunt & dolorem mitigant, verum etiam materiam in tumore contentam ad suppurationem deducunt; Mitigatis Symptomatibus statim pro temporis periodici ratione hæc sequentia pharmaca tumori applicanda erunt, & quidem in principio phlegmones, h. e. quando adfluens fervens sanguis particulam recipientem sensibiliter distendere cum levi dolore incipit, tum refrigerantia & constringentia pharmaca, quæ* repercutientia *dicuntur, imponenda erunt, inter quæ plurimum extollit Gal. poscam, quam* oxycraton *nominat, quod constat ex aq. & aceto simul mixtis atque vinum rub. auster. instar Epith. impositum. verba Galeni Latinè ita sonant:* In particulis quæ circa artus sunt, sat fuerit per initia phlegmones spongiam frigida aq. cui aceti nonnihil est admixtum, aut vino aliquo austero imbuere & tumori imponere; *Ego verò pro frig. Aq. ros. & plantag. & pro aceto simplici acet. ros. ana. commiscerem, & non Spongia, sed duplicatis linteis excepta fervent tumori imponerem, siccataque linteola subinde madefacerem; præstans quoque catapl. est Avicennæ in hanc formam paratum:* ℞ *succi sempervivi major,* ℔ *j. vini rub. acerbi*

Chimicis in usu est lap. medicamento, Crollii; Magister. Lithargirii. Ol. Camph. Destillatum spermatis ranarum.

Repellentia in initio.

acerbi ℔. s. farinæ hord. ℥ iiij. Cent. mal. gra. & fruct. sumach. pul. ana ℥ s. concoquantur ad formam catapl. & phlegmoni imponatur. Quin & sequens Epithe. utiliss. imponi potest: ℞ Albu. ov. No. ij. Aq. rosa. mucaginosæ in qua sem. citon. sunt per noctem macerata ℥ iiij. concussa linteolis excipiantur, & phlegmoni, præsertim ex acceptis vulneribus, & contusionibus acquisitæ imponantur, sæpeque madefacta linteola renoventur: plura remediorum repercutientium genera ex tabella remediorum supra proposita peti, & huc accommodari possunt. Verum in remediorum refrigerantium & constringentium impositione circumspectum esse decet Chirurgum. Ex intempestiva enim & inconsiderata immodicaque eorum impositione materia in tumoribus facile condensabitur, indurabitur, & curandi difficultatem inducet.

Repellentia pariter & digerentia in augmento.

Porrò in augmento phlegmones, cum videlicet tumor jam evidentem molem cum acerbo dolore extra cutem prominet, tum talia sunt remedia imponenda, quæ simul & refrigerent, & digerant materiam in tumore. Tale autem est Ol. Rosa. tepidum, aut sequens catapl. ℞ pul. fol. Mal. ℥ j. fl. absinth. rosa. purp. ana ℥ s. far. hord. ℥ j. Ol. cham. ℥ iij. Aq. rosa. ℥ ij. coquantur leniter, continuè subigendo, donec formam catapl. acquirant; aut imponatur sequens Epithema: ℞ vini rub. ℥ iiij. Aq. rosa. ℥ ij. aceti rosa. ℥ j. croci ʒ ij. ebulliant simul & fiat Epith. quod linteolis dupl. exceptum in augmento phlegmones imponatur.

Digerentia & maturantia in statu.

In statu vero sive vigore phlegmonis, h. e. ubi tumor jam in ἀκμῇ constitutus, augmentum non amplius recipit, & Symptomata, præsertim dolor pulsatilis omnium maxime exacerbatur, tum ea præsidia quæ adhibentur, debent esse digerentia diaphoretica, seu per halitum dissolventia, & maturantia, qualia sunt in Myropoliis Vng. Bas. & Empl. Diachyl. quæ discutiunt, emolliunt & dolorem mitigant.

Aut juxta Gal. ℞ Medullæ pan. silig. ℔ j. maceretur spacio unius horæ in aq. ferventi & post exprimatur eidemque admisc. mellis optim. crudi ℥ iiij. & redigatur in formam catapl. & phlegmoni imponatur. Id enim discutiendi tumorem & dolorem mitigandi facultatem habet. Aut ℞ Medullæ panis præscripto modo maceratæ ℔ s. pul. rad. aut fol. Malvæ, Melilot. parieta. fœn. græci fl. Anethi, farinæ volatilis ana ℥ s. Ol. Rosa. Chama. ana ʒ iij. vini tenuioris q. s. coquantur in formam catapl. Porrò ubi jam commemoratis remediis dolores nonnihil sunt consopiti, & tensio tumoris subsidere deprehendatur, tunc phlegmonem in declinatione esse judicato.

Digerentia in declinatione.

In declinatione autem sola discutientia remedia applicasse, satis erit. Inter quæ hæc sequentia magis sunt laudata: Vinum tepidum duplicatis linteolis vel panno novo exceptum, instar Epithe. imponatur. Aut ℞ Medullæ panis in fervid. aq. macerata ℔. s. Vvar. pass. ex quibus semina sunt excepta ℥ iij. conterantur simul diutiss. & admisc. pul. Alth. farin. hord. ana ℥ j. Concoquantur simul in q. s. aq. ad pultis formam, quibus deinde mellis q. s. admisceatur; fiat catapl.

Suppurantia.

At si materia tumori impacta ob crassitiem recitatis remediis digeri, aut discuti in totum nequeat, confestim ad maturationem, & materiæ in pus conversionem accedendum est: sunt autem præcipua suppurantia remedia hæc quæ sequuntur: ℞ Far. Triti. q. s. commisce cum aq. & Ol. chama. a. p. & decoque ad catapl. formam cui croci nonnihil, donec flavum acquirat colorem, admisceatur. Aut ℞ ficuum ping. ℔. s. Rad. Alth. rec. & contus. ℥ ij. concoquantur in q. s. aq. ad mollitiem, deinde in mortario minutissime conterantur, eidemque admisc. far. triti. q. s. fiat catapl. Aut ℞ Rad. Alth. lill. alb. ℔ j. senecionis, fol. Malvæ omnium viridium, & recent. ana M. j. concoquantur simul in q. s. aq. & in pultis formam redigantur, eisque admisc. far. tritic. ℥ ij, semin. lini. ℥ j.

Axungiæ porcinæ ℔ s. Iterum concoquantur & in formam Catapl. redigantur,

Tumorem aperientia.

Postea ubi materia in tumore jam maturata, & in pus conversa videatur, ejus

declivi*ore parte ubi mollior esse deprehenditur, si sua sponte non rumpatur, fiat aut scalpello aut novacula incisio, quo pus effluere & exprimi queat; Aut in delicatulis, qui incisionem ferre nequeunt, si in tumore jam sopita sit inflammatio caustica, admoveri possunt quæ tumorem aperiant, quale est hoc sequens Empl. ℞ pul. Canthar. ʒ I. Fermenti acerr. ʒ 3. Mucag. sem. psyllii cum aq. rosa. facta. q. s. fiat Empl. cujus particula pro mensura tumoris imponatur, donec tumor rumpatur. Ex aperto jam tumore pus sensim & per vices exprimatur, ulcusque mundificetur; & ne tumoris vulnus statim coalescat, linicinium Vnguento Apostol. imbutum, quotidie inseratur, donec universum pus emundatum fuerit; & Empl. Brutenico aut alio quovis consolidativo carnemque bonam generante ad Cicatricem deducatur. Emplastra autem Sarcotica & conglutinantia suprà in* tabella remediorum *sunt commemorata; & paulo inferius in ulcerum curatione plura proponentur.*

Reliqua curatio.

Quæ sunt symptomata præcipua Phlegmones, & quomodo ea profliganda?

Sympto- mata phlegmo. eorum. que cu- ratio.

Præcipua symptomata Tumoris ex accensa sanguinea massa progenita, sunt Dolor, inflammatio, febricula, Tumoris durities, & corruptio subjectæ carnis in tumore; quibus autem remediis Dolor & inflammatio in Phlegmone sint sopienda, paulo ante tradidimus; quibus denique præsidiis febris phlegmoni incidens profliganda sit, pro idea & natura cujuslibet febris, ea petenda sunt ex prima tractatione morborum Vniversalium nostra de Febribus.

Curatio phlegmones in scyrrhum versæ.

Vbi vero phlegmone in scyrrhum *est conversa, id quod ex præpostera ut diximus & intempestiva remed. refriger. ac repell. ac diuturna applicatione, vel ex inepta per vehementius discutientia & exsiccantia remedia, quæ in tumore humidiores ac tenuiores partes contentas absumunt, & crassiores indurant, accidere consuevit.*

Id ubi contingit, statim ad emollientia præsidia confugiendum erit; Ejusmodi autem sunt hæc sequentia: ℞ *Rad. Brion.* ℔ *i. Ficuum ping.* ℔ *s. Rad. Asari* ℥ *ij. simul concoquantur cum q. s. aq. ad mollitiem usque, ac tandem contundantur in mortario, & per setaceum cribrum exprimantur instar crassioris pultis; quibus admisc. far. tritic. & ping. anser. utriusque q. s. fiat Catapl. quod singulis diebus indurato tum tumori imponatur bis tepidum. Aut* ℞ *Rad. Alth. recent. pro arbitrio, quæ concisa coquantur ad mollitiem, & instar pultis contundantur, iisque admisc. medullæ panis tritici in aq. Cal. macerati, & ping. suillæ ana q. s. fiat Catapl.*

Emollientia. Chimici utuntur Ol. ping. taxi. Ol. adip. human.

Alia emollientia pharmaca ex tabella remed. Chirurg. *& paulo infra ex* scyrrhi *curatione peti possunt. Contingit quoque non raro ut caro sana in phlegmone corrumpi & putrefieri incipiat; quod Symptoma maturam requirit curationem, ne neglecto, tota pars affecta Gangræna aut sphacelo afficiatur: protinus itaque ubi vel materia in tumore jam aperto, aut aliqua particula carnis aut cutis in tumore computrescere cœpit, materia quidem eximatur, & caro cutisque exscindatur putrefacta; aut multis profundis scarificationibus convulneretur, & sanguis corruptus vulnusque aq. salsa calefacta probè abluatur ac tandem sequens Cataplas. imponatur.* ℞ *Far. Orobi, Fabæ. ana* ℥ *ij. Oxymellis simpl. q. s. quæ in Catapl. formam leniter concoquantur ac subigantur, fiat catapl. Reliqua putrefactioni dicata remedia paulo post in* Gangrænæ *curatione enumerabimus.*

Curatio carnis corruptæ in phlegmone.

Phlegmones sive Tumorum ex inflammatione Sanguinis ortorum species quæ sunt?

Quatuor sunt præcipuæ, & inter phlegmones Symptomata non ineptè numerari possunt, cum eas præcedat perpetuo phlegmone. Bubo, Carbunculus, Gangræna *&* Sphacelus; *de quibus ordine brevissimè dicam.*

Species phlegmones.

De Bubone.

Bubo quid, quæ ejus causæ, signa, & quomodo curandus?

Quid sit.

Βουβών, proprie inguen *significat; sed apud Medicos pro* tumore adænarum, *non tantum qui in inguinibus; verum etiam qui in aliis emunctoriis, ut collo, axillis & inguinibus excitantur, usurpatur. Bubonum verò sive Tumorum in emunctoriis pro causarum varietate quatuor sunt genera.*

Bubonum 4. genera.

Primum Bubonum genus est, *quod in puerili ætate & corporis incremento circa inguina creberrimè sine singulari dolore excitatur, quod ad compressionem digitorum è loco cedit; unde &* fugile *nomen accepit, nostratibus* ein Hagedroß / *qui aut sponte, aut ex confricatione cum* jejuna saliva, *aut cum Ol. Scorp. paulo post resolvitur & evanescit.*

Secundum genus est *Bubo* Pestilens, *qui tempore pestis ex venenatis tumoribus à natura ad emunctoria propulsis generatur, qui semper febrim sibi habet conjunctam pestilentem. nostris* ein Pestilentzien swell / *de cujus curandi ratione supra, in institutione nostra de* profliganda Peste, *prolixè docuimus.*

Tertium genus Bubonum est *quod adolescentibus salacioribus, cum impurissimis scortis commercium habentibus, in inguinibus duntaxat erumpit, &* Bubo Venereus *dici potest, à nostris tonsoribus* ein Klapholtz *dicitur; qui ut plurimum nuncius, & præcursor est* morbi Gallici; *cujus curatio peti debet ex curatione Symptomatum* morbi Gallici, *quam in Superioribus tradidimus.*

Quartum Bubonum genus est *quod ex tuberculis, pustulis, aut ulceribus extremarum partium vel articulorum, in emunctoriis producitur; semper enim ubi dolorificum tuberculum, aut ulcus in capite exoritur, statim sub collo aut pone aures: Si verò in manuum digitis, aut articulis tale quid contingat, sub Axillis; Si in pedum digitis, aut articulis eveniat, in inguinibus glandulæ intumescunt, & bubonem excitant; cujus rei causa ea est: Dolor perpetuo sanguinem à reliquis partibus ad se allicit & trahit, qui ubi per adenas sive glandulas emunctoriorum defluit, glandulosa corpora, quia sunt rara & spongiosa, sanguinem prætexfluentem in se trahunt & absorbent, atque ita intumescunt glandulæ.*

Hic tumor sublata causa h. e. mitigato dolore & persanatis tuberculis, facile & ipse evanescit.

Ad hoc autem quartum *genus* Bubonum *referri debent omnes* adænarum *tumores, exceptis superioribus, qui ex adfluxu sanguinis inflammati in quocunque* emunctorio *excitari possunt: de quibus hoc loco agitur.*

Curatio bubonum ex sanguinis affluxu.

Si itaque Bubo adænarum, h. e. tumor inflammatus in emunctoriis ex affluxu sanguinis excitatur, signa ejus sunt dolor, & rubedo loci: tum curatio à venæsectione est auspicanda, præscribenda victus ratio refrigerans & humectans; Consideranda periodica tempora, dolor & inflammatio mitiganda, ac tandem maturatio ac suppuratio molienda, postremoque tumor aperiendus, mundificandus; Carne bona replendus, & ad cicatricem deducendus erit iisdem præsidiis quæ in phlegmones *curatione commemorata sunt, & nunc in curatione* carbunculi *descripturi sumus.*

Carbunculus quid, quæ ejus causæ, signa, & qua ratione curandus?

Carbunculus quid sit.

Ἄνθραξ, ein Brandich oder Pestilentzien bledder / *est tumor phlegmonosus, sive ardens, ex confluxu crassi & retorridi nigrique sanguinis in aliquam partem collecti, progenitus, qui tumor niger quandoque est cum pustulis, quandoque sine pustulis, cinericeis eis similibus, qui ex ambustione oriuntur;* carbunculi *colore sunt aut lividi, aut instar carbonis nigri, & picis splendentis, cui circumjacens cutis inflammatur, cum acerbo dolore, & ut plurimum in crustosum ulcus degenerat, atque perpetuo sibi adjunctam habet febrim ardentem cum symptomatibus perniciosis.*

Ejus causæ.

CAVSA προκαταρκτική. est aër pestilens, massam sanguineam inficiens & accendens, ex quo

quo natura propellente carbunculus generatur. πρόηγμα. *est ipse sanguis venenatus & accensus, cujus tenuior pars in superficie carbunculi pustulas excitat, & erodendo ulcus efficit, ac tandem in crustam degenerat.*

Signa. *SIGNA carbunculi ex recitatis manifesta sunt, tumor enim in carbunculo aut ruber est, aut lividus, cum, aut sine pustulis, & acerbo cum dolore, qui nisi hominem ocyus extinguat, in ulcus crustosum transit, & febrim pestilentem cum prostratione appetentiæ, nausea, vomitu, cordis palpitatione, anxietate & animi deliquio comitem habet.* Prognostica. *Prognostica carbunculi sunt; Omnis carbunculus acutus & perniciosus est tumor, minus tamen qui vel rubeo vel flavo colore conspicitur, & non habet adjuncta tam sæva symptomata; maximè lethalis est carbunculus qui in emunctoriis, aut circa cor, aut circa orificium ventriculi excitatur; perniciosa siquidem sua tinctura spiritus vitales inficit, & vitam ipsam elidit.*

Curatio. *Curationem* Anthracis *supra in institutione de* Peste *inter* Pestis *symptomata abunde tradidimus, hoc loco satis erit, curandi ejus rationem breviter perstrinxisse; præsertim qui extra contagionem* pestilentem *in corpore excitatur. Vniversa autem Anthracis curatio consistit in venæsectione, victus ratione, Spirituum vitalium corroboratione, & Symptomatum sublevatione ac mitigatione.* Venæsectio. *Statim itaque Anthrace apparente si neque ætas, nec virium imbecillitas obstet, venam* κατ' ἴξιν *h. e. per directum ex eodem latere in quo hæret Carbunculus, vel humeraria, vel tali est incidenda. Humeraria quidem, si Anthrax sit supra Diaphragma; tali vero, si infra Diaphragma sit constitutus; & sanguis, si vires ferant, largius est detrahendus; sed non, ut nonnulli arbitrantur, usque ad animi deliquium;* anima enim semel discedens, facile aberrare potest, ut nusquam in corpus redeat; & ita Medicus consulens non effugiet infamiam. *Sanguine detracto statim ex ipso tumore adustus & virulentus sanguis per profundas scarificationes detrahatur applicata cucurbitula, si dolor patiatur; aut applicatis Hirudinibus, & quatenus fieri potest, digitis exprimatur, fomentando tamen prius carbunculo jam per scarificationem vulnerato aqua marina, aut salsa calefacta; Eo enim modo crassus dissolvitur sanguis. Interim &* Victus ratio. *victus ratio refrigerans & humectans, spiritusque vitales corroborans præscribatur, qualem in curatione* phlegmones *instituendam docuimus. Cibus omnium convenientissimus erit jusculum, & caro pullorum, cum uvis immaturis coctum, & cremor ptisanæ. In potu vero convenit aq. hord. in qua cinamo. nonnihil, & thamarindi sunt incocti; cui & Syr. acetos. citri admisceri potest, post extractum ex carbunculo virulentum sanguinem, tumori non, ut in phlegmone, refrigerantia & impensius repellentia remedia sunt imponenda: sed talia quæ cum* Moderatè reprimentia & simul digerentia. *commoderata repulsione simul etiam digerendi & dissipandi crassam & compactam materiam facultatem habent, quale sequens cataplasma; ex* Arnoglossæ cum rad. lentium palustr. Medullæ panis siligi. in cal. aq. maceratæ & expressæ, ana p. æ. simul contundantur in mortario eisque admisc. pul. cort. mali granati pro arbitrio, commisc. & concocta tepide imponantur; aut *ubi haberi possunt* duo mala granata, *vel in eorum penuria* mala communia acida, coquantur ad mollitiem, & exemptis arillis ac seminibus, medulla ipsa pomorum cum aceto rosar. conspergatur, & contusa in pultis formam redigatur, ac carbunculo imponatur, sæpiusque immutetur. *Ego felici successu in* carbunculorum pestilentium *curatione crebro usus sum* Catapl. ex rad. Raphani cum pauxillo aceti rosa. conspersis, & contusis per cribrumque trajectis & impositis. *Laudatur plurimum ad* anthracis *maturationem & perruptionem Catapl. ex nucleis nucum avellanarum contusarum impositum; præstantissimum quoque remedium est ad virus cohi-* Defensivum. *bendum, & ne flamma Anthracis circumjacentes*

jacentes partes depopuletur atque inficiat, si adjacentes & sanæ partes illinantur linimento ex bolo Arme. cum q. s. Ol. Rosa. & pauxillo aceto rosar. in plumbeo mortario exacte commixtis, & instar Linimenti formæ redactis.

Remedia ad crustam.

Porrò ubi carbunculus crusta obductus fuerit, tum validioribus præsidiis quæ crustam extirpare possunt, curatio est molienda, & ejusmodi medicamenta adhibenda, quæ sordes & virosam colluviem in ulcere absumere & exiccare queant; non enim tum suppurantia conveniunt; Tali itaque Anthracis ulceri primum illiniatur Vnguent. Ægypt. & Catapl. ex far. Orobi cum q. s. Oxymel. simpl. confectum: ac si in Anthracis ulcere sordida colluvies redundet, caustica *etiam magis imponenda sunt pharmaca, quale est unguentum ex calce viva & pul. Aristol. rot. cum oxym. commixtum, aut Aristo. pul. cum aceto mixtus; hæc enim corruptas ulceris partes à sana & viva parte segregant ac separant; omnium enim maximè in sordidis & putrefactis, crustosisque ulceribus id observandum est; ut quicquid putrefacti in ulcere deprehenditur; id omne quam primum à sana parte tollatur & exscindatur; ac si patientis natura adeo robusta sit, ut caustica actu alia ferre queat, tum statim confert auro vel argento candenti ulcus usque ad sanam carnem inurere, eousque donec circa omnes partes ulceris, sensus doloris oboriatur, tum enim corruptionem sublatam esse statuendum est; ubi vero ex hujusmodi ustione carbunculi dolor aut inflammatio excitetur; remediis supra commemoratis statim mitigentur hæc Symptomata, ac tandem ulcus accuratò abstergatur, ac mundificetur, atque aliorum ulcerum modo, de quibus in sequentibus differemus, per convenientia Emplastra ad cicatricem & perfectam sanitatem perducatur.*

Cauteria.

Quæ crustas à cauterio inductas resolvunt.

Contingit etiam ut ulcus Carbunculi ex ejusmodi ustione duriusculam crustam acquirat, ea quoque statim à subjectis partibus resolvenda erit. Resolvunt autem in ulcere crustas ac cortices, recens & salis expers butyrum, aut axungia porcina recens illita; aut sequens Catapl. impositum, quod non modo crustas resolvit, sed & dolorem ex ustione conceptum aufert:

℞ Rad. Alth. fl. violar. Vvarum pass. ma. prius acinis exemptis, ana ℥ iij. decoquantur simul cum q. s. aq. usque ad mollitiem, & exempta ex jure simul contundantur minutissime, & per cribrum instar pultis transcolentur, eisdemque admisc. farina triticea aut hordei ad mensuram dimidiæ partis pultis, ac addito Buty. rec. vel pingued. porcina q. s. fiat Catapl. quibus refrigeratis admisceri possunt commode lutea duorum Ovorum. At verò si Carbunculus non sit adeò pestilens ac ferus, quod tamen ut plurimum est; (id quod ex colore *dignosci potest) minus autem periculosus est Carbunculus, qui primum instar phlegmones rubet ac deinde flavescit: talis enim curationi inducias concedit. Huic carbunculo statim in initio imponatur* Empl. *emolliens, cutemque perrumpens; quod ex ficubus & fermento acri ac sale conficitur, quo ter bisve imposito, tumor aperitur. Vbi verò apertus Carbunculus niger intus & dehiscens conspiciatur, statim* Catapl. *ex far. triticea ovorum luteis concinnatum imponantur, ac tandem abstergatur mundificetur & consolidetur imposito Catapl. ex rad. Symphici major. inter duos lapides contusis, quod crebro immutetur; id enim per unum aut alterum diem ulcus Carbunculi facile persanabit. Per totum autem curationis Carbunculi tempus intra corpus ea exhibeantur quæ veneni seminaria exstirpent: qualia sunt, Ther. Andro. Bolus Arme. verus. Pul. Scordii, Card. Bened. & Scabiosa aut earum herbarum aq. stillatit. cum Syr. acetos. Citri commixta; Cor quoque & spiritus vitales subinde corroborentur ac refocillentur rot. Liberantis & Diamarga. frig. exhibitis & Epithe. ex aq. & aceto rosa. aq. Borag. & Melissa simul commixtis, additis speciebus cordialibus. Quibus addi possunt ea remedia quæ supra in* curatione Pestis *sunt commemorata.*

Ad carbunculum mitiorem topica remedia.

Chimici commendant Ol. Antimo. & sublimati, spirit. Mercur. rubeum, Ol. bufonum Elix. pestilent. Crollii. magist. & extract. Theriac. Empl. magneticum.

Gan-

Gangræna & Syderatio ex inflammatione quid; quæ earum causæ, signa, & quæ curandi ratio?

De Gangræna & sphacelo. Quid differant.

Γαγγραίνη & σφάκελος, intentione & remissione duntaxat ab invicem differunt; Gangræna via est & transitus ad Sphacelum; & Sphacelus finis est Gangrænæ. *Est itaque* Gangræna *ubi in aliqua parte corporis ex phlegmone sive magna inflammatione partis, calor naturalis exstinguitur, & substantia partis adeo exuritur, ut & sensum & motum amittere incipiat, vulgus* Ignem Sancti Antonii, *& tonsores,* Dat Kolde Vuhr *vocant; quod malum perniciosum, ubi in initio per incuriam neglectum eo perveniat, ut pars affecta nec ustionem amplius sentiat; sed tanquam mortuum cadaver corpori hæreat, tum non amplius Gangræna, sed Sphacelus, vel νέκρωσις Græcis, Latinis* Syderatio, *vel* partis mortificatio, *& Barbaris Græco Vocabulo ἐστιομένον, nostratibus* ein Gestorben oder Dodeß gelidt *nominatur; quam constitutionem partis subsequitur corruptio & putrefactio: &* Sphacelus *quidem non tantum in carnosis accidit partibus, verum etiam ipsa ossa sæpè depopulatur & corrumpit. Vidi ego Saroæ militem apud* Luike Woltzan / *cui omnis calva syncipitis Sphacelo corrupta & absumpta erat, illæsis tamen membranis & Cerebro, quod cute tantum continebatur, & ad digiti impressionem nullum os inesse percipiebatur.*

Gangræna quid? Sphacelus quid?

Sphacelus etiam ossa corripit.

Causa Gangrænæ & sphaceli.

CAUSÆ & Gangrænæ & Sphaceli sive syderationis *sunt omnia, quæ spiritum vitalem in aliqua corporis particula excludere & intercipere possunt. Ex iis* προηγȣμ. *sunt partis alicujus ex vehementi frigore diuturna congelatio, vel ex intempestiva remediorum refrigerantium & repellentium applicatione vehemens particulæ alicujus refrigeratio, & caloris nativi extinctio, vitalisque spiritus interceptio: id quod in inconsiderata phlegmones alicujus curatione ab imperitis Chirurgis sæpissime accidit: item partis alicujus corporis fortis & diuturna vinculis constrictio; quæ & ipsa vitalem Spiritum per arterias adfluentem, particulamque vivificantem, & alimentum per venas affluens excludit. His & morsus & vulnera venenata calorem vitalem extinguentia, & sanguinem corrumpentia adjici possunt.* προηγȣμ. *Causa sunt vehemens & diuturna inflammatio, sanguinem exurens, & vitalem calorem extinguens.*

Signa.

SIGNA Gangrænæ *sive* ignis sancti Antonii, & Sphaceli, *sive* mortificationis membri, *tali ordine se habent: Præcedente magna inflammatione alicujus partis, aut una ex superioribus causis, extinguitur calor nativus cutis: deinde cessat in ea parte arteriarum pulsatio. Tandem & sensus doloris torpescit, & movendi facultas perit; paulo post tota particula nigrescere, & flaccessere incipit; ita ut digiti impressi vestigium stabile relinquatur. Postremo ubi jam putrescere pars, & olere instar cadaveris incipiat, atque si præcidatur pungaturve, nihil sentiat, tum non amplius* Gangræna; *sed* sphacelus, *sive* syderatio, *aut potius* membri mortificatio *nominatur.*

prognostica.

Signa prognostica, sive notabiles Aphorismi in Gangræna & sphacelo *hæc sunt observanda: Gangræna, nisi statim in initio, donec sanabilis, nondumque omni sensu privata est, mature succurratur, in* Sphacelum *degenerat, & insanabilis evadit;* Sphacelum *sive* emortuum *membrum nisi à sanis partibus tempestive præcidatur & amputetur, primum proximas partes, deinde totum corpus, tingit, & putrescere cogit, ac hominem sub frigido sudore extinguit.*

Curatio.

CURATIO Gangrænæ, *per industriam Chirurgicam antequam pars est* syderata, *curationem admittit, quæ pro causarum varietate ita perficienda erit: Si Gangræna ex phlegmone sive ingenti inflammatione in aliqua parte corporis sit genita, statim in principio sanguis adustus & retorridus, aut ex congelatione concretus, ex affecta particula per profundas incisiones aut scarificationes usque ad partes sanas inflictas impositis cucurbitulis accuratè eliciendus, & evacuandus erit. Id vero ut commodius perfici queat, locus affectus primum*

Corrupti sanguinis eductio.

aut aqua marina, aut salsa calefacta diu multumque est fovenda, donec grumi sanguinis resolvantur & liquefiant: & sanguine expresso evacuatoque vulnus aceto rosa. cal. probè abluatur, interim minimè neglecta victus ratione, qua supra in curatione Phlegmones est commemorata, nec præterita spirituum vitalium, adeoque cordis per convenientia remedia corroboratione. Repurgato tandem vulnere à corrupto sanguine, imponatur Catapl. ex far. hord. aut Orobi cum q. s. Oxym. confectum. Postea mundificationis ergo indatur vulneri Vnguentum Ægypt. ex a. p. mellis, aceti, æruginis & dimidia parte aluminis simul artificiosè concoctis paratum, eoque utendum, donec pura & incorrupta in vulnere caro conspiciatur.

Vulneris mundificatio.

At vero si altius hæreat putrefacta caro, conandum erit, ut quicquid in vulnere corruptum, id omne à sanis partibus dirimi queat, habita semper ratione Naturæ partis, ne nimium incalescat. Auferunt autem partes corruptas & à sanis dirimunt, Arsen. sublim. & Empl. ex calce viva & alia, quæ in medicamentorum classe *supra proposita sunt. Porro ubi Gangræna in Sphacelum est commutata, h. e. ubi infecta pars est emortua, tum unicum & miserabile restat remedium, nempe partis emortuæ amputatio & à toto corpore avulsio, & nisi id fiat, necessario contiguæ & adjacentes partes corrumpuntur & emoriuntur. Sublata & præcisa parte corrupta, sanæ adjacentes particulæ statim aut auro, aut argento, aut ferro candenti inurantur; ita enim & sanguinis fluxio sistitur facile, & sanatio subsequitur felicior. Post tale cauterium imponatur præustis particulis catapl. ex porris cum suilla pingued. contusis, vel aliud remedium constringendi vel desiccandi facultate præditum, qualia supra proposuimus; & cum ex ustione plerumque crusta suboriatur, laborandum est ut ea emolliatur & auferatur; id quod commodè fieri potest, si particulis imponatur catapl. ex far. tritici vol hordei cum aq. & buty. rec. q. s. continuatum. Aut catapl. ex medulla panis cum suc. Apii palustris subactum, cui recent butyri q. s. admiscendum erit. Sublata ex ustione crusta, ipsum ulcus rursus aceto rosa. tepido abluatur, & sequenti catapl. mundificetur;*

Quæ corruptam carnem auferunt. Chimicis in usu est Magister. Tutiæ, Essentia Theriac. Butyr. Antimon. in circuitu pennâ illitum. Sal chelidon spir. vitriol. fuliginis, Ol. Arsenic. quinta Essent. Antim. Ol. succin. Diasulphur. Rulandi.

Cauterium.

℞ Mellis ℔ s. vitell. ovorum ℔ iij. far. hord. ℔ s. subigantur, fiat Catapl. postremo ulcus emundificatum Empl. carnem bonam generantibus & ulcus cicatrice claudentibus, quorum copiam supra in classibus remediorum adnotavimus, instar aliorum ulcerum vulnerumque perfectè persanetur.

Quæ crustam auferunt.

Reliqua curatio.

Biliosi tumores qui, quales & quæ eorum species?

Vbi sanguinea massa, biliosa colluvie, ultra naturæ modum est abluta, si in aliquam corporis partem confluat & collecta effervescat, tumorem biliosum per cutem expansum excitat ad tactum ferventem; & colore ex rubeo ad flavedinem declinantem. Tumorum biliosorum genus est, Erysipelas. cujus species sunt, Erysipelas sine pustulis; Erysipelas cum pustulis, sive exulcerans: Herpes miliaris; Morbilli & variolæ. Sed quia de posteriorum specierum curatione supra inter affectiones cutis abunde egimus, hoc loco satis erit de Erysipelate & herpete *tractasse.*

Biliosorum tumorum genera & species.

Erysipelas quid, quæ ejus causæ, signa & curandi ratio?

Ερυσίπελας, *Latinis ignis sacer.* das hitzige Dinck oder Rose/ *nominatur. Est species tumoris biliosi, ubi videlicet biliosus sanguis in aliquam partem subcutaneam confluxit, ibidemque accensus est, & quia hæc colluvies biliosa valde est tenuis, partem affectam in latum occupat, sed non ita in molem extuberat, quemadmodum tumores reliquorum humorum, cum fervore & rubedine ad flavedinem declinante per cutem erumpens: & si biliosa colluvies adusta & retorrida sit, tum per cutis superficiem pustulas excitat, & cutem erodit, tumque Erysipelas exulcerans nominatur.*

De Erysipelate: quid sit.

CAVSÆ ignis sacri προκατ. *sunt immoderata alicujus partis constrictio, compressio & diuturna insolatio, vehementerque calefacientium remediorum applicatio.*

Ejus causæ.

tio. προηγουμ. sunt humores biliosi in sanguinea massa redundantes.

Signa. *Signa sunt, alicujus partis dolor pungens & acris, quemadmodum paulo post subsequitur febris ut plurimum unius paroxismi, quam comitatur loci affecti rubedo ad flavedinem vergens, quæ ad digiti impressionem immutatur, sed mox refluit, item dolor mordicans cum fervore; cutis vero non ita intumescit ut in aliis tumoribus.*

Quas partes occupet. *Occupat autem Erysipelas utplurimum aut crura, aut manus, aut faciem, caputque. Accidit nonnunquam & internis visceribus, Epati & utero.*

Prognostica. *Præsagitionis signa sive Aphorismi in* igne sacro *hi sunt diligenter observandi:* Erysipelas *ossium denudationi aut fracturis superveniens, malum est indicium, teste* Hippo. 7. Aph. 19. Ignis sacer *rarissimè per suppurationem terminatur, sed paulo post per insensilem evaporationem utplurimum discutitur resolviturque.* Ignem sacrum *in exterioribus apparentem ad interiora repellere, non caret periculo: sed ab interioribus ad exteriora propellere, salutare est. Perniciosior est* ignis sacer *in facie, aut capite obortus, quàm in aliis externis partibus: ex levi enim occasione tumore adaucto in* Anginam, *strangulantem hominem, convertitur. Perniciosus quoque est* ignis sacer *in epate & utero gravidarum excitatus: fœtum enim interimit, & periculosam febrim excitat.* Erysipelatis *proprium est sæpè recurrere quò semel invasit, nisi prophylactica curatione præveniatur.*

Curatio. *Curatio duplex itaque adhibenda est* igni sacro; *Liberativa una, & ne iterum redeat, præservativa altera. Qui itaque Erysipelate corripitur, tali liberativa cura utatur: Statim in initio alvus, si est obstructa, glande*

Sudorificum. *subducatur, & haustulus ex 3. 5. Ther. Andro. cum haust. aq. stillati. florum sambuci bibenda præbeatur, & sudor per unam aut sesqui horam bene obtecto corpore proliciatur. Locus autem affectus mundissimis & mollissimis linteolis contegatur, nullo alio imposito pharmaco repellente. Ita enim per sudorem materia biliosa facillimè discutitur; intra corpus tamen uti poterit patiens singulis diebus bis haustu aq. samb. aut hord.*

Refrigerantia intra corpus.

In simplici & sine pustulis efflorescente Erysipelate, affectæ parti sunt minimè adhibenda temerè Topica remedia, præsertim vehementius refrigerantia & repellentia; per ea siquidem pars affecta indurari, & livido colore infici potest.

Topica in simplici erysipelate.

Præstat itaque discussionem ejus per insensilem exhalationem naturæ relinquere, & solis mundissimis linteolis affectam partem contegere. Qui vero doloris & inflammationis molestias in Erysipelate tolerare non possunt, sat erit aquam stillatit. ex flor. sambuc. linteolis exceptam parti affectæ imponere; aut dolorem fervoremque remediis in phlegmatum Symptomatibus curandis commemoratis mitigare; inter quæ primas obtinent Catapl. ex fol. & rad. Hyosch. stupis canabinis involutis, & sub ferventibus cineribus coctis, cum unguentoque popul. vocato contusis confectum.

Chimicis in usu est Lapis medicamentosus Crollii, sacch. saturni, spernio-læ compositum Anodyna.

At si ex acrimonia & urenti qualitate retorridæ bilis, non tantum rubor, sed & pustulæ & cutis aliqua exulceratio in aliqua parte affecta contingat, cum sanè non incommode remedia moderatè refrigerantia ac repellentia imponi possunt, cujus impositionis terminus erit coloris cutis alteratio, quo alterato statim à repellentib. abstinendum, & loco eorum discutientia & resolventia sunt adhibenda. Inter repellentia & refrigerantia remedia præcipua sunt lentes palustres, Ol Rosa. Vnguentum infrigidans Galeni, & unguentum è cerusa lota, aut aliud simile sic concinnari potest: ℞ Succi Hyoschi. Solani ana ℥ j. aut succi loco aq. stillat. earundem herbarum Mucag. se. Psylii cum aq. rosa facta ℥ ij. Commisc. fiat Epithe. Aut ℞ Ol. Rosa. ℥ iij. Suc. semper vivi major. Suc. plantag. ana ℥ j. pul. Cerusæ cum aq. rosa prius elota, Lithargy tenuiss. contriti ana ℥ s. Lactis mul. ℥ j. Omnia simul in plumbeo mortario multum diuque conterantur, donec liquidi Linimenti formam acquirant, & loco affecto illinantur.

Topica ad erysipelas ulcerosum. à Chimicis sedata inflammatione commendatur Calx putaminum Ovorum, Magisterium lithargyrii, Lac Lunæ seu Agaricum petrosum.

Observandum in Erysip. *omnia remedia* topica *debere esse tenuia & liquida, & actu*

 frigida

frigida semper esse imponenda, crebroque, ne nimium incalescant, renovanda. Mutato

Repellentia.

jam nonnihil cutis colore, & sedato dolore ac inflammatione, Catapl. discutientia & resolventia tumores, quæ supra in Phlegmones curatione descripta sunt, imponenda erunt. Inter quæ convenientissimum hoc habetur: ℞ Rad. Alth. teneriorum ℔ j. Concisa coquantur ad mollitiem, & contundantur in mortario, pulpaque ejus per cribrum transcernatur, cujus libræ dimidiæ admisc. Medullæ panis in aq. maceratæ & rursum expressæ ℥ iiij. pul. lithargy. cerusæ ablutæ ana ℥ ij. suc. plantag. ℥ ij. Aceti rof. ʒ. s. contusa & subacta concoquantur, fiat Catapl. Porro ex prava curatione Erysipelatos

Ad duritiem & livorem remedia.

& vehementer frigidantium diuturna applicatione, si particula affecta indurescat, & livido colore imbuatur, tum ut in phlegmones curatione ostensum est, affecta particula, aqua marina, aut salsa, calefacta diu multumque perfundatur foveaturque, ac tandem cutis incidatur, & sanguis omnis, quatenus fieri potest, accuratè exprimatur, ac deinde abstergatur, & conglutinantibus remediis aliorum ulcerum modo (ut antea in phlegmones curatione judicavimus) cicatrice vulnus obsignetur. Cum vero Erysipelas crebro recurrere soleat, prophylactica curatio sive præservatio ejusmodi est instituenda:

Præservatio ne recurrat erysipelas.

Restituta sanitate partis affectæ, & depulsis Symptomatibus quæ igne sacro *laborantibus contingere consueverunt, si corpus plethoricum, singulis annis ad minimum bis vena secanda erit; In Vere quidem Epatica dextri humeri, in Autumno autem, si pedes laborent, Talaris, ejusdem lateris. Deinde per totum anni curriculum declinet victus ratio ad refriger. & humectationem, qualem in Phlegmones & in Febris curationibus præscripsimus. Vitetque sedulo omnia quæ bilem commovere, sanguinemque inflammare possunt, ut sunt ira, excandescentia, aromatum creber usus, Solis æstus, Balnea æstualia, & laboriosæ commotiones corporis, atque alvi suppressio. Tandem post detractionem è Venis sanguinis, biliosa colluvies tam in*

Venæ sectio.

Victus ratio.

Vere quàm Autumno convenientibus remediis subducatur, qualia supra in tabellis remediorum purgantium proposuimus. Hoc loco unicum adjecisse satis; quod tale est: ℞ Rhab. el. ʒ ij. fol. Senæ ʒ j. se Anisi ℈ I. Contusa in linteo Syndoni colligentur, & fiat nodulus laxus qui in haust. aq. flo. Sambuci aut Centau. mi. per noctem maceretur, & mane in duplici vase sive ferventi aq. usque ad ovi elixationem coquatur, & nodulo expresso, liquori admisceatur, aut Syr: rosa. soluti. ℥ ij. aut Cassiæ pulpæ ʒ VI. fiat haustus, qui sumatur sex horis ante prandium, aut exhibeatur ℥ j. Elect. leniti. cum haust. aq. Sambuci resoluti.

Purgatio Cholagogum.

Herpes miliaris quid, quæ ejus causæ, signa, & quomodo curandus?

Ἕρπης, *Serpens, est species Erysipelatos, videlicet in aliqua corporis parte biliosa colluvies fervens, & venenata per superficiem cutis cum rubore instar granorum milii, aut ovorum piscium effusa, & inde Græcis* ἕρπητο|κεγχρέας *nominatur.*

Chimici in hoc affectu mire commendant Lap. medicam. Croll. facch. saturnaurum præcipitatum, Ol. salis, tartari Essent. plantag. salicis rubi, scrophularia.

Accidit ut plurimum in venenatis morbis. Ejusdem speciei sunt & morbilli & variolæ, pustulæ in pueritia omnibus ferè hominibus familiares, quas Hippocrates Exanthemata *nominat. Est & Herpetis species quam, Græcis* ἑρπήτας ἐσθιομένους, *Barbari* Serpiginem, *quod* serpendo *cutis superficiem exedat ac defendat, in latumque exulceret, Latini* lichænes, Die Flechten / *nominant. Familiare symptoma Gallico morbo infectis. Verum cum nos omnium harum affectionum causas, signa, & curandi rationem in superioribus de curatione vitiorum cutis abunde tradiderimus, supervacaneum esse censemus eadem rursus repetere, cum hoc loco de grandioribus tantum tumoribus nobis sermo sit institutus.*

Exanthemata, serpigo.

Pituitosus tumor quid, & quæ ejus species?

Ex pituitosa colluvie, quæ naturâ frigida est & humida, in aliquam partem decumbente, pro ratione sua substantiæ crassæ

pituitæ triplex consistentia. Vnde triplex tumor.

sa aut tenuis, tumores excitantur, quorum genus Oedema *nominatur, cujus tres sunt species, Una quæ ex moderata pituita generatur, communissimum Oedema; Altera, quæ ex tenui & aquosa producitur pituita, qualis est* Hydrops, *&* Hydrocele; *Tertia ex crassa & duriori generatur pituita, ejusmodi sunt* Strumæ, Scrophulæ *&* Glandulæ. *At si pituita admixtus sit crassus halitus sive spiritus flatulentus, quartam speciem producit, videlicet* flatuosum tumorem.

Oedema quid, quæ ejus causæ, signa, & qua ratione curandum?

De oedemate. Quid sit. Οἴδημα *est tumor laxus & indolens, sive rara & doloris expers præternaturalis moles, ex pituitosa colluvie in aliqua subcutanea particula collectâ excitata. Omne autem*

Oedema aut morbus, aut symptoma. *Oedema aut est morbus, ut qui ex collectione pituitosi humoris, nulla antecedente alia affectione, genitus est; aut est Symptoma, ut ubi post diuturnam febrim aut* καχεξίαν, *aut tabem crura pedesque sine singulari dolore intumescunt.*

Causa Oedematis. *CAUSÆ Oedematum* προκατ. *sunt Cibus & Potus refrigerans & pituitosum sanguinem generans; Somnus & Vigilia modum excedentes; crapula & quicquid nativum calorem in corpore extinguere potest.* προηγουμ. *sunt caloris naturalis, præsertim Ventriculi & Epatis, & alterativæ potentiæ imbecillitas; ex quibus est & materialis causa interna, nimirum pituitosa colluvies. Omnis autem pituita secundum substantiam aut moderata, aut tenuis, & serosa, aut crassa, & indurata: pro cujus pituitæ constitutione, variæ, ut diximus, generantur species Oedematum.*

Signa. *SIGNA Oedematum sunt, Tumoris laxitas & mollities, indolentia, vel certe exiguus dolor; Coloris cutis nulla immutatio, ac si tumor digitis imprimatur, cavitatem relinquit, & vestigium digiti diu perseverat. Ut plurimum autem Oedema per noctem augetur, & de die remittit; præsertim si Oedema sit in pede, & hyeme, ac in senum potius corporibus quàm aliis excitatur.*

Prognostica. *Prognostica signa observanda sunt, ubi Oedema in pedibus incipit, & paulatim sursum ascendit, & Hypogastrion ac totum ventrem tandem occupat, & nisi tempestivè succurratur, in Hydropem terminatur, pernitiemque adfert. Ut autem cætera tumorum genera, ita & œdemata quatuor habent periodica tempora, initium, augmentum, statum, & declinationem, quam subsequitur* terminatio. *Terminatur autem omne Oedema aut per resolutionem, sive exhalationem, aut per suppurationem, si crassa & putrida est tumoris materia, aut per conversionem in nodos sive indurationem.*

Curatio. *CURATIO generalis omnium Oedematum consistit in quatuor intentionibus, quarum prima est victus ratio. 2. humoris pituitosi ad evacuationem præparatio, ejusdemque evacuatio. 3. pituitosæ colluviei sive puris in tumore collecti discussio & resolutio. 4. ac postremo Symptomatum, quæ Oedematibus accidere solent, sublatio, sive remotio. Ad victus rationem quod attinet;* Victus ratio. *esculenta, potulenta, aëris constitutio & corporis exercitium debent talia esse, quæ calefacere & exiccare queant. Refrigerantia autem & humectantia studiosè fugere convenit. Itaque edulia omnia arromatibus condienda sunt, & potiones calefacientes. ut sunt Vinum Rhena. Aromatite, & Hydromeli, in pituitosis tumorib. conveniunt. Contra piscium, lactis, casei & fructuum horariorum usus diligenter est vitandus. Et inter alimenta, assa semper sunt præferenda elixis. Balnea similiter humectantia, & somni longi fugiendi sunt.*

Ad secundam intentionem quod attinet, si corpus redundet pituitoso lento humore, Pituitam præparantia. *primum convenientibus remediis humor est concoquendus, incidendus & extenuandus: eorum autem medicamentorum sylvam, quibus hoc perfici queat, in tabellis remediorum, humorum coctioni dicatorum, supra tradidimus, qualia sunt Syr. de 5. rad. de hysop. oximel. diureticum & oxim. scylliticum, quorum ℥ ij. cum convenientium herbarum, rad. sem. decocto trium un-*

ciarum mixtæ mane ac vesperi calefactæ ad tres pluresve dies, donec signum concoctionis in urina appareat, exhibenda sunt. Concocto & extenuato sufficienter humore pituitoso pharmacis phlegmagogis, ut sunt Elect. Diaphoe. Diaturb. & Hyer. simp. quarum vel singul. vel simul mixtorum ʒ x. aut ℥ j. s. cum haust. aq. stillati. Absyn. aut Centau. mi. aut card. Bened. aut earundem similiumque decocto commixtæ, sex horis ante prandium exhibeantur. Interim & ventriculi ratio est habenda, singulisque diebus paulo ante assumtionem alimenti rotulis una aut duab. Diambræ, Diagalangæ, devoratis, corroborare convenit.

purgantia.

Corroborantia.

Topica in initio.

Iuxta tertiam intentionem, tumori secundum tempora varia sunt & distincta topica remedia imponenda, quæ materiam in tumore contentam vel discutere, vel repellere, vel exsiccare queant. In initio itaque tumoris satis erit spongiam novam beneque ablutam & aq. acetoque simul mixtis imbutam calentemque imponere duplicatis linteolis mundissimis, eundem liquorem admovere loco affecto, arctiusque illigare: Debet autem ligatio à parte tumoris inferiore ad superiorem convolvi, semper ab inferiore incipiendo, & in superiore finiendo. Efficacius est eo liquore lixivium ex cinere fagi, cui nonnihil aceti sit mixtum, si duplicatis linteolis imponatur & alligetur; discutit enim & absumit tumoris materiam. Aut ℞ aloes, Myrrhæ, Acatiæ, licii, croci, Bol. Arme. ana ℥ s. quæ pulverisata cum succo brassicæ & aceto rosa. conterantur, misceanturque, & in formam Empl. redacta Oedemati imponantur; & his quidem præscriptis remediis ab initio tumoris, & in augmento uti licebit; in statu verò eisdem remediis plus aceti, & nonnihil aluminis adjici potest.

In statu.

In declinatione.

Porro in declinatione, ubi tumor ad resolutionem terminare videatur, & paulatim detumescere, tunc magis absumentibus & exiccantibus utendum erit, & arctiori constrictione, & fasciarum illigatione. Absumunt vero & exiccant lixivium ex cinere sarmentorum vitis aut quercinis confectum.

Chimicis in usu est Gypsum calcinatum cum lixivio applicatum, & fasciis firmiter alligatum.

Magisterium.

Aut ℞ Alumi. Sulph. Myrrhæ, Salis ana, tenuissimè pulverisata commisc. & cum Ol. rosa. pauxilloque aceti rosa. fiat Vnguentum, quod duplicatis linteolis exceptum imponatur tumori. Aut ℞ stercoris porcini aridi ℔. s. Olibani styracis calam. Musci quercini flo. Absinth. spicæ Indicæ ana ℥. s. pulverisata concoquantur cum aceto rosæ. & succo Brassicæ ana, & in Catapl. formam redigantur, Oedematique imponantur. At vero si discuti digerique Oedematum materia nequeat, & à præscriptis remediis tumor non imminuatur, sed ad suppurationem transilire videatur, tum consultum est ad maturantia & suppurantia accedere, eaque tumori imponere; maturat autem & ad suppurationem deducit facile Empl. Diachyl. Oedemati impositum, aut imponatur sequens Catapl.

Ammoniaci, Bdellii, Opopanacis.

Suppurantia.

℞ pul. Malvæ, Acanti, Rad. Altheæ, lill. albo. recent. ceparum sub cineribus assatarum, simulque diligentissimè contusarum, sem. lini pulverisati, & fermenti acris ana. M. 1. contusa & concocta probeque subacta cum q. s. Axungiæ porcinæ aut butyri, redigantur in formam Catapl. Aut ℞ succ. Ebuli. Sambuci, Lapatii acuti, Ligustici, Fœniculi ana q. s. quibus admisce Vnguenti Dialthe. Mellis & buty. rec. ana q. s. simul concoquantur. & addita farina triticea q. s. fiat Catapl. Maturato tumore, & nonnihil mollito, cum Oedemata rarò instar aliorum tumorum per se & sponte rumpantur, præstat aut auro candente, aut caustico remedio imposito inurere ac rumpere. Causticum id egregium habetur: ℞ pul. cantha. ʒ ij. fermenti acerr. ℥. s. Mucag. se lini q. s. fiat Empl. & suppurato Oedemati imponatur donec aperiatur. Aperto tandem tumore purulenta colluvies exprimatur, ulcusque abstergatur, ac mundificetur, apertumque retineatur, donec pus omne detractum sit; ea autem ratione apertum ulcus permanebit, si quotidie liciniumVnguento Apostolico imbutum imponatur; aut si crassum est pus, & exprimi nequeat, sequenti Empl. eliciendum erit:

Aperientia tumorem.

Reliqua curatio vulneris.

℞ Gal-

℞ Galbani, Ammo. utriusque in aceto rosa. soluti, Terebintinæ, picis, olei vetustioris ana q. s. liquefacta ad lentum ignem redigantur in Empl. formam. Emundata purulenta colluvie, tandem aliorum ulcerum instar, carne repleatur, ulcusque conglutinetur & cicatrice obducatur, ut paulò post in curatione ulcerum docebimus, & convenientia huic rei remedia enumerabimus.

Symptomatum curatio. *Postremo si inter curationem Oedematum aliqua incidant Symptomata, ut dolor & tumoris durities; dolor quidem mitigetur* **Doloris.** *Ol. chama. cheirino aliisque anodynis inunctis.* **Durities.** *Durities autem emollientibus remediis impositis adimatur; emolliunt autem, medulla cervina, bubula; aut alio emolliente supra in ordine remediorum emollientium proposito.* **Curatio œdematis quando est symptoma.** *Porro si Oedema non morbus sit, sed symptoma, ut antea quoque monuimus, morbus semper prius est curandus, deinde Oedema; ejus symptoma, spontè sublato morbo, per se evanescet; sed ubi persistat diutius, satis erit apposuisse loco tumenti quæ discutiunt & sine molestia exsiccant, quales sunt Ol. rosa. cum aceto & sale commixtum, aut oxymel simplex inunctum.*

Oedema aquosum, sive tumor ex tenui & aquosa pituita generatus, qualis, quæ ejus causæ, signa & curandi modus?

De oedemate aquoso. Οἴδημα ὑδατῶδες, *tumor aquosus, vel Apostema aquosum,* ein Wässerich geswulst *dicitur. Ex triplici pituitæ constitutione tres species tumorum pituitosorum excitantur. Ex pituita crassa, si in subcutaneis partibus per totum corpus diffundatur, excitatur tumor, qui Græcis* λευκοφλεγματία *nominatur.* **Varii tumores ex varia pituita consistentes.** *Si vero ea in aliquam corporis particulam solum confluat, & tumorem excitet, Oedema nominatur, de quo jam disseruimus. Aquosa verò, tenuis ac serosa pituita, ubi subcutaneas partes occupat, Ascitem, hydropis speciem, producit. Eadem si in aliquam particulam confluat,* aquosum Apostema *producit, de quo hoc loco nobis sermo habebitur. Contingit quoque ut pituita crassa in aliqua parte collecta concrescat, & in lapideam duritiem degeneret; Talem pituitam Paracelsistæ* tartarum *vocant, de quo tumore & ejus speciebus paulo post dicturi sumus.* **Aquosus tumor quid?** *Est autem aquosus tumor qui ex tenui & serosa pituita in aliquam corporis partem confluente, sine singulari dolore, & coloris cutis immutatione, excitatur.* **Quas partes occupet.** *Colligitur autem ejusmodi aquosa pituita potissimum in pedibus & cruribus, in scroto, articulis, & nonnunquam in capitibus puerorum, qui tumor* ὑδροκέφαλον *nominatur, de quo in curatione morborum infantium abunde diximus. Ejusmodi autem aquosus tumor nonnunquam morbus est, quandoque vero Symptoma. Morbus dicitur ubi ex affluxu serosi humoris excitatur; Symptoma est, ubi vel hydropem, vel leucophlegmatiam, aut cachexiam comitatur.*

Ejus causæ. *CAVSÆ* προηγουμ. *aquosi tumoris sunt frigida intemperies & obstructio Epatis, & Lienis, ac facultatis sanguificatricis in Epate prostratio.* προκατ. *sunt alimenta impensius refrigerantia & humectantia, aut venenum frigidum assumtum, continua helluatio, & prolixa pedibus statio, continua vigilia, & quicquid cachexiam excitare potest.*

Signa. *SIGNA aquosi Tumoris per se manifesta sunt; Tumor enim ut plurimum laxior & spongiosior est quàm in Oedemate, doloris omnis expers; atque si tumori ex opposito lumen collocetur, pellucet & transparet.* **Prognostica.** *Prognostica hæc in tumore aquoso sunt observanda: Vbi tumor aquosus Symptoma est, morbus ejus primùm curandus, quo sublato, particularis tumor spontè evanescet. Aquosus tumor, negligentius curatus, in* Hydropem *degenerare potest. Aquosus tumor ut plurimum admixtum sibi habet flatulentum Spiritum; sed de flatuosis tumoribus paulo post differemus.*

Curatio. *CVRATIO aquosi tumoris consistit in serosi humoris in aliquam particulam confluentis evacuatione, fluxionisquè inhibitione, & jam collecti in particula tumenti provocatione, & exiccatione; quæ per quatuor*

media

media sive vias perfici possunt. 1. *Per victus rationem.* 2. *per viscerum sive Epatis & Lienis refrigeratorum alterationem, concoctionisque emendationem.* 3. *per aquosi humoris in corpore redundantis, & per alvum ac per meatus Urinæ & per sudorem expulsionem.* 4. *per aquosi humoris in tumore contenti auxilio topicorum remediorum evaporatione, & exiccatione; aut, si id fieri nequeat, aperta cute humoris expressione.*

Victus ratio. *Victus ratio debet esse calefaciens & desiccatoria, qualem in curatione Hydropis, & paulo ante in Oedemate præscripsimus, quæ omnia huc accommodari possunt. Et vitentur omnia quæ refrigerant & humectant; imprimis autem nimia potus ingurgitatio.*

Medicamenta alterantia: *Frigida intemperies Epatis & Lienis emendetur, & adjuvetur concoctio remediis calefacientibus intra & extra corpus adhibitis. Plurimum autem ad hanc rem faciunt, decocta flo. Rorisma. Cardui. Bened. Beton. & rad. Fœnic. Petroseli. & sem. Anisi ac carvi, & ex aromatibus Galangæ & Cinamo. & similib. confecta & Elect. ex zinzib. condito, Cort. Arant. condit. & spe. Dialaccæ, Diathamarum & similib. confecta; Nec abs re esset in tali casu 7. gutt. ol. vitr. probè rectificati, cum iiij Vini Cochlear. exhibere; Id enim viscera refrigerata calefacit, & per urinam serosos humores egregiè propellit.*

purgantia: *Per alvum aquosus humor è corpore propellatur decocto rad. Iridis nostrat. Centau. min. Cortic. inter. Sambuci, Herbæ graciolæ & fol. senæ, quarum rerum decoctum non semel, sed crebrò ter quaterque per septimanam usurpetur. Ex compositis idem præstant ʒ x. Diaphoen. aut Bened. laxati. in aq. sambuci resoluta & jejuno Ventr. exhausta, aut aliis Hydragogis remediis supra in curatione* Hydropis *descriptis.*

Diuretica: *Per urinam verò aquosos humores è corpore propellit ℥ j. aq. j unip. chimica arte destill. aut gutt. 8. Ol. vitr. cum vini cochleari mane ac vesperi assumpta.*

Topica exiccantia, & digerentia. *Per sudorem aquosus humor potenter propellitur; assumpta ʒ j. pul. rad. Petisitidis cum vino exhausta, aut Ther. Andro. ʒ s. cum haustu. aq. scord. assumta, & in balneo vaporario ab ambiente calore sudorem eliciendo. Serosus porro humor in tumore contentus exiccantibus & resolventibus topicis remediis tumori applicatis provocari & exiccari debet, qualia sunt hæc sequentia:* ℞ *Acetum Rosa. Ol. Rosa. & salv. ana. quæ inter se mixta instar Epithe. duplicatis linteolis excepta, applicentur, aut alligetur tumori aquoso spongia nova probe elota, & acri lixivio ex cinere lignorum quercuum confecto, cui nonnihil salis, nitri, sulph. & alum. sit admixtum, imbuta; aut imponatur sequens Catapl.* ℞ *pul. se. sinapis se. urticæ, sulph. spuma maris, Aristol. rot. ana ℥ j. concoquantur in aceto rosa. ad pultis formam, cui tandem admisc. Bdellii Gum. Animæ in aceto rosa. soluti an ʒ vj. Ol. Chamæmel. ℥ s. fiat Catapl.*

Chimicis in usu est magisterium corticum Ebuli, balsam. sulph. Ol. Thereb. Carannæ Essentificata. Elenium essentificatum.

His si tumor aquosus discuti exiccarique nequeat, consultum erit ut tumor ipse in decliviore sui parte, candenti auro inuratur, aut scalpello aperiatur, & aquosa colluvies ex tumore sensim detrahatur, exprimaturque, & ulcus probè abstersum, & ab humiditate exiccatum, aliorum ulcerum modo convenientibus remediis, qualia in ulcerum curatione præscripturi sumus, conglutinetur, & ad cicatricem deducatur.

Aperientia tumorum.

Ex concreta in aliqua corporis parte pituitosa colluvie, quæ tumorum species progenerantur?

Tumores ex crassa pituita. *Ex lenta crassaque & mucosa pituita, inter carnem & cutem collecta & indurata, pro natura & varietate concreti humoris, plures species Tumorum excitantur, mole nunc exigua, nunc magna, nunc mediocri, quas omnes Chirurgi* pituitosas excrescentias *vocant, Germanis* gewechse / *quarum species præcipuæ sunt Græcis χοιράδες, Latinis* strumæ, eine wehne / *& γάγγλια, Glandulæ à figura glandium, vel scrophulæ, quæ potissimum sues afficiuntur; & si sub collo excitentur, βρογχοκήλη, Hernia gutturis,* ein Kropf *dicitur; quarum curationem nos, cum ab iisdem causis excitentur, ad curationem* strumæ *referre voluimus. Qui enim unam earum speciem curare novit, is & alias facilè curabit.*

Strumæ

Strumæ quid, quæ earum causæ, signa, & quomodo curandæ?

De strumis quid sint. *Χοιράδες*, Ein Whene/ *sunt pituitosæ excrescentiæ & tumores, qui ut plurimum in emunctoriis, videlicet, sub collo, alis & inguinibus excitantur, & procreantur, quamquam sæpè & in cervice & humero, ac genu aliisque carnosis partibus exoriri conspiciantur, quarum minores, ut jam diximus, aut* scrophulæ, *aut* glandulæ *nominantur: majores autem,* strumæ, *& sub collo excitatæ,* βρογχοκήλη i. e. hernia gutturis *dicitur: ex his pituitosis excrescentiis quædam sunt molliores, & à loco mobiles, duriores: & quædam in lapideam duritiem concretæ, ad Lunæ motum crescunt & decrescunt.* strumæ duplices, minores & majores.

earum Causæ. *CAUSÆ* προηγ. strumarum, *cum majorum, tum minorum, sunt violentæ plagæ, casus, percussiones, compressionesque præsertim partium adenosarum, vitæ intemperies; excitantur quoque strumæ à proprietate quarundam aquarum. Est enim in Styria inter Alpes regiuncula, quæ à fluvio nomen habet* Pütßkow/ *per quam iter fit ex Austria Venetias, ex quo fluvio si quis biberit, aut edulia in ejus aq. concocta comederit,* βρογχοκήλη *statim afficitur,* ein Kropff. *Ideo omnes incolæ istius regionis sub gutture strumas ingentes pondere trium quatuorve librarum gestant, & omnes rauci sunt; & grandes habere strumas laudi sibi ducunt, quanquam peregrini eam peragrantes sine strumis, eos per ludibrium* Ganschelse *vocitent. Non tantum autem hominibus, sed & pecudibus ea aqua strumas excitat; &, quod majus est, si baculus corylaceus in fluvium conjiciatur, per paucos dies in strumas extumescit.* προηγ. *sunt crassa & lenta pituita ex capite in adenosas membranosasque subcutaneas partes defluens; cui nonnunquam terrestris & crassa melancholia admiscetur, &* scyrrhosas strumas *excitat.*

Signa. *SIGNA strumarum cum majorum tum minorum h. e. glandularum & scrophularum, evidentia sunt; ut plurimum enim dolore carent, nisi fortè per malam curationem exacerbatæ doleant: omnes ferè strumarum species infra cutem peculiari tunica membranea vestitæ sunt, in quibus materia contenta multiplex & varia habetur; in aliis enim melleus liquor, in aliis sevum, in aliis pultis similis materia, & nonnunquam ossa comminuta, in aliis pili convoluti, in aliis arena, in aliis carbones & similes materiæ reperiuntur; aliæ denique molles, & tractabiles sunt, aliæ in lapideam duritiem concreverunt. Prognostica strumarum hæc sunt observanda; recentes & nuper progenitæ strumæ, sive sint majores, sive minores, ac molles, & adhuc mobiles existentes, facilius resolvi, digeri, discuti & extirpari possunt; inveteratæ vero & induratæ, difficilimè curantur. Strumarum in collo & cervice progenitarum curatio, per incisionem periculosa est, propter nervorum, arteriarum, & venarum nobilissimarum læsiones. Si strumis dolor, & cutis rubedo accedat, suppuratio & exulceratio succedit, & strumæ ut plurimum in Ulcus malignum, fistulam, aut cancrum transmutatur.* Prognostica.

Curatio. *CURATIO strumarum perfici debet per quinque vias; Primo per victus rationem. 2. per pituitosi humoris in corpore evacuationem, quæ per alvi expurgationem, per vomitum, per meatus urinæ & per sudorem propellitur. 3. per topicorum remediorum digerentium, discutientium, & emollientium applicationem. 4. Per tumoris maturationem & suppurationem 5. per præcisionem tumorisque ablationem.* Victus ratio. *Victus ratio debet esse extenuans, exiccans & quidem parcissima, qualem paulo ante in curatione Oedematis præscripsimus. Plurimum facit ad curandas strumas abstinentia atque inedia, in potu vinum concedi potest; sed nulla potio, ad discutiendas strumas utilior atque salubrior est quam potus aquarum mineralium, quales sunt quæ in thermis ex sulph. & Alumi. constant, & quales esse novimus in Bohemia* Carolinas thermas, *cujus solius potus & foris collutione strumæ induratæ sunt discussæ. Interim si corpus plurimo redundet sanguine, & venæ Epaticæ dextræ sectio non erit negligenda.* Venæ sectio.

Purgationes & pituitosæ colluviei evacuationes hac ratione & hisce remediis perficiendæ erunt; Per vomitum bis terve pituita exturbetur, assumpto haustulo vini in quo macerata per noctem & incocta sunt cort. rad. Iugl. sine enim difficultate vomitum excitant. Per alvum fit pituitæ evacuatio decimo quarto quolibet die curationis assumpto pul. Avicennæ, qui sic habet: ℞ turbit. ℥ s. zinzib. semin. anisi saccha. candi. ana ℥. j. tenuissimè pulverisata commisc. dosis est ℥ j. s. aut ad summum ℥ ij. aut subducatur pituita remediis laxantib. in Oedematis curatione præscriptis. Per vias urinarias pituitam egregiè expurgant, & materiam pituitosam absumunt guttæ 7. Ol. vitri. cum iij. vini cochlea. exhibitæ. Per poros autem cutis cum halitu & sudore propellunt strumarum materias resolvendo, digerendo, extenuando potiones præparatæ ex nobiliss. rad. Chinarum & Sarmenti Indici, si per mensem decocto earum singulis dieb. utatur, & ad sudorem se disponat, quarum decoquendi rationem utendique modum nos supra in curatione morbi Gallici luculenter docuimus. Præstat interdum in discutiendis per sudorem strumis assumere ℥ j. s. Ther. Andr. cum haust. vini generosi, & sudorem procurare. Tertio præmissis hisce scopis, tandem ad topica remedia statim in initio strumarum accedendum erit, quæ talia esse debent, ut strumarum materiam emollire, digerere, & discutere, vel quæ maturare, & ad suppurationem producere possint. Minoribus itaque strumis imponatur Bdellium molle instar Empl. & ubi nonnihil molliores redduntur strumæ, digitis comprehensæ violenter conterantur, ita ut membrana vel capsula earum disrumpatur. Deinde sequenti Linimento quotidie inungatur: ℞ plumbi usti ℥.s. Fuligi. ex incensis sambuci lignis collectæ ℈ ij. Aceti rosa. parum hæc simul conterantur in plumbeo mortario, fiat Linimentum. Post inunctionem plumbeus orbiculus satis crassus pro magnitudine tumoris adaptatus, imponatur, fasciisque artificiose alligetur. Aut imponatur sequens Catapl. ℞ Aloes, Acatiæ, Myrrhæ, Thuris, sarcocollæ, ana ℥ ij. quæ tenuiss. pulverisata cum ovi albumine in plumbeo mortariolo diutissimè conterantur, addito momento aceti rosa. & in pultis aut unguenti formam redacta, stupisque mundissimis aut liniciniis sive ramentis abrasorum Linteolorum excepta, tumori sive strumæ imponantur. Aut ℞ Salis, Aluminis saccharini ana p. æ. & q.s. conterantur simul cum albumine Ovi, fiat puls, & prædicto modo strumæ imponatur. Grandiores vero strumas simili ratione, dum adhuc molliores sunt, tractari decet, adhibitis tamen validius discutientibus remediis, qualia sunt hæc sequentia: ℞ Ol. antiqui ℥ iij. in quo concoquantur ℥ iiij. cerusæ pulverisatæ, deinde admisc. Resinæ piceæ ℥ iiij. ceræ ℥ j. ad lentum ignem liquefactæ gummi Ammo. & Galbani in aceto liquefacti Myrrhæ exactè pulverisatæ ℥. s. fiat s. a. Empl. cujus portio per alutam extensa quotidie imponatur. Aut ℞ stercoris bubuli pulverisati ℥. ij. rad. brassicæ capitatæ. rad. cappa. scyllæ. ficuum ping. ana ℥. s. farinæ lupinorum Bdellii ana ℈ iij. contusæ coquantur in aceto ad crassitiem, quibus admisc. mellis & ol. veteris ana q. s. fiat catapl. Aut ℞ rad. filicis, ebuli, asphodeli, vel ejus loco lib. alb. ana p. æ. contusa coquantur in vino ad absumtionem vini, ac rursum contundantur in mortario ad pultis formam, quibus admisc. pul. sulph. vivi quartam partem ponderis, totius compositionis fiat Catapl. Aut ℞ ol. antiquæ ℥ vj. picis siccæ ad lentum ignem dissolutæ. ℥. iij. Galbani in aceto resoluti ℥ j. s. Laudani pulverisati ℥ j. Lithargy. ℥ v. Ærug. pulverisatæ ℥ j. fiat Empl. s. a. Egregiè quoque discutit strumas stercus Caprill. antiquum cum melle & aceto subactum, & in formam Catapl. redactum. At vero si struma induruit, ut discuti tollique præscriptis remediis nequeat, tum emollientia remedia applicanda sunt; qualia sunt Empl. Diachyl. magnum aut seq. Catapl. ℞ fari. fabæ. hordei ana ℥ x. Rad. Altheæ. Glycyriz. ana. ℥ vj. picis ℥ iij. ceræ albæ, adipis anserinæ ana ℥ iij. ol. veteris q. s. fiat Catapl. post. qualemcumque

Margin notes: Vomitus. — purgantia. — Diuretica. — China & sarsaparilla. — Theriaca. — Topica pro minoribus strumis. — Chimici commendant Empl. stipticum, calcem ungularum caprarum cum melle. — Pro majoribus. — Emollientia ad duras strumas.

eumque emollitionem strumarum remedia maturantia & ad suppurationem deducentia sunt adhibenda; quarum copiam supra in tabulis Chirurg. remed. enumeravimus, inter quæ laudatissimum habetur sequens Cataplasma. ℞ far. hordei, pul. Olibani picis, Myrrhæ, & lycii ana q. s. pulverisata concoquantur cum urina infantis donec ad pultis formam redeant, fiat Catapl. quod calidum tumori imponatur. Apparentibus tandem signis suppurationis incidatur struma, & pus ex ulcere abstergatur, ulcusque mundificetur indito unguento Apostol. vel ut seminaria strumæ radicitus extirpentur, indatur ulceri Vnguentum Ægyptiac. vel aliud erodens remedium: & postremo ulcus emundatum aliorum ulcerum malignorum more, de quorum curatione paulo post acturi sumus, conglutinetur. Solent præterea strumæ, quæ præscriptis remediis dissipari nequeunt, Chirurgica industria artificiose præcidi, præsertim ubi molles ac tractabiles, & in carnosa minusque periculosa parte corporis hæreant; quæ Chirurgica operatio hac ratione administrari debet: Struma primum emollientibus fomentis colluatur, ejusdem generis Linimentis inungatur; deinde si struma est exigua, sive glandula, una incisione cum novacula, vel transversali, vel recta cutis aperiatur, illæsa tamen capsula strumæ. In majoribus autem strumis, cutis cruciformi incisione aperiri debet; sed studiose cavendum, ne inter incidendum nervi aut arteriæ subjectis musculis implantatæ præcidantur. Aperta cute labra vulneris dilatentur, & cutis à membrana strumæ spatula argentea aut ferrea undique revellatur, liberetur, & excorietur; tandemque immisso indice in ipsum vulnus, aut etiam pluribus digitis, si opus sit, struma cum cista sua radicitus avellatur, & extrahatur, tandemque vulnus molli spongia abstergatur; sanguinis eruptio convenientibus præsidiis, quorum copiam supra in chirurgicis remediis præscripsimus, cohibeatur, vulnusque aliorum vulnerum modo, quorum curationem paulo post trademus, conglutinetur & persanetur.

[margin: Suppurantia. — Apertio tumoris, & reliqua curatio. — Chirurgica strumarum Excisio.]

Porrò minores strumæ, h. e. glandulæ, scrophulæ & nodi, qui remediis præscriptis dissipari nequeunt, si propendulæ sunt, & angustas habent radices, subjectis musculis adhærentes, ligationibus commode auferri possunt. Debet autem subligatio glandularum fieri funiculis validis ex filo serico, aut ex pilis caudarum equinarum contextis; oportetque vinculum indies magis magisque constringere, donec struma emoriatur, & sua sponte exsiccata decidat. Talem funiculum si quis erodente linimento illinat, qualia in remediis Chirurgicis descripsimus, eo celerius voti compos fiet. In ejusmodi Chirurgicis curationibus incidunt Symptomata dolor, & inflammatio, quæ subinde mitiganda erunt, locum affectum inungendo Vnguento popul. aut imponendo Epithe. ex candido Ovi & aq. rosa. simul concussis aut impositis remediis supra in phlegmones curatione annotatis. At si strumæ, potissimum majores, in lapideam duritiem degenerarunt, in periculosis partibus, ut collo, axillis, & inguinibus hæreant; & remediis nec emolliri, nec discuti, nec ad suppurationem deduci possunt: ne Chirurgus suam famam prostituat, consultum erit eas Deo & Naturæ curandas relinquere: aut strumosum ad Reges Galliæ & Angliæ ablegare, quos hoc Divino munere curandi strumas per preces & manuum impositionem, sine aliis præsidiis, ornatos esse, Medici suæ gentis pro certo prædicant.

[margin: Minores strumæ vinculo intercipiendæ. — Quarum strumarum curatio omittenda. — Reges Galliæ & Angliæ strumas curant.]

Ex Melancholico humore quæ tumorum species pronascuntur?

Ex impura & terrestri melancholica colluvie in aliquam particulam collecta tumores excitantur, quorum genus σκίῤῥος i. e. tumor durus, ein harter geschwulst / dicitur. Etsi autem ex aliis quoque humoribus tumores per malam curationem, & vehementer refrigerantium impositionem, sæpe indurentur; tamen Scyrri nomen non assumunt, qui soli tumori melancholico propriè attribuitur. σκύῤῥος porrò unicam habet speciem, tumorem nimirum cancrosum ex venenata Melancholia excitatum. Scyrrhi divisionem, in

[margin: Ex melancholia scirrhus & cancer. — de scirrho.]

in verum *&* spurium, *ut ineptam nos consulto reijcimus.*

Scyrrhus quid sit. Scyrrhus quid, quæ ejus causæ, signa, & quomodo curandus?

Ὁ σκύῤῥος *est prædurus tumor doloris expers, non tamen, præsertim in initio, prorsus insensibilis, ex melancholia terrestriori parte in aliquam particulam collecta excitatus.*

Ejus causæ. *CAUSÆ* ϖροηγ. *sunt alimenta crassa, dura & melancholicum succum in corpore generantia: Item ictus aut contactus venenatorum animalium, sanguinem in melancholicum humorem commutantes.* πρoηγ. *sunt redundantia humoris melancholici, & affluxio in aliquam particulam, & lienis Epatisque imbecillitas in expulsiva & segregatrice facultate.*

SIGNA scyrrhi sunt excitati tumoris indolentia, sensusque stupidus, & durities cum livido aut fusco colore, in quo ut plurimum & Venæ adjacentes crasso sanguine turgent, & lividæ conspiciuntur.

Prognostica. *Prognostica hæc sunt observanda: Scyrrhi utplurimum in initio exigui fabæ aut pisi magnitudine apparent, qui processu temporis increscunt & majores efficiuntur. Scyrrhus nisi maturè curetur, in cancrosum tumorem degenerat, aut in lapideam duritiem concrescit, nec amplius per medicamenta resolvi discutive potest, sed incurabilis permanet.*

Curatio. *CURATIO. Scyrrhi per triplicem viam perficienda erit. 1. per victus rationem, 2. per melancholici humoris è corpore expurgationem. 3. per materiæ melancholicæ in tumore contentæ discussionem & evacuationem.* Victus ratio. *Victus ratio universa sobria & temperata esse debet, ut ad calefactionem & humectationem declinet. Alimenta itaque sint boni succi, & ex quibus sincerus sanguis generatur, inter quæ panis triticeus & Vinum generosum moderatè usurpatum, & caro caponum vitulorumque, ovaque recentia primas habet. Ex oleribus Spinachia, & Borrago concedi possunt. Condiri quoque alimenta cinamo. & fructibus Capparorum non insalubriter possunt. Contrà vitanda sunt quæ crassum & melanchol. sanguinem generant, inter quæ carnes & pisces fumo duratæ, aut sale maceratæ Brassica, fabæ & lentes, habentur. Victus ratione ita constituta corpus universum à melancholica colluvie evacuetur, ac si corpus plenum sit sanguine, primum sectione venæ melancholicus sanguis evacuetur:* Venæ sectio. *Deinde crassa Melancholia convenientibus decoctis concoquatur, & attenuetur. Melancholiam autem concoquentia & ad evacuationem præparantia supra in morborum melancholicorum curatione & tabellis remediorum præscripsimus unde huc transferri possunt. Post usum decoctorum ubi notæ concoctionis ex Vrina apparuerint humor melancholicus per alvum subducatur, aut extracto Ellebori nigri pondere ℈ s. cum ℥ j. Conf. Melissæ devorato aut ʒ. X Diacathol. aut ʒ. vij confect. Hamech. aut gr. iij. Antimo. rite prap. & ʒ j. Conser. Borag. admixtis & devoratis. Evacuato corpore.* Melancholiam præparantia. purgantia. *Topica remedia Scyrrhoso tumori imponantur: in quibus tamen applicandis circumspectum decet esse Chirurgum, ne ab impositis vehementius digerentibus, & exiccantibus remediis materia Scyrrhi tenuior pars exiccetur, & crassior in lapideam duritiem incurabilemque tumorem convertatur, aut nimium emolliendo tumor in cancrum convertatur. Cavenda itaque in scyrrhi curatione remedia impensius exiccantia & calefacientia, sed talia remedia eligenda, quæ moderatè per halitum digerant, & simul nonnihil emollientis facultatis habeant. Aut alternatim nunc emollientia, & post rursus digerentia, & tamen moderatè omnia, apponantur. Conferunt itaque & sine noxa imponi possunt hæc sequentia remedia.* Topica. *℞ Cort. rad. Altheæ minutissime contusa & cum q. s. ping. Anserinæ subigantur & in formam Catapl. redigantur. Aut ℞ Gummatum Bdellii, Ammo. Galbani ana p. æ. Conterantur in calido mortario cui admisc. Ol Sambucini q. s. & Mucag. ex se-*

lini-

lini Fœnugraci & ficub. contusis & simul maceratis confecta ad pondus descriptorum gummatum contundantur, & redigantur in pultis formam, fiat Catapl. post prascripta remedia; si Scyrrhus in suppurationem terminari animadvertatur, sedulo est cavendum, ne amplius calefacientia remedia eidem imponantur, aut etiam sectione per ferrum irritetur, & scyrrhus in Cancrosum tumorem convertatur: Sed ubi tumor sponte sua aperiatur, pus ex tumore diligenter abstergatur, & solo Empl. Diachylo pus elicitur & persanetur. At vero si scyrrhus in lapideam duritiem jam degeneravit, iisdem remediis procedendum erit, qua à nobis in curatione phlegmones, qua per imprudentiam Chirurgi ex frigidorum applicatione in duritiem conversa est; dicta sunt, nimirum qua simul moderatè emolliant & digerant, qua inde huc accommodari & transponi possunt. Quanquam scyrrhus in lapideam duritiem conversus, omnique sensu privatus, curationem aut nunquam aut rarissimè recipiat. Emollientibus tamen & leviter humectantibus, digerentibusque curatio tentari potest. Emolliunt autem & simul digerunt medulla cervina & vitulina, sevum hircinum, pinguedo anserina, & ex gummatibus, Galbanum, ut Ammoniacum, & radix Alth. ex quibus Empl. & Catapl. addito Ol. irino & pauxillo aceti confici possunt. unicè autem commendatur ad duritiem scyrrhorum, frequentissimè tumorem fovere & imbuere vapore aceti acerr. in candentem lapidem molarem infusi.

Curatio scyrrhi per suppurantia.

Curatio scyrrhi in lapidem indurati.

Emollientia & digerentia.

Cancer vel Cancrosus Tumor quid, quæ ejus causæ, signa, & qua ratione curandus?

De Cancro.

Cancri vocabulum dupliciter accipitur.

Κάρκινος, *vel* καρκίνωμα, Cancri *vocabulum duobus generibus affectionum attribuitur, ex eadem tamen causa ortarum,* tumori *videlicet* cancroso, & ulceri cancroso, *de quo in* ulcerum *curatione fusius disseremus. Est autem* cancrosus tumor *virulenta, rotunda, inaqualis, & semper dolens intumescentia, qua ex se tanquam animal cancer pedes, ita venas livido sanguine turgentes in adjacentes partes projicit & extendit. Excitatur autem talis tumor nonnunquam in subcutaneis extraneisque partibus frequentissimè in mammis mulierum, quandoque verò in abditis & occultis corporis partibus ut in palato, ano, & osculo pudendi muliebris, & circa obscœna loca. Nomen huic malo inditum est à* Cancro aquatico, *quia instar pedum* cancrorum *venas atra bile turgidas, extensas habet, & quia* cancrorum *fluviatilium colore imbutus est.*

Cancer quid.

Ejus causæ.

CAVSÆ προκατ. sunt omnes res qua in corpore atram bilem generare possunt, & virulenti contactus. προηγ. sunt atra bilis, maligna, fecique vini similis in aliquam particulam defluens; & mensium in mulieribus diutina retentio, & consuetarum hamorrhoidum suppressio.

Signa.

SIGNA Cancri tumoris, si non in occultis partibus delitescat, manifesta sunt; tumoris *nimirum durities, rotunditas & inaqualitas, colorisque ejus lividitas, aut fuscedo, & circa tumorem assidui punctivi dolores, vena in circuitu tumoris turgida ad adjacentes partes protensa.* Præsagia de Cancro *hac sunt: Omnis cancrosus tumor gravis & perniciosus est morbus, qui in initio ut plurimum adeò est exilis; ut vix pisi aut faba magnitudinem aquet; ideoque sapè negligitur, subitò increscit, & in magnam molem attollitur, & vix unquam propter humoris in eo contenti & imbibiti crassitiem, venenatamque qualitatem concrescit; nec enim repulsivis, nec digerentibus remediis cedit; tantaque est ejus malitia, ut admota ei leniora remedia prorsus contemnat, validioribus autem magis irritetur, & exacerbetur. Cancer itaque in partibus excitatus nihil aliud est quam particularis* Elephantiasis. *Cancer confirmatus & inveteratus nunquam admittit curationem, nisi miserabilem & crudelem radicitus evulsionem, & una cum venis adjacentibus, & toto sanguine in parte contento, extirpationem; una siquidem guttula sanguinis relicta in parte, novum* Cancrum *in particula excitat.*

Curatio.

CVRATIO. In recenter progenito Cancro eadem methodo procedi debet, quam

in curatione Scyrrhi præscripsimus: 1. *victus ratione, ad humectationem & refrigerationem declinante; in* cibis *itaque conveniunt Ptisana hordei, Pisces squammosi, Ova sorbilia, ex eisque jusculа parata.* 2. *Per venæ sectionem, præsertim si patientis natura sit sanguinea.* 3. *Per humoris Melancholici crebram & sensim cum convenientibus remediis concoctionem, & evacuationem; qualia remedia in curatione & remediorum tabellis præscripsimus, inter quæ laudatissima sunt Epithymus, Fumaria, fol. senæ, & Ellebo. niger, in sero lactis concocta; validissimè autem Melancholicum humorem expurgat,* extractum *Ellebo. nig. pond.* ℈. *S. cum Conser. Melis. exhibitum. Plurimum quoque confert venenati & Melancholici sanguinis per apertionem venarum, Hæmorrhoïdum aut hyrudinum applicatione. Et si patiens sit mulier, & menses habeat retentos, per incisionem venarum* talarium *subtractione.* 4. *Venenata atra bilis in tumore collecta & impacta, aut repellentibus, aut digerentibus medicamentis impositis, qualia in superioribus præscripsimus, retundatur aut digeratur. Hæc omnia in principio tumoris tentari debent. Medicamenta verò quæ Cancro imponuntur, debent esse temperata, & minimè acria, aut validius discutientia, aut materiam incrassantia; his itaque sequentibus commodissimè uti possumus, videlicet suc. solatri instar Epithematis imposito, aut seq. Empl.* ℞ *Ol. Rosa. Ceræ albæ ana* ℥ *ij. s. suc. gran. Solani* ℥ *iij. cerusæ in tenuiss. pul. redactæ, prius in aq. rosa. aliquoties elotæ* ℥ *j. Plumbi usti & loti, Tutiæ præparat.* ℥ *s. Thuris* ʒ *ij. Concoquantur ad succi absumtionem; fiat Empl. Aut* ℞ *Ol. Ros.* ℥ *ij. & in plumbeo mortariolo cum pistillo plumbeo tam diu agitentur, donec crassescat, nigrescat, & in unguenti formam redeat, quod linteolis exceptum imponatur.*

Melancholiam præparantia & purgantia.

Vacuatio. Menses & hæmorrhoides.

Topica ad Cancrum.

Chimici commendant sperniolæ compositum, bals. Antimo. Aurum diaphoreticum, Magisterium testarum cancri.

Efficacius fiet illud ipsum unguentum, si pul. Lithargyrii & Cerussa lota ana ℥ *s. admisc. Aut* ℞ *cineris cancrorum flu. Lap. calami. ana* ℥ *s. tenuiss. pulverisata cum suc. solani in plumbeo mortariolo diu agitata, in unguenti formam redigantur, cancrosoque tumori imponantur. Porro ubi* cancer *jam in majorem molem excrevit, & inveteratus est, præstabit Chirurgum ab ejus curatione penitus abstinere, quod nimirum, ut antea diximus,* inveteratus cancer *incurabilis sit, & remedia mitiora contemnat; validioribus autem exasperetur. Si verò Chirurgus urgeatur, necesse est eum ad crudele genus curationum, h. e. incisionem ustionemque accedere; debet autem dare operam, ut* cancer *radicitus una cum venis adjacentibus evellatur, & omnis impurus sanguis ex affecta parte diligenter exprimatur; ex una enim infecti guttula sanguinis, etiamsi tumor persanetur, novus cancer succrescere potest, novumque vitæ periculum inferre. Ideò consultius est, præscriptis mitigantibus & blandientibus remediis miseram vitam diu producere, quam carnificum curatione, videlicet excisione, ægrum in citam mortem conjicere.*

Inveteratus cancer non curatur, nisi excisione.

Tumor Flatuosus quid, quæ ejus causæ, signa, & quomodo curandus?

Ἀπόστημα πνευματῶδες, Tumor flatuosus, *vel* inflatio, ein Auffblasung oder windich geschwulst: *Absolutis nunc* 4. *generibus tumorum, ex* 4. *humoribus genitorum, curandum quinto loco se nobis offert tumor qui ex halitibus, seu vaporibus, aut flatulentis spiritibus, subcutaneis partibus, aut inter musculorum membranas collectis excitatur; quæ collectio flatuum vaporumque si per totum abdomen, aut inter peritonæum & Intestina sit facta, eam Hydropis speciem quæ* Tympanites *dicitur, procreat. Similiter ubi se tales vapores scroto insinuant, idque in tumorem flatuosum extendunt, inflatio testiculorum nominatur. Si verò in Virgæ meatibus colliguntur, Priapismum, turpem & crudelem affectionem, progenerant; de quarum affectionum curatione in superioribus abunde à nobis dictum est. Etsi autem talium halituum subjectum sit pituitosus humor,*

De Tumore flatulento quid sit, & quæ ejus species?

mor, tamen differt ab Oedemate, & diversam requirit curationem.

Ejus causæ. *CAVSÆ tumorum flatulentorum* προκατ. *sunt victus ratio flatus generans, & meatus obstruens, nonnunquam & venenatus contactus.* προηγȣμ. *sive internę pręcipuę causę sunt hę tres; redundantia materię humidę, caloris nativi imbecillitas, & pororum meatuumque in corpore obstructio. Calor enim nativus imbecillior in pituitosam materiam agit & vapores crassos excitat, unde flatus generari necesse est. Prćterea nec concoctionem perficere, nec vapores resolvere, & per halitum discutere potest. Quemadmodum enim media constitutio aëris, quę neque extensè calida neque frigida est, in aëre nebulas generat & ventos; Ita calor, ubi in corpore imbecillior est, crassos vapores flatusque generat, quos neque discutere per poros, nec resolvere potest.*

Signa. *SIGNA inflationis sive* flatuosi *tumoris sunt; Tumor in aliqua parte sine ulla cutis mutatione ad tactum renitens, & si digitis comprimatur, non relinquit vestigium, quemadmodum tumor Oedematosus. Pręterea splendere ac pellucere videtur, si ex opposito tumoris lumen collocetur.*

prognostica. *Pręsagium de flatuoso spiritu illud est observandum, ubi corpus flatuosis aut vaporosis spiritibus redundat, & non tempestive carminantibus remediis, h. e. quę discutiunt flatus, discutiatur, aut flatuosum tumorem excitat, aut huc atque illuc per corpus discurrens dolores tensivos gignit, quos nostri* den gicht *vocant; Si pręterea vapores venenata aliqua qualitate sunt imbuti, & deferantur ad principes partes, anxietatem & alia plurima incommoda corpori inferunt. Accidit nonnunquam ut ejusmodi flatulenti spiritus inter juncturas sive articulos corporis se insinuent, qui acerbissimos excitant dolores, & articulos ab invicem divellunt nervosque resolvunt.*

Curatio. *CVRATIO inflationis sive tumoris sufflati per quatuor ut plurimum scopos perficitur. 1. Per caloris nativi corroborationem 2. per materię pituitosę, ex qua exhalationes excitantur, extenuationem & evacuationem. 3. per pororum meatuumque in corpore & cute dilatationem, ac. 4. per vaporum in aliqua parte collectorum dissipationem; quibus adjici potest per Symptomatum correctionem; quę* Chirurgicæ *actiones perfici commodè possunt, victus convenienti ratione, remediorum calefacientium, extenuantium, discutientiumque, tum intra corpus exhibitione, tum foris applicatione.*

Ad vivendi rationem quod attinet, vitabit ęger sedulò tum in cibo tum in potu omnia quę crassos, viscidos, pituitosos & flatuosos in corpore generare possunt humores. Sunt autem talia ut plurimum omnia dulcia, pręsertim fructus, legumina, rapę, pisa & similia, & quicquid melle conditum est; proderit itaque his contrariis uti, ut aromaticis & flatus discutientibus. Vtile itaque erit & panem & alia alimenta condire Cinamomo, Cimino, pipere, sem. Carui, Satureja, Majorana & Croco; & inter edulia magis conveniunt assa quàm elixa. Victus ratio. *Potus debet esse vinum generosum; Vinum aromatite cum Sacchare & Vinum Gręcum, sive Malvaticum. Verum his omnibus moderatè uti oportet. Pręterea calor nativus remediis corroborantibus ad probam concoctionem perficiendam excitari debet; & hujusmodi remedia duabus tribusve horis ante prandium & cœnam, & tribus horis à cœna assumi debent. Ejus generis sunt; Rotulę Diacimini, Diacalaminthę, Dyanysi & Aromat. rosati. Pręstantissimum quoque est pro rotulis, sequentis Tragea sive pul. mensurâ unius Cochleę. cum vino prędictis temporibus assumere.* Corroborantia & flatum discutientia. *℞ Se. Anisi, Fœniculi, Carui, Cimini prap. Ligustici ana ʒ ij. Rad. Dauci Creti. Pimpinellę ana ʒ j. Bacc. Lauri ʒ j. s. Garioph. Cubebarum, Piperis longi se. Rutę ana ʒ s. Sacchar. Candi ℥ 4. pulverisata omnia commisc. fiat Tragęa. In eundem usum quoque exhiberi possunt prędictis temporibus Ol. Anisi, vel cumin. gutt. iij. cum vini generosi ℥ ij. Plurimum*

rimum quoque crassos halitus extenuat, si per octiduum ʒ j. s. Ther. Andro. exhibeatur.

Topica pro ventriculo. Inter curandum, Ventriculi quoque habenda est ratio, & adjuvanda concoctio; id quod perficitur si Ventr. mane ac Vesperi inungatur Ol. Nardi. aut Ol. è Mentha aut Ruta. aut per se aut simul mixtis. Empl. quoque stomachicum; cujus descriptio in antidotariis libris extat, post inunctionem supra Ventr. gestari potest.

Præparantia pituitam & purgantia. Post ordinatam victus rationem, quoniam, ut dictum est, pituitosa colluvies subjectum est vaporum halituumque; ea itaque primum per quatriduum remediis concoquentibus & evacuantibus ad evacuationem præparetur, ac tandem phlegmagogis remediis expurgetur. Remediorum verò tum concoquentium tum evacuantium formulas paulo ante in curatione Oedematis, & ex tabellis remediorum pituitam purgantium, supra propesuimus; perpurgato corpore Topicis remediis, flatulenti crassique spiritus in tumore collecti, digeri ac resolvi debent.

Chimicis frequens est ol. Camomill. sapphyririnum, Ol. Anis. bac. laur. Ovorum, ceræ. Inter ea laudatur à Galeno acre lixivium nova Spongia exceptum & tumori subinde impositum; Ego verò lixivio præfero Vinum tepidum, in cujus ℔ 1. commixta sunt ʒ ij. Ol. vitr. linteolis duplicatis exceptum, si tumori imponatur. Aut Oesypum humidum instar Catapl. applicatum. Vel si tumori non sit adjuncta caliditas insignis inungatur tumor sequenti Linimento; ℞ Ol. Anethi. Rutæ, Lill. alb. ana ℥ s. Ol. Laurini ʒ ij. Ceræ albæ q. s. fiat Linimentum. Post Tumoris inunctionem sequens Epithe. aut spongia, aut duplicatis linteolis exceptum tumori utilissimè applicari potest:

℞ Flo. Chamom. Melilo. Anethi ana M. 1. se Fœniculi, Anisi ana ℥ s. Cimini, Bac. Lauri ana ʒ ij. Faba. contusar. ℥ j. Milii ℥ j. s. Concoquantur aut in vino aut in acri lixivio ad tertias; Colentur, fiat Epithema. Ubi verò flatulentus tumor in articulis sive juncturis hæreat, sequentia Catapl. utilissimè imponi possunt: ℞ Medulla panis furfuracei. ℔ s. quæ in præscripto Epithe. sive decocto maceretur & exprimatur, atque in mortario contundatur, atque subigatur cum farina fabar, & Orobi ana ℥ j. pul Chamæ. Melilo. Fursu. siliginei ana ℥ j. s. quæ simul commista, irrorentur præscripto Epithe. cujus admisc. Ol. Chamæ. Ol. lill. alb. ana ℥ ij. fiat Catapl. quod subinde moderatè calidum applicetur. aut ℞ Stercor. Capril. pul. ℥ iiij. fl. Chamæ. Melilo. Anethi ana ℥ j. s. Furfu. siligi. farin. faba. lentium. Orobi ana ℥ j. commixta omnia coquantur in vino ad pultis formam, quibus admisc. Ol. Chamæ. Anethi. ana ℥ ij. fiat Catapl. Porrò si crassior sit flatuosa materia in tumore, quam ut remediis elici, aut dissipari queat, & ab impositis præscriptis remediis maturationis signum appareat, tumor scalpello incidatur, aut acu perforetur, omnisque materia flatuosa ac vaporosa evacuetur, ulcusque ipsum aliorum ulcerum modo rursum persanetur, ut in sequentibus docebimus. Tumoris incisio. Habenda autem est in flatuosis tumoribus ratio symptomatum, doloris videlicet & inflammationis, quæ ante omnia mitiganda & extinguenda erunt; alioquin plurimum impeditur curatio. Symptomatum cura. Et inflammationem quidem extinguunt, si præscriptis Catapl. pro oleis commemoratis admisc. Ol Rosa. Violæ. & Nymph. dolorem verò mitigat Catapl. ex pul. rad. Althe. se. Lini & fœnugræci atque far. fab. in pultis formam cocta, & in Ol. Chamæ. q. s. temperatum. Dolor & inflammatio.

Tumores venenati qui, quæ eorum causæ, signa, & quomodo curandi?

De tumoribus venenatis. Sextum tumoris genus est, quod ex causis venenatis excitatur; cujus species sunt Bubones pestilentes, Anthraces sive Carbunculi pestilentes, & quæcunque ex ictu, morsu contactuque venenatorum animalium venenatarumque rerum per imprudentiam assumptarum excitantur. Verum cum nos de pestilentibus bubonibus & carbunculis eorumque curandi ratione in nostro tractatu de Peste, de aliis verò venenatis tumoribus in tractatione nostra de rebus venenatis

tis abundè disseruerimus, supervacaneum esse judicamus, eadem hic rursus repetere; ideoque ex superioribus petant Studiosi.

Quarum partium corporis tumores sint curatu difficiliores, periculosiores, & quæ peculiaria remedia iisdem sint abhibenda?

De partium tumoribus.

Doctus atque peritus Chirurgus, qui tumorum genera & causas ex propriis signis cognitas habet, facile poterit omnes tumores singularum partium per præscripta remedia fœliciter curare; negari tamen minimè potest aliarum partium tumores aliis esse perniciosiores, & curatu difficiliores; ideoque peculiaria requirere remedia. Ejus autem generis tumores sunt aurium, narium, faucium, mammarum, ani, testiculorum, pudendi virilis, ostiique matricis. *In harum itaque partium tumoribus præter observationem, ad quod genus tumoris quilibet referatur, & quæ sit cujusque causa, signa, & curandi ratio, peculiaria quoque remedia requiruntur, quæ hoc loco brevissimè subjungam.*

Tumori Aurium quæ topica remedia sunt adhibenda?

De parotide. Quid sit. Curatio. Topica. Adhibent Chimici Lapid. Medicamentos. Crollii, Magist. Irid. cærul. Ol. fœtid. Guajaci, Empl. Diasulph. Ruland. ejusdemque Oleum.

Παρῶτις, *tumor est ponè* aures *in glandibus* aurium *excitatus*, ein geschwulst hinter den Ohren / *cui ut plurimum adjuncta est inflammatio, & acerbus dolor; curationem* Parotidos *methodicam, supra in affectionibus aurium proposuimus; hoc loco satis erit Topica tantum pauca adjecisse. Initio itaque Symptomata, dolor & inflammatio mitiganda sunt, superius recitatis remediis; deinde hæc sequentia commodissimè tumori imponuntur. ℞ pul. Rad. Alth. ℥. iiij. fl. Chamæ. Melilo. fœnugræci. ana ℥. ij. Concoquantur simul in q. s. aq. ad medias; In ejus decocti portione maceretur medulla panis siligi. ℔. s. Reliqua vero in pultis formam concoquantur, ac simul cum pane macerato contundantur, per cribrumque trajiciantur. Huic pul. admisc. far. hordea. faba. ana ℥. j. croci ʒ. j. vitello. ovo. No. ij, Ol. Chamæ. Anethi. aut si adsit præternaturalis calor in tumore,* Ol. Rosa. *& Viola. ana ℥. ij. fiat Catapl. Aut ℞. Rad. lil. alb. Rad. Alth. recen. ana ℥. iiij. cum q. s. aq. concisa ad mollitiem concoquantur, & per cribrum percernantur, cui pulpæ admisc. fari. fœnugræci; se. Lini ana ℥. j. Ping. porcinæ ℥. iij. vitell. ovorum No. ij. subacta redigantur in Catapl. formam. sine tamen igne, & tumori imponantur, quem maturat, & ad suppurationem deducit. Aperto tandem tumore purificetur, & aliorum ulcerum more ad cicatricem deducatur.*

Tumori Narium quæ Topica remedia conferunt?

De polypo. Quid sit. Polypus duplex. Curatio. Topica pro cancroso polypo. Chimici commendant trochisc. Paracel. ex calc. vivæ & arseni. citrin. aq. arseni. & Nitri destillat.

Πόλυπος, *est carnosa in naribus excrescentia, respirationem intercipiens, & suffocationem inter dormiendum minitans,* ein Gewechs in dem nustern. *Polypi curationem supra inter affectiones narium proposuimus; hoc loco satis erit pauca tantum topica auxilia demonstrasse. duplex est autem* Polypus, *sive tumor in naribus,* Cancrosus & simplex. *Cancroso Polypo præstat manum non admovere, sed blandientibus tantum remediis miseram vitam prorogare. Blandientia verò remedia sunt, serum lactis Caprini, in quo lentes & se. plantag. & Bac. solatri sunt incocta, quo creberrimè abluendus est polypus. Deinde post lotionem sequenti Linimento obliniatur ℞ Ol. è vitellis ovorum ℥. s. suc. plantag. solatri, ana ʒ. iij. pul. Lythargy. ℥. j. quæ simul in plumbeo mortariolo per horas tres cum pistillo plumbeo subigantur, donec crassitiem Linimenti acquirant. Vel ℞ Ol. Rof. ℥. j. s. suc. solatri ℥. j. Ebulliant leniter ad succi evaporationem, deinde addatur parum ceræ albæ, fiat Linimentum, quod eluatur ter cum aq. Rosa. deindeque admisc. tenuiss. pul. Lithargyr. ℥. s. Tutiæ præp. ʒ. iij. cerusæ ablutæ ʒ. s. Camphoræ dissolutæ ℈. j. quæ omnia simul mixta in plumbeo mortariolo diu multumque terantur donec nigrescant. Recens vero Polypus, album adhuc aut rubeum retinens colorem, & cujus radix, tenuis adhuc existat, è naribus propendeat, auferendus est vel per præcisionem apertis pinnis narium, in ea parte cui inhæret polypus:*

Curatio polypi simplicis. Chimicis hic in usu est Magister. Nasturt. Unguent. Saturn.

camphorat. Mercur. Præcipitat. Mercur. vitæ, Arcanum Corallinum.

Vel valida subligatione filo serico, in quibus curationibus observari ubique debet methodus curandorum vulnerum. Potest quoque eradicari, sed non sine periculo cum causticis remediis, argenteo canali pro narium capacitate & figura polypi adaptato impositis. Cavendum est autem in ejusmodi curatione, ne meatus cerebri, & nervi optici, per respirationem, virulentiam causticorum in se recipiant: quæ autem caustica remedia sint adhibenda, supra in tabellis nostris remed. Chirurg. quæ superfluam carnem erodunt, & absumunt, enumeravimus.

Faucium tumori quæ topica remedia conferunt?

De Angina. Quid sit.

Κυνάγχη. *Angina tumor est in faucibus, & deglutitionem & respirationem intercipiens, & intra paucas horas ægrum strangulans. Peracuta est & perniciosa affectio tumor faucium, præsertim si tumoris vestigium foris in collo nullum appareat, sed tota materia intro ad fauces confluat.*

Curatio.

Anginæ methodicam curationem supra inter affectiones faucium tradidimus, qui locus relegendus erit: nunc satis est pauca topica adjecisse: si igitur Anginæ adjuncta sit inflammatio, & vehemens dolor, quod utplurimum accidere consuevit seq. Gargaris. mitigari potest: ℞ Aq. Ros. ℥ iij. vini sive suc. malo. granat. antidotum ℥ vj. Aq. Solani, Plantag. ana ℥ ij. quibus commisc. Cidonia siccata & concisa corticumque granat. Sumah, Rosar. rubear. ana ʒ iij. Coquantur simul ad tertias, deinde colentur, colatoque jusculo admisc. Diamori ℥ ij. fiat Gargarisma. Quod si talia remedia præsto non sint, gargarizetur tumor, colluaturque subinde tepido lacte Caprillo. Foris porro applicetur collo sequens Catapl. ℞ Rad. Alth. ℔ s. Malvæ, Violæ. ana M. j. Marrab. M. s. Rad. lil. alb. ℥ ij. ficuum siccarum, Dactyl. ana ℥ j. Nidi hirund. contusi No. j. far. se. Lini. fœnugræc. ana ℥ j. Concoquantur in q. s. aq. donec ad pultis formam redeant, contundantur diligenter, & per cribrum traijciantur. Hujus pulpæ expressæ admisc. Ol. Violæ. Ping. Gallinæ ana ℥ ij. fiat Catapl.

Topica Gargarismata. Chimici adhibent sal prunell. spirit. Nitri vitrioli, solutionem Mercur. sublimati, Aq. airid. ex Auripigmento, Magister. Tabaci cum aq. Prunell. spirit. salis Ammoniaci. Remedia externa.

Tumoris apertio.

Ubi æger superavit quartum diem, tum salva res est, & vel ferreo, vel argenteo instrumento intra fauces aperiatur tumor, mundificetur & consolidetur. ut in superioribus dictum est.

Mammarum tumoribus quæ Topica conferunt auxilia?

De Mammarum tumoribus. Ex quibus causis mammæ intumescant. Earum Symptomata.

Mammæ mulierum, cum sint partes glandulosæ atque laxæ Spongiæ instar, humorum colluviem in se recipiunt, unde varii tumores excitantur. Idem fit ubi lac superfluum ab infantibus non esuctum, aut expressum, in mammis concrescit, ex quo Mammæ aut totaliter, aut in aliqua sui parte intumescunt; quorum tumorum curatio nisi prudenter tractetur, vel in Cancrum, *vel in ulcus immedicabile degenerat. Accidunt ejusmodi tumoribus ut plurimum symptomata, dolor, inflammatio, & induratio; quæ Symptomata omnium primum sunt mitiganda remediis anodynis refriger. & emoll. quorum formulas paulo ante in tabellis remed. Chirurg. Item in phlegmonis & scyrrhi curatione proposuimus; & cum de tumoribus Mammarum curandis supra inter affectiones Mammarum disseruerimus, hoc loco pro tumoris qualitate, unum & alterum Topicum remedium adjecisse satis erit.*

Curatio.

Initio itaque si adest inflammatio, dolor, aut durities seq. Catapl. mitiganda, emollienda, & maturanda erunt. ℞ furfur. triti. contusi pul. chamæ. Meliloti, Violæ. ana ℥ j. Fari. fabæ. ℥ ij. Ol. Rosa. Violæ. Chamæ. ana ℥ j. quæ omnia commixta addita q. s. decocti aut mucag. rad. Alth. concoquantur, & in Catapl. redigantur. Porrò si Mammæ tumentes immunes sunt ab inflammatione, sequens Catapl. tuto imponi potest: ℞ far. fœnugræc. se. Lini ana ℥ ij. Rad. Alth. ℥ j. s. Mellis q. s. fiat ad ignem Catapl. At vero si Mammarum tumor ex concreto lacte sit excitatus, imponatur sequens catapl. ℞ pul. sterco. Caprilli ℥ ij. far. fabæ. Lentium ana ℥ ij. pul. Melilo. ℥ j. Medullæ panis in decocto Althe. maceratæ ℥ iiij. subigantur, eisdemque admisc. vitell. ovo. No. iij. Ol. Chamæ. q. s. fiat Catapl. Maturato jam tumore, prudenter

Topica quædam.

Chimici commendant lapidem Medicamentosum Crollii, saccarum Saturni.

prudenter aperiatur, ubi commodissimum esse videbitur, instrumento falcato, ita ut vulnus unguis formam nanciscatur, expresso pure mundificetur; sed cavendum ne citius quam par sit, vulnus consolidetur, donec pus omne expurgatum sit; ne verò cito coalescat vulnus, eidem imponenda est aut rad. Gentia. aut dicta. albi, & expurgato toto pure instar aliorum ulc. remediis carnem generantibus, & cicatricem inducentibus, consolidetur.

Tumoris apertio.

Ani Tumoribus quæ topica sunt applicanda?

De Ani tumoribus. Curatio universa.

Topica Saccharum Saturni & lapidem medicamentosum Crollii commendant Chimici.

In plerisque corporibus, potissimum Melancholicis, per venas Mesaraicas confluit crassius sanguis ad anum, *ibidemque si naturâ venæ hæmorrhoïdes non aperiantur, lividos excitant tumores, cum inflammatione & acerbis doloribus, ut supra quoque à nobis dictum est. In ejusmodi mali curatione omnium primum causæ morbi per venæ sectionem & Melancholici humoris evacuationem auferendæ sunt. Deinde & ejus Symptomata, dolor videlicet & inflammatio, remediis in superioribus adnotatis mitiganda erunt, ac tum demum ad tumoris maturationem ac suppurationem accedendum. Cavendum tamen ne vehementer repellentibus & refrigerantibus materia per se crassa magis induretur, aut ne nimium emollientibus per se molliores partes putrefiant; proinde in initio inungatur locus, seu tumor ani Ol. rosa. & Cama. commixtis, ac tandem imponatur ex ovorum simul & album. & lutei cum a. p. ol. Rosa. simul concussis, Epithem. confectum, cui & ℈j. Campho. sit adjectus, duplicatis linteolis exceptum; Mitigato tandem dolore, & sedata inflammatione, sequens Catapl. imponatur. ℞ fol. Malvæ, Viola. ana M. ij. Rad. Alth. Ellebo. albi an ℥. iv. Contusa coquantur in aq. fluviatili aut fontana, ad mollitiem, deinde conterantur in mortario, eisdemque admisce far. triti. ℥. ij. Ol. Viol. Butyri salis expertis an. ℥. ij. Vitell. Ovo. No. ij. fiat Catapl. quod probè maturat, & dolorem mitigat; Maturatus tandem tumor scalpello incidatur, pus omne exprimatur, & aliorum ulcerum modo, prudenter, ne in fistulam degeneret, ulcus persanetur.*

Incisio tumoris.

Testiculorum Tumori quæ Topica conferunt remedia.

De Testiculorum tumore.

Curatio phlegmones testium.

Topica Refrigerantia & anodyna.

Tumor testiculorum *ut plurimum calorem præternaturalem, vel frigiditatem sibi habet adjunctam, nonnunquam & indurationem; quæ Symptomata primum mitiganda erunt, & juxta eorum constitutionem, tota curatio & Topica remedia applicanda sunt. Methodus autem curandi eorum Symptomatum ex superioribus peti debet, ac imprimis calido testium tumori sequentia remedia commodè applicari possunt: ℞ Ovo. simul & lutea & albu. quæ cum tantundem Ol. Rosa. conquassentur addito paux. suc. vel. Plantag. vel sempervivæ, quæ simul commixta & linteolis excepta, instar Epithem. imponantur. Aut sequens Catapl. ℞ Rosa. rub. flo. Chama. Melilo. Se. Malvæ, ana M. j. Concisa coquantur in q. s. aq. usque ad medias, deinde ipsæ herbæ & flo. concocta centundantur diligenter, eisdemque admisc. far. faba. ℥. iij. Ol. Chama. Rosa. Anethi. ana ℥. j. coquatur simul donec in pultis formam redeant, & fiat Catapl. Aut ℞ fol. Hyosch. cum rad. M. ij. Se. Malvæ. M. j. decoquantur cum q. s. aq. ad mollitiem, deinde conterendo in pultis formam redigantur, eisdemque admisc. far. hord. faba. an. ℥. j. Ol. Rosa. Chama. ana ℥. s. fiat Catapl. quod & inflammationem & dolorem sedat, & duritiem emollit. Postea si ad suppurationem tendere videatur, tumori sequens maturativum applicetur: ℞ Rad. Alth. Lil. alb. an. ℥. ij. fol. Malvæ, Viola. ana M. j. Contusa coquantur in q. s. aq. ad mollitiem & in formam pultis redigantur, quibus admisc. far. hord. se. lini ana ℥. j. Buty. salis expertis ℥. ij. Ol. Chamæ ℥. j. Vitell. Ovo. No. ij. Commisc. subiganturque & fiat Catapl. Tumor maturatus scalpello aperiatur, incidaturque secundum scroti longitudinem, & expresso*

Maturantia.

Aperientia.

presso pure mundificetur, aliorumque ulcerum modo persanetur.

Curatio Oedematis.

Ubi vero tumor testiculorum ex frigida sit causa excitatus, præmissa methodica curatione in Oedematis curatione commemorata, tumidum scrotum, aut Ol Chamæ. aut unguento Dialth. ungatur, ac statim sequens Catapl. imponatur:

Topica digerentia.

℞ far. fab. ℥. iiij. Medullæ panis in vino macerata & expressæ ℥. ij. quæ simul subacta & contusa cum q. s. liquoris in quo decoct. sunt rad. Alth. Meli. Anethi & Chamæ. & sem. Cymini, fiat Catapl. cui admisc. Ol. *Chamæ. Aneth. ping. anatis an. ℥. j. cimini ʒ. ij. & tepida applicetur. Quod si tumor testium resolvi & discuti nequeat, sequens maturativum & suppurativum Catapl. imponatur:*

Maturantia.

℞ Rad. lil. alb. Rad. Alth. ana ℥. iij. fol. Brassicæ rub. Mal. an M. j. Concisa coquantur in q. s. aq. ad mollitiem, quæ excepta minutissimè contundantur, eisdemque admisc. far tritic. fœnugræc. lini ana ℥. j. Buty. rec. sine sale ℥. iij. Redigantur ad ignem in Catapl. formam & imponantur. Maturatus tumor aperiatur, purificetur & consolidetur ulcerum aliorum instar. Ubi vero Scrotum, vel ipsi testiculi induruerunt, in scyrrhumque degenerarunt, emollientia & discutientia sunt admovenda, quæ supra in Scyrrhi tumoris, & in mammarum duritiei curatione sunt commemorata. Contingit præterea ut alterutri testiculorum carnosa quædam materia adnascatur, indeque Scrotum *intumescat, quam affectionem Græci σαρκοκήλην, i. e. carnosam Herniam sive Ramicem dicunt; contingit quoque ut scrotum ipsum aquosa flatuosaque colluvie infarciatur, & tum Græcis ὑδροκήλη, h. e.* aquosa *seu flatuosa hernia nominatur. Contingit denique ut ex perrupto aut laxato peritonæo particula vel omenti, vel intestini, in scrotum delabatur, quæ affectio Græcis ἐπιπλοκήλη, i. e. Hernia omenti & ἐντεροκήλη, intestinalis hernia, nominatur; quæ hisce signis internoscendæ sunt:* Sarcocele *&* Hydrocele *stabiles sunt, & permanentes in scroto tumores;* Enterocele *vero &* Epiplocele, *resupinato corpore digitis leniter comprimendo, rursum intra Peritonæum reponi possunt; quarum affectionum omnium methodicam curationem in superioribus tradidimus; hoc loco satis erit singulis herniæ speciebus unum aut aliud topicum remedium præscripsisse.*

Curatio Scyrrhi. De Ramice ejusque speciebus. Sarcocele. Hydrocele. Epiplocele, & Enterocele.

Earum dignotio.

TUMOR *testium, quem* carnosam herniam *vocant, nullis ut puto remediis, sed sola illa crudeli per incisionem & testis affecti præcisionem, non tamen sine vitæ discrimine persanari potest. Incisio vero scroti vel capsulæ testium fieri debet novacula usque ad testis, cui adnata est caro, substantiam, quo facto si nondum est corrupta testiculi substantia, ex scroto protrahatur, & caro adnata, vel digitis vel alio instrumento quam potest lenissimè avellatur, carneque ablata testiculus iterum in proprium locum reponatur, atque scroti vulnus consuatur, aliorumque vulnerum modo, quorum curationem paulo infra in tertia sectione morborum Chirurgicorum tractaturi sumus, consolidetur.*

Curatio Σαρκοκήλης. per Chirurgiam.

Commendant Chimici Ol. salis, Tartari, Balf. sulp. Empl. Diasulph. Ruland.

Testiculi præcisio ut molienda.

At si corruptus & putrefactus sit testiculus, præstat ipsum omninò præcidere; Præcisio autem ejusmodi erit; primum arctiori vinculo radix testium constringatur, & forcipe amputetur, & radicis pars supra vinculum auro candenti, aut ferro inuratur, ac demum aliorum ulcerum modo persanetur. In hujusmodi autem sæva curatione, ut in alia ulla, opus erit Chirurgo singulari prudentiâ & dexteritate, prius præmonitis diligenter amicis ægri, de discrimine vitæ.

Hydroceles curatio.

Hydrocele *vero sive aquosa collectio in scroto Hydropis curationem desiderat. Inter Topica autem hoc sequens Catapl. utilissime imponi potest:* ℞ *far. lentium, fabarum,* Orobi *ana ℥. iij. concoquantur cum vini aut lixivii q. s. ad pultis formam, fiat Catapl. Hisce remediis si aqua non exsiccetur, scrotum in latere paulo infra ejus medietatem scalpello aperiatur, & aquosa colluvies exprimatur, sed in tali curatione solet in scroto rursum aqua colligi. Ideo singulis mensibus perforandum scrotum, & aqua evacuanda erit, habita interim*

Chimici utuntur Ol. sulph. Balf. sulph. therebintinato. Calce gypsi cum vino, Cineribus Bufonum Magisterio corticis Ebuli. Apertio tumoris.

Chimici adhibent Ol. Anis. bacc. laur. Magister. Taps. Barbat.

vim ratione Epatis, à quo aqua in scrotum demittitur, ut ejus intemperies corrigatur. Vbi verò scrotum intumuerit, à flatuosis spiritibus, quod ex levitate testiculorum & tumoris renitentia, ac diaphonia, si ex opposito lumen opponatur, facilè dignosci potest, tum methodica curatio Tympanitidis erit instituenda, & sequentia Topica applicanda:

Curatio Epiplocel. & Enteroceles De Omphalocele.

Primum inungatur Tumor scroti Ol. Chamæ. Anethi, Rutæ simul commixtis. Deinde imponatur sequens Catapl. ℞. Pul. Cimini ℥. j. s. Bac. lauri. ʒ. vj. far. fabæ. Orobi, cicerum fursu. triti. probè contriti ana ℥. j. commixta vel cum vino vel cum acri lixivio decoquantur ad pultis formam, eisdemque admisc. Ol. Chamæ. Anethi ana ℥. ij. Cheirini ℥. s. fiat Catapl. Aut ℞. Pul. Rutæ, Chamom: Melilo. Anethi fursu. tritit. ana ℥. j. Se. Fœnic. Coriand. ana ʒ. vj. stercoris Caprilli ℥. j. s. concoquantur in vino ad pultis formam, quibus admisc. Ol. Chamæ. Aneth. Rutæ ana ℥. j. Ol. Lauri ℥. s. fiat Catapl. Porrò ubi per rupturam aut relaxationem peritonæi, Omenti, vel Intestini particula in scrotum est devoluta, hujusmodi tumoris curationem in superioribus tradidimus. In curatione Herniæ, & paulo infra in postrema sectione morborum Chirurg. de rupturis curandis fusius docebimus. Est & Herniæ species tumor Vmbilici, & ultra modum prominentia, quam Græci ὀμφαλοκήλην, i. e. extumescentiam umbilici *sive Herniam Vmbilicalem nominant, quæ ut plurimum excitatur in puerulis quidem à nimio ploratu, in adultis à flatuosis spiritibus circa Vmbil. collectis, cujus quoque curationem in superioribus docuimus, unde remedia sunt petenda.*

Chimici utuntur Bals. salis gemm. Essentia consolid. Unguent. ex fungis nucum veterum, Ol. axungiæ Erinacei.

Pudendi seu virgæ virilis Tumor quæ Topica remedia efflagitat?

De Virgæ tumore. Priapismus quid. Historia Priapismo laborantis.

Intumescit non semel & virga virilis, *& quidem aut tota, aut ejus pars: ubi tota intumescit, & extenditur sine Venerea appetentia; hanc fœdam affectionem & Græci & Latini* Priapismum *nominant. Vnicum ea affectione laborantem per totam meam vitam vidi, Virum Nobilem,* Casparum Mellentin, *qui eum à quodam sacrificulo, quem* Den Papen van der Putten *nominant, per impositionem cicutæ & Hyosch. curatus fuit, ita tamen tota virga propter frigiditatem herbarum enervata usque ad mortem permansit, ut nunquam amplius conjuge uti potuerit, & paulo pòst scyrrhum circa Hypochondria contraxit, & ab eodem curatus, miserè est extinctus. Hujus quoque mali curationem methodicam in superioribus tradidimus: Aut, ut dixi, excitatur tumor in Virga, in aliqua ejus parte, ac præcipuè in glande, aut præputio, atque ut plurimum cum inflammatione, cujus curatio ex Phlegmones curatione sumenda est. Hoc loco satis erit Topica exquisitiora adnotasse.*

Topica ad particularem Virgæ tumorem. Commendant Chimici Essent. & Ol. Rutæ Menth. Bals. Saturni, Sal. Saturni Ol. Camph.

In initio itaque ovi unius albumen unà cum luteo & Ol. Rosa. ℥. j. & suc. Plantag. ac Solani ana ℥. s. concussum instar Epithem. imponatur; sedato dolore, & mitigata inflammatione, Virga, si ad suppurationem tendere videatur tumor, maturans Catapl. tale imponatur: ℞. Se. Malvæ, violæ. ana M. ij. concisa concoquantur ad mollitiem, ac contundantur in pultis formam, eisque admisc. far. hord. ℥. ij. Ol. Violæ. Butyr. rec. sine sale ana ℥. j. Lutei Ovorum. No. ii. Subigantur; fiat Catapl. Maturato tumore secundum longitud. Virgæ scalpello incidatur vel novacula pus eximatur, mundificetur. & aliorum ulcerum modo consolidetur. Si verò Oedematosus erit tumor, ex frigida materia, ejus curationem ex Oedematis curatione petere licebit. Reliquæ exulcerationes virgæ, *& aliæ pustulæ, quæ ratione sint curandæ, paulò post in proxima sectione explicabimus.*

Tumor Vteri quæ topica requirit?

De Tumore Uteri. Multiplices Uteri tumores.

Plura genera Tumorum excitantur in Vtero; quandoque enim tota matrix, & una cum ipsa totum Abdomen intumescit, veluti fit in mola in utero generata, cujus curationem in superioribus absolvimus.

vimus. Aut ubi capacitas uteri, vel aquosa colluvie, vel crassis flatibus referta, distenditur; cujus quoque affectionis curationem ex Hydropis curatione petere licet: De hisce tumoribus hic nobis sermo non est. Excitatur praeterea nonnunquam & tumor in uteri Cervice, phlegmonosus, i. e. inflammatus tumor ex adfluxu ferventis & putrefacti sanguinis in substantiam uteri defluens. Oritur ibidem & scyrrhus ex Melancholico sanguine excitatus; Phlegmone ex calida intemperie & dolore acri; scyrrhus autem ex duritie & subobscuro colore dijudicari potest. Vtriusque autem tumoris, & phlegmones & scyrrhi, methodicam curationem paulo ante proposuimus; ubi & remedia enumeravimus convenientia, quae & in uteri tumoribus usurpari possunt, nisi quod applicandi modus & remediorum substantia est immutanda; Refrigerantia itaque remedia in phlegmone, & emollientia in scyrrho Matricis, foris quidem Hypogastrio instar Catapl. & Emplastra applicanda sunt. Intra vero uterum in forma liquoris per siphonem, sive Clysterem infundenda sunt; aut per balnea & insessiones, aut per pessos injicienda erunt; Inter ea autem quae inflammationes uteri restinguunt, duritiemque emolliunt, & dolores mitigant, prodest si aegra in decocto rad. Althe. Herb. Malvae, Chamae. Meliloti Viola. se. Lini & foenugraec. insideat, aut subjectum vaporem intra uterum recipiat. Tandem plurimum conducit & ad dolorem sedandum & inflammationem restinguendam, & duritiem emolliendam, sequens pessus utero inditus; ℞ Ping. Anatis, Medullae crurum cervi, vel bovis (si cervi haberi nequit) Bdellii liquefacti ana ℥ß. Lutei unius Ovi assati atque probè contriti, Ol. lil. alb. Lini ana ʒ. vi. Croci ʒ. vij. Ex his omnibus commixtis simul fiat Linimentum, quo infarciatur sacculus ex syndone instar pessi, vel pudendi virilis, & filum appendatur, ut ubi necessitas exigit, protrahi & rursum indi queat. Catapl. vero & Empl. imo Ventri applicanda, ex Scyrrhi & phlegmones curatione huc transponi possunt.

Curatio. Modus applicandi remedia.

Topica.

Porrò reliquarum partium tumores qui non sunt tam difficilis curationis, quàm praescriptarum, facile ex superioribus tumorum curationibus, remediis ibidem enumeratis, à perito Chirurgo foeliciter curari possunt.

Chirurgicarum Curationum, de Ulceribus.

SECTIO II.

ETsi vulnerum curandorum doctrina, ut simplicior, tractationem de Vlceribus ordine naturae praecedere debebat; tamen eam nobis vulnerum curationi praemittere placuit, eam nimirum ob causam, quod ulcera ut plurimum soboles sint tumorum, quae ex iisdem causis intrinsecis generantur. Vt enim tumores ex collectione humorum, ita ulcera ex eorundem erosione & malignitate excitantur: & quanquam utraque affectio, & vulnus & ulcus, continuitatis in aliqua parte sit solutio & divisio; differunt tamen, quod continui solutio in vulnere ab externis causis casim illatis cum sanguinis eruptione inferatur; ulcus verò, ut plurimum ab interna causa, erodentibusque humoribus producitur; ex quo non sanguis, ut ex vulnere, sed vel sanies, vel pus, vel putrida colluvies emanat. Quanquam ab externis quoque causis, ut applicatione causticorum remediorum, aut morsu ictuque virulentorum animalium, paulatim ulcera excitari possunt.

De Ulceribus.

Vulnus & Ulcus ut differant.

Vlcus quid, & quae excrementa ex ulceribus promanant?

Ἕλκος, ein Etterich swehr oder ein alter schade / est continuitatis divisio in aliqua molli & carnosa parte corporis, in qua ut plurimum colligitur, ex eaque profluunt excrementitii humores, aut saniosi, aut purulenti, aut putrilaginosa sordities cum variis affecta partis dispositionibus praeternaturalibus. Quia verò excrementorum ulcerum saniei, puris & sordium in tota tractatione de ulceribus, crebra futura sit mentio; & ex eorum qualitatibus de sana-

Ulcus quid sit.

Excrementa Ulceris tria.

tionis

tionis facilitate, ac difficultate non obscura sumi possunt indicia, signaque prognostica, eorum differentias breviter subjicere placuit.

Sanies. *SANIES, Græcis* ἰχὼρ, Das Glidtwasser; *Quanquam autem* saniei *vocabulum vulgus pro omni impura humiditate ex ulceribus & vulneribus profluente usurpet, propriè tamen & Græcis & Latinis excrementum est tenue & aquosum, quod ut plurimum ex vulneribus crudis in principio curationis, præsertim si nervi aut ligamenta in vulnere sunt læsa, profluere consuevit; quemadmodum etiam ex plærisque ulceribus inprimis malignis: Colore vel albo aquæ, vel sero simili; aut colore rubeo tanquam aqua sanguine pauco diluto, quod ut plurimum acre est & erodens, & cum in* Vlceribus *tum in* vulneribus *dolores acerbos excitat. Illud ipsum excrementum in malignis ulceribus propriè non sanies, sed latè patenti vocabulo* virus *seu* virulentia *nominatur, & nisi sanies omnis primum in ulceribus exsiccetur, & absorbeatur, impossibile est ulcus aut vulnus ad sanitatem perduci. Sanies itaque per se semper mala est, & quantò ab aquea qualitate magis discesserit, ut colore livida, odore fœtida, & substantia serosa, tanto pejor est.*

Pus. *PUS,* Πύ☉, Etter / *est excrementum in Vlceribus & Vulneribus sanie quidem crassius, sorde vero mollius; Optimum & exoptatissimum pus est in vulnere ac ulcere, Hippocrate testante, & experientia comprobante, quod est albidum æquale, h. e. sibi undique simile, læve & quàm minimè fœtidum; tale enim pus ex sanescente jam ulcere vulnereque profluit, & curationis fœlicem successum promittit. Econtra ab hoc dissidens pus, ut justo liquidius, feculentum, colore cinericeo, livido, aut nigro, & fœtidum, pessimum censetur.*

Sordes. *SORDES,* ῥύπος, ein wůst / fauler vnd stinkender etter / *est ulcerum vulnerumque excrementum præternaturale, crassum, glutinosum & tenacissimè ulceribus inhærens, ac plerumque fœtidum, aut nigro, aut livido, aut vario colore. Tale excrementum ex malignis putridis difficulterque curationem admittentibus ulceribus prodit. Horum malorum excrementorum, saniei & sorditiei causæ, sunt pravitas tertiæ concoctionis, & partium affectarum intemperies. Boni vero excrementi, quale est pus laudabile, causa est bonitas tertiæ concoctionis, & partis affectæ* εὐκρασία.

Vlcerum differentiæ & species, quæ?

Plurimæ Vlcerum differentiæ, earumque species à Galeno *& aliis* Chirurgiæ Professoribus, *qui Galeni placita pro euangelio habent, & ab ejus verbis ne latum pili decedere volunt, ad nauseam usque enumerantur. Nos verò brevitati studentes, omnes* Vlcerum *præcipuas* species *in* tres *tantum differentias, cum singularum speciebus redigere conabimur, singulis speciebus brevem definitionem subjicientes.* Prima *divisione sumpta differentia ab ulcerum Natura; omne* ulcus *dicimus esse aut* simplex *aut* complicatum. Ulcus aut simplex, Simplicia *ulcera sunt quibus nullus alius morbus, aut causa morbifica, aut aliud Symptoma est adjunctum.* Complicata *ulcera sunt quibus vel morbus aliquis, vel causa morbifica, vel Symptomata aliqua sunt admixta. Complicatorum ulcerum per subdivisionem species sunt;* Aut complicatum:

Vlcus dyscratum *h. e. intemperatum, cui nimirum aliqua intemperies calida, frig. hum. vel sicca, vel etiam ex secundis qualitatibus durities aut mollities copulata.* Cum intemperie,

Vlcus Rheumaticum, *h. e. fluxioni obnoxium, cui videlicet alicujus vitiosi humoris affluxio, molesta est, & sanationem impedit: Ad hoc genus ulcerum referuntur ulcera saniosa, sive virulenta & sordida.* Cum fluxione,

Vlcus Aposthematosum est *cui aliqua species tumoris est adjuncta, cujus species sunt ulcus phlegmonosum, Oedematosum, Erysipelatosum & scyrrhosum.* Cum tumore,

Vlcus putridum est *quod cum subjectæ partis putrefactione ac corruptione est copulatum, & ex quo ut plurimum fœtor exhalat. Ejus species sunt Vlcera Gangrænosa,* Das Kalte Fewr / *seu cadaverosa. In iis enim extinguitur calor nativus; item cariosum ulcus,* Cum putredine,

ulcus, in quo subjectum Os corrumpitur, nigrescit, & in cariem resolvitur, & Vlcus verminosum dictum, quia vermibus scatet.

Cum dolore. Vlcus dolorificum, *sive crucians, Græcis* ἕλκος ὀδυνηρὸν, *cui videlicet copulatus est atrox & continuus dolor.*

Cum malignitate. Vlcus malignum, *quod* κακοήθες *h. e. contumax & malignum; Ejus species sunt, ulcus sordidum, & ulcus depascens, quod Græcis* νόμη *dicitur, quod nimirum non modo subjectam carnem affectæ partis, sed & sanas adjacentes partes circumquaque depopulatur. Item ulcus phagedæna Græcis dictum, sive ambulativum, quod serpendo per cutem circumjacentes partes depascitur & erodit: Hoc si ad summam malitiam pervenerit, ulcus* χειρόνιον *&* τελέφιον *nominatur; item ulcus virulentum & sordidum. Eorundem malignorum ulcerum species sunt Vlcus cancrosum, quod ex Cancro tumore exulcerato progeneratur, & fistula, seu ulcus fistulosum, de quo paulo post.*

Differentia ulcerum à figura. *Secunda differentia* ulcerum *sumitur à* figura *ulcerum, quorum aliud est sinuosum sive cuniculosum, quod sinus inde in subjectam carnem extendit; Vlcus fistulosum vel fistula, quod unicum habet constrictum & rotundum orificium, instar rimarum fistulæ, & rectà in carnem descendens magis magisque amplior evadit; Item ulcus Cancrosum, quod visu horridum est & fœtidum; labra hujus tumida ac prædura nonnunquam inversa, colore livido, seu instar cancri aquatici fusco, venas lividas venenato sanguine turgidas ex se, in partes adjacentes protendens, instar pedum Cancrorum. Vlcus circulare seu rotundum, quod* dysepuloticum *est, & difficillime curatur.*

Vlcus supercrescens, in quo ferina caro succrescit & luxuriat. Vlcus varicosum est in quo venæ quædam sanguine turgentes protuberant, & curationem impediunt.

Ulcera alia curatu facilia, alia difficilia. *Tertia differentia ulcerum sumta à* curationis facilitate & difficultate. *Vlcerum alia sunt curatu facilia, alia difficilia, alia nunquam, aut rarò sanabilia.*

Vlcera curatu *facilia sunt simplicia recentia, in superficie hærentia, & quæ cum mitissimis symptomatibus sunt complicata, ac in quibus laudabile pus conspicitur.*

Curatu difficilia *sunt ulcera omnia quæ graviores morbos, aut causas morbificas, aut Symptomata secum habent copulata, ut sunt ulcera cum insigni intemperie, ulcera cum maligno humore affluente, ulcera saniosa sive virulenta, ulcera sordida, ulcera putrida, ulcera cum labiorum duritie: ulcera verminosa, ulcera cavernosa, ulcera erodentia & cariosa, & quæcunque ad has species referri possunt, & κακοήθη nominantur.*

Nunquam aut raro perfectè sanabilia, *sunt fraudulenta & venenata qualitate complicata ulcera, qualia sunt* νόμαι *&* φαγεδαῖναι, *Gangrænosa & Cancrosa.*

Causæ ulcerum generales quæ?

Causæ Ulcerum generales. *Vlcerum in universum duo sunt causarum genera,* προηγȣ. *unum, &* προκατ. *alterum,* Continentes. *Tertium enim genus quod* συνεκτικὸν h.e. *causam continentem, vocant, nos consulto prætermimus, cum à* προηγȣμένῃ, *non nisi loco & materiei alteratione differat; nisi forsan quis inter continentes causas recensere velit & Symptomata quæ ulceribus sunt complicata, & sanationem ulcerum impediunt, ut sunt dyscrasia, Os corruptum, Labiorum durities, aut mollities in Vlceribus; Caro succrescens, figura ulceris rotunda, & similes.*

Antecedentes. προηγȣμ. *ulcerum causæ sunt vitiosorum humorum aut copia, aut qualitate erodente & corrumpente carnemque exulcerante confluxio, & collectio, Tales autem vitiosi humores confluunt in aliquam particulam aut ex universo corpore, aut ex Iecinore lieneque vitiatis.* Procatarticæ. προκατ. *sunt vulnus perperam curatum, aut tumor, aut pustula in superficie cutis excitata, semper enim ulcus recens præcedit aut vulnus, aut tumor, aut virosa pustula. His adjici possunt vitiosa alimenta, ex quibus humores acres & erodentes generantur; contusio alicujus partis; Caustica remedia, morsusque & contactus venenatorum animantium.*

Vlce-

Vlcerum signa universalia quæ?

Signa univer-falia. *Signa ulcerum manifesta sunt; cutis enim & carnis continui solutio & visu & tactu deprehendi potest, ex quo ut plurimum non sanguis; sed aut sanies, sive ἰχὼρ, aut pus, aut sordes profluunt. Per quæ autem indicia singulæ species ulcerum dignosci debeant, partim in earum descriptionibus paulo ante ostendimus, partim in earum curationibus commemorabimus. Hoc loco satis erit signa prognostica præcipua observasse.*

Quæ prognostica sive Aphorismi judicatorii in ulcerum curatione sunt observandi?

Progno-stica. Vlcus *carne completum citò sanescit; sed si paulo post subito renovetur, ut plurimum in fistulam degenerat.*

Vlcera omnia *viridi, livido aut nigro colore imbuta duraque labra habentia, mala sunt; caloris enim nativi in affecta parte extinctionem significant, corruptionemque minitantur.*

Vlcera Frigida, *albedine & mollitie dignoscuntur, quæ ut plurimum calidis juvantur; contrà,*

Calida ulcera *ex rubore, loci affecti caliditate agnoscuntur, & frigidis remediis gaudent.*

Sicca *vero* ulcera *similiter & humida visu tactuque dijudicari possunt.*

Color niger *Melancholici humoris*, Flavus *Citrinus bilis flavæ*, Albus *pituitæ ex Iecinore ad ulcus profluentis est indicium.*

Vlcera aliis morbis *succedentia, vel in ipsis morbis excitata, difficilis sunt curationis.*

Vlcus omne, *sive in ipsis morbis sit excitatum, sive ante morbum, si in ipso morbo aridum, aut lividum, aut flavum reddatur, in ipso morbo moriturum ægrum portendit.*

Si in pilosis *partibus ulcus excitetur, & pili circum ulcus defluant, materiam ulceris venenatam esse ostendunt.*

Si vero pili *novi regenererentur, bonum significat.*

In ulcere *ubi post saniem aut sordem pus laudabile appareat, bonum; sanationem enim significat.*

Vlcera rotunda tardissimè *ad cicatricem deduci possunt, nisi cauterio, h. e. candenti auro in triquetram aut linearem figuram deducantur.*

Extremitatum *ulcera, pedum videlicet aut manuum, aut capitis tumorem glandularum concitant. Pedum quidem circa inguina, manuum sub alis, capitis circa collum aut pone aures.*

Cum in ulcerum curatione *medicamenta applicata conferunt, aut saltem nullam noxam inferunt, indicium est remedium conveniens, & rectè applicatum esse.*

Vbi vero ulcus *ipsum aut humidius, aut siccius, aut calidius, aut frigidius reddiderunt, aut dolorem excitarunt, eadem remedia non esse idonea, nec ritè applicata significat, & statim mutanda innuunt.*

Curatio ulcerum generalis qua methodo perficienda? Curatio generalis.

In curatione omnium ulcerum Chirurgus statim in primo intuitu ulceris, tria accuratè considerare debet. I. *Quale nimirum sit excrementum in ulcere hærens, num sanies, sordes, aut pus. Sanies enim omnis ad sui curationem, exiccationem; sordes absterſionem, pus vero sui remotionem exigit. Quibus vero remediis resiccantibus saniem & absorbentibus utendum sit, partim inter medicamenta Chirurgica, partim sequentibus in ulcerum complicatorum curatione, simul & in vulnerum curationibus aperiemus.* Excre-menta ut remo-venda.

Similiter quæ medicamenta sordes abstergant in iisdem locis commemorabimus, ita & pus generantia remedia in superioribus commemorata sunt, cujus remotio non aliud remedium nisi manuum industriam desiderat. II. *Studiosè observandum est, utrum ulcus sit simplex, aut cum aliquo Symptomate aliaque affectione complicatum. Simplex siquidem ulcus & ab omni morbo graviorique Symptomate liberum, facile per sola Topica remedia moderate exiccantia, & carnem* Simpli-cis ulce-ris cura-tio.

generantio cicatricemque inducentia persanari potest. Ejusmodi autem remedia sunt à nobis supra commemorata, & qualia sunt ea quibus hoc tempore tonsores utuntur in curandis vulneribus & ulceribus, ut sunt Empl. Brutenicum, ex oleo lithargyr. & paux. æruginis confectum, Braunzuch *dicitur, vel Empl. ceraneum seu citrinum, ex Ol. cera, & Terebinth. concinnatum, Germanis* Geelzuch *dicitur, vel Empl. ex Lap. Cala. Ol. & sevo cervino aut caprino coctum, quod in officinis dicitur Emplast. Gryseum, & Germ.* grawzuch oder graw plaster.

Topica sarcotica & epulotica quibus tonsores utuntur.

At si ulcus sit complicatum cum aliquo vel morbo vel Symptomate, ut cum acerbo dolore, cum aliqua excellenti intemperie, cum affluxu alicujus vitiosi humoris, cum tumore, cum carnis subjecta contusione, cum carnis in ulcere succrescentia, cum varicibus turgentibus, cum ossis subjecti ulceri corruptione, cum virositate & cum venenata aliqua abdita qualitate, cum corrosione exesioneque affecta partis, aliisque pravis dispositionibus; ibi sanè varianda est curatio, cum impossibile sit ulcus ullum quatenus est simplex, curari posse, nisi prius morbus aut Symptoma ulceri conjunctum removeatur, aut mitigetur saltem. Semper itaque prima curatio in complicatis ulceribus debetur Symptomati aut morbo adjuncto, quo sublato ulcus ipsum non difficulter moderatè siccantibus, carnem generantibus & cicatricem inducentibus remediis, ut diximus, persanari potest.

Complicati ulceris curatio.

Quibus autem remediis singula enumerata Symptomata ulceribus complicata corrigi aut profligari debeant, paulo post in ulcerum speciebus curandis recensebimus. III. *In ulcerum curatione studiosè observandum est utrum corpus ulcere laborans sit plethoricum, aut κακόχυμον, & quis vitiosorum humorum in corpore redundet. Plethora enim sanguinis missionem, κακοχυμία evacuationem expostulat. Humores autem vitiosi sanationem impedientes ut plurimum ad ulcus confluunt, aut ex toto corpore, aut ex Iecinore, aut ex liene vitiatis. Proinde vitiosus humor crebro inter curandum expurgari debet, si copia peccet; si verò acri & præternaturali qualitate impedit sanationem, alteratione opus habet. Quin & visceribus vitiatis debilitatisque subinde emendatio & corroboratio debetur.*

Curatio universalis per victus rationem, venæ sectionem, & purgationem.

Quibus autem remediis qualibet species vitiosi humoris evacuanda sit, quibus item qualitas præternaturalis eorum humorum corrigenda, & quibus vitiata viscera corrigenda corroborandaque sint, supra in tabellis remediorum singulos humores concoquentium & evacuantium dicatis abunde proposita sunt, & in sequentibus à nobis proponentur. Hisce tribus dictis regulis probè cognitis, curatio generalis omnium ulcerum methodo per hasce vias, fœliciter perfici potest. Per victus rationem, ulcerum natura contrariam: per humoris redundantis præparationem, & evacuationem, eorumque alterationem, ad quam & sanguinis missio, si necessitas postulet, & hyrudinum applicatio referri potest: & per topicorum remediorum impositionem. Topica autem remedia, ut sunt Empl. & Vng. in omnibus ulceribus (ut iterum atque iterum jam diximus) debent esse pro temperamento ulcerata particula, mediocriter exiccantia, cum moderata vel calefactione vel refrigeratione. Refrigerantia enim calidiusculis ulceribus, calefacientia frigidioribus magis sunt apta. Ejusmodi remediorum genera supra inter medicamenta Chirurg. abunde sunt enumerata, & in sequentibus latius ostenduntur. Excipienda tamen sunt ulcera cum siccitate, duritie, cum tumoribus & ex contusione excitata, qua sibi semper contraria media expostulant, ut siccitas ulceris humectationem, durities emollitionem, tumores & contusiones suppurationem, ut in sequentibus adnotabimus.

In topicis remediis quis delectus habendus.

Vlcus cum vehementi dolore complicatum quid, quæ causæ doloris, & quomodo curandum?

De ulcere doloroso.

ἕλκος ὀδυνηρὸν est quod dolore affectam partem excruciat, & sanationem impedit; doloris autem acerbitas tam in ulceribus quàm vulneribus unum est ex iis qua non tantum

Doloris effectus.

tantum curationem invertunt, sed & vitiosos humores è toto corpore ad ulcus alliciunt, inflammationem inferunt, & vires brevi prosternunt; Quare in omni dolorifico ulcere quam fieri potest citissime dolor est auferendus, aut saltem mitigandus ac demulcendus; cavendumque diligenter ne Chirurgus ulceri remedia imponat quæ atroces & diuturniores dolores excitare queant.

Causa doloris in ulceribus.

Doloris porrò causæ in ulceribus sunt aut excellens & insignis intemperies calida vel frigida, aut vitiosorum humorum erodens exurensque qualitas; sæpe & deligationis violenta & inepta constrictio, aut remediorum acrium impositio dolorem excitat. Cognita causa doloris in ulcere ita instituatur

Curatio.

curatio: Si ex intemperie extensa calida excitatus sit dolor, ea remedia adhibeantur, quæ supra in curatione phlegmones *sunt propositæ. Si vero frigida excellat intemperies, calida moderatè remedia imponenda sunt, quæ in* tumorum frigidorum *curatione descripsimus. Ubi verò acres humores & erodentes excitarunt dolorem, ibi ipsi statim sunt evacuandi aut ℥. j. s. Cassiæ, aut El. Lenit. aut Diacathol ℥. x. exhibitis, statimque applicanda ulceri Anodyna remedia doloremque mitigantia, quorum copiam paulo ante in tabellis remed. Chirurg. & in curatione proposuimus. Si vero ex prava ulceris deligatione, aut acredine remediorum dolor sit exortus, ea removeantur, & anodyna ut diximus imponantur. Hoc loco unam & alteram remediorum formulam dolorem in ulceribus mitigantium subjecisse satis erit. Porro diximus ante omnia remedia dolorem mitigantia efficacia esse, operarique aut intemperiem corrigendo, aut materiam erodentem resolvendo, aut dolentes partes stupefaciendo, dolorisque sensum extinguendo: Dolorem itaque ulceris hæc sequentia refrigerando mitigant: ℞ Ol. Ros. ℥. ij. Ovor. alb. No. ij. suc. plantag. ℥. j. Concussa & linteolis excepta instar Epith. ulceri imponantur; aut ℞. Rad. Hyosch. q. s. conterantur cum axung. porc. q. s. fiat Catapl. Dolorem vero*

Anodyna quot modis dolores sedant.

Eorum formula.

Chimici utuntur Empl. stiptic. Crollii, Extract. sang. hum. Cl.

mitigant moderatè calefacientia. ℞. Fol. Mal. cum rad. aut Alth. cum rad. concisa coquantur ad mollitiem, conterantur & per setaceum cribrum instar pultis trajiciantur, eique admisc. Ol. Chamæ q. s. & tepida dolenti ulceri imponantur. Dolorem in ulceribus mitigant resolvendo & acrimoniam excrementorum retundendo: ℞. Medul. pan. similagi. q. s. quæ in ferventi aq. vel lacte maceretur, & expressa dolenti ulceri Catapl. instar imponatur. Aut pulmentum Raporum, decoctorum cum Ol. Chamæ. aut Aneth. commixtum, applicetur. Stupefaciendo autem doloris sensum inhibent Unguentum Popul. illitum, cui nonnihil Opii Theba. cum aq. Rosa. soluti est admixtum. Quæ autem dolorem leniant, ex erosione in ulcere collectum humorem excitatum, paulo post suo in loco commemorabimus. Reliqua anodyna ex tabulis Chirurgicorum *remediorum supra propositis peti possunt. Sublato aut saltem mitigato dolore in ulcere tum tandem ipsius ulceris curatio auspicari debet, & quidem Topicis remediis ac maximè Empl. paulò ante in simpl. ulc. curatione descriptis, quæ omnia moderatè exiccando, ulcus mundificando, & carnem bonam generando in cavitate ejus, cicatricemque inducendo, omne ulcus liberum à Symptomatibus persanant. Quin & subsequentia Empl. non vulnera tantum omnia, sed & ulcera non prorsus maligna, virulenta & contumacia, ex voto persanare possunt, quorum tres tantum formulas exquisitiores, hoc loco subjecisse satis erit, quæ quia sunt salutaria & usitatissima, eorum in sequentibus sæpe mentionem faciemus, ad eaque studiosos Chirurgiæ ablegabimus, ne nobis identidem subinde repetere sit necessum; ex his autem primum vocabimus Empl. de Ærug. secundum Emp. aureum Mes. tertium Empl. de vernice.*

vitriol. nitri, Alumin. Ammoniac. salis cum spir. vini mista, Ol. ovor. Magister. Croci.

Reliquæ ulceris curatio.

Emplast. de Ærugine *in hunc modum concinnari potest: ℞. Ceræ novæ Terebinth. an. ℥. 4. quæ simul sensim liquefiant ad lentum ignem, eisdemque admisc. ærug. tenuiss. pul. ac per noctem in aceto rosa. macerata, rursumque pulverisata ℥. j. & ubi*

Emplastrum de ærugine.

& ubi color rerum liquefactarum remisit, tandem admisc. & seq. tenuiss. pul. Thuris & Mastic. ana ℥. s. Quibus omnibus probè commixtis, in aquam frigidiss. imponantur, & ambabus manibus diu multumque subigantur, donec elegantem acquirat & tractabilem substantiæ æqualitatem.

Aureum Mesue. Empl. Aureum Mesuæ *sic confici potest*: ℞. *Tereb.* ℔. *s. Mellis virgi.* ℥. *ij. ceræ puræ* ℥. *ij. s. Resinæ pini* ℥. *j. s. liquefactis simul & non admodum calentibus admisc. tenuiss. pul. Thur. Myrrhæ, Aloes, Croci ana* ℨ. *j. s. fiat s. a. Empl.*

De vernice. Emplastrum de vernice *pictorum ita confici potest, hoc prius de vernice observato, quod nos per vernicem hoc loco minimè intelligamus vernicem Græcorum authorum, quam sandaracam esse putant, sed illum tenacem liquorem ex succino & Ol. lini confectum, quem nostrates* Ferniß *nominant, & quo Pictores in illustrandis nitoremque inducendis suis tabellis utuntur.* ℞. *Ol. veteris, ceræ novæ ana* ℥. *vj. quibus simul ad lentum ignem resolutis admisc. tenuiss. pul. Litharg. aurei* ℥. *vj. Lapi. Cala.* ℥. *ij. concoquantur simul perpetuo agitando, donec justam duritiem Emp. acquirat, & contrectata inter digitos, à digitis sine commaculatione detrahi queant, deinde remisso ejus calore, admisc. quoque Tereb.* ℥. *j. vernicis pictorum* ℥. *ij. & pul. tenuiss. thuris, Mastich. myrrhæ ana* ℨ. *ij. Camphoræ* ℨ. *j. subigantur manibus Ol. Chamæ. illitis, donec tractabilem & æquabilem substantiam consequatur; His ut diximus & ulcera & vulnera omnia facile persanari possunt, si Symptomata curationem impedientia prius removeantur.*

De ulcere cum intemperie.

Vlcus, cum aliqua excellenti intemperie complicatum, quid, quæ signa intemperiei in ulcere, ac quomodo persanandum?

Ἕλκος δύσκρατον, *distemperatum*, ein hitzig oder verkalter Schade / *est ulcus in quo caro exulcerata, & nonnunquam tota particula ulcere affecta excellenti aliqua qualitate vel calida, vel frigida, vel sicca, vel humida, aut cum duritie aut scabritie imbuta est; à qua sanatio ulceris præpeditur. Excellens ulceris & partis caliditas, ulcus phlegmonosum, Frigiditas ut plurimum* Oedematosum, *siccitas scyrrhosum, Humiditas sordidum vel saniosum, nisi naturæ succurratur, efficit; & calor quidem atque frigiditas extensa in ulcere dolorem excitant; sicca autem duritiem: quorum Symptomatum removendi rationem paulo post suis in locis ostendemus.* Intemperiei effectus. *Hoc loco satis erit excellentium qualitatum emendationis alterationisque rationem ostendisse.* Intemperiei dignotio. *Dignoscitur vero excellens aliqua ulceris qualitas, & visu & tactu, & laborantis sensu; caliditas enim fervoris sensum infert, & caro cutisque in ulcere rubedinem præ se fert, frigiditas vero excellens ad tactum frigidi sentitur, & alba colore conspicitur. Omnis autem intemperies sua contraria qualitate, caliditas frigiditate, frigiditas caliditate, siccitas humiditate, humiditas siccitate, corrigi debet.*

Curatio calidæ intemperiei. Si itaque calida *intemperies vel inflammatio ulceri est copulata, & corpus sit plethoricum, venæ sectione præmissa, & refrigerante victus ratione imperata, ulceri totique parti inflammatæ ea imponantur Topica quæ supra in curatione phlegmones, & in curatione ulceris cum dolore à nobis sunt proposita, quale est Epith. ex Ol. Rosa. & succ. plantag. commixta. Imponenda autem ea sunt eo usque, donec caro ulceri subjecta* ἰδιοκρασίαν *nativamque temperiem recipiat. Extincta præternaturali qualitate ulceris curetur ulcus, & ad cicatricem deducatur aut Empl. Gryss. sive de lap. calam. aut Empl. de vernice pictorum.*

Frigidæ. At si frigida *intemperies ulcus ipsum infestet, quod ex frigiditate ad tactum, & ex albedine cutis carnisque ulceri adjacentis dignoscere licebit, moderatè calidis remediis est corrigenda; affectaque pars ad temperiem nativam reducenda. Post ordinatam itaque calefacientem victus rationem, ulcus si aut pinguia, aut acria remedia tolerare nequeat, ut plærumque non fert, locus affectus, vel ulcus ipsum Ceroto simpl. contegatur, & affecta pars vino generoso calefacto foveatur, & in-*

star

ſtar Epith. linteolis imponatur, in quo incoqui utiliſſ. poſſunt flo. Chamæ. & Anethi & fol. Agrimo. Aut inungatur affecta pars Ol. Cham. aut Ung. Dialth. cum gummat. aut Balſamo vulnerario, cujus conficiendi rationem ſuo loco deſcripturi ſumus, ac reſtituta tandem nativa temperie ulcus ipſum perſanetur Empl. aureo Meſu. aut Empl. de Ærug. paulo ante deſcripto.

Sicca. Sicca intemperies *ulceris complicata dignoſcitur ex carnis cutiſque adjacentis ſqualore & ariditate, ſiccitas itaque in ulcere humectantibus corrigenda eſt, in quibus non poſtremum locum obtinet fotus, & multa perfuſio aquæ moderatè calidæ. Talis autem fotus ac perfuſionis terminus eſſe debet, ubi locus circa ulcus rubeſcere, & attolli incipit, tunc enim ſtatim à fotu eſt ceſſandum, aut applicetur Epithe. ex decocto Mal. & Alth. confect. aut ex cremo. ptiſ. vel Avenæ linteoliſque excepto; Cavendum autem eſt in humectatione, ne modus excedatur, & putrefactio ex nimia humefactione ſubſequatur; Remota ſiccitate ulcus facile perſanari poteſt Empl. vel aureo Meſ. vel de vernice.*

Humida. Humidiore exiſtente *temperie carnis in ulcere, paulo validiora ſiccantia pharmaca ulceri ſunt imponenda; hoc autem loco per humidam intemperiem non humores affluentes, de quibus paulo poſt in ſequentibus diſſeremus, nec ſaniei aut ſordium redundantiam intelligimus, ſed talem humiditatem ubi caro in ulcere madidior, laxior, mollior, & flaccidior exiſtat; quemadmodum chordæ in fidibus etiamſi non madeant, tamen ab humiditate aëris ambientis, flaccidiores redduntur;*

Qualis humida intemperies hic intelligatur. *Talis mador ulceris exiccantibus lotionibus pulveribus inſperſis & Empl. ad nativam temperiem reducendus erit. Prodeſt itaque ut ulcus madidum flaccidumque ſubinde eluatur vino auſtero calefacto, in quo Veronica herba, aut Agrimon. aut Rad. Aſclep. ſeu vincetox. & parum Alum. ſunt incocta; Sic & conjugatæ intemperies per ſua contraria, inter ſe mixta, revellendæ ac tollendæ erunt, ac poſt ablutionem inſpergatur tenuiſſ. pulvis Coral. albi aduſti, aut terræ candidæ, quam vulgus cretam vocat; aut Aloë. Epat. ac tandem ſublata flacciditate carnis in ulcere Empl. aut Bruten. aut uno ex tribus paulo ante deſcriptis, quod omnium aptiſſimum & ulceri convenientiſſimum videbitur; ulcus perſanetur ac conſolidetur.*

Vlcus cum affluxu alicujus vitioſi humoris, quid, quæ humoris ſpeciei ſigna, & qua ratione curandum?

De ulcere cum fluxione. Ἕλκος ῥευματικὸν, ein flieſſender Schade/ *eſt tale ulcus ad quod aut ex Epate, aut Liene, aut cerebro, aut ex toto corpore præſertim κακοχυμικοῦ humor impurus ſanationem impediens confluit; Id autem hoc loco notandum eſt, nos non diſſerere de ulcere ſanioſo ad quod ἰχῶρες profluunt, aut ſordida humiditas colligitur; ſed de eo duntaxat ad quod vitioſi in corpore redundantes humores continuè adfluunt. Humoris autem ad ulcus fluentis ſpecies dignoſcenda eſt aut ex totius corporis conſtitutione & colore, aut ex imbecillitate viſcerum.* De qua fluxione hic agatur.

Prognoſtica. Prognoſticum ſignum in ulcere cum adfluxione; *id ſtudioſè obſervandum eſt, ulcus ῥευματικὸν curari non poſſe niſi adfluens humor ex corpore & viſceribus expurgetur exicceturque. Nam etiamſi remediis tale ulcus perſanetur & conglutinetur, proceſſu tamen temporis, & paulo poſt aut denuo diſrumpitur ulcus, aut regurgitans vitioſus humor in viſcera & principales partes, ægro certiſſimum interitum adfert. Ideo ubi fluens ulcus diuturnum in ſenibus, vel ſua ſponte, vel remediis conſolidetur, paulo poſt exitium parit.*

Curatio. CVRATIO *conſiſtit in crebra humoris adfluentis è corpore evacuatione & exiccatione, quibus autem remediis quælibet vitioſi humoris ſpecies ſit evacuanda, ſupra in tabulis remed. purgantium propoſuimus. Poſt evacuationem humoris vitioſi reliquiæ nullo magis ſalutari remedio purificari & exiccari poſſunt, quam uſurpatione decocti Rad. Chinæ vel ſarmenti Indici, cujus decocti præparandi, & utendi*

China & ſarzaparilla.

utendi rationem supra in curatione Morbi Gallici, & in peculiari libello luculenter proposuimus; Exiccata adfluente in ulcere colluvie, facilis sanatio, & consolidatio in ulcere subsequitur, si ulceri adhuc nonnihil madenti inspergatur tenuiss. pul. vel fol. Aristo. long. vel crocus Martis, cujus parandi rationem paulo post tradituri sumus, & imposito ulceri communi Empl. aut Brutenico, aut de Lapid. Calam. aut Aureo Mes. aut quod ulceri maxime conducere videbitur.

Vlcus cum tumore partis affectæ quid, & qua ratione curandum?

De ulcere cum tumore.

Vlcus aposthematicum est tale cum quo adjacentes partes vel phlegmone, vel erysipelate, vel œdemate, vel scyrrho duritieque infestantur, & tales quidem cum ulcere tumores excitantur ex adfluxu alicujus vitiosi humoris: phlegmone quidem ex impuro & accenso sanguine; Erysipelas ex biliosa colluvie: Oedema ex pituitoso; scyrrhus ex Melancholico sanguine. Quomodo autem singula Tumorum genera dignoscantur, & quibus remediis curanda sint, paulo ante in tumorum *tractatione declaravimus, unde & remedia & curandi methodus peti, & ad ulceris humores accommodari debent, ac possunt; hoc enim loco ea repetere nimis foret tædiosum: inter curationem autem tumorum simul & curatio ulceris est adhibenda. Sublato itaque convenientibus præsidiis tumore, ulcus ipsum facile curari potest remediis paulo ante descriptis; Empl. Bruten. E. Lapid. calam. Empl. de Ærug. de vernice, vel quod naturæ ulceris omnium videbitur commodiss. In specie autem ulcus Oedematosum, quod ex collectione pituitosæ colluviei excitatur, & quidem in tibiis sub genu, cum uno aut pluribus perforationibus, quod* ein Bruch oder ein ölschen kel *dicitur, talis Curatio est instituenda:*

Curatio Oedematosi tumoris in tibiis.

Post humoris pituitosi crebram evacuationem exulcerata & tumida Tibia subinde fomentetur vapore calido & sudorem proliciente vini, in quo decoctæ sunt rad. Asclep. Sanicula herba & flor. sambuc. & Chamemeli ana M. ij. Fimi aut stercor. columbi. & Gallin. ana M.j. Fomentatio vero debet fieri mane ac vesperi; Post fomentationem ad tumorem auferendum tibiæ tumenti circumquaque sequens Catapl. imponatur. ℞. Flor. Tapsi Hyperie. ana M. ij. Flor. Sambuci M. iij. simul contrita coquantur in vini & aceti p. æ. & fortiter expressa & contusa quàm ferre potest æger calidissima, tumenti tibiæ imponantur: sublato tumore, ulceri imponatur mundificationis causa cum liniciniis aut Vng. Apostol. aut Ægyp. aut inspergatur crocus Martis, & mundificatis ulceribus applicetur. Empl. aut de Ærug. aut de vernice pictorum, quibus ulcus consolidetur, & ad cicatricem deducatur. His si potio ex Rad. Chin. addatur, ejusque decocto ulcus indies abluatur, brevi pro voto felix sanatio consequetur.

China.

Vlcus cum labiorum duritie quid, quæ ejus causæ, & quomodo curandum?

De ulcere cum labiorum duritie.

Σκίῤῥωμα τῶν χείλεων ἕλκους, *Durities labiorum in ulcere,* ein harter randt in den offenen Schaden / *est ubi caro & cutis circum ulcus exaruit, squallidoque colore, nigro, vel livido, infecta est, consolidationem remorans; Talis ariditas in circumferentia ulceris contingit, ex adfluxu & impactione feculenti sanguinis;*

Curatio.

admiratione dignum est sapientissimi Hippocratis in curatione labiorum duriorum ulceribus, spongiam siccam, & desiccantia pharmaca imponenda esse præcipere, cum durities siccitatis sit soboles, & ad curationem sui moderatam humectationem postulet; nisi forsan verba sua de remediis causticis duritiemque exedentibus intelligi velit. Ego vero in curatione duritiei labiorum ulceris, initio humectantia, qualia sunt aq. cal. spongia excepta, & subinde ulceri applicata, aut cremor pulsque avenaceus, aut decoctum Cham. Mal. Alth. & sem. Lini, imponenda & emollienda esse consulerem, ac tandem si cutis arefactæ color vel subniger, vel lividus conspiceretur, malignum sanguinem vel per scarificationem cucurbitularumque appositionem, si loci situs admitteret, aut hirudinibus applicatis subtrahendum

Humectantia & emollientia.

Chimici utuntur Ol. ping. taxi, Galbaneto. Ol. adip. human.

bendum suaderem, ac si ea ratione nec durities emolliretur, nec pravus color remitteret, juxta sententiam Galeni, callum omnem & induratas labiorum circumferentias usque ad sanam carnem excidere juberem, aut violento caustico remedio ulceri imposito duras ulceris partes auferendas censerem, in quem usum præstantiss. sunt Troch. de calce viva, quorum præparatio ita habet: ℞ calc. vivæ ℥. ij. redigantur in tenuiss. pul. & cum q. s. Mellis in Troch. conformentur, ac in furno calido exiccentur, ac ubi necessitas expostulat, cum aq. rosa. aut plantag. in qua nonnihil Mercurii subl. sit solutum, resolvantur, & labiis induratis illinantur; sed in ejusmodi curatione adjacentes ulceri partes, ne inflammatione infestentur, oblinendæ, & muniendæ erunt Linimento ex ol. rosa. & bolo germa. simul commixtis confecto. Remota duritie & sublatis crustis ex ulc. aliorum ulcerum more remediis moderatè exiccantibus, mundificantibus, & carnem generantibus, & Empl. ad cicatricem deducatur. Ejusmodi autem remedia esse diximus Empl. de Lith. & de lap. Calam. & de Ærug. Quia vero jam crebro Empl. de Lith. & lap. calam. facta est mentio, & deinceps eorum crebra fiet usurpatio, eorum præparandi rationem brevissimè subjiciam.

Scarificatio & hirudo.

Calli præcisio aut exustio. Caustica.

Reliqua ulceris curatio.

Empl. de Litharg. *quod &* Brutenicum *dicitur, in hunc modum habet: ℞ Litharg. tenuiss. pulv. ℔. j. aceti vini ℥ viij. ol. vet. ℔. ij: quæ simul commixta ad lentum ignem perpetuò agitando leniter concoquantur, donec justam crassitiem consequatur, & digitis contrectatum non adhæreat.*

Emplastrum de Lithargiro seu Brutenicum.

Empl. de Lap. cala. *quod &* Griseum *dicitur, sic concinnari potest: ℞ lap. cala. ℥. j. Lithar. ℥. ij. cerusæ ℥. s Tutiæ ʒ. v. Thur. masc. ʒ. vj. Masti. ʒ. iij. Myrr. ʒ. ij. Camph. ʒ. j. s. ceræ albæ ℥. j. s. sevi cervini ℥. ij. tereb. ʒ. vj. cera & Tereb. & sevum cervinum ad ignem lentum liquefiant, & liquefactis reliqua omnia tenuissimè pulverisatis admisceantur, quod in frig. aquam injectum manibus diu multumque subigatur, & in formam Empl. reducatur.*

De lapide calaminari seu Griseo.

Vlcus cum contusione carnis subjectæ ulceri quid, & quomodo curandum?

Ulcus ex contusione vel contritione carnis in aliqua parte, ein offener Schade vom stossen oder zerknirschung deß Fleisches. *Nisi in ulcere ex contusione caro contusa, & cruor suffusus per putrefactionem in pus convertatur, ulcus persanari nequit; quamprimum itaque contusio seu contritio carnis in aliqua particula intumescit, & ulcerationem minatur, statim loco affecto remedia suppurantia & putrefacientia, quæ temperamento calida & humida esse debent, sunt imponenda; qualia remediorum genera supra in tabulis remed. Chirurg. & in curatione tumorum passim suprà à nobis proposita. Et primum itaque contusus locus aq. vel spongiâ diu multumque foveatur; deinde sequentia Catapl. imponantur: ℞ far. hord. ℥. iiij. aq. q. s. quæ subacta concoquantur in pultis formam, ac deinde Ol. Cham. q. s. admisc. fiat Catapl. & singulis diebus bis calide imponatur. Aut ℞ Medul. pan. tritic. q. s. quæ subacta concoquantur in pultis formam, & deinde Ol. Chamæ. q. s. admisc. fiat Catapl & singulis diebus bis calidum imponatur. Aut ℞ Medull. pan. tritic. q. s. & in ferventi aq. in qua rad. Alth. & Malv. sunt incoctæ, maceretur & exprimatur, cui admisc. Ol. Chamom. q. s. fiat Catapl. Aut ℞ herb. Malv. viola. ana M. j. Rad. Alth. ℔. s: concisa coquantur in jure carnium bovillarum sine sale, ad mollitiem, quæ expressa conterantur in mortario, & per cribrum instar pultis excernantur; cui admisc. far. hord. ℥. ij. Ol. Chamæ. & Buty. sine sale ana ℥. j. s. vitell. ovo. No. ij. fiat Catapl. Hisce remediis contusa carne in pus conversa, mundificetur ulcus; aut Ung. Apost. aut Ægypt. linimentis excepto, & ulceri imposito. Deinde exiccetur insperso pulv. croci Martis, & nova caro producatur per sarcotica remedia, & ulcus ad cicatricem deducatur Empl. de Lithar. aut de vernice pictorum imposito.*

De ulcere cum contusione.

Curatio.

Suppurantia.

Chimici utuntur Emplast. stipt. Crolli, ex Meliloto Paracelsi.

Reliqua curatio.

Vlcus

Vlcus cum carnis ſuperfluæ excreſcentia quid, quæ cauſæ, & quomodo curandum?

De ulcere cum Hyperſarcoſi.

ὑπερσάρκωσις ἐν τῷ ἕλκει, Immoderata excreſcentia carnis in ulcere, Wild Fleiſch in dem offenen Schaden / *eſt tale ulcus, in quo caro luxurians & ſupra modum excreſcens, conſolidationem impedit, & ſæpè niſi tempeſtivè removeatur, deformem eminentiam & veſtigium extuberantis carnis, poſt inductam cicatricem relinquit; luxurians autem ejuſmodi caro in ulcere producitur aut ob largiorem affluxum inculpati ſanguinis, aut ob ſarcoticorum remediorum validiorum attractionem, præſertim in parum bene emundatis ulceribus; ſtatim itaque ubi vel in ulcere, vel vulnere caro extuberans conſpiciatur, remediis moderatè cauſticis & erodentibus caro luxurians liquefiat, & abſumatur, antequam ulcus ad cicatricem deveniat. Exedunt autem carnem ſuperfluam Ung. Ægypt. aut Apoſt. cum liniciis exceptum & impoſ. aut ablutione cum Muria, aut alum. uſti, quibus ſi domari eradicarique luxurians caro nequeat, præſtat ipſam auro candenti, ſi æger tolerare velit, inurere. Obſervandum autem in cauſticorum remediorum impoſitione, ne eorum uſurpatione adjacentes partes inflammentur, doloresque excitentur, ideò adjacentes partes ante impoſitionem Cauſticorum utiliſſime iunguntur Ung. ex ceruſa, aut ung. ex bolo vulgato cum Ol. Roſa. temperato. Exſtirpata carne ſupervacanea ulcus ipſum mundificetur, & exiccetur præſcriptis remediis, impoſitoque aut Empl. de Ærug. aut de Litharg. aut alio aliquo, quod ulcus ipſum familiariter tolerare queat, conſolidetur, & ad cicatricem deducatur.*

Cauſæ hyperſarcoſis.

Curatio.

Cauſtica. Chimicis in uſu eſt Mercur. ſublimatus & Ol. ejuſdem, Ol. Vitr. Auripigment. Antimo. Nitri, ſalis, ſulphuris, ſpir. ſaponis, calcis.

Vlcus varicoſum quid, & qua ratione curandum?

DeUlcere varicoſo.

ἕλκος μετὰ κιρσοῦ, ulcus cum varice copulatum, ein offener ſchade daß in de adèren geſwullen herauß ſtehet. *Varices, κιρσοί, ſunt venæ dilatatæ impuro melancholico ſanguine refertæ, extra cutem, præſertim in cruribus, protuberantes, inde ulcus varicoſum nominatur, in quo venæ ſanguine turgidæ extuberant, ex quibus ſemper tenuior & aquoſior ſanguinis pars in ipſum ulcus perſudat, ulcerisque curationem remoratur; in quocumque ulcere ejusmodi tumida vena conſpicitur, niſi maturè exſcindatur, ulceris ſanatio ſequi minimè poteſt: in curatione itaque varicoſi ulceris neceſſum eſt ut ipſum ulcus juxta extuberantem venam, ablutaque parte novaculâ ſimplici inciſione incidatur, & venæ turgentis utraque pars à carne connexa ſcalpello artificioſè liberetur, & hamo obtuſo, vel volſella inſtrumento ſurſum ex ulcere trahatur, & binis funiculis ex ſerico filo contextis ſubligetur, atque ex intercepta vinculis parte ſcalpello inciſa ſanguis ſubtrahatur; atque tota tandem pars inter utrumque vinculum, quod ulceri incumbebat, exſcindatur, ac poſtea ulcus ipſum vino tepido, cui Ol. Hyperi. eſt commixtum, à ſanguine & omni impuritate eluatur, & ſpongia molli abſtergatur, & convenientibus Empl. conſolidetur. At vero ubi venæ pars ex ulcere extuberans, propter ægri impatientiam præcidi nequeat, tum ulceri ſuppurantia & putrefacientia remedia, qualia inter Chirurgic. pharm. & paulo ante in ulcerum ex contuſione carnis curatione præſcripſimus, imponantur, donec ſubligata illa pars venæ una cum funiculis putrefacta ſpontè procidat, id quod per dies aliquot fieri conſuevit; quo peracto tandem ulcus mundificetur Unguento Ægyptiaco, & ſarcoticis remediis Emplaſtrisque, aut de Litharg. aut de Ærugi. aut de vernice, aut quod ulceri accommodatiſſimum eſſe videbitur, conſolidetur, & ad cicatricem deducatur.*

Varices quid.

Curatio varicis.

Vlcus denuo disruptum quid, quæ disruptionis cauſæ, & quomodo curandum?

Ἕλκος ἐξ ὑπαρχῆς ῥαγέν, ulcus renovatum, aut denuo disruptum, ein alter Schade von new auffgebrochen / *eſt ulcus quod antea*

De ulcere denuo disrupto.

antea persanatum, & ad cicatricem deductum, processu temporis, sine ulla evidenti causa, iterum disruptum & excoriatum est. Duæ sunt potissimum causæ renovationis persanatorum ulcerum; una est, alicujus vitiosi ac virulenti humoris irruptio & collectio in locum affectum, & ulceris in priori curatione à virulentis humoribus parum bona & sufficiens mundificatio. Quibus autem remediis virulenti humores in ulcere expurgandi absorbendique sint; paulo pòst in virulentorum curatione docebimus. Secunda causa denuo disrupti ulceris, est ossis ulceris subjecti corruptio, & in cariem conversio. Quemadmodum enim in vulnere, si ossis particula à suo toto disrupta, & resoluta, etiam minutissima contineatur, eo usque remoratur vulneris consolidatio, donec ossiculum vulneri inhærens, vel à natura protrudatur, vel arte eximatur. Ita in ulcere, si os, ulceri subjectum, sit corruptum, aut cariosum effectum, ejus curationem remoratur; vel etiam si ad tempus cicatricem admisit, & cute sit contectum; paulo tamen post denuo disrumpitur, ulcusque renovatur. In ejusmodi itaque ulceribus persanandis prima cura esse debet ossis corrupti remotis, quo sublato ulcus ipsum præscriptis remediis facilem consequitur sanationem. Ex quibus autem causis os in ulcere corrumpatur, cariosumque efficiatur, & qua ratione removeri, ulcusque curari debeat, nunc breviter declarabitur.

Duæ causæ cur ulcera recrudescant.

Curatio.

Os ulceri subjectum quibus ex causis corrumpitur, quibus notis deprehenditur, & qua ratione & os corruptum & ulcus inde renovatum curari debet?

De Ossis corruptione in ulcere.

Corruptio ossis in ulcere, verolmung oder verbrennung der Knaken in dem offenen schaden. Est autem ossis corruptio, ubi ossis, cui ulcus incumbit, pori, h. e. exilia foramina fœda & virulenta colluvie, maxime in malignis & diuturnis ulceribus, infarciuntur & imbuuntur, quæ sua maligna & venenata qualitate os ipsum instar cariei in lignis exedunt & resolvunt atque exuunt. Tale enim corruptum os suo tandem virulento madore; quem subinde in carnem incumbentem persudat, ac profundit, carnem ipsam inficit, & cutem ulceri obductam exedit & disrumpit. Porro ossis corrupti in profundis ulceribus constitutio non prius dignosci potest, quam ubi ulcus per artificiosam incisionem dilatetur, & ab incumbente carne denudetur; vel ubi ulcus amplum sit, & os ipsum visui conspicuum, tum hæc signa ossis corrupti se offerunt, ossis nigrities & pinguedo apparet quasi oleo esset oblinita, item mollities ac caries, ita ut quovis acuto instrumento tanquam creta facilimè abradi & in pulverem redigi queat. In curatione ulceris, cui os corruptum, & cariosum subjacet, omnium primum quicquid in osse corrupto & carioso conspicitur, id omne à carne & adjacentibus partibus artis industriâ liberandum & denudandam erit, moxque adaptato ferreo instrumento, omnis putredo & caries usque ad duras albasque ossis partes deradenda erit, vel donec sanguinolenta quædam rubedo in abraso osse appareat, & ita tandem ut omnis virulentus humor ossi imbutus radicitus absorbeatur, ad ulceris amplitudinem ferrum foramine amplo pervium corrupto ossi imponatur; quod ulceris labia invicem distendere, & undique vallare queat; carnemque adjacentem ab ustione communire, in cujus foramen aliud ferrum densum, & ad amplitudinem ossis corrupti adaptatum candens imponatur, ossique ipsi semel atque iterum imprimatur, osque corruptum inuratur; ita enim omnis virulentus humor ex osse à candenti ferro absorbetur. At ubi ossis vitium & caries altius in os penetret, quam ut abradi queat, ferreo terebello perforando usque ad sanum & durum os, corrupti ossis altitudo exploretur, & ipsum vitiatum os multis foraminibus terebello perforetur, & quasi excavetur, ac demum candenti ferro eum suo ferreo vallatorio inuratur; si verò totum & integrum os, cui ulcus incumbit, jam Sphacelum patitur, non antea est speranda ulceris sanatio, donec illud totum os corruptum sit præcisum exemptumque. Sunt tamen

ἀλλοίωσις ὀστέου ἐν τῷ ἕλκει.

Dignotio ossis corrupti.

Curatio per Chirurgiam.

tamen qui corruptum os exstirpare conentur remediis; quæ sane mihi videntur imbecilliora esse, quam ut aliquid stabilis sanationis ulceri adferre queant, (nisi fortè in superficiali ossis corruptione) eorum nos hoc loco pauca recitabimus:

Curatio per medicamenta. Chimicis præter Oleum Vitrioli lapis corrosivus aq. inferorum, seu spiritus vini Mercur. sublimat. mistus in usu est. Oleum vitrioli ossa reddit friabilia. Osse corrupto remoto quid faciendum. Emplastrum Avicennæ ad ulcera ex ossis corruptione.

℞. *Pul. sem. Hysch. Atramenti Sutorii, Pul. Peuceda. ana æ. p. commixta ulceri, & ossi corrupto imponantur. Ego efficacius remedium esse judico Ol. Vitr. ossi corrupto & carioso eo usque illitum, donec os corruptum exedatur, & album durumque appareat, & tum quidem ab illinitione olei statim est abstinendum; quod non modo corruptum, sed & sanum os resolvit, & instar calcis friabile efficit; ideò parum benè consulunt qui Ol. Vitr. crebrius dentibus illinire docent. Etsi enim eos candidissimos efficiat, tamen crebrior usus eos calcinat, & friabiles reddit. Osse corrupto in ulcere remoto, & per candens ferrum inusto & exiccato, ossis cavitati per triduum Ol. Rosa. & albu. ovi simul concussa infundantur, ac iterum sequentibus tribus diebus Ol. Rosa cum luteo ovi commixtum eidem imponatur, ac postea Linimento ex buty. rec. & melle rosa. contemperatis irrigetur & illinatur. His probè peractis securè tandem ad curationem ulceris animus convertitur, mundificando, carnem bonam generando, ulcus conglutinando, & cicatricem inducendo, remediis jam toties commemoratis ad sanitatem perfectam facilè deduci potest. Hoc loco satis erit Empl. Avicennæ ad ulcera ex ossis corruptione excitata adjecisse, quod is mirabile Empl. nominat, cujus formula sic habet:* ℞. *Aristol. long. Ireos, Myrrhæ, Aloes, Oppopo. Thuris, Terræ ex fornacibus pistorum, scoriæ æris, cortic. pini, vel earum loco nucum pini ana* ℥. *ij. Tenuissimè pulverisata subigantur cum q. s. mellis; fiat Empl. vel imponatur Empl. de Ærug. vel de vernice pictorum.*

De ulcere verminoso.

Vlcus verminosum quid, quæ causæ generationis vermium in ulcere, & quomodo vermes extirpandi, ulcusque curandum?

Ἕλκος σκωληκῶδες, ein offener schade darinne Würme gewachsen sein / *est ulcus in quo vermiculi, similes iis qui in carne putrefacta generantur, scatent, & curationem ulceris impediunt.*

Causæ generationis vermium.

CAUSÆ generationis vermiculorum sunt humores crassi & putridi in loco calido conclusi; sic pediculi in poris cutis ex sorde; sic Sirones vocata animalcula sub cuticula, die Suren / *sic Lumbrici in intestinis; & ita omnis generis vermes in cœnosis & humidis locis pronascuntur, teste Aristotele; De putrido vero ulcere ejusque causis, & curatione, paulo post in malignorum ulcerum tractatione, fusius differemus. Satis hoc loco fuerit vermium ulceribus exterminationem duntaxat per convenientia remedia indicasse: ubi itaque in ulcere aliquo vermes scatere conspiciuntur, excrementitium humorem corruptum & putrefactum, eo in ulcere redundare statuendum est; qui in curatione vermiculorum, tanquam eorum materia, omnium primum abstergendus & evacuandus erit.*

Cura ulceris verminosi. Quæ vermes interficiunt & educunt.

Absterso ulcere instillanda sunt remedia quæ vermiculos interimere & ex ulc. protrahere queant; inter quæ non modo vermes interficiunt, verum & putrefactam colluviem abstergunt & emundant, succ. & decocta Centau. Min. Absinth. Eupat. sive Agrimo. Marrubii & Sabinæ, si hæc vel singula vel simul mixta ulceri infundantur, subindeque instillentur, & cum iis abluatur.

Chimici commendant lapi. medicamentosum Crollii, spirit. mellis & salis spir. vini cum Ægyptiaco, balf. salis, sulphur. Rulandi, sacch. Saturni.

Efficaciora tamen hæc efficientur, si decocto aut succo nonnihil Ol. Vitr. admisc. & Empl. aliquod attractivum, quale est de Lithargir. aut simile imponatur. Exstirpatis vermibus ulcus ipsum, ut jam in putridorum ulcerum curatione docebimus, persanari potest.

De ulceribus Malignis & curatu difficilibus.

De ulceribus malignis & curatu difficilibus.

Malignorum ulcerum nomenclaturæ, causæ generales, & differentiæ, sive species, atque curatio generalis quæ?

Malignorum ulcerum appellationes.

Omnia maligna *ulcera curatu sunt difficilia,*

cilia, & omnia quæ difficulter curationem recipiunt, inter maligna referri debent. Maligna verò ulcera generali vocabulo Græcis κακοήθη & δυσεπούλωτα, i. e. difficulter cicatricem admittentia nominantur. Ne autem varietate synonymorum, quæ malignis ulceribus cum à Græcis tum à Latinis attribuuntur, animi Chirurgiæ studiosorum distrahantur, ea hoc loco breviter enumerabo. Vlcera κακοήθη nominantur & ulcera ferocia, rebellia, dolosa & curatu difficilia, ac ubi ad summam malignitatem pervenerunt, & vel rarò, vel nunquam humanâ industriâ curari possunt, nominantur ulcera Chironia & Telephia.

Causa eorundem.

Porrò malignorum *ulcerum generales causæ sunt aut sordidi, aut virulenti, acresque & erodentes humores, vel ex toto corpore cacochymico, vel ex viscere vitiato, cerebro, Iecinore, Liene, matrice, & ad locum sive particulam aliquam defluentes & collecti; non obstante quod* Paracelsus *hanc veram opinionem derideat, & alia quadam salsamenta fingat* ulcerum *causas esse, & ridiculam quæstionem contra nostram opinionem opponat, inquiens; Si vitiosi humores ex Epate aut Liene profluentes sint causæ ulcerum, cur ipsi humores non potius in Iecinore aut Liene, quam in pedibus aut aliis externis partibus ulcus ipsum effodiunt? quam ridiculam quæstionem ut responsione indignam, pueris solvendam committimus.* Item *est quoque ulcerum causa imbecillitas ac vitiosa constitutio affectæ partis, vel pars aliqua venenata qualitate imbuta. Augent autem malignitatem humorum, & remorantur sanationem ulceris, ut in superioribus diximus, prava illa symptomata cum ulcere copulata, ut est dolor, inflammatio labiorum, ulcerum callositas, ac durities, rotunditasque, varix, os corruptum in ulcere, totius corporis plethora & cacochymia; de quorum symptomatum sublatione paulò ante tradidimus.*

Differentia.

Differentias autem sive species ulcerum malignorum, ut perspicuitati serviamus, nos in tria genera cum suis speciebus distribuemus; videlicet in ulcus simpliciter malignum, putridum sordidum, & in ulcus profundum; cujus species sunt ulcera fistulosa & cuniculosa 3. in ulcus virulentum, cujus species sunt ulcera depascentia, exedentia, & Cancrosa; quarum specierum curationem sigillatim in sequentibus tradituri sumus: nunc generalem curationem subjungere satis esse arbitramur.

Curatio generalis & universalis.

In generali curatione omnium malignorum Vlcerum initio diligenter consideranda sunt causæ singulorum malignorum ulcerum, & si quæ sunt copulata symptomata, statimque victus ratio causis ulcerum contraria instituenda, ac medicatio tali methodo molienda: Si corpus ægri sit phletoricum, per venæ sectionem; si cacochymicon, per convenientia humoribus vitiosis remedia evacuandum, præmissis vitiosorum humorum concoctionibus, & extenuationibus. Si verò defluxio ad ulcera maligna ex uno duntaxat viscere imbecilli incumbat, illud ipsum Viscus obstructum quidem aperire, & colluvie humorum gravatum abstergere ac corroborare oportet; per quæ autem remediorum genera hæc sint peragenda, in superioribus abundè demonstravimus.

Topica eorumque delectus.

Tandem si ulceri maligno *symptomata sunt connexa, ea quam primum auferenda, aut saltem mitiganda veniunt: ac ita tandem ad Topica remedia accedendum erit: Eorum autem remediorum habendus est delectus, non enim omnia remedia quibusvis ulceribus convenientia sunt; sed alia aliis magis sunt salutaria, aliis vero noxia. In genere autem omnia maligna Vlcera ad sui curationem valde exiccantia & abstergentia, omnis tamen acrimoniæ & mordicationis expertia postulant, quæ aut in forma liquoris lavamentique, aut pulveri aut Emplastris applicari possunt, ac debent. Quæ porrò Topica remedia, quibus ulceribus magis sint salutaria, id Medicus sive Chirurgus experiundo dignoscet; & ex iis ea tantum usurpabit, quæ juvant plurimum, aut saltem nullam inferunt noxam. Ex quibus autem ulcus vel sordidius, vel malignius, & quasi à Cancerosum reddi conspicitur, ea protinus removebit, abjiciet-*

que. Convenientissima autem cuilibet ulceri maligno remedia sunt, quæ, ut diximus, probè exiccant & abstergunt, carnemque bonam generant, ulceris labia contrahunt, conglutinant, & cicatricem inducunt.

Topicorum materia. Inter hæc ex simplicioribus *nobiliora habentur Pul. tenuiss. Antimon. præp. Sarco. Plumbi usti, squammæ æris, & ferri; Vocamus autem squammas, quæ ex metallis durioribus violentâ percussione sive malleatione decidunt; hæ autem præparandæ sunt prius & extinguendo candentes in aceto rosar.* Simplicia: *ejus quoque generis sunt pulvis Cort. granator. combustor. & rad. Aristo. utr. & fol. Centau. min. Veron. & Millefol. Ex quibus & decocta sive lavamenta, & pul. confici possunt, ulceribusque instillari atque inspergi. Ex remediis compositis malignis ulc. nobiliora sunt quæ nunc subjiciemus:* Composita: *in primis autem aq. stillat. sequens: ℞ Therebin. decies elotæ ℔. j. s. Vernicis pictorum ℔. j. Pul. Olibani ℥. ij. aq. Iunip. ℥. j. Commisc. subiganturque, & in vitrea cucurbita in arenam aut cinerem collocata lento igne, Chimico artificio destillentur, cujus stillatitii liquoris malignis ulc. crebrò q. s. instilletur, vel linteolis exceptus, instar Epithematis imponatur. Aut ℞ pul. nitrati pro arbitrio & in Vini q. s. resolvatur, linteolisque exceptum ulceribus* malignis *imponatur; abstergit enim & mundificat, atque consolidat ulcera maligna, curatuque difficilia, cum ratione Nitri, tum ratione Sulph. Aut in mense Majo, sudo cælo, & ante ortum Solis mundissimis linteolis* ros *matutinus colligatur in locis trifolio luxuriantibus. Sit autem roris satis magna copia, in quo decoquantur in duplici vase pul. thuris Mastich. ana in singulis* roris *libris Camph. ℈. ij. Alum. ℈. j. atque eo liquore indies bis terve abluatur, abstergatur, & linteolis excepto imbuatur ulcus malignum.*

Laudatissimum quoque habetur sequens Empl. ℞ Cadmiæ, Chrysocollæ ana ℥. ß. Ærug. ust. ʒ. j. Nucis Cupressi ʒ. ij. Ol. rosa. & Ceræ ana q. s. fiat Empl. Aut. ℞ Vitr. ʒ. j. Alum. plumosi, Calcis vivæ, malo. granat. ana ℥ s s. Thuris, Gallarum ana ℥. j. ʒ. j. Ceræ & Sevi vitulini ana q. s. Fiat s. a. Empl. Aut ℞ Plumb. usti ℥. s. Ceræ puræ ℥. j. Ol. veteris ℥. iij. Sevi. Taur. Terebinth. ana ℥. s. fiat Empl. Aut juxta Galen. ℞ ol. rosa. Ceræ novæ ana ℥. iij. Cerusæ lotæ ℥. ij. Pul. salis Ammo. ℥. j. squamæ æris præp. ℥. s. Thur. Alum. Calc. viv. Ærug. Cort. granat. Cadmiæ ana ʒ. ij. fiat Empl. Cum autem in malignis ulceribus omnibus curandis nihil magis sit necessarium purificatione sanguinis, non potest salutarius cum ad purif. tum ad persanationem ulcerum remedium excogitari, quam decoctum rad. vel Chynæ vel sarmenti Indici, si ægro indies potandum exhibeatur, sudorque excitetur. Quorum parandi & utendi rationes in superioribus præscripsimus; plura remediorum Topicorum genera in speciebus ulcerum malignorum commemorabimus. Sarza & china.

Vlcus fœtidum quid, & quæ ejus species?

Ἕλκος δυσῶδες, *graveolens*, ein stinckender Wöster / offener fauler schade / *est in quo sordida excrementa per negligentiam computruerunt, & putrefacta sua venenata qualitate, ambientem quoque carnem putrescere coëgerunt; quæ ulcera tetrum exhalant odorem. Fœtidi ulceris duæ sunt species,* sordidum, *&* putridum; *Cum verò omne ulcus sordidum neglectum degeneret in putridum, & utrumque ex iisdem proveniat causis, eandemque subordinatam habeat curandi rationem, nobis utriusque curationem conjungere placuit.* De ulcere fœtido. Fœtidi ulceris duæ species.

Vlcus sordidum & putridum quid; quæ putrefactionis ulceris causæ, & quæ utriusque curandi ratio?

Ἕλκος ῥυπαρὸν καὶ σαπρὸν, *est ubi ulcus* sordido *excremento imbutum & infarctum, diutiusque neglectum est: tumque primum ipsæ sordes putrescunt, & ulceri circumpositas carnes secum putrefaciunt, ac tandem qualitas putrescens latius serpens, nisi tempestivè succurratur, totam partem affectam in Gangrænam, tandemque in Sphacelum conjicit.* De ulcere sordido & putrido.

Sordidum ulcus quid. Sordes quid.

conjicit. Sordidum *itaque ulcus in specie dicitur cavitas sorde, h. e. crasso, tenaci & fœdo excremento infarcta. Est enim sordes, ut in superioribus adnotavimus, nutrientis humoris in assimilatione in crassam & lentam tenacem, adeoque fœdam materiam in partibus exulceratis conversio, quæ colore nonnunquam tetro, livido aut nigro conspicitur; ejusmodi in ulceribus sordes si tempestivè non eluatur, abstergaturque, processu temporis venenatam concipit qualitatem, & suo contactu carnem propinquam unà putrefacit, & rursum Caro putrefacta propinquam, donec tota pars corrumpatur & emoriatur; veluti enim pomum putrescens suo contactu propinqua poma inficit ac putrefacit; ita putrida pars corporis semper propè adjacentes partes per consecutionem putrefacit & mortificat.*

Putridum Ulcus quid.

Est itaque putridum *ulcus in quo non tantum excrementa sordida, sed & caro partis affectæ putrescere & emori incipit, atque in Gangrænam & cadaver terminatur.*

Causæ putrefactionis.

Causæ *putrefactionis in ulceribus est* 1. *sordium crassities & ad putrefactionem aptitudo.* 2. *Loci sive cavitatis ulceris humiditas, cum imbecilli caliditate; carnis autem exulceratæ putrefactionis causæ sunt contactus sordium putridarum & venenata qualitate imbutarum.* 3. *Obstructio arteriarum in partibus affectis per crassitiem sordium, quæ spiritus & calorem innatum, ne ad partes exulceratas profluere queant, intercipit. Intercepto enim vel extincto nativo calore, in aliqua substantia partis; necessariò subsequitur ejusdem partis corruptio, putrefactio & mortificatio.*

Sordidi ulceris curatio.

Curatio *itaque sordidi ulceris nondum putrefacti magna ex parte consistit in sordium remotione, & accurata detersione: Quamprimum itaque sordes in aliquo ulcere comparuerit, statim diligenter abstergi & emundari debet. Quibus autem remediis detersoriis sordidum ulcus emundandum sit, jam antea non semel in superioribus tradidimus; ex quibus hoc loco probatiora tantum recensebimus. Initiò crebro eluatur ulcus sordidum aut aq. mar. aut salsuginosa, aut Hydrom. & decocto Veron. cujus decocti singulis libris si ℥. j. Ol. vitrioli admisc. magis abstergit & mundificat; post ablutionem illinatur ulceris sequens linimentum:* ℞. *lixiv. acerr.* ℥. *iij. Mercur. præcip.* ℥. *j. Mellis rosa.* ℥. *ij. leniter concoquantur ad Linimenti formam, aut sordido ulceri imponantur unguenta Ægypt. & Apost. lineamentis carptis excepta. Ea ratione sorde abstersa imponatur sequens Catapl.* ℞. *far. hard.* ℥. *iij. Pul. Myrrhæ* ℥. *j. s. Succ. Centau. mi. Absinth. ana* ℥. *ij. Mellis rosa. q. s. Coquantur ad succ. absumptionem, fiat Catapl.*

Quæ sordes eluunt & abstergunt.

Sed omnium præstantiss. post ulc. ablutionem sordes mundificat & expurgat, ipsumque ulcus persanat, pul. Merc. præcip. inspersus; Est autem Mercur. præcip. argentum Vivum cum aq. forti Chimicorum in calcem adustam calcinatum. Sorde probè abstersâ carnis generatio, ulceris conglutinatio & cicatricis inductio per impositionem Empl. de Ærugi. aut de Vernice, aut de Litarg. molienda est. Porro ubi jam sordes eò malignitatis pervenit ut in Vlc. non ipsa tantum sordes, sed una & circumjacens caro corrumpi & putrescere incipiat, (id quod ex fœdo ulceris colore & fœtore facilè dignosci potest,) tum ulcus putridum *nominatur; cujus curatio tali methodo instituì debet: Primum præscribatur ægro victus ratio pro natura & temperamento corporis humori in corpore redundanti adversans, probumque generans sanguinem, parca autem & tenuis; inter quæ laudabilia sunt alimenta caro pull. gall. Caro vitulina, Ovilla, Ova sorbil. & juscula ex præscriptis desumpta: potus esto aut vinum aut Hydromel.* 2. *Corpore plethorico existente ex Vena Epatica dextra sanguis detrahatur; Cacochimico verò existente corpore, redundans & vitiosus humor convenientibus remediis subducatur, quorum sylvam in superioribus tradidimus.* 3. *Præclarè facit ad universam malignorum ulcerum curationem usurpatio decocti rad. Chynæ vel sarmenti Indici, cujus & præparandi & utendi rationem supra in curatione morbi Gallici proposuimus.* 4. *His omnibus ita peractis, ad Topica sordes putri-*

Curatio ulceris putridi Universalis.

Topica.

das ex ulc. detergentia, & putrefactam carnem à sanis partibus resolventia, & exstirpantia accedendum erit. Resolvunt autem & abstergunt sordes putridas ex ulc. quæ subjiciemus remedia. Initio itaque crebro eluatur ulcus sordidum acri lixivio ex sarmento vitis confecto, aut salsugine piscium, ablutoque ulceri imponatur sequens catapl. ℞. *Carnium halecum salitorum probè contus. Scyllæ aut ejus loco Ceparum contusarum ana ℥ ij. Pul. Aristo. long. farinæ Orobi ana ℥ j. Mellis ℥ j. s. Vini austeri q. s. Concoquantur in formam pultis, fiat catapl. Reliqua detersoria remedia ex tabel. remed. Chirurg. peti possunt.*

Utile etiam in hoc affectu est Magister. Persicariæ, Essent. Lythargyrii solutio. Mercur. sublimat. cum aq. Plantag. attemperata, Mundificativ. Paracels. cum vel sine Præcipitato, Opodeldoch.

Porrò ubi jam non solum sordes in Vlc. sed & caro circumjacens computruit, tum validiora, & quæ carnem putridam à sana separare queant, qualia in Gangrenæ curatione proposuimus, applicari debent. Inter quæ celebriora adnotabimus: In putrido itaque ulcere curando, primum abluatur detergaturque fœda sordes, &, ut ex carne jam putrefacta circum ulcus omnis sanguis infectus malignusque elici & extrahi queat, applicare debemus vel Hirud. vel Cucurb. cum scarificatione, moxque per ulceris ambitum sana pars & nondum corrupta caro inungatur defensorio Linimento ex Ol. Rosa. vel Nymph. & Bolo Germa. confecto, ac tandem ut putrefacta caro sine noxa à viva separetur exstirpeturque, unum ex seq. caust. remediis quod convenientissimum videbitur corruptæ carni imponatur. ℞. *Pul. Calcis vivæ, Alum. Cort. granat. ana ℥ vj. Thur. Gallarum ana ℥ s. Tragac. ℥ j. Ol. Veteris & Ceræ q. ad excipiendum sufficiat. fiat Empl. Aut* ℞. *Vitriol ℥ j. ß. Calc. vivæ ℥ j. ʒ ij. Trag. ℥ j. ʒ j. Aceti vinacei q. s. Commisc. & in Linimenti formam reducantur, Linamentis carptis excepta putrefactis partibus imponatur; quibus si putrefactæ carnes exstirpari separarique à sanis nequeant, sed putredo virulenta latius latiusque serpat, validiora imponi debent Caustica, quæ in Gangrenæ curatione proposuimus. 3. qualia sunt Arsen. sublim. aut Mercur. sublim. vel potius sublevatum. Sublevatur autem Arsenicum arte Chym. per violentiam ignis.*

Pul. Arse. in Cucurb. vitream imposito & supra Cucurb. Galea sine rostro, quam Alembicum Cœcum *artifices vocant, in ignemque collocata; vapor enim Arsenici ascendens in galea instar fuliginis colligitur, & adhærescit, quod Arsen. sublevatum dicitur; eadem ratione & Mercurius, h. e. argentum vivum, & sulphur sublevatur præparaturque. Vtrumque autem & Mercur. & Arsen. tenuissime pulverisatum, aut cum aceto in Linimenti formam redactum, & carni putridæ impositum, emortuam carnem à viva potentissimè revellit, & funditus exstirpat, sed non sine ingenti cruciatu. Sublata carne putrida, omnique detersa sorditie, dolor in ulcere mitigari debet anodynis remediis; quæ supra in Chirurgicis remediis & curatione Tumorum proposita sunt; tandem ulcus subinde mundificetur imposito seq. Linimento:* ℞. *Mellis rosa. ℥ j. Terebinthinæ lotæ cum aq. Plantag. ℥ ij. Succi Apii, Plantag. Absinth. ana ʒ ij. lento igne resoluta coquantur ad succorum evaporationem, & percolentur, hisque admisc. far. hord. Orobi ana ʒ iij. Sarcocol. ʒ j. fiat linimentum: postremo imponantur ulceri carnem generantia simul conglutinantia, & cicatricem inducentia. qualia sunt Empl. de Litharg. de Ærug. de Vernice &c. quibus perfecte persanabitur ulcus. Verum ubi tota pars affecta computruit, nec restauratio sperari potest, tum ad extremum carnificum sævum remedium descendendum erit, & emortua pars juxta præscriptum* Poëtæ; Ense rescindenda est ne pars sincera trahatur. *Rescissa parte putrefacta, reliqua sana pars instar ulcerum, debito modo, persanetur.*

Arsenici & Mercurii Sublimatio.

Vlcus profundum quid, & quæ ejus species?

Ἕλκος βάθειον, ein tieff löchrich/ offener schade. *Profunda ulcera dicuntur in quibus sordida excrementa generata & collecta, suâ malignâ qualitate carnem ulceris altius effodiunt,*

De Ulcere profundo, seu fistuloso, & sinuoso.

fodiunt, & dilatant, & inter κακοήθη *&* δυσεπούλωτα *h. e. maligna & difficilis curationis referuntur. Duas constituunt Chirurgi profundorum ulcerum species, ulcus* fistulosum *&* sinuosum, *sive* cuniculosum; *qua quia easdem habent causas, & similem curandi rationem, nos nullam inter ea ponimus differentiam, nisi quod* fistulam *simplicem & cuniculosam, & utriusque tractationem simul conjungemus.*

De sinu & Fistula.

Fistula & Cavernosum ulcus quid est, quæ causæ, quæ differentiæ, quæ prognostica, ac qua ratione curandum?

Σύριγξ καὶ κολπώδες ἕλκος, eine fistel oder rhörlöcheriger schade. *Hæc duo, fistulosum & cuniculosum ulcus, ut diximus, non differunt, etiamsi ex alterius, videlicet fistulæ, duritie & callositate differentiam ponant; ex iisdem enim causis generantur, & iisdem remediis curari possunt. Est autem* Fistula quid? *Fistula vel fistulosum ulcus ex malignorum & non facile curationem admittentium genere, quod orificium habet angustum, constrictum, callosum, & ut plurimum rotundum. In fundo autem sese expandit atque dilatat, ex quo aut sordida, aut saniosa colluvies sine dolore emanat ac profluit.* Cuniculosum Ulcus quid? *Cuniculosum itaque ulcus à fistula non differt, nisi quod fistula unum ac profundum habet sinum; cuniculosum verò plures habet cavernulas, & ex singulis meatus ad orificium ulceris procedit.* Fistularum differentia. *Fistulosum ulcus plures habet differentias à situ & protensione Vlceris sumptas; aliud enim sub cute per transversum producitur; aliud recta introrsum in subjectam carnem effoditur, quod nonnunquam usque ad ossa vel usque ad nervos, vel usque ad ligamenta, membranas, & quandoque usque ad interna viscera penetrat. Item aliud sursum, aliud deorsum, aliud ad latera vergit.*

CAUSÆ tum simplicium, tum cuniculosarum fistularum sunt aut sordidæ, aut saniosæ colluvies, in aliqua corporis parte collectæ, vel in tumoribus non tempestivè apertis diutius retentæ, aut aperto tumore & cicatrice obducto prius, quam probè ab excrementis abstersus & expurgatus est. Itidem contingit & in vulneribus perperam & malè curatis.

Causa fistularum

SIGNA fistularum cum Simpl. tum sinuosarum manifesta sunt, videlicet ulcus angusti, & ut plurimum, rotundi orificii cum duritie sive callo, simile fistulis arundinaceis, ut Ægineta *refert, ex quo aut sordes aut sanies tetra, nunc spicea, nunc livida, nunc nigra, nunc crassa, crudaque, nunc tenuis ac serosa, rubicunda, aut alba, aut feci similis profluit. Utrum autem fistula sit simplex, aut cuniculosa, exploratione indiget; exploratur autem immisso specillo, aut immissa candelula cerea, qua facilè & sine impedimento ad cuniculos ulceris protrudi potest, & investigari ad quam partem, & ubi finiatur ulcus, & quam multas habeat cavernas; quin & ex compressione partis affectæ, partiumque ulceri circumjacentium facile deprehendi potest, ubi lateant sinus; compressa enim parte cuniculosa, statim per osculum fistulæ erumpit excrementum; qualitatem verò excrementi ex ulceris profluentis visu deprehendere possumus; crassum enim, sorditiem denotat; tenue verò saniei in ulcere hærentis est signum; quod si autem fœtidum simul sit profluens excrementum, putrefactionem ostendit.*

Signa prognostica in curatione fistularum hæc sunt observanda; Fistulosa ulcera in omnibus corporis partibus mollioribus excitari possunt, sed omnium maximè familiaria sunt partibus adenosis & articulis, ut sunt guttur, mammæ, axillæ, inguina; perniciosa & curatu difficilia sunt ulcera fistulosa, quæ externas partes perforantes usque ad viscera interna penetrant, ut thoracis fistula ad pulmones, vel ad membranas costas succingentes, vel ad Epar aut Lienem, vel quæ in ventre & iliis excitata ad intestina, & ad matricem pertingit; similiter & periculosa est in gutture excitata fistula, iis enim neque sectio, neque adustio, nec caustica remedia tutò adhiberi possunt. In senili, imbecilli & cacochymico corpore fistulosa ulcera ut plurimum incurabilia esse solent. Vlcus fistulosum sua sponte nunquam Signa fistularum prognostica.

persa-

persanatur, & nisi callus destruatur, & maligna excrementa ex ulcere penitus emundentur, frustra tentatur curatio. Pus laudabile in fistuloso ulcere generatum, ubi sine dolore profluere cœpit, ulceris conglutinationem & felicem persanationem promittit.

Curatio. *CVRATIO fistulosorum ulcerum perficitur per victus rationem, redundantis in corpore humoris evacuationem, per potiones, vitiosos humores exsiccantes, per manualem operationem, & per Topica remedia ulcerum mundificationi, conglutinationi, & cicatricis inductioni convenientia, de quibus ordine breviter disserendum nobis est.*

Victus ratio. *Victus ratio, præsertim in esculentis & poculentis, in* fistulosis *ulceribus ejusmodi instituenda erit, quæ redundanti in corpore humori quod ex habitu corporis deprehendi potest, causisque ulcerum adversetur, & contraria sit, & quæ quam purissimum generet Chylum, qualem supra in morbi Gallici curatione, & alibi passim abunde præscripsimus, & talia quidem sunt ova sorbilia, carnes pullorum, galli, perdicum, vitulorum & juscula carnium bovillarum & juscula ex ovis. In potu conducit vinum Rhenan. Hydromel & cerevisia clara perfectéque concocta; ira, Venus, mœror animi, & crapula studiosè sunt fugienda. Quod ad vitiosorum humorum evacuationem attinet, si corpus sit plethoricum, vena est secunda; si fistula sit supra diaphraghma, Epatica; si infra, vena talaris affecti lateris: sanguisque largiter detrahendus.*

Venæ sectio & purgatio. *Si vero corpus cacochimum esse deprehenditur, redundans vitiosus humor ante evacuationem præparari & extenuari debet convenientibus remediis, suprà in tabellis remediorum, singulis humoribus concoquendis dicatorum, enumeratis; ac tandem non semel tantum, sed iterum atque iterum interjectis tantum paucis diebus evacuetur. Corpore probè evacuato tandem reliquiæ vitiosorum humorum in visceribus venisque capillaribus contentæ, sequentibus potionibus per totum curationis tempus exiccentur ac purificentur; ex iis autem & colluviem in ipso ulcere exiccant, & carnem bonam generant, ulcusque ipsum conglutinant hæc sequentia:* ℞ *Agrimon. cum rad. quæ Diosc. est Eupator. Plantag. ma. cum rad. fl. Centau. min. Cardui benedicti, fol. Olivæ ubi haberi possunt, sin minus, ejus loco herbæ Veronic. ana M. s. Rad. Gentia. Asclep. Filicis. Herbis simul concisis & rad. crassiusculè contusis macerentur per noctem cum vini Rhena. ℔. iiij. & altero die in cantharo concoquantur per duas horas, fiat potio, cujus ℥. v. mane & vesperi tepidæ exhibeantur.*

Potiones exiccantes.

Paracelsus *in sua parva Chirurgia gloriatur se fistulas quasque feliciter curasse sequenti decocto, ejus haustulo mane, vesperi & meridie propinato:* ℞ *Ciclaminis, M. ij. Saniculæ M. j. Sophiæ herb. (quæ qualis sit, per invidiam, non explicavit* Paracelsus, *sed dicit tantum flores proferre cæruleos, & in Illyria nasci. Ego autem cum nesciam quid sit Sophia, ejus loco Veronicam herbam substituendam esse judicavi) M. s. Concisa decoquantur cum vini Rhena. ℔. ij. in duplici vase, fiat potio. Quibus admiscere jubet Paracelsus singulis libris Ol. Gariophy. stillat. ℥. ß. At ego his omnibus præfero usurpationem decocti rad. Chinæ vel sarmenti Indici, cujus parandi & utendi rationem in curatione morbi Gallici liberalissimè Studiosis communicavi. His itaque provisis ordinatisque, mox ad Chirurgiam h. e. manualem operationem, quæ circa ulcus fistulosum peragenda est, accedendum erit; omnium primum inspecta fistula si ulcus sit in parte libera & aperta, specillum aut candela cerea ulceri inseratur, & accuratè exploretur sinus ulceris & amplitudo, cavernarumque numerus & constitutio, ac utrum fistula sursum, deorsum, introrsum, vel ad latera se protendat, quin & excrementi in ulcere contenti consistentia, color & qualitas observanda erit, utrum videlicet sordidum sit, aut saniosum, aut ex his simul mixtum; deinde quæ symptomata fistulæ sint copulata, plerumque enim conjunctam habent aut* duritiem, *aut præternaturalem calorem, quæ nisi prius removeantur, frustrà tentatur curatio: Quibus autem remediis singula symptomata sint removenda, supra in curatione*

Chirurgia.

tione ulc. cum Symptom. copulatorum abunde proposuimus. Vbi itaque fistulosum ulcus in aliqua parte ita sit dispositum, ut ejus orificium deorsum, fundus autem sursum vergat, tantum os fistulæ, si angustius & justò strictius est, scalpello aperiatur dilateturque, ut omnis colluvies ex ulc. liberè profluere queat, & retineatur apertum inserto orificio frustulo rad. Gentianæ fistulæ adaptato, aut rad. Brion. aut inseratur orificio fistulæ frustum Spongiæ cui filum est appensum, ita enim dilatatur orificium fistulæ ut commodius collyria aliaque remedia fistulæ convenientia injici possint; pars autem affecta, si ulla ratione fieri potest, ita disponatur & configuretur, ut Orific. fistulæ deorsum spectet. Verum si id ulceris situs & partis affectæ constitutio non permittat, aut si fundus fistulæ deorsum vel introrsum vel ad latera vergat, tum industria manuum operatione ex opposita parte caro & cutis usque ad sinum perfodiatur, ut colluvies profluere queat, vel, quod nobis magis arridet, ulcus ipsum ab ejus orificio usque ad fundum & terminos sinuum novacula incidatur, aut auro, vel ferro candenti usque ad sinus incurvetur, & omnis in ulcere callus exstirpetur; nec alia ratione callus exstirpari potest quam vel per incisionem, vel per adustionem, vel per causticorum remediorum violentam erosionem. At vero si fistulosum ulcus in aliqua nobili parte corporis, aut ubi venarum & arteriarum est concursus, abdito aliquo loco sit constitutum, ut sine periculo nec incidi, nec inuri, nec causticis remediis callus tolli queat, & præscriptis vulnerariis potionibus non persanetur; tum satis fuerit orificium ejus, quatenus fieri potest, dilatare, & rebus jam dictis insertis apertum retinere, ut sordida colluvies liberè profluere, atque collyria & liquores instillari queant, & tamen in ejusmodi fistulis calli exstirpatio molienda est, inserta, si fieri potest, post elutionem ulc. quotidie nova radice Ellebori nigri.

Symptomatum cura.

Cum autem ex ejusmodi manuali operatione incidendo, adurendo, & caustica remedia imponendo, ut plurimum hæc Symptomata excitari consueverint, sanguinis eruptio, dolor, & inflammatio, statim sanguinis fluor compescendus erit ovi albuminibus concussis & stupis mundissimis exceptis, fluentique ulceri impositis, aut aliis remediis sanguinis eruptionem sistentibus, quæ supra inter remed. Chirur. & paulo post in curatione Vlc. commemorabuntur. Dolor similiter anodynis remediis dolorem mitigantibus, quæ supra in tumorum curatione proposita sunt, compescendus erit. Ita & inflammatio refrigerantibus sedari mitigarique debet, ex quibus utilissimum est ut ulcus inflammatum eluatur decocto hordei aut hydromel. in quo concocti sunt flo. Rosa. & fl. granatorum; his omnibus rite & artificiosè peractis, ad Topica remedia deveniendum erit; ac primum quidem in expurgando ulcere & abstergenda omni colluvie, sive ea sit sordida, sive saniosa, hæc semper regula est observanda, quod omnibus ulceribus sordities absterforia, sanies vero ad sui sanationem exiccantia desideret: Sordes quidem probè abstergit inter cætera Ol. Vitrioli; Saniem egregiè exiccant inter alia, Ol. stillatit. ex Sulphure. Quotidie itaque eluatur ulcus fistulos. aut Hydro. aut Vino rubeo in quo incocta sunt rad. Asclep. Aristol. longæ, Herb. Veronicæ, Agrimo. Thus & Myrrha pro libitu artificis, aut Decocto folius sarmenti Indici; Verum si sordes in ulcere tenacius inhæreant, acrioribus lavamentis est utendum, ut sunt acre lixivium, cui mel rosa. est admixtum, aut ulceri imponantur linamenta inuncta Vnguento Ægyptiaco, aut Apostol. quibus si admisc. Ol. Vitr. efficacius fiet medicamentum; Quin & ipsum solum Ol. Vitrioli illitum, omnem sorditiem egregiè abstergit.

Topica.

Confert hic Magister. Minii, Essent. hederæ faniculæ. folior. Rubi, consolid. regal.

Aut ℞. Terebinth. lotæ ℥. iij. Mel. rof. ℥. j. s. Pul. Aristol. rot. ʒ. ij. Farina lupin. ℥. s. Succ. Apii, Cynogl. ana ʒ. vj. coquantur fiatque Vnguentum. Aut imponatur ulceri sequens liquor sive collyr. ℞. Vini sublimati sive destillati ℥ ij. Vini Malvati. ℥ j. Mel. rof. ℥ s. Myrrh. ʒ ij. Sarcoc. Aloës ana ʒ j. s. Decoquantur leniter, fiat Collyr. Et hæc quidem omnia aut per syringam infundi, aut linamentis carptis ulceri imponi possunt;

E e Eloto

Eloto probèque ab omni impuritate fistuloso ulcere mundificato, si adhuc sanationem Vlceris impediat Callus, is, ut diximus, vel novacula exscindatur, vel adurendo destruatur, vel impositis causticis remediis mortificetur. Verum antequam Caustica remed. indantur, pars ulceri circumjacens illiniatur inungaturque Vnguento defensorio ex bolo German. & ol. rosa. parato, ac tandem hac sequentia remedia callos tollentia inserantur; ut sunt rad. Ellebo. nig. aut glans, sive tenta hac ratione parata; ℞. *Ærug. Gum. Ammon. ana* ℥. *ij. cum acerrimo aceto vini, conterantur in calido mortario, & formetur glans. Aut repleatur ulcus cinere rad. li. alb. His validiora sunt ad exstirpandum callum, pulv. Troch. de Asphodel. aut Troch. de Arseni. subli. cum aceto resolutus & instar Collyrii, aut Linimenti cum penicillo illitus, vel per siphonem impulsus. Ejusdem efficacia sunt & trochisci de Minio à* Vigone *descripti, qui hac ratione concinnari possunt:* ℞. *Mercu. sublimati tenuiss. contriti* ℥. *j. Fermenti acerr.* ℥. *iij. Minii pictorum* ℥. *x. Mucag. se. Lini q. s. Contundantur exactiss. & conformentur trochisci ac in furno Cal. exiccentur, & necessitate postulante drachma ejus cum aq. rosa. & plantag. ana* ℥ *ij. resolvantur, & per siphonem instar Collirii ulceri imponantur. Aut* ℞. *Vnguent. Ægypti.* ℥. *j. s. Mercu. & Arse. sublimatorum ana* ℈. *ij. aq. Plantag. Rosa. ana* ℥. *ij. resoluta ebulliant ad tertias, fiat Collyr. & per Siphonem ulceri imponatur. Vlcus autem si non sit incisum, ejus orificium imposito Linimento obstruatur, ne ex eo liquor impulsus effluere queat. Idem praestat & aq. fortis aurificum per siphonem ulceri impulsum: Sed ego in iis callosis ulc. ol. Vitr. illitum, aut ol. è sulph. Chimica arte destillatum longe praefero.*

Callo omni ex ulcere eradicato, si per caustica remedia dolor denuo in ulcere est excitatus; Catapl. imponatur ex ovorum luteis & ol. rosa. confectum. Si denique rursum sordida colluvies in ulc. sit collecta, post ablutionem cum praescriptis lavamentis seq. Catapl. imponatur. ℞. *Terebinth. cum Vino stillatit. elota* ℥. *iij. Mell. rosa.* ℥. *j. Myrrh. rad. Peuceda. ana* ℥. *ij. Sarcocollae, Aloës, ana* ℥. *j. s. Absterso ex ulc. fistuloso omni sordida colluvie, ubi jam pus laudabile in ulcere generari incipit, remedia imponantur carnem generantia, conglutinantia & cicatricem inducentia. Carnem autem generant inculpatam in ulcere hac sequentia:* ℞. *Terebinth. Mell. rosa.* ℥. *j. Sarco.* ℥. *iij. Ichtiocolla, Tragacanth. ana* ℥. *iij. Antimon. prap. Plumbi usti ana* ℥. *ij. Suc. Centaur. mi.* ℥. *iij. Croci* ℈. *j. fiat Empl. Aut imponantur praescripta Empl. de Ærug. aut de vernice pictorum, aut de Litharg. aut de Cadmia.*

Vlcus virulentum quid, & quae ejus species?

De Ulcere virulento.

Ἕλκος ἰχωρῶδες, *ulcus saniosum*, ein infressender offener schade / *est ulcus ferocissimum, à tenui ac erodente & venenato excremento sanguineae massa in aliqua corporis particula collecto, excavatum, & exulceratum.* Ἰχὼρ *enim sive sanies, sive virus, ut in superioribus diximus, nihil aliud est quàm tenuis, acris & erodens humor, vel ex corrupto bilioso sanguine, vel ex salsugine pituita in massa sanguinea, vel ex corrupto melancholico sanguine collectus & effusus; tale virus & tenuis sanies sapè in concreto sanguine è secta vena detracto conspici potest: qualis autem sit sanguinea massa, ex qua virus generatur, ex colore saniei facile dignosci potest; nam si sanguis simplex corruptus est, lotura carnis recenter mactata sanies similis est; flavus verò ejus color biliosum sanguinem, sed instar aqua vel seri. tenuis sanies salsuginem pituita ostendit.*

Virus quid?

Melancholici vero sanguinis sanies fusca aut subnigra apparet, inter has malignissima est sanies atrabilaria; omnes autem ha saniei species naturam proprietatemque obtinent erodendi, & venenata sua qualitate corrumpendi exulcerandique, & ex iis omnes ferè scabiei pruritus & exulcerationis species in corpore excitantur. Sunt autem ulcerum virulentorum tres species ferociores. Vlcus depascens, ulcus erodens sive devorans, & ulcus cancrosum: Paracelsus *Chimista excellens,*

Ulceris virulenti tres species.

lens, qui se monarcham in arte Medica esse gloriatur, magister obscuritatis, tria nova principia contra Aristotelem, Platonem & omnes Medicos finxit & excogitavit, Sulphur, Mercurium sive argentum vivum, & Salem; *ex iisque, & non ex elementis omnia corpora consistere, asseverat, & horum trium symmetriam & inculpatam commistionem sanitatem esse; & non ex temperamenti aut humorum puritate & æquabilitate sanitatem, ut Medici putant, pendere; & ex eorundem condensatione & resolutione in corpore, omnia morborum genera excitari: Et hac magna contentione contra evidentissimam rationem & demonstrationes defendere conatur. Quid autem per* sulphur, Mercurium & salem *in corpore intelligi velit, in suo monstroso* Paramiro *explicat, inquiens: Quicquid in corporibus igneum est & apertum, promptumque ad celerem inflammationem, id omne* sulphur *est; & quicquid aqueum à calore agitatum in fumum vaporemque resolvitur*, Mercurius; *& quicquid ab igne in cinerem, aut calcem convertitur, id omne* sal *erit. Iam quæso quantum reipsâ à Galeno Paracelsus discedat! nimirum sola vocabulorum commutatione; certum enim est, in humano corpore nec sulphur, nec Hydrargyrum, nec salem materialem contineri aut reperiri, etiamsi negari nequeat inesse corporibus quiddam naturam sulphuris potentiâ habens, & Salis & Mercurii; cum autem nil sit in corpore quod promptius inflammetur quam bilis flava, quid aliud erit sulphur Paracelsi quam bilis flava Galeni? Et cum nihil in corpore citius effumet atque evaporet à calore quàm pituita, ipsa pituita erit Mercurius Paracelsi; nihil autem in cinerem calcemvè celerius ac promptius atra bile convertitur, ideò Sal erit Paracelsi: & tamen Paracelsus hisce præstigiis & Philosophorum & Medicorum principia tollere, & universam artem Medicam evertere conatur. Sed nunc redeo unde digressus sum, & dico sæva illa ulcera Græcè* Nomodem & Phagedænam & Carcinodem, *ex virulentis & tenuibus excrementis vel biliosi, vel pituitosi, vel Melancholici sanguinis corrupti generari; sive quis ea saniem, sive virus, sive sulphur, sive salem, sive cinerem calcemvè appellet; etiamsi Paracelsus omnia ulcera ex salium varietate generari dicat. Hæ verò duæ ulc. ferocium species* Depascens & erodens, *non nisi malignitatis ac ferocitatis extensione & remissione inter se differunt; utriusque itaque curationem nobis conjungere placuit.*

Principia Paracelsistarum, sulphur, Mercurius & sal.

Depascens & exedens ulcus quid, quæ utriusque causæ, signa, & quomodo curandum?

De ulcere exedente & depascente.

Νόμη sive νομώδης ulcus depascens, vel Lupus, Ein tieffer fressender schade / oder Wulff. *Quanquam* Lupi *vocabulum à quibusdam Cancroso ulceri tribuatur, tamen non ineptè omnibus tribus virulenti ulceris speciebus attribui potest, cum omnia instar lupi famelici exedant, erodant, & depopulentur; Est igitur Lupus ulcus quod sua virulenta, maligna & venenata qualitate non solum affectam carnem excavat & erodit, sed & vicinas & circumjacentes partes exedendo depopulatur. Phagedena erodens & exulcerans ulcus,* Ein umbsich fressender schade in der Haut/ *Phagedena paulò mitior est nomode, & est ulcus quod serpendo & obambulando cutem erodit, & aucta ejus malignitate tandem in Nomodem degenerat, & non modo cutem erodit, sed & carnem subjectam excavat. Phagedenæ species sunt impetigo & serpigo, cutis exulceratio, de quibus in curatione affectuum cutis disseruimus.*

Nome sive lupus quid. Phagedena à Nome ut differat.

CAUSA & depascentis & exedentis ulceris est, ut paulo ante diximus, virus sive sanies venenata à corrupta massa sanguinea, cui vel bilis retorrida, vel salsugo pituitæ, aut cinis atræ bilis adusta est admixta, & quidem postrema causarum omnium sævissima, & ut plurimum cancrosa ulcera excitat.

Causæ Nomæ & phagedenæ.

SIGNA tum exedentis tum erodentis ulceris evidentia sunt; in Nomode enim non tantum caro ulceris subjecta, sed & circumjacens sana pars excavatur, & absumitur; in Phagedena verò initio quidem sola cutis, veluti in herpete, sive serpigine, eroditur & exulceratur, serpendoque se magis atque magis

Signa.

dilatat ac expandit, cujus venenata qualitas processu temporis adaucta, & carnem tum subjectam, tum ambientem exedit, & in Nomodem degenerat.

Curatio. *CURATIO virulentorum ulcerum Nomodes & phagedenæ quatuor adminiculis peragenda est. 1. victus ratione, 2. redundantis vitiosi humoris in sanguinea massa expurgatione. 3. reliquiarum saniei in venis exilibus partium affectarum exiccatione. 4. ipsius ulceris per topica remedia persanatione.*

Victus ratio. *Victus ratio, quantum ad alimenta attinet, talis esse debet, ex cujus usurpatione inculpatus generetur Chymus, & qui corporis intemperiei & vitiosorum humorum in corpore redundantiæ per omnia aversetur, sive vitiosus humor sit bilis retorrida, sive pituita salsa, sive atra bilis adusta. Quæ autem esculenta & potulenta singulis intemperiei speciebus & vitiatis humoribus conferant, passim in particularibus, & in tractatione de alimentorum temperamentis supra proposuimus. Post ordinatam victus rationem diligenter consideretur affecti corporis intemperies, & humoris in corpore redundantis species, ac mox cum per venæsectionem, si necessitas expostulet, tum per convenientia pharmaca cathartica semel atque iterum ac etiam sæpius vitiatus humor subducatur & evacuetur.*

Venæ sectio & purgatio. *Si itaque corpus sit plethoricum, vena secetur, & si quidem ulcus sit supra Diaph. situm, vena cubiti; si infra, vena talaris, & semper affecti lateris. In evacuatione autem corrupti ac vitiosi humoris ea remedia deligenda sunt, quæ singulis humoribus evacuandis sunt dicata, & longa experientia comprobata. Quorum copiam & formulas passim in particularibus curationibus, partim etiam in tabellis remediorum purgantium abunde commemoravimus; hac tamen observata regula, quod si vitiosus humor crassus sit, lentus aut concretus, qualis esse solet pituita salsa & atra bilis, ut is ante evacuationem per convenientes potiones & decocta concoquentia extenuetur, & ad eductionem aptus habilisque reddatur; quibus autem remediis singuli crassi & crudi humores sint concoquendi, & fluidi efficiendi, ex tabellis concoquentium remediorum peti debent. Reliquias à purgatione vitiosorum humorum, & saniei ad ulcus fluentes, & in ipsis parvis venis partis affectæ hærentes potentissimè exiccat, & ipsa virulenta ulcera abdita proprietate mirificè conglutinat, & persanat decoctum rad. Chynæ aut sarmenti Indici, si per tres septimanas singulis diebus mane una libra exhauriatur, cum eoque sudor ad spacium sesqui horæ aut amplius propellatur. Ejus medicamenti parandi utendique rationem in superioribus liberalissimè docuimus.* Sarsa & China. *Verum si per decocti hujus usurpationem ulcus sua sponte non coalescat, ad topica remedia, quæ astringentia & refrigerantia, sine mordicatione tamen esse debent, confugiendum erit, inter quæ omnia virulenta ulcera egregiè desiccat, constringit & conglutinat, saniéique reliquias prolicit, vapor vini rubei in candentia ferri excrementa instillati & conspersi, debet autem vapor fervens, quantum fieri potest, in ipsum vulnus recipi, partem affectam & exulceratam in vas aptum collocando, in quo reposita sunt candentia excrementa ferri, ac diligenter pulvinaribus obtegendum vas, quò commodius ulcus ipsum vapore imbui queat. Hoc unico duntaxat remedio creberrimè ego Herpetes, Lichenas & alia erodentia ulcera fœlicissimè persanavi: Talis autem vaporatio per plures dies ad spacium unius horæ continuari debet, excremento ferri refrigerato subinde mutato, exiccato tandem sua sponte ulcus abluatur aut liquore qui initio in destillatione Ol. vitrioli profluxit, aut liquore qui in præparatione florum Sulph. emanavit: quâ autem ratione & Ol. Vitr. & flos Sulph. sunt conficienda, in nostra Iatrochimia, Deo volente, sine ænigmatibus edocebimus.* Optimè hic facit Ol. Petrol. Balf. indic. Ol. Camph. Magister. Ocul. cancri. *Quæ remedia si in promptu non sunt, utilissimum erit omnium primum Nomodam aut phagedænam abluere aq. stillatit. Plantag. aut rosa. in quibus non nihil aluminis sit resolutum, aut abluere vino styptico in quo decocta sunt Cort. & flor. granator. & rad. plantag. fol. veronic. aut decocta sarmenti Indici. Abluto ulcere si adsint Symptomata, videlicet dolor,*

dolor, inflammatio, durities, aut varix, ea sunt diligenter amovenda & sedanda, ejusmodi remediis quæ partim in tabellis remed. Chirurg. partim in Symptomatibus tumorum sunt enumerata. Ne autem virulentus humor latius serpat, ambientemque carnem sanam devastet, per circuitum ulceris prodest cutem incrustare, & inungere unguento ex bolo Arme. ovi album. & pauxillo Ol. rosa. confecto. Cavitati autem ulc. exiccandæ virulentiæ causa imponatur tenuis. pul. aut Croci Martis, aut pul. Antimon. vitrificati, aut Merc. præcip. aut flo. Sulph. aut Plumbi usti: quæ Chimica remedia qua ratione sint paranda, in Iatrochimia descripturi sumus. Hæc si in promptu non sint, cavitati ulceris imponere licebit linamentum carptum, sive rasos floccos ex linteolis mundis convolutos & imbutos, aut unguento albo Rhasis, aut ung. Diapompholigos à Gal. descripto, aut ung. refrigerante Galeni; aut imponatur sequens unguentum: ℞ Ol. rosa. viola. ana ℥. j. s. Medullæ crurum vitulinorum ℥. j. Succi Plantag. Solani ana ℥. concoquantur leniter ad absumtionem succi & colentur, eisque admisc. Cerussæ ℥. vj. Litharg. ℥. j. & Ceræ albæ dissolutæ ℥. s. quæ simul commixta in mortario plumbeo diutissimè subigantur, ut plumbeum acquirant colorem, deinde admisce Camphoræ ℥. s. fiat unguentum: præscriptis remediis repleto ulcere superimponatur pulvinar ex complicatis linteolis ulceri adaptatum, ac deinde fasciis convenientibus leniter constringatur; aut loco pulvinaris ulceri commodissimè imponi potest lamina plumbea foraminibus exiguis pervia, ut virus evaporare queat. De deligatione ulceris, quæ diligenter in ulceribus & vulneribus curandis est observanda, paulo post in curatione vulnerum edocebimus.

Symptomatum cura.

Porrò si virulenta ulcera inflammatione tententur, quod nonnunquam contingere consuevit, refrigerantia supra in curatione phlegmones commemorata, imponenda erunt; similiter si adsit ulcerum durities emollientibus remediis, paulo ante in ulc. cum duritie curatione commemoratis, durities tollatur; ita si varix insit ulceri, abscindenda erit, ut superioribus docuimus. Hisce remediis si ulcus non conquiescat ab erosione & exesione, sed pergat instar Lupi famelici sanas partes absumere, ad miserabile & ultimum præsidium est confugiendum, & pars affecta erit exscindenda, aut penitus amputanda, vel remediis causticis caro ulceri subjecta penitus exurenda; id quod in superioribus præstare diximus pul. troch. ex Arsen. Calcinato aut Mercur. sublim. ulceri inspersis, ac ita exstirpata carne infecta facilius ulcus cum Empl. de litharg. aut lap. Calam. ad sanitatem deduci potest. Caustica.

Cancer exulceratus, sive ulcus cancrosum quid, quæ ejus causæ, signa, & quomodo curandum? De cancro exulcerato.

Καρκίνωμα, ulcus cancrosum, ein offener Krebscher Schade/ est inter ulcera virulenta omnium malignissimum, ex cinere atræ bilis sive adusto Melancholico sanguine proveniens. Cancri nomenclatura duplici affectioni tribuitur; Cancro tumori, cujus curationem inter tumores tradidimus; & ulcri cancroso, sive tumori cancro exulcerato, cujus causas, signa & curandi rationem hoc loco quam brevissimè perstringemus.

Cancer accipitur pro tumore & ulcere.

CAUSÆ exulcerati Cancri sive ulceris cancrosi, ut diximus, est cinericea colluvies atræ bilis sanguineæ massæ admixta, sive sanguis Melancholicus retorridus ad aliquam particulam confluens, tumoremque excitans primum, ac tandem, virulento suo excremento erodens & exulcerans. Causæ ulceris cancrosi.

SIGNA cancri exulcerati evidentia sunt; nam inter omnia ulcera acerbissimos excitat dolores, & ut plurimum tumor cancri exulcerationem præcedit; in exulcerato autem cancro caro erosa inæqualis & subnigra sorde madescit, & horrida apparet, ex qua continuè subnigrum aut fulvum virus, h. e. tenuis & erodens humiditas emanat, quæ ut plurimum gravi odore adstantium nares ferit, & labra habet pretumida. Signa.

CURATIO exulcerati cancri eadem fere Curatio.

ferè est, quam supra in Cancri tumoris descriptione proposuimus. Tota autem curatio cancrosi ulceris consistit in victus ordinatione, in Melancholiæ adustæ præparatione, & evacuatione, ac reliquorum seminariorum ejus per sudorificas potiones exstirpatione, postremo tandem in Topicorum remediorum applicatione.

Victus ratio. Victus ratio melancholici humoris adusti qualitati contraria esse debet, & totius corporis intemperiei, quæ ex superioribus Melancholicorum morborum curationibus, & potissimum ex curatione tumoris cancri, peti, & huc transponi potest, hoc tamen observato, quod si Epar ægrotantis æstuet, refrigerantia alimenta, quale est cremor ptisanæ & juscula cum Uvis immaturis cocta, & serum lactis offerenda erunt, additis inunctionibus refrigerantibus dextri Hypochondrii, qualia supra in inflammatione Epatis sunt proposita. (Alterantia epatis intemperiem.) Simili ratione & remedia, quibus Melancholica impuritas in sanguine extenuatur & expurgatur, ex superioribus curationibus Cancri tumoris & insaniæ Melancholicæ huc transferenda erunt: & expurgationes quidem retorridæ Melancholiæ non semel duntaxat, sed crebrius etiam reiterandæ erunt; (Purgatio.) inter ea autem remedia quæ Melancholicum humorem exactè evacuant, ego primum locum tribuo succo Ellebo. nigri, quem extractum Ellebori vocant, quod nihil aliud est quam maceratarum rad. Ellebo. in aliquo liquore decoctum expressum, quod tandem percolatum, leniter tantisper decoquitur, donec condensatur; qua ratione & succus Glyzir. confici solet; ejus condensati succi si ℈. s. aut integer in forma pillularum trium aut quatuor exhibeatur, Melanchol. humorem & retorridam bilem valide expurgat. Idem quoque præstat, ac cinerosum sanguinem purificat, gemma Antimon. quam vitrum Antimon. vocant, si ejus tria grana cum cons. Rosa. commixta exhibeantur. Ad evacuationem Melancholici sanguinis, si corpus sit plethoricum, plurimum facit & venæ Epaticæ sectio, ulcere supra diaph. existente, infra vero, venæ talaris ejusdem lateris, in quo (Venæ sectio.) cancer hæret. Ita quoque magnoperè confert, si in mulieribus consueti menses suppressi promoveantur, & in viris consuetæ hæmorrhoides suppressæ aperiantur. Reliquias à purgatione melancholici cineris absumit mirificè & ulcus ipsum persanat, si per tres septimanas sudorifica potione ex rad. Chinæ aut sarmenti Indici æger quotidie utatur, & eodem decocto cancrosum ulcus indies bis abluatur. (Sarsa & China.) Præparandi autem & utendi hujus decocti rationem in superioribus tradidimus. Quod ad topica & chirurgica remedia attinet, diximus in superioribus, nempe in curatione Cancri tumoris, Cancri excisionem & inustionem parum præsidii ejus curationi adferre; (Excisio cancri.) nisi enim cancer venenosus una cum adjacentibus venis penitus radicitusque extirpetur, & omnis sanguis melancholicus exprimatur, & emulgeatur, id quod vix sine vitæ dispendio peragi potest, Cancrosus tumor & ulcus sanari non potest. Nam ex una gutta infecti sanguinis, in venis relicta, facile rursum Cancer suppullulat & recrudescit; tam immanis belua est Cancer, ut leviora quoque Topica remedia, prorsus contemnat; validioribus autem ferocior magis reddatur. Præstiterit itaque in Cancri curatione, præsertim si inveteratus est Cancer, blandientibus & dolorem mitigantibus virosaque colluviei acrimoniam confringentibus ulceri impositis miseram vitam prorogare, quam veram ac integram curationem sperare, nisi summi Medici Christi manus & præsidium accedat, miraculosaque sanatio fiat. In initio tamen exulcerati Cancri, ubi doloris acerbitas est sopita, ad ejus curationem, antequam radices agat, accedi, & Causticis remediis seminarium ejus destrui, & exstirpari potest, quamvis non sine acerbo dolore. (Incipientis Cancri curatio.) In hunc usum valdè celebratur arsenicum sublimatum, si tenuiss. pulverisatum ulceri unius diei spacio inspergatur, quemadmodum & in superioribus semel atque iterum docuimus. Verum qui causticis remed. ad Cancri ulcerati extirpationem uti volet, necessè habet ut circumjacentes ulceri sanas partes, quò ab inflammatione immunes sint, prius Linimento (Arsenicum sublimatum.)

nimento ex bolo Germa. Mucag. Psyllii & paux. Ol. rosa. confecto probè obliniat, & incrustet; exesa autem omni virulenta carne in Cancro statim dolor & tumor in loco affecto anodynis remediis mitigandus erit, ac postremò ulcus curabitur abstergentibus & cicatricem inducentibus; & Empl. qualia sunt de Lithargyrio, vel lap. Calam. vel de vernice, quæ in superioribus sunt descripta, non neglecta interim ablutione cum decocto Sarmenti Indici, aut Veronicæ herbæ; & per talem quidem curationem recentis Cancrosi ulceris benè sperandum est, si in ulcere caro inculpata appareat, & nulla virosa colluvies, sed laudabile pus in eo generetur, & omnis graveolentia in ulcere sit sopita. Invetetrati cancri curatio. *In inveteratis verò cancrosis ulceribus, & virulenta qualitate altius imbutis, aut etiam recente Cancro, qui in loco abdito, aut nervosis partibus est exortus, (ut superius quoque monuimus) nec igne, nec causticis remediis, nec præcisione malum curari potest; sed magis per ea exacerbatur. Satis itaque erit ulcus ipsum in mitiori suâ constitutione vel* συςαλτικοῖς *remediis blandientibus, & saniei acrimoniam infringentibus, doloremque mitigantibus conservare, non interim neglecta victus convenienti ratione, & crebrioribus adustæ Melancholiæ expurgationibus, ut paulò ante dictum.* Topica cancro mitigando. *Inter cætera autem cancro mitigando convenientia remedia nobiliora & salutaria habentur hæc subsequentia: Cancrosa ulcera recentia non tantum mitigare, sed & persanare creditur aq. stillati. ex humano sanguine, comparatur in balneo Mariæ Chimico instrumento ter quaterve aquam elicitam in fæces iterum infundendo, si eâ ulcus indies eluatur, vel instar Epith. imponatur: potentissimè & Cancrum ipsum persanat plumbum mortificatum, cujus mortificatio hæc ratione fit:* Plumbum mortificatum. *Plumbum ustum in cucurbitam vitream reponatur, & in aq. forti aurificum superinfusa resolvatur, resoluto plumbo omnis aqua fortis iterum effundatur, & pulvis plumbi in fundo Vitri relictus, cum aq. tepida vel rosa. vel Solani abluatur, & ulceri inspergatur, aut ex eo cum q. s. ol. rosa. Linimentum concinnetur, & Linimentis exceptum ulceri imponatur. Acerbitatem doloris in Ulc. Cancroso egregiè mitigant succ. Solani, plantag. & Veronicæ, aut sigillatim, aut simul mixti instar Epith. impositi. Efficacissimum quoque est mitigando dolori in Cancro sequens Linimentum: ℞. Suc. Solani, Poligo. Plantag. ana ℥. j. Ol. rosa. Viola. ana ℥. j. s. Coquantur lento igne ad succi evaporationem, & ol. colato admisc. plumbi usti eloti, Tutiæ præparatæ ana ʒ. j. s. & in plumbeo mortariolo cum pila plumbea tantisper conterantur, subiganturque, donec Linimenti crassitiem, & plumbeum colorem consequantur, quod Linimentis exceptum ulceri imponatur. Mirificè quoque ex stirpibus commendatur herba* Roberti, *quæ &* rostrum Ciconiæ, *Græcis autem* Geranion *dicitur, cum caulibus rubentibus, si contusa, aut ejus succus expressus ulceri imponatur.* Herba Roberti. *Plumbi quoque lamina tenuissima foraminulis pervia Cancri furorem compescit ulceri alligata:* Plumbi lamina. *Quidam Cancro exulcerato, sicuti & Nomadibus, & Phagedenis, quæ &* Lupi *nomine appellantur, singulis diebus frustulum Carnis gallinaceæ, aut vitulinæ imponunt, quæ voracitatem ulceris saturant, ne carnem ulceris amplius erodat; sed cancrorum aquatilium crudorum carnosam pulpam exceptam, & contusam ulcerique impositam, præscriptis carnibus convenientiorem esse judico.*

Quibus in partibus corporis potissimum & frequentius excitantur ulcera?

In omnibus ferè corporis partibus quæ sanguine nutriuntur, omnia genera ulcerum pro varietate salsuginosi saniosique excrementi, in massa sanguinea contenti, & in aliqua parte collecti viam sibi facientis, & particulam exulcerantis, existunt, ut in capite, naribus, oculis, collo, faucibus, axillis, humeris, Thorace, pectore, mammis, ventre, Matrice, Virga, inguinibus, cruribus, Tibiis & pedibus. Sed omnium frequentissimè ulcera diuturniora exicitantur Quæ partes exulcerari soleant. *in*

Ulcera tibiarum cur diuturna.

in tibiis, *cum propter vitiosorum humorum gravitatem deorsum delabentium, tum propter crebriores motus pedum, crebrioresque stationes, in quibus totam molem corporis bajulant; cum autem reliquorum particularium ulcerum curationes in singularum partium vitiis curandis antea explicaverimus, supervacaneum esse arbitramur eorum ulcerum curationes repetere, sed Studiosos ad superiora ablegamus. In omnibus autem curationibus ulcerum id præmonere Chirurgiæ Studiosos satis erit: In particularibus ulceribus omnibus diligentissimè observandum esse, ad quod genus ulceris, quodlibet ulcus particulare referri queat, & utrum sit* simplex *aut* complicatum, sordidum, putridum, saniosum, malignum & virulentum; *quo cognito semper ejus curatio ex eodem genere peti & applicari debet. In fine itaque satis fuerit generalia remedia omnibus ulceribus convenientia duo adsignare; unum quidem* omnibus, *alterum* tibiæ *conveniens.*

Genus ulceris cognoscendum Practico.

Liquor generalis persanando omnium ulcerum generi.

Aqua stillatitia ad omnia ulcera & vulnera.

℞ *Terebinthi. sæpius ablutæ* ℔. *j. s. Vernicis Pictorum* ℔. *j. Thuris, Masti. pulv. ana* ℥. *j. s. vini sublimati, sive cremabilis* ℥. *ij. commixta, & vitreæ cucurbitæ imposita, in tepido loco per triduum macerentur, subinde commovendo, deinde in ferventi arena Chimico artificio destillentur, qui liquor linteolis exceptus omnia ulcera & vulnera persanat.*

Decoctum ad Tibiarum Ulcera.

Decoctum ad tibiarum ulcera.

℞. *Aluminis, Vitri ana* ℥. *ij. Ærug.* ʒ. *j. Rosa. rub. veron. ana M. j. contusa in stiptici vini* ℔. *ij. in duplici vase coquantur & colentur, quo liquore ulcera tibiarum si abluantur, ac Empl. vel de Litharg. vel de lap. cala. vel de vernice pictorum, quod convenientissimum videbitur ulceri imponatur; quod eo fœliciter persanatur.*

Chirurgicarum curationum de vulneribus.

De vulneribus.

SECTIO III.

Continui solutio quid, quot modis accidit, quibus instrumentis, & quæ solutæ continuitatis species?

Continui solutio quid?

Continuitatis solutio in vulneris definitione generis locum obtinet; citra cujus declarationem tractatio de vulneribus *minus rectè intelligi potest. Est autem continui sive continuitatis partium humani corporis solutio sive unionis divisio, unum ex morborum generibus, ut in superioribus tradidimus; nimirum tria duntaxat morborum genera esse, intemperiem, malam configurationem, sive compositionem, & unitatis solutionem alicujus particulæ. Cum itaque aliqua particula, sive ea sit similaris, sive instrumentaria, quæ antea naturâ unita & continuata erat, quoquo modo dividitur, jam* continui solutio *ejusdem partis dicitur. Modi autem per quos continuitas partium dividitur, solviturque, sunt* erosio, incisio *sive* sectio, & præcisio, punctio *sive* perforatio, morsus, impulsio, contusio, fractio, ruptio, distensio, convulsio, collisio & apertio *orificiorum. Instrumenta externa per quæ fiunt* Continuitatis solutiones, *sunt omnia armorum genera, corporaque dura, & renitentia, violentius incidentia. Armorum autem genera alia sine acie, alia acuitate prædita, alia verò sunt obtusa. Acie prædita sunt gladius, ensis, securis, culter & dentes animantium.*

Quot modis fiat.

Arma cæteraque id genus quæ Continuitatem solvunt.

Acutie sive acumine prædita sunt mucro, cuspis, pugio, telum, sagitta, ignis sive res ignita, caustica remedia & animantium cornua & jacula sive aculei. Obtusa sunt, globus sclopeticus, lapis, malleus, fustis, baculus, pugnus. Ponderosa quoque partibus incidentia, & gravis corporis collapsio. Sunt & interna instrumenta continuitatem *solventia, ut flatus, & humorum copia eorumque acrimonia.*

Internæ causæ continuitatem solventes

Species

Species solutæ continuitatis. *Species solutæ sive divisæ continuitatis in variis partibus varias sortiuntur appellationes; continuitatis namque solutio in sola cute per erosionem, adustionem aut attritionem, effecta, Græcis διάβρωσις h. e.* excoriatio *dicitur. In cute simul & carne per erosionem humorum facta divisio, ἕλκος h. e.* ulcus *dicitur. In cute, carne, & reliquis mollioribus partibus cæsim illata divisio* Ulcus. τραῦμα, *h. e.* Vulnus *appellatur. In easdem* Vulnus. *partes, per armorum acuitatem inflicta divisio, punctura & confossio,* Eine gestochene wunde *dicitur, propriissime tamen nervorum* Punctio. *vulnus puncturæ vocabulum sibi vendicat.* Fractura. *Continuitatis solutio in ossibus & Cartilaginibus κάταγμα h. e. fractura,* ein Beinbruch/ *& in membranis ῥῆγμα, ruptura,* ein Ruptura. riß oder bruch der Vellen/ *dicitur. Si verò venarum aut arteriarum ob plenitudinem, aut sanguinis acrimoniam oscula aperiantur, ut fit in eruptione sanguinis è naribus, venis Hæmorrhoidum, & venis Matricis, in mensium profluvio, ἀναστόμωσις i.e. apertio osculorum,* Ἀναστόμωσις. ein Eröffnung der Adern/ *dicitur. Fit quoque solutio continuitatis per pororum in venis, arteriis, & cute extenuatis distensisque dilatatione, ut sanguinem in se retinere nequeant, sed instar sudoris per poros percoletur. Ejusmodi solutio continuitatis Græcis διαπήδησις,* Διαπήδησις. Durchschwitzung des Bluts/ *dicitur. Per cutis porro sanguinis profusionem unicum exemplum* Redemptoris *nostri* Jesu Christi *in* agone *suo habemus. Internorum viscerum vel vasorum continuitatis solutio fit aut per gravem lapsum, aut per violentam corporis commotionem, aut gravis ponderis gestationem, quæ divisio* Collisio. *Græcis θλάσμα h. e.* collisio, Wehe vom schwerem Falle oder Häbunge/ *dicitur. Ad continui quoque solutionem refertur nervorum musculorumque distractio præternaturalis, Græcis σπάσμα i. e.* convulsio, Der Convulsio. Krampf/ *& ligamentorum contractio præternaturalis ἀπόκασμα h. e.* divulsio, ein Divulsio. Verruckung der Sehnaderen/ *nominatur.*

Vulnus quid est, & in quo differt ab Ulcere?

Vulnus quid? & quot modis accipitur hoc vocabulum. Τραῦμα, *Vulnus, quibusdam etiam* plaga, *quam tamen vocem nos non cruentis, sed siccis & sine cutis apertione illisis vulneribus propriam esse judicamus,* eine Wunde. *Vulneris vocabulum à Medicis bifariam usurpatur, generaliter & specialiter. Vulnus generaliter sumptum, est continuitatis cujusque particulæ solutio sive divisio, & ita usurpata non modò cruentis continuitatis solutionibus, sed & ulceribus & fracturis ossium, & rupturis & contusionibus convenit; speciatim autem & propriissimè sumptum vulnus & solutio continuitatis recens, cruenta sive sanguinolenta sine putredine, in particulas molliores, veluti sunt Cutis, Caro, Musculi, Venæ, Arteriæ, Nervi &c; armis cujuscumque generis exterius inflicta. In hac definitione excluduntur Ulcera quæ ab internis, ut in superioribus diximus, causis excitantur, ex quibus ulceribus non sanguis, ut ex Vulneribus, aut pus, aut sordes, aut sanies profluit. Differt itaque Vulnus ab Ulcere primùm causa Efficiente. 2. Excrementi varietate; Causa enim vulneris est extrinseca; Ulceris verò interna, erodens videlicet humor. Et ex vulnere sanguis profluit, ex ulcere sordes aut simile quid; Vulnus prætereà recens infligitur: Ulcus inveterata est continui solutio.* Vulnus & Ulcus differunt.

Vulnerum præcipuæ differentiæ quot, & quæ earum species?

Plures enumerantur Vulnerum differentiæ; nos primas ac præcipuas sex constituimus. 1. Vulneris differentia sumitur à loco vulnerato; Vulnerum itaque alia sunt externa, alia interna. Externum Vulnus *est quod foris per arma in Cutem & subjectas* Vulnera externa. *cuti partes, vel cædendo, vel perfodiendo, vel impellendo, vel contundendo infligitur, quod visui tactuique est subjectum,* eine Offene Blutige Wunde/ sie sey Gestochen/ Gehawen/ Geschossen oder Geschlagen. *In-* Interna. *ternum Vulnus est, quod per cutem carnem-*

que vulneratam, ad subcutaneas & internas partes visusque abditas, & in viscera penetravit, veluti sunt vulnera cerebri, Pulmonis, cordis, jecinoris, lienis, Ventriculi, intestinorum, Matricis, vesica, & similium, eine Wunde der Innerlichen glieder; *Vulnerantur tamen interna partes etiam citra incisionem cutis carnisque, ut fit in Venis & arteriis per ἀναςόμωσιν. h. e. apertionem orificiorum earum, & per διαπήδησιν h. e. per pororum dilatationem, & per θλᾶσιν h. e. collisionem, ut fit in lapsu graviori, ut paulo ante in solutionis continui differentiis ostendimus.*

Internæ etiam Partes citra incisionem vulnerantur.

Vulnera simplicia.

Secunda Vulnerum differentia *accipitur ab accidentibus, & ita Vulnus aliud est simplex, aliud complicatum; Simplex est cui nec morbus aliquis, nec ullum symptoma est adjunctum. Copulatum vulnus est cui ex morborum genere vel intemperies, vel partis vulnerata vitiosa conformatio, & compositio est connexa, aut cui unum plurave symptomata, ut sunt ἰχῶρες, in Vulnerum generatione, vel sordities, vel venenata qualitas est conjuncta, aut cui aliquid ex inflictis fixum haret.*

Copulata.

Vulnera secura & facilia.

Tertia differentia sumitur ab effectu *sive eventu, juxta quam Vulnera alia sunt secura & facilè curabilia, qualia sunt qua cuti & carni ense infliguntur; alia sunt maligna curatuque difficilia, ut sunt qua in nervos, ligamenta, ossa & pleraque viscera infliguntur; nam ea qua in nervis & ligamentis incidunt, praterquam quod difficulter curentur, & sensum & motum in parte affecta vitiant, aut prorsus auferunt: alia denique sunt prorsus lethalia, qualia sunt Vulnera Cerebri, Cordis, pulmonis, Iecinoris, Diaphragm. Ventriculi intestinorum gracilium, Matricis & vesica, & omnia ferè vulnera venenata, qualia sunt inflicta ab armis intoxicatis, aut morsu ictuque venenatorum animantium.*

Maligna & curatu difficilia.

Lethalia.

Vulnerum differentiæ: à modo inflictionis, & armorum varietate.

Quarta differentia vulnerum *sumitur à modo inflictionis, & armorum varietate, secundum quam vulnus aliud est casim illatum*, eine gehöwede wunde; *aliud punctim inflictum, quod vulnus confossum*, eine gestochene wunde *dicitur*; *aliud per globum bombardicum illisum*; eine Geschossene Wunde. *aliud dentibus aut aculeis inflictum, quod vulnus commorsum*, eine gebissene wunde *dicitur*; *aliud per concussionem, vel armorum obtusorum incisionem inductum*, eine geschlagene oder gestossene Wunde/ *in quibus si cutis integra est, & sanguis sub cutem suffusus, vulnus cœcum, & nostris* Braun und Blawe *dicitur*; *aliud est inustum à rebus ignitis, & vulnus ambustum*, eine wunde von Brande/ *aliud à medicamentis causticis inustum*, eine geetzete Wunde.

Quinta differentia vulneris *sumitur à parte affecta, unde aliud vulnus est Capitis, aliud oculorum, aliud nasi, aliud brachiorum, aliud dorsi, aliud ventris, aliud Thoracis, aliud Iecinoris, aliud vesica, aliud nervorum, aliud ligamentorum.*

Sexta differentia *sumitur à situ vulneris, unde aliud rectum secundum longitudinem partis, aliud transversum secundum latitudinem partis, aliud obliquum vulnus est. Reliquas differentias à quantitate & figura desumptas, ut qua parum faciunt ad curationem, nos consultò intermittimus.* A situ.

Quæ symptomata comitantur vulnera?

Pro varietate & natura partium vulneratarum varia subsequuntur Symptomata, quorum in curatione non minor habenda est ratio quam ipsius Vulneris. Nam, ut in superioribus docuimus, nullus fere morbus, nullus tumor praternaturalis, nullumque ulcus, aut vulnus feliciter curari potest, nisi prius Symptoma connexum, curationem impediens, tollatur aut mitigetur. Sunt autem vulnera pracipua & generalia Symptomata, Sanguinis implacabilis eruptio, Ichoris sive serosa humiditatis in vulnere generatio, quod nihil aliud est quam bonus sanguis, per ineptam deligationem, aut non convenientium remediorum applicationem, corruptus, & in aqueam humiditatem conversus, dolor, tumor, inflammatio, putrefactio, partis affecta extenuatio & marcor, motus sensusque amissio, convulsio, vomitio & appetentia destructio, alvi suppressio, Gangrana, Sphacelus, Febris, vigilia atque delirium.

Vulnerum Symptomata quorum in curatione ratio habenda.

Vulne-

Vulnerum causæ quæ sunt?

Causæ Vulnerum. *CAUSÆ omnium Vulnerum* προκατ. *tantum sunt, & si qua interna sunt, id contingit per accidens, & non nisi in vasis, sive venis & arteriis per* ἀναςόμωσιν *&* διαπήδησιν. *Nam* viscerum *vulnera ex* collisione *ut plurimum externam habent causam, gravem videlicet collapsum, aut violentam commotionem & compressionem corporis.* προκατ. *itaque causæ sunt omnia armorum genera, quæ paulò ante enumeravimus.*

Signa vulnerum quæ sunt, & quæ Prognostica Signa in Vulnere sunt observanda?

Signa diagnostica quibus dignoscuntur Vulnera. *Sine ulla subtili investigatione Vulnera præsertim foris inflicta cum ex continuitatis cutis divisione, tum ex sanguinis in initio vulnerum profluxione, & visu & tactu facile dignosci possunt. Interiorum autem partium & abditorum viscerum vulnera hisce potissimum notis deprehenduntur. Ubi in aliquo*

Venarum. Vulnere venæ majores *sunt incisæ, sanguis rubeus & crassiusculus confertim & continenter erumpit ac profluit.*

Arteriarum. Ex arteria *autem vulnerata sanguis tenuis, subflavus, & ad pulsum arteriæ subsiliendo prodit.*

Nervorum. Nervo *vulnerato in vulnere torpor partis vulneratæ subsequitur, & motus sensusque debilitas, quin & jam nervo puncto infertur ingens dolor vulneri, & subsequuntur frequentes convulsiones; ac si accedat inflammatio vulneri, propter Sympathiam quam nervi habent cum cerebro, febris & delirium comitantur.*

Tendinum, Ligamentorum, Membranarum. Tendinibus, Ligamentis *membranisque ossa vestientibus, ac præcipuè Calvam contegentibus vulneratis, eadem signa, sed paulò obscuriora subsequuntur.*

Ossium. Os denudatum *vulneratumque dignoscitur ex ejusdem scabritie, & inæqualitate, quæ specillo immisso investigari debet.*

Meningum. Menynges vulneratæ *acerbissimos dolores, præsertim ad commotionem maxillarum, & crebras vomitiones ac singultum excitant.*

Ac si ex Capitis *vulnere sanguis profusus intrà vulnera Menyngum illabatur, ibidemque concrescat, attonitus fit æger, & paulo post sanguis, aut per nares, aut per oculos profluit; sed paulò post febri correptus æger delirat & moritur: Quin ubi*

Cerebri. *Substantia quoque* Cerebri *est convulnerata, præsertim in Plenilunio, (tum enim Cerebrum se dilatat & extendit, omnesque partes Calvæ complet,) statim mortem infert, maximè si vulnus ad ventriculum usque penetret, aut quibus oculi perfossi, & nervi visorii læsi.*

Pectoris & Pulmonis. Pectore *ad cavitatem perfosso, flatus per respirationem erumpit.*

Pulmone *autem simul convulnerato, sanguinis spumosi exspuitio, difficilis & sonora respiratio comitantur; & nisi repentè moriatur æger,* φθίσει *conficitur.*

Cordis. Corde *etiam levissimo Vulnere affecto repentina mors consequitur necessariò.*

Diaphragmatis. Diaphragmate *perfosso statim cessat respiratio, & vita extinguitur.*

Gulæ. Gula, *vel* Aspera Arteria *vulnerata; Gula quidem nec cibum nec potum in ventriculum delabi sinit, sed per vulnus prodit, aut per vomitum rejicitur; similiter per Asperam Arteriam respiratio exhalat.*

Intestinorum. Ex Intestinis *dissectis vel feces albæ, vel fœtida exhalatio prodit.*

Jecinoris & Lienis. Jecinoris & Lienis *Vulnera ex cruenta dejectione & vomitionibus deprehenduntur. Quibus accedunt dolores & punctiones laterum, ac postea* ἀτροφία *subsequitur, & cum febre interit æger.*

Renum. Renum Vulnera *profunda urina cruenta, & dolor circa inguina & testes comitantur.*

Vesicæ. Vesica *in capatitatem usque discissa, ex necessitate lethalis est, & ex tali vulnere urina profluit.*

Posteà accedit Febris & Delirium, quæ mors comitatur.

Cervix verò *vesica convulnerata facilè sanitati restituitur.*

Cistis fellis,

Vesicula bilis *sub Epate vulnerata ex necessitate est lethalis.*

Spinalis medullæ,

Spinæ medulla *dissecta, sive vulnerata, omnibus partibus corporis infra sectionem constitutis, metum sensumque adimit.*

Musculorum.

Vulnera Musculorum *capitibus inflicta, præsertim in locis multa carne carentibus, & ubi nervi, tendines, & ligamenta, conspicua sunt; item trium digitorum juncturis vulnus inflictum, ubi plerumque ligamenta & nervi concurrunt, motui & sensui ejusdem partis noxam inferunt; & si accedat inflammatio, convulsio, vigiliæ, & tandem mors subsequitur; sicut & vulnera* temporum *propter concursum vasorum magna ex parte lethalia sunt.*

Signa prognostica de vulneribus.

Pulmonum Vulnera *cum propter continuum motum, tum propter promptam inflammationem insanabilia sunt, quia & continuâ tussi infestata vulnera magis atque magis disrumpuntur.*

Thoracis *perforatio vulneratioque illæsis interioribus difficilimè persanatur; ut plurimum enim in fistulosum ulcus terminatur.*

Articulorum vulnera *perpetuo in motu noxam adferunt; & si aquosus humor* (ἰχῶρ, Das Glidwasser / *qui non est aliud quam corruptio humoris, quo nervi, ligamenta & tendines nutriuntur*) *suprà modum ex vulnere profluat,* Articuli *exarescunt, & omnis movendi facultas perit.*

Vulnera magna *& profunda in musculis per transversum inflicta, dolores & motus, sensusque amissionem ut plurimum adferunt.*

Vulnera *quæ in Gangrænam vel Sphacelum degenerârunt, non nisi præcisa parte affecta curari possunt.*

Quæ vulnera ut plurimum lethalia sint.

Porro vulnerum cum malignorum tum lethalium præsagia sumi possunt aut à partis vulneratæ nobilitate, actionumque ejus necessitate, vulneris magnitudine & symptomatum sævitia; ut plurimum enim magna vulnera altiusque penetrantia in partibus principalibus, aut inflammatione, aut acerbo dolore copulata, lethalia sunt; in specie autem sequentium partium Vulnera pro lethalibus habentur; Cerebri, Cordis, Gulæ, Asperæ arteriæ, Pulmonis, Diaphragmatis, Iecinoris, Vesiculæ bilis, Lienis, Renum, Ventriculi, Intestinorum, maximè gracilium, Vesicæ, Matricis, Venæ Cavæ, Arteriæ aortæ, ac spinalis medullæ, & quæcunque vulnera per arma intoxicata, aut ictu venenatorum animantium sunt inflicta. Rationem verò, motum sensumque turbantia, & vitiantia vulnera sunt incisiones punctionesque Nervorum & Capitum musculorum, ligamentorum, tendinum, & articulorum, quibus si acris dolor & inflammatio convulsioque accedant, lethalia quoque sunt. Lethalia vulnera, nostratibus Tödtliche Wunden / *motum & sensum vitiantia,* Lehmnüssen. *Ex lethalibus tamen vulneribus sunt quædam, quæ non ex necessitate & per se mortem inferunt, sed ratione vel suæ magnitudinis, aut symptomatum sævitia, ut vulnus jecinoris, & renum, per se mortalia non sunt; sæpe enim parva vulnera & in ipsis, & in intestinis, & in ventriculo & cerebro persanata esse & legimus, & vidimus.*

Quæ motum & sensum vitient.

Ex lethalibus vulneribus quædam per accidens talia sunt.

Vulnera secura & curatu facilia, quæ sunt.

Vulnera sanabilia & ab omni periculo tuta sunt, quæ in carnosis partibus & corporibus puris, & boni succi incidunt, & quæ nec in latitudinem, nec in profundum, magnas habent divisiones. Vulnera in carnosis partibus facilimè sanantur, in osseis difficilius, in nervosis omnium difficilimè.

Quibus de causis etiam levia vulnera curatus difficilia evadunt.

Vulnera etiam leviora & securiora in corporibus cacochymis, & impuris morbosisque, periculosa, & sæpe etiam lethalia evadunt. Quin & ex pestilenti aëris constitutione, ex venenato intuitu vetularum, aut mensibus laborantium mulierculárum, & ex immoderata Venere, levia Vulnera, curatu difficilia redduntur. Hæc signa præsagientia in vulneratis studiosè observanda sunt prudenti Chirurgo, ut dextrè dijudicare prædicareque queat, tum naturas vulnerum, curandi facilitatem difficultatemque, & quæ noxæ

quod-

quodlibet vulnus comitari soleant, ostendere. Inconsideratæ enim temeritatis est (ut Celsus inquit) lethalibus vulneribus manus admovere, nisi ab amicis rogatus, cum multa protestatione de periculo vitæ & vulnere: Est enim utrumque impostorum ac nebulonum, levia & facile curabilia vulnera attollere; utque uberius lucrum inde acquirant, perniciosa esse pronunciare, ut dici solet, ex musca Elephantem facere, & in perniciosis vulneribus salutem promittere, quam nec ars, nec natura præstare queat.

Signa prognostica Chirurgo scitu necessaria.

Quæ sunt causæ curatrices vulnerum?

Quatuor causæ curatrices Vulnerum.

In felici vulnerum curatione, quatuor causæ efficientes concurrere debent, Natura, Medicus *vel* Chirurgus, Remedia, *& proba vi*ctus ratio.

Natura.

Natura *est præcipua & immediata causa in persanando & conglutinando vulnere; ideò Naturam Paracelsus obscuritatis Magister, ubique in suis barbaris scriptis* Archæum *vocat, quæ suo* Balsamo *h.e. humido radicali, quod calore & spiritu nativo est perfusum, vulnera imbuit, & validissimè connectit eorum divortium, & ad sanitatem reducit.*

Chirurgus naturæ minister.

Medicus vel Chirurgus *minister Naturæ est, & in curatione vulnerum adjuvat Naturam, & sæpè ea præstat quæ Natura præstare nequit; ut, Medicus vel Chirurgus labia vulnerum distantia, & ossa in vulnere confracta coaptare & consuëre potest, atque arma vulneri infixa, & inhærentia corpuscula extrahere removereque potest; quod Natura efficere nequit. Adjuvat autem* Medicus *Naturam, impedimenta ejus è vulnere removendo, apta remedia applicando, & convenientem vivendi rationem ægroto imperando.*

Remedia.

Remedia vulneraria *juvant Naturam, ejusque & Chirurgi operationes efficaces reddunt; ut enim* Chirurgus, *ita & medicamenta vulneri inhærentia extrahunt, Naturæ operationes in conglutinando, carnem generando & cicatricem inducendo juvant.*

Victus ratio *conveniens in curatione vulnerum idem præstat, quod medicamenta; adjuvat enim Naturæ operationem; bona quidem victus ratio persalutaris corroborat naturam, mala autem destruit.*

Victus ratio.

Quæ res impediunt actiones Naturæ in Vulnerum curatione?

In vulnerum curatione præcipua actio Naturæ est conglutinatio, quam impediunt & turbant arma vulneri infixa, & res alienæ vulneri inhærentes, sive hæ intrinsecus inciderint, ut sunt grumi sanguinis, & ossicula confracta; sive foris extrinsecusque sint illapsa, ut sunt aër præter modum intemperatus, Radii visivi venenati, armorum fragmenta, tela, spicula, surculi, spinæ, fragmenta lapidum, vitri, calx, arena, pulv. &c. quæ omnia donec vulneribus inhærent, impediunt operationes & Naturæ & medicamentorum, ideoque Chirurgicam manum ad sui remotionem desiderant.

Impedimenta quæ vulneris conglutinationem prohibent.

Quibus rebus instructus esse debet Chirurgus in vulnerum curatione?

Quatuor potissimum rebus instructus esse debet bonus Chirurgus in vulnerum curatione. 1. Instrumentis. 2. Vulnerariis medicamentis. 3. *artificiosa* Vitæ ægroti *gubernandæ* peritia, 4. *&* artificiosa agilitate manuum *& totius corporis, in peragendis operationibus Chirurgicis.*

Quibus rebus instructus debeat esse Chirurgus Vulnera curaturus.

Quæ instrumenta vulneraria in promptu debet habere Chirurgus?

Chirurgum oportet varia & multa instrumenta in promptu habere, quò commodius operationes manuales peragere queat; & proinde prudens Chirurgus pro præsentis Vulneris constitutione, & ipse nova instrumenta excogitare potest, & usitatioribus uti, quæ paulò ante in hac Chirurgica tractatione enumeravimus. Hoc loco pauca tamen quædam quæ ad vulnerum manualem curationem necessaria sunt, commemorabimus.

Instrumenta vulneraria, quorum

Primum Genus *instrumentorum est* absterforium, *qualia sunt* Spongia *mollis & mun-*

alia absterguunt;

& mundiss. & linteola mundissima & ramenta *linteolorum; quorum usus est ad sanguinis & purulentiæ minutissimarumque rerum vulneribus illapsarum abstersionem & mundificationem, exiccationemque.*

alia extrahunt; Secundum genus *est* extractorium *sive* evulsorium, *talia sunt* forcipes *& majores & minores, aliæ rostratæ, aliæ dentatæ, aliæ cochlearis formam habentes, quæ &* tenacula *communiter nominantur, nostris* Zengelein/ Scherichen / *quarum usus est ad extrahenda avellendaque tela, & alia arma corpori vulnerato infixa.*

alia sublevant; Tertium genus *est* sublevatorium, *ejus generis sunt* Volsellæ, hami, unci obtusi, *quibus molliores partes, ut sunt Nervi, Venæ, Arteriæ, Cutis, sublevari in vulnere possunt; ejusdem quoque generis sunt variæ terebrarum species, quibus ossa impressa sublevantur, & corrupta ossa comminuuntur, quò commodius infixa tela eximi queant, nostratibus hæc* Angel / borer oder Schruven *dicuntur.*

Alia dilatant, & præcidunt; Quartum genus *Vulnerariorum Instrumentorum est* dilatatorium *sive* abscissorium; *talia sunt simplex & duplicata* novacula; Die auf beiden seiten schneiden / Cultri incisorii & scalpelli, Schermesser/ snitzigen ond Laßeysen/ *quibus Vulnerum ora constricta inciduntur & dilatantur, & superflua præciduntur, ut commodius subjectarum partium læsiones contrectari, & evulsoria instrumenta inseri, & infixa arma è Vulnere protrahi queant.*

alia ad explorandum adhibentur; Quintum genus *Instrumentorum est* exploratorium, *ejusmodi sunt* specilli ex argento *vel* ferro, *vel* cerea candela *confecti*, ein Spillichen oder Sucherlein / *iis profunditas Vulnerum, ossium læsio, & materiæ in Vulnere contentæ qualitas exploratur.*

Alia vulnus explent, eique induntur; Sextum est expletivum, *qualia sunt Græcis* πολήνια, *Latine* Linamenta *&* penicilli, *Barbaris autem* Tentæ *&* Turundæ *&* hastulæ, *nostratibus* eine Weke *dicta; conformantur autem talia linamenta vel licinia pro magnitudine & vulnerum figura, ex stupa pexa, aut ex lana xylina, aut ex linamentis h. e. filamentis floccisque linteolorum detritorum carptis, tonsoribus nostris* Kopey/ oder Schauels von tüchern *dicitur; eorum usus est in explendis vulnerum cavitatibus, aut in dilatandis & mundificandis Vulneribus, quæ ut plurimum Vnguento aut mundificativo, aut carnem generante imbuta Vulneribus inseruntur, ut per ea colluvies collecta effluere queat, similiter ex rad. Gentianæ, quæ citam & præproperam Vulnerum conglutinationem prohibet.*

Alia consuunt vulnus; Septimum *Vulneris instrumenti genus est* consuitorium, *ad hoc referuntur* acus *&* filum; *Acum autem debet Chirurgus habere cum mollem & flexibilem, tum duram & ex Chalybe factam. Filum verò quo vulnera consui debent, omnium aptissimum & optimum censetur* sericum rubeum æquale ac validum.

Alia emplastris superimponuntur. Octavum Instrumentum *est compressorium & defensorium, cujus generis sunt* pulvini, *qui &* plumacei *nominantur, qui suprà medicamenta Vulneribus imposita imponuntur, cùm ut Emplastra tenacius Vulneri inhæreant, tùm ut à duritie ligamenti & dolorifica compressione vulneratas partes tueantur. Fiunt autem tales pulvini ex convolutis, triplicatis, quadruplicatisque mollissimis linteolis, aut sacculis lana Xylina infarctis; eorum autem forma pro vulnerum figura & magnitudine est disponenda.*

Alia adhibentur ad deligandum & constringendum vulnus. Nonum genus *est* deligatorium, *ejus generis sunt* fasciæ *& mundissima molliaque & oblonga* linteamina, *trium quatuorve digitorum latitudinem habentia*, Ein bandt oder Winde. *Quorum usus est in deligandis convinciendisque omnibus vulneribus.*

Porro ubi *vulnus, vel loci vulnerati constitutio neque deligationem admittit, ut contingit in facie, tum* vinculis *sive* laqueis *utendum erit, quod ad* Decimum instrumentorum *genus refertur, & fit hac ratione: Duobus linteolis vincula sive fila robusta appenduntur, & glutine illita utrinque sanis partibus vulneri agglutinantur, & vinculis*

lis appensis vulneris labra contrahuntur. Gluten. *Gluten autem hac ratione fit:* ℞. *Farinæ triticeæ, Mastich. Boli Arme. Traganth. Aloës, Bitumi. Iudaici ana* ℈. *ij. tenuiss. pulverisata cum album. Ovorum excipiantur; fiat Gluten.*

Vndecimum Instrumentum propulsorium *dicitur, quod aut est solidum, aut incavatum, quibus globi aut sagittæ telaque propelluntur, & è vulnere excutiuntur.*

Duodecimum Instrumentum, *& omnium instrumentorum organum nobilissimum, sunt* Manus *periti* Chirurgi promptæ *&* agiles, *quibus reliqua instrumenta gubernantur, & Chirurgicæ operationes perficiuntur.*

Remedia Vulneraria quotuplicia, & quibus potissimum formis administrantur?

Remedia Vulneribus *dicata omnia aut sunt simplicia, aut ex simplicibus concinnata atque composita; & in vulnerum curatione administrari quinque potissimum formis solent. In forma potionum, Pulverum, Olei sive balsami, Vnguenti & Empl. Eaque aut intra corpus exhibentur, aut foris vulneri applicantur.*

Remedia simplicia præcipua Vulneribus dicata quæ, & quæ eorum facultates?

Simplicia medicamenta vulneribus dicata. *Simplicia vulneraria remedia nobiliora & longa experientia comprobata, quæ vel foris applicantur, vel intra corpus exhibentur, hæc sequentia magis in usu habentur:*

Sanicula *est quinq; folii species,* Sarneckel.

Pirola, *est Sylvestris betæ species,* Wintergrun.

Ophyoglosson, Adder Zungelein.

Consolida *Sarracenica,* Heidenschwundt kraudt.

Consolida major, Walwurtz.

Calcitrappa, Riddersporen/ *est consolidæ species.*

Persicaria, Vlökraudt.

Agrimonia, Odermenning.

Hypericon. S. Johans kraudt.

Centaur. minus, Aurihn.

Herba Roberti, *est species Geranii sive rostri Ciconiæ, à rubedine* bludtkräut *dicta.*

Plantago utraque, brede ond spitze wegbleter.

Brassica *rubea,* Rodtkol.

Cynoglossum, Hundeszung.

Pilosella, Meüsörlin.

Cariophyllata, Benedicten würtzel.

Matrisylva, Wolmeister oder Mösich.

Pervinca, Singron.

Ex radicibus sunt *Rhabarb. Rhaponticum, Angelica, Aristol. rotund. Ciclamen seu panis porcinus, Mumia, Sperma Ceti.* Walradt. *Paracelsus valdè extollit in vulneribus curandis Specula illa nitida pennarum ex caudis pavonum, & Glandes, quibus ego parum tribuo. Experientia verò edoctus, inter herbas vulnerarias salutares esse deprehendi Herbam Veronicam, quam, ni fallor, Paracelsus Sophiam vocat; quamvis ipsius asseclæ Sophiam ambiguo vocabulo Consolidaginem interpretentur.*

Huic quoque addo fol. Rorismar. Rad. Asclepiados & rad. Chinæ, Sarmenti Indici & grana Iuniperi. Sunt præter hæc alia simpliciorum remediorum genera vulneribus sanandis utilissima, ut sunt succi, Gummata, resinæ, & pingued. quorum mentio fiet & in compositis vulnerariis remediis, & in curationis processu. Inest autem hisce commemoratis rebus facultas & vis, aliis quidem sanguinis fluorem supprimendi, aliis vulnera mundificandi, aliis labia vulneris contrahendi, & conglutinandi, aliis carnem in vulneribus generandi, aliis cicatricem inducendi. Facultates medicamentorum vulnerariorum.

Compositorum remediorum Vulnerariorum quot sunt præcipua genera?

Ex remediis simplicibus jam enumeratis secundum varias formas, quinque potissimum genera compositorum exstrui solent, nimirum potiones vulnerariæ, pulveres vulnerarii, Balsama *sive* olea vulneraria, Uuguenta *&* Emplastra; *Quorum in curandis Vulneribus nobiliora & usu comprobata hoc loco subjicere placuit, rationemque conficiendi breviter indicare.* Formæ remediorum vulnerariorum.

Potio-

Potiones Vulnerariæ quibus modis sunt præparandæ?

potiones vulnerariæ non sunt rejiciendæ.

Potio vulneraria, Ein wundtranck: *Etsi* Johannes Tagaultius, *Gallus*, & Gabriel Fallopius, *Italus*, Medici Clarissimi & Chirurgi Excellentissimi, *in* vulnerum *curatione potiones Vulnerarias damnent & explodere conentur, asserentes eas suo calore sanguinem in corpore inflammare, extenuare, ejusque eruptionem ex vulnere excitare; tamen cum* simplicia vulneraria *non omnia sint calida, sed magna ex parte constringentia, occultaque ac symphyta conglutinandique facultate sint prædita; & Veterum experientia comprobatum sit, solis vulnerariis potionibus & quotidiana vulnerum mundificatione sub fol. Brass. rubeæ gravia vulnera curari posse; nos potiones vulnerarias in curatione vulnerum merito retinebimus, & usurpabimus, quarum paucas formulas nobiliores subjiciemus; Cum autem multum sit situm in vulnerariis potionibus rectè conficiendis, id quoque breviter indicabimus. Semper mihi vehementer displicuit plerorumque Medicorum & Pharmacopæorum coquendi ratio in potionibus & Syrupis; Hi enim assumptis remediis aridis & conscindendis concisis, conterendisque contusis, in olla aut ampla pelvi affuso aliquo liquore ad tertias aut medias eos decoquere solent, in qua coquendi ratione tenuiores partes rerum decoctarum viresque præstantiores cum vapore exhalant, & nil nisi insipidus & inefficax relinquitur liquor. Alios autem longè præstantiores coquendi modos nobis præscripsit* Paracelsus, *quem merito quilibet cordatus imitari debet. Etsi enim* Paracelsus *in aliis omnibus suis scriptis, propter affectatam & invidiâ plenam obscuritatem, immensasque nugas & anilia mendacia, odio & execratione dignus sit; in* Chirurgico *tamen suo* opere *merita laude minimè est defraudandus, qui nobis longe utilissimum modum decoquendi* medicatas potiones *perspicuè proposuit ac reliquit; jubet autem Paracelsus ex superioribus enumeratis vulnerariis simplicibus plura aut pauciora, & quæ cuilibet Medico maximè utilia esse judicantur, recipere, herbasque ac flores conscindere; Radices autem & res solidiores contundere, & in stanneum cantharum conjicere, atque eisdem vini, cerevisiæ, Hydrom. aut aq. q. s. pro artificiosa Medici conjectura adfundere, canthari que operculum molli massa farinacea chartæ illita oblinire, ut ne quid vaporis exspiret, & cantharum cum rebus medicatis in ferventem aquam collocare, ac per duas tresvè horas simul concoquere. Ita enim nihil potest evaporare, & potio limpidissima rerum viribus imbuta, & salutaris evadit. Ejus autem medicatæ potionis, vulneratis mane ac vesperi ℥. iij. aut iv. exhibere jubet; exhaustam vulnerariam potionem si æger retineat, & illa ipsa potio per vulnus instar sudoris conspiciatur, salutare esse indicium; si verò revomatur, infaustum & infelix judicatur.*

Ratio coquendi potiones usitata reprehenditur.

Ratio nova Paracelsi laudatur.

Vulnerariarum *potionum concoquendi & conficiendi formulas quatuor subjiciemus; ac primus quidem modus est qui fit per decoctionem in duplici vase, cujus formula talis esse poterit: ℞. Saniculæ, pirolæ, fl. Centau. min. Veronicæ, ana M. ij. Calcitrappæ M. s. Agrimo. M. j. Concidantur, & cum ℔. jv. Vini decoquantur in cantharo per duas horas; Aut ℞. Ophyogloss. M. ij. Matrissyl. pyrolæ ana M. iij. Rhab. ℥. ij. Rhapont. ℥. j. s. Conscindendis conscissis, & contundendis contusis cum ℔. v. Hydrom. aut cerevis. aut aq. in duplici vase ad horas tres concoquantur.*

Potiones vulnerarias conficiendi quatuor formulæ.

Secundo modo *conficiendæ sunt* Vulnerariæ potiones *ex herbis, & rad. paulo ante enumeratis adhuc recentibus & virescentibus, quæ pro Chirurgi prudentis arbitrio accipiantur, contundantur & in cantharum reponantur, nullo addito liquore, ac cantharo tandem oblinito, in ferventi aqua per quatuor horas coquantur; ea enim ratione clara & non ingrata potio ex illis elicitur, & prodest talis potio vulneratis, qui vini gustum ferre nequeunt, aut capite sunt vulnerati.*

Altera ex simplicib. viridibus absque liquore coctis, aut ex succis eorum expressis, & coctis.

Exemplum; ℞. *Agrimon. Sanic. pyrolæ, Veronic. Beton. Consol. ma. Cariophyl-*

latæ

lata cum rad. Matrisſyl. Herb. Roberti ana M.j. Gran. Iunip. ℔. *ſ. contuſa in canthavo oblinito, ut dixi, elixentur, juſculumque elixum percoletur, fiat potio vulneraria. Simili ratione optimè parari poſſunt vulneraria potiones ex earundem herbarum expreſſis ſuccis in duplici vaſe diu multumque concoctis.*

Tertia per decoctionem cum aquis ſtillatitiis vulnerariarum herbarum.

Tertius modus *parandarum vulnerariarum potionum eſt, qui fit ex herbis & rad. vulnerariis in aquis ſtillaticiis herbarum vulnerariarum in duplici vaſe, ut primo modo diximus, decoctis. Exemplum;* ℞. *Aq. ſtillati. Agrimo. Centaur. mi. ana* ℔. *iij. cum quibus macerentur herbæ ſiccæ & conciſæ Sanicula, pyrola, Veronica, Pervinca ana M.ij. Rhab. ſelect.* ℥.*j. Conſol. ma.* ℥.*ij. Coquantur, ut dictum eſt, in dupl. vaſe ad horas quatuor.*

Quarta per deſtillationem.

Quartus modus *eſt celeberrimus, qui fit per* deſtillationem Chimicam, *per organa deſcenſoria ſive per incurvatos canales in aq. frig. adaptatos; quemadmodum deſtillantur Ol. ex ſem. Aniſi vel Angel. quem modum in noſtra Iatrochimia deſcribemus. Exemplum;* ℞. *Baccarum Iuniperi* ℔. *iv. Saniculæ, Pyrolæ, Matrisſylvæ, Symphyti major. Veron. ana M. iij. Ophyogl. perſpicar. Calcitrap. ana M.j. ſ. Rad. Ariſtol. rot.* ℥. *iij. Conſcidendis conciſis & contundendis contuſis macerentur in q. s. aq. & in aneum vas ſimul perfundantur ac artificiosè deſtillentur, aut diſponantur in vitream cucurbitam, & vel per balneum Mariæ, aut in arena ferventi deſtillentur, & liquor bis terve ſiccis fecibus infundatur, ac denuo deſtilletur.*

Pulveres vulnerarii qui, & quas habent facultates?

Secundum genus Vulnerariorum remediorum ſunt Pulveres medicati, Wundt pulver / *Chirurgis dicti. Fiunt autem pulveres vulnerarii ex variis & aridis ſimplicibus tenuiſſime contritis & inter ſe commixtis, quorum facultas & virtus in vulnerum curatione varia eſt; alii enim ſanguinem erumpentem ſuppriment, alii labia vulnerum dehiſcentia contrahunt, & conglutinant, alii carnem in cavis vulneribus generant, alii cicatricem inducunt, ex quibus nobiliores hi ſunt:*

Pulveres vulnerarii.

Pulvis vulnerarius ſanguinem ſiſtens?

Simplices pulveres *ſunt* Crocus Martis *à* Paracelſo *excogitatus, cujus parandi rationem in Iatrochimia noſtra indicabimus.*

Cinis Ranarum *vulneri inſperſus*, pulv. calcis *vivæ & pul.* Arſen. *ſublimati.*

Compoſitus eſt ℞. *Boli Arme. Sang. Drac. Thur. Aloes ana* ℈. *ij. tenuiſſimè contrita miſceantur, & Vulneri inſpergantur, aut cum album. ovi commiſc. in Linimenti formam, & cum pilis leporinis, qui inter inguina hærent, excipiantur, & vulneri ſanguine fluenti imponantur.*

Pulvis labia dehiſcentia vulnerum contrahens, ein Haftpulver.

Simplices *Pulveres contrahentes ſunt pul. Boli Arme. pul. Acatiæ.*

Compoſ. ℞. *Olibani, Myrrhæ, Maſtich. ana* ʒ.*i. Corall. rub. prap.* ʒ. *s. Aloes Epati. Mumia ana* ℈. *ij. Acat.* ʒ. *s. Boli Armen.* ʒ. *ij. Tenuiſſ. pulveriſata commiſc. Aut* ℞. *Suc. Prunor. ſylv. immaturorum, ſucci Corrigiolæ, ana* ℥.*ij. Suc. Biſtortæ,* ℥.*j. Succ. Gallarum immaturarum* ℥.*j. s. Commiſc. in eiſque diſſolvantur Gummi Ammoniac.* ℥.*ij. & commixta in Solis fervore exiccentur, & in tenuiſſimum pulverem redigantur.*

Pulvis Vulnerarius Conglutinans, ein Heilpulver?

Fiunt Pulviſculi *ex ſimplicibus Bolo Arme. Symphito, Mumia, Maſtich. Olibano, Millefolio, qui vulneribus inſperſi illud conglutinant.*

Compoſitus eſt ℞. *Rad. Symphitima. Boli Arme. Colopho. ana* ʒ. *ij. Maſtich. Olibani ana* ʒ.*j. Sang. Draconis, Mumia ana* ʒ. *s. Miſc. fiat tenuiſſ. pulvis.*

Pulvis Sarcoticus, h. e. carnem in Vulneribus generans:

Alii Cicatricem inducunt. Ex simplicibus *sunt tenuiss. pul. Thuris, Mastich. Sarcocollæ, Aristol. rot. & Colophoniæ.*

Compositus est: ℞. *Olibani, Aloës, Sarcocollæ, Sang. Draconis, Irid. Illyricæ ana ʒ.s. tenuissimè pulverisata commisc.*

Pulvis Epuloticus, h. e. Vulnera cicatrice claudens.

Ejus generis sunt ex simplicib. *Pul. Litharg. Cerussæ, cinis Plumbi, Tutiæ, Calcis multum elotæ:*

Compositus est: ℞. *Balaust. Sang. Draco. Cerussæ, Litharg. Rad. utriusque Plantag. ana ʒ.j. tenuiss. pulverisata commisceantur.*

Hæc de pulveribus medicatis, *quæ in curatione vulnerum utilissimè usurpari possunt, dixisse satis est. Observandum tamen in vulneribus quibus Symptomata sæviora copulata sunt, ut Tumor, Durities &c. non prius his pulvisculis utendum, donec hæc sint remota.*

Balsama, sive olea vulneraria quæ, & quas habent facultates sive effectus?

Pinguia vulneribus inimica. *Tertium genus remediorum vulnerariorum sunt* olea medicata, *quæ per ἐξοχὴν sive per excellentiam, à Chirurgis Balsama nominantur; Cum autem omnia pinguia Vulneribus ipsis instillata inimica sint, & destruant impediantque actiones Naturæ, nec olea cruda atque simplicia, nec aliæ pinguedines nisi medicata Vulneri illiniri aut instillari debent: Nam quod Filius Dei, vulnerum humani generis perfectissimus Medicus, Vulneribus Samaritani Oleum & Vinum instillavit, non de oleo communi, sed de precioso Balsamo, quo tum Horti Hierochontei abundabant, intelligi debet;* Balsamum nativum non habemus. *Verùm cum Balsamo genuino hoc seculum destitutum sit, veteres Sapientes vice Balsami Olea medicata, & per destillationem insolationemque præparata prudenter excogitarunt, quibus loco Balsami commodissimè utuntur, quæ ubi ritè præparata sunt, excellentissimas habent facultates in vulnerum conglutinatione, & bona carnis generatione, partisque læsæ corroboratione. Porrò subjectum vel materia omnium vulnerariorum præcipuorum Balsamorum, est aut Ol. destillatum, aut Terebinth. destill. aut vernix Pictorum, aut Medulla, aut Ol. è strobillis destillatum.* Eorum materia & præparatio. *Olea vero & Terebinth. ad materiam Balsami semel tantum & leniter, sine coloris & odoris amissione, arte Chimica (ut in nostra Iatrochimia edocebimus) destillanda erunt. Recipiuntur autem in præparatione Balsamorum liquores præscripti, ex eisque aut unus aut plures pro Medici arbitrio, & vitro constricti orificii imponuntur, eisque admiscentur flores & herbæ vulnerariæ, & per æstatem Solis radiis exponuntur, subindeque commoventur, ut exempli causa: ℞. Flor. Chamom. Rosar. Hyperico. Centaur. min. Chelido. ma. ana M. ij. conscissis affundantur ping. aut Ol. præscripti destillati q. s. & probè obstructa per æstatem in ferventi Sole macerentur, & fiat Balsamum, quod vulnera mirificè sine dolore conglutinat, & omnia Symptomata arcet;* Balsama factitia. *Fiet autem preciosius Balsamum si in eodem pingui liquore singulis annis recentes flores prioribus infundantur; Aut ℞. Ophioglossi, Pirolæ, Saniculæ ana M. j. fl. Agrimo. Hyperic. ana M. ij. Rad. Symphiti ma. contusi M. s. Lumbricorum terrestr. generoso vino elotorum numero centum; commistis in vitro adfundatur Ol. destill. Terebinthin. aut Gl. è strobilis destillatum, q. s. & per æstatis fervorem Soli exponatur, & fiat Balsamum. Preciosum quoque balsamum fiet, si præscriptæ libræ vulnerariæ vernici Pictorum admisceantur, aut si in vernicis una libra resolvantur lento igne pul. Mastich. ℥. ij. Olibani, Myrrhæ ana ℥. j. Mumiæ ℥. s. Ad Balsami quoque vulnerarii speciem referri potest Oleum Hyperic. cujus variæ descriptiones tum apud Chirurgos, tum in libellis Pharmacopœorum, qui* Dispensatoria *vocantur, habentur, quas consultò præterimus,* Oleum Hypericonis. *& uni-*

& unicam ejus ad nervorum vulnera præstantissimam duntaxat subjiciemus: ℞. Terebintin. crudæ ℥. ij. Ol. Tereb. ʒ. vj. ol. rosa. ℥. j. Vermium terræ in vino Malvatico elotorum ℥. j. s. Rubeæ tinctorum ʒ. ij. fol. Rorisma. Millefolii. Flor. Cent. min. ana M. s. Sulph. ℥. j. Conterantur crassiusculè & admisc. Vini Cretici ℥. j. & simul in Sole ferventi dierum Canicularium per 14. dies macerentur; deinde ebulliant ad vini evaporationem & fortiter expressa colentur; ejusque pinguis liquor in vitro reponatur, & iterum repleatur floribus Hypericonis & seminibus simul contusis, & per æstatem Solis radiis exponatur, & fiet oleum vulnerarium ad vulnera Nervorum Balsamo preciosius.

Unguenta vulneraria,

Unguenta vulneraria præcipua quæ, & quomodo paranda?

Eorum materia.

Quartum genus sunt Unguenta quæ Veteribus ex Melle & Butyro concinnabantur. Cum enim mel & Butyrum ex saluberrimis herbarum floribus proveniant, & in melle insit mundificandi facultas; in Butyro verò emolliendi & dolores mitigandi; ex iis solis ad ulcera & vulnera curanda unguenta parabantur. Recentiores autem Medici iis addiderunt Olea, Pingued. Medullas, gummata, resinas & ovorum lutea. Unguentorum vulnerariorum autem alia mundificant, alia conglutinant, alia carnem generant, & cicatricem inducunt, h. e. vulnus nova cute obsignant: Ex oleo itaque, butyro, melle, & medullis, & per se sigillatim & inter se mixtis salutaria unguenta confici possunt, si illis herbæ vulnerariæ superius commemoratæ, & flores adhuc virescentes commisceantur, & vel in Sole, ut de Balsamo diximus, macerentur, aut leni igne decoquantur, expressaque percolentur.

Facultates.

Formulæ.

Exemplum Consolidativi Vnguenti. *℞. Terebinthin. ℔. s. lutei ovorum N. x. multum inter se subigantur, eisque admisc. pul. tenuiss. rad. consol. ma. ℥. s. Aristo. rot. ʒ. ij. Farinæ triticeæ puriss. ʒ. vj. Commisceantur exactissimè, fiat Unguentum.*

Porrò aliorum Unguentorum vulnerariorum descriptiones extant in libellis Pharmacopœorum, ex quibus

Vulnera egregiè mundificant *Unguentum Apostol.*

Carnem generant & consolidant *Unguentum Basylicon.*

Cicatricem inducunt *Unguent. è Cerussa, aut illud sequens, quod simul & conglutinat: ℞. Colopho. Sulph. Olibani ana p. æ. tenuiss. pulverisata ovorum albuminibus in Unguenti formam redigantur, & vulneribus applicentur.*

Emplastra vulneraria præcipua quæ?

Emplastra vulneraria.

Quintum genus sunt Empl. Ein Wund oder Stich-plaster. *Omnium ferè vulnerum commodissima curatio perficitur per Empl. convenientia, quæ nobis magna ex parte in Ulcerum curatione proposita sunt. Hoc loco satis esse arbitramur nobiliorum Empl. pauca exempla subjicere, præparandique rationem breviter ostendere.*

Emplast. de Succino ad Vulnera conglutinanda?

Emplastrum de succino.

℞. Ceræ novæ ℔. *s. Colopho. ℥. iiij. Thereb. ℥. j. s. & simul ad lentum ignem liquefiant, eisque adhuc tepentib. admisce tenuiss. pul. Mastich. ʒ. vj. Succini flavi ʒ. vj. Subigantur, liquefiantque supra lentum ignem, postea ab igne depositis, iterum admisc. tenuiss. pul. Mumiæ, Olibani, Myrrhæ, ana ʒ. j. s. Aloës Epaticæ ʒ. iij; probè commisceantur, ubi nonnihil sunt refrigerata, in pelvim aut aliud vas frigida aqua plenum perfundantur, atque manibus oleo aliquo vulnerario aut pinguedine inunctis, diu multumque subigantur, & eo usque contrectentur, donec nihil asperitatis in eo remaneat, fiat Empl.*

Emplast. extractivum ad elicienda arma, & vulneribus inhærentia corpuscula?

Emplastrum quod vulneri inhærentia tela extrahit

℞. Ceræ novæ ℔. s. Colopho. Picis laricea sive sutoriæ ana ʒ. iij. Liquefiant simul & te-

& tepidis admisc. sequentia Gummata in aceto vini resoluta, & à sordibus excreta. Gum. Ammo. ℥. j. Bdellii ℥. s. commixtis simul admisceantur, & tenuiss. pul. Lap. Magnetis ℥. ij. s. Succini flavi ℥. j. s. probè commisceantur diu multumque subigantur, & manibus oleo Hypericon. inunctis, eo usque contrectentur, donec omnem asperitatem exuat: fiat Empl. quo omnia recentia Vulnera & per Chirurgicorum imperitiam vitiata, facilè & fœliciter persanari, quove è vuln. globi plumbei, armorum fragmenta & alia corpora inhærentia elici possunt.

Emplast. mirabilis efficaciæ in conglutinandis Vulneribus.

Emplastrum mirabiliter conglutinans.

℞. *Ceræ novæ, Ol. vulnerarii sive leviter destillati, quemadmodum in superioribus docuimus, ana ℥. xij. Resolvantur lento igne, eisque admisc. Lytharg. tenuiss. pulveris. ℥. viij. Lap. Calamin. tenuiss. contriti ℥. iiij. Decoquantur lento igne continuè, vel ferrea, vel lignea spatula agitando, donec Ceroti formam acquirat, h. e. donec ejus guttæ per stanneum orbem refrigeratæ, & digitis contrectatæ, eis non adhæreant, tandem admisce quoque vernicis medicatæ, h. e. in qua medicamenta sunt macerata ℥. iiij. Terebinth. destillatæ sive Ol. Terebint. ℥. ij. rursum commixta tenuiss. concoquantur, donec justam formam nanciscatur, cui postremo adhuc tepido commisceantur sequentia gummata macerata, & percolata Gumm. Ammon. Bdellii ana ʒ. ij. Oppopa. Galbani ana ʒ. iij. ac tandem seq. pul. tenuiss. eidem admisc. Coral. rub. & alb. Lapidis magnetis ana ʒ. vj. Olibani, Mastich. ana ℥. s. Subigantur in aq. frig. fiat Empl.*

Empl. Barbarum, quod à Galeno in conglutinationibus vulnerum magnopere laudatur.

Emplastrum Barbarum Galeni.

℞. *Picis siccæ ℥. viij. Ceræ novæ ℥. vij. Resinæ pini ℥. v. Asphalti ℥. iiij. Ol. Olivarum ℥. viij. Terebinth. ℥. ij. Aceti vini ℥. v. Resolvantur simul ad lentum ignem, & leniter coquantur ad aceti evaporationem, quibus tandem admisc. Succi Mandragoræ, sive loco ejus, Solani ʒ. ij. Pul. tenuiss. Lytharg. Cerussæ ana ℥. j. Ærug. ℥. s. Thuris, Myrrhæ, & squammæ æris, quam* Paracelsus *Crocum Martis nominat, ana ʒ. j. s. Gum. Oppopa. Galbani cum aceto resoluti & percolati ʒ. ij. Probè commisc. & artificiosè in frig. aq. subigantur, fiat Empl. quod arcet Symptomata à vulnere, mitigat dolores, sedat inflammationes, & conglutinat omnia vulnerum genera.*

Quam victus rationem vulneratis imperare debet Chirurgus?

Victus ratio vulneratis præscribenda.

In vulnerum curatione necessariò observanda est victus ratio: Naturam enim corroborat, corporis intemperiem corrigit & sanguinem conglutinandis vulneribus necessarium suggerit. Per victus porrò rationem non tantum alimentorum bonitas, & malitia intelligenda erit; sed earum omnium quæ corporis naturam sustentare & alterare possunt, & ideò Gal. eas causas naturam conservatrices nominat, quæ numero sex sunt, recentioribus Res non naturales dicuntur, videlicet Aër, Cibus, Potus, Somnus & Vigilia, Exercitium sive motus & Quies, Retentio & expulsio, & animi commotio. *Quomodo itaque in hisce sex rebus se gerere debeat vulneratus, ne curatio impediatur, studiosè providere debet Chirurgus.*

Aër.

Aër *itaque in quo vulneratus versatur ac decumbit, debet esse temperatus, & nec in frigiditate nec caliditate excellens. Utrumque enim & caliditas & frigiditas extensa vulneri est inimica. In æstate tamen magis ad frigiditatem, in hyeme ad caliditatem declinare debet.*

Cibus & Potus.

Cibus & Potus *Vulneratorum talis esse debet, ex quo optimus generatur sanguis. Verum cum non sit penes Chirurgum, ut æger exoptatis fruatur alimentis, sed fortunæ vulnerati & conditioni sæpè inserviendum sit, ea tamen semper eligat alimenta, quæ omnium minimè actiones naturæ in curatione vulnerum impediant. Talia sunt jusculæ ex Cerevisia & Butyro; ex Cerevisa & ovorum*

ovorum luteis confecta. Iuscula denique & carnes Gallinarum, vitulorum, Boum juvencorum, quibus adnumerari possunt & ova sorbilia. Rad. Cariotæ, Pruna Vngarica, pulmenta è pomis, Ptisana hordeacea, Lac amygd. & *ex* Piscibus *Percæ aculeatæ, & Lucei.*

Potus *verò in initio curationis aq. Cinamo. Cerevisia clara, non adeò plena, h. e. fortis, deinde & Vinum tenue, & Hydromeli concedi possunt, nisi qui capite sunt Vulnerati, aut qui corpore plethorici, aut inflammationes vulneri adjunctas habent, iis à vino & hydromelite abstinendum est. In universum autem fugienda sunt carnes qualibet fumo indurata, aut sale macerata; item caro suilla, caro anserina, anathina, pisces facilè putrescibiles, quales sunt Anguilla & Tinchæ. Vitandi quoque sunt casei, fructus crudi, nuces, cæpe, sinapi & omnia acria aromata.*

Somnus & Vigilia.

Somnus & Vigilia *Vulneratis moderata esse debet, utrumque enim si modum excedat, attestante Hippocrate & experientia, malum est; inprimis autem diurnus somnus cavendus, nisi nocte antecedente vigiliæ molestarunt vulneratum, ubi metuitur defluxio, & dolor partem vulneratam infestat.*

Motus & Quies.

Motus & Quies. *Sine quiete vulnus sanari nequit, si tamen vulnus in partibus est inflictum, citra quarum noxam reliquæ partes moveri & exerceri possunt, moderatum exercitium eis concedi poterit, ut, vulnere existente in superioribus, statio, sessio & inambulatio conferunt. Vulnere autem sub Diaph. existente, quies & decubitus eligendus est. Laboriosæ verò commotiones corporis, ac inprimis Venerea actio, ut ipsa pestis, vitanda est. In quiete autem à decubitu vulnerata pars ita collocanda & configuranda est, ut sine dolore & molestia flecti & extendi queat, & ut humores vitiosi ad vulnus minimè confluere queant.*

Retentio & excretio.

Retentio & excretio. *Nisi assumpta alimenta retineantur, & superflua excrementitiaque humiditates justo tempore excernantur, vehementer vulnerum curationem impediunt; cum autem & retentio & excretio Naturæ sint operationes, si ipsa natura assumta retinere nequeat, sed vel per alvum, vel per vomitum rejiciat, aut si superflua excrementa intrà corpus retineat, natura, arte & medicamentis adjuvanda erit. Quibus autem remediis id conandum sit, paulo infra in removendis Symptomatibus, vomitu videlicet & alvi suppressione, declarabimus. Id tamen præter Symptomatum remotionem observandum est; ubi opus sit artificiosa evacuatione; vulneratorum natura primum est contemplanda, & si corpus sit plethoricum, debet fieri evacuatio per venæ sectionem; si corpus sit κακόχυμον, tum per medicamenta subducentia; habita semper ratione virium, humores sunt evacuandi. Et cum nullus humorum in vulneribus plus negocii faciat quam bilis flava, ideò ea maximè in vulneratis evacuanda erit.*

In bilis *autem* evacuatione *laudatissima sunt remedia Pulpa Cassiæ, Syr. rosatus solutiv. infusum Rhab. & Electua. Rosatum Mesuæ. Reliquorum humorum purgandorum remedia ex tabellis nostris in superioribus petenda erunt. Oportunissimum autem est purgationis tempus in vulneratis, ubi fluxio & inflammatio metuitur.*

Animi commotiones & affectus.

Animi commotio, *sive* affectus. *Præter moderatam lætitiam, & bonam spem, omnes animi commotiones, inprimis autem ira, metus, tristitia & sollicitudo, quantum fieri potest, procul abesse à vulneratis debet. Mirum enim in modum animi commotiones vulnerum persanationem turbant, & impediunt. Quare imperandum est amicis & administris ægri, ne occasionem alicujus commotionis præbeant, vel tristi narratione, vel alia offensione.*

Curatio vulnerum per quot, & quas operationes perficitur?

Demonstratum nobis est quatuor causas effectrices in persanatione vulnerum concurrere, Naturam, Remedia, Alimenta, & manus Chirurgi; Ita sane quatuor erunt operationum genera, per quæ vulnera omnia sananda sunt; Naturæ nimirum,

medicamentorum, alimentorum & manuum Chirurgi.

Naturæ proprietates, *vel* propriæ *operationes in curatione vulnerum sunt conglutinatio, nova carnis generatio, & cicatricis inductio.*

Naturæ opera in curatione vulnerum quæ sint, utque natura juvetur.

Has Naturæ operationes adjuvant medicamenta *vulneribus imposita, superfluam humiditatem exiccando, vulnus constringendo, partis affectæ temperiem conservando, & Symptomata prohibendo.*

Victus ratione *adjuvantur operationes Naturæ, intemperiem partis affectæ corrigendo, totumque corpus corroborando, & inculpatum sanguinem ad conglutinationem & carnis generationem Naturæ suggerendo.*

Chirurgus *vero Naturæ operationes adjuvat, impedimenta sanationis è vulneribus removendo, arma & aliena corpora vulneri inhærentia evellendo, sanguinem erumpentem abstergendo, concretum in vulneribus eximendo, labia vulnerum hiantia ab invicem distantia coaptando, & consuendo, purulentosque humores è vulneribus detergendo, vulnus artificiosè deligando, & vulneratam partem debito modo conformando & collocando, convenientiaque Pharmaca usque ad finem curationis applicando, & Symptomata, si quæ incidunt, auferendo.*

De Remediorum & alimentorum *facultatibus atque operationibus antea satis dictum est; nunc tempestivum est de operationibus manuum Chirurgi necessariis, & quæ circa singulas operationes manuales in Vulnerum curatione observanda sunt, breviter differere.*

Operationes manuales Chirurgi quot, & quæ circa singulas sunt observanda?

Chirurgus quædam præstat quæ natura non potest.

Chirurgus *peritus non tantum minister, sed sapè etiam magister est Naturæ. Natura enim etiamsi sola sanitatem adferat, tamen per se nec arma extrahere, nec vulnerum labia distantia coaptare consüereque, nec pus abstergere, nec partes distortas dirigere, in locumque proprium restituere potest, quæ omnia præstat* Chirurgus; *& ideò hæc pars Medicinæ ab operationibus manualibus Chirurgi,* Chirurgiâs *nomen adepta est, quæ nostris rectè* ein Kunstreicher handtgriff und wundartzney *dicitur. Consistit autem omnis operatio* Chirurgi *in artificiosa manuum promptitudine, quæ non nisi exercitatione à præstantibus Magistris addisci & comparari potest. Sunt autem præcipuæ manuum operationes ad vulnerum curationem necessario numero octo.*

Operationes Chirurgicæ in curandis vulneribus.

1. Extractio armorum *vulneri infixorum, & rerum alienarum vulneri inhærentium.*

2. Sanguinis è Vulnere *fluentis abstersio, erumpentis suppressio, & concreti cruoris emundatio.*

3. Labiorum *Vulnerum dehiscentium coaptatio, & conjunctio.*

4. Artificiosa *Vulnerum consüitio.*

5. Remediorum convenientium *Vulneri applicatio.*

6. Apta & naturæ *conveniens vulneris deligatio.*

7. Excrementorum *in Vulnere generatorum remotio & emendatio.*

8. Symptomatum, *si quæ vulneri incidere possunt, præcautio & præsentium sublatio.*

In hisce octo manualibus *operationibus generalis omnium vulnerum curatio consistit; quæ itaque Methodo singulæ sint peragendæ, & quæ regulæ circa quaslibet sint observandæ, nunc breviter explicabimus.*

Extractio armorum vulneri infixorum, & rerum alienarum inhærentium evulsio, quomodo perficienda, & quæ circa eam observanda?

Eorum quæ vulneri infixa sunt extractio.

Armorum varia genera, & quæ alia vulneribus inhæret.

Prima Chirurgi operatio est armorum & rerum Vulneri inhærentium extractio, & evulsio: varia porro armorum genera, ut sunt Gladius, Cuspis, Pugio, Sagitta, Tela, Spicula, glandes sive globi plumbei (quæ nostratibus geschoß / pfeile/ stralen

ſtralen vnd Kugelen / in dem leibe gehowen/geſtochen/oder geſchoſſen *dicuntur) violenter infliguntur, incutiuntur, & implodunter, quæ propter violentam incuſſionem ſæpè perniciem adferunt. Quin etiam ſæpè vulneribus inhærent aliena corpuſcula, ut ſunt lapidum, vitri, ſurculorum & oſſium fragmenta; item arena, calx & veſtimentorum particulæ, pili &c. quæ niſi tempeſtivè eximantur, naturæ operationes in conglutinando, carnem generando, & cicatricem inducendo, remorantur & impediunt. Et quanquam grandiora arma, ut ſunt gladius, cuſpis, & pugio, & quorum manubria è Vulnere prominent, vel ſponte prolabantur, vel antequam Chirurgus accerſatur à proximis & amicis præſentibus extrahantur, tamen quando altius infixa & tenacius hærent, aut profundius in Vulnere deliteſcunt, aut membris principalibus, Chirurgi induſtriam & dexteritatem, manuumque promptitudinem ad ſui extractionem deſiderant; quæ ſanè aut manibus, aut Chirurgicis inſtrumentis, aut medicamentis, aut magicis incantationibus pro natura vulneratæ partis artificiosè eximi, & evelli debent. Chirurgus itaque induſtrius, ad curationem vulneris, in quo adhuc arma infixa hærent acceſſurus, inſtructus eſſe debet;*

Primò inſtrumentis *evulſoriis ac inprimis forcipibus omnis generis, Volſella, Terebris inciſoriis, & propulſoriis, quorum in ſuperioribus meminimus.*

In extrahendis armis quæ conſideranda.

Secundo Remediis *ad animi deliquium facientibus, tum quæ intra corpus adhiberi, & extra applicari poſſunt, quorum formulas infra in Symptomatum vulnerariorum curatione de Syncope propoſituri ſumus.*

Tertiò accurata diligentia *conſiderare debet naturam, ſitumque partis in qua arma ſunt inflicta; hærent autem arma fixa aut in carnoſis partibus, aut oſſeis, aut nervoſis, aut in viſceribus, aut in ipſis articulis.*

Quarto *obſervabit ſtudiosè formam figuramque armorum, utrum ſint lata, rotunda, ancipitia, & antrorſum retrorſumque acuminata.*

Quinto, Vtrum arma *altius profundiusque vulneri inhæreant, aut partem vulneratam penetrent, tranſeantque, quibus probè cognitis in extractione armorum ſequentes regulæ ſunt obſervandæ:*

Canones in extractione armorum tenendi.

Primo ſi *arma in lethalibus vulneribus fixa hæreant, qualia ſunt vulnera Cerebri, Cordis, Diaphragmatis, Ventriculi, inteſtinorum gracilium, Matricis, Veſicæ, venæ cavæ & arteriæ magnæ, Chirurgus prudens non niſi rogatus cum proteſtatione prædictioneque de vitæ periculo, manus vulneri admoveat, & arma extrahat.*

Secundo in armorum *extractione accuratè proſpiciat Chirurgus, ne vel ſuis inſtrumentis, vel acie armorum extractione in vulneribus exiſtentes, nervos venasque & arterias majuſculas ſauciet ac lædat, ex eorum enim vaſorum læſione ſæpè majores noxæ excitabuntur, quam ex ipſo vulnere.*

Quare ubi talia vaſa in vulneribus in conſpectum veniunt, ea obtuſo hamo ſublevanda, vel ligneo ſpecillo ad latera removenda erunt, donec arma ſint extracta.

Tertio Arma *infixa vulneri præſtat ſtatim in initio, donec vulnus recens eſt, & liberum à Symptomatibus, extrahere, præſertim ſi conſpicua ſint, & commodè ſineque difficultate eximi queant; verùm ubi arma profundius in carnoſis partibus fixa deliteſcant, & nec facilè, nec ſine gravi noxa evelli queant, ea ſpacio novem dierum aut circiter in vulnerata parte relinquenda ſunt, donec caro armis circumjacens putreſcat, & ſuppuretur: tum enim laxata arma facilius protrahi poſſunt, interim tamen ſingularis cura eſt adhibenda, ne graviora Symptomata in vulneribus excitentur, & vulneri ſubinde extractoria remedia applicanda erunt.*

Quarto, *Arma quæ carnoſis partibus fixa hærent, facilius & minori cum periculo extrahi poſſunt, quam quæ in nervoſis aut in ligamentis. Ea enim ut plurimum motui ac ſenſui noxam adferunt, & ichores*

in vulneribus progenerant, & ingentes dolores excitant; sic in ossibus hærentia difficilius evelluntur; in visceribus rarò sine vitæ periculo.

Quinto, *Etsi autem omnes modi extrahendorum armorum scriptis tradi minimè possunt, sed Chirurgi prudentiæ pleraque committi debeant; tamen pro natura vulneratæ partis, & figura armorum magna ex parte duobus potissimum modis evellenda & extrahenda sunt, retractione videlicet per eandem viam per quam ingressa & impulsa sunt, & per propulsionem ex adversa sana parte, novo facto vulnere; qui modi extractionis aut manuum, aut Instrumentorum, aut remediorum protrahentium præsidio debent perfici.*

Sexto, *Retractione arma evelluntur, quæ in vulnere apparent, & in superficie vulneris hærent; minora vero arma in vulnere latentia, & profundius hærentia, & quæ ultra mediam crassitiem vulneratæ partis penetrârunt, in primis globi plumbei, tela & sagittarum spicula, & maximè quæ utrinque acuminatas & retro vergentes pinnas habent, quas ideò nos anchoriformes appellamus, & nostratibus* ſtrahlen *dicuntur, si loci affecti natura permittat, propulsione, protrusioneque securius quàm retractione eximi possunt.*

Septimo. *In Retractione armorum si vulnus angustius sit, quam ut corpus inhærens extrahi queat, Vulneris os aut scalpello, aut novacula, aut cultro incisorio dilatandum erit.*

Octavo, *Arma, ac inprimis sagittæ, ac globi, in vulnere delitescentes, quàm profunde impulsi sunt, & utrum in carne, osse, visceribus aut coarticulationibus hæreant, immisso vulneri argenteo aut ferreò specillo, facilè explorari potest.*

Nono, *Si itaque tela & ejus generis arma in musculis sive carnosis partibus fixa hæreant, ac delitescant, apprehendique manibus nequeant, instrumentis convenientibus retrahantur; aut si maximam partem læsæ partis penetrarunt, per instrumenta propulsoria in adversam partem discutiantur.*

Decimo, *Glandes sive globi plumbei si ex propinquo, corpori sunt implosi, sua violentia cum ossa, tum viscera perrumpunt, & citam mortem inferunt: Ex longinquo autem impulsi, aut si alio quovis modo eorum violentia frangatur, ut corpus penetrare nequeant, sed in carnosa tantum aliqua parte subsistant & hæreant, nihil inferunt periculi, & vulneris consolidationem admittunt, cicatricemque recipiunt, etiamsi in corpore remaneant; sed temporis processu, ac post plures annos, ab ipsa natura, cum abscessu propelluntur.*

XI. *Tela, sagittæ & similia arma ossi infixa semper per eandem viam retrotrahendo, ac huc atque illuc leniter commovendo, donec ab osse liberentur, evellenda sunt: cavendum tamen ne inter agitandum confringantur, & eorum particulæ in osse relinquantur; at verò si in osse firmius hæreant, quàm ut ulla ratione evelli queant, os ipsum circa telum sive spiculum terebello accommodato circumquaque multis foraminulis excavetur, donec telum liberè protrahi queat.*

XII. Tela & alia arma *in coarticulatione ossium hærentia, retrahendo eximi debent; verum ante extractionem utraque pars coarticulata robustis fasciis circumvolvatur, & ab invicem forti tractione distrahatur, ut articulus dilatetur ac laxetur, & ita arma commodius sine læsione nervorum & ligamentorum, quorum vulneratio periculosa est, retrahi queant. Hæc de extractione armorum è vulneribus Chirurgiæ Studiosis observasse satis erit.*

Porro ubi in vulnere *corpora minutiora, qualia paulò ante recensuimus, inhæreant, naturæque operationes remorentur, & neque manibus, neque Instrumentis eximi queant, ea ut plurimum processu temporis à natura ad vulneris superficiem propelluntur, ante quam propulsionem nulla potest vulneris fieri conglutinatio.*

Vt autem citius ea *protrudantur, natura remediis extrahendi facultate præditis, & vulneri impositis, adjuvanda erit, quorum* reme-

remediorum in superioribus meminimus. Hoc loco satis erit pauca tantum subjecisse.

Ex quibus simpliciora sunt radix arundinum *contusa, & cum melle in formam Catapl. redacta, quæ sine dolore, & arma & aliena corpuscula è vulnere prolicit. Idem præstat & plantago aquatica, cum radice eodem modo imposita. Item cinis ranarum aquatilium cum melle temperatus & impositus.*

Composita verò *extrahentia remedia celebriora hac habentur: Empl. extractivum Avicennæ, quod sic habet:*

℞. Propolis i. e. sordium *alvearibus apum adhærentium, aut, si ea ad manus non sunt, Mellis Virgi. ℥. ij. Visci querci. aut cujuscunque alterius arboris ℥. j. Ammoni. liquef. ℥. s. ol. veter. q. s. fiat in mortario Catapl.*

Aliud Fallopii: ℞. *Propolis, Aristol. Sagapen. ana ℥. j. s. Fermenti acris, stercor. Columb. putresc. & nondum arefacti ana ℥. j. Bulborum sive rad. Narcis. No. ij. Picis navalis liquef. Mellis crudi ana q. s. ex omnibus in mortario contusis & probè subactis fiat Empl.*

Aliud: ℞. *Rad. Diptami albi qua Fraxinella est, dictam. Creti. quo cervi sagittas infixas excutere creduntur, Sagapeni, Asa fœtid. Gumm. Elemi ana ʒ. j. visci quercini vel alterius arboris ℥. j. Resina liquef. ℥. j. s. Euphorb. ʒ. s. Sulph. vivi ʒ. ij. Picis liquid. Mellis crudi ana q, s. fiat Empl. Supra quoque inter Empl. vulneraria proposuimus Empl. attractivum efficacissimum.*

Magica ratio tela extrahendi.

Sunt etiam qui magica superstitione & incantationibus arma è vulnere se evellere posse profiteantur, inter quos primas tenet Magorum monarcha Paracelsus, *qui dicit in Magnete & in verbis quibusdam certo tempore certisque stellarum dispositionibus pronunciatis, & characteribus insculptis, vim cœlestem influere, quibus non tantum è vulnere, sed etiam ex numero & parietibus infixa tela & ferreus clavus excuti, & serra clausa aperiri possint. Verum cum nos hac præstigias Diaboli esse arbitremur, tales armorum extractiones gregi* Paracelsistarum *relinquimus. Evulsis extractisque armis vulnus ipsum Chirurgica methodo (ut deinceps docebimus) convenientibus remediis facilè persanari potest.*

Sanguinis è vulnere profluentis absterfio & suppressio.

Sanguinis è Vulnere erumpentis abstersio, & fluxionis cohibitio, quomodo peragenda, & quæ circa suppressionem sanguinis sint observanda?

Post armorum è vulnere evulsionem secunda manualis Chirurgi operatio est Sanguinis è Vulnere profluentis abstersio & suppressio. *Cum enim omnis vulneris recentis comes sit sanguinis eruptio, nisi profluens sanguis sistatur, omnes reliquas Chirurgi operationes turbantur atque impediuntur. Necessariò itaque omnis cura & cogitatio Chirurgi post armorum extractionem, ad sanguinis abstersionem, concreti cruoris emundationem, & fluxionis cohibitionem converti debet.*

Causa hæmorrhagiæ è vulnere.

CAUSA effluxionis sanguinis è vulnere est vel incisio, vel præcisio alicujus venæ aut Arteriæ. In his enim duobus vasis duntaxat continetur omnis sanguis, & per eorum ramulos, per totum corpus & omnes ejus partes, maximè verò in carnosas & cutem dispergitur. Vtrum autem in vulnere læsa aut incisa sit vena, vel Arteria, ex sanguinis effluentis substantia & colore facile internosci potest. Si enim sanguis cum impetu & saliendo erumpat, & substantia sit tenuis, coloreque subflavus, arteriam in vulnere incisam atque præcisam esse ostendit. At verò ubi sanguis uniformiter sine saltu & sensim effluit, & substantia crassa coloreque subnigra conspicitur, Venam læsam, aut præcisam esse arguit. Quantò autem largius sanguis erumpit profluitque, eò majores rami venarum vel arteriarum sunt vulnerati. Porrò cum sanguis in corpore sit thesaurus Vitæ, si is è vulnere præter modum profluat, nisi tempestivè cohibeatur ac supprimatur, in Syncopen, & tandem in vitæ periculum conjicit. Quantum ad curationem sive fluoris sanguinis cohibitionem attinet,

Utrum vena, aut arteria læsa sit, quomodo dignoscendum.

Sistendi sanguinem tres modi. Galenus & Avicenna sapientissimi Medici, tribus modis fieri oportere docent. 1. Per aversionem, sive revulsionem in aliumque locum derivationem, quæ peraguntur aut venæ sectione, aut cucurbitulis affixis, aut partis adversæ frictione, & forti deligatione. 2. Per interceptionem, ubi Venæ vel Arteriæ præcisæ vinculis constringuntur. 3. Per remediorum constringentium exiccationem & obstructionem, quorum modorum priores locum habere possunt in effusione sanguinis è naribus: sed in vulneribus majoribus eos usurpare ridiculum esse arbitramur. Initiò itaque in vulnere sanguis omnis mollissima spongia, aut tenuibus linteolis complicatis aquaque calida imbutis, abstergendus erit. Deinde vulnus & sanguine contaminatæ particulæ, Vino rubeo tepido & astringente abluendæ erunt; præstantius fit hoc vinum si in eo concoquantur Agrimon. Cariophyll. & Mastix. Deinde cruor studiosè emundandus, vulnerisque totius magnitudo & constitutio, & utrùm in eo venæ aliquæ aut arteriæ majusculæ sint incisæ aut præcisæ, accuratè considerandum erit; & ita observatis sequentibus regulis, sanguis artificiosè supprimatur.

Sanguis ut abstergendus à vulnere.

Sit ne statim supprimendus sanguis. 1. In suppressione sanguinis cavendum est ne citius aut tardius quam par est, & natura vulneratæ partis patitur, effluxio sistatur cohibeaturque. Utrumque enim noxam infert; cita quippe sanguinis suppressio inflammationem & Erysipelata; tarda verò cohibitio, & intempestiva profusio sanguinis virium collapsionem, & animi deliquium infert; in corporibus itaque imbecillioribus vulneribusque magnis, atque in quibus majora vasa sunt præcisa, item ubi metuitur animi deliquium, statim ac sine mora sanguinis profluvium est sistendum. In robustis verò & plethoricis corporibus, ubi vires constant, & in vulnere minora tantum vasa sunt læsa, atque etiam in quibus corporibus ex ira, aut temulentia, aut nimia calefactione corporis sanguis est commotus, in illis largior fluxio concedenda erit, & justa profluxio etiam exprimendo adjuvanda, & eo usq; fluere sinenda, donec color sanguinis & faciei mutetur.

2. Ex vena magna vulnerata sanguis ægrè sistitur; ex arteria verò magna vix, & cum summa difficultate cohiberi potest. Ubi itaque in vulneribus majora vasa sunt incisa, non autem præcisa, statim præcidenda erunt, & utraque eorum pars à carne liberanda, & hamo obtuso sublevanda, filoque robusto ex serico intercipienda, vincienda & colliganda erit. Quomodo supprimendus sanguis.

3. Vulnus nec consuendum est, nec conglutinantia remedia eidem imponenda, donec concretus sanguis ex vulnere penitus sit expurgatus, vel digitis expressus; vel si profundum sit vulnus, specillo exemptus, cujus apici mollis spongia, aut linteolum est alligatum, & vino tepenti imbutum.

4. Expurgato è vulnere θρόμβῳ, partes vulneri adjacentes refrigerentur imposita spongia in gelida aqua, cui quarta pars aceti est admixta, sit imbuta. Concrescit enim sanguis, ut ad vulnus fluere nequeant, & tum vulneris cavitas repleatur linamentis sive penicillis ex linteis detritis apparatis; quæ si pulvere sanguinem comprimente conspergantur, imbuanturque, citius sanguis supprimitur. Tandem supra ea Linamenta stupa mundissima & pectinata ovi candido conquassato imbuta imponatur, vulnusque deligetur.

5. In vulneribus minoribus, si necessitas urgeat, & natura partis concedat, antequam vulneri præscripta remedia imponantur, labia vulneris artificiosè consuantur; de qua sutura paulo post differemus; & ita Topica sanguinem sistentia imponantur, & vulnus deligetur.

6. In eruptione sanguinis, Vulneratus debet oculos claudere, ne proprium sanguinem inspicere queat, & subinde spe fovendus inter suppressionem, sanguinem jamjam sisti.

7. Si parum sanguinis è vulnere effluxit, & corpus sit plethoricum, aut pars vulnerata sit inflammata, aut febris ægrum affligat, vires autem adhuc constent, venam incidere oportet. Si vulnus est in capite, aut collo, Cephalicam ejusdem lateris; Vulnere autem in Thorace,

Thorace, à collo usque ad Diaphragma existente, Vena Mediana brachii oppositi, sed si vulnus inflictum sit partibus sub Diaphragmate, & sub renibus, vena poplitis, aut Talaris ejusdem lateris incîdi debet.

1. Est contractio *labiorum vulneris valida deligatione, & fasciis ter quaterque circumvolutis contrahuntur labia, & erumpens sanguis sistitur.*

9. Post deligationem *per totum tempus curationis pars vulnerata secundum situm ita configurari & collocari debet, ut parum sanguinis ad vulnus confluat, & minimum doloris excitet. His in suppressione sanguinis observatis, Topica remedia sanguinis fluorem sistentia, quæ suprà in remediorum vulneratorum catalogo sunt commemorata, adhibenda erunt. Hoc loco pauca nobiliora subjicere placuit:*

Ἴσχαιμα. simplicia. Ex simplicibus *sanguinem probe sistunt, Tela aranearum ex molis collecta. Crocus Martis, Arsenicum sublimatum, Calx viva, & albumina ovorum, aut etiam lutea cum aqua rosa. aut vino rub. concussa, & linamentis aut stuppis excepta, ac vulneri imposita.*

Composita. Composita probatiora præter *superius commemorata, sunt,*

Galeni. *℞. Thuris ℨ.j. Aloës ℨ.j. s. tenuiss. pulverisata commisc. & cum ovi candido in crassitiem mellis redacta, & mollibus pilis leporinis excepta, & imposita sanguinis eruptionem sistunt; supra quæ aut stuppa aut linteola complicata, vel in* Oxycrato, *i. e. aceto, & aqua mixtis imbuta, imponantur & fasciis deligentur.*

Avicennæ. *℞. Boli Arme. Sang. Draco. Thur. Aloës citrinæ ana ℨ. s. Tenuiss. pulverisata commisc. & vel per se vulneri inspergantur, vel cum ovi albumine mixta, ut jam dictum, imponatur. Aut*

℞. Calcis vivæ. Vitrioli Roma. Sang. Drac. Gypsi, h. e. Marigen Eyß / *Aloës; Thur. ana p. æ. tenuiss. pulverisata misce, & jam commemorato modo imponatur.*

Aliud remedium nostrum. *℞. Gallam densam, quæ in prunis torrefiat, & ignescat, & tandem in aceto vini bis tervè superreiterata tostione extinguatur, & confracta in eodem aceto, per noctem maceretur, & exiccata tenuissimè pulverisetur, cui tantundem tela aranearum ex molendinis collectæ, & cineris chartarum lusoriarum commisce, ac per se, aut cum ovi luteo vulneri imponantur.*

Magicam sanguinis *fluentis suppressionem* gregi Paracelsistarum *dignam ex* Cardano *subjiciam, non quod efficacem esse existimem, sed ut fatua illorum superstitio manifesta fiat; si ter, inquit* Cardanus; *super vulnus recitentur hæc verba, statim compescitur sanguinis eruptio:* Magica sanguinis suppressio ex Cardano.

Sanguis mane in te, sicut Christus fecit in se.

Sanguis mane in tua vena, sicut Christus in sua pœna.

Sanguis mane fixus, sicut Christus, cum fuit Crucifixus.

Labiorum Vulneris coaptatio, sive unio, quomodo peragenda, & quæ circa eam observanda?

Tertia operatio *Chirurgica post sanguinis suppressionem, est labiorum vulneris coaptatio, unio & conjunctio, quæ debet esse artificiosa & plenissima. In minoribus vulneribus ora dehiscentia sola fasciarum deligatione & circumvolutione conglutinari & conservari possunt. In majoribus autem & latè patentibus vulneribus, necessariò labia vulneris unita & contracta, aut consuitione, aut laqueatione, aut fibulo constringenda, coaptanda, & conservanda erunt, donec labia coalescant, subinde impositis: itaque in coaptatione quatuor potissimum regulæ sunt observandæ:* Labiorum vulneris coaptatio.

I. In coaptatione labiorum *sive ea consuantur, sive fibulentur, sive laqueis constringantur, accurata adhibenda est industria, ut utraque pars vulneris æqualiter, caro cum carne, & cutis cum cute contrahatur, neve alterius partis cutis magis emineat altera, neque distorta sint labia, sed plana & æqualia, alias enim scabram & deformem cicatricem relinquunt.*

II. Studiosè cavendum *ne semel conjuncta vulneris labia denuò ab invicem distrahantur, id quod decenti deligatione, apta consuitione, & vulneratæ partis proba configuratione collocationeque facile provideri potest.*

III. Vbi in vulnere *alterum labium molle & tractabile est, alterum verò durum, & ossi adhærens, placidè & sensim est attrahendum.*

IV. Ita rite coaptata *Vulneris labia, si suitione non sit opus, tum decenti colligatione & fasciis ad triduum, donec vulnus coalescit, retinenda erunt, antequam nova fiat deligatio, nisi forte aliquod Symptoma novam requirat deligationem.*

Sutura, Fibulatio & laqueatio vulneris quid, quomodo peragenda, & quæ circa eas observanda?

Quarta manualis *Chirurgi operatio est consuitio, sive labiorum vulneris unitorum conservatio. Quatuor hæ operationes Chirurgicæ, Sutura, Fibulatio, Laqueatio & Deligatio inter se cognatæ sunt, & ad unum finem tendentes, videlicet vulneris coaptati & contracti in eodem situ, donec natura vulneris partes conglutinet, retentionem. De deligatione statim in sequentibus dicemus. Nunc de Sutura, fibulatione & laqueatione breviter disseremus, ac primò de suitione.*

Est itaque *Suitio, sive sutura, compaginatio quædam partium in vulnere ab invicem distantium mediante acu & filo.*

Vulnus consuiturus *Chirurgus debet in promptu habere acumen, fila convenientia, & acus quidem habere debet plures, alias duras ex chalybe, alias molliores, & flexibiles ex ferro, & omnes lenes & expolitas, mundasque, cuspide triquetras, quales sunt Pellionum, longitudinis trium aut quatuor digitorum transversalium, quarum cauda foraminata utrinsque excavata esse debet, ut filum transactum intra se recondere queat.*

Filum ad suenda *vulnera, aptissimum est sericum rubeum, non ultra modum crassum, robustum tamen & planum, omnique nodo carens.*

Tonsores nostri *utuntur filo communi incerato, sed perperam.*

Suturæ species *sive formæ communiores sunt duæ:*

Vna recta & continuata, sartorum sutorumque similis, *quæ fit ab uno termino vulneris ad alterum, acu cum filo per labia vulneris trajiciendo, & circumvolvendo, cujus usus est potissimum in intestinis, in membranosis partibus, & cutis solius consuitione, ubi suppressione sanguinis opus est.*

Laqueatio. Altera species suturæ Punctatio *jure nominari potest, quia punctando fieri solet, in qua vul. labiis acu & filo punctim trajectis & contractis filum in utraque vul. parte convolvitur, & in nodum colligatur. Hæc species non, ut prior, in vulneris termino incipienda est, sed in medio, atque inde in utrumque vulneris terminum procedendum. Nodi autem fili, sive punctationes in vulnere ab invicem distare debent ad digiti transversi latitudinem. Ea in carnosis partibus & cutis consuitione utimur, nostratibus* Der wunden zusamenknupfung *dicitur. Hanc speciem suturæ* Fallopius *veram fibulationem esse existimat; sed alii* Medici *de fibulatione secus sentiunt; ideò quid sit fibulum, & quid fibulatio, & quid differat à laqueatione, brevissimè explicabimus.*

Fibuli vocabulum *non eodem modo usurpatur à Poëtis & Medicis.*

Poëtæ enim *per* fibulationem *intelligunt castrationis quandam speciem in adolescentibus, quæ à re Venerea arcenda utebantur Veteres, qui* fibulum, *h. e. æneum annulum imponebant perpetuò, cujus* Martialis *meminit, &* Celsus.

Medici *verò & recentiores, & Veteres, per* fibulationem *intelligunt labiorum vulneris, ubi sutura locum habere nequit, & in corporibus quæ suturam ferre nequeunt, per ferrea aut ænea instrumenta contractionem & conservationem.*

Sunt *itaque* Medicis *fibulæ æneæ aut ferrea instrumenta, in utraque sua extremitate uncos sive hamos habentia, similia hamis illis, quibus pannorum tonsores pannos*

mensæ

mensæ connectunt, ein widerhakich angel/ *Talium fibularum unci non ipsi vulneris cuti infiguntur, id enim duplicaret molestias vulneris, sed duplicatis linteolis, ad longitudinem vulneri adaptatis, & ad duorum digitorum latitudinem, utrinque sanis partibus vulneris glutine applicatis, & firmissimè adglutinatis contracto vul. infligunt & continent*, der wunden Zusamenhakunge.

Laqueatio. Laqueatio *eodem ferè modo fit ut* fibulatio, *nimirum per pannos utrique parti vulneris agglutinatos; quorum parti proximæ vulneri per intervalla ad spatium crassi digiti vincula latius sunt alligata; quibus contracto vulnere & circa alteram sanam partem colligatis, vulnus in eodem statu conservatur.* Der wund mit bend Zusammen zihung.

Fibulationis & laqueationis usus in facie. *Nunc satis apparet quæ sit differentia inter* fibulationem & laqueationem, *ex quarum usu in cicatrice minor scabrities & punctationis deformitas relinquitur, quàm ex* suitione, *ideò præstat eis, pro* suturis, *uti in vulneribus faciei, genarum & frontis.*

Ad applicationem *verò linteorum, quibus utimur ad fibulationem laqueationemque, gluten singulare requiritur, cujus unicam parandi formulam subjiciam:*

Gluten ad fibulationem & laqueationem. ℞. *Sang. Dra. Thur. Mastich. Sarcocoll. Picis, farinæ volatilis ana ℥. j. in tenuiss. pul. redacta, aut cum albu. Ovorum, aut cum glutine piscium, in Linimenti formam reducantur, eoque lintea ex una parte imbuantur, & partibus sanis utrinque vulneri applicentur.*

Canones in suendis vulneribus tenendi. *Porrò in vul.* consuitione *hæ quinque regulæ sunt observandæ:*

1. *Nullum Vulnus consuendum, aut fibulis laqueisque constringendum, nisi prius ab omni impuritate vulneri inhærente sit expurgatum.* θρόμβος *enim aut alia impuritas in vulneri relicta, putrescit, & inflammationem adfert, Naturæque operationes remoratur.*

2. *Sola vulnera* recentia *& adhuc sanguine madentia per consuitionem, fibulationem & laqueationem à natura conglutinari possunt. Nam sanguine carentia vulnera, & quæ pelliculam contraxerunt, frustrà tentantur aut fibulo aut sutura conglutinari. Ideo in siccis vulneribus detrahenda est primum adnata pellicula, aut scarificandæ sunt partes vul. ut sanguine madescant. Hac ratione conglutinantur labia oris scissa, quæ nostratibus* hasenmundt *dicuntur.*

3. Suitio *omnis à Chirurgo blandè, & quam maximè fieri potest sine dolore, peragi debet, & vulnerum labia ita constringi filo, ne denuo resolvi queant.*

4. Nervi *aut ligamenta, si in vulnere præcisa sunt, nulla consuitione coalescunt; satis itaque erit ea in vulneris cute obducere, & carnem cum cute constringere.*

5. *Ubi vulnus* conglutinari *cœpit, quod ut plurimum quarto die fieri solet, fila ex suturis cultello scriptorio descindenda erunt, & artificiosè eximenda, ne deformitatem & scabritiem cicatrici inducant.*

Medicamenta Vulneraria ipsis vulneribus quomodo imponenda, & quæ circa ea consideranda?

Quinta operatio Chirurgica est *medicamentorum naturæ operationes adjuvantium applicatio & impositio. Medicamentorum enim, ut diximus, impositione in vulneribus adjuvantur operationes Naturæ; Subinde itaque varianda sunt remedia, quæ vulneribus imponuntur, pro ratione operationum naturæ & constitutione Vulneris. At primum imponi debent sanguinem cohibentia, deinde Symptomatum occasionem prohibentia, postea conglutinantia, tandem carnem generantia; postremò cicatricem inducentia. Etsi autem in omnibus vulneribus aliena & præternaturalis humiditas vulneri sit adversissima, ut quæ facilè putrefactionem inferre queat, ideò vulneraria remedia omnia debent esse exiccantia. Cavendum tamen sedulo ne per imposita remedia, temperies, h. e. inculpata constitutio partis vulneratæ labefactetur, sed potius per ea conserve-* Vulneraria medicamenta quo ordine adplicanda.

 tur.

tur. In genere itaque Medicamenta conglutinantia debent esse desiccantia & constringentia. Sarcotica verò oportet esse moderate siccantia, aperientia tamen, ut adfluenti sanguini viæ aperiantur. Verum cum de medicamentis vulnerariis, & quæ in quibus formis sint usurpanda, supra abunde dixerimus, eò recurrendum suademus.

Porrò circa medicamentorum impositionem *sequentes regulæ sunt observandæ:*

Canones in medicamentorum adplicatione tenendi.

I. *Si in* ficcioribus *Vulneribus nullum metuatur futurum Symptoma, satis erit remedium impositum alternis diebus immutare. Ubi verò vulnus sordidius humidiusque conspiciatur, tum singulis diebus immutandum; Si verò Ichores ex Vulnere largius profluant, singulis diebus bis ea colluvies abstergenda, & Emplastrum renovandum erit.*

II. Primis septem diebus *post consuitionem & medicamentorum impositionem summa est adhibenda diligentia, ne ulla Symptomata, in primis autem dolor, inflammatio, & tumor incidant.*

Si dolor *in Vulnere ex medicamento excitetur, statim aliud remedium mutato priore imponendum.*

Inflammationem *verò arcet & simul tumorem, ovi albumen concussum stupisque exceptum, & circumjacentibus partibus impositum.*

Tumorem *vero prohibet, si partes circa Vulnus vino styptico tepido, aut aceto rosaceo abluantur, aut ea stuppis excepta imponantur.*

III. Post remediorum *convenientium impositionem Emplastro imposito superimponatur pulvillus, qui aut ex stuppa, aut ex linteolis convolutis, aut linamentis conformatur, & simul cum Emplastro deligatur, cum ut Emplastrum tenacius vulneri adhæreat, tum ut nativus calor in parte vulnerata foveatur ac conservetur.*

Deligatio Vulnerum quomodo peragenda, & quæ circa deligationem observanda?

Deligatio Vulnerum.

Sexta necessaria *manualis operatio Chirurgica in Vulneris curatione, post sanguinis suppressionem, labiorum vul. contractionem, consuitionem & medicamentorum impositionem, est artificiosa deligatio,* Die wundt zu verbinden.

Est autem deligatio *apta vulneris contractio & compressio, circumvolutioque cum pannis lineis, sive fasciis. Instrumenta enim deligationis vulneris, fasciæ sunt, quæ pro varietate vulneris, & crassitie partium vulneratarum diversam sortiuntur & latitudinem, & longitudinem; debentque tamen esse ut plurimum quatuor digitorum transversorum latitudinis; longitudinis verò duorum triumve cubitorum. Exscindi autem debent fasciæ ex linteis attritis mollibus, & quantum fieri potest mundissimis.*

Fasciæ.

Fasciarum secundum longitudinem, extremitates Chirurgis capita, aliis caudæ appellantur, nos extremitates *vocabimus. Tres sunt causæ deligationis vulnerum; ideò tres species sive formæ deligationis nobis relinquuntur;*

Deligationis triplex modus pro causa triplici.

Prima causa est *ut labia vulneris dehiscentia per colligationem contrahantur, & contracta contineantur, eam nos* constrictoriam *vocamus, vocent alii ut volent.*

Deligatio constrictiva *autem fit in vulnere carnosarum partium, ubi labia plurima distant, in aqua primum duplicatum linteum vulneri imponetur, & ex adversa parte consuitur, ac tandem fascia quæ ejus latitudinis esse debet, ut, si fieri queat, non tantum vulnus ipsum, sed & utramque partem aliquo modo contegat. Ejus fasciæ medietas vulneri imponatur, & altera ejus extremitas sursum, altera deorsum parti affectæ circumvolvatur, ac tandem utraque pars aut adsuatur, ita tamen ut ligatura in ipso vulnere paulo arctior sit quam in sanis partibus.*

Secunda forma, *sive modus deligationis retentiva, cum qua remedia vulneri imposita,*

sita, ne defluant, aut decidant, constringuntur & continentur. Fit autem deligatio retentiva, ubi fasciæ extremitas altera vulneri imponitur, & circumvolvitur sursum vel deorsum, ut vulneratæ constitutio efflagitat, & ejus fasciæ terminus adsuitur. Oportet autem hac deligatione leniorem constrictionem fieri, quam in prima forma sive constrictiva.

Tertia forma *sive modus deligationis est Deligatio expulsoria, quæ purulentis ulceribus aptior est quàm recentibus vulneribus. Ejus usus est ut per eam à fundo Vul. seu ulc. collecta excrementa & purulenta colluvies extrudatur, & ad orificium Vulneris propellatur, ne amplius aliqua colluvies adfluere queat. Fit autem expulsoria deligatio, ubi fasciæ altera extremitas, aut superiori, aut inferiori parti Vulneris, ubi colluviei collectæ suspicio est, (quod ut plurimum propter materiæ gravitatem in infima parte accidere solet) injicitur, & initio arctissimè circumvolvendo constringitur, sensimque laxius circumvolvitur usque ad os vulneris, atque ubi ad orificium vulneris est deventum, fascia alia linteolo subligatur, eaque vulnus transponitur, & ea quoque pars, ut ne quid amplius influat, circumvolvendo constringitur, & assuitur.*

Canones in deligatione vulnerum tenendi.

Circa vulneris deligationem *hæ regulæ observandæ sunt:*

I. Omnis deligatio debet *fieri cito, expeditè & sine doloris molestia, sed ut æger tolerare queat.*

II. In omni deligatione cavendum est *ne vel nimis arcta, vel justo laxior sit deligatio; Laxior enim, nec labia vulneris constringit, nec Emplastra imposita continet, nec excrementum è vulnere exprimere potest; arctior verò dolorem & inflammationem excitat.*

Fascia vulneri *involuta, si tenacius propter adfluxum puris adhæreat, violenter non est detrahenda, sed cum Vino aut Hydromel. aut alio liquore tepido tantisper irrigetur & madefiat, donec sine molestia separari queat.*

Excrementorum purulentorum è Vulnere remotio & abstersio quomodo peragenda?

Mundificatio vulnerum.

Septima Chirurgi operatio *in curatione vulnerum est puris & aliorum excrementorum in vulnere ex impuritate sanguinis adfluentis generatorum, & ad superficiem vulneris propulsorum remotio, emundatio & abstersio,* Die wundt van etter vnd allerlei wuster feuchticheit zu sauberen. *Generantur enim quotidie in vulneris cavitate excrementa quædam, aut laudabilia, & fœlicem curationem pollicitantia, ut est pus inculpatum; quod debet esse album, læve, æquale & minime fœtidum. Aut ingeneratur sordidum & præternaturale pus, fœtens & alieno colore tinctum, quod* sordes *dicitur, & indicium est corrupti sanguinis, & novæ carnis, in vulnere generatæ, corruptionis. Aut confluit in cavitate vulneris, per osque ejus profluit aquosa colluvies, h. e.* sanies, Das glidtwasser. *De his excrementorum speciebus supra in curatione vulneris abunde tractavimus, ac deinceps inter Symptomata Vulnerum quædam dicturi sumus. Hoc loco satis erit in genere de cujuslibet colluviei specie in vulneribus generatæ abstersione, remotione, emundationeque dicere, de qua sequentes regulæ sunt observandæ:*

Excrementa in vulnere triplicia, pus, sordes, sanies.

I. Pus, *etiam* laudabile & *secundum naturam se habens, si diutius in vulnere hæreat, operationes naturæ in conglutinando & carne nova generanda remoratur, & vulneris temperiem corrumpit. Magis autem si pus sit sordidum, vel saniosum, ubi diutius in vulnere permaneat. Ideò accuratissimè omne pus & sordes, omniaque excrementa tempestivè, ubi vulneris remedia nova imponuntur, & nova fit deligatio, semper abstergi & removeri, elui & exiccari debent.*

II. Absterguntur *autem è Vulnere excrementa, aut mollissima spongia, aut molli linteolo, aut linamentis, ac si ulcus profundum sit, ea apici specilli alligari debent, & vulneri inseri, omnisque colluvies emundari.*

Elotione

Elotione verò ubi opus sit, utere Vino stiptico tepido, cui nonnihil Sarmenti Indici, & Mastichis sit incoctum.

III. In vulneribus profundis, *si largius hæreat excrementum, in infima ejus parte foramen faciendum est, aut scalpello aut causticis remediis, ut omnis purulentia liberè profluere queat.*

Symptomata vulnerum.

Symptomata, quæ Vulneri incidere possunt, quomodo curanda?

Octava operatio studiumque *Chirurgi debet esse ne Symptomata in Vulnus incidant; & si quæ in eo excitentur, ut ea remediis aptis & exquisitis tollere & lenire queat. Cum autem varia Symptomatum genera non tantum in vulnus ipsum, verum in totum corpus vulneratum incidere soleant, ut sunt, dolor, inflammatio, tumor, putrefactio, sordities, profluvium aquosi excrementi; item Syncope, Vomitio, alvi suppressio, febris, vigiliæ, delirium, spasmus, & Paralysis, vulnerataque partis tabes sive extenuatio. De horum omnium Symptomatum curatione paulò post brevissimè tractaturi sumus, ubi primum Vulneris præcipuarum partium curationes breviter proposuerimus; non enim omnium partium Vulnera eadem methodo & iisdem remediis persanari debent, aut possunt. Hæc de generali curatione vulnerum Chirurgiæ Studiosos observasse satis esto; quibus probè cognitis, facilè quilibet poterit omnia vulnera fœliciter curare; nunc ad particularia vulnera accedemus.*

Quarum partium Vulnera peculiarem requirunt curandi rationem?

Vulnera partium quæ peculiarem curam requirunt.

Etsi omnium ferè partium Corporis Vulnerum generali jam à nobis proposita methodo, commemoratisque remediis Vulnerariis, habita tantum ratione naturæ partium, commodè curari possunt; sunt tamen cum ex Simplicibus sive similaribus, tum ex compositis seu Organicis membris, quædam quæ si vulnerentur, peculiarem curationem, & suæ naturæ convenientia medicamenta desiderent. Quales inter similares partes sunt, Caro, Nervi, Ligamenta & ossa.

Inter verò organica membra, sunt Caput, Oculi, Nasus, Collum, Gula, Guttur, Pulmo, Cor, Spina dorsi, manus pedesque, Diaph. Renes, Epar, Lien, Venter, Intestina, Vesica, Testes &c. De quarum singularum Vulneribus post generalem methodum, quæ sint observanda, nunc brevissimè differemus.

De carnis, sive carnosarum partium vulnere.

I. Carnis, sive Carnosarum partium Vulnera, quomodo curanda?

Caro simplex in Universo corpore *nusquam reperitur, sed semper adnata est venis, arteriis, nervis & membranis eisdem intertexta, quorum constructio* Musculus *dicitur; & sola caro per se nunquam vulneratur, sed semper cum ipsa una vulnerantur & Cutis & Venæ, & arteriæ, & nervi, & membranulæ, & simul una quoque curantur.*

Caro nusquam sola vulneratur.

CVRATIO Vul. in Carnosis sive musculosis partibus facillima est, Caro enim est concretio quædam elaboratissimi sanguinis, & cum sanguis subinde affluat in vulnus, ex eo caro generatur, quæ vulnus conglutinat; adhibitis tamen remediis & operatione manuali, quæ in generali curatione proposita est: nisi fortè musculi aut caput aut cauda, h. e. Tendines & ligamenta sunt præcisa, aut vehementer læsa: Eorum enim vulnus aut prorsus aufert, aut vitiat motum. Et nisi musculi aliqua pars cæsim prorsus est amputata, ex qua vulnus excavatum efficitur, in iis Vul. carnosis, peculiaris requiritur medicatio. Verùm de præcisorum ligamentorum tendinumque curatione paulo post differemus: nunc satis erit brevissime generalem curationem musculorum repetiisse.

Musculorum vulnera curatu difficiliora.

Est itaque carnosarum *partium curatio juxta regulas supra traditas, ut primum profluens sanguis sistatur insperso pul. rubeo, sive conglutinatorio supra commemorato.*

Curatio vulnerati musculi.

Deinde si Vulnus *est magnum & patens, ut labia coaptentur, consuanturque.*

Tertio, *ut arcendorum Symptomatum causa ovi candidum concussum, & stupa exceptum, Vulneri per triduum imponatur, tandemque Vulnus vino tepido crebrius abluatur. Vinum enim, teste Hipp. omnibus Vulneribus aptissimum est. Postremò imponantur*

nantur Emplastra, primum quidem conglutinantia, deinde Sarcotica, postremò Cicatricem inducentia, semper adhibita artificiosa deligatione, de quibus Chirurgi operationibus paulo ante à nobis abunde dictum est.

Vulnus Cavum ut curandum.

Porro *ubi in aliquo Vul. non tantum divisa est substantia carnis & cutis, sed etiam amputata & amissa: tum Vulnus cavum efficitur, cavamque efficit cicatricem; non enim facilè labia vulneris coaptari conglutinarique possunt. Annitendum tamen est, ut quatenus fieri queat, nova carne cavitas Vulneris repleatur.*

Caro autem cum ex sanguine, Naturæ beneficio solo, generetur (per Naturam autem hoc loco intelligimus partis affectæ Εὐκρασίαν *& calorem nativum) Ubi sanguis in corpore inculpatus est, & partes sanæ, & temperatæ, ibi caro amissa deperditaque, etiam nullis adhibitis remediis, sed solo folio Brassicæ, Vulneri imposito, regeneratur, modò pus excrementitium tempestive à Chirurgo removeatur.*

Remediorum delectus pro intemperie partis.

Satis itaque erit cavo vulneri persanando, in temperatis Corporibus imponere remedia, quæ vel ejus aquosa excrementa (si adsint) exiccent; aut, si sordida existant, expurgent. Quæ autem remedia & exiccent & expurgent Vulnera, supra & in curatione Ulcerum & in enumeratione Remediorum, abundè proposuimus.

In eis autem applicandis natura & temperies Vulneratæ partis unicè est observanda, ut calidis frigida, frigidis calida, humidis sicca, & valde siccis particulis moderatè humectantia admoveantur. Ex his autem remediis quæ supra sunt commemorata, semper ea sunt deligenda, quæ plurimum juvent, & nullum inferant dolorem; & si quæ noxam inferunt, statim immutanda erunt. Prætereà si Carnosis vulneribus aliqua sunt Symptomata copulata, ea semper prius sunt removenda, & discutienda, quam Carnis generatio molienda: aliàs siquidem præsentibus Symptomatibus nec caro generari exoptata, nec Vulneris cavitas expleri commodè poterit. De Symptomatibus verò, Vulneribus copulatis, & quomodo singula sint curanda, paulò post tractabimus.

Nervorum, tendinum, & ligamentorum vulnera, quomodo curanda?

De vulnere Nervi, Tendinis, & Ligamenti.

Nervi, Tendines & Ligamenta *exsangues sunt, & ex semine originem ducentes partes, & simul omnes* nervosæ *partes nominantur, quarum vulnera inter se similem ferè, diversam tamen ab aliarum partium Vulneribus requirunt curandi methodum, & peculiaria remedia.*

Nervi quid?

Nervi, νεῦροι, Sehn / oder sehnadern/ *sunt organa immediata sensus & motus voluntarii, & ex cerebro & Spinali medulla progenerata.*

Tendines quid?

Tendines *sive* chordæ, Τένοντες, grosse sehen oder flachs aderen / *sunt musculorum extremitates ex concursu fibrarum filamentorumque, nervorum & ligamentorum per musculos dispersorum generata; quæ substantiam habent nervis duriorem & albam: iis musculi ossium articulis alligati sunt, quò ossa robustius moveri queant; in motu enim & tendines contrahuntur & dilatantur.*

Ligamenta quid?

Ligamenta *sive* Vincula, σύνδεσμοι, Gliederbende / *Substantia eorum propius accedit ad naturam Cartilaginum, quàm nervorum; mollior tamen est, quàm Cartilagines: Ortum ducunt ex termino unius ossis, & in alterius terminum implantantur, & in ossium coarticulatione duo ossa colligant firmissime. Ligamenta per se carent sensu, sed ratione membranæ, quæ vestiuntur, sensum obtusum habent.*

Nervosæ partes quot modis vulnerentur?

Vulnerantur nervi, nervosæque *partes, aut punctim, aut cæsim; & cæsim, rursum aut in totum præciduntur, aut cute carneque, quibus teguntur amputatis nudantur atq; detegLuntur. Sæpè quoque nervosæ partes per contagionem læduntur atque vulnerantur. In his vero pejora sunt & difficilioris curationis Vulnera, quæ punctim, sive transfodiendo infliguntur. Vulnera porrò nervorum ac tendinum peculiarem curandi methodum, & propria requirunt remedia.*

Signa diagnostica.

Signa vulneratorum *nervorum ac Tendinum. In nervorum vulneribus intolerabilis dolor (sunt enim nervi exquisitissimi sensus) crebræ convulsiones, aliaque laboriosa Symptomata. Cum enim nervi omnes ex cerebro, aut ex ejus rivulo spinæ medulla generentur & exoriantur, magnam habent cum cerebro συμπάθειαν, & gravissima excitant accidentia, ut sunt febres, vigiliæ, vulneris putrefactio ex aquosa sanie, & motus atque sensus aut amissio, aut debilitas.*

In vulneribus nervosarum partium, *in primis autem in nervorum substantia, hi Aphorismi & signa præsagientia, tanquam regulæ in curatione sunt observanda.*

I. Nervosarum partium *curatio cæteris vulneribus magis est contumax, tarda & difficilis, cùm quia partes sunt exsangues, tum quia ob exquisitum sensum non valida ferunt quælibet remedia.*

II. Nervosæ partes solæ *nunquam vulnerantur; sed semper simul & Cutis & Caro eisdem incumbens, convulnerantur.*

III. Nervosarum partium vulnera *maligniora sunt in ipsis articulis, ubi nervi, tendines & Ligamenta concurrunt.*

IV. Præcisi per transversum *dissectique nervi; & tendines, non tam sæva inferunt Symptomata, & tuti sunt à convulsione, quam si eorum vulnus ad remedium usque penetret, sed vulnerata ejus partis motum sensumque vel auferunt, vel vitiant.*

V. Transversim secti nervi, *non tamen in totum præcisi, sævas inferunt convulsiones; præstat itaque eos statim præcidere; satius enim est motu quàm vita privari: cum convulsiones in Vulnere maxima ex parte lethales sint.*

VI. Præcisi nervi ac tendines *nullis remediis iterum conglutinari possunt, nec ferunt consuitionem. Eorum tamen termini & extremitates indurantur, & carne cuteque obduci possunt; sed, ut dictum est, motu sensuque partis, vel amisso vel vitiato.*

VII. Si in nervorum vulneribus tumor *apparuerit, & paulo post dispereat, convulsio metuenda est.*

VIII. In Vulneratis *nervosis partibus, si vulneris orificium in cute & carne nervo incumbentibus exilius, & angustius sit, quam ut nervus conspici queat vulneratus, vel ut sanies profluere queat (in nervis enim vulneratis aquosæ saniei progeneratio familiaris est) quæ nisi subinde expurgetur exiccetur que, convulsionem & inflammationem in Vulnere excitat, & sæpè mortem infert. Ideò statim in initio angustum orificium usque ad nervum vulneratum, cultro rasorio aperiendum ac dilatandum erit; ut & nervus vulneratus in conspectum veniat, & sanies omnis exprimi queat.*

Vulnera angusta amplianda.

CVRATIO Vulneratarum nervosarum *partium, præter generalem supra traditam vulnerum curationem, consistit in debita victus ratione, vena sectione, Symptomatum præsentium sublatione, vel saltem mitigatione, & remediorum vulneribus nervorum dicatorum applicatione. Victus ratio tenuis & parca esse debet; Vino prorsus est interdicendum, & Hydrom. concedendum; æger quoque in tepido loco quietus detinendus. Post victus rationem considerandum erit utrum corpus vulneratum, sit plethoricum & robustum, aut sit κακόχυμον, vitiosoque humore refertum; & in plethorico quidem atque robusto corpore, si ætas & vires ferant, Vena ejusdem lateris, vel in cubito, si vulnus est supra umbilicum; vel sub poplite, aut malleolis, si vulnus sit infra Vmbilicum, incidenda erit. At si corpus sit κακόχυμον, vel alvus sit suppressa, convenienti cathartico remedio succi vitiosi subducendi sunt, & alvus lenienda.*

Curatio vulneris in nervosa parte.

Tandem totum consilium curaque Chirurgi *ad sævissimorum Symptomatum, doloris nimirum, & convulsionis sedationem, inflammationisque mitigationem, & Ichoris expurgationem exiccationemque convertenda erit. De quorum omnium Symptomatum artificiosa curatione paulò post inter Symptomata vulnerum fusius acturi sumus.*

Porro remedia *in nervosarum partium* punctim

punctim aut cæsim illatis vulneribus saluberrima ac præcipua sunt;

Ex Simplicibus *quidem Lumbrici terrestres contusi & vulneri impositi, Succus centau. min. illitus, & pul. ejusdem inspersus, flos Sulph. inspersus, Pix liquida, quæ commodissimè nervis denudatis illinitur.*

Item Ol. vetus in quo bulbi lil. alb. sunt incocti, Ol. è Lumb. è strobillis piceæ, è luteis ovorum, Ol. ex Euphorb. Ol. lil. albo. & petroleum.

Oleorum usus in nervorum vulneribus.

Etsi autem præscripta olea nervis sunt amica & familiaria, tamen in Vulneribus cutis & carnosarum partium omnia Olea, teste Hipp. inimicissima sunt, putrefactionem enim excitant, ideo præscripta olea in nervosarum partium vulneribus non sunt inserenda aut instillanda, sed foris tantum contecto prius vulnere aliquo Empl. linteis molliss. aut lana excepta probèque calefacta imponi debent, & non tantum partes vulneri adjacentes eis fovendæ, sed & spina dorsi & cervix, ubi nervi exoriuntur, eisdem inungi & confricari debent.

Composita.

Chimici commendant Ol Mastichin. Therebint. ex pingued. taxi, vulpis, magister. Pompholig. Plumb. Aristoloch. & Irid. Flor. Ol. Castor. Essent. Euphorbii Ol. lumbricor.

Ex compositis *verò* nervorum *Vulneribus dicatis remediis præstantiora sunt, Ol. Hyperic. quod ita parari consuevit:* ℞. Terebint. ℥. j. Ol. *Tereb. prima destillatione producti* ʒ. iij. *Ol. rosa.* ʒ. ij. *Lumb. terrest. in Vino generoso lotorum & nonnihil contusorum* ʒ. vj. *Rubeæ tinctorum* ʒ. j. *fol. Rorisma. Centau. mi. Millefolii, omnium virescentium & contusorum P. j. Sulph. vivi pulveris.* ʒ. ij. *Vini Malvat. q. s. ut duorum digitorum latitudine reliquis emineat, commixta & in balneo Mariæ per 24. horas macerata, concoquantur ad Vini evaporationem, deinde fortiter expressa colentur, Colatus liquor pinguis in Vitrum angusti orificii infundatur, & Vitri vacua capacitas floribus & seminibus virescentibus Hyperic. compleatur, & per æstatem ardenti Soli exponatur, ter quaterve flores & semina permutando, & fiat salubre Oleum ad omnia nervorum vitia: quod tuto non tantum foris illini, sed & nudatis contusisque nervis imponi potest. Præscriptis autem omnibus nobilius esse in vulneribus nervosarum partium deprehenditur sequens*

Unguentum. ℞. fol. Centau. *min. Cynoglos. Arnoglos. Pilosellæ, Consol. ma. Veron. omnium viresc. M. j. Lumb. terrest. generoso Vino elotorum ℔. s. Ol. veteris, vel, si haberi nequit, Ol. lil. alb. ℔. j. Vini Malva. ℔. j. Subigantur, ac commisc. atque per octiduum vel in ardenti Sole, vel in tepido balneo Mariæ macerentur, ac tandem eisdem admisc. sevi hircini liquefacti, Picis nigræ liquefactæ, Resinæ ana ℥. iij. Gum. Ammon.* Oppopa. *Galbani, omnium in aceto maceratorum dissolutorumque ana ʒ. v. quibus simul probè commixtis decoquantur lento igne ad Vini & aceti evaporationem; colentur & admisc. Tereb. ℥. ij. Thur. Mastich. Sarcoc. ana ʒ. iij. Croci ʒ. ij. fiat Unguentum, imponaturque vulneri nervosarum partium tam earum quæ contusione, incisione & confossione sunt vulneratæ ac denudatæ, aut*

℞. Sulph. vivi ℥. j. Ol. *veteris in quo prius fol. Sambuci sunt incocta q. s. Subigantur in mortario diutissimè & in formam Linimenti redigantur, vulnerique nervorum illinantur.*

Post illinitionem sequens *Emplastrum nervosis partibus vulneratis imponi potest:*

℞. Asæ fœtidæ ʒ. ij. *Ceræ Ol. vet. Picis navalis ana ℥. s. liquefacta commisc. fiat Empl. Aut imponatur Empl. nostrum è Vernice pictorum, aut Empl. propositum. Mirum in modum quoque inflammationes & alia Symptomata in Vulneribus* nervosarum partium *arcet, doloremque mitigat sequens Catapl. calidum impositum:*

℞. Farinæ fabarum, *Ervi ana ℥. j. Coquantur cum lixivio acri, & addita q. s. Oxymel. fiat Catapl. Porrò supra Empl. & Catapl. ne nervosæ partes refrigerentur, mollis lana Ol. lil. calido imbuta imponatur ac deligetur. In Nervorum contusione omnium primum dolor mitigari debet ol. rosa. tepido, cui ovi candidum & far. faba. est commixta, imposito. Denudatis nervis non sunt acria remedia admovenda, neque ol. perfundendum, sed calx probè lota, & cum Ol.*

rosa. mixta commodè imponi potest. Ego magis laudo aq. Arnoglos. aut Centau. min. vivæ Calci infusam probéque commixtam, & ubi calx subsidit aq. per fimbriam panni vasculo impositam, cujus extremitas in aliud vas subjectum pendeat, destillatam & linteolis impositam.

Vulnera Venarum & Arteriarum quomodo curanda?

De vulnere Venæ & Arteriæ.

Φλέβες, Venæ, Die blutadern / *ἀρτηρίαι, Arteriæ*, die Pulsadern. *Hi canales humani corporis, Medicis* vasa *dicuntur.* Venæ *enim continent sanguinem*, Arteriæ *verò spiritum vitalem, una cum tenuissimo sanguine. Exiliores rami Venarum & Arteriarum in Vulneribus carnosarum partium dissecti, post sanguinis suppressionem, facillime per generalem curandi methodum & medicamenta enumerata, persanari possunt. Verùm ubi Trunci ac majores rami earum præcidantur, tùm sanguinis eruptio difficillimè sisti potest; nec conglutinari facilè. Opus itaque erit earum extremitates à carnosis partibus nonnihil liberare, & filo serico convincire, quo facto, & earum persanatio generali methodo & remediis recitatis perfici potest. Inter majores venas & Arterias, si Vena Cava & Arteria aorta, & Venæ jugulares præcidantur, ut plurimum lethales sunt.*

Venarum & arteriarum vulnera lethalia.

Ossium Vulnera quomodo curanda?

De Ossium vulneribus.

Ossa sunt partes similares, exsangues & omnium durissima, ex terrestriori parte seminis generata, quorum usus est ut molem corporis tanquam pali in tentoriis sustineant; verum cum nos de ossium fracturis *paulo pòst seorsim tractaturi simus, hoc loco breviores in* vulneribus ossium *erimus. Vulnera ossium reipsa non differunt ab eorum fracturis; alii verò* Fracturam *vocant eam Ossis solutionem & comminutionem, quæ sine incisione ab externa violenta causa ossibus accidit;* Vulnus *autem Ossis esse dicunt eam divisionem, quæ cum incisione cutis & Carnis ossi incumbentis infligitur.* De Ossium vulnere *hæ regulæ sunt observandæ:*

Vulnus, & fractura Ossis quid differant.

I. Ossis continuitas *ubi semel est divisa, rupta, vulnerata, vel amputata, nunquam per se iterum restaurari, & in pristinam unionem reduci potest; coalescunt tamen ossa confracta, & conglutinantur interventu alterius materiæ ex alimentario humore in vulnus delatæ, quemadmodum asseres in tabulatis conglutinari solent, quam gluten ossium Græci πωροσαρκοειδῆν, Latini* callum *nominant.*

Ossa Callo interveniente conglutinantur.

II. Ex majoribus ossibus medullam *continentibus, si aliquod in totum dissecetur ut medulla profluat, ea tota pars necessario exarescit.*

III. Ossis vulnerati *fragmenta in Vulnere hærentia non statim in initio, nec subitò, ac violenter, è Vulnere protrahantur; intolerabilem enim dolorem, convulsionem, febres, & fistulosum ulcus excitant. Præstat itaque in Vulnere aliquamdiu relinquere ea, donec vel natura foras propellat, vel attractorio remedio sensim eliciantur.*

Fragmenta ossium quomodo eximenda.

CURATIO Ossium vulneratorum maxima ex parte consistit in comminutorum ossium coaptatione, & artificiosa deligatione, callique conglutinatorii generatione, de quibus, & tota ossium *curandi methodo, paulo post dicturi sumus.*

Curatio vulneratorum ossium.

Vulnera Articulorum quomodo curanda?

De Articulorum vulneribus.

Vulnera articulorum *difficilis sunt curationis, & si negligenter tractentur, in ulcus κακοήθες, sive malignum degenerant. In articulis enim concurrunt Venæ, Arteriæ, Nervi, Tendines & Ligamenta, quibus vulneratis, & non tempestivè procuratis, Ichores subsequuntur; ex quarum contaminatione putrescunt carnosæ adjacentes partes, denudantur nervi & ligamenta, & acerbissimos excitant dolores, in malignumque, ut diximus, ulcus degenerant. Vix itaque aliqua pars vulnerata majorem desiderat diligentiam in curando quàm* articuli. *Observata itaque generali curationis methodo superius tradita, ea adhibeantur præsidia, quæ paulo ante in* nervorum *&* tendinum *curationibus proposuimus.*

Eorum Curatio.

I. Omnium

I. Omnium autem primum mitigetur acerbitas doloris, & exiccetur ſanies aquoſa per ea remedia quæ poſt in curatione ſingulorum Symptomatum vulnerariorum recenſebimus. Ubi vero in articulis denudati ſunt Nervi, & Ichores ſupra modum in vulneribus redundent, vulnusque putreſcat, conſultiſſimum ego judico, ut præter remedia foris applicanda, ad uſum potionis ex ſarmento Indico paratæ confugiatur, cujus coquendi utendique rationem in ſuperioribus, ac potiſſimum in curatione morbi Gallici, edocuimus. Hæc de Vulneribus partium ſimilarium peculiarem curationem efflagitantibus dixiſſe ſatis eſto; nunc de organicarum partium vulneribus curandis ſermonem inſtituemus.

Vulnera Capitis quot modis fiunt, & quæ circa ea obſervanda?

De Vulneribus Capitis. Quot modis vulneretur Caput.

Inter organicas partes propter ſedem rationis facilè principem locum obtinet Caput. Vulneratur Caput variis modis, variisque armorum generibus, feriendo caſim, aut punctim, acie armorum aut contundendo, verberandoque armis obtuſis, aut decidendo gravi lapſu ex loco ſublimi, incidendo in gravia & dura corpora, quæ omnia in Vulneribus Capitis neceſſaria cognitu ſunt Chirurgo.

Vulnera in temporibus & ſyncipite periculoſæ.

Principio itaque ac primo ſtatim intuitu in Capite vulnerato duo ſunt conſideranda, primum, in qua regione Capitis ſit vulnus inflictum, in Syncipite, Occipitio, vel in Temporibus; vulnera namque in Syncipite & Temporibus inflicta, etiamſi ſint exigua & leniora, plerumque periculoſiora ſunt quam in Occipite, aut Vertice; vulnera etiam majuſcula. In Temporibus quidem pernicioſa ſunt vulnera propter debilitatem, tenuitatemque & raritatem oſſium, & muſculorum nobilitatem, per quos venæ & arteriæ ſoporales ſanguinem & ſpiritum vitalem Cerebro deferentes, perreptant, & in cerebrum provehuntur.

Quibus læſis læditur ipſa vita, & citiſſimè extinguitur animal. In Syncipite periculoſa ſunt vulnera ob oſſis Calvæ tenuitatem, ſuturæ coronalis raritatem, & propter thalamos anteriores Cerebri, qui domicilium ſunt ſpirituum animalium & ſenſus communis. 2. ſtudioſè obſervandum eſt, quænam particula, una ne, aut plures, aut pauciores, aut omnes ſint in Capite vulneratæ.

Sunt autem hæ Capitis partes: cutis carnoſa cum pericranio, Cranium ſeu Calva, membranæ duæ cerebrum involventes, & ipſa cerebri ſubſtantia; quibus partibus Capitis vulneratis, ſingulis peculiaris debetur curatio; de quibus ordine breviter diſſeremus.

Cutis Carnoſæ, & Perioſtei Vulnera, quomodo curanda?

Ubi Capitis cutis carnoſa, & ſimul perioſteum ſeu membrana Calvam foris ambiens, citra oſſis Calvæ læſionem eſt vulnerata, generali methodo & ſupra commemoratis remediis facillimè, & citra omne periculum perſanari poteſt. Verùm in Temporibus propter recitatas cauſas inflictum vulnus, etiam levius, non minimam habet difficultatem; in iis itaque omnium primum ſanguis eſt ſupprimendus; deinde methodo generali, & remediis ſupra traditis, in Curatione procedendum erit. — Curatio Cutis capitis, & pericranii.

Calvæ, ſive Oſſis Capitis Vulnerum quot ſunt ſpecies, quibus modis dignoſcendæ, & quomodo curandæ?

Contingit ſæpè ut cute Capitis integra permanente, ipſa Calva, ſive os capitis vulneretur, ut fit in violentis ictibus ex obtuſorum armorum genere inflictis, crebrius tamen acie prædita arma capiti inflicta cum Vul. cutis ſimul & ipſam calvam vulnerant & incidunt. — De vulneribus ipſius Calvæ.

Accuratè itaque in vulneribus capitis conſiderandum eſt utrum calva ſimul ſit convulnerata, & ad quam ſpeciem vulnerati oſſis calvæ fractura ſit referenda: Porro ſpecies vulnerum Oſſis Cap. ſive fracturæ quatuor habentur; — Species quatuor.

Diſſectio, Rima ſive fiſſura, Comminutio ſive contuſio, & depreſſio.

I. Diſſectio ſive Inciſio Calvæ, Eine vorwundung der Hirnſchale/ eſt quæ Calvæ caſim, enſe, aut gladio, violento ictu impreſſo — Inciſio.

 infertur,

infertur, & in qua non tantum ossis continuitas solvitur, sed & sæpè particula ejus amittitur.

Rima sive scissura. II. Rima sive scissura, eine Ritze/ *est Calvæ tenuis & oblonga perruptio, quanquam instar pili exilis, nonnunquam paulò latior, similis fracturis seu scissuris vitrorum, ollarum & testarum; fit autem rima ex violenta contusione, & ubi arma obtusa, ut sunt saxa & fustes, Capiti valde impelluntur & incutiuntur.* Rima *contingit sæpè* Calvæ *etiam non vulnerata cute; contingit denique crebro non in loco percusso, sed vel in opposito, vel alio aliquo: quæ quia delitescit, eo est perniciosior. Id quod usu quoque venit non tantum in* Calva, *verum etiam in vitro, olla, testa & Campana, ex violenta incussione, ut opposita pars frangatur, & rimam acquirat.*

Contusio. Comminutio *sive* contusio, ein Zerknirschung der Hirnschalen/ *est ubi* calva *in plures paucioresve partes, ex violenta impulsione armorum obtusorum, confringitur, & comminuitur, ut videmus ubi ovum fortuito è manibus in mensam prolabitur, cujus testa in minutas partes confringitur. Talis quoque comminutio* calvæ *fit ex obtusis armis capiti incidentibus, & sæpè quidem sine vulnere Cutis.*

Depressio. Depressio Calvæ, Ein Jndruckung der Hirnschale/ *est ubi duæ partes Calvæ, sive id contingat in integro osse, sive suturis, ab invicem separantur, quarum altera sursum, altera deorsum removetur: contingit talis depressio ex violenta concussione, aut casu aliquo in corpus durum.*

Signa harum specierum diagnostica. *Et hæ quidem species fracturarum* calvæ, *& in solidis ossibus & in suturis, tum cum Vulnere cutis, tum citra Vul. possunt accidere. Ex quibus dissectio quidem, & depressio visu tactuque deprehenduntur.*

Rima *verò &* Comminutio, *sensus sæpe effugiunt, nisi in detecta cute; ideò prudenti ratiocinatione & conjecturâ artificiosâ dignosci debent; & dissectio & inspectione vulneris & Visu, & specillo explorari possunt.*

Depressio *verò &* comminutio *ex loci inæqualitate & aliis signis deprehenduntur. Fit tamen sæpè ut & rima, & comminutio in amplioribus Vul. si magna sunt, visu tactuque dignosci queant; sed ubi sub cute illæsa delitescunt, nec visu deprehendi possumt nec tactu, ex sequentibus signis artificiosa conjectura agnoscenda sunt.*

Signorum *itaque* fracturæ Calvæ *primum genus sumi debet ex relatione ægri: Inquirendus itaque æger est quomodo se habuerit eo tempore, cum capiti vulnus sit inflictum; qui si responderit visum sibi esse quasi testaceum caput confractum habuisse, aut ubi responderit se statim post incussionem caligine oculorum, capitis vertigine, diutinoque aurium tinnitu laborasse, suspicio erit rimam Calvæ vulneri subesse.* Signa quæ docent calvam esse fractam.

Secundum genus signorum *sumi potest à Symptomatibus immediatè post inflictum vulnus excitatis, ut sunt Sopor, Vertigo, Epilepsia, & ossis Calvæ confractæ post paucos dies aut denigratio, aut nimia dealbatio, & albis maculis conspersio, Illa enim os emortuum esse & fractum ostendunt. Et si fatetur æger in ipso ictu non in percussa parte, sed in opposita fractionis, dolores & notas se persensisse, eo in loco rimam in calva obortam esse, conjectandum est.*

3. Signa sumi possunt ab ictus *violentia, ut si lapis grandis è sublimi in caput incidat, aut ubi sclopetum inter explodendum disrumpatur, & particula caput ipsum feriat, certa conjectura prædici potest Calvam ibidem esse confractam.*

4. Fracturam *Calvæ quoque ostendit, si vulneratus commasticato aliquo præduro corpore, in capitis aliqua parte strepitum sentiat.*

5. Dignosci potest *Calvæ fractura ex cohibitione spiritus, subflationeque buccæ, obstructo ore & naribus. Ex illo enim conatu & vehementi inflatione in loco affecto extenduntur venæ & Arteriæ, & è vulnere excutitur vel saniosa, vel cruenta colluvies.*

6. Si rima in Vulnere *existens propter exilitatem visu deprehendi nequeat, atramentum*

mentum scriptorium Calvæ apparenti illinatur, ac post paucas horas rursum abstergatur, tum enim in rima ipsa atramenti vestigium relinquitur. Porrò ubi fractura aut rima Calvæ non in percussa parte, sed in altera vel opposita delitescat, tum pili capitis abradantur, & sequens Empl. Capiti instar mitræ imponatur: ℞. Ceræ, Thuris, Ladani ana ℥. ij. Terebinth. far. fabæ. aceti ana ℥. j. ex quibus fiat Empl. quod per linteolum extendatur, & capiti per noctem imponatur; atque altero die studiosè consideretur in Empl. qua in parte absumptum, aut à linteo delapsum sit; eo enim in loco fracturam subesse ostendit.

Signa prognostica.

Prognostica signa *in fractura Calvæ hæc potissimum sunt observanda: Nulla cranii fractura vacat periculo, etiamsi non omnis sit lethalis.*

Fractam esse *Calvam in Capite, si nigrescat, aut nimium albescat os, ostendit. Fracturas Calvæ, si graviora sunt Symptomata, ut febres, vigiliæ, delirium, sopor & laborum vul. depressio, lethales esse indicat.*

Curatio vulnerati cranii.

Curatio fracturarum *Calvæ pro fracturarum specie varianda erit; Consistit autem omnis fracturæ cranii curatio in manuum industria operatione; victus ratione, & concoquentium vulnerariorum remediorum applicatione.*

Manuales operationes circa fracturas ossium præcipuæ sunt, cutis cum Pericranio circa fracturas apertio, & dilatatio, Ossis confracti abrasio, apertio, & dilatatio.

Amissa salva particula quid faciendum.

In dissectione itaque Calvæ hæc sunt observanda; si ossis Calvæ particula in totum est amputata, frustra tentatur ejus agglutinatio. Itaque si particula ossis est amissa, vel descissa sine læsione Menyngum, Calvæ cavitas diligenter expurgata impositis Sarcoticis remediis, nova carne repleatur, & cute obducatur tegaturque; sunt tamen qui loco amissæ Calvæ, vel laminulam auream, vel in plebeis hominibus testam cucurbitæ aridæ configurant, & adaptant, vulnerique imponunt, eamque processu temporis carnosa cute obducunt & consolidant.

Verum si dissecta Calva una cum cute capiti adhuc adhæreat, nondumque sit aut emortua, aut corrupta, id quod ex ossis candore & nigredine deprehendi potest, tum absterso vul. dissectum os iterum artificiosè coaptetur, cutisque quantum fieri queat consuatur, ac convenientibus remediis conglutinetur, deligetur & consolidetur. Porrò ubi fractura Cranii species sit Rima, aut comminutionis contusionisque, & ea sub cute vel ipso vulnere vel in adversa aliqua parte Calvæ delitescat, aut si Vulnus angustius sit quam ut rima aut comminutio ossis conspici contrectarique queat, statim vulnus ipsum aut novacula, aut scalpello aperiendum dilatandumque erit, aut cutis ipsa, sub qua fractura latitat, iisdem instrumentis incidenda, & ab osse læso liberanda venit, & ita detectum os si deprehendatur visu esse vel corruptum, vel emortuum, protinus omne illud, aut penitus auferendum, aut usque ad sanam partem, quousque rubedo aut sanguinolentia in eodem esse appareat, abradendum erit, & ita abrasum os Balsamis vulnerariis suprà commemoratis obliniendum, & sarcoticis remediis carne cuteque contegendum erit; Verum talis operatio Chirurgica, incisio videlicet & apertio cutis, & ossis corrupti, aut emortui abrasio, non in quavis parte cranii locum habet; nam si rima aut ossis comminutio accidat in Temporibus, ibidem nec cutis musculosæ incisio, nec pericranii aut ossis derasio, sine vitæ extinctione tentari potest. Ejus itaque curatio Deo est commendanda. Ita nec in suturarum fracturis sine periculo pericranium membrana deradi potest. Ibi enim membrana Calvam tegens ligamentis per suturam prodeuntibus Calvam cum Menyngibus, h. e. internis tunicis Cerebri conjungit, quando nec in fractis ossibus frontis, in fronte musculosa cutis sine oculorum distortione secundum latitudinem incidi potest. Si itaque frontis ruptura cutis incisionem efflagitet, ea incidenda erit secundum rectitudinem ab inferiori parte ad superiorem, aut per transversum decussatim. Ita enim minus distorquentur oculi, minusque torvum aspectum efficiunt,

Vulnus quando amplianadum & os radendum.

post

post vulneris apertionem & dilatationem pericraneique & ossis emortui, aut corrupti abrasionem, si confractum os in totum fuerit emortuum aut corruptum, nisi artificiosè citra læsionem Menyngum à sanis partibus liberetur, Calvaque aperiatur; & præcidatur, auferaturque, non admittit vulneris curationem aut persanationem. Nunc itaque quæ circa emortui aut corrupti ossis Calvæ apertionem & ablationem sint observanda, brevissime declarabimus. Duobus modis os Calvæ confractum si periculosum est, ut plerumque est, aut corruptum emortuum existat, auferri debet Derasione. Derasione auferendum est, ubi os confractum aut est corruptum, quod ex nigritie, aut ubi emortuum & arefactum est, quod ex albedine deprehenditur, ita & in rima Os abrasione, si rima totam calvam non penetravit, est auferendum. Excisione verò sive apertione Calvæ utimur in aliis speciebus Fracturæ.

Os corruptum auferendum derasione vel excisione.

Modus abradendi os.

In derasione *autem ossis ita procedendum erit; si os Calvæ confractum, corruptum, aut arefactum est, aut si rima* fracturæ *non totam Calvam penetret, primum circa fracturam, cutis pro quantitate corrupti ossis, aut rimæ longitudine, incidatur ac dilatetur, & in margine Vul. carnosa cutis undique linamentis sive carptis linteolis muniatur, ne attactu Instrumenti rasorii dolor excitetur. Deinde Calvæ particula auferenda intra vulnus ab omni colluvie abstergatur, & ol. rosa. inungatur; quo & rasorium Instrumentum illiniatur. Tale autem instrumentum* Scalprum *dicitur, & ligonis parvi formam refert, cujus duæ sunt species, una est acutissima, quæ aut plana est, aut incurva: Altera ejus species est aspera & scabra, similis raspatorio aurificum instrumento. His instrumentis os corruptum emortuum & rimosum, modo rima usque ad Menynges non penetret, artificiosè abradatur, eo usque donec subjecta ossis pars sanguinea aut rubicunda appareat, aut donec rima disppareat: sed quia rima Capillaris sæpè visum effugiat, utrum ea altius penetret, Calvam atramento scriptorio per noctem ossi illinito, ac postea spongia abstersо, facile deprehendi potest. Abrasa hac ratione omni corrupta aut arefacta particula, Calvæ reliqua pars florida, balsamo vulnerario in superioribus descripto compleatur, & Empl. vulnerarium Conveniens imponatur, vulnusque contegatur & deligetur. Quæ autem remedia Ossium fracturis sint accommodata, paulo indicabimus. In fracturis Calvæ sæpè necessitas cogit Calvam ipsam detegere, aperire, & ossis particulam exscindere, ac demere. Verùm cum omnis Calvæ apertio periculosa sit, & lethalia ut plurimum inferat Symptomata, non temerè in omni fractura Calvæ est detegenda, sed in hisce quinque tantum casibus:*

Instrumenta rasoria.

Calvæ in quibus casibus aperienda.

1. Ubi per rimam usque ad *Menynges penetrantem sanguis, aut sanies confluxit, quæ nullis remediis foris capiti applicatis elici aut discuti queat, cum enim aperienda est Calva, & sanies omnis extergenda, ne Menynges inflammentur, & febres furorem ac mortem inferant, tentandum tamen est antequam fiat apertio Calvæ, utrum elicientibus remediis, aut discutientibus, sanguis saniosus sub Calva collectus propelli queat; id enim nonnunquam fieri potest. Ego anno Christi 1567, cum* Christianus Tesken *in Templo* Mariano *Minister, ab adolescente furioso* Meybohm *vocato, baculo in caput esset percussus, concidit attonitus sine sensu & ratione, & cum per triduum jacuisset, vocatus ad ipsum, capiti imposui sacculos ex fol. Betho. Serpilli, Major. & flo. Chamæ. confectos, & in Vino diluto coctos, quos cum sæpius reiterassem, grumi sanguinis saniosi sub Calva collecti, à tepore sacculorum resoluti sunt, & magna copia sanguinis ex naribus profluxit, & paulo post corroborantibus remediis sanitati est restitutus.*

2. Necessario aperienda *est Calva, ubi particulæ confractorum ossium Menyngibus incumbunt, eosque pungunt; quæ nisi tempestivè eximantur, citam inferunt mortem.*

3. In Calvæ depressione *si os suppressum Menyngibus incumbat, easque deprimat, statim aperta Calva, pars depressa sublevanda*

da erit, alias Apoplexiam, soporem, & mortem infert.

4. Aperienda est *Calva ubi armorum fragmenta ossi inhærent penetrantia Calvam, & Menynges pungentia, propter causas jam dictas.*

5. In comminutione *contritioneque Calvæ, ubi non possunt particulæ coaptari, comminuta ossa necessariò eximenda. Etsi enim non omnes comminutiones ossis Calvæ lethales sint, tamen perniciosa ut plurimum inferunt Symptomata, nisi eximantur.*

Præterea circa apertionem Calvæ sequentes *regulæ sunt diligenter observandæ.*

Cautiones in apertione Calvæ.

Prima. *Calva confracta non nisi cum protestatione prædictioneque de periculo, est aperienda. Aperienda autem est Calva primò quoque tempore, antequam sub Cranio vel sanguis putrescat, vel sanies coacervetur.*

2. Secundo *itaque, aut tertio die à fractura, molienda est apertio.*

3. In apertione Calvæ *studiosè est cavendum, ne Menynges inter detegendum lædantur, aut lacerentur.*

4. Cavendum etiam *ne aperta Calva nudatisque Menyngibus ipsa ab aëre incidente, vel impensius refrigerentur, vel nimium incalescant, sed protinus convenientia imponantur remedia, & calidis moderatè linteolis cooperiantur.*

5. In detectione calvæ *omnia confracta, comminuta, corrupta & emortua ossa, & quæcunque à sanis partibus liberata sunt, removeantur, citra tamen membranarum subjectarum læsionem. Nunc breviter dicam de quarto genere* fracturæ: Depressione *videlicet ossis Calvæ.*

De Depressione Calvæ: quomodo fiat.

Depressio Calvæ est fractura, *ubi Calvæ pars introrsum versus Cerebrum protruditur; quod dupliciter fit, cum fractura Calvæ in adultis, & sine fractura in puerulis, qui Calvam & mollem & flexibilem habent, cujus depressio similis est Contusioni & cavitatibus, quales fieri solent in stanneis vasis; hanc Calvæ depressionem recentiores Chirurgi* plicaturam cranii *vocant. Depressionis fractæ calvæ historiola talis mihi oblata fuit Anno Christi* 1577.

Historia Calvæ fractæ & depressæ.

Rustico adolescenti, Hyldæ, *tegula tectoria in caput inciderat, & Calvæ sinistram partem obliquè introrsum depresserat, ita ut infra superius os Calvæ scriptorium calamum inserere possem: Vocatus ego à tonsore, piæ memoriæ, viro probo,* Ilenfeldio, *ut in hoc casu meum communicarem consilium, quanam ratione suppressum Calvæ os sublevari, & in pristinum locum restitui posset: Ego statim jussi ut curaret confici terebellum ferreum, satis firmum, & ossi impresso usque ad meditullium ossis perforando insigeret, cum eoque os depressum valida attractione sursum traheret, emundato prius ex vul. omni impuritate; quod meum Consilium fœliciter cessit, restituta enim depressa Calva, adhibitis remediis & Empl. convenientibus, brevi convaluit.*

Calva depressa quomodo sublevanda in adultis;

Verùm alia ratione sunt sublevanda ossa quæ sine fractura & Vul. cutis in puerorum capitibus sunt impressa, nimirum adhibitis externis remediis validè attrahentibus, inflammationemque & suppurationem prohibentibus, quo in casu utilissimum erit locum impressum quotidie bis terve sequenti decocto fovere ac fomentare:

in pueris;

℞. strobillorum Cupressi contusorum No. X. Myrtill. ℥. j. Rosa. rub. flo. Absinth. ana M. s. Cimini, Calami Arom. ana ʒ. ij. Betho. Matris. Rorisma. ana M. j. Alum. ʒ. iij. vini rubei ℔. iij. Lixivii acris ℔. j. s. Concoquantur ad tertias, & colentur, spongiaque exceptus liquor moderatè calidus Calvæ depressæ *imponatur, atque foveatur. Tandem exiccato capite inungatur depressus locus Ol. rosa. Mastich. & Absinth. simul mistis. Postea post quartum diem imponatur depresso loco sequens Empl. quod potenter protrahit omnem Calvæ depressionem.* ℞. *Mastich. ℥. j. Gummi Elemi ʒ. x. Colophon. resinæ pini ana ʒ. v. Ammon. ʒ. ij. Suc. Bethon. Succ. Consol. ma. ana ℥. j. Suc. Apii palustris ℥. s. vini rub. ℔. s. Resolvantur & simul ebulliant, continuè agitando, donec succi & vinum evaporent, colentur, & admisc. Tereb. ℥. j. Ceræ albæ q. s. fiat Empl. quod extensum per alutam,*

 tam,

Instrumenta chirurgica ad curanda Calvæ vulnera. *tam Calvæ depressa imponatur. Restat nunc pauca dicere de Instrumentis quibus confracta Calva ossa abradi, exscindi, confringi, comminuique & eximi debent, quorum usitatiora sunt Scalprum sive scalpellum derasorium,* ein schabeisern oder Wundtfeile/ *de quo paulò ante.*

Serrula dentata acutissima, qua ossa praciduntur, ein Knakensage.

Terebellum, eine schruve/ *varias habet species, quibus ossa corrupta perforando exscinduntur, aut ossa depressa sublevantur.*

Forceps, ein Zanglin/ *cujus species sunt,*

Acuta forceps, ein Knipzange/ *qua ossa praciduntur;*

Obtusa forceps, ein Gruszange/ *qua ossa franguntur & comminuuntur.*

Forceps rostrata, ein Snablich zange/ *qua ossa protrahuntur eximunturque.*

Cultor incisorius, ein Schnitzer/ *quo excavantur fissura superficiales.*

Vectis, ein auffheber/ *quibus ossa depressa sublevantur.*

Menyngophylax *est specillum cujus extremitas in tenuem laminam extensa est, quo in avellendo osse fracto membrana cerebri supprimuntur, & à laceratione prohibentur. Hac omnia ossium fracturis dicata instrumenta in eorum usurpatione, oleo rosa. sunt inungenda; & hac de* actionibus Chirurgicis *circa* Calvam fractam *novisse sit satis.*

Victus ratio in Calvæ vulneribus. *Secundus curationis fracturarum Calva scopus erat victus ratio, sicuti enim in omni capitis vulnere, ita in Cranii fractura victus ratio ac potissimum in cibo & potu, primis quatuordecim diebus parca & tenuis esse debet, & talia administranda qua crassum sanguinem & parcum generant. In primis autem vinum & ova sorbilia omninò prohibenda erunt: Conveniunt autem panis lotus, h. e.* Weggen; *oryza, caro hinnulorum, capreolorum. In potu aq. hord. Atque post assumptum cibum ventriculus semper est claudendus pyris assis conditis, aut Cons. Rosa. Aër omnis moderatè temperatus in calid. & frig. debet esse; Alvus semper lenis esto, & obstructa Clystere emolliatur, & si corpus sit plethoricum & vires ferant, post dies quatuordecim incisa vena Cephalica, sanguis est detrahendus; si cacochymia, benigno remedio, ut est infusio Rhab. & Mirob. Syr. Rosa. aut Manna evacuetur. In victus ratione singulari vigilantia est adnitendum Chirurgo, ne in* primis septem *diebus graviora incidant Symptomata, maximè verò inflammatio, febris & convulsio. Abstinebit igitur ager à vini potione, à durioribus alimentis, & multa masticatione indigentibus, & ab oscitatione.* Venæ sectio & purgatio.

Topica remedia. *Tertium curationis Calva confracta scopum diximus esse in remediorum vulnerariorum fracturis convenientium applicatione; ejus generis sunt pul. Balsama vulneraria, unguenta & Empl. qua omnia in descriptione remed. vulnerariorum antea sunt commemorata, & in curatione* fracturarum *proponentur; satis itaque hoc loco erit pauca, sed exquisitiora, & magis salutaria, adscribere. Cum autem fractura Calva detersionem impuritatum requirant, seqq. pul. tenuissimi fracturis inspersi probè abstergunt, videlicet pul. Aristo. utr. Rad. peucedani, farina Erui & lupinorum. Qua singulatim, sive inter se mixta, inspergi poterunt. Deinceps impleatur vulnus Cranii Balsamo vulnerario, & superimponatur Empl. aut Barbarum* Galeni, *quod in superioribus est descriptum: aut Empl. de Gumm. Elemi, quod ita concinnari potest: ℞. Gum. Elemi Oppopa. ana ℥. j. s. Bdellii ʒ. ij. resina pini ℥. s. Terebinth. ℥. ij. Thur. Mastich. ana ʒ. j. s. cera & ol. rosa. ana ℔. s. fiat artificiosum Empl. quo omnia* fracturarum *genera conglutinari possunt; aut imponatur sequens Empl. ex Rorema. ℞. ol rosa. ℔. s. Ol. Mastich. Hyperico. ana ℥. ij. Ping. porcina, vitulina ana ℥. iij. liquefiant simul, eisdemque admisc. fol. rorisma. Bethon. plantag. cum rad. Matris sylva, pimpinella, pilosella, Veronica, omnium virescentium ana M. s. Rad. Consol. ma. ʒ. ij. quibus probè contusis & subactis, addantur vini Rhen. rubei ℔. ij. & macerentur simul in olla vitreata in Sole, aut in tepido loco per octiduum: Deinde leni igne continuè agi-*

tando

tando suaviter coquantur ad vini evaporationem, & fortiter expressa percolentur, colata pinguedini admisc. tenuiss. pul. Mastich: Gummi Elemi, Resinæ pini ana ℥.j. Litarg. ℥.ij. Minii pictorei ℥.j. Iterum simul coquantur lenissimo igne, donec fuscum acquirat colorem, continuè agitando, postremo refrigerascens admisc. Tereb. ℥.iv. & ceræ dissoluta q.s. fiat Empl. artificiosum, quod mirabilis est efficacia, & in Calva, & in omnibus vuln. Capitis. Reliqua remedia fracturis Calvæ convenientia cum ex superioribus, tum ex curatione fracturarum ossium peti possunt.

Vulnera Menyngum, sive membranarum Cerebri, quomodo curanda?

De Menyngibus vulneratis.

Menynges, membranæ Cerebri, die Hirnbregen vellin / sunt duæ pelliculæ sub Cranio totum Cerebrum involventes, & ejus cavitates vestientes, omnibus nervis & capacitatibus capitis tunicam præbentes, ideo quibusdam etiam matres hæ appellantur membranæ, & exterior quidem Calvæque propinquior, crassiorque, fibris quibusdam cerebrum Calvæ alligat, & dura mater à Tonsoribus nominatur; interna verò Cerebrum complectens, ipsum, ne defluat, continet, & Pia mater, propter tenuitatem, ab iisdem dicitur: utraque verò membrana, & venarum, & Arteriarum surculis referta & conspersa est, quæ in aperta Calva propter arterias continue ad motum cordis pulsant, & moventur. Hæ duæ membranæ detectæ à Calva, nondum tamen vulneratæ, tribus periculosis Symptomatibus obnoxiæ sunt, corruptioni sive denigrationi, inflammationi & Apostemati. Proinde nudæ ab hisce malis summa diligentia præservari debent remediis lenientibus, simulque exiccantibus, & nonnihil detergentibus; commodè itaque illiniri debent ol. rosa. cum unguento Isidis mixto, quod à Galeno describitur, & quod Fallopius magnoperè commendat; aut illiniatur Linamentum ex tenuissimo pul. Ervi, Thuris, & rad. Brioniæ cum Ol. Rosa. diu multumque contritis confectum, cui mundificationis causa admisceri potest momentum mellis rosa. excellentissimum quoque remedium membranis Cerebri denudatis est Ol. Terebinth. aquosum, & prima destillatione Chimica arte productum, quod cum Ol. rosa. commisceri potest; lenit enim & mitigat, & simul exiccat egregie; supra hæc tepida Linamenta aut mundissima linteola imponenda sunt, & applicandum Empl. Isidis aut de vernice nostrum. At vero si detecta cerebri membrana vel ex contusione, vel ex frigiditate ambientis aëris, jam corrumpi, & nigrescere incipiat, imponatur per noctem Oxymel linamentis exceptum, ac tandem mollissimo linteolo madefacto, ac tepido abstergatur, & sanguis columbæ tepidus instilletur, linamentisque exceptus imponatur; atque si per triduum non remittat nigredo, Oxymeliti admisc. Ol. Terebinth. aliquot guttis & membranis imponatur. Ubi verò ab his non alteratur rubedo, rumpitur membrana, & mortem adfert. Inflammatis verò Menyngibus, id quod ex turgidis & rubentibus venulis per membranas sparsis, adeoque per intumescentiam membranulæ duræ, & pulsus ejus intermissione, dignosci potest, id si contingat statim & quam primum inflammatio restinguenda erit instillato Ol. rosa. cum succo lentium palust. aut semper vivæ mixto, aut unguento popul. cum Linamentis imposito. Ubi autem suppurationis & Apostematis signa apparuerint, statim & antequam purulentia tenuem Menyngem erodat, dura illa suppurata membrana scalpello est aperienda, & ab omni purulentia abstergenda lenissimis linamentis, eisque imponenda ea quæ de nigredine & corruptione ejus commemoravimus. Vulnerata siquidem dura Menynge, integra autem & salva manente tenui, potissimum si absunt Symptomata periculosa, spes non parva est relicta salutis. Verum ubi utraque Menynx vulnerata est, & ex eorum vulnere sanguis, aut sanies in Cerebrum destillet, aut profluit, cerebrumque comprimat, certissimum exitium infert; & tamen nec ita omnis spes Chirurgo est abjicienda, & vulneratus pro deplorato relinquendus: sed cum periculi protestatione, & prædictione ad astantes, hæc sequentia præsidia tentanda erunt: si fortè lethalia Symptomata amo-

Menynges quid.

Menyngum detectarum Symptomata.

Remedia ab iis præservantia.

Remedia iis curandis.

De vulneratis menyngibus prognostica.

amoliri, vel saltem mitigari, & membranulæ vulneratæ ipsi substantiæ Cerebri adnasci, vel cuti vulneris conglutinari possit.

Remedia pro vulneratis menyngibus.

Primum itaque, quia, ut jam diximus, membranæ cerebri venarum & Arteriarum surculis sunt referta, ex quarum vulneratione sanguis statim effluit, & in Cerebrum prolabitur, ibidemque in grumos concrescit, Cerebrum comprimit, & citam mortem infert, ideò statim sine mora sanguinis fluxio est cohibenda, & grumi, si qui cerebri substantiæ incumbunt, mollissimis Linteolis extergendi, & eximendi erunt, denique ipsis vulneratis Menyngibus sequens Linimentum mollissimum Linamentis exceptum, imponi debet: ℞. Colophon. ℈. j. Myrrhæ, Aloës, Mastichis ana ℈. s. Sarcocollæ, Croci ana ℈. j. quæ tenuissimè pulverisata, cum q. s. Ol. rosa. per durissimum Lapidem politum, diu multumque conterantur, & fiat mollissimum Linimentum, quo indito vulneri, imponatur Empl. Isidis à Galeno, *ut dixi, descriptum; aut aliquod aliud ex supra commemoratis vulnerariis & Emplastris; eidemque arcendæ inflammationis causa imponatur Album. ovor. cum pauxillo aq. rosar. concussa.*

Confert hic Ol. Myrrh. Thur. Ovor. Mastich. Essentia Consolidæ. Unguent. stillat. Ol. tartari nigri cum Ol. hypericonis.

Cerebrum incisum seu Vulneratum, quomodo curandum?

De Cerebro vulnerato.

Cerebrum est medulla Calvæ, Das gehirn oder bregen / *quod simile est lacti concreto, vel caseo recenter compresso, cujus substantia ut plurimum cum vulneratis Menyngibus una inciditur; & ut plurimum, & ferè semper tale vulnus lethale est, præsertim, si vulnus circa oppositionem ☉ & ☽, sive in plenilunio infligatur; solet enim Cerebrum, ut omnia ostratia, in Plenilunio in ipsa Calva turgere, & exundare; circa Novilunium subsidere, & diminui.*

Cerebri vulnus lethale ut plurimum.

Contingit tamen nonnunquam, licèt perraro, ut quidam Cerebro vulnerati, divinitus, ut equidem puto, & miraculosè conservati sint, præsertim ob hanc causam, quod primis tribus diebus in optimè temperato Cerebro à nativo calore per superficiem Cerebri, tenuis quædam concretio perficiatur, quemadmodum in lacte recenter mulso per triduum contingere solet, quæ vulnus oblinit, ut minus sit periculosum; sed id rarissimè contingit. Exempla eorum qui vulnerati cerebro Conservati sunt, & Galenus *& recentiores Chirurgi varia recitant, ac ideò Cerebro vulnerati, præsertim circa Novilunium, pro deploratis minimè sunt relinquendi, sed, cum seria protestatione de pernicie vulnerum, hæc sequentia sunt tentanda, nisi forsan lethalia Symptomata incidant, & signa præsentis mortis appareant; tum enim præstat manum Vulneri non admovere, quàm artem calumniis objicere.*

Signa verò lethalia in vulnere Cerebri *præcipua hæc sunt: Brevi pereunt hi, quibus vulneris labia in cute capitis arida & livida conspiciuntur: item quibus turbata est ratio; item quibus ardens febris incidit, denique quibus convulsio & resolutio partium adest; item quibus oculi rubent sanguinolenti; item qui continuo vomitu infestantur; item qui alvum habent suppressam, & quibus lingua nigricat, & qui remedia capiti imposita subinde revellunt, & abstrahunt: quæ quidem infœlicia signa non tantum in Cerebri, sed in omnibus Capitis vulneribus, & fracturis Calvæ studiosè observanda erunt. Hæc si non adsunt, in curatione vulnerum Cerebri, hac methodo procedi debet:*

Signa lethalia.

Primùm si Vulnus Cerebri profuso sanguine madeat, aut in eo sanguis in grumos concrevit, mollissime, linteolis, aut lana Xylina extergendus, ac si fragmenta ossium vulneri inhæreant, leniter eximenda, statimque ol. rosa. tepido, in quo pul. Thu. tenuiss. multum diuque est concretum, illiniatur, tandemque bysso seu Syndone Vulnus contegatur, quod tamen prius recenti lardo non salito, aut ol. rosa. ne vulnus accrescat, probè inungi debet, ut tertio tandem die rursum removeri queat; supra vero Syndonem imponatur Empl. Vulne. quod non impensè attrahat, quorum formulæ supra sunt commemoratæ. In tali curatione si vulneratum Cerebrum intra quatuor dies lividum fœtidumque evadat, vel alia lethalia incidant Symptomata, lethale erit signum; si verò post septimum diem è vulnere prodeant excrementa laudabilia, quæ similia

Curatio.

similia sunt pruina alba, & Empl. adhæreant, non exiguam spem salutis ostendunt; tum enim Natura operatur, & Vulnus nova concretione coalescere videtur; & tum quidem præter commemorata remedia Vulneri tenuiss. pul. vel. Thu. vel Pompholy. inspergi potest. Si quid deinceps puris ex vulnere Cerebri prodit, subinde mollissimis Linamentis abstergatur, & cum mell. rosac. in aq. cal. resoluto crebrò eluatur: hisque remediis adhibitis, auxilii eventus Deo est committendus.

Æger nihil masticet. *In Victu vitet æger omnia quæ masticando deglutienda sunt; sed pulmentis & jusculis sit contentus. Symptomata quæ vulnera Menyngum & Cerebri comitantur, quomodo sint curanda, paulò post indicabimus.*

De Oculorum vulneribus.

Oculorum Vulnera quomodo curanda?

Ὀφθαλμοὶ *sunt organum Visus, & fenestra mentis; Qualis enim, ut Galenus lib. 3. de usu part. inquit, est Sol in cœlo, tales sunt oculi in capite; & Plato in Timæo dicit, Oculos nos manu ducere ad cognitionem Dei; eorumque beneficio nobis universam naturalem Philosophiam à Diis concessam esse.* Oculorum usus. *Oculorum fabrica & constitutio valde est mirabilis; constant enim, juxta* Vesalium, *Oculi ex septem tunicis, involucris ceparum mutuo sese complectentibus similibus, quarum exterior* Eorum fabrica. adnata *dicitur; secunda* cornea, *tertia* uvea, *quarta* Aranearum telis similis; *quinta* Dura, *sexta* Secundinæ similis; *septima* Retiformis: *de quibus nos in lib. de Anima, & supra in Physiologia abundè diximus. Inter has tunicas continentur humores* Albugineus, Vitreus & Cryſtallinus; *quorum quidem albugineus, sive aqueus, inter* Corneam & Uveam *continetur, & in vulneratis Oculis omnium primùm profluit, & visivam potentiam adimit;* Vitreus retiformi *tunicæ insidet. In ipso vitreo innatat humor* Criſtallinus, *reliquis humoribus durior, & magis concretus.*

Quot modis vulnerentur oculi. *Vulnerantur oculi aut incisione armorum, aut incussione Virgarum, aut illapsu fragmentorum duriorum corporum, ut festucarum & Vitri, etiam per imprudentiam, aut acu, aut cultro, &c. Vulnerantur quoque sæpissimè una cum oculis &* palpebræ, *quæ quia carnosæ sunt, generali methodo & communibus remediis facilimè curari possunt. Ubi verò Cornea tunica, aut uvea sunt vulnerata, effluit humor albugineus primum,* Eorum curatio. *deinde & vitreus, statimque flaccescunt, collabuntur & corrugantur omnes tunicæ, & amittitur* visus, *qui amplius* humano præsidio restaurari non potest. *Sed satis erit, si vulnus probè curetur; Symptomata, quæ talia comitantur vulnera, ut sunt dolor, tumor & inflammatio, auferantur, vulnusque cicatrice obducatur. In palpebrarum solarum, h. e. cutis carnosæ oculum utrinque inter dormiendum claudentis, in qua hærent* cilia, *vulnere, primum abstergatur sanies, labiaque vulneris artificiosè consuantur, & Empl. conglutinans, ut in superioribus descripsimus, aut Barbarum* Galeni, *Vulneri imponatur, & supra Empl. arcendorum Sympt. causa, albumina Ovorum cum aq. rosa. in spumam contusa; stupaque excepta superponatur, aut linteola duplicata Vino austero imbuta, cui nonnihil ol. Mastich. est admixtum, obtegantur, & deligentur. Porrò si sola* cornea *est læsa, & non totus profluxit albugineus humor, absterso ex oculis sanguine, Vulneri ipsi, & toti oculo triplicatum aut quadruplicatum fol. auri puri, quo Pictores utuntur, imponatur: ut quatenus fieri queat, humoris profluvium compescatur; fieri enim potest ut membrana coalescat, & humor aqueus processu temporis restauretur, visusque retineatur; quamvis id propter imprudentiam Chirurgorum raro contingat; si autem humoris albuginei fluxio cohiberi non potest, nec visus ipse retinetur, propterea statim si quid fragmentorum Lapidis, Spinæ, Vitri &c. vulneratæ membranæ inhæreat, quam fieri potest mollissimè aut unguibus, aut rostrato forcipe eximatur, Oculusque vulneratus lacte tepido, vel muliebri, vel caprillo, probè abluatur & abstergatur, statimque Symptomati magis urgenti convenientibus remediis succurratur:* Symptomatum cura. *Ac primum cum vulnus oculorum acerbos excitet dolores, mitigandi hi erunt; in quem usum*

usum sequens collyrium, dolorem leniens, illiniatur: ℞. *Sief albi cum opio* ʒ.*j. Tutiæ Alex. præp. Pompholig. lotæ Lap. Hæmatitid. Gum. Arabici, Tragacanti ana* ℈.*j. Quæ omnia tenuiss. pulverisata diu multumque contrita cum q. s. aq. rosa. fiat Collyrium, sive aqua ocularis.* Sief *autem oculare est remedium compositum, cujus variæ descriptiones extant in lib. Pharmacop. Quin solum illud* Sief *tenuiss. pul. & oculis dolentibus inspersum, aut cum lacte muliebri in Linimenti formam redactum, & illitum, omnes oculorum dolores tollere potest; sedato dolore, si adest intumescentia, & inflammatio in oculis, sequenti decocto spongia munda excepto, ac tepidè crebrò fomentetur & eluatur:* ℞.*Plantag. rosa. Meliloti ana M. s. Aloes, Myrrhæ, Thuris, ana* ʒ.*j. Fœnu græci abluti & contusi* ℥. *s. Tutiæ, præp. Pompholigos ana* ℈. *ij. Sief cum Opio* ʒ. *j. Aq. rosa. aq. fœnic. ana* ℔. *j. contusa coquantur ad medias, quod & dolorem mitigat, & inflammationem sedat, tumoremque aufert. Aut* ℞. *rosa. Mirobal. Citrin. Myrtill. Sumach. ana* ℥. *s. Aloes Epaticæ, Thur. Mastich. ana* ʒ. *s. Aq. plantag. rosar. ana* ℔. *s. Contusa coquantur ad tertias, & colentur, in eoque dissolvatur Sief sine opio* ʒ. *j. s. fiat Collyr. quod oculis tepidum instilletur. Aut imponatur oculis sequens Epith.* ℞. *album. trium ovorum cum lacte muliebri & pauxillo aq. rosa. diu multumque concussa, & in spumam redacta, quæ linteis aut molli stupa excipiantur, & oculo vulnerato imponantur; cui si ol. rosa. quippiam admisceatur, præstantius fiet medicamentum, & non tam facile arescet, plurimum quoque conducit vulneratos oculos, & circumjacentes partes crebrò fovere ac abluere vino austero tepido, posteaque sequens Catapl. imponere:* ℞. *carnium malorum assatorum* ℔.*s. Sacch. albiss.* ℥. *j. Croci* ℈. *j. Ol. rosa. q. s. fiat Catapl. quod tepidum imponatur; præstantius quoque est ad inflammationem & tumorem oculorum sedandum sequens Catapl.* ℞. *fol. papa. albi. fol. Hyosch. cum rad. virescentium & sub ferventibus cineribus coctorum sive assatorum, & probè contusorum ana* ℥. *ij. farinæ fœnu græci* ℥. *j. Lactis muliebris, Ol. rosa. ana q. s. Commisc. fiat Catapl. aut* ℞. *Far. fœnu græci* ℥. *j. pul. Sarcocollæ, Myrrhæ Oliboni ana* ʒ. *j. Aq. fœnic. q. s. coquantur simul ad Catapl. formam; præter hæc omnia oculorum vulnera & ulcera persanat egregiè sequens Collyr. oculis singulis diebus bis illitum:* ℞. *pul. tenuiss. Myrrhæ, Thuris, Aloes, Sarcocollæ ana* ʒ. *j. Gum. Arab.* ℈. *ij. Sem. papa. albi.* ʒ. *s. Tutiæ alex. præp. pompholig. lotæ, Cerussæ. ana* ℈. *ij. Croci* ℈. *s. omnibus simul commixtis ponantur in album. ovorum ad duritiem coctorum, & per medium scissorum exemptis luteis, quibus pul. prædicto repletis colligentur, & in vitream cucurbitam amplioris orificii imponantur, & in balneo Mariæ eo usque macerentur, donec pulvis omnis in album. ovorum in liquorem resolvatur, qui collectus præstantissimum erit Collyrium ad omnia ferè Oculorum vitia. Postremò vulnus oculi cicatrice obducatur, quam fieri potest, tenuissima, ne videlicet excrescens Cicatrix deformitatem inferat, id quod sequenti Collyrio crebrò illito obtineri potest:* ℞. *Suc. Anagall. Rutæ, fœnic. Euphorb. Chelidon. ana* ℥. *j. Mellis virgin.* ℥. *ij. ebulliant, & colentur, fiat Collyrium. Id quoque observandum est in Oculi vulnere, ut æger in conclavi obscuro versetur, & moderatè calido, omnibus enim splendor extensaque caliditas & frigiditas oculis sunt inimica.*

Nasi & Aurium Vulnera quomodo curanda?

Nasus & aures, sicuti & reliquæ partes omnes, ubi in totum abscissæ & amputatæ sunt, humano præsidio nunquam iterum agglutinari possunt; id enim solus Filius Dei *in* Malcho *nebulone miraculosè præstitit; neque etiam agglutinari possunt, etiamsi toti adhuc pendentes adhæreant, si prorsus sunt refrigerata, emortuæ & denigratæ, quas præstat statim abscindere ac rejicere. At verò si recenter sunt vulneratæ, & interventu tantum cutis capiti adhuc adhæreant, nondum extincto in illis calore, sed sanguine madentes, si confestim capiti coaptatæ debitoque modo configuratæ consuantur, generali curandi methodo &*

De Nasi & Aurium vulnere.

Prognostica.

do & apta deligatione, remediisque convenientibus facilè agglutinari possunt. Circà nasi *itaque &* aurium *curationes hæc sunt observanda.*

Curatio.

1. Si particula descissa *capiti adhuc dependens plus justo refrigerata est, antequam consuatur, vino calido austero spongia aut linteolis excepto, rursum calefieri, & fomentari debet; vel in vini penuria Vrina tepida in tali casu usurpari potest.*

2. Si sanguis *omnis ex vulnerata particula prorsus stillavit, fluxioque substitit, utraque pars scalpello est scarificanda, & interventu recentis sanguinis adsuenda, & deliganda; ita enim promptius coalescit.*

3. Ubi nasus *vel* aures *capiti sunt adsuta, quantum fieri potest aptissimè configurentur; in eaque configuratione deligentur, ne distorta deformitatem inferant.*

4. Ante deligationem *vulnus pulveres conglutinantes inspergantur, & vulneraria Empl. inter quæ præstantissimum censetur* Barbarum Galeni, *applicentur, insuperque ponatur Epith. ex albu. ovorum cum pauxillo aq. rosa. concussis, & stupa mundissima exceptis, & talis methodus usque ad cicatricis inductionem observetur.*

5. *Ne autem intrà* nares *ejusmodi fiat conglutinatio, quæ respirationem intercipere, & metum suffocationis inferre queat, Canalis sive fistula argentea, aut plumbea, foris lana Xylina obvoluta, & ol. rosa. imbuta, subinde naribus inferenda erit, per quam & respiratio liberior, & excrementorum Cerebri evacuatio commoda fieri queat.*

6. *Vbi in totum præcisæ sunt* aures *&* nasus, *consultissimum erit generali methodo, & vulnerariis præscriptis remediis vestigium ejus persanare; ac ut deformitatis vitium evitetur, aures quidem ex corio aut membranis conglutinatis quàm aptissime conformari, & vivido colore imbui debent.* Nasus *verò ex terra cretacea, aut ligno eadem ratione fabricari, &* nasi *vestigio, loco veri nasi aliquo gummate tenaci resoluto, aut sequenti Linimento agglutinari potest:* ℞. *Terebinth. Gum. Elemi, Picis, Colophon. ana ʒ. j. liquefacta resolvantur, ex quibus tenacissimum efficitur gluten, cui color floribus faciei similis admisceri potest.*

Colli Vulnera quomodo curanda?

De colli vulneribus.

Collum *dicimus esse totum ambitum sub Capite, Caput ipsum sustentantem & circumflectentem, cujus postica pars* Cervix, *antica* Guttur *dicitur, cujus interna cavitas receptaculum est duorum nobilissimorum canalium,* Gulæ, *quæ cibi potusque est via,* Asperæ arteriæ; *quæ fistula est* respirationis *&* vocis. *Gula posticam, Aspera arteria anticam* Colli *partem occupat: Externa colli pars subcutanea ex variis particulis, Cervicis Vertebris, Musculis, venis & arteriis grandioribus, nervis & Tendinibus est exstructa.* (Colli partes.) *Ideò colli Vulnera profundiora non carent periculo, præsertim ubi cervicis Vertebræ, aut vena & Arteria, aut Gula, & Aspera arteria sunt nimium læsæ; Verùm de curatione Vertebrarum Cervicis & spinalis medullæ, Asperæ arteriæ, & Gulæ, seorsim brevissime dicam, ubi prius carnosarum colli partium vulnera absolvertim. In vulnerato* Collo, *ubi vasa majora, h. e. venæ & Arteriæ sunt incisæ, ac vulneratæ, statim juxta generalem methodum superius traditam, sanguis supprimatur, cujus suppressio non exiguam habet difficultatem.* (Prognostica.)

Sanguis ut sistendus.

Si itaque sisti nequeat sanguis præscripta methodo, vulnus venæ aut arteriæ imposito digito comprimatur, & sectioni earum statim inserantur telæ aranearum cum farina volatili commixtæ, ac tandem ipsum vulnus pulv. constringente conspergatur, Vulnusque linamentis sive lana Xylina, aut albis pilis leporinis unguento ex ovi albumine & pul. Thur. & Aloes multum commixtis contritisque confecto imbutis, compleatur. Sed si hac ratione subsistat sanguis, vena, vel Arteria ipsa, si nondum est dissecta, præcidatur, & uterque ejus terminus à carne liberatus, duplicato filo serico, & moderata constrictione convinciatur, & præscriptis remediis vulnus impleatur.

Reliqua curatio.

Tandem sopita effusione sanguinis linamenta vul-

ta vulnere eximantur, & inspersо vulnerario pulvere, aut solius Thuris & Aloës labia vulneris consuantur, per quæ pus profluere queat, & ita per quatuor dies, aut donec pus compareat, Catapl. commixtis imponatur, ritéque deligetur; & ubi jam pus in vulnere compareat, remoto Catapl. subinde pus auferatur, vulnusque ipsum mundificetur inserto licinio in Linimento ex Terebinth. & melle Rosa. facto imbuto, cui semper pul. Thuris, Myrrha, & Sarcocollæ inspergi potest, ac tandem, Empl. de Vernice vel de succino, vel Barbaro Galeni *artificiosè ad cicatricem deducatur.*

Vbi autem & Tendines nervique Cervicis simul sunt convulnerati, eorum curandi rationem & remedia convenientia paulò ante in nervosarum partium & articulorum vulneratorum curatione cumulatissimè proposuimus.

De vulnere gulæ & asperæ arteriæ.

Vulnus Gulæ & Asperæ Arteriæ quomodo curandum?

Prognostica.

Gula, Der Slunck oder Speiserhor/ *Aspera Arteria*, Das lufftrhor / *Vbi hi duo canales in collo convulnerantur, difficilima sunt curationis, & non carent insigni periculo: tum quod cibo ac potu nullum animal diu carere potest, multò minus absque respiratione supervivere; nam si vulneretur Gula, & intumescat, alimentum deglutiri nequit, sed per vulnus effluit: Sic aspera Arteria vulnerata & tumore affecta intercipit respirationem, & suffocatur homo. Etsi autem*

Curatio.

rarissimè evadant, quibus Gula, *aut* aspera arteria *est vulnerata, tamen nihilominus decet Chirurgum, cum protestatione periculi, curationem tentare tali methodo, hisque præsidiis: Initio sistatur sanguis, cujus suppressionis ratio in superioribus est ostensa, deinde consuantur Vulneris labia cum cutis tum musculorum quàm diligentissimè: ac si dolor & tumor urgeat, primum vulneri seq. Catapl. imponatur:* ℞. *Rad. Alth. concisarum, & in vini aquave q.s. coctarum, & ubi in mollitiem sunt redacta, contundantur in pulmenti formam, cujus accipiatur* ℔. *s. Ol. Rosar. Ping. Gallinæ ana* ℥. *j. Sevi vitulini Caprini ana* ℥. *s. Tereb.* ℥. *ij. Farina Orobi q.s. Croci* ʒ. *j. simul ebulliant, fiat Catapl. quod tepidum bis in die imponatur; lenit enim dolorem, mundificat vulnus, & tumorem sedat. Tandem ubi pus è vulnere prodit, omisso Catapl. abluatur Vino austero cum pauxillo Ol. rosa. mixto, & imponantur Empl. vul. in superioribus descripta, inter quæ* Barbarum Galeni, *& Empl. de vernice nobiliora sunt. Super Empl. autem imponantur linteola triplicata vino austero cum Ol. Hyperic. commixto imbuta. Quin & intrà fauces cavitas Colli & vulnerati canales subinde elutionibus & Gargarismatibus mundificari, & foveri debent. Inter Gargarismata optimum habetur hoc sequens:* ℞. *Rad. Consol. ma.* ℥. *j. Tormentil. Pentaphyll. ana* ℥. *s. Sarmenti Indici* ʒ. *vj. Rosa. rub. Veronica, Sanicula ana M. s. Gummi Tragacanti* ℥. *s. aq. in qua chalybs extincta* ℔. *iij. contusa & concisa coquantur ad tertias, colato juri admisc. mellis rosa.* ℥. *iv. fiat Gargarisma.*

Vtilissimum quoque erit subinde lambendo, sive sugendo, deglutire, in oreque detinere, ut per fauces in Vulnus refluere queat, sequens Elect. ℞. *Rad. Consol. major. coctarum & in pultis formam per cribrum trajectarum* ℥. *ij. pul. Tragacanthi, Gumm. Arabi. ana* ʒ. *j. Boli Arme. veri* ʒ. *s. Spec Diatrag. frig.* ʒ. *j. s. Syr. de Symphito, à* Fernelio *descripti q.s. fiat Elect. lambile. Porro cum ut plurimum in vulneribus gulæ asperaque arteriæ deglutitio alimenti (ut dictum est) fieri nequeat, & metuendum sit ne fame conficiatur æger, alendus erit per inferiora, infuso quotidie per Clysterem, pro alimento, aut lacte Caprillo, in quo vitella ovorum sunt dissoluta & concussa, aut lacte amygdal. jusculo pullorum contusorum, & similium: Epar enim per suctionem Venarum Mesaraicarum, quæ per intestina sunt sparsa, alimentum allicit & arripit, in sanguinem convertit, & in nutrimentum totius corporis distribuit.*

Æger nutriendus per clysterem.

Vulnera

Vulnera Spinalis Medullæ ut curanda?

De vulnere medullæ spinalis.

Medulla Spinalis, Das ruggenmarch/ *est rivulus Cerebri, eandem cum Cerebro substantiam, sed paulò duriorem, obtinens, & per totam spinam defluens, ex singulisque Vertebris spinæ nervos producens. Est autem spinalis medulla tunicis à Menyngibus Cerebri sumptis vestita. Vbicunque autem locorum spinæ sive dorsi vulneretur hæc medulla, ut plurimum lethalis est; & si transversim præcisa sit spinalis medulla, statim quicquid partium corporis infra vulnus subjectum est, id omne protinus motum & sensum amittit; quia destituuntur Spiritu animali ex cerebro per nervos defluente.* Prognostica. *Præterea vulnus spinalis medullæ perniciosissimas infert convulsiones & resolutiones, ideò præcisio ejus simpliciter deplorata & lethalis est. Non itaque erunt huic vulneri manus temerè admovendæ; nec potest actio Chirurgi fœliciter procedere, sicuti in cerebri vuln. propter impedimentum Vertebrarum. Si quis tamen cum protestatione periculi pro consolidatione ægri curationem tentare velit: illinat vulneri Ol. Rosa. tepidum & Ol. Hyperic. cum suc. rosa. simul mixtum & leniter destillatum, imponatque Empl. de succino, & totam spinam inungat Ol. lumbricorum, & procedat curando ut in vuln. Cerebri docuimus.* Cura.

Artuum vulnera, sive Manuum ac pedum, quomodo curanda?

De Artuum vulneribus.

Antequam ad curationem vul. Thoracis accedam, vulnera manuum ac pedum attingere placet; & quia similitudinem inter se habent & similem curandi rationem obtinent, nobis conjungere placuit. Curatio. *Manus ac pedum vocabulo hoc loco nos integra membra ex humero, brachio, & extrema manu, item ex crure, tibia & extremo pede coarticulata & exstructa intelligimus, quæ si vulnerentur, quia musculosæ sive carnosæ sunt partes, generali methodo & vulnerariis remediis generalibus artificiosè adhibitis facilè curari possunt, nisi nervi aut articuli ligamentaque in eis sint sauciata, vel ossa confracta, quorum curationem in superiorib. proposuimus, quæ hic repeti debent. Ossium verò fracturæ, qua ratione curandæ sunt, paulo post in fracturarum curatione prosequemur.*

Thoracis Vulnus quomodo curandum.

De Thoracis vulnere.

Θώραξ, der rumpff deß Leibes oder der Brust / *est quicquid in corpore à jugulis ad Diaph. usque costis circumsepitur.* Partes in thorace contentæ. *In Thoracis cavitate continentur* πλευραί. *h. e. costæ, membrana costas vestientes, Membranæ cavitatem Thoracis secundum longitudinem dividentes, Cor, pulmones, vena Cava, Aorta & Diaphragma.*

Vulnus *omne in* Thorace aut est externum, *tantum cutem, musculos & costas dividens*; aut est internum, *ad cavitatem Thoracis penetrans, membranamque costas succingentem perrumpens.* Vulnus thoracis quotuplex. Internum vulnus *rursum est* aut sine, *aut* cum læsione *interiorum viscerum in thorace contentorum.* Vulnus externum, *quod solis musculis & costis Thoracis est inflictum, visu tactuque deprehendi potest, & in carnosis quidem partibus generali methodo, sanguinis videlicet suppressione, consuitione & remediorum vulnerariorum applicatione aptaque deligatione facile persanari potest.* Curatio vulneris externi. *Vbi autem simul & costæ sunt fractæ & vulneratæ, de earum curatione in ossium fracturis disseremus. Hoc loco satis erit de costis observasse, quod si costa confracta corrumpi denigrarique incipiat, pars corrupta deradi debet usque eo donec floridus & rubens color in ea appareat, & præter conglutinantia remedia supra proposita sequens salutare* Catapl. *imponi potest.* ℞. *Rad. Consol. ma. pro arbitrio, quæ mundatæ & concisæ in austero vino decoquantur, effusoque vino radices instar pultis conterantur, ac cum. q. s. Oxym. in Catapl. formam redigantur.* Chimicis in usu balsam. vulnerar. Crollii, Emplast. stiptic. lap. medicamentos. ejusdem.

Porrò ubi vulnus Thoracis perrupta membrana costarum in cavitatem Thoracis penetret, id, cum propter continuum motum Thoracis, tum propter sanguinis è vulnere intrò defluxionem, curationem & difficilem, & De interno vulnere prognostica.

periculosiorem habebit; omnia enim vulnera ad sui curationem quietem desiderant, & sanguis in capacitatem Thoracis illapsus statim in grumos concrescit, ac deinde putrescere incipit, &, nisi tempestivè eliciatur, gravissima infert Symptomata. Vulnera *autem* penetrantia *ut plurimum cum pugione, cultris & mucronatis armis inferuntur, & violentius inflicta in cavitatem Thoracis penetrant. Penetrantia igitur vulnera Thoracis hisce signis deprehenduntur. Aër inter respirandum è vulnere manifestè erumpit, exspiratur & inspiratur, & eo magis, si os & nares occludantur. Tum enim adeò validè Spiritus è vulnere erumpit, ut etiam admota candela lumen extinguat, & linamenta vulneri imposita elidat ac propellat: subsequitur tandem & respirationis difficultas, præsertim si sanguis è vulnere intrò delapsus Diaphragma gravet ac comprimat. Quin & specillo instrumento penetrans in Thoracem vulnus non difficulter explorari potest; sed tamen fallunt hæc indicia, ubi vulnus non rectà inter costas est inflictum, sed obliquè alio in loco subcutaneo intrusum. Id autem crebro contingit, ubi pugionis aut cultri apex in costis incidat, & ab ejus duritie vel sursum vel deorsum detorqueatur, quo in casu necessarium est statim vulnus externum incidendo dilatare, donec penetrans vulnus in conspectum veniat.*

Vulneris in thoracis cavitatem penetrantis dignotio.

In curatione Thoracis vulnerum penetrantium hac methodo procedendum erit. Sunt qui in vulnere Thoracis penetrante, ne ab aëre ambiente per vulnus attracto interna viscera refrigerentur, statim vulneris externa labia consuenda suadeant: id quod ego probare non possum, cum Emplastro tenaci imposito aeris attractio per vulnus cohiberi possit, cumque nulla ferè vulnera exactiori crebriorique expurgatione & mundificatione egeant, quam vulnera thoracis, collecta enim sanies & colluvies in capacitate Thoracis putrescit & Empyema h. e. suppurationem aliaque periculosa Symptomata, ac postremò inevitabilem perniciem infert.

Curatio interni vulneris.

Quam primum igitur quispiam in Thorace vulnere penetrante perfossus est, statim patiens ad latus vulneratum converti debet, ac, si vulnus penetrans sit occultum & sub cute delitescens, exterius vulnus incidendum dilatandumque erit, ut sanguis liberè profluere queat, & quam minimum intra cavitatem instillet, ac, si fortè, quod crebro accidere solet, multum sanguinis intrò defluxit ibidemque concrevit, id quod ex difficultate respirationis & gravitate circa Hypochondria, ut diximus, animadverti potest, summa intentione adnitendum erit, ut omnis coagulatus concretusque sanguis, antequam putrescit, resolvatur, & è Thorace proluatur emundeturque. Sunt qui statim accepto in Thorace vulnere, præsertim ubi suspicio est viscera quoque Thoracis læsa esse, jubeant sanguinem è vulnere exsugere ore; à qua Chirurgica operatione & si Chirurgi ipsi abhorreant, tamen salutare est consilium; quamvis nemo libenter hanc actionem suscipiat, nisi qui στοργὰς φυσικὰς *erga saucium habet, ut scilicet parentes erga liberos, & econtra, conjuges ad invicem, & vera amicorum paria. Verum ubi sanguis in cavitatem Thoracis profusus est ex vulnere, & nec per declivitatem vulneris effluere, nec, ut diximus, sugendo elici liceat, si vulnus ipsum amplum est, statim consui debet, relicto tamen in eo satis magno orificio per quod pus profluere valeat, eique imponatur Licinium satis crassum, molle tamen ac breve cum appenso filo ut quovis tempore extrahi queat, vulnerique tandem superponatur Empl. aliquod vulnerarium, superque Emplastrum arcendæ inflammationis & tumoris gratia imponantur album. Ovor. cum paux. vini austeri & Ol. Rosa. concussa. Et, si per illud vulnus sanguis omninò evacuari nequeat, antequam in Thorace concrescat, putrefiat & in saniem convertatur, indeque Febres aliaq; graviss. excitentur Symptomata, sine omni hæsitatione novum vulnus penetrans paulò supra Diaph. incidatur. Oportet autem hoc Vulnus inferre inter costam secundam & tertiam, vel inter tertiam, & quartam ab infima Costa sursum numerando, quemadmodum Amatus Lusitanus docet, ita enim septum*

septum

ſeptum tranſverſum minimè lædi poteſt. Primum autem novacula incidenda eſt cutis & Muſculus; deinde ſcalpello & membrana coſtas ſuccingens, & ex eo ſubinde eliciendus eſt ſanguis, pus & omnis impura colluvies; ne autem illud facilè coaleſcat, utile eſt imponere brevem Canalem ex auro & argento confectum, per quem exſtillabit colluvies.

Singulis autem diebus vulnus ipſum & Thoracis cavitas bis eluatur convenienti liquore per Siphonem propulſorium tepidè injecto ad menſuram novem unciarum aut unius quoque libræ, quo infuſo æger corpus ab uno latere in alterum convolvet, & liquorem intus continebit per dimidium diem, & tali elotione procedendum erit donec omnis concretus ſanguis diſſolvatur, omniſque impuritas profluat, nihilque ſordium aut puris amplius conſpiciatur. Liquores injiciendi convenientiſſ. ſunt Hydrom. aq. hord. & aq. Plantag. in quibus remedia abſterg. aſtring. & conglutinantia incoqui poſſunt, ut exempli cauſa, ℞. Hydrom. ℔.iij. Furfur. tritic. M.ij. Macerentur per noctem, colentur & infundantur, præclarè enim abſtergit. Aut ℞. Hord. roſa. rub. ana M.s. Hippu. M.j. Rad. Torment. ʒ.j. coquantur in lib. iij. aq. Plantag. aut pluvialis ad medias, colentur, quibus admiſce Mell. roſa. ʒ. iij. fiat lavamentum; Aut Rad. Conſol. ma. ʒ. j. Balauſt. Hypeciſt. Sumach. ana ʒ. s. Hyppur. Veron. ſaniculæ ana M. s. Hydrom. ℔. iij. Coquantur ad tertias, fiat Lavamentum. Interea verò & convenientia alimenta quæ concoctu facilia eſſe debent, & conglutin. remed. intra Corpus per os aſſumenda minime negligenda erunt. Præſtat itaque ſingulis diebus ſequentis Vulnerariæ potionis mane ac Veſperi ʒ.v. exhibere. Rad. Conſol. ma. Rad. Caryoph. ana ʒ.j. Glyzir. Sem. Aniſi ana ʒ. s. Rhab. ʒ.s. Sarmenti. Indi. ʒ.j. Veron. ſaniculæ, ana M.j. Conciſa & contuſa coquantur in duplici vaſe cum ℔. iij. aq. per duas horas percolentur & colato juri admiſc. Syr. è Symph. Fernel. ℔. s fiat potio.

Poſtremo ubi Vulnus ab omni ſorde, & cavitas Thoracis ab omni colluvie probè eſt expurgata, ſi vulnus in fiſtulam non degeneravit, quod crebrò contingit, Vulnus ipſum generali methodo & Empl. vul. quale eſt Barbarum Gale. & de Vernice aut ſuccino noſtrum impoſitis ad cicatricem deducatur. Sed rariſſ. contingit quod Vulnus Thoracis ita fœliciter curari queat, ut non ſuppurationem aut φθίσιν poſt ſe relinquat.

In Thoracis Vulnere, ſi Viſcera ut Pulmo, Cor, Aorta Arteria, Vena Cava aut Diaphragma ſunt convulnerata, quomodo dignoſcendum & quid agendum?

Vulnerato Corde paucæ guttæ ſanguinis ſubnigræ profluunt; ſtatim enim omnis ſanguis ad Cor irruit cordi opitulaturus, & ſi quid ex Vulnere Cordis erumpit, in Capſula cordis colligitur & extinguitur animal. Signa vulnerati cordis.

Similiter *Vulnerata Aorta ſive Arteria magna, confeſtim cum impetu ſanguis ſubflavus & tenuis erumpit, & concidit animal.* Aortæ.

Vulnerata Cava Vena *largiſſimè profluit ſanguis ſubniger, & paulatim deficit vita.* Venæ cavæ.

Vulnerato *Diaphragmate ceſſat reſpiratio & ſuffocatur homo.* Diaphragmatis.

Proinde cum horum Viſcerum Vul. omnia lethalia ſint, manus Chirurgicas admovere, inſipientis eſt.

Porro Pulmonem *vulneratum eſſe arguit ſubflavus & ſpumoſus ſanguis è Vulnere cum tuſſi & reſpirationis difficultate profluens. Etſi autem ex Pulmonum vulnere tam repentinum exitium non ſequatur, quàm ex Vulnere reliquarum partium in Thorace contentarum; tamen vulneratus pulmo cum propter motum continuum, tum propter cordis vicinitatem facile inflammatur, & febrim, peripneumoniamque & Empyema aliaque exitioſa Symptomata infert, & nunquam aut rariſſ. perſanari poteſt, ſed aut φθίσιν aut perpetuum Empyema comites habet.* Pulmonis. Prognoſtica de pulmonis vulnere.

Sunt tamen quidam tum ex Veteribus tum recentioribus Chirurgis qui glorientur non tantum vulneratum pulmonem, ſed præciſam ejus particulam ſe fœliciter curaſſe. Si itaque quiſ- Curatio.

quispiam pulmonis vulnus conglutinare tentare velit, quod, ut dixi, propter continuum motum, difficillimum est, sanguinem prius effluentem linamentis exiccet, in ipsum autem vulnus aureum aut argenteum canalem imponat, per quem pus & colluvies ex pulmonibus continue profluere queat, Emplastroque vulnerario communi, quod supra attractivum nominavimus, vulnus ipsum contegat, supraque Vulnus albumina Ovorum cum Vini & Ol. rosa. pauxillo concussa stupaque excepta imponat: per os verò subinde potionem vulnerariam ex rad. Consol. ma. & Glycyr. quàm jam paulo ante descripsimus, exhibeat, & Syr. de Symphyt. subinde lambendum offerat. Ita forsan misera vita aliquamdiu protrahi poterit, non sine tamen enumeratis Symptomatibus.

De vulnere infimi ventris.

Vulnus infimi ventris quomodo curandum; & quot præcipue viscera in infimo ventre continentur?

Viscera infimo ventre conclusa.

Venter infimus nobis dicitur quicquid infra Diaph. usque ad pubem protenditur. Externa pars ex cute, musculis & subducta membrana, quam peritonæum vocant, compacta est. Est autem peritonæum membrana tenuis, quæ Capacitatem infimi ventris quasi saccus complectitur ac continet, nostris Das netz *dicitur. Infimus venter Græcis* ἐπιγάστριον, *Latinis Abdomen, nostris* Der Bauch. *Continentur autem in Capacitate abdominis hæ præcipuæ partes, Omentum h. e.* Das smehr/ *Intestina, Mesenterium* Das schedelvedt/ *Ventriculus, Matrix, Vesica: Et in postica parte dorso vel lumbis adhærent Renes: in dextra verò Iecur; in sinistra Lien.*

Abdominis vulnera multiplicia.

Vulnus infimi Ventris, *ut & Thoracis*, aut *est* externum *tantum, ubi solæ cutis & Musculi abdominis sunt vulnerati*, aut *est* internum, *ubi perrupto peritonæo vulnus intrà Capacitatem abdominis penetrat*, quod *rursum* aut *est* sine, aut cum vulneratione internorum viscerum *jam commemoratorum.*

Curatio.

Vulnus externum Abdominis, cutis videlicet & Musculorum, generali methodo & remediis vulnerariis supra enumeratis, linamentis, pul. & Empl. Barbaro aut alio facilè persanari potest. Vulnus verò penetrans, ubi perruptum est peritonæum, & tamen viscera nondum sunt convulnerata, id quod ex prolapsu vel omenti vel intestinorum è Vul. dignosci potest, abstersa sanguine statim omenti prolapsa pars, vel intestinum prolapsum, antequam refrigeretur aut intumescat, artificiosè reponendum est: ac, si propter angustiam vul. reponi nequeat, vulnus ipsum dilatandum erit; moxque cum peritonæum ipsum, tum cutem musculosam artificiosè consuere oportet, Consuitione ejusmodi, ut puncta acus ab invicem distent ad minimi digiti latitudinem, ac ita tandem impositis vulneribus remediis vulnerariis, pul. Vnguentis, & Empl. supra propositis, observataque generali methodo, conglutinanda & persananda erunt. Vbi verò ex visceribus in Abdomine contentis aliquod simul est convulneratum, eorum sane singula peculiarem requirunt curandi rationem, ut nunc ordine edocebo. In universum autem in vulneratis visceribus omnibus in Abdomine contentis, loco præsagii, id observandum erit, omnia difficilis & periculosæ curationis esse, excepto omento seu pinguedine ventris.

Prognosticon de visceribus vulneratis.

Vulnus Omenti quomodo curandum?

De omenti vulnere.

Omentum, quod supinè jacentibus aliis visceribus innatat, pinguedo sive Adeps est ventris. Quod si itaque per vulnus peritonæi prolabatur Omentum, sive vulneratum sit, sive non, illiniatur unguento vulnerario, & conspergatur pulv. conglutinatorio, rursumque in locum suum reponatur, & vulnus Abdominis consuatur, generalique methodo Empl. convenientibus conglutinetur. Verum si prolapsum Omentum refrigeratum intumuit, & jam livescat aut nigrescat, ea pars corrupta omnis præscindatur, amputeturque, pars autem sana inuncta & conspersa, & vinculo serico colligata, intro reponatur, &, ut diximus, Barbaro aut alio Empl. vulnus Abdominis consolidetur.

Inte-

Inteſtinorum Vulnera quomodo perſananda?

De inteſtinorum vulnere.

In Abdominis vulneribus ſi inteſtina illæſa prolabantur, antequam vulnus intumeſcat, inteſtina vel calido vino, vel tepido lotio abluantur & reponantur, juxta eorum conſecutionem & ordinem: & ſi vulnus Abdominis anguſtum ſit, ut inteſtina reponi nequeant, id dilatare oportet. At vero ſi inteſtina ſimul convulnerata ſunt, eorum vulnera valde ſunt periculoſa, & ut plurimum lethalia, niſi ſcitè & artificiosè tractentur, præſertim Inteſtinorum gracilium. Utrum autem craſſa aut tenuia inteſtina ſint vulnerata, ex ſitu vulneris dignoſci poteſt. Gracilia enim inteſtina circa & ſupra umbil. ſita ſunt; Craſſa autem inferiori Abdominis parte hærent. Præterea ex vulnere gracilium inteſtinorum ut plurimum Chylus, h.e. ſuccus pulti avenaceæ ſimilis profluit; ex craſſiorum autem vulnere ſtercus fœtidum progreditur.

Curatio.

In curatione vul. inteſtinorum, quæ etſi periculoſa ſint, hac tamen methodo curatio tentari poteſt. Initiò, ſi Abdominis vulnus anguſtius ſit, novacula dilatandum erit, cavendo tamen, ne inter incidendum ipſa inteſtina magis lædantur, ac tandem vulnerata inteſtina leniter protrahantur, ut eorum vul. conſpici & contrectari queant, moxque materia in Inteſtinis contenta comprimendo digitis à vulnere ſemoveatur, vulnusque & exteriores ſordes inteſtino adhærentes vino tepido ſpongia excepto abſtergantur, moxque vulnus ipſum filo ſerico, ea conſuitione, qua utuntur pelliones, conſuatur. Ubi vero inteſtinum per tranſverſum ſit præciſum, omninoque amputatum, & ſi exigua ſpes ſit illud conglutinandi; tamen miſera vita per plures menſes & annos produci poterit, ſi utrique parti præciſi inteſtini imponatur vel argentea fiſtula, vel ex baculis ſambuci pro magnitudine Inteſtini præciſi conformata: debet autem fiſtula prius circumvolvi pilis virginum, deinde extremitatibus fiſtulæ utraque pars inteſtini cum faſciculis crinium virginum leniter alligari, moderateque conſtringi, ne nimium conſtringendo alimentum ſubſtantiæ inteſtinorum intercipi queat, & membrana inteſtini computreſcat, pili enim non facilè corrumpuntur, ſicuti alia deligationis materia; tandem vulnus conſpergatur pul. conglutinatorio & unà cum fiſtula rurſum imponantur inteſtina, vulnusque abdominis conſutum generali methodo curetur ac conglutinetur, & quantum fieri poteſt, in tota curatione arceantur Symptomata, inflammatio videlicet & tumor. Et quia ut plurimum vulnerata inteſtina ex Abdomine prolapſa aut excepta, præſertim ubi ſenſerint refrigerationem flatibus repleri, & intumeſcere ſoleant, ac non facile intrò reponi queant; ſi tale quid contingat, tumentia inteſtina vino Cretico aut alio generoſo, in quo decocta ſunt Abſinth. Chamæm. ciminum & fœnugræcum, fovenda & abluenda erunt, donec detumeſcant, & ita imponenda. Interim in tota curatione Inteſtinorum ſauciatorum minimè negligendæ erunt potiones vulnerariæ in ſuperioribus à nobis præſcriptæ; mirificam enim vim habent conglutinandi inteſtina, ac imprimis decoctum ſarmenti Indici, præſertim ſi per Clyſterem in inteſtina crebrò infundantur. Non autem Abdominis vulnus in inteſtinis vulneratis temerè eſt conſuendum, & prius conglutinandum, donec certum ſit vul. inteſtinorum eſſe conſolidatum. Sed obſervandum vulnera inteſtinorum gracilium, præſertim jejuni, ut plurimum lethalia eſſe, juxta decretum Hipp. 6. Aph. & *fruſtra curationem ſuſcipi, niſi fortè miraculoſa naturæ operatione proprio Balſamo aliquando perſanentur. Semper itaque in Inteſtinorum vulnerib. de periculi magnitudine proteſtari debet Chirurgus.*

Vulnus Meſenterii quomodo curandum.

De vulnere Meſenterii.

Meſenterium eſt membrana craſſa pinguedine multa obducta, circa quam convoluta ſunt inteſtina & inter ſe connexa, eaque dorſo alligata, noſtris Das ſchedel vedt. In Meſenterio conſperſæ & diſtributæ ſunt venæ nobiliſſ. & Arteriæ ex vena portæ prodeuntes, & inteſtinis implantatæ, quæ venæ Meſaraicæ dicuntur, per quas Epar ſuccum alimentarium ex inteſtinis adſugit, & in ſanguinem

De uſu vaſorum Meſenterii conſulantur Academici recentiores, qui diverſum ab authore ſentiunt.

guinem convertit. *Mesenterium solum ab extrinsecis causis vulnerari impossibile est sine convulneratione intestinorum; Ubi itaque cum intestinis Mesenterium vulneratum fuerit, id quod ex intolerabili dolore per totum intestinorum spacium & nervorum contractione, circa spinam dorsi & cervicis dignosci potest, tum augetur periculum vulneris intestinorum, sed tamen vuln. intestinorum persanato facilè & vuln. Mesenterii coalescit, cui tamen nulla alia remedia applicari possunt, præterq. potiones vuln. quæ nobis in superioribus sunt proposita.*

De vulnere ventriculi.

Vulnus Ventriculi ut curandum.

Ventriculus est receptaculum & culina alimenti assumpti, die Mage/ (*Excepta communi externa à peritonæo prominens quæ tertiam tunicam ventriculi constituit.*) *Cujus substantia constat tunicam duabus crassis & validis tunicis.* Prognostica. *Vulnerata abdominis superiori parte ut plurimum convulneratur & ventriculus, cujus quidem vulnus aut intrò penetrat ad ejus cavitatem, aut hæret tantum in superficie & externa ejus tunica, id quod minus est periculosum; si verò intra cavitatem vulnus penetret, non caret periculo & difficultate. Vulnus ventriculi quod inflictum est circa stomachum h. e. orificium ventriculi longè est perniciosius, quam quod ejus fundo est illatum,* Curatio. *cum propter cognationem quam habet cum Cerebro, tum propter exquisitiorem sensum & vicinitatem Diaphragmatis quod in vuln. stomachi intumescit, & difficultatem respirationis, aliaque gravissima Symptomata infert, quæ postea mortem sequi necesse est. Ubi itaque ventriculi externa tunica tantum est læsa, statim filo serico consuenda erit, & pul. vulnerarius inspergendus, aut Ol. Balsamumque vulnerarium illiniendum, & applicatis remediis vulneri Abdominis, quæ Symptomata, inflammationem & similia arcere queant, facile beneficio naturæ & brevi consanescet. At si vulnus penetret intra ventriculi capacitatem, id quod ex crebra & violenta vomitione, & Chyli sive alimenti per vulnus profluvio & frequenti animi deliquio facile dignoscitur, tum etiamsi talia vulneraria ut plurimum lethalia sunt, præsertim circa stomachum, ac si incidat inflammatio, tamen, ut paulò ante diximus, cum natura sæpè suo Balsamo, h. e. humido primogenio, quod divinum quoddam est, ea præstare queat, quæ nec ars nec remedia præstant, cum protestatione consui potest & pul. vulnerarius inspergi. In vul. autem Abdominis semper foramen est relinquendum in consuitione, ut purulenta colluvies liberè profluere queat, deinde vul. imponenda sunt, quæ ventriculum corroborent & inflammationem arceant, ut sunt albu. ovorum cum ol. rosa. & Masti. concussa & stupis excepta; intra verò corpus subinde exhibendi sunt Syrupi de Symphito Fernelii, Syr. Myrtinus & Syr. de Papa. ac tandem vulneri imponi debent ea quæ in thoracis Vulneribus sunt proposita.* Victus ratio. *Quin & fercula tenuia & pauca, sæpe tamen, sunt exhibenda, quæ cum decocto Symphiti & sarmenti Indici & pauxillo Masti. & Charioph. sunt præparata. Verùm si alimentum per vulnus effluat, aut ventriculus tolerare nequeat, præstat liquidiora alimenta, ut sunt juscula pullorum, Lac amygdal. & ovorum juscula per Clysteres in intestinum profundere. Foris verò ubi renovantur remedia imposita, præstat vulnus subinde vino abluere, in quo Mastich. Consol. ma. & Sarm. Indici sunt incocta. Tota autem regio externa ventriculi inungenda erit. Ol. Hyperico. aut ol. è Masti. arte Chimica destillato, & vulnere conglutinatorium Empl. quale est Barba. aut è Vernice pictorum, imponendum erit.*

De vulnere Epatis.

Vulnus Epatis quomodo curandum?

Epatis descriptio.

Epar sive Iecur est promptuarium vel officina sanguinis & radix omnium venarum. Sua enim natura Epar alimenti assumpti & in Ventriculo elaborati benigniorem partem per venas Mesaraicas ex intestinis assugit, in se recipit & in sanguinem convertit, deinde purificatum ab universi corporis partibus per venas in nutrimentum distribuit. Situm habet Epar paulò infra Diaph. sub dextro Hypoch. & Venrriculum in dextra parte, tanquam manu, complectitur, ejus calorem fovet & auget. Vulnerato itaque abdomine sub dextro

Videantur hac de re diversæ Anatomicorum sententiæ.

Epatis vulnerati dignotio. *dextro Hypoch. simul facile convulneratur & ipsum Epar, cujus vulnus dignosci potest ex sanguinis immoderata profusione & subsequentibus perniciosis Symptomatibus.*

Vulnerato enim Epate statim omnis sanguis in eo contentus profunditur, ipsum refrigeratur, calor ejus extinguitur, & sanguificandi facultas prosternitur, moxque Atrophia sive macilentia & Cachexia comitantur, neque ut alia viscera propter substantiæ tenuitatem, (est enim similis sanguini coagulato) commodè consui potest: Si quis tamen consolidationis ergo curationem tentare velit, cum periculi prædictione vulnus decocto constringentium & conglutinantium rerum cum Vino, ut sunt Consol. ma. Agrimon. Veronica, Rosæ, Acatia & similibus abluat tepido, statimque inspergat tenuiss. pul. vulnerarios, quales in superioribus proposuimus, moxque ritè consuto Abdomine imponatur Empl. Vul. & subinde potiones Vul. in quibus Rhab. Sarmentum Indicum & Veronica sunt incocta, exhibeantur, & eventus curationis Deo & naturæ committatur.

Curatio.

DeLienis Vulnere.

Vulnus lienis quomodo curandum?

Lienem fecis sanguineæ receptaculum esse, vero simile non est; multo minus per vas breve fecem sanguinis in ventriculum exonerat. Experientia quippe edocti, statuimus lienem spiritum acidum, sc. partem sanguinis acidam à Corde communicatam perficere; qui humor acidus postea sanguini in vasis, & chylo in ventriculo permiscetur; ut tam hunc, quam illum reddat tenuiorem.

Splen sive Lien est receptaculum fecis sanguineæ; Ex splene enim canalis conspicuus ad infimum ventriculi orificium, ubi duodenum intestinum est ventriculo implantatum, protenditur, per quam fex sanguinis, quem melancholicum succum vocant, excitandæ famis gratia exoneratur & profunditur, indeque rursum per alvum cum excrementis excernitur. Vulnerato abdomine in sinistra parte sub Hypoch. ibi enim Splen ventriculum complectitur, vulneratur & Splen, id quod dignosci potest ex nigri & feculenti sanguinis è vul. profusione. Vulnus Lienis æque periculosum est atque Epatis, nec alia curandi ratio adhiberi commodè potest: ea itaque methodo & iisdem remediis procedendum erit: Vulnus initio decocto abluendum, Pul. vulnerarium inspergendo, Vulnus abdominis consuendo, & Empl. conglutinantia imponendo; intus verò vulneris potionem quotidie exhibendo, in qua tamen præter commemorata optimum est decoquere Cetrach. sive Asplenium, Rad. Capparis & Tamarisci.

Vulnera renum ut curanda?

De Renum Vulnere.

Renes in sanguinis purificatione ex Epate per Venas emulgentes sanguinis aquosiorem partem assugunt & per membraneum interstitium, quod in cavernulis Renum habetur, percolant, ac per ureteres meatus in Vesicam destillando propellunt. Siti autem sunt Renes utrinque circa Lumborum vertebras paulo infra Epar. Vulneratis renibus vulnere penetrante ut plurimum exitiosa sunt, præsertim si intra in Cavernas Renum vulnera penetrent, in superficie autem curari possunt sed non sine difficultate. Renes vulneratos esse dignoscitur ex loci gravitate, ponderoso dolore, urinæ suppressione, lotiique nigredine. Et si penetrans est vulnus, urina sanguinolenta per vulnus effluit: Vulnus renum superficiale curandum est crebra eluitione cum Hydromel. in quo decoctæ sunt herbæ ac rad. Vulnerariæ, deinde exiccato illiniatur Balsamum aut Ol. vulnerarium, ut est Ol. Terebinth. prima destillatione extractum, tandem consuatur vulnus cutis, & imponatur Empl. conglutinans, superque Empl. Catapl. aut Epith. inflammationem arcens, tumorem mitigans. Verum si renum vulnus ad ipsam cavernulam penetret, illud quoque Hydrom. medicamentis vulnerariis imbuto crebro eluatur, ac tandem spongia molli aut linamentis exiccetur, & ol. Terebinth. crudum seu semel tantum destillatum atque cum succo ex vesiculis ulmi collecto mixtum cum liniciniis imponatur, ac tandem Empl. Barbarum vel de succino imponatur.

Signa prognostica.

Diagnostica.

Curatio.

Per os verò potio vulneraria in qua rad. consol ma. Glycy. & Alth. & Sarmenti Indi. sunt incoctæ crebrò propinetur, subindeque Syr. de Alth. Fernelii lambendus exhibeatur: ac si inflammatio metuatur, Lac ex 4 sem. frig. ma. cum aq. Alkek. emulsum bibendum offeratur, aut pul. Troch. de Alkek. cum eodem lacte propinetur.

Vulnus.

Vulnus Vesicæ ut curandum?

De Vulnere vesicæ.

Vesica est receptaculum *Vrinæ ex renibus per urcteres in ipsam vesicam destillatæ. Sita est vesica in Hypogast. sive in infima parte Ventris paulo infra umbil. cujus cervix in pudendum terminatur. Vulnerato Hypogastrio h. e. abdominis infima parte, & ipsa vesica ut plurimum convulneratur.*

Signa vulneratæ vesicæ diagnostica.

Signa vulneratæ *vesicæ sunt, profunditas Vul. in Hypogast. quæ specillo explorari potest, & urinæ suppressio, aut ejusdem per vul. profusio. Vulnus Vesicæ juxta decretum* Hipp. 6.

Prognostica.

Apho. *perpetuò lethale est, qui Hippocratis Aphorismus de vulnere vesicæ est intelligendus, quod fundo vesicæ aut capacitati infligitur, id enim impossibile est conglutinari, cum quia exsanguis est membrana vesicæ, & consui nequeat, tum quia lotii acrimonia conglutinationem impediat: Vbi verò cervix sive collum vesicæ, quod carnosum est, vulneretur, & facile & fœliciter curari potest: quemadmodum in Lithotomorum artificiosa operatione videre licet, qui vesicæ collum secant & incidunt, & insignis magnitudinis calculos, qui aliis remediis propelli nequeunt, eximunt, & vulnus ipsum iterum ac cito conglutinant. Vbi itaque collum vesicæ est vulneratum, audacter curatio est inchoanda, & tali methodo procedendum:*

Curatio.

1. *Pubis seu inguinis vulnus externum & ipsius colli vesicæ vino tepido, in quo herbæ & rad. vulnerariæ conglutinantes sunt decoctæ, probè & crebro eluatur, moxque molli Spongia aut linamentis detergeatur siccetur que, ac generali methodo superius enumeratis oleis, Balsa. & Empl. vulnerariis conglutinetur, & ad sanitatem producatur. Procedet autem fœlicius curatio, si potiones vulnerariæ, quæ in Renum vulneribus præscripta sunt, subinde exhibeantur, & collectum in vesica lotium, si natura propellere nequeat, instrumentis Vrinatoriis singulis diebus evacuetur, quin & liquida conglutinantia remedia ex Consol. ma. & Hyppuride coctæ crebrò per siphonem in vesicam propellere, proderit.*

Vulnus Matricis ut curandum?

De vulnere matricis.

Matrix in fœmellis est humanæ propagationis hortulus, constans ex duabus validiss. tunicis, ut & ventriculus. Est præterea Matrix sentina impuræ colluviei sanguinis. In ejus enim interna capacitate infinitarum venarum & arteriarum orificia terminantur, quæ Græcis κοτυληδόνες dicuntur, per quæ singulis mensibus aperta sanguinis colluvies, quæ menstruum dicitur, ita providente Deo, à natura propellitur. Sita est Matrix in infima parte ventris inter vesicam & rectum intestinum. Vbi itaque vulneratur Hypogast. insigniter, contingit ut & vesica & uterus convulnerentur, cujus sanè vulnus in capacitatem Matricis penetrans, ut plurimum lethale.

Curatio.

Curatio tamen consolidationis causa cum periculi prædictione à Chirurgo tentari potest talis: 1. Vt eluatur vulnus cum decocto Melissæ, Rosæ. & reliquarum vulnerariarum herbarum, deinde instilletur in vulnus succus ex vesiculis ulmi collectus, tandem consuatur, & Empl. aliquod vulnerarium imponatur, & instar vulneris ventriculi & vesicæ curetur.

Vulnus pudendi seu Virgæ virilis ut curandum?

De penis vulnere.

Virga valde nervosa est corporis particula, curari tamen potest facile observata methodo generali, & adhibitis elutionibus pul. Ol. & Empl. vulnerariis supra in curatione nervorum vulnerum descriptis.

Vulnus Testiculorum quomodo curandum?

De Testiculorum vulnere.

Etsi in castratione testiculi sine periculo præcìdi possunt artificiosa adhibita sectione; eorum tamen vulnera propter graviora Symptomata non prorsus carent periculo, ideoque testes ad sui curationem industrium ac diligentem requirunt Chirurgum: Curatio autem generalis est adhibenda, observata videlicet generali methodo, nimirum ut testes fomententur, expurgentur, consuantur & conglutinentur adhibitis Epithe. Catapl. Ol. pul. & Empl. conglutinantibus, & Symptomata arcentibus.

Fœmorum

Fœmorum & Tibiarum Vulnera quomodo curanda?

Fœmora cum humeris, & Tibiæ sive crura cum brachiis magnam habent cognationem ac similitudinem, earum itaque partium vulnera eadem methodo & iisdem remediis curari possunt. Vulnerum autem manuum curatio nobis paulò ante est proposita, quæ consuli poterit.

Sunt ne alia præterea, quæ ab armis inflicta sunt vulnera peculiarem curandi rationem requirentia?

Vulnerum quatuor genera peculiarem curationem postulantia.

Præter commemoratorum *vulnerum curationes, quatuor adhuc restant vulnerum Species, quarum singula proprias efflagitant medicationes, nimirum*

Vulnus ab armis *venenatis inflictum,*

Vulnus ab animalium *venenatorum morsibus ictibusque illatum,*

Vulnus ab adustione *excitatum,*

Et vulnus à gelu seu *extensissimo frigore impressum.*

De quorum curandi ratione jam breviss. dicam.

Vulnus ab armis Venenatis inflictum quomodo curandum?

Curatio vulnerum ab armis venenatis inflictorum.

In vulnerum venenatorum omnium sive ab armis toxico illitis, sive animalium venenatorum morsibus ictibusque inflictorum curatione, antequam ad vulnerum medicationem perveniatur, oportet venenum incussum quam celerrimè aut per extrahentia remedia, aut per instrumentorum attrahentium, qualia sunt Cucurbitulæ, Hirudines, podices gallinarum vivarum deplumatæ applicationem prolicere & extrahere, sudatoriisque potionibus & Alexipharmacis propellere, & cor ipsum corroborare. Tota autem venenatorum armorum vul. curandi methodus, & eorum alexiteria supra in Tractatione de Venenis in quæstione (Enses sagittæque veneno imbutæ quæ inferunt Symptomata, & quomodo curanda,) luculenter proposita sunt, quæ huc transponi queunt.

Vulnera ab animalibus venenatis mordendo, pungendoque illata, quomodo curanda?

Creberrimè mordendo pungendoque perniciosa vulnera inferunt animantia quædam, qualia sunt serpentes, canes rabiosi, homines jejuni, vel rabie furoreque perciti, Scorpiones &c. Quorum venenatorum vulnerum curationes sigillatim pro natura cujuslibet animantis supra in tractatione de venenis abundè docuimus. Curatio morsus venenati.

Vulnera ex adustione rerum ignitarum excitata, ut curanda?

Vulnera ex adustione cuti & subjectis partibus illata, fiunt aut ab igne, rebusque ignitis, aut à liquore aliquo fervent, aut à metallis liquefactis. Et quidem ea vulnera quæ à metallis vel mineralibus ignitis aut liquefactis inferuntur, longè sunt difficilioris curationis, quam quæ ex flamma aut ferventi liquore excitata; itaque pro materiæ inferentis vulnus varietate varianda erit & curatio. Duplici autem ratione persanantur ejusmodi vulnera, nimirum extractione igneæ qualitatis, aut extinctione incendii; sed cavendum in principio ne calorem extinguentia h. e. frigida & humida vulneri imponantur, repellunt enim ad interiora fervorem, & graviora excitant Symptomata. Primum itaque tentanda est curatio fervorem extrahentibus, qualia sunt hæc sequentia: Curatio ambustorum.

℞. Butyri aut laridi liquefacti q.s. pro arbitrio, sinantur fervere & in frigidiss. aquam infundantur, in eaque diu multumque concutiantur donec albescant; Deinde refrigerata & congelata ab aqua eximantur; fiat unguentum, quod per linteolum extensum instar Empl. vulneri imponatur, quod præstantiss. est in adustionibus ab igne, aqua & oleo ferventibus illatis. Aut ℞. Ol. nucis jugland. & sevi hircini ana p. æ. liquefiant & frigidæ aq. infundantur, concutiantur, eximantur, fiat unguentum; id persanat adustionis ex metallis aut mineralibus ignitis, aut liquefactis, vulnera. Quæ fervorem extrahunt.

Ad omnia autem in genere ex adustione illata Vulnera præstantissima sunt, & paratu faciliora, hæc sequentia;

Accipe Muriam sive salsuginem ex Butyro promanantem, quam linteolis exceptam imponito; aut conficiatur salsugo ex aq. marina & sale, & eadem ratione imponatur. Aut ℞. Mellis, Butyri & saponis nigri aquas portiones, commisce, & adustis partibus imponantur, aut imponatur aq. tepida in qua rapa ad mollitiem sunt decocta: & hac quidem omnia fervorem urentem ex vulnere eliciunt, dolorem sopiunt, vuln. exiccant ac persanant. Verùm si cruciatus à fervore intolerabilis in vulnere hareat, qualis contingit ubi pul. Bombardicus aut frusta laridi incensi vulneri sunt implosa, tum statim fervorem extinguentia & refrigerantia sunt imponenda & illinienda, ut sunt, Succus *semper-vivi cum cancris viventibus contusa, aut lentes palustres contusa & imposita, vel eorum omnium succus per siphonem implosus. Reliqua & totam methodum curandi ambusta in superioribus* de Cutis vitiis *curandis prolixè proposuimus.*

Quæ fervorem extinguunt.

Vulnus ex gelu aut intenso Frigore aquæ vel aëris quomodo curandum?

De vulnere ex Gelu.

In frigidis regionibus & Alpibus sæpè iter facientium aures, nasus, manus ac pedes ex frigoris sævitia congelantur, corrumpuntur, sensum ac motum amittunt, & in Sphacelum degenerant, h.e. emoriuntur, & amputatione sola curari possunt. In emortua itaque partis curatione per omnia procedendum est ut in curationibus Gangrena & Sphaceli in tractatione Tumorum docuimus.

Cum autem membra per frigoris sævitiam corrupta & extincta, nisi à sanis partibus removeantur, eas secum corrumpant, primum sequenti decocto corrupta à sanis separari debent: ℞. piperis longi, Cardamo. Gran. paradys. ana ℥. j. Euph. ℥.s. Mastich. ℨ. vj. pulverisata. Coquantur in ℔. ij. urina infantis aut hominis sani cholerici, aut potius vini stillatitii ad tertias, & membro corrupto instar Epithematis imponatur. Deinde emortua partes novacula pracidantur, & reliqua sana pars in vul. Ol. urina, quod ex Sale Vrina fit, crebrò inungatur, & impositis Empl. è vernice vel alio quovis vulnerario conglutinetur. In ejusmodi casu ubi nondum prorsus corrupta est pars refrigerata, statim ea in aquam frigidam demergatur: frigida enim aqua extrahit è partibus omne gelu intensumque frigus, sicuti & ex pomis gelu corruptis; *nam si congelata partes calore foveantur, intolerabiles per* ἀνθπερίστασιν *excitant dolores. Sape ex partibus gelu corruptis extensiss. frigus per arterias ac principalia membra perreptat, & mortem infert; ideò prastat intra corpus exhibere Theriacam cum aqua Iuniperi aut vino stillaticio bibendam.*

Quæ præcipua Symptomata incidere solent Vulneratis, & quomodo singula curanda?

Vulneratorum Symptomata, eorumq; curatio.

Non possunt persanari vulnera nisi prius, si qua accesserunt, Symptomata tollantur, aut saltem mitigentur. Solent autem vulnerati his potiss. Symptomatibus, ut in superioribus quoque recensuimus, infestari: Sanguinis implacabili eruptione, Animi deliquio, Dolore, Inflammatione, Aquosi humoris è Vul. profluxione, Febri, Vigilia, delirio, Spasmo sive convulsione, Paralysi, Vomitione, partis vulnerata pruritu, & extenuatione seu macilentia. De quorum curatione nunc ordine quàm possumus brevissimè docebimus.

Sanguinis implacabile Profluvium quomodo curandum?

Hæmorrhagiæ.

Primum Symptoma vulneratorum est sanguinis profusio, *sed hac ipsa quastio paulo ante in superioribus in secunda manuali operatione Chirurgia est absoluta, ubi & methodum & remedia fluorem sanguinis compescentia uberrimè tradidimus, quem locum repetere possunt studiosi Chirurgia.*

Animi Deliquium Vulneratorum quomodo curandum?

Animi deliquium.

Secundum Symptoma ex Vul. profluens est Syncope, qua ut plurimum profundè vulneratis & in hominibus pusillanimibus, & in vulneribus venenatis accidere solet. Quomodo autem animus confractus sit recreandus, supra in Cordis affectione & curatione

tione Syncopes abunde tradidimus; Hoc loco tamen hæc adjici possunt, ubi vulneratus in deliquium animi incidit, confestim frigidus aëris adflatus admittatur, ligamenta vestium constricta laxentur, artus vinculis dolorificis, si vulnus in superioribus partibus inflictum est, manuum; si in inferiorib. pedum facile constringantur; naribus odorata refrigerantia, ut est Acetum rosa. cum aq. rosa. admoveantur, & cum eodem liquore Tempora, Carpi manuum & Cordis regio confricentur; Facies aq. frig. conspergatur, orique Sal illiniatur, & reviviscenti vulnerato frustulum panis in vino Malvatico aut alio generoso maceratum, comedendum exhibeatur, & haustus ejusdem vini bibendus præbeatur, & si animi deliquium à Venenata qualitate vulneris excitatum esse suspicio sit, statim pulvis Rutæ aut Scordii, aut Theriacæ Androm. cum vino offeratur.

Dolor Vulneratorum quomodo sedandus?

Dolor. *Dolor in Vul. accidit aut ab intemperie, aut unionis vulneratæ partis solutione, & è proprio loco distractione, aut remediorum vulneri minus convenientium applicatione, ineptaque deligatione, quæ efficientes doloris causæ statim tollendæ sunt. Dolor vehemens in vulneratis alia graviora Symptomata excitare solet; ut affluxionem humoris vitiosi in ipsum vulnus, vigilias, animi deliquium, viriumque prostrationem, nec admittit sanationem Vulnus, nisi tollatur dolor, aut mitigetur; Tollendi autem doloris ratio pro efficientis causæ diversitate variari debet; Si itaque dolor excitatus sit ab inepta deligatione, ea erit alteranda & constricta laxanda; si remedia inconvenientia dolorem excitarunt, statim abjicienda & immutanda erunt. Si ossium aut armorum fragmenta dolorem in vul. excitant, ea tempestive eximenda veniunt; si ab aliqua intemperie dolor obortus est in Vul. eidem contrariis remediis ut caliditati frigidis, Frig. siccis, humidis, siccis succurrendum erit. Verum cum totam methodum & exquisitiora remed. compescendi mitigandique doloris supra circa finem curationum morborum particularium prolixe proposuerimus, ad ea recurrant Chirurgiæ studiosi. Inter remedia autem dolorem leniendo mitigantia in Vulneribus sunt Catapl. ex rad. Alth. Lil. albo. cum ol. rosa. aut Chama. confecta; Quæ autem sopiendo mitigant sunt Catapl. ex fol Hyosci. & solani viridibus sub cinere concoctis contusis, additisque ovi candidis & Ol. rosa. In genere dolores in vul. sedat, medulla Panis Tritici in lacte concocta: Stupefaciendo tollit dolorem, Linimentum ex Ol. Nenuphar h. e. Nymph. cum pauxillo cera alba confectum, cui momentum opii in aceto rosa. soluti & parum Moschi est admixtum.*

Anodyna Chimici utuntur Extract. sang. human. Ol. Ovorum, Magister. Croll.

Inflammatio Vulneratæ partis quomodo extinguenda?

Inflammatio vulneratæ partis. *Dolor, ut diximus, attrahit in vulnus sanguinem impurum, sanguis concipit in vulnere calorem præternaturalem, & inflammat inceditque partem vulneratam. In inflammatione itaque vulneris, quod ut plurimum contingit ubi in vulnere vel nervus est læsus, vel ossis fragmentum inhæret, aut caput musculi est incisum, si nihil obstet, venæ sectio ex membro vulneri proximo, & vitiosorum humorum expurgatio primum molienda sunt, & ita tandem Catapl. Empl. & Epithem. refrigeratoria imponenda erunt, inter quæ Catapl. ex medulla panis Triti. & farina hord. in lacte concoctis convenientiss. est, cui & aq. rosa. & Ol. rosa. pro libitu admisceri potest, & illud Catapl. quod in doloris mitigatione ex fol. Hyosch. & Solani parare docui, & Catapl. ex lentibus palustribus confectum, & Epithe. ex aq. rosa. plantag. & solani. Reliqua ex curatione Phlegmones, inter Tumores tradita, huc referri possunt.*

Tumor Vulneratarum partium quomodo sedandus?

Tumor. *Ubi vulnerata pars intumuerit, videndum est ad quod genus Tumoris referri debeat, Phlegmonem, Oedema, Erysipelas aut Scyrrhum; & ita debita curatio vitiosum humorem expurgando, & Topica applicando, pro qualibet specie Tumoris adhibenda erit, ut in superioribus de Tumorum curatione abundè docuimus. In genere autem optimum*

 est

est suprà impositum Empl. imponere acetum Rosa. tepidum duplicatis Linteolis exceptum.

Durities labiorum Vulneris ut mollienda?

Durities labiorum vulneris.

Durities *est comes siccitatis, & ex utraque Qualitate calida & frig. generari potest.*

Durities ex *vehementi caliditate dignoscitur ex rubore & doloris acredine.*

Ex frigiditate *autem orta durities deprehenditur ex stupore & lividitate.*

Curatio *duritiei labiorum vulneris per remedia emollientia est instituenda, quæ tamen pro causarum sive qualitatum diversitate variari debet. Emollientium autem copiam & genera supra in curatione ulcerum cum duritie labiorum complicata, & in curatione Scyrrhi enumeravimus. In genere optimum emolliens est Empl. Diachyl. & simplex, & cum gummatibus, cujus descriptio extat in libris Pharmacopœorum.*

Carnis superfluæ succrescentia in vulneribus quomodo curanda?

ὑπερσάρκωσις.

In vulneribus crebrò ex redundantia sanguinis caro spongiosa ultra modum excrescit & luxuriat, quæ nisi removeatur, ineptam curationem & deformem cicatricem relinquit, & Græcis ὑπερσάρκωσις, Germanis Wildt-fleisch *dicitur. In curatione ejus superfluus sanguis vena sectione detrahatur, & caro in vul. luxurians scarificetur, sanguisque ex ea fortiter exprimatur, tandemque alumen ustum pulverisatum, aut salis nitri adusti pauxillum inspergatur, quod sine dolore extirpat superfluam carnem. Idem præstat & pul. arug. & Mercu. præcipitatus & unguentum Ægyptiac. & alia quæ à nobis supra in curatione ulc. cum carne superflua excrescenti proposita sunt.*

Aquosi excrementi è vulnere profluxio. Gliedtwasser.

Aquosum excrementum è vulnere profluens, quomodo curandum?

Aquosa sanies, ἰχώρ. Das Gliedtwasser/ *obscuro autem & barbaro vocabulo Paracelso Sinovia & aqua Glacialis dicitur; In vulnere ut plurimum generatur articulorum nervosarumque partium, vel ex effluxu serosi sanguinis, vel ex inconvenientium remediorum applicatione, vel ex inepta deligatione, ut supra quoque in ulceris virulenti curatione, & in quæstione,* Quomodo excrementa vulnerum sunt abstergenda, *docuimus.* ἰχώρ *enim nisi tempestive sistatur exicceturque, acerbos dolores, vulneris corruptionem & sanationis impeditionem infert. Ad affluentis aquosi humoris sanationem in vul. præstantiss. remed. est crocus Martis, si vulneri madenti Ichore inspergatur: vel* ℞. *Thuris, Aloepatic. ana p. æ. quæ tenuiss. pulverisata, & ovi albumine in Linimenti formam redacta vulneri imponantur, & acetum rosa. linteaminibus exceptum, calefactumque superimponatur; interim & serosi humores convenientibus remediis evacuantibus per alvum subducantur.*

Optime facit Magister. cortic. Ovor. Bolus Armenus Essentificatus; Calx putaminum interior. jugland. Ol Guajac. Corn. C. Philos.

Febris Vulneratorum ut profliganda?

Febris.

Febres vulneratis sæpè accidunt tum ex inflammatione & vehementi dolore vulneratarum partium, & omnium maximè in vulneribus capitis & internorum viscerum penetrantibus; & tales quidem febres ut plurimum lethales sunt; sed, si in externarum partium & levioribus vulneribus febres superveniant, commodius curari possunt. In curatione febris, an quotidie, an verò tertio vel quarto die recurrat, diligenter perpendendum est, & si corpus sit plethoricum, *vena secetur,* si cacochymum corpus, *vitiosus humor redundans pharmacis expurgantibus convenientibus subtrahatur, & calor febrilis cum Syr. de Citro cui aq. Card. Bened. aut aq. Cichor. est admixta, alteretur; Foris Hypochondria & spina dorsi cum Ol. rosa. cui paululum aceti rosa. sit admixtum, inungatur: Et quia ex calore febrili ut plurimum generantur in corpore pituitosi & biliosi humores, ii per intervalla sequenti haustu commodissime expurgari possunt:* ℞. *Rhab. fol. sena ana ʒ. j. s. sem. Anisi ℈. j. Contusa in Syndone colligantur, fiat Nodulus, qui per noctem in aq. Card. Bened. ℥. iij. in tepido loco maceretur in poculo argenteo, & sequenti die poculum unà cum Nodulo in ferventem aquam collocetur, & per semiquadrantem horæ simul ferveant, & tandem Nodulus fortiter exprimatur,*

matur, cui liquori admisc. Syr. rosa. solu. ℥. ij. fiat haustus, qui tepidus quinque horis ante prand. ebibatur. Reliqua huc pertinentia ex doctrina de curatione febrium superius tradita peti possunt.

Vigiliæ immoderatæ ut sopiendæ?

Vigiliæ. *Somnus & Vigilia non tantum in Vul. aliisque morbis, sed & in sanis corporibus, si modum excedant, noxia sunt. In vulneratis autem immoderata vigilia vires prosternunt, Spiritum animalem defatigant, & vulneris persanationem mirifice impediunt. Excitantur autem vigilia in vulneratis aut à doloris acerbitate, aut à vaporibus febrilibus Cerebrum ferientibus, aut ab animi mœrore & sollicitudine. In curatione itaque vigiliarum continuarum causis primum est consulendum, ut ha tollantur, aut saltem mitigentur, ac tandem Soporifera medicamina & intro exhibenda, & foris applicanda. Intra corpus circa vesperam exhiberi fœliciter potest haustus lactis ex semine Papa. Contusi, & aq. Lactuca confecti: foris verò Syncipiti circa suturam coronalem & Temporibus sequens Epith. duplicatis linteolis exceptum imponatur: ℞. Sem. Papa. albi ℥. j. Nucleorum persicorum ℥. s. diu multumque in mortario conterantur, & admisc. albu. unius ovi & aq. rosa. aq. solutri, Lactuca & aceti rosa. ana ℥. j. fiat Epith. De reliquis soporiferis remediis consulatur curatio Vigiliarum in febribus.*

Delirium Vulneratorum quomodo tollendum?

Delirium. *Delirium vulneratorum seu mentis alienatio vulneratis ut plurimum exitiosa est, præsertim si vulnus capiti sit inflictum, aut si adsit virium debilitas; tum enim certissimum est indicium mortis. Ex reliquis autem Symptomatibus si sit ortum delirium, curatio tentari potest: Et statim in initio curationis considerandum est, utrum delirio adjuncta sit qualitas aliqua, pro cujus ratione & curandi methodus ac remedia excellentiori qualitati convenientia exhibenda erunt, quorum copia ex curatione Phrenitidos, præsertim ex delirio cum caliditate conjuncto, peti possunt. Si verò frigida intemperies delirio sit copulata, remedia ex melancholica insania curatione huc transponi debent.*

Spasmus Vulneratorum quomodo curandus?

Spasmus vulneratas partes contrahens, h. e. convulsio, Der Krampff/*est nervosarum & musculosarum partium dolorifica præter voluntatem convulsio, qua infestare solet vulneratos ubi nervi aut musculorum capita sunt læsa. Convulsio in Capitis vul. ut plurimum lethalis est. Omnis convulsio generatur aut ex plenitudine nervos distendente, aut ex evacuatione eos contrahente. Non repentè, sed paulatim incidit; quam ut plurimum immoderata antecedit evacuatio, aut diuturna inedia, aut febrilis calor exiccans.* Spasmus.

Convulsio ex repletione distendente nervos repente fit, quam præcessit vel temulentia, vel ocium, vel defluxio pituitosi humoris in nervos. Minus periculosa est convulsio ex repletione, quam ex inanitione, aut ariditate.

Curatio generalis *Convulsionis in Vul. consistit in victus ratione, & remediorum usurpatione. In victu conveniunt pulmenta hordeacea & avenacea, & in quo Salvia est macerata. Remedia convulsionis sunt inunctiones totius spina dorsi (ex cujus vertebris prodeunt nervi & totius partis convulsa) cum ol. lil. alb. & ex Lumbricis terrestribus confecta. In specie vero convulsio ex evacuatione curanda est lavacris tepida aq. in qua fol. Malv. Rad. Althe. & sem. Lini sunt incocta; Post balneum inungi possunt spina dorsi, & pars convulsa ol. viola. Amygd. dulc. & pinguedine Gallina, aut sequenti Linimento: ℞. Ol. Viola. ℥. j. Amygd. dulc. Ping. gallina, Medulla crurum vituli ana ʒ. ij. Sevi vituli. ʒ. s. Cera alba q. s. fiat Vnguentum; cui admisceatur Mucag. ex rad. Althe. & sem. citon. contusis cum aq. Salvia ℥. s. fiat Vnguentum.*

Convulsionis ex plenitudine curatio *est superflui humoris evacuatio, qua fieri debet præsertim in plethor. corporibus per vena sectio-*

sectionem; In cacochymicis per pituitosi humoris subductionem. Praeterea spina dorsi & pars convulsa, maxime autem cervix, inungatur oleo lil. albo. de lumbricis, è Castor. è Terebinth. aut sequenti unguento: ℞. Ol. è lumbri. ℥. j. è Castor. ℥. s. ex gran. Iunip. & Terebinth. ana ʒ. ij. Cerae q. s. fiat Vnguentum. Sed faelicissimè convulsio ex plenitudine curari potest inedia & potione sudorifica ex Sarmento Indico confecta; cujus & praeparandi & utendi rationem in superioribus docuimus. Post sudorem sequenti Oleo & Cervix, & tota spina, & pars convulsa inungi poterit: ℞. Castor. contusi ʒ. ij. Euphor. ʒ. j. piperis longi ʒ. iij. Sulph. ʒ. v. Pyretri ℥. s. contusa coquantur in Ol. Chamam. ℥. iv. & aq. Iunip. ℥. ij. ad evaporationem aq. Deinde colentur, & oleo admisc. Ol. Vitriol. ℈. ij.

Porro in omni convulsione cerebrum corroborandum erit exhibendo quotidie Cons. Rorisin. ʒ. ij. cui Ther. Andro. ʒ. s. est admista, aut duabus rotulis Diamosci devoratis. Plura ex curatione Spasmi, supra inter vitia Cerebri tradita, huc referri possunt.

Paralysis Vulneratorum quomodo sananda?

Paralysis. *Paralysis, h. e. nervorum resolutio,* verlemung der Glider/ *est mollities & laxitas nervorum in alterutro latere sensu motuque amisso. Resolutio in vulneratis, praesertim capite, lethalis est. Methodus curandae Paralyseos ex vulnere accepto est, ut corpore plethorico existente vena secetur, Cacochymico vero existente redundans vitiosus humor convenienti remedio subtrahatur, & Victus ratio conveniens praescribatur, remediaque intra corpus & extra exhibeantur. De quibus omnibus supra in Curatione Paralyseos inter affectiones Cerebri abunde nobis dictum est. Hoc loco satis erit unicum liquorem arte Chimica confectum, & à Mesue descriptum, subjungere: ℞. Myrrhae el. Aloës Epati. Spicae nardi. Sang. Dra. Thur. Mumiae, Bdell. Gumm. Ammoniaci, Sarcocoll. Mastich. Gumm. Arabi. Styra. Liquid. Croci & Carpobalsami ana ʒ. ij. Ladani, Castorei mollioris ana ʒ. ij. s. Moschi ʒ. s. Terebinth. ad pondus omnium reliquorum. Pulverisanda redigantur in pulverem, & cum styrace & Terebinth. commisc. & in cucurbitam vitream indantur, atque in balneo Mariae calido per novem dies macerentur; deinde in ferventi arena lenissime destillentur; qui liquor facultate proximè accedit ad Balsami veri liquorem, & plane divinus est, quo inungantur Cervix, spina dorsi, & partes resolutae.*

Vomitus Vulneratorum quomodo compescendus?

Interdum & vomitionibus infestantur vulnerati, praesertim in vulneribus Capitis & laesione Menyngum & ventriculi. Vomitio vulneratorum in initio non est compescenda, praesertim si ventriculus vitiosis & corruptis humoribus sit infarctus, sed vel haustu tepidae aq. aut haustu aq. ex gran. Iunip. per descensum cum pelvi destillatae, quod nobilissimum est vomitorium, Vomitus excitetur, & omnis colluvies evacuetur. Postquam sponte non cessat vomitio, duo Cochlearia vini rubei in quo incocta sunt Charioph. concisi, Mastich. & Rosae assumto cibo exhibenda erunt: Foris autem orificio ventriculi imponatur Catapl. ex Fermento cum succo Menthae & pauxillo aceti rosa. simul subactis & calefactis, quod tamen subinde ubi refrigerari coepit, removeatur, & rursum calidum imponatur. Plura vomitionem sistentia remedia, & ventriculum roborantia in superioribus ex curatione vitiorum Ventriculi peti possunt. Vomitus.

Alvi urinaeque suppressio in vulneratis ut promovenda?

Et alvi & urinae suppressione creberrimè vulnerati infestantur; Cujus causa sunt facultatis expulsivae ex nimia profusione sanguinis prostratio, vel partium expulsioni excrementorum servientium laesio, quibus accedit & corporis praeternaturalis caliditas, & inde orta sitis & continua quies. Vbi itaque in vulneratis suppressa est alvus, & vires aegrotantis aliaque circumstantiae permittant, leni Clystere emolliatur, & subducatur alvus: Aut inseratur recto intestino glans suppositoria ex melle, sale & pul. Troch. Alhandali facta, Alvi urinaeque suppressio.

facta, & si quid vitiosi humoris in ventriculo, venis Mesaraicis & intestinis hærere suspicio sit, exhibeatur patienti quadrante horæ ante prandium Pulpæ Cassiæ ℥. j.s. aut Mannæ ℥. ij. in jusculo pullorum resoluta, aut exhibeatur potiuncula ex nodulo Rhab. fol. senæ, & Syr. rosa, solu. confecta, quam paulo ante in febris vulneratorum curatione præparare docui. Quin & ad validiora purgantia remedia transire licebit, si vires permittant pro ratione redundantis vitiosi humoris. In Vrinæ suppressione intra corpus exhibeatur Syr. de Alth. Fernelii, & pul. lapill. cancror. & ea quæ suprà in curatione Dysuriæ sive suppressionis urinæ tradita sunt.

Pruritus Vulneratarum partium ut compescendus?

Pruritus partis vulneratæ.

In partibus vulneratis, præsertim circa finem curationis, si adfluens sanguis, vel salsa pituita vel acriori sero est commixtus, in tenera carne vulneris & adjacentibus partibus molestum excitat pruritum: qui mitigari potest partis prurientis inunctione, cum unguento è cerussa aut ung. populino, aut imposito Epithe. ex aquis Rosa. & plantag. in quibus Lythargy. pul. est decoctus, quæ si non conferant, & redeat prurigo, tum Epith. instar salsugo aut aq. marina tepida imponatur, vel ea calida diu perfundatur, aut oleo sive liquore vitrioli obliniatur.

Extenuatio, sive Marcor, vulneratæ partis quomodo restauranda?

Extenuatio partis vulneratæ.

Marcor sive extenuatio membri provenit ex ἀτροφίᾳ sive frustratione Nutritionis, in vulneribus autem accidit ubi ἰχὼρ sive aquosum excrementum diutius è vulnere profluxit, aut male & perperam pars vulnerata deligata est.

Curatio emaciatorum *membrorum consistit in partis extenuatæ sedula inunctione, & artificiosa deligatione. Inunctio crebra fieri debet aut cum oleo Hyperic. aut cum sequenti ex lumbricis terrest. oleo. ℞. Lumbric. terr. pro arbitrio, qui cum vino generoso eluantur, & in vitrum constricti orificii reponantur, quod tandem in massam farinaceam subactum ex qua panes coquuntur, probè involvatur, & in furnum sive Clibanum cum aliis panibus imponatur, & ad perfectionem coquatur; ex refrigerato pane vitrum eximatur, in quo liquor subsidens ex Lumbricis in aliud vitrum refundatur, quo fiat inunctio & quidem quotidie bis, post inunctionem parti marcescenti & inunctæ imponatur Empl. oxycroc. cujus descriptio in lib. Pharma. extat, ac tandem deligetur. Deligatio verò ejusmodi esse debet, quæ sanguinem nutrientem à sanis partibus ad macram confluere cogat, ut marcescente tibia fœmur ab Inguine deorsum ad genu usque fasciæ circumvolutione deligetur, initio quidem arctiori, paulatim autem laxiori constrictione, quo sanguis omnis deorsum supprimatur. Fœmore vero alterutro, aut toto crure contabescente, fœmori alteri sano & non vulnerato fasciæ sunt injiciendæ à genu sursum circumvolvendo, ut sanguis ex sano fœmore in ægrum divertatur & comprimatur. Talis autem deligatio moderata debet esse, ne dolorem aut inflammationem excitet. Eadem deligandi ratio & in humeris brachiisque marcescentibus retineri debet.*

SECTIO V

Curationum Chirurgicarum DE OSSIUM FRACTURIS.

Fractura quid, & quot earum differentiæ?

De Fracturis. Fractura quid.

Κάταγμα τῶν ὀστέων, *Fractura ossis;* ein Beinbruch / *est continuitatis in ossibus solutio sive divisio, seu disruptio, non obstante utrum ea ex violenta contusione, gravi lapsu, distractione aut incisione contingat. Porrò differentiæ fracturarum in ossibus & à Græcis & Latinis plures enumerantur. Nos verò duas tantum ad earum curationem scitu necessarias constituimus.* Prima *quæ sumitur à situ partis fractæ, cujus species sunt, Fractura recta secundum longitudi-*

Fracturarum differentia.

gitudinem partis, Fractura transversa per latitudinem, & fractura obliqua per membri obliquitatem, ad quam refertur & ea in qua os minutim confringitur. Secunda *differentia sumitur ab apparentia fracturæ, cujus species sunt, fractura sine vul. sub cute sana delitescens, & fractura cum vulnere carnis ac cutis. Alias differentias à Græcis proditas ut fracturam rapiformem ῥαφανοειδῆν, cauliformem, cucumeriformem, unguiformem, Farinæformem, &c. nos ut parum ad curationem conferentes consultò præterimus.*

Fracturarum in ossibus causæ quæ, quæ signa, & quæ circa fracturas præsagia observanda?

Causa fracturarum. Ex προηγουμέναις *causis nullum confringitur os, etiamsi magni nominis Medici scribant, aliquando tam violentam posse esse cordis palpitationem, ut costas ipsas confringat, quod videre mihi non licuit. Semper itaque ossa franguntur ex causis* προκατ. *ut sunt durorum & ponderosorum corporum armorumque penetrantium violentæ incussiones, graves lapsus, casus è sublimi, item membri alicujus violentæ circumactiones, detorsiones ac detritiones.*

Signa diagnostica. Signa fracturæ *ossis quæ cum cutis carnisque vulnere accidunt, & visu & tactu deprehendi possunt.*

Fracturæ verò delitescentes sub integra cute primum ex fracti membri inæqualitate & per manuum contrectationem facile dignosci possunt. Pars siquidem fracta ad manuum contactum vehementius dolet, & fractura, si membrum incurvatum, inflecti nequit. Deinde ex inflectione membri fracti collisa ossa non obscurum strepitum edunt, & membrum confractum statim propria functione prorsus destituitur. Prognostica. *Præsagientia porrò signa in ossium fracturis hæc sequentia studiosè observanda Chirurgo.*

1. Tolerabiles *sunt ossium fracturæ, & non difficulter curantur quæ simplices per transversum accidunt; quæ vero per ossis longitudinem aut obliquum contingunt, magis sunt doloribus obnoxiæ, & curatu difficiliores. Omnium autem pessimæ sunt ubi fracti ossis particulæ longiusculè à cute per carnem extuberant, eamque continuè pungunt.*

2. Pessimæ *quoque habentur fracturæ quibus statim incidit inflammatio, & processu temporis in Gangrænam degenerant.*

3. Fracturæ *ossium humeri & brachii, item fœmoris & tibiæ atque digitorum per eorum medietatem contingentes, minus sunt periculosæ; sed quantò fractura eorum propinquior est capitibus sive coarticulationibus ossium, eò sunt periculosiores & curatu difficiliores.*

4. In brachio *sive Vlna & Tibia, quæ duæ partes ex binis constant oblongis ossibus, si unum tantum est os confractum, minus adfert periculi: Altero enim integro existente, confracto subsidium adfert; Sed si utrumque os est confractum, & periculo non vacat, & difficilem efficit curationem, & sæpè membrum fractum propria functione privat.*

5. Costæ *perfractæ ut plurimum comites habent inflammationem, suppurationem & febres, eoque nomine sunt periculosiores.*

Curatio generalis fracturarum qua methodo absolvenda?

Quatuor sunt scopi circa curationem ossium fractorum observandi. Per quatuor enim operationes universa fracturarum curatio perficitur. Indicationes curandi fracturam.

1. Per ossium *confractorum & ab invicem distantium artificiosam coaptationem, conjunctionem & in naturalem situm propriumque locum restitutionem. Quæ operatio solius Chirurgi est, quam nec natura nec medicamenta perficere possunt. Ad hanc naturæ operationem manuum industria & validiora vincula sive manticæ requiruntur.*

2. Per ossium *ritè coaptatorum & prudenter conformatorum continuè in quiete conservationem, & artificiosam, ne iterum ab invicem discedant, deligationem. Et hæ quoque operationes sunt solius Chirurgi, ad quas perficiendas fasciæ plures & aptissimæ, & ferulæ & pulvini sive splenia requiruntur.*

3. Per

3. Per ossium coaptatorum *interventu calli conglutinationem, quæ operatio est solius naturæ; in calli tamen generatione, quæ Græcis* πῶρ@- *dicitur, & nil aliud est, quam glutinosa & tenax sanguinis pars à natura ossibus alendis destinata, qua natura ossium interstitia conglutinat, adjuvari potest & debet, & convenienti victus ratione & remediis conglutinantibus foris introque adhibitis; In hunc usum præter alimenta & Ol. & Vng. & Empl. & Catapl. vulneraria requiruntur.*

4. Per Symptomatum *præcautionem, ac, si jam inciderunt, eorum remotionem, ad quam manuum industria & remediorum impositiones requiruntur.*

Quibus instrumentis instructus esse debet Chirurgus in curatione Fracturarum?

Instrumenta chirurgica ad fracturas. *Chirurgus ad fracti ossis curationem ascitus, hisce instrumentis præcipuis instructus esse debet:*

1. Cultro *rasorio sive novacula, qua, si necessitas urgeat, ut in pungentibus fragmentis cutem carnemque super os fractum incidere queat.*

2. Volsella, *qua ossium fragmenta à suo continuo remota & liberata eximat & evellat.*

3. Forcipe, *quo ossa aculeata extuberantia, & carnem pungentia post cutis incisionem confringat & præcidat.*

4. Scalpello, *quo, si necessitas urgeat, confractum os à carne liberari possit.*

5. Fasciis *tenuibus & mundiss. & pluribus, quarum longitudo & latitudo pro membri crassitie & fracturæ amplitudine & longitudine mensuranda erit. In genere tamen,* ut Hippocrati placet, *quinque aut sex cubitorum longitudinem & totidem digitorum transversalium latitudinem habere debent, quibus apta deligatio perfici queat.*

6. Linteamina *tenui quadrata & satis lata, quibus triplicatis aut quadruplicatis membrum fractum contegi queat, & quibus medicamina excepta fracturæ imponi possint, talia linteamina complicata Græcis* σπλήνια *i. e.* Küssenchen *dicuntur.*

7. Stupa *munda linea & pectinata, cujus idem est usus ac linteaminum ad excipienda remedia, & fracto membro imponenda.*

8. Ferulis, *quæ ex pluribus & politis oblongis asserculis inter se contextis & colligatis conficiuntur. Hæ supra deligationem fasciarum membro fracto circumponuntur, cum eisque deligatio constringitur, ne videlicet ossa sub fasciis laxatis iterum dissolvantur.*

9. Vinculis, *quibus ferulæ constringuntur & convinciuntur.*

Quibus Medicamentis debet Chirurgus esse instructus?

Remedia vulneraria superius descripta, qualia sunt Ol. Vng. Empl. & Catapl. semper in promptu habere debet Chirurgus. In curandis autem fracturis ea potissimum ad manum habebit, quæ Symptomata, ut sunt Dolor, inflammatio, tumor & pruritus, arcere & coaptata ossa conglutinare queant. Ex quorum numero præcipua hæc sunt: Epithema ex ovi candido quod ita paratur: ℞. Albu. ovor. No. iv. Aq. rosa. ℥. j. Ol. rosa. ℥. ij. diu multumque virgultis agitentur & concutiantur, & in spumam redigantur, quæ stupa aut linteolis excepta membro confracto imponatur septem diebus continuis. Hoc enim medicamentum dolorem lenit, & inflammationem arcet. Aut imponatur hoc Catapl. ad arcenda Symptomata: ℞. Albu. Ovo. No. iij. Ol. rosa. ℥. j. Myrthini Ol. ʒ. vj. Farina volatilis, Far. hord. ana ʒ. vj. Boli Arme. Sang. Draco ana ʒ. iij. tenuiss. pulverisata commisc. fiat Catapl. quod linteis extensum septem diebus membro confracto imponatur: Arcet enim inflammationem & lenit dolores. Aut imponatur cerotum molle ex sola cera candida & Ol. rosa. factum. Tandem post septimum diem, ubi membrum immune & tutum est à Symptomatibus, *tum quotidie Oleo vulnerario, qualia sunt Ol. Hyperico. & Ol. Lumbricorum inungatur, & semper sequens Catapl. ex polygonato imponatur. ℞. Rad. Polygonati sive sigilli Salo. ℥. iv. Rad. Althe. ℥. s. Plantag. cum rad. ℥. iij. omnibus pulverisatis concoquantur* Medicamenta ad fracturas.

 cum

cum q.s. aq. ad pultis formam, quibus hæc sequentia admisceantur Ol.rosa.Ol.Mirtill.ana ℥.iij.Terebinth.℥.j.s.ung.Dialth.ung.Agrippa ana ℥.j. Ceræ albæ q.s. quibus probè commixtis fiat Catapl. Hoc enim conglutinat & Symptomata arcet præsentiaque lenit, præsertim si pul. Boli Arme. ʒ.vj. Sang. Dra. ℥.s. Thuris ʒ.ij. Sandalo. omnium ana ʒ.j. admisc. Aut imponatur Empl. de succino aut de Vernice supra inter vulneraria remedia descripta.

Cerotum Vigonis.

Cerotum nobiliss. *Vigonis quo fracta ossa & conglutinari & Symptomata eorum arceri possunt.*

℞. Rad. *Althe.* ℔. *j. decoquantur & earum mucilago exprimatur, cujus* ℔. *j. s. admisc. ol. rosa. Myrtill. ana* ℔. *s. in quibus decoquantur rad. & fol. Fraxi. rad. & fol. consol. ma. & plantag. Fol. Salicis, omnium viridium ana ℥.j. quæ prius per noctem in vini rubei Styptici* ℔. *ij. sunt macerata, admisceatur quoque Thuris ℥.s. sevi hircini ℥.iv. Terebinth.℥.j. Mastich. ℥.j.s. coquantur leniter ad succorum & vini evaporationem & percolentur fortiter expressa: pinguiori autem liquori admisc. ceræ q.s. fiat cerotum, quod ubi refrigerari & incrassescere incipit, admisc. tenuiss. pul. Lithar. ℥.iij. Boli Arme. Terræ Sigill. ana ℥.j. Minii. ʒ.x. & redigantur manibus diu multumque tractata in aq. frig. in formam Empl. Paracelsus etsi in aliis suis scriptis præstigiosa obscuritate ludat homines, in sua tamen parva Chirurgia ad fracturas sequens Catapl. non immeritò mirificè commendat: Nec enim rationi repugnat, & experientia comprobatum fœliciter succedit.*

Cataplasma Theophrasti.

Primum autem docet confracto osse debere potum exhiberi lactis, in quo decocta est herba Sophia, quam ego Veronicam esse judico. Deinde docet membrum confractum aliquo vulnerario Oleo quotidie bis inungere & seq. Catapl. deligare. ℞. *Rad. Consol. ma. Rad. Aristo. rot. ana p. æ. contusa coquantur in q.s. vini rubei styptici ad vini evaporationem: Deinde in mortario probè contundantur, & in pultis vel pulmenti formam redigantur eisque admisc. Vernicis pictorum q.s.f. Catapl. Vinum quoque rubrum in quo Consol. & Veronica sunt incocta instar Epith. imposita, Item laminæ plumbeæ fracturas conglutinant, & Symptomata corrigunt, ut in processu methodi indicabitur.*

Ossium confractorum coaptatio & repositio.

Ossa confracta & è loco proprio turbata quomodo sunt coaptanda & restituenda?

Primum curationis confractorum ossium scopum diximus esse, quamque partem ossis fracti in proprium locum restituere, & tali methodo peragitur: 1. *Accuratè considerandum utrum ossis confracti partes adhuc in naturali & propria sede hæreant, an ab invicem divulsæ, & à proprio loco dimota sint. Item utrum ossa confracta antrorsum, retrorsum, ad latera vel sursum aut deorsum sint distorta, id quod artifex & visu & tactu, & ex ægri querimonia facilè dignoscere poterit. Nam si ipsa fracta ossa adhuc in proprio loco consistant, in membro fracto parum doloris, & exigua inæqualitas deprehenditur, nec punctionis sensus.*

At ubi fragmenta è nativo loco secesserunt, in membro manifesta inæqualitas cavitasque & visu tactuque percipitur, & punctiones graves circa fracturam persentiuntur. Si itaque particulæ ossis fracti ab invicem distorta sunt, statim in initio maturè, & antequam membrum inflammetur aut intumescat, industria manuum agilitate omnia fragmenta coaptentur, in pristinum locum reponantur, & proprium situm restituantur ac configurentur. At si in membro confracto inæqualitas & extuberantia deprehendatur, vola manus leniter supprimatur, & ad æqualitatem reducatur. Verum ubi ossis confracti pars altera supra alteram extuberet, aut altera sursum altera deorsum sit depressa, ita ut coaptari nequeant, tum ossa fracta ab invicem sejungere oportet, & membrum distendere injectis manticis, sive robustioribus linteolis ac vinculis utrique parti fracturæ, quibus duo ministri unus sursum, alter deorsum membrum trahant, donec utraque pars fracti

cti ossis per Chirurgum ad amussim coaptari queat, depressam elevando & extuberantem supprimendo, manuque dirigendo, donec in aequalitatem & pristinum locum redeat. Porro scita restaurationis & coaptationis ossium indicium est, doloris remissio & aequalitas membri confracti. At si fragmentum aliquod in totum à reliquis resolutum sit, ita ut non amplius illis agglutinari queat, illud carne vulnerata eximendum est, ne punctiones & labores faciat. Id si non fiat ab initio, tamen processu temporis adjacens ossiculo caro putrescet, & per abscessum cum pure à natura excutitur. Ubi itaque ossa confracta ritè coaptata, & in proprium locum restituta sunt, & membrum fractum rectè configuratum est, antequam ad deligationem accedatur, ex praescriptis remediis Symptomata fracturarum arcentibus unum, puta, aut Epithe. ex albu. ovorum aut Catapl. aut cerotum ex ol. rosa. aut Catapl. Paracelsi stupa munda aut complicatis linteolis exceptum, membro fracto circumponatur per plures horas, ut Symptomata conquiescant.

Ossa confracta iterumque coaptata & in proprium locum restituta, quomodo in eadem figura & restitutione sunt retinenda?

Ossium repositorum deligatio.

Secundus scopus est, ut fracta ossa ritè in proprium locum restituta, usque ad eorum conglutinationem conjuncta retineantur. Facile enim ossa coaptata rursum dimoveri & ab invicem distorqueri possunt, praesertim in immoderato corporis motu: Nisi enim patiens & vigilans & dormiens ab omni inordinata agitatione ac motu membrorum fractorum se contineat, eaque in quiete conservet, tota coaptatio dissolvitur. Ad hunc scopum consequendum tres potissimum operationes manuales requiruntur: Artificiosa *nimirum fasciis convenientibus* deligatio, ferularum impositio, *&* naturae membri confracti conveniens configuratio, *ac dispositio, in qua configuratione quietum & immobile membrum conservari & retineri sine molestia queat. Deligationem talem oportet esse quae ossa coaptata moderate constringat & contineat, & ut non sit nimium coarctata, nec nimium laxa deligatio; per laxam enim deligationem facilè ossa conjuncta dissolvi possunt, per arctiorem verò ut plurimum dolor & inflammatio excitatur, & affluens sanguis, qui in membrum alendum & fracturas conglutinandas confluit, intercipitur. Debet itaque in deligatione & fasciarum circumvolutione mediocritas observari, ut sit & judicio Chirurgi, & ad sensum patientis tolerabilis, & minimè molesta. Quin etiam in deligatione fractorum membrorum hae regulae sunt observandae:*

1. Si membri fracti *crassities undique sit aequalis, ut in tibiis & brachiis, tunc fasciae debent esse paulò latiores, quae totum membrum quam aptissimè & aequaliter complectantur. Si verò membrum fractum inaequale existat, ut in foemoribus, ea inaequalitas in tenuiori membri parte crebrioribus fasciarum circumvolutionibus complenda & aequanda erit. Verum in articulis & membri incurvationibus, ut in digitis, genu, & cubito, angustioribus fasciis, & crebrioribus plicaturis utendum erit.*

2. In fracturis *ossium quae in medietate humeri, brachii, foemoris & tibiae accidunt, in earum partium deligatione semper duabus fasciis est utendum, quarum primae initium supra fracturam imponendum est, & circa eam ter quaterve circumvolvendum, ac inde sursum versus secundam partis longitudinem instar Cochleae procedendum, & sana quoque pars membri fracti satis latè cum fasciis complectenda. Deinde & alterius fasciae, quae priori duplo debet esse longior, initium in fracturam imponendum, & semel tantum per fracturam circumvolvendum, & inde non ut cum priore sursum, sed deorsum circumvolvendo, procedendum usque ad satis amplam sanae partis portionem, & ita tandem iterum sursum per fracturam circumvolvendo procedendum usque ad finem prioris fasciae, ibidem utriusque fasciae termini consuendi.*

3. Deligatum ita *membrum Chirurgo quàm aptissimè configurandum est, & in* natu-

naturalem situm dirigendum ac collocandum. Is autem est naturalis situs singulorum membrorum, in quo sanum convenit sine molestia & dolore constitutum esse, & ejusmodi quidem situs, & configuratio secundum Naturam rectarum partium, recta, curvarum incurva, & pendentium pendens est convenientiss. Femora & tibia rectum situm, Brachium, & cubitus & digiti incurvum situm magis amant. Ita tandem ritè configuratis membris suprà ipsas fascias singulis diebus Epithema ex candidis ovorum & Ol. rosa. ut paulò ante docuimus, stupa exceptum imponatur fracturaque circumdetur, ut nimirum mador Epithe. per fasciam ad membrum fractum penetrare queat, illudque à Sympto. præservare. Ne autem stupa madida delabatur, fascia tertia lata unica circumvolutione alligetur.

4. Si fractura insignis, *aut ossa ultra modum comminuta, (levis enim fractura eis non indiget,) si membrum est immune ab inflammatione & vehementiori tumore, ut commodius coaptata ossa contineri queant, & in sua configuratione conservari, supra stupam alligatam ferulæ lenes, politæ, æquales & oblongæ inter seque connexa membro circumdentur & vinculis constringantur pro sensus membri toleratione. Verùm si fracturæ accessit inflammatio ferulæ, omitti prorsus debent, donec extinguatur inflammatio & tumor subsidat. Porrò si fracturæ vulnus quoque copulatum sit, in tali fractura, ubi vulnus est, minimè imponi debent Epithemata aut Catapl. ex albu. ovo. & Ol. rosa. ne videlicet sub iis vulnus putredinem concipiat, sed potius plumeoli seu complicata linteamina vino rub. in quo rad. Consol. ma. & Veronica sunt incocta, imbuta imponantur. Et si fieri posset commodissimè eo artificio deberet fieri deligatio fracturæ, ut per fascias circumvolutas ad vulnus foramen relinqueretur, per quod pus profluere & vulneraria Empl. imponi possent.*

5. Hæc prima deligatio *membrorum fractorum, nisi vehemens dolor, aut inflammatio, aut intumescentia, aut intolerabilis pruritus urgeat, usq; ad diem decimum quintum minimè solvenda erit. At si prædicta Symptomata inciderint, tertio quolibet die fascia solvenda & Symptomati præsenti consulendum, propriaque remedia adhibenda erunt. Paracelsus ab hac usitata deligandi fracturarum norma prorsus dissentit, & dicit ossa fracta quotidie bis esse deliganda, & Empl. ipsius Paracelsi de consolida ma. factum (cujus parandi rationem paulò ante tradidimus) imponendum, quo facilè omnia fragmenta conglutinentur. Hic sanè Paracelsus à ratione minimè dissentit; eo enim modo omnia Symptomata quæ sub diuturna deligatione incidere possunt, commodissime & arceri & propulsari possunt, præsertim in fracturis non adeò magnis. Verum in comminutione ossium & excellenter magnis fracturis, ad sui conglutinationem certè diuturnum requirunt & usitatum deligationis modum.*

Conglutinatio ossium confractorum quomodo adjuvanda?

Tertius Scopus solius *Naturæ est operatio. Verùm cum omnia ossa aridiora sint, quam ut per se conglutinari queant, sine interventu alicujus humidæ & tenacis materiæ, in eorum conglutinatione utitur natura callo tanquam glutine, qui nihil aliud est, quam tenacior & glutinosior pars sanguinis ossium nutritioni à natura destinata, quæ, ubi in interstitia fractorum ossium defluxit, ibidem paulatim induratur, & fracta ossa firmissimè inter se conglutinat. In calli autem generatione natura adjuvari potest pleniori multumque alente nutrimento, ex quo crassus glutinosusque sanguis generari queat, ut sunt panis similagineus recens, Caro suilla, Caro porcellorum, Caro hœdina, vitulina, pulmentum ex Oriza & amilo. Verum ejusmodi victus ratio non nisi post nonum diem est instituenda: quin & Catapl. Paracelsi ex Consol. ma. & Empl. vulnerarium de Vernice fracturæ impositum callum generat, & ossa confracta conglutinat. Vt plurimum autem callus ossa conglutinare incipit circa nonum diem. Conglutinationis autem signa hæc sunt:*

Fractorum ossium conglutinatio.

Chimici etiam commendant sal Persicariæ, balsam. hyperic. Ol. Auripigment.

Dolor

Dolor qui prius in fracto membro percipiebatur, molestare cessat, & tum nec inflammatio, nec tumor membri metuendus est, membrum fractum nativo suo colore efflorescit, & per fasciolas fracturæ circumvolutas cruentæ maculæ conspiciuntur, etiamsi nullum adsit vulnus.

Fracturas ossium quæ symptomata comitantur?

Fracturarum Symptomata, eorumque curatio. Quartus scopus *est Symptomatum quæ in membra confracta incidere consueverunt, præcautio, &, si quæ jam inciderunt, propulsio, ac sublatio. Porro excitantur Symptomata in membro fracto, aut à naturæ partis imbecillitate, aut ab imperitia Chirurgi in suis operationibus circa fracturas. Sunt autem præcipua Symptomata quibus fracta membra infestari solent, dolor & inflammatio, pruritus & exulceratio, vulneris cum fractura copulatio, Calli penuria & redundantia, ejusque induratio, membri confracti Gangræna, distorta conglutinatio functiones membri lædens: quorum Symptomatum curationes quàm brevissimè absolvemus.*

Dolor, Tumor & inflammatio, in membro fracto, ut compescenda?

Dolor, Tumor & inflammatio. *Dolor, Tumor, & inflammatio ut plurimum conjuncta sunt in fracturis ossium, & excitantur aut ab affluxu humorum, aut ab arctiori deligatione, aut ab acumine fragmenti alicujus ossis carnem pungentis; in hisce Symptomatibus fasciæ & deligatio statim solvi debet, & consideranda causa, eaque protinus removenda, in quem usum convenientiss. est Ol. Rosa. tepidum cui parum aceti rosa. sit admixtum; stupa aut lana carpta exceptum, & fracturæ circumpositum. Prodest quoque membrum inflammatum Vnguento populeonis inungere, & Catapl. ex fol. Hyosch. quod supra in vul. curatione docuimus conficiendum imponere, & simplici fascia, donec Symptomata sint sopita, leni constrictione deligare. Sublatis tandem Symptomatibus ad præscriptam deligandi formam & ferularum circumpositionem redire. Tumorem egregie discutit, & simul dolorem inflammationemque mitigat, si membrum fractum singulis diebus bis cum aq. temperate calida perfundatur ac fomentetur.*

Pruritus & exulceratio in fracto membro ut tollenda?

Ex seroso & bilioso humore ad membrum confractum defluente sapè intolerabilis & exulcerans pruritus excitatur. Pruritus & exulceratio. *Id ubi contingat, deligatio & fasciæ resolvendæ erunt, & membrum confractum bis, ut diximus, in die aqua temperate calida diu multumque perfundendum ac fovendum erit, donec acris humor per poros cutis eliciatur; sedat quoque pruriginem & longè citius quam aq. calida, si membrum salsugine sive aq. salsa tepida perfundatur, prurientes partes cum unguento è cerussa aut ung. popul. inungantur, aut aq. rosa. linteolis excepta instar Epith. imponatur. Sedato pruritu ad fracturæ propriam deligationem superius traditam revertendum erit.*

Vulnus cum fracto membro copulatum, & inde orta Symptomata, quomodo curanda?

In ossium fracturis sapè membri cutis & caro vulneratur, aut ex acumine fragmenta ossis per carnem cutemque erumpentis & extuberantis, aut per Chirurgi consultam incisionem, quo per vulnus pungentia fragmenta commodius eximi queant. Vulnus. *In ejusmodi casu omnium primum sanguis profluens supprimendus est, quemadmodum in vulnerum curatione docuimus, similiter si vuln. accessit tumor & inflammatio; ea quoque Symptomata propriis præsidiis supra in curatione Symptomatum vulneratorum traditis tollenda & mitiganda erunt. Ita si confracti membri caro sit contusa, & putrefactionem minitetur, scarificatione sanguis corruptus est prohibendus, eaque remedia adhibenda quæ supra in tumorum putrescentium & in vul. contusorum concisione sunt commemorata. At si horum nihil adsit, neque ossis aliqua pars è vul. nuda protuberet, &*

ret, & fragmenta ossium resoluta è vul. sunt evulsa, ipsum vulnus, si consuitione egeat, consuendum erit, & remedia vulneraria in superioribus descripta, imponenda, ac simul & vul. & fracturæ ejusmodi instituenda est deligatio; fasciæ latiusculæ ex utraque parte vul. decussatim instar obliquæ crucis imponantur, ita ut totum vulnus ab iis contegi queat, ac tandem fasciæ extremitates superioris quidem sursum versus, inferioris verò deorsum moderata circumvolutione & constrictione circumvolvatur: Deinde supra fascias imponatur Ol. Rosa. stupa exceptum, aut Cerotum ex Ol. Rosa. confectum, aut imponatur stupa mundissima in vino rub. austero, in quo rosæ & consol. ma. rad. sunt incoctæ, madefacta, quæ nova fascia deligetur, donec in vul. caro inculpata succrescere incipiat. Porrò in fracturis cum vul. complicatis, si fractura secundum membri longitudinem protensa sit, statim in initio supra deligationem ferulæ sunt imponendæ, & paulo arctius quam in fractura per transversum facta constringenda; verum si vulnus per transversum, fascia constringenda; sin autem vulnus per transversum membri sit illatum, & fractura quoque sit transversalis, ferulæ in initio non sunt circumponendæ, donec caro in vul. sit regenerata, sed per totum curationis tempus vulneri sunt imponenda quæ inflammationem & tumorem arceant; si præterea acutum & pungens aliquod ossiculum è vul. promineat, nec commodè in proprium locum restitui queat, id forcipe præcidi, comminui & eximi debet.

Calli in fractis ossibus penuria aut superfluitas, duritiesque, quomodo corrigenda?

Calli vitia.

Sive calli penuria, sive ejusdem redundantia laborant ossa confracta, utroque modo impediunt conglutinationem; ejusdem quoque concretio & induratio supra fracta ossa, dolorem & inæqualitatem membri secum affert. Calli penuria corrigi debet per victus rationem pleniorem, & alimenta copiosum sanguinem, crassumque & glutinosum generantia, qualia paulò ante commemoravimus, & per fomentationem seu perfusionem crebram aq. moderate tepidæ, & per applicationem Empl. attrahentium & conglutinantium, qualia sunt Empl. de pice & Empl. Oxycro. Redundantia calli sua copia disjungit ossa coaptata, conglutinationemque prohibet. Ejus itaque nimia luxuries diminuenda erit tenui victus ratione, venæ sectione & salsæ aq. tepidæ crebra perfusione & Empl. exiccantibus aut laminarum plumbi fracto membro impositione, & arctiori deligatione; ubi autem callus superfluus super os confractum concrescat, & in duritiem coëat, in carne adjacente dolorem excitat. Præstat itaque facto per carnem usque ad ossa vulnere, superfluum callum scalpello aut alio instrumento abradere.

Chimici utuntur oleo petroleo, Ol. sal. commun. nitri, vitrioli, Cariophyllor. balsam. sulph.

Gangræna ossium fracturæ copulata quomodo curanda?

Gangrænæ.

Gangræna quid sit, & ex quibus causis excitetur, & qua ratione curanda, supra inter Ulc. curationes prolixè demonstratum est, quæ hoc loco repetere, supervacaneum esse arbitramur.

Chimicis in usu est, unguent. stellat. Paracel.

Ossa fracta perperam conglutinata, & membri actiones lædentia, ut curanda?

Vitiosa fracturæ conglutinatio.

In curatione fractorum ossium à prava coaptatione & imperita configuratione membri fracti, præsertim cum vul. copulati, diversæ partes & ad unionem non pertinentes crebro conglutinantur, & membri fracti functiones aut omnino tollunt, aut insigniter vitiant. Id si contingat, nisi tempestive dum adhuc callus est recens & tener, & non ultra sex menses duravit conglutinatio, iterum confringatur, perpetua manet perversa conglutinatio, partis configuratio, & actionum membri læsio.

Statim itaque in initio, etiamsi id fieri sine singulari molestia ac dolore nequeat, conglutinata membra rursum confringantur divellanturque, & fractum membrum in naturalem locum situmque proprium deducatur & configuretur; imprimis in ejusmodi fracturis ubi ossa conglutinata functionum difficultatem in membro relinquunt. Debet autem

autem Chirurgus antequam confringere membra conglutinata tentare velit, per dies quatuordecim quotidie bis diu multumque membrum fovere ac perfundere aq. in qua decocta sunt rad. Althe. Chamæ. Malvæ, Sem. Lini & fœnugræci. Hæc enim emolliunt callum.

Post fomentationem quoque totum membrum est inungendum Ol. chamem. & Vng. Dialth. atque semper Catapl. ex rad. Althæ. ficub. & sem. lini confectum supra membrum malè conglutinatum gestandum; Ita tandem callo probè emollito ac resoluto, si membri natura & figura patitur, membrum genu imposito violenta distorsione aut impressione denuò confringatur & ab invicem divellatur. Aut si genu confringi nequeat, per duos administros violenta fractione in diversum trahatur ac distendatur, & ad pripriam ac usitatam figuram dirigatur, statimque nova curatio secundum præscriptam methodum rectè coaptando, configurando, deligando, conglutinando, & Symptomata studiosè arcendo instituatur. Sciendum tamen est in denuo conglutinati ossis confractione, præsertim inveterati, ut plurimum ossa non ubi callo concreverunt, sed alio in integro loco confringi solere, quare nova confractio ossis insigni periculo non caret. Nam ut plurimum acerbiss. Symptomata in ea excitantur, dolor, tumor, inflammatio atque febres, & in Vitæ discrimen æger conjicitur. Quare nisi extrema urgeat necessitas, nec æger novam subeat torturam, nec Chirurgus temerè periculosam suscipiat curationem, nisi coactus, idque cum protestatione & prædictione periculi.

Sunt ne fracturæ quarundam partium, quæ peculiarem requirunt curandi rationem?

Ossium omnium cujuscunque membri fractura præscripta methodo & supra annotatis remediis à perito Chirurgo curari possunt, exceptis ossib. Capitis, quorum propriam curandi rationem supra in curatione Vul. Capitis abundè proposuimus. Inde itaque quæ hic prolixitatis vitandæ causa omittuntur, peti, & huc transferri possunt.

SECTIO VI

Chirurgicarum Curationum DE LUXATIONIBUS.

Luxatio quid, quot ejus differentiæ, quibus partibus frequentius & periculosius, & quot modis accidit?

Luxatio quid.

Ἐξαρθρώματα Exarticulationes Latinis, Medico vocabulo Luxatio & ossium dislocatio, nostratibus, ein verrückung der glider. *Est autem luxatio ossium inter se coarticulatorum, interventuque ligamenti connexorum è loco nativo & propria sede in alienam excussio sive prolapsio, in qua motus voluntarius & functio membri impeditur atque vitiatur.*

Sunt autem articuli in corpore, ubi duorum ossium extremitates alterius quidem tuber sive caput alterius cavitati sive sinui, qui Græcis κοτύλη, i.e. acetabulum dicitur, inseritur, & firmissimo nerveo vinculo connectitur. Id autem vinculum progeneratur ex utriusque ossis Cartilaginibus, quibus ossium extremitates sunt oblinitæ. Vbi itaque ex violenta commotione, laxato eo vinculo, ossis tuberculum ex suo acetabulo detorquetur, & aut in totum, aut secundum partem prolabitur, luxatio & dislocatio est.

Luxationum differentia.

Differentiæ luxationis nullæ sunt aliæ, nisi quæ à magnitudine desumuntur; & ita alia luxatio dicitur perfecta & totalis, alia imperfecta & secundum ossis particulam. Perfecta sive totalis est, ubi totum caput ossis ex suo sinu proprio in alienum locum prolapsum est, quæ Græcis simpliciter Ἐξάρθρωμα, exarticulatio, dicitur. Imperfecta est, ubi media tantum vel aliqua pars tuberosi ossis ex sua cavitate supra marginem sui articuli est sublata ac depulsa, quæ Græcis παράρθρωμα, h.e. subluxatio, dicitur.

Quibus articulis accidit luxatio.

Accidere potest luxatio in omnibus ossium coarticulationibus motui voluntario servien-

servientibus; sed in aliis facilius, in aliis difficilius, item in aliis periculosius, in aliis minus periculosius. Crebrius & facilè luxatur coarticulatio humeri cum scapula & coarticulatio cubiti, ubi humerus & brachium connexa sunt, & coarticulatio in carpo, ubi brachii & summa manus ossa connexa sunt, & coarticulationes digitorum. Ita quoque facile luxantur coarticulationes circa Inguina, Coxa & fœmoris. In genu fœmoris & tibiæ; Rarius autem & difficilius luxationem patiuntur coarticulationes circa malleolos tali & ossis Calcis, Maxillæ inferioris, ossium pectoris atque vertebrarum Spinæ dorsi, quorum luxatio sigillatim Latinis perversio & detorsio spondyli dicitur. Inter luxationes periculosæ sunt vertebrarum spinæ, maximè autem cervicis, quæ subitam mortem inferunt. Quin & aliæ quoque Vertebrarum luxationes propter convulsionem, quam semper habent comitem, ut plurimum ultra quartum diem supervivere non patiuntur, sed miserabilem cum acerbo dolore inferunt mortem.

Signa prognostica de luxatis.

Ex levi autem Vertebrarum detorsione aut commotione, similiter & ossium pectoris, ut plurimum gibbus pronascitur. Non carent quoque periculo luxationes fœmoris & coxæ, humeri & scapulæ propter difficultatem repositionis & gravia Symptomata, & in summa, omnes luxationes quantò sunt propinquiores principalioribus membris, tantò sunt periculosiores.

Modi luxationum quinque.

Modi autem sive formæ luxationum quinque recitantur: in omni enim luxatione caput sive processus tuberosus ossis ex acetabulo suo depulsus prolabitur, aut antrorsum aut retrorsum, aut extrorsum h. e. ad latus externum, aut introrsum, aut sursum versus, ut exempli gratia, Maxilla luxata semper antrorsum dimovetur. Vertebræ autem luxatæ nonnunquam introrsum, quandoque extrorsum detorquentur. Humeri caput excussum detruditur aut antrorsum, aut sursum, aut deorsum in alas. Luxatio in genu propter patellam nunquam antrorsum, sed ferè semper retrorsum prolabitur. Sæpe quoque vel introrsum vel extrorsum, sic & de aliis coarticulationibus contingere consuevit. Modum autem luxationis ossis extuberantia facile indicabit.

Causæ luxationum quæ?

Causæ luxationum.

Luxationum προηγ. causæ sunt articuli alicujus violenta distentio, incussio, & distortio. προηγ. est viscosus pituitosusque humor aut ex Capite, aut ex toto corpore ad imbecillum articulum confluens, & intra acetabulum collectus, qui primum ligamenta ossium madefacit & laxat; deinde & caput ossis è suo loco deturbat.

Signa luxationis quæ, & quæ præsagientia signa præceptaque Aphoristica in Luxationis curatione sunt observanda?

Signa luxationum diagnostica.

Signa luxationis manifesta sunt, & visu & tactu in quibuscunque articulis facilè deprehendi possunt. Caput enim ossis circa articulum præter naturalem membri figuram, & consuetam constitutionem in alieno loco cum dolore protuberat, & motum articuli vitiat, aut prorsus tollit. Ex signis prognosticis & Aphoristicis præceptis in curatione luxatorum articulorum hæc præcipue sunt observanda. Luxata ossa rectè & perfectè in proprium locum reposita esse arguunt, strepitus ossium inter reponendum, & membri seu articuli naturalis & consueta configuratio.

Signa prognostica de curatione luxatorum.

Luxati articuli quàm fieri potest celerrimè & statim reponendi erunt antequam accedat tumor & inflammatio, quæ si adsint, non prius sunt reponendi donec ea Symptomata conquieverint. Sedatur autem inflammatio, tumor & dolor, si rectè tractentur circa septimum aut nonum diem. Si in luxationibus perfectis ingens dolor & inflammatio, aut vulnus accesserit, difficillimè reponi possunt, & si reponantur, Symptomata magis exacerbantur. Inveteratæ Luxationes, quæ callo obduruerunt, rarissimè aut nunquam persanari possunt, sed claudicationes post se relinquunt mancosque efficiunt: Luxationes in quibus acetabuli labra seu margines sunt confracti, capita ossium etiamsi repo-

reponantur, statim excidunt & prolabuntur: Genuum & digitorum coarticulatio ut facilè luxatur, ita non difficulter reponi potest: (Vbi enim coarticulatio non facilè dislocatur, ibi etiam ægrè reponi potest.) Humeri verò luxatio & restitutio medio modo se habet.

Quibuscumque teste Hippocr. *à coxendicum dolore molestatis caput femoris excidit, iis crus & tibia contabescunt, & claudi fiunt.*

Curatio luxatorum ossium quomodo peragenda?

Carnifices luxata reponunt. *Dolendum est luxatorum articulorum curationem hac tempestate, & in hisce Borealibus regionibus, à Chirurgis imperitis & tonsoribus indoctis ad carnifices esse ablegatam; Illi enim soli putantur esse excellentes & in luxandis articulis & in luxatarum partium repositione, à quibus utinam nostri tonsores artem reponendi luxata discere non puduisset, ita sane pauciores claudos & mancos ex sua luxatorum curatione reliquissent, & nobilem hanc Chirurgia partem non in fœdam carnificinam detrusissent, carnificibusque servire coëgissent. Porrò felix luxationis* Indicationes curandi luxata. *curatio per tres potissimum scopos perfici debet: 1. Per ossium luxatorum sive dislocatorum in propriam sedem repositionem. 2. Per repositi ossis in propria sede ne rursum prolabatur, conservationem. 3. Symptomatum quæ luxatis membris contingere consueverunt, ne incidant, præcautionem, aut si acciderunt, propulsionem.*

Circa luxatorum ossium repositionem quæ sunt observanda?

Luxatorum repositio. *Primus scopus sive intentio Chirurgi in luxatorum curatione est ossis dislocati in propriam sedem artificiosa repositio, quæ operatio Chirurgica ita conficienda erit: Membrum luxatum manibus apprehendat Chirurgus, non quidem more Carnificum torquendo, sed quam fieri potest suaviter & sine dolore; illudque in diversas partes decenter distendat ac distrahat, donec spacium inter caput ossis dislocati ejusque acetabula liberum sit, tandemque ossis prolapsi caput ab ea parte in quam prolapsum est, in contrariam propellat, & in acetabulum suum dirigat & detrudat; quod ubi cum strepitu in suam cavitatem incidit, salva res est. Cavitas enim sive acetabulum iterum repletur, membrumque luxatum consuetam recipit figuram & propriam functionem, nullamque relinquit vel extuberantiam vel cavitatem in membro luxato. Verum contingit non rarò, ut tam gravis sit ossium luxatio, ut solis manibus membra luxata extendi & coaptari, riteque reponi nequaquam possint; tum sane robustiores fasciæ sive manticæ utrinque membro luxato sunt injiciendæ, & ita validius in diversa trahere, luxatumque os in propriam sedem reponere oportet; aut sanè machina repositioni ossium, à peritis Chirurgis excogitata, usurpanda erit, donec repositio fœlicem successum nanciscatur. Repositio verò luxati ossis statim in initio molienda est, antequam luxatum membrum vel intumescat, vel inflammetur: hæc enim Symptomata laboriosam & periculi plenam reddunt repositionem.*

Circa repositorum ossium, ne rursum è proprio loco prolabantur, retentionem, quæ sunt peragenda?

Secundus scopus Chirurgi in luxatorum articulorum curatione est, ossis in proprium locum rectè repositi retentio & conservatio, ne videlicet rursum è sede sua excidat denuoque prolabatur. Hanc operationem dextre perficiet Chirurgus, si primum membrum luxatum ac rursum restitutum, Ol. rosa. cal. cui pauxillum aceti rosa. est admixtum, probè inunxerit, moxque linteolum membro adaptatum Ol. acetoque rosa. simul mixtis & calefactis imbutum, instar Epith. imposuerit, ac supra illud stupam mundiss. ovorum candido cum aceto rosa. concusso & in spumam redacto madefactam decenter applicabit; quæ quidem in hunc finem imponuntur, ut arceant inflammationem, & tumorem doloremque mitigent. Ita enim tandem munitum remediis membrum artificiosè fasciis in Oxycrato h. e. aceto & aq. rosa. commixtis madefactis iterumque expressis deligaverit. Ossium repositorum in sua sede conservatio.

Prodest tamen plurimum ad retentionem ossis in sua cavitate & membri corroborationem sequens Catapl. tepidum imponere:

℞. *Ol. rosa. Myrtil. ana ℥. ij. Albu. Ovo. No. iv. Suc. Plantag. consol. ma. ana ℥. j. farinæ volatilis, hordeaceæ ana ʒ. x. Terræ sigillatæ, Boli Arme. Rosa. ana ℥. ß. pul. rub. adstringentis supra in vul. curatione propositi ℥. j. s. Terebinth. mell. rosa. ana ʒ. vj. commisc. tepida fiat, Catapl. quo imposito fascia deligetur tali constrictione, quæ nec dolorem excitet, nec inflammationem conciliet, qualem in curatione fractorum ossium proposuimus. Postremò, ut commodius in cavitate sua os repositum detineri queat loco, ferularum, corium mundum sive alutam aut linteum cera liquefacta imbutum imponatur & alligetur, luxatumque membrum in aptiss. figuram dirigatur, & ad quietem disponatur, nec ante septimum diem vel nonum hæc prima deligatio resolvatur, aut nova remedia applicentur, nisi grave ac molestum aliquod Symptoma inciderit, fasciarumque solutionem urserit. Symptomatum porrò propulsionem mitigationemque nunc in tertio scopo docebimus.*

Luxatorum Symptomata, eorumque curatio.

Quæ Symptomata luxationes ossium comitari solent, & quomodo singula depellenda?

Tertius scopus curationis luxatorum articulorum est Symptomatum præcautio & sublatio. Nisi enim Symptomata præsentia prius tollantur aut saltem mitigentur, frustra tentatur & ossis luxati repositio, & in suo loco detentio. Irrita & periculosa est universa luxatorum curatio præsentibus Symptomatibus. Iisdem autem ferè Symptomatibus, luxata membra infestari solent, quæ supra in ossium fracturis sunt commemorata, videlicet humorum vitiosorum adfluxu in luxata membra, dolore, tumore, inflammatione, febre, vuln. & fractura luxationi copulata, induratione & convulsione.

Affluxus humorum.

Affluxio humorum in luxatione articulorum quomodo amovenda tollendaque?

Humorum sive sanguinis impurioris affluxio in luxatos articulos, præsertim in plethoricis & Cacochymis corporibus, statim reprimenda, sistenda & detrahenda erit: ea enim & tumoris & doloris & inflammationis in luxatis membris est effectrix causa. Si itaque ætas & alia circumstantiæ non impediant, & corpus sit plethoricum, sanguinis redundantia venæsectione detrahenda & cucurbitularum impositione avertenda, atque tenui victus ratione diminuenda erit. Ita, si corpus sit Cacochymum, remediis convenientibus humores redundantes vitiosi subducantur, adeoque tota defluxio Empl. & Epith. astringentibus superiori parti luxati membri impositis intercipiatur, ac cohibeatur. Constringit autem & fluxionem intercipit Catapl. ex farina volatili & pul. rubeo inter remedia vulneraria descripto confectum, quam jam statim descripturi sumus.

Dolor inflammatio & Tumor.

Dolor, inflammatio & tumor in luxato membro quomodo compescenda?

Horum Symptomatum accuratiss. habenda est ratio in luxatis articulis, & omni studio, ne accidant, arcenda, & si accesserunt, quam primum tollenda, his enim præsentibus, nec potest nec debet luxatum os proprium in locum reponi, nisi hæc Symptomata primum sint sublata. Ita, jubente Celso, *qui inquit, quicquid loco suo motum est, ante inflammationem reponendum erit, & si illa jam occupavit, donec conquiescat, haudquaquam reponendum; magis enim lacessitur. si itaque ægram partem unum ex his aut simul omnia molestent Symptomata, confestim solvenda est deligatio, & membrum luxatum aqua temperatè calida perfundendum & diu multumque fovendum, ex ea enim perfusione & dolor mitigabitur & inflammatio lenietur, & tumor subsidebit, & vitiosi humores in membro collecti probè digerentur. Tandem perfusione ac fomentatione ejusmodi peracta, membro luxato sequens Catapl. imponatur.*

℞. *Farinæ volatilis ex molarum parietibus collecta; pul. rub. constringentis, pul. consol. ma. ana p. æ. quæ commixta & temperata cum q. s. albu. ovorum in catapl. formam redi-*

redigantur, luxatoque membro imponantur, atque fasciis paulo arctius, dolorem tamen minimè excitantibus, deligentur. Præter id probè quoque inflammationem & dolorem mitigant, tumoremque sedant ol. rosa. vel sigillatim vel simul mixta calefactaque, sive molli lana sive stupa, sive complicatis linteolis excepta & imposita.

Luxationi febris copulata quomodo curanda?

Febris. *Vbi luxationi febris copulatur, minimè caret periculo, & tum sanè tenuis victus ratio, & ea omnia remediorum genera febri adversantia, & qualitatem febrilem alterantia, quæ supra à nobis in Febrium curatione sunt commemorata, adhibenda applicandaque erunt. Febrium itaque tractatio pro specie febris cujuslibet consuli potest.*

Vulnus aut fractura luxationi copulata, quomodo curanda?

Vulnus & fractura. *Vbi luxationi accedat vel vulnus vel ossis luxati fractura, ea sane minimè caret insigni periculo, & quidem eò majori quantò vel vulnus, vel fractura luxato articulo est propinquior, quantove membrum luxatum majus est, ideò hæc accidentia luxationis singularem requirunt Chirurgi industriam, prudentiam & diligentiam. Semper autem statim in initio, si ulla ratione fieri potest, luxationis repositio tentanda est, & debet curatio luxationem vulneris aut fracturæ curationem præcedere, & fracturæ prior debet esse curatio quàm vulneris. Si autem propter fracturæ magnitudinem, & vulneris incommoditatem in principio luxatum os reponi nequeat, tum fractura, ut in superioribus docuimus, coaptando & colligando curanda erit, & Symptomata, præsertim inflammatio & tumor, studiosè præcavenda atque arcenda erunt. Verùm vix fieri poterit, quin neglecta in initio repositione interea temporis in luxatam partem callus & durities incidat, id si contingat post curationem fracturæ, emollientibus decoctis fovendum erit membrum luxatum, & sequens Catapl. per quatuordecim dies imponendum. ℞. Rad. Alth. Consol. ma. ana ℔. s. Sem. Lini. fœnugræci ana ℥. iij. Contusa coquantur in aqua q. s. ad mollitiem. F. Cataplasma. Aut imponatur luxato membro Empl. Diachyl. mag. quod in Myropoliis prostat, & pars affecta subinde unguento Dialthe. inungatur, tandemque nullo præsente Symptomate, luxati repositio superiori methodo manibus aut instrumentis tentetur. Postremo sublatis Symptom. & confirmato osse in suo acetabulo, tum pleniore & bona victus ratione corroboretur æger, & pars affecta confirmetur, subinde perfundendo seq. decocto cum vini & aq. a. p. ℞. Rosa.* Callus & durities. *absynth. & Musci quercini ana M. ij. concidantur & concoquantur. Post fomentum verò imponatur luxato membro pro conservatione in proprio loco Empl. Oxycro. cujus descriptio extat in Pharmacopæorum libris, & ita tandem sensim rursum assuefiat membrum ad solitas actiones.*

Gibbus seu gibbositas quid; Quid ejus causæ, & ut tractanda?

Κύφωσις vel κύρτωσις, *Latinis Gibbositas,* Gibbus. der Hovel / *est soboles imperfectæ luxationis vertebrarum dorsi aut ossis pectoris, quæ in puerulis neglecta, magis magisque adaugetur, & dorsum aut pectus extuberans & convexum reddit.*

Causæ gibbositatis προηγ. *sunt eædem ferè quæ & luxationis, videlicet casus & percussio dimovens vel vertebras dorsi, vel ossa pectoris.* προηγ. *sunt in puerulis vehemens tussis & Asthma, & tuberculum in dorso aut circa pectus.* Hipp. inquit, *qui ante pubertatem gibbosi fiunt, ex Asthmate aut tussi, illi brevi moriuntur. Adjuvans causa est adfluxio superflui alimentarii humoris ad læsam partem, adaugens tuberculum, & in callum excrescens. Sicut enim in arboribus ex redundantia succi extuberantia fiunt, ita gibbi ex humore affluente ad distractas vertebras. Crescit autem gibbus usque ad ἀκμὴν.*

Signa in pueritia *est tuberculum durum circa vertebras aut στέρνον, quod primum instar avellanæ, deinde instar nucis Iuglandis tactu deprehendi potest.* Causæ gibbositatis.

Curatio Gibbi inveterati & *ultra modum protuberantis, impossibilis est. In principio*

pio verò exortus gibbi tuberculo adhuc existente, per desiccantia & absumentia remedia discuti, & ejus incrementum prohiberi potest, ex quibus remediis unum & alterum exquisitius hic subjungere satis erit. Si tuberculum quotidie bis inungatur Chimicis oleis, videlicet Saturni h. e. plumbi, & Martis h. e. ferri, prohibent incrementum gibbositatis. Idem faciunt lamina plumbi tenuissima tuberculo alligata. Similiter utiliss. erit locum affectum quotidie inungere Oleo è strobillis cupressi destillatis, & quotidie imponere Catapl. ex fol. Sabina, aut fol. Oleandri contusis & cum Ol. rutaceo mixtis confectum. Qualis autem sit arbor Oleandri supra in venenatorum tractatione docui.

SECTIO VII. ET ULTIMA

Chirurgicarum Curationum.

DE

MEMBRANARUM RUPTURA.

Membranæ quid, & quotuplices.

Ὑμένας & χιτῶνες, *Membrana & Tunica, sunt tegumenta nervea cujusdam substantia in latum expansa, pro figura partium contentarum, exquisitiss. sensus. Tanta autem est varietas membranarum in corpore, ut nulla fere particula sit qua non membrana sit vestita.*

Earum enim alia tegunt & continent partes, alia fulciunt ac sustinent, alia distinguunt & disterminant. Item alia earum sunt duplicata, alia simplices, alia tenues, alia crassa. Inter eas autem principaliores sunt tunica cerebri quas Menyngas vocant, tunica oculorum, tunica costas vestientes, tunica thoracem intersepientes & costas succingentes, tunica viscerum Epatis, Pulmonis, Ventriculi, Matricis, Venarum, Arteriarum, Nervorum & Ossium, & postremò Tunica Peritonai, qua omnium maximè ruptioni est obnoxia. Tunica Peritonai duplicata est, figuram referens marsupii, & complectitur in se omnia viscera inferioris ventris. De reliquarum membranarum rupturis & vulnerationibus suis in locis abunde diximus, ut, Menyngum in Capitis *vulneribus,* Pleuræ *seu costas succingentis membrana in vuln. Thoracis; Sic & de reliquarum membranarum ruptionibus suis in locis disseruimus. Quin & de Peritonai ruptura qua Gracis* κήλη, *Latinis Ramex dicitur, quid sit, qua sint ejus species, & quomodo per remedia & interna & externa curari debeat, supra in Inguinum & Scroti vitiis curandis disseruimus. Hoc itaque loco satis fuerit de ejusdem membrana ruptura Chirurgica pracisione pauca perstrinxisse.*

Ruptura peritonæi quid, & quomodo per præcisionem Chirurgicam curanda?

Κήλη, *Ramex vel Hernia, Barbaris Ruptura & Crepatura*, ein Bruch. *Plures sunt Hernia species pro materia in scroto aut Inguine illapsa diversitate, ut* ἐντεροκήλη. *Intestini Ramex,* ἐπιπλοκήλη, *Omenti Ramex,* σαρκοκήλη, *Carnosa Ramex, &* ὑδρωκήλη *aquosa hernia: qua materia, si in scrotum devolvantur, simpliciter* κήλη; *si verò in Inguina tantum prolabantur,* βουβωνοκήλη *dicuntur.* Herniæ quid? & quotuplex.

Causæ Herniæ *sive ruptura sunt aut laxatio peritonai, aut ejusdem ruptura, qua ut plurimum fiunt ex violento casu, saltu aut grandis ac ponderosi corporis violenta sublatione.* Causæ herniæ.

Signa sunt *satis manifesta.*

Curationem *ruptura per medicationem & difficilem & sape frustraneam esse in superioribus tradidimus, prasertim in inveteratis Herniis. Qua autem curatio per sectionem industria Chirurgica administratur, & facilior est, & fæliciorem habet successum, modo adsit peritus* κηλήτομος, *qua hac methodo perfici solet; observata hac regula: in senili atate & in infantia periculosam esse sectionem Hernia, prasertim iis, qui sexagesimum annum superarunt; Commodissima vero est in pueris & adolescentibus. Initio itaque in pracidenda Hernia intestina per Clysterem evacuentur, deinde ager supinus per scamnum adaptatum extendatur, diductisque pedibus & cru-* Curatio Herniæ Chirurgica.

& cruribus expansis, manticis idoneis sive vinculis & pedibus & manibus & pectore circa axillas probè convinciatur & ligetur, & pili Inguinum abradantur. Posteà si commodè fieri potest, intestina, aut Omenti pars prolapsa manibus sursum in locum proprium rite reponatur. Deinde apprehensis complicatisque inter digitos musculis Inguinum per transversum, eisque à Peritonæo sursum attractis, cutis & musculus per rectitudinem sive longitudinem corporis novacula aut cultro rasorio incidatur, ad trium digitorum latitudinem vulnere facto; statim enim per vulnus peritonæum erumpit, quo apprehenso laxatum peritonæum protrahatur, & ab Inguine & Scroto intestina separentur, ac sursum protrudantur. Reliqua autem pars rupta Peritonæi & extra vulnus protracta, & quicquid in eo superfluum est, vinculo robusto ex filis sericis facto intercipiatur & probè constringatur, moxque illa pars peritonæi ad unius digiti latitudinem supra subligationem abscindatur, & nodus deligationis rursum per vulnus suo loco restituatur, vulnere aperto relicto, donec Peritonæum colligatum coalescat & conglutinetur, fili extremitate extra vulnus relicta, donec modus deligationis corruptus sponte unà cum vinculo prolabatur; Conglutinatur enim facilè Peritonæum, propterea quod multas venas & Arterias sparsas in se habeat. Sunt qui post superflui amputationem peritonæi, vulnus instar aliorum vulnerum consuant, sed subligatio fœliciorem habet successum. Vulneri cutis & musculorum per quod pus profluit, sola mundificatio & moderata dilatatio ne citius coalescat, donec nodus subligationis procidat, duntaxat debetur, quo prolapso facillimè vuln. sponte sua persanatur leviori Emplastro vulnerario adhibito. Vulnerariæ tamen potiones commodè per totum curationis tempus ad persanationem & vulnerum Peritonæi & Musculorum exhiberi possunt. Symptomata quæ in præcisione Ramicis subsequi solent, quibus sunt arcenda remediis, paulo ante in curationibus vul: proposuimus; inter quæ vel præcipuum est sanguinis profusio, quæ statim est compescenda, id quod commodissimè fieri poterit, si Orificium Venarum consuatur & Vinculo constringatur, & remedia quædam, inprimis Crocus Martis, inspergantur.

Chimici in usu habent Mumiam alcohol. Magister, Bedeguar, vel sarcocoll. Ol. sal gemm. Ol. tartar. essent. consolid. regal.



INDEX
IN
FRANCISCI JOELIS
OPERUM MEDICORUM
TOMUM QUINTUM ET SEXTUM.

Apium

B.

C.

Calor

G.

Meco-

S.

Στυπτή-

Viru-

W.




NGB ERT
M D